



Tho: Forster Delin: M. V^dr Gucht Sculp.

HUMFREDUS HODY S.T.D.
L. Græcæ Prof. Reg. et Archidiac. OXON.
Rev^mis D^nis D. Io: TILLOTSON et D. THO. TENISON
Archiepis. CANT. a Sac. domest.

HUMFREDI HODII

Linguæ Græcæ Professoris Regii

Et Archidiaconi

OXON.

DE

BIBLIORUM

TEXTIBUS ORIGINALIBUS,

Versionibus Græcis, & Latina Vulgata:

LIBRI IV.

VIZ.


I. Contra Historiam LXX. Interpretum ARISTEÆ nomine inscriptam Dissertatio, qua probatur illam à Judæo quodam fuisse confictam, & IS. VOSSII, aliorumque doctorum Virorum, Defensiones ejusdem ad examen revocantur. In hac Editione diluuntur VOSSII Responsiones.

II. De Versionis (quam vocant) LXX. Interpretum Auctoribus veris, eamque conficiendi tempore, modo, & ratione.

III. Historia Scholastica Textuum Originalium, Versionisque Græcæ LXX. dictæ, & Latinæ Vulgatæ. Qua ostenditur, qualis fuerit singulorum Auctoritas per omnia retro secula, & Textus Originales maximo in pretio semper habitos fuisse.

IV. De cæteris Græcis Versionibus, *Origenis* Hexaplis, aliisque Editionibus antiquis; cum Collectione Indiculorum Librorum Biblicorum per omnes ætates, quæ Historiam *Canonis* S. Scripturarum quam brevissimam, sed plenam ac luculentam, continet, Ordinisque Librorum varietatem indicat.

Præmittitur ARISTEÆ *Historia Græce & Latine.*





OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO *An. Dom.* MDCCV.

Imprimatur,

GUIL. DELAUNE,

Vice-Can. OXON.

Martii 2. 170$\frac{2}{3}$.

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino

D. THOMÆ

Divina Prov. Archiepiscopo CANTUARIENSI,

Totius ANGLIÆ Primati & Metropolitano:

SUB

GULIELMO III.

REGE MAXIMO,

ET, NI

ANNA

successisset,

DESIDERATISSIMO,

PRO COMMUNI LIBERTATE, LEGIBUS, FIDE,

PERILLUSTRI GLORIA, NEQUE UNQUAM PERITURA,

APUD EXTEROS MILITANTE;

Multis annis Proregum primo:

Antistiti de Ecclesia Patriaque eximie merito:

Utriusque Jurium Adsertori constantissimo:

TILLOTSONI

MAGNI

SUCCESSORI DIGNISSIMO:

PATRONO suo summe Venerando:

Opus hoc qualecunque, reverentia maxima, dicat consecratque

Sacellanus ejus devotissimus,

HUMFREDUS HODIUS.

Quorum prima ætas propter humilitatem, & obſcuritatem, in hominum ignoratione verſetur, hi ſimul ac juvenes eſſe cœperunt, magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudiis debent contendere: quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi ætati, verum etiam favetur. *Cic. de Offic. l. 2. c. 13.*

LECTORI.

JAM anni sunt Viginti, cum, [a] adolescens admodum, publici juris feci *Dissertationem contra Historiam Aristeanam*; in cujus Opusculi Præfatione Lectorem monui, me alios quoque tres libros de Bibliorum Versione Græca &c. condidisse: Quos quidem omnes coostitutum mihi fuerat unà pervulgare; verum repente & inopinato ad alia quædam studia avocatus, librum primum à cæteris avulsum, & iis quasi prævium, foras dare consultius duxi. (a An. 1684)

Prodiit an. 1686. *Is. Vossii* Responsio, quam ad finem *Appendicis Observationum in P. Melam* adiexuit, in qua more plane *Vossiano* (ne quid gravius dicam) conscripta, non alio me dignatus est nomine quam *Juvenis Oxoniensis*. Bilem nimirum stomachumque Viro magno vehementer movebat, quod cum *bellator esset ab adolescentia*, adversus ipsum in aciem prodire *Adolescens* auderet.

Utque erat impatiens iræ, ——
—— *agimus, prô Jupiter, inquit,*
Ante rates causam; & MECUM *confertur Ulysses!*
Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus,
Quo cum victus erit, MECUM *certasse feretur.*

Hæc eadem ille, vel pene eadem. Quis sibi non metuisset, ne *darentur carnes suæ volatilibus cæli & bestiis terræ?* Verum longe aliter se res habuit, salvus evasi, & perlecta Viri eruditioois laude tam insignis Responsione, adeo levem quidem illam, & imperfectam, ne dicam indoctam, esse comperi, ut exinde magis magisconfirmata sit illa, quam amplexus tuitusque fueram, sententia. Spes mihi tum erat, intra annum unum aut alterum cæteros, quos dixi, libros evulgatum iri; in quorum Præfatione Responsiooi Vossianæ diluendæ locum fore peropportunum videbatur. Atvero istiusmodi fuit fatum studiorum meorum, ut fieri id minime licuerit. Decrevi postea, in alio quodam [b] Opusculo, quod tunc temporis meditabar, ad examen eam revocare: sed nec isti lucem hactenus videre licitum est. (b De quo in Prolegom. ad Malela Chronographiam §. 34.)

Hujusmodi studiorum ratione ac vicissitudine dum ad alia atque alia perpetuo abreptus essem (id quod Anglis nostris non ignotum) interim non magnopere angebar quod Responsio Vossiana in manibus omnium absque examine tam diu versaretur, quandoquidem perpaucos noverim Viros doctrina paulo præstantiores, qui, post editam nostram Dissertationem, Aristeæ Historiam tanquam spuriam commentitiamque, vel invito *Vossio*, non repudiarent. Neque solum Religionis Reformatæ Cultores, verum & ipsi (quod vix sperabam) Pontificii, cordatiores nempe ac doctiores, Observationibus nostris inducti, eam rejecerunt.

Quam gratus fuerit iste labor noster *Ægidio Menagio*, diffusæ Viro ac politissimæ literaturæ, testatissimum faciunt posteriores ejus in *Diogenem Laertium* [c] Adnotationes. Quam item [d] *Antonio Pagi*, testatur ejus in *Annales Baronii Critica*, ubi palam affirmat, *libellum Aristeæ inter supposititios censeri à Viris doctissimis, tum ex Catholicis, tum ex Protestantibus. Nec referre, quod sancti Patres Historiam istam tanquam veram narrationem Operibus suis inseruerint*; *nam ea* (inquit) *utrum esset vera, necne, non erat, cur critice inquirerent, quandoquidem Græca* LXX. *Seniorum Versio, qua tunc Ecclesia utebatur adversos Judæos, qui contextum Heb. inter disputandum Christianis passim opponebant, illius fidem egregie tuebatur. Universam libri Aristeæ orationem ita compositam, ut à Judæo quodam Hellenista, gentis suæ amantissimo, constructa fuisse videatur. &c.* Ut alios silentio prætereamus; ad Cl. *Petrum Allixium*, Gallum olim, nunc nostratem, gentis utriusque decus, aliquot abhinc annis, literas misit, mecum communicandas, Vir eximius *Ludovicus Pikius*, Doctor Sorbonicus, nuper non sine magno literarum reconditiorum damno defunctus; in quibus sententiam suam professus est, non *Hierosolymitanos*, sed *Alexandrinos* fuisse Interpretes Græcos quos LXX. nomine cohonestavit Antiquitas. Unum restat quod commemorare invitus cogor; nimirum alii cuidam *Doctori Sorbonico* scriptis suis haud incelebri, *Ellisium Dupin* intelligo, usque adeo arrisisse, quæ contra Historiam istam attuleram, argumenta, ut ea tanquam sua, in libro *De Canone V. T.* vernacule edito, proferre videatur. Quod Dissertationis nostræ, unde omnia hausit Vir doctissimus, mentionem nullam fecerit, hoc ei facile condono: quod vero ne quidem obscure subindicat, se ea quæ habet aliunde deprompsisse, id si Ego leniter & æquo animo feram, vereor tamen ut ferant Viri eruditi. Alienæ plumæ! — Parcendum vero famæ Viri de S. Literarum studiosis alias optime meriti, quique audet in aliquibus (utinam in pluribus!) supra vulgus sapere. (c Pag. 133, 205, 211, 227, 222. d Ed. 1689. an. 1674. §. 5.)

LECTORI.

Ut illuc redeamus, unde paululum aberravimus: Postquam sæpe ac diu ab hisce literis divulsus retractusque fuissem, ita ut schedas meas per multos annos ne quidem semel inspexerim, tandem studia hæc intermissa revocavi, & cum quodam ardoris impetu ad Opus hoc revisendum atque perficiendum nuper accinctus & reversus sum. In quo quidem mihi per hanc moram licuit tot & tanta addere passim & supplere, ut vel eo nomine nec me, nec Lectorem fortasse, pœniteat, quod in annum non modo *nonum*, sed jam plusquam *vicesimum* pressum fuerit.

Nollem quidem, cum sit Opus per se satis longum, longiori quam par est Præfatione Lectorem morari. Supersunt vero nonnulla, quæ silentio non prætereunda sunt.

In hac secunda Editione Dissertationis contra Hist. Aristeanam, duo prima Capitula in unum contraxi, demptis nonnullis brevitatis studio; nonnullis etiam subinde adspersis. In sequentibus vero Capitibus, tametsi quædam interdum paulo contractiora feci, nihil novi tamen inserui. In illis si quid addendum esset, id omne in marginem referre visum est.

Aristeæ Historiam ipsam præmittere necessarium putavi. Latinam Versionem *Garbitianam*, prout paululum immutata est in Editione nupera *Oxon.* jussi Græcis subjungi. Non me fugit, servari in Bibliotheca Regia Parisina, aliisque quibusdam, exemplaria istius MSS. Sed de tali opusculo, quod tanquam fœtum suppostitium penitus rejicio, Amicos solicitare, & in Partes longinquas mittere, vix operæ pretium existimavi. Eas curas relinquo illis, quibus tanti esse res videbitur. Prodiit autem primum istius Latina Translatio, auctore *Matthia Palmerio* Pisano, in Bibliis Latinis à *Joanne Antonio* Episcopo *Aleriensi* Romæ Editis an. 1471. *Paulo* II. Pontifici ab Auctore dicata. Quæ editio Bibliorum *Norimbergæ* postea recusa est an. 1475. Edita est eadem *Palmerii* Translatio sæpius, cum alibi tum in *Bibliothecis Patrum*, & an. 1578. Coloniæ cum *Jac. Middendorpii* Commentario, haud magni illo æstimando. Græce prodiit primum Basileæ an. 1561. *Jo. Oporini* typis, edente *Simone Schardio* Saxone Juris Consulto, adjuncta Versione nova *Matthiæ Garbitii* in Acad. Tubingensi Literarum Græcarum Professoris, paulo ante defuncti. Hebraice reddidit, sed Versione laxiori, neque satis fida, Mantuæque an. 1574. emisit *R. Azarias de Rossi* Ferrariensis, sub Titulo *Decoris Senum*, quod pars est Operis inscripti *Meor Enajim*, h. e. *Lumen oculorum.*

Quod attinet ad *Syntagma Historico-Chronologicum de Ptolemæis Ægypti Regibus*, ad quod Lectorem in Dissertatione sæpiuscule amandavimus, & de quo in istius olim Præfatione locuti fuimus; jam diu est quod constitui Opus illud ita curis secundis augere ac ampliare, ut prodeat tandem aliquando Thesaurus Antiquitatum *Alexandrinarum* (Civitatis illius secundùm *Romam* longe omnium nobilissimæ, Ecclesiæque celebratissimæ) cum Civilium, tum Ecclesiasticarum. Hoc sane in votis mihi, atque etiam in proposito est. Cæterum nemini ignotum est quam incerta sint & dubia in hac vita omnia. Dum grandia quædam (verbo absit invidia) molior, & magnis saltem ausis excidere volo (sicut omnes non inertes decet:) *pede cito labi ætatem*, & Vitam, si non brevem esse, at certe negotiis à bonis literis longe alienis sæpe multumque interrumpi persentio. Nihil itaque nunc polliceor. Hoc tantum in præsenti profiteor, me illum æmulari velle, qui dixit, *Imperatorem decere, stantem mori*: & si vitam, sanitatem, otiumque dederit summus ille rerum Arbiter, non despero quin ex Museolo nostro habiturus sit olim Orbis literarius & Opus istoc, & alia quædam haud forsan pœnitenda. Verum hæc, ut & alia mea omnia, humiliter Divinæ permitto Providentiæ; cujus est de inceptis humanis, perinde ac de Naturæ Motibus, statuere: *Usque huc venies, & non procedes amplius.* Hoc interim mihi sufficiat, quod hactenus sane, non Mihimet soli (si modo unquam Mihimet) sed Aliis, Reipublicæ, Ecclesiæ vixi.

Hæc tecum volui, Lector. Atqui nondum manum de tabula. Cui bono (inquies) tam operosi conatus circa narratiunculam Aristeæ? Ne nescius sis, audi. Si verum sit, quod tradit ille, Interpretationem Græcam librorum Mosaicorum, (nam ad eos solos spectare illum, certissimum habeo) elaboratam fuisse à Senioribus numero LXXII. ab ipso Pontifice Hierosolymitano ad id munus delectis, & ex Hebraico Exemplari tanti pretii ac fidei, idque etiam collatis studiis; hoc, inquam, si concedatur, multis profecto *Hieronymis*, totique Rabbinorum ab illius usque temporibus cœtui, præferenda erit istius auctoritas, ubi constabit lectionem Græcam esse incorruptam germanamque eorum Versionem. At vero, si facta sit tota Bibliorum Translatio ab incertis, nescio quibus, sive Alexandrinis, sive aliis, & ex privatis quibusdam sortis dubiæ Codicibus Hebraicis, quis dubitabit, quin

examini

examini strictiori liberiorique subjici, jure & merito possit ac debeat? Neque eo tamen tendit hic noster labor, ut Versionis illius auctoritas usque adeo diminuatur & labefactetur, ut prorsus nulla ei supersit. Id longe à nostris studiis abest. Quin & eam esse quantivis pretii thesaurum lubens fateor Ego atque etiam profiteor. Et pro ea equidem Deo O. M. ex animo gratias ago. Absit ut in Versionem Græcam ob lapsus quosdam eodem censuræ rigore ac severitate procedamus, quo solebat [a] *Gregorius Capuccinus* (unus ex Patribus deputatis pro revisione librorum in Civitate Neapolitana) in Bibliorum Latinorum Exemplaria. "*Biblia*, inquit, "*quæ deficiunt in textu, juxta Concil. Trid. Seß.* 4. *in Decreto de usu sacrorum li-* "*brorum, semper comburo; & facio experimentum in* 3. *Cap. Genesis, ubi invenio*: "In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram; *& non dicit*, In "sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec &c. *Ego sine remissione, tanquam* "*textum suspectum non transeo ad ipsam censurando, sed igniendo.* Hæc severus ille Censor, quem non *Aristarchum*, sed *Phalarin Grammaticum*, scite appellat *Armachanus*. Assentior omnino *Pearsono* illi nostro, quanto Viro! à quo exornatur hoc encomio Interpretatio Græca: *Cum ad Heb. Veritatem probe percipiendam, ad Authoritatem testimoniorum Apostolicorum confirmandam, ad nativum Novi Fæderis Stylum recte intelligendum, ad Græcos Latinosque Patres rite tractandos, ad scientiam denique linguæ Græcæ ipsamque Criticen adornandam tam sit utilis atque necessaria, quis eam doctis omnibus, præsertim Theologis, non videt debere esse commendatissimam?*

[a] Enchirid. Eccles. 166.

Illud postremo si addidero, finem faciam, me clarissimi quidem Adversarii mei, aliorumque magnorum Virorum, hallucinationes castigare libere; sed eo, uti spero, quo decuit candore; nunquam deviantem extra tramites Argumenti, nec animo malevolo errores in illis [illegible] (qui hominum nugivendulorum mos ineptus est) studiose quæritantem. Grandia Nomina profecto nihil sum veritus: at nec ea ob lapsus quosdam fastuoso insultu læsi. Nullus unquam fuit Vir magnus, qui non magnos etiam commiserit errores: Sunt laude tamen dignissimi, quod multas etiam patefecerint Veritates. Si *Is. Vossium* in aliquibus locis aliquanto liberius tractasse cuiquam videar, hic loci palam profiteor, hoc meum semper de eo judicium fuisse (absit enim ut sacros venerandi Capitis cineres petulanter conculcare videar) fuisse illum, hominem pereleganti ingenio, & simul doctissimum: at in hoc certe argumento, non item, etsi toties in hac arena desudaret atque colluctaretur. Ut omnia verbo expediam; scriptor fuit politior, quam diligentior. Viri eruditissimi, magni, maximi (& quid non?) elogium haud parce illi impertivi: At erravit tamen, & sæpe mehercule gravissime.

Quin in multis Ipsemet, pauxillus homo, erraverim dubitare nequeo, cum in Viris tantis tot & tantos animadverti errores. Hoc vero (nisi in hoc quoque fallor) in rebus solummodo minoris momenti. Sane de auctoritate Hist. Aristeanæ confido me non errasse, neque ullum reformido Adversarium. Hanc opinionem mihi eripi non facile patiar. Non nescio tamen quam varia sint hominum judicia; & etiam post luculentissimas hasce redargutiones, erunt, scio, *Israelitæ* nonnulli, quibus placitura sint *cucumeres & pepones porrique & cepæ & allia* (Imposturæ gratissimæ acceptissimæque) ÆGYPTI. Habeant illi atque fruantur (per me licet) quod ipsorum placet palato. Ea sane de re minime ero solicitus. Et, si alii quicunque à me hac in parte dissenserint, hoc abunde mihi erit ad ultionem, quod Ego vicissim ab illis dissentiam.

Priusquam autem Lectori Vale ultimum dicam, subjicere liceat magni illius *Roterodami*, Viri antiquis paris aut etiam superioris, admonitiunculam, quam habet in Tractatulo *contra* MOROSOS *&* INDOCTOS. *Meminerit is qui reprehensionem parat, se quoque hominem esse, neque minus labi posse in reprehendendo, quam potuerit Auctor operis scribendo. Quanquam longe plus veniæ debetur ei, qui prodesse studens, in ingenti opere dormitavit alicubi, non assequutus quod voluit, quam ei qui in alieno libro cupiens ingeniosus videri, venatur quod carpat, & tamen hoc ipsum perperam facit; dumque falsos aliorum errores exagitat, ipse suos veros prodit. Porro nullus est error fœdior, quam animus spirans invidiam & vel rectissima carpendi libidinem.*

Ex Æd. Lambethanis

Aug 20. 1704.

SYLLABUS CAPITUM.

LIB. I.

Contra Hist. Aristeæ.

Cap.

SYLLABUS CAPITUM.

LIB. II.

De Versionis Græcæ Auctoribus veris &c.

SYLLABUS CAPITUM.

LIB. III.

Hist. Auctoritatis Textuum Originalium Versionumque Græc. & Lat. Vulg.

PARS I.

De Opinionibus & praxi Judæorum, Scriptorum sacrorum Test. Novi, & Ecclesiæ Græcæ.

SYLLABUS CAPITUM.

Addenda paucula.

Pag 243. l. 16. post *dictus Hieronymus*, adde: Et à Scriptoribus Pontificiis pro Versione Vulg. produci solet illius auctoritas: sed frustra quidem. Linguam enim Latinam non intellexit Levita, sed tantum de paucis quibusdam Germanice sibi ex Latina Versione redditis judicium tulit. Audiatur ipse *Cochlæus*, quem omnes hac de re citant, sed aliquibus subdole celatis, in libello de Novis ex Hebr. Translat. *Dum ego Romæ agerem, & in Heb. rudimentis qualibuscunque uterer præceptore Helia Judæo Germanico, dicebat mihi, si quis labori ejus pretium daturus esset, velles me adjutore (ipse enim linguæ Lat. ignarus erat) Hieronymi Interpretationem (quam ego inter legendum conferebam ejus ex Hebræo Germanicam interpretationem) contra omnes illius impugnatores, sive Judæi essent sive Christiani, ex Hebræo ita defendere, ut à nullo juste impugnari videre possit*

p. 356. l. 47. post nusquam, adde: Contendit vero *Glassius*, Apostolum scripsisse ex Psal. 97. 7. ubi Heb. habet: *adorate eum omnes Elohim*; LXX προσκυνήσατε ἄγγελοι αὐτῷ & Apostoli verba in librum Deut. fuisse intrusa.

p. 390. l. 52. Post *Spiritus*, adde: Versionem tamen *Hieronymi* sequitur ipse *Ruffinus* in Explanatione Prophetarum Minorum, sicut res ipsa loquitur, & ipse monet in Præfatione *Debent nostri operis ut lector agnoscat & quam fuit Editionem sequutus, & quo præcipue consideratio munus hoc difficillimæ Explanationis assumpserim, ut si & ipse de eorum numero est quos cura lectionis exercet, haud de nihilo me fecisse cognoscat, ut etiam* POSTREMAM EDITIONEM, QUÆ SECUNDUM HEBRÆUM APPELLATUR, *elegerim. Quandoquidem in prioribus Editionibus elocutiones vetustæ frequenter sensum vel doctrina vel narrationis dirumpant, ut divinatione magis quam conditione ejus esse videatur. Posterior autem ista Translatio, etsi non multum ipsi Contextui splendoris adjecit, tamen elocutionum integritate, illa qua dignitas intercepturum sensuum damna frequenter evitat &c*

ARITEÆ

ARISTEÆ HISTORIA

LXX. INTERPRETUM.

ΑΡΙΣΤΕΑΣ ΦΙΛΟΚΡΑΤΕΙ.

ΑΞΙΟΛΟΓΟΥ διηγήσεως, ὦ Φιλόκρατες, περὶ τῆς γενηθείσης ἡμῖν ἐντυχίας πρὸς Ἐλεάζαρον τὸν τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερέα συνεσταμένης, διὰ τὸ σὲ περὶ πολλοῦ πεποιῆσθαι, παρ᾽ ἕκαστα ὑπομιμνήσκων, συνακοῦσαι περὶ ὧν ἀπεστάλημεν, καὶ διὰ τί· πεπείραμαι σαφῶς ἐκθέσθαι σοι, κατειληφὼς ἣν ἔχεις φιλομαθῆ διάθεσιν, ὅπερ μέγιστόν ἐστιν ἀνθρώπῳ, προσμανθάνειν ἀεί τι, καὶ προσλαμβάνειν, ἤτοι τι ἀπὸ τῆς ἱστορίας, ἢ καὶ κατ᾽ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα πεπειραμένῳ. οὕτω γὰρ κατασκευάζεται ψυχῆς καθαρὰ διάθεσις, ἀναλαβοῦσα τὰ κάλλιστα· καὶ πρὸς τὸ πάντων κυριώτατον νενευκυῖα, τὴν εὐσέβειαν, ἀπλανεῖ κεχρημένη κανόνι, διοικεῖ τὴν προαίρεσιν.

Εχοντες ἡμεῖς πρὸς τὸ περιέργως τὰ θεῖα κατανοεῖν, ἑαυτοὺς ἐπιδώκαμεν εἰς τὸν προειρημένον ἄνδρα πρεσβείαν, καλοκαγαθίᾳ καὶ δόξῃ προστετιμημένον, ὑπό τε τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ἄλλων· καὶ κατακεκτημένον μεγίστην ὠφέλειαν τοῖς σὺν ἑαυτῷ, καὶ τοῖς κατὰ τοὺς ἄλλους τόπους πολίταις, πρὸς τὴν ἑρμηνείαν τοῦ θείου νόμου· διὰ τὸ γεγράφθαι παρ᾽ αὐτοῖς ἐν διφθέραις ἑβραϊκοῖς γράμμασιν. ἣν δὴ καὶ ἐποιησάμεθα ἡμεῖς σπουδῇ, λαβόντες καιρὸν πρὸς τὸν βασιλέα περὶ τῶν μετοικισθέντων εἰς Αἴγυπτον ἐκ τῆς Ἰουδαίας ὑπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ βασιλέως, πρώτως κεκτημένου τήν τε πόλιν, καὶ τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον παρειληφότος.

Ἄξιόν ἐστι καὶ ταῦτά σοι δηλῶσαι· πέπεισμαι γὰρ, σὲ μᾶλλον ἔχοντα πρόσκλησιν πρὸς τὴν σεμνότητα, καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων διάθεσιν, τῶν κατὰ τὴν σεμνὴν νομοθεσίαν διεξαγόντων, περὶ ὧν προαιρούμεθα· δηλοῦντες μὲν ὥστε ἀκούσεσθαι, προσφάτως παραγεγενημένον ἐκ τῆς νήσου πρὸς ἡμᾶς, καὶ βουλόμενον ἐπακούειν ὅσα πρὸς ἐπισκευὴν ψυχῆς ὑπάρχει. καὶ πρότερον γὰρ διεπεμψάμην σοι, περὶ ὧν ἐνόμιζον ἀξιομνημονεύτων

ARISTEAS PHILOCRATI.

CUM, ô Philocrates, nostra ad Eleazarum summum Judæorum Sacerdotem profectio, & quæ apud ipsum agenda erant, memoratu sint digna, taque magni hoc feceris, quia contigisset me præsentem sigillatim quæque cognoscere: ego dedi operam, ut de quibus & ob quam causam missi fuissemus, plane exponerem tibi, qui semper sano animi tui judicio & proposito addiscere & assumere aliquid studes, vel ex historiis, vel ex negotiis & rebus ipsis vitæ. Ita enim informatur animus ad purum habitum, cum colligit optima, & in pietatem, rem omnium præstantissimam intentus, ea ut regula minime fallaci utitur in consiliis & actionibus suis gubernandis.

Cum ergo eum animo prono ad res divinas accuratius cognoscendas, obtuli me legatum ad virum modo nominatum, virtute & fama præ aliis celebrem, & apud suos cives & apud alios homines, quique apud se haberet rem valde utilem suis & aliarum terrarum civibus, quæ faceret ad interpretationem legis divinæ: propterea quod illa Hebraicis literis perscripta in membranis, apud ipsos Judæos extaret. Atque hanc quidem legationem studiose obivimus, ita ut inde acciperemus occasionem agendi cum rege de illis, qui ex Judæa in Ægyptum traducti erant à patre regis, qui primum & civitate potitus est, & Ægyptum occupavit.

Sunt quidem & hæc digna quæ tibi exponam, licet persuasum habeam te magis invitare nos ad gravitatem & mores exponendos illorum hominum, qui secundum sanctas degunt leges: id quod est præcipue instituti nostri, ita tibi exponere, ut rem totam cognoscas: quoniam nuper ex insula ideo venisti ad nos ut scires omnia quæ essent utilia ad informationem animi. Mihi autem & ante ad te illorum, quæ putarem scitu di-

μενεύτων εἶναι τὴν ἀναγραφήν· ἣν μετελάβομεν παρὰ τῶν κατὰ τὴν λογιωτάτην Αἴγυπτον, λογιωτάτων ἀρχιερέων παρὰ τοῦ γένους τῶν Ἰουδαίων. Φιλομαθῶς γὰρ ἔχοντί σοι περὶ τῶν δυναμένων ὠφελῆσαι διάνοιαν δέον μεταδιδόναι, μάλιστα μὲν πᾶσι τοῖς ὁμοίοις, πολλῷ δὲ μᾶλλον γνησίαν ἔχοντί σοι τὴν αἵρεσιν, οὐ μόνον κατὰ τὸ συγγενὲς ἀδελφῷ καθεστῶτι τὸν τρόπον, ἀλλὰ καὶ τῇ πρὸς τὸ καλὸν ὁρμῇ τὸν αὐτὸν ὄντα ἡμῖν. χρυσοῦ γὰρ χάρις, ἢ κατασκευή τις ἄλλη τῶν τετιμημένων παρὰ τοῖς κενοδόξοις, ὠφέλειαν οὐκ ἔχει τὴν αὐτὴν, ὅσον ἡ παιδείας ἀγωγὴ, καὶ ἡ περὶ τούτων φροντίς. ἵνα δὲ μὴ περὶ τῶν προλεγομένων μηκύνοντες ἀδολεσχόν τι ποιῶμεν, ἐπὶ τὸ συνεχὲς τῆς διηγήσεως ἐπανήξομεν.

Κατασταθεὶς ἐπὶ τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς, ἐχρηματίσθη πολλὰ διάφορα, πρὸς τὸ συναγαγεῖν, εἰ δυνατὸν, ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην βιβλία· καὶ ποιούμενος ἀγορασμοὺς καὶ μεταγραφὰς, ἐπὶ τέλος ἤγαγεν ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, τὴν τοῦ βασιλέως πρόθεσιν. παρόντων οὖν ἡμῶν ἐρωτηθεὶς, πόσαι τινὲς μυριάδες τυγχάνουσι βιβλίων; εἶπεν, ὑπὲρ τὰς εἴκοσι, βασιλεῦ. σπουδάσω δὲ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πρὸς τὸ πληρωθῆναι πεντήκοντα μυριάδας τὰ λοιπά. προσαγγέλλεται δέ μοι, καὶ τῶν Ἰουδαίων νόμιμα μεταγραφῆς ἄξια, καὶ τῆς παρὰ σοὶ βιβλιοθήκης εἶναι. τί τὸ κωλῦον οὖν, εἶπεν, ἐστὶ, σε τοῦτο ποιῆσαι; πάντα γὰρ ὑποτέτακταί σοι τὰ πρὸς τὴν χρείαν. ὁ δὲ Δημήτριος εἶπεν· ἑρμηνείας προσδεῖται. χαρακτῆρσι γὰρ ἰδίοις κατὰ τὴν Ἰουδαίαν χρῶνται, καθάπερ Αἰγύπτιοι τῇ τῶν γραμμάτων θέσει, καθὸ καὶ φωνὴν ἰδίαν ἔχουσιν· ὑπολαμβάνονται Συριακῇ χρῆσθαι· τὸ δὲ οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ ἕτερος τρόπος. Μεταλαβὼν δὲ ἕκαστα ὁ βασιλεὺς, εἶπε, γραφῆναι πρὸς τὸν ἀρχιερέα τῶν Ἰουδαίων, ὅπως τὰ προειρημένα τελείωσιν λάβωσι.

Νομίσας δὲ ἐγὼ καιρὸν εἶναι, περὶ ὧν πολλάκις ἠξιώκειν Σωσίβιόν τε τὸν Ταραντῖνον, καὶ Ἀνδρέαν, τοὺς ἀρχισωματοφύλακας, περὶ τῆς ἀπολυτρώσεως τῶν μετηγμένων ἐκ τῆς Ἰουδαίας ὑπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ βασιλέως. ἐκεῖνος γὰρ ἐπελθὼν τὰ κατὰ κοίλην Συρίαν καὶ Φοινίκην ἅπαντα, συγχρώμενος εὐημερίᾳ μετ' ἀνδρείας, τοὺς μὲν μετῴκισεν, τοὺς δὲ ᾐχμαλώτιζε, φόβῳ πάντα ὑποχείρια ποιούμενος. ἐν ὅσῳ καὶ πρὸς δέκα μυριάδας ἐκ τῆς τῶν Ἰουδαίων χώρας εἰς Αἴγυπτον μετήγαγεν· ἀφ' ὧν ὡσεὶ τρεῖς μυριάδας καθοπλίσας ἀνδρῶν ἐκλεκτῶν, εἰς τὴν χώραν κατῴκισεν ἐν τοῖς φρουρίοις. ἤδη μὲν καὶ πρότερον ἱκανῶν εἰσεληλυθότων σὺν τῷ Πέρσῃ, καὶ πρὸ τούτων ἑτέρων συμμάχων ἐξαπεσταλμένων πρὸς τὸν τῶν Αἰθιόπων βασιλέα μάχεσθαι σὺν Ψαμμητίχῳ· ἀλλὰ οὐ τοσοῦτοι πλήθει παρεγενήθησαν, ὅσους Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Λάγου μετήγαγε.

Καθὼς

gna, commentarios, quos consecuti sumus in Ægypto literatissima ab eruditissimis inter Judæos sacerdotibus. Cum enim tu magno tenearis studio eorum quæ menti prodesse possint, æquum est talia communicare valde quidem omnibus tui similibus, maxime autem tibi ingenuo, qui non solum sanguine & moribus es frater, sed etiam par virtutis æstimator. Neque enim auri gratia, neque decus illarum rerum quæ magni fiunt ab illis qui vana gloria ducuntur, tantum afferunt utilitatis, quantum doctrinæ & eruditionis cultura, & quæ in hæc confertur cura & opera. Sed ne protrahendo præfationem, incidamus in vitium garrulitatis, accedere volumus ad persequendam commemorationem susceptam.

Demetrius ille Phalereus, cum esset præfectus regiæ Bibliothecæ, diligenti studio multa & varia impendit, ad colligendos, si qon modo fieri posset, omnes in mundo libros: nam & emptionibus & descriptionibus librorum à se procuratis studuit, quantum in se esset, regis perficere voluntatem. Ex quo præsentibus nobis interrogatus, quot jam myriades librorum adessent, respondit: Adsunt, rex, ultra viginti: sed brevi efficiam, ut reliquis adimpleantur myriades quinquaginta. Nam narratur mihi, Judæorum etiam leges dignas esse quæ describantur, & in tuam Bibliothecam seponantur. Tum rex: Quid ergo est, inquit, quod te prohibet facere hoc? nam tibi omnia quæ ad hujus rei procurationem faciunt, sunt commissa. Ad hæc Demetrius respondit: Indigent interpretatione leges illæ. Nam Judæi in sua regione, perinde ut Ægyptii literarum dispositione, ita illi characteribus propriis utuntur juxta pronunciationem quam propriam habent. Putatur à nonnullis illa esse Syriaca, quod non ita est: verum est ejus alia ratio & forma. Rex his acceptis, dixit se scripturum ad summum Judæorum sacerdotem, ut quæ exposita essent, perficerentur.

Hic ego sum ratus adesse tempus agendi illa, de quibus sæpe ante Sosibium Tarentinum & Andream, primores regis custodes, allocutus fueram, ut liberarentur illi, qui a patre regis traducti ex Judæa fuerant. Nam ille adortus partes Cavæ Syriæ & Phœniciæ, cum & viribus præstaret, & ubique fortunam haberet faventem, alios in colonias traducebat, alios captos abducebat: passimque terrore injecto ita subegerat omnia, ut ad decem myriades ex Judæa in Ægyptum traduceret: ex quibus circiter tres myriades electos & armis instructos viros assumpsit in regionem, ut in præsidiis ipsius degerent. Sed ante quoque satis multi pervenerant in regionem cum rege Persarum, & ante hos alii ut auxiliarii missi erant ad Psametychum, quo cum pugnaret adversus regem Æthiopum: verum illi non tot multitudine erant, quot secum adduxerat Ptolemæus ille Lagi filius.

Quemadmodum

Καθὼς δὲ προείπομεν, ἐπιλέξας τοὺς ἀρίστους ταῖς ἡλικίαις, καὶ ῥώμῃ διαφέροντας, καθώπλισεν. τὸ δὲ λοιπὸν χῦμα πρεσβυτέρων καὶ νεωτέρων, ἔτι δὲ γυναικῶν, εἴασεν εἰς τὴν οἰκετίαν, οὐχ οὕτως τῇ προαιρέσει κατὰ ψυχὴν ἔχων, ὡς κατακρατούμενος ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν, διὰ ἃς ἐπεποίηντο χρείας ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἀγῶσιν. ἡμεῖς δὲ ἐπεί τινα παρεύρεσιν εἰς τὴν ἀπόλυσιν αὐτῶν ἀπελάβομεν, καθὼς προδεδήλωται, τοιούτοις ἐχρησάμεθα λόγοις πρὸς τὸν βασιλέα.

Μήποτε ἄλογον ᾖ, ἐλέγχεσθαι ὑπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων, ὦ βασιλεῦ. τῆς γὰρ νομοθεσίας κειμένης πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις, ἣν ἡμεῖς οὐ μόνον μεταγράψαι ἐπινοοῦμεν, ἀλλὰ καὶ διερμηνεῦσαι· τίνα λόγον ἕξομεν πρὸς ἀποστολὴν ἐν οἰκετείαις ὑπαρχόντων ἐν τῇ σῇ βασιλείᾳ πληθῶν ἱκανῶν; ἀλλὰ τελείᾳ καὶ πλουσίᾳ ψυχῇ ἀπόλυσον τοὺς συνεχομένους ἐν ταλαιπωρίαις, κατευθύνοντός σου τὴν βασιλείαν τοῦ τεθεικότος αὐτοῖς θεοῦ τὸν νόμον, καθὼς περιείργασμαι. τὸν γὰρ πάντων ἐπόπτην καὶ κτίστην θεὸν οὗτοι σέβονται, ὃν καὶ πάντες, ἡμεῖς δὲ μάλιστα, προσονομάζοντες ἑτέρως ΖΗΝΑ. καὶ διὰ τοῦτο δ' οὐκ ἀνοικείως οἱ πρῶτοι διεσήμαναν, δι' ὃν ζωοποιοῦνται τὰ πάντα, καὶ γίγνεται, τοῦτον ἁπάντων ἡγεῖσθαί τε καὶ κυριεύειν. ὑπερηρκὼς δὲ σύμπαντας ἀνθρώπους τῇ λαμπρότητι τῆς ψυχῆς, ἀπόλυσιν ποίησαι τῶν ἐνεχομένων ταῖς οἰκετίαις.

Οὐδὲ πολὺν χρόνον ἐπισχὼν, καὶ ἡμῶν κατὰ ψυχὴν πρὸς τὸν θεὸν εὐχομένων, τὴν διάνοιαν αὐτοῦ κατασκευάσαι πρὸς τὸ τοὺς ἅπαντας ἐπιλυθῆναι. κτίσμα γὰρ ὂν θεοῦ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων, καὶ μεταλλοιοῦται καὶ τρέπεται πάλιν ὑπ' αὐτοῦ. διὸ πολλαχῶς καὶ ποικίλως ἐπεκαλούμην τὸν κυριεύοντα κατὰ καρδίαν, ἵνα συναναγκασθῇ, καθὼς ἠξίουν, ἐπιτελέσαι. μεγάλην γὰρ εἶχον ἐλπίδα περὶ σωτηρίας ἀνθρώπων, προτιθέμενος λόγον, ὅτι τὴν ἐπιτέλεσιν ὁ θεὸς ποιήσει τῶν ἀξιουμένων· ὃ γὰρ πρὸς δικαιοσύνην καὶ καλῶν ἔργων ἐπιμέλειαν ἐν ὁσιότητι νομίζουσιν ἄνθρωποι ποιεῖν, κατευθύνει τὰς πράξεις καὶ τὰς ἐπιβολὰς ὁ κυριεύων ἁπάντων θεός.

Ὁ δὲ διανακύψας, καὶ προσβλέψας ἱλαρῷ τῷ προσώπῳ, πόσας ὑπολαμβάνεις ἔσεσθαι μυριάδας; ἔφη. παρεστὼς δὲ Ἀνδρέας ἀπεφήνατο, βραχεῖ πλείους μυριάδων δέκα. ὁ δὲ, μικρόν γε εἶπεν, Ἀρισταίας ἡμᾶς ἀξιοῖ πρᾶγμα. Σωσίβιος δὲ, καὶ τῶν παρόντων τινὲς, τοῦτο εἶπον· καὶ γὰρ ἄξιόν ἐστι τῆς σῆς μεγαλοψυχίας, ὅπως χαριστήριον ἀναθῇ τῷ μεγίστῳ θεῷ, τὴν τούτων ἀπόλυσιν. μεγίστως γὰρ τετιμημένος ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος τὰ πάντα, καὶ δεδοξασμένος ὑπὲρ τοὺς προγόνους, εἰ καὶ μέγιστα ποιήσεις χαριστήρια, καθῆκόν ἐστί σοι.

Διαχυθεὶς δὲ εὖ μάλα τοῖς ὀψωνίοις, εἶπε προσθεῖναι, καὶ σώματος ἑκάστου κομίζεσθαι

Quemadmodum autem prius diximus, electos præstantissimos, qui & ætate & robore præstarent, armis instruxit: reliquam vero turbam seniorum & juniorum, ac mulierum etiam, concessit militibus in servitutem, non tam sponte & consilio suo, quam exoratus ab illis, ad usus & necessaria in belli rebus ministeria. Nos ergo postquam nacti essemus quandam ansam ad liberandos eos, talibus usi sumus verbis ad regem.

Vide ne sit absurdum, te (Rex) redargui ex rebus ipsis. Nam cum ad omnes Judæos pertineant leges illæ, quas cupimus non solum describere, sed & interpretari: quam rationem habebimus mittendi ad illos, legatos, dum tam multi Judæorum servituti obnoxii sunt in regno tuo? Quin age, animi voluntate perfecta & generosa libera eos, qui in ærumnis detinentur: præsertim cum idem Deus, qui ipsis legem dedit, te tuumque regnum feliciter gubernet, quemadmodum hoc ego diligenter perpendi. Nam illi Deum omnium inspectorem & creatorem colunt, quem etiam alii omnes homines, & nos in primis: sed nominantes aliter, vocamus Ζῆνα: qua & ipsa voce majores non incommode significarunt, eum esse omnium gubernatorem & Dominum, per quem omnia vivificarentur & fierent. Tu ergo, qui omnes homines superas magnificentia & splendore animi, libera eos qui detinentur in servitute.

Nec vero ille ita diu suspensus mansit, cum nos etiam in animo ad Deum preces funderemus, ut mentem ipsius præpararet ad liberandos universos illos. Cum enim genus humanum sit Dei creatura, nimirum id pro voluntate ipsius & transformatur & flectitur. Itaque multis & variis precibus in corde meo invocabam Deum omnia administrantem, ut permoveretur rex ad perficienda illa quæ petieram. Ac conceperam de salute illorum hominum magnam spem, ex hac ratione persuasionis meæ de voluntate Dei ad perficienda vota mea: quia quæ homines constituant in sanctitate animi facere ad justitiæ & bonorum operum industriam & procurationem, ad ea Deus omnia gubernans, actiones & conatus ipsorum feliciter dirigat atque promoveat.

Tum ergo ille erecto capite & hilari vultu me aspexit, & dixit: Quot putas fore myriades! Ibi Andreas, qui prope adstabat, respondit, paulo plus fore quam decem myriades. Tum ille: rem parvam, inquit, à nobis petit Aristeas. Tum Sosibius & nonnulli alii qui aderant, dicebant: At dignum est tua magnanimitate, ut summo Deo offeras istorum liberationem, munus animi pii & grati. Nam cum à Deo omnium gubernatore ad maximos sis evectus honores & gloria insignis supra majores tuos: convenit tibi, ut etiam maxima exhibeas munera, ad declarationem gratitudinis tuæ.

Hinc ille sub mensa, cum bene esset exhilaratus convivio, dixit se hoc etiam velle adjicere,

κομίζεσθαι δραχμὰς εἴκοσι, καὶ περὶ τούτων ἐκθεῖναι πρόσταγμα· τὰς δὲ ἀπογραφὰς ποιεῖσθαι παρ' αὐτὰ μεγαλείως χρησάμενος τῇ προθυμίᾳ, τοῦ θεοῦ τὴν πᾶσαν ἐπιτελέσαντος ἡμῶν προαίρεσιν, καὶ συναναγκάσαντος αὐτὸν ἀπολυτρῶσαι μὴ μόνον τοὺς συνεληλυθότας τῷ στρατοπέδῳ τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ καὶ εἴ τινες προῆσαν, ἢ μετὰ ταῦτα παρήχθησαν εἰς τὴν βασιλείαν. ὑπὲρ τὰ τετρακόσια τάλαντα τὴν δόσιν ἀπέφαινον εἶναι. καὶ τοῦ προστάγματος δὲ τὸ ἀντίγραφον οὐκ ἄχρηστον, οἴομαι, κατακεχωρίσθαι. πολλῷ γὰρ ἡ μεγαλομοιρία φανερωτέρα καὶ εὔδηλος ἔσται τοῦ βασιλέως, τοῦ θεοῦ κατισχύσαντος αὐτὸν, εἰς τὸ σωτηρίαν γενέσθαι πλήθεσιν ἱκανοῖς. ἦν δὲ τοιοῦτο τοῦ βασιλέως προστάξαντες.

Ὅσοι τῶν συνεστρατευμένων τῷ πατρὶ ἡμῶν εἰς τοὺς κατὰ Συρίαν καὶ Φοινίκην τόπους, ἐπελθόντες τῇ τῶν Ἰουδαίων χώρᾳ, ἐγκρατεῖς ἐγένοντο σωμάτων Ἰουδαϊκῶν, καὶ ταῦτα διακεκομίκασιν ἔς τε τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν, ἢ καὶ πεπράκασιν ἑτέροις, ὁμοίως δὲ καὶ εἴ τινες προῆσαν, ἢ καὶ μετὰ ταῦτα εἰσὶν εἰσηγμένοι, τῶν τοιούτων ἀπολύειν παραχρῆμα τοὺς ἔχοντας, κομιζομένους αὐτίκα ἑκάστου σώματος τοὺς ἔχοντας δραχμὰς εἴκοσι, τοὺς μὲν στρατιώτας τῇ τῶν ὀψωνίων δόσει, τοὺς δὲ λοιποὺς ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης. νομίζομεν γὰρ καὶ παρὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἡμῶν βούλησιν, καὶ παρὰ τὸ καλῶς ἔχειν, ᾐχμαλωτεῦσθαι τούτους· διὰ δὲ τὴν στρατιωτικὴν προπέτειαν, τήν τε χώραν αὐτῶν κατεφθάρθαι, καὶ τὴν τῶν Ἰουδαίων μεταγωγὴν εἰς τὴν Αἴγυπτον γεγονέναι. ἱκανὴ γὰρ ἦν ἡ παρὰ τὸ πεδίον γεγονυῖα ἐκ τῶν στρατιωτῶν ὠφέλεια. διὸ παντελῶς ἀνεπιεικής ἐστι καὶ ἡ τῶν ἀνθρώπων καταδυναστεία. πᾶσιν οὖν ἀνθρώποις τὸ δίκαιον ἀπονέμειν ὁμολογούμενοι, πολλῷ δὲ μᾶλλον τοῖς ἀλόγως καταδυναστευομένοις· καὶ κατὰ πᾶν ἐκζητοῦντες τὸ καλῶς ἔχειν, πρός τε τὸ δίκαιον καὶ τὴν κατὰ πάντων εὐσέβειαν προστετάχαμεν, ὅσα τῶν Ἰουδαϊκῶν ἐστὶ σωμάτων ἐν οἰκετίαις, παντὶ, καὶ καθ' ὃν τιν' οὖν τρόπον ἐν τῇ βασιλείᾳ, κομιζομένους τοὺς ἔχοντας τὸ προκείμενον κεφάλαιον ἀπολύειν, καὶ μηδένα κακοσχόλως περὶ τούτων μηδὲν οἰκονομεῖν· τὰς δὲ ἀπογραφὰς ἐν ἡμέραις τρισὶν, ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐκκεῖται τὸ πρόσταγμα, ποιεῖσθαι πρὸς τοὺς καθεσταμένους περὶ τούτων καταδεικνύντας εὐθὺ καὶ τὰ σώματα. διειλήφαμεν γὰρ, ἡμῖν συμφέρειν, καὶ τοῖς πράγμασι τοῦτον ἐπιτελεσθῆναι. τὸν δὲ βουλόμενον προσαγγέλλειν περὶ τῶν ἀπειθησάντων, ἐπὶ τοῦ φανέντος ἐνόχου τὴν κυρίαν ἕξειν· τὰ δὲ ὑπάρχοντα τῶν τοιούτων, εἰς τὸ βασιλικὸν ἀναληφθήσεται.

Εἰσδοθέντος δὲ τοῦ προστάγματος, ὅπως ἐπαναγνωσθῇ τῷ βασιλεῖ, τὰ ἄλλα πάντα ἔχοντος, πλὴν τοῦ, καὶ εἴ τινες προῆσαν, ἢ καὶ μετὰ ταῦτα εἰσὶν εἰσηγμένοι τῶν τοιούτων· αὐτὸ τοῦτο ὁ βασιλεὺς προσέθηκε, μεγαλομοιρίᾳ καὶ μεγαλοψυχίᾳ χρησάμενος, ἐκε-

λευσε

ut pro singulis corporibus, illi qui ea habeant, viginti accipiant drachmas: & hac de re promulgetur edictum, idque statim fiat, & simul perscripta omnia diligenter annotentur. Ita insigni usus est animi promptitudine, Deo omnia quæ cupiebamus peragente, & impellente ipsum ad redimendos non illos tantum qui cum patris exercitu advenerant, sed illos etiam si qui ante aderant, aut postea in regnum fuerant adducti. Expensas autem referebant factas ultra QUADRINGENTA TALENTA. Ipsius etiam edicti exemplum non incommode, ut puto, est à me separatim expositum. Nam ita regia magnificentia fiet multo splendidior & illustrior ad quam Deus confirmabat & impellebat ipsum, ad hoc ut contingeret salus multis hominum cœtibus. Tale autem erat edictum ex mandato regis conscriptum.

Quicunque militantes cum patre nostro in regionibus Syriæ & Phœniciæ, adorti terram Judæam obtinuerunt corpora Judaica, & ea secum perduxerunt huc in civitatem aut regionem, aut etiam aliis vendiderunt: similiter si qui vel ante aderant, vel postea sunt huc adducti ex Judæis, volumus, ut qui eos habent, illico dimittant à se liberos, & accipiant statim pro singulis corporibus drachmas viginti, milites quidem in distributione stipendiorum, alii vero de mensa regia. Nam arbitramur illos neque ex patris nostri voluntate, neque ut decet & æquum est captos fuisse: sed ex militari impetu & regionem vastatam, & Judæorum in Ægyptum traductionem factam. Nam quod commodi contigit ex auxilio militum regionis, hoc satis magnum fuit: quia vero homines etiam ipsi sunt captivi abducti, hoc est omnino iniquum. Cum ergo constitutum habeamus reddere omnibus hominibus jus suum, & multo magis illis qui sine ratione sunt sub imperio alieno: cumque ubique & in omni negotio eligamus quod rectum sit ratione & justitiæ & pietatis: ideo mandavimus, ut quotquot cuique Judæorum corpora sint obnoxia servituti, aut quocunque alio modo in regno detineantur nostro, qui habeant illa apud se, pro precio à nobis instituto ea dimittant libera, neque quisquam hic callide aliquam fraudem usurpet. Intra triduum vero post hoc edictum publicatum, omnes profiteantur numerum suorum apud præfectos huic negotio, & simul statim exhibeant corpora ipsa. Nam ut hæc ita fierent, in nostra considerata deliberatione invenimus & nobis & negotio ipsi conducere. Qui autem volet aliquem ex contumacibus deferre, ille in deprehensum jus & potestatem habebit plenam: bona vero talium recipientur in fiscum regium.

Oblato hoc edicto, ut regi prælegeretur, cum id omnia complecteretur, hoc excepto, ET SI QUI VEL ANTE ADERANT, VEL POSTEA SUNT ADDUCTI EX JUDÆA: hoc rex, ex sua munificentia & magnanimitate adjecit: jussitque solutionem, ut quæ multiplex & cumulata esset futura, partiri

&

λοιπέ τι τῶν διαφόρων δόσιν ἀθρόαν ἔσεσθαι ἀπομερισθεῖσαν τοῖς ὑπηρέταις τῶν πραγμάτων, καὶ βασιλικοῖς τραπεζίταις. οὕτω δοχθὲν ἐκεκύρωτο ἐν ἡμέραις ἑπτά· πλεῖον δὲ ταλάντων ἑξακοσίων ἑξήκοντα ἡ δόσις ἐγεγόνει. πολλὰ γὰρ καὶ τῶν ἐπιμαστιδίων τέκνων, σὺν ταῖς μητράσιν ἠλευθεροῦντο. προσανενεχθέντος δὲ, εἰ καὶ περὶ τούτων εἴκοσι δραχμαὶ δοθήσεται· καὶ τοῦτ' ἐκέλευσεν ὁ βασιλεὺς ποιεῖν, ὁλοσχερῶς περὶ τῶν δοξάντων ἅπαντα ἐπιτελῶν.

Ὡς δὲ κατεπράχθη ταῦτα, τὸν Δημήτριον ἐκέλευσεν εἰσδοῦναι περὶ τῆς τῶν Ἰουδαϊκῶν βιβλίων ἀντιγραφῆς. πάντα γὰρ διὰ προσταγμάτων καὶ μεγάλης ἀσφαλείας τοῖς βασιλεῦσι τούτοις διῳκεῖτο, οὐδὲν ἀπερριμμένως, οὐδὲ εἰκῆ. διόπερ καὶ τὰ τῆς εἰσδόσεως, καὶ τὰ τῶν ἐπιστολῶν ἀντίγραφα κατακεχώρικα, καὶ τὸ τῶν ἀπεσταλμένων πλῆθος, καὶ τὴν ἑκάστου κατασκευὴν, διὰ τὸ μεγαλομερείᾳ καὶ τέχνῃ διαφέρειν ἕκαστον αὐτῶν. τῆς δὲ εἰσδόσεως ἐστὶν ἀντίγραφον τόδε· Βασιλεῖ μεγάλῳ παρὰ Δημητρίου.

Προστάξαντός σου, βασιλεῦ, περὶ τῶν ἀπολειπόντων εἰς τὴν συμπλήρωσιν τῆς βιβλιοθήκης βιβλίων, ὅπως ἐπισυναχθῇ, καὶ τὰ διαπεπτωκότα τύχῃ τῆς προσηκούσης ἐπισκευῆς· πεποιημένος οὐ παρέργως τὴν ἐν τούτοις ἐπιμέλειαν, προσαναφέρω σοι τάδε· τοῦ νόμου τῶν Ἰουδαίων βιβλία σὺν ἑτέροις ὀλίγοις τισὶν ἀπολείπει. τυγχάνει γὰρ Ἑβραϊκοῖς γράμμασι καὶ φωνῇ λεγόμενα· ἀμελέστερον δὲ, καὶ οὐχ ὡς ὑπάρχει, σεσήμανται, καθὼς ὑπὸ τῶν εἰδότων προσαναφέρεται, προνοίας γὰρ βασιλικῆς οὐ τέτευχε. δέον δέ ἐστι, καὶ ταῦθ' ὑπάρχειν παρά σοι διηκριβωμένα, διὰ τὸ καὶ φιλοσοφωτέραν εἶναι, καὶ ἀκέραιον τὴν νομοθεσίαν ταύτην, ὡς ἂν οὖσαν θείαν. διὸ πόρρω γεγόνασιν οἵ τε συγγραφεῖς καὶ ποιηταὶ, καὶ τὸ τῶν ἱστορικῶν πλῆθος, τῆς ἐπιμνήσεως τῶν προειρημένων βιβλίων, καὶ τῶν κατ' αὐτὰ πεπολιτευμένων καὶ πολιτευομένων ἀνδρῶν, διὰ τὸ ἁγνήν τινα καὶ σεμνὴν εἶναι τὴν ἐν τούτοις θεωρίαν, ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης. Ἐὰν οὖν φαίνηται, βασιλεῦ, γραφήσεται πρὸς τὸν ἀρχιερέα τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις, ἀποστεῖλαι τοὺς μάλιστα καλῶς βεβιωκότας καὶ πρεσβυτέρους ὄντας ἄνδρας, ἐμπείρους τῶν κατὰ τὸν νόμον τὸν ἑαυτῶν, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ, ὅπως τὸ σύμφωνον ἐκ τῶν πλειόνων ἐξετάσαντες, καὶ λαβόντες τὸ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβὲς, ἀξίως καὶ τῶν πραγμάτων, καὶ τῆς σῆς προαιρέσεως θῶμεν εὐσήμως. εὐτύχει διὰ παντός.

Τῆς δὲ εἰσδόσεως ταύτης γενομένης, ἐκέλευσεν ὁ βασιλεὺς γραφῆναι πρὸς τὸν Ἐλεάζαρον περὶ τούτων, σημάναντα καὶ τὴν γεγενημένην ἀπολύτρωσιν τῶν αἰχμαλώτων· ἔδωκε δὲ καὶ εἰς κατασκευὴν κρατήρων, καὶ φιαλῶν, καὶ τραπέζης, καὶ σπονδείων, χρυσίου μὲν ὁλκῆς τάλαντα πεντήκοντα, καὶ ἀργυρίου τάλαντα ἑβδομήκοντα, καὶ λίθων ἱκανόν τι πλῆθος. ἐκέλευσε δὲ, τοὺς ῥισκοφύλακας τοῖς τεχνίταις, ὧν ἂν προαιρῶνται τὴν

ἐκλογὴν

& distribuere inter ministros mandatorum & regios numularios. Atque ita hoc negotium decretum, intra septem dies fuit confirmatum & absolutum, authoritate regia. Summa autem moneris erat ultra SEXCENTA ET SEXAGINTA TALENTA. Nam multi etiam lactantes pueri, una cum matribus redimebantur. De quo & ipso cum esset ad regem delatum, num & pro istis essent viginti drachmæ pendendæ: Rex hoc etiam facere jussit, cum plene & integre omnia in re decreta perficere studeret.

His peractis, Demetrium jussit scripto comprehenso sententiam suam offerre, de libris Judæorum describendis. Nam nihil inconsiderate & temere, sed omnia ex mandato & cum magna diligentia administrantur apud hos reges. Ex quo mihi visum fuit separatim exponere & eorum quæ fuerunt regi exhibita, & epistolarum exempla: ad hæc, & numerum & apparatum eorum quæ fuerunt dono missa Eleazaro, propterea quod eorum quodque excellebat & munificentia & arte. Ad hunc autem modum Demetrius sententiam suam regi exposuit.

Cum Rex mandaveris mihi, ut qui deessent Bibliothecæ tuæ libri, eos curatem ad eam complendam conquisitos colligi: & simul si quid detrimenti cepissent, illos ad modum convenientem reficerem: hactenus non segnem in hac re operam navans de his ad te refero. Legum Judaicarum libri cum paucis quibusdam aliis desunt. Constant enim literis Hebraicis; sed negligentius, nec ita ut se habent (ut ab intelligentibus perhibetur) conscripti, quia non contigit illis regii animi cura. Rectum autem fuerit, & hos libros accurate elaboratos extare inter tuos: quia hæ leges & sapientiores & sanctiores suos aliis, ut quæ sunt divinæ. Hinc enim cum alii Scriptores & Poetæ, tum Historici omnes abstinuerunt à mentione & librorum istorum, & virorum illorum qui secundum leges has administrarunt & administrant Rempublicam: quia, ut Hecatæus Abderites asserit, plane sanctam quandam & venerandam contineant in se sententiam & contemplationem. Si ergo visum fuerit tibi Rex, scribetur ad principem sacerdotum Hierosolymis, ut mittat ad te ex quaque tribu sex viros maxime honestate vitæ, senio & prudentia legum suarum præstantes: ut ita ex pluribus per diligentem examinationem nacti consentientem & accuratam interpretationem, hos libros præclare, ut & rei ipsius & tuæ voluntatis dignitas postulat, recondamus. Sis felix perpetuo.

Facto hoc initio, Rex jussit ad Eleazarum istis de rebus scribi, & indicari redemptionem captivorum factam. Ac exhibuit ad confectionem craterarum, phialarum, mensæ, & vasorum libationum, de auro quinquaginta pondo talentorum, de argento autem septuaginta, & lapidum preciosorum ingentem numerum. Jussit præterea, fisci præfectos facere artificibus copiam

eligendi

ἐκλογὴν διδόναι, καὶ νομίσματος εἰς θυσίας καὶ ἄλλα πρὸς τάλαντα ἑκατόν. δηλώσομεν δέ σοι περὶ τῆς κατασκευῆς, ὡς ἂν τὰ τῶν ἐπιστολῶν ἀντίγραφα διέλθωμεν. ἦν δὲ ἡ τοῦ βασιλέως ἐπιστολὴ τὸν τύπον ἔχουσα τοῦτον.

Βασιλεὺς Πτολεμαῖος Ελεαζάρῳ ἀρχιερεῖ χαίρειν καὶ ἐρρῶσθαι.

ΕΠΕΙ συμβαίνει, πλείονας τῶν Ιουδαίων εἰς τὴν ἡμετέραν χώραν κατοικισθῆναι, γενηθέντας ἀνασπάστους ἐκ τῶν Ιεροσολύμων ὑπὸ Περσῶν, καθ' ὃν ἐπεκράτουν χρόνον· ἔτι δὲ καὶ συνεληλυθέναι τῷ πατρὶ ἡμῶν εἰς τὴν Αἴγυπτον αἰχμαλώτους, ἀφ' ὧν πλείονας εἰς τὸ στρατιωτικὸν σύνταγμα κατεχώρισεν ἐπὶ μείζοσι μισθοφορίαις· ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς προόντας κρίνας πιστούς, φρούρια κτίσας ἀπέδωκεν αὐτοῖς, ὅπως τὸ τῶν Αἰγυπτίων ἔθνος φόβον ἔχῃ διὰ τούτων· καὶ ἡμεῖς δὲ παραλαβόντες τὴν βασιλείαν, φιλανθρωπότερον ἀπαντῶμεν τοῖς πᾶσι, πολὺ δὲ μᾶλλον τοῖς σοῖς πολίταις· ὧν ὑπὲρ δέκα μυριάδας αἰχμαλώτων ἠλευθερώκαμεν, ἀποδόντες τοῖς κρατοῦσι τὴν κατ' ἀξίαν ἀργυρικὴν τιμὴν, διορθούμενοι, καὶ εἴ τι κακῶς ἐπράχθη διὰ τὰς τῶν ὄχλων ὁρμάς· διειληφότες εὐσεβῶς τοῦτο πρᾶξαι, καὶ τῷ μεγίστῳ θεῷ χαριστικὸν ἀνατιθέντες, ὃς ἡμῖν τὴν βασιλείαν ἐν εἰρήνῃ καὶ δόξῃ κρατίστῃ παρ' ὅλην τὴν οἰκουμένην διατετήρηκεν· εἴς τε τὸ στράτευμα τοὺς ἀκμαιοτάτους τῇ ἡλικίᾳ τετάχαμεν· τοὺς δὲ δυναμένους καὶ περὶ ἡμᾶς εἶναι, τῆς περὶ τὴν αὐλὴν πίστεως ἀξίους ἐπὶ χρειῶν κατεστάκαμεν. Βουλομένων δὲ ἡμῶν καὶ τούτοις χαρίζεσθαι, καὶ πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην Ιουδαίοις, καὶ τοῖς μετέπειτα, προῃρήμεθα τὸν νόμον ὑμῶν μεθερμηνευθῆναι γράμμασιν Ἑλληνικοῖς, ἐκ τῶν παρ' ὑμῖν λεγομένων Ἑβραϊκῶν γραμμάτων, ἵνα ὑπάρχῃ καὶ ταῦτα παρ' ἡμῖν ἐν βιβλιοθήκῃ σὺν τοῖς ἄλλοις βασιλικοῖς βιβλίοις. καλῶς οὖν ποιήσεις καὶ τῆς ἡμετέρας σπουδῆς ἀξίως, ἐπιλεξάμενος ἄνδρας καλῶς βεβιωκότας πρεσβυτέρους, ἐμπειρίαν ἔχοντας τοῦ νόμου, καὶ δυνατοὺς ἑρμηνεῦσαι, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ, ὅπως ἐκ τῶν πλειόνων τὸ σύμφωνον εὑρεθῇ, διὰ τὸ περὶ μειζόνων εἶναι τὴν σκέψιν. οἰόμεθα γὰρ, ἐπιτελεσθέντος τούτου, μεγάλην ἀποίσεσθαι δόξαν. ἀπεστάλκαμεν δὲ περὶ τούτου Ανδρέαν, τὸν ἀρχισωματοφύλακα, καὶ Αρισταῖον, τιμωμένους παρ' ἡμῖν, διαλεξομένους σοι, καὶ κομίζοντας ἀπαρχὰς εἰς τὸ ἱερὸν ἀναθημάτων, καὶ εἰς θυσίας, καὶ τὰ ἄλλα, ἀργυρίου τάλαντα ἑκατόν. γράφων δὲ καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς περὶ ὧν ἂν βούλῃ, καὶ κεχαρισμένος ἔσῃ, καὶ φιλίας ἄξιόν τι πράξεις· ὡς ἐπιτελεσθησομένων τὸ τάχιστον, περὶ ὧν ἂν αἱρῇ. ἔρρωσο. Πρὸς ταύτην τὴν ἐπιστολὴν ἀντέγραψεν ἐνδεχομένως ὁ Ελεάζαρος ταῦτα.

Ελεάζαρος

eligendi quæ vellent, & de pecunia expendere ad sacrificia & res alias ad talenta centum. Sed exponemus tibi etiam, quomodo singula fuerunt confecta, ubi Epistolam regiam percurrerimus, quæ ad hunc modum conscripta fuit.

Rex Ptolemæus Eleazaro summo sacerdotum gaudium & salutem precatur.

QUoniam evenit, ut multi ex Judæis incolerent regionem nostram, quorum alii Hierosolymis abducti sunt à Persis tum temporis, cum illi potirentur rerum: alii cum patre nostro capti in regionem nostram pervenerunt, ex quibus ille multos selectos in exercitum & ad militiæ usum stipendiis amplioribus recepit: & quia illos priores judicabat fideles esse, his loca ad præsidia munita commisit, ut Ægypti populus sibi ab illis timeret: Nos etiam consecuti regni administrationem, cum aliis omnibus exhibemus nos humaniores, tum vero præcipue civibus tuis, quorum captivos ultra decem myriades liberavimus, persoluto singulis dominis pecuniæ precio digno: & simol etiam corrigimus, si quæ ex impetu multitudinis perperam sunt acta. In quo persuasum habemus, nos pie agere, & offerre munus animi grati Deo maximo, qui nobis regnum conservavit in pace & gloria, quæ præstet in toto terrarum orbe. Præterea ætate & viribus præstantes in exercitum recepimus: qui vero idonei essent ut circa nos versarentur, illos dignos judicavimus, quibus negotia aulæ committeremus. Sed cum non solum his cupiamus gratificari, sed & omnibus aliis Judæis in orbe terrarum, illis etiam qui sunt in posterum futuri: constituimus, legem vestram ex Hebraica lingua interpretatione traducere in Græcam, ut hæ leges vestræ in nostra Bibliotheca extent, cum aliis regiis libris. Præclare ergo & pro dignitate instituti nostri feceris, si ad nos miseris electos ex quaque tribu sex viros seniores: qui & honeste vitam peregerunt suam, & in legum peritia sunt exercitati, & interpretandi facultate pollent, ut in studio & tractatione rei magnæ germana & consentiens ejus veritas à pluribus eruta deprehendatur. Nam nos quidem ex hoc negotio peracto, arbitramur nobis magnam accessuram gloriam. Ablegavimus autem ad te Andream, præcipuum corporis nostri custodem, & Aristeam, viros apud nos magno in honore constitutos, qui tecum hac de re agant, & afferant tibi secum & in templum primitias nostræ dedicationis, & ad sacra aliosque usus pecuniæ talenta centum. Si autem & tu ad nos scripseris de quibus placuerit, rem & nobis gratam, & amicitia tua erga nos dignam facies. Nam nos statim effecta curabimus de quibus nos voluntatem tuam cognoverimus. Vale. Ad hanc epistolam Eleazarus hæc benigne rescripsit.

Eleazarus

Ελεάζαρος ἀρχιερεὺς βασιλεῖ Πτολεμαίῳ φίλῳ γνησίῳ χαίρειν.

ΑΤΤΟΣ τε ἔρρωσο, καὶ ἡ βασίλισσα Αρσινόη ἡ ἀδελφὴ, καὶ τὰ τέκνα καλῶς ἂν ἔχοι, καὶ ὡς βουλόμεθα· καὶ αὐτοὶ δὲ ὑγιαίνομεν. λαβόντες τὴν παρά σου ἐπιστολὴν, μεγάλως ἐχάρημεν διὰ τὴν προαίρεσίν σου, καὶ τὴν καλὴν βουλήν· καὶ συναγαγόντες τὸ πᾶν πλῆθος, ἀνέγνωμεν αὐτοῖς, ἵνα ἴδωσιν ἣν ἔχεις πρὸς τὸν θεὸν ἡμῶν εὐσέβειαν. ἐπεδείξαμεν δὲ καὶ τὰς φιάλας, ἃς ἀπέστειλας, χρυσᾶς εἴκοσι, καὶ ἀργυρᾶς τριάκοντα· κρατῆρας πέντε, καὶ τράπεζαν εἰς ἀνάθεσιν, καὶ εἰς προσαγωγὴν θυσιῶν, καὶ εἰς ἐπισκευὰς, ὧν ἂν δέηται τὸ ἱερὸν, ἀργυρίου τάλαντα ἑκατόν· ἅπερ ἐκόμιζον Ανδρέας τῶν τετιμημένων παρά σοι, καὶ Αρισταίας, ἄνδρες καλοὶ κἀγαθοὶ, καὶ παιδείᾳ διαφέροντες, καὶ τῆς σῆς ἀγωγῆς καὶ δικαιοσύνης ἄξιοι κατὰ πάντα· οἳ καὶ μετέδωκαν ἡμῖν τὰ παρά σου, πρὸς ἃ καὶ ἡμῶν ἀκηκόασιν ἁρμόζοντα τοῖς σοῖς γράμμασι. πάντα γὰρ, ὅσα σοι συμφέρει, καὶ εἰ παρὰ φύσιν ἐστὶν, ὑπακουσόμεθα· τοῦτο γὰρ φιλίας καὶ ἀγαπήσεως σημεῖόν ἐστι. μεγάλα γὰρ καὶ σὺ, καὶ ἀνεπλήρωσας τοὺς πολίτας ἡμῶν κατὰ πολλοὺς εὐεργέτηκας. εὐθέως οὖν προσηγάγομεν ὑπὲρ σοῦ θυσίας, καὶ τῆς ἀδελφῆς, καὶ τῶν τέκνων, καὶ τῶν φίλων· καὶ ηὔξατο πᾶν τὸ πλῆθος, ἵνα σοὶ γένηται, καθὼς προαιρῇ, διὰ παντὸς· καὶ διασώζῃ σοι τὴν βασιλείαν ἐν εἰρήνῃ μετὰ δόξης ὁ κυριεύων ἁπάντων θεός· καὶ ὅπως γένηταί σοι συμφερόντως καὶ μετ' ἀσφαλείας ἡ τοῦ ἁγίου νόμου μεταγραφή. παρόντων δὲ πάντων, ἐπελεξάμεθα ἄνδρας καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς πρεσβυτέρους, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἓξ, οὓς καὶ ἀπεστείλαμεν ἔχοντας τὸν νόμον. καλῶς οὖν ποιήσεις βασιλεῦ δίκαιε, προστάξας, ὡς ἂν ἡ μεταγραφὴ γένηται τῶν βιβλίων, ἵνα πάλιν ἀποκατασταθῶσι πρὸς ἡμᾶς ἀσφαλῶς οἱ ἄνδρες. ἔρρωσο.

Εἰσὶ δὲ πρώτης φυλῆς· Ιώσηφος, Εζεκίας, Ζαχαρίας, Ιωάννης, Εζεκίας, Ελισσαῖος. Δευτέρας· Ιούδας, Σίμων, Σομόηλος, Αδαῖος, Ματταθίας, Εσχλεμίας. Τρίτης· Νεεμίας, Ιώσηφος, Θεοδόσιος, Βασαῖος, Ορνίας, Δάκης. Τετάρτης· Ιωνάθας, Αβραῖος, Ελισσαῖος, Ανανίας, Χαβρίας, Σάτυς. Πέμπτης· Ισακος, Ιάκωβος, Ιησοῦς, Σαββαταῖος, Σίμων, Λευίς. Εκτης· Ιούδας, Ιώσηφος, Σίμων, Ζαχαρίας, Σομόηλος, Σελεμίας. Εβδόμης· Σαββαταῖος, Σεδεκίας, Ιάκωβος, Ισαχος, Ιεσσίας, Ναθθαῖος. Ογδόης· Θεοδόσιος, Ιάσων, Ιησοῦς, Θεόδοτος, Ιωάννης, Ιωνάθας. Εννάτης· Θεόφιλος, Αβραμος, Αρσάμος, Ενδεμίας, Ιάσων, Δανιῆλος. Δεκάτης· Ιερεμίας, Αρσάμος, Ιάσων, Ενδεμίας, Ελεάζαρος, Δαθαῖος. Ενδεκάτης· Σαμόηλος, Ιώσηφος, Ιούδας, Ιωνάθας, Χαβεῦ, Δοσίθεος. Δωδεκάτης· Ισάηλος, Ιωάννης, Θεοδόσιος, Αρσάμος, Αβιήτης, Εζεκίηλος.

Οἱ

Eleazarus summus sacerdos regi Ptolemeo amico sincero Salutem.

VAleas & tu, & regina Arsinoe soror tua: liberi etiam bene, & ut cupimus, habeantur: valemus autem & nos. Accepta epistola tua, valde gavisi sumus, ob institutum & consilium tuum tam praclarum: ac congregata universa multitudine perlegimus, ut cognoscerent tuam erga nostrum Deum piam voluntatem. Quibus monstravimus etiam phialas, quas aureas viginti, & argenteas triginta misisti: crateras item quinque, & mensam super quam fierent oblationes, & sacra peragerentur: tum talenta centum pecuniæ, ad conficienda alia quibus templum indigeret. Quæ quidem attulerunt Andreas tibi charissimus, & Aristeas, viri honesti & boni, ac doctrina præstantes, tuaque consuetudine ac justitia per omnia digni: qui etiam exposuerunt nobis omnia sibi abs te commissa: & à nobis vicissim cognoverunt, quæ ad literas tuas respondenda fuerunt. Nam in omnibus quæ tibi proderunt, etiamsi illa naturam nostram superent, obtemperabimus tibi: id quod est argumentum amicitiæ & dilectionis. Quoniam & tu magnis & memorabilibus beneficiis cives nostros, & eos permultos, affecisti. Atque ideo statim pro te, sorore tua, liberis & amicis sacra exhibuimus, in quibus simul universa multitudo vota fecit, ut tibi omnia & perpetuo, quemadmodum cupias, succederent: & Deus, qui omnia administrat, gubernatione sua conservaret regnum tuum in pace, una cum gloria: atque tibi salutariter, & ex animi sententia, descriptio legis procederet. Atque in præsentia omnium, elegimus honestos & bonos viros ex singulis tribubus sex seniores, quos etiam misimus ad te, una cum lege. Tu vero Rex juste & præclare facies, si post absolutam ex mandato tuo descriptionem librorum, curabis ut isti Viri rursus nobis tuto restituantur. Vale.

Ex prima autem tribu hi sunt: *Josephus, Ezekias, Zacharias, Joannes, Ezekias, Elisæus.* Ex secunda tribu: *Judas, Simon, Samuelus, Adæus, Matathias, Eschlemias.* Ex tertia tribu: *Neemias, Josephus, Theodosius, Basæus, Ornias, Daces.* Ex quarta: *Jonathas, Abræus, Elisæus, Ananias, Chabrias, Satus.* Ex quinta: *Isacus, Jacobus, Jesus, Sabbatæus, Simon, Levis.* Ex sexta: *Judas, Josephus, Simon, Zacharias, Samuelus, Selemias.* Ex septima: *Sabbatæus, Zedekias, Jacobus, Isachus, Isias, Natthæus.* Ex octavo: *Theodosius, Jason, Jesus, Theodotus, Joannes, Jonathas.* Ex nono: *Theophilus, Abramus, Arsamus, Endemias, Jason, Danielus.* Ex decima: *Hieremias, Arsamus, Jason, Endemias, Eleazarus, Dathæus.* Ex undecima: *Samuelus, Josephus, Judas, Jonathas, Chabeu, Dositheus.* Ex duodecima: *Isaelus, Joannes, Theodosius, Arsamus, Abietes, Ezekielus.*

Hi

Οἱ πάντες, ἑβδομήκοντα δύο. καὶ τὰ μὲν πρὸς τὴν τοῦ βασιλέως ἐπιστολὴν τοιαύτης ἐτύγχανεν ἀντιγραφῆς ὑπὸ τῶν περὶ Ἐλεάζαρον.

Ὡς δὲ ἐπηγγειλάμην καὶ τὰ τῶν κατασκευασμάτων διασαφῆσαι, ποιήσω. πολυτεχνίᾳ γὰρ διαφερόντως συνετελέσθη, τοῦ βασιλέως πολλὴν ἐπίδοσιν ποιουμένου, καὶ παρ' ἕκαστον ἐπιθεωροῦντος τοὺς τεχνίτας. διὸ παριδεῖν οὐδὲν ἠδύναντο, οὐδὲ εἰκῇ συντελέσαι. πρῶτον δὲ τὰ περὶ τῆς τραπέζης ἐξηγήσομαι.

Προεθυμεῖτο μὲν οὖν ὁ βασιλεὺς ὑπέρογκόν τι ποιῆσαι τοῖς μέτροις τὸ κατασκεύασμα. προσέταξε δὲ πυθέσθαι τῶν ἀνὰ τὸν τόπον, πηλίκη τις ἡ προοῦσα καὶ κειμένη κατὰ τὸ ἱερὸν ἐν Ἱεροσολύμοις; Ὡς δὲ ἀπεφήναντο τὰ μέτρα· προσεπηρώτησεν, εἰ κατασκευάσει μείζονα; τινὲς μὲν οὖν καὶ τῶν ἱερέων, καὶ τῶν ἄλλων ἔλεγον, μηδὲν ἐπικωλύειν. ὁ δὲ εἶπε, βούλεσθαι καὶ πενταπλῆν τοῖς μεγέθεσι ποιῆσαι· διστάζειν δὲ, μή ποτε ἄχρηστος γένηται πρὸς τὰς λειτουργίας. οὐ γὰρ αἱρεῖσθαι τὸ κεῖσθαι μόνον ἐν τῷ τόπῳ παρ' αὐτοῦ· πολὺ δὲ μᾶλλον χάριν ἕξειν, ἐὰν τὰς καθηκούσας λειτουργίας ἐπὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ κατεσκευασμένων, οἷς καθῆκε, ποιῶνται δεόντως. οὐ γὰρ ἕνεκα σπάνεως χρυσοῦ τὰ προεπιτετελεσμένα βραχύμετρα καθέστηκεν· ἀλλὰ φαίνεται πρός τινα λόγον, εἰπεῖν, οὕτω συνεστηκέναι τοῖς μέτροις. εἰ γὰρ ἐπὶ τὰ τῆς οὔσης οὐδὲν ἂν ἐσπάνιζε, διόπερ οὐ παραβατέον, οὐδὲ ὑπερθετέον τὰ καλῶς ἔχοντα. τῇ μὲν οὖν ποικιλίᾳ τῶν τεχνῶν ἐκέλευσεν ὅτι μάλιστα χρήσασθαι, σεμνῶς ἅπαντα διανοούμενος, καὶ φύσιν ἔχων ἀγαθὴν εἰς τὸ συνιδεῖν πραγμάτων ἔμφασιν. ὅσα δὲ ἂν ᾖ ἔγγραφα, πρὸς καλλονὴν ἐκέλευσε ποιεῖν· ὅσα δὲ ἀγράπτων, μέτρα αὐτοῖς παρακολουθῆσαι. δύο γὰρ πήχεων τὸ μῆκος, τὸ δὲ ὕψος πήχεος καὶ ἡμίσεος συνετέλεσε, χρυσίου δοκίμου στερεὰν πάντοθεν τὴν ποίησιν ἐργασάμενοι. λέγω δὲ, οὐ περί τι περιεπτυγμένου τοῦ χρυσοῦ, τὸν δὲ ἐλασμὸν αὐτὸν ἐπιδέδεσθαι. στεφάνην δὲ ἐποίησαν παλαιστιαίαν κυκλόθεν· τὰ δὲ κυμάτια στρεπτὰ, τὴν ἀναγλυφὴν ἔχοντα σχοινιδῶν ἔκτυπον, τῇ τορείᾳ θαυμαστῶς ἔχουσαν ἐκ τῶν τριῶν μερῶν. ἦν γὰρ τριγωνία· καὶ καθ' ἕκαστον μέρος ἡ διατύπωσις τῆς ἐνεργείας τὴν αὐτὴν διάθεσιν εἶχεν· ὥστε καθ' ὃ ἂν μέρος στρέφοιτο, τὴν πρόσοψιν εἶναι τὴν αὐτήν. κειμένου δὲ κατὰ τῆς στεφάνης, τὸ μὲν εἰς τὴν αὐτὴν τράπεζαν ἀπόκλιμα τὴν διατύπωσιν ἔχειν τῆς ὡραιότητος. τὸ δὲ ἐκτὸς κλίμα πρὸς τὴν τοῦ προσιόντος εἶναι θεωρίαν. διὸ τὴν ὑπεροχὴν ὀξεῖαν εἶναι τῶν δύο κλιμάτων συνέβαινε, μετέωρον ἐπικειμένην, ὡς προειρήκαμεν τριγώνου κατεσκευασμένου, καθ' ὃ ἂν μέρος στρέφοιτο. λίθων τε πολυτελῶν ἐν αὐτῷ διαθέσεις ὑπῆρχον, ἀνὰ μέσον τῶν σχοινιδῶν· ἕτερος παρ' ἕτερον πλοκὴν ἔχων ἀμίμη-

τον

Hi omnes fuerunt numero duo & septuaginta. Atque hæc quidem ad epistolam Regis sunt ita ab Eleazaro rescripta.

Porro, ut promisi, explicabo etiam ornamenta & elaborationem munerum, quæ varia & præstanti solertia artificis fuerunt confecta. Cum enim rex & suppeditaret omnia largiter, & artifices in conficiendis singulis observaret, non potuit fieri ut illi per negligentiam aliquid vel omitterent, vel temere & perperam conficerent. Primum autem mensæ confectionem exponam.

Hanc rex mole quidem valde magnam volebat extruere: sed cum jussisset interrogare illos qui Hierosolymis fuissent, quanta illa prior ibi foret, & illi indicassent modum, ipseque rursus quæsivisset an majorem conficere deberet? Ac quidem tum nonnulli ex sacerdotibus & aliis dixissent, nihil obstare: ipse dixit se paratum esse ad extruendam vel quintuplo majorem, sed vereri ne ad ministeria inutilis fiat. Nam se non hoc respicere, ut tantum a se oblata in templo persistat: sed judicare multo plus gratiæ consecuturum, si ministeria & sacra solita rite, quibus conveniat, essent peracturi supra illa opera quæ à se essent confecta. Neque enim ob penuriam auri, priorem mensam ita parvam factam: sed sibi videri eam, cum satis auri habeat, certa de causa & ratione ista magnitudine constare: propterea non velle, neque debere eam, cum justa & commoda sit, transgredi & transmutare. Porro secum omnia diligentissime perpendens, ut erat ingenio ad formas & imagines rerum contemplandas satis acri, jussit, ut quamplurimum in eam ingenii artiumque varietatis conferretur. Et quidem quæ cœlata debebant esse, illa jubebat facere quam speciosissime: quæ vero plana & nullo cœlo exornata, illis modum suum convenientem præcipiebat adhibere. Hinc longitudine duorum cubitorum, altitudine autem unius & semis, eam extruebat, undique ex auro probato solidam, non foliaceo extrinsecus circumvoluto obductam. Coronam autem palmarem circumdederunt. Plegmata vero & reticula circum labia & extremitates erant contorta ad modum funiculorum, in quibus supra modum mirabile artificium torni ex tribus lateribus erat. Nam figura triangulari erant, & à quaque parte formata ad eundem effectum dispositionis suæ, ut in quamcunque partem verterentur, eandem aspicientis faciem præberent: à parte quidem juxta coronam, tractus ille qui in mensam tendebat, formam decentem habebat: sed ille qui foras spectabat, decentiorem, ut qui accommodatus esset ad contemplationem accedentium. Quia autem, ut diximus, forma triangularis erat operis in quamcunque partem versi, hinc utriusque hujus tractus pars in summo acuta & elevata erat. In hoc etiam altero tractu erant pretiosi & varii lapides, in medio plegmatum funalium situ contiguo per vices inserti ad immutabilem connexionis

nexionis

τον τῇ ποιήσει. πάντες δὲ ἦσαν διὰ τρημάτων κατειλημμένοι, χρυσαῖς περόναις πρὸς τὴν ἀσφάλειαν· ἐπὶ δὲ τῶν γωνιῶν αἱ καλακλεῖδες συνέσφιγξαν πρὸς τὴν συνοχήν. ἐκ πλαγίων δὲ κατὰ τὴν στεφάνην κυκλόθεν τὰ πρὸς τὴν ἄνω πρόσοψιν ᾠοθεσία κατεσκεύαστο διάλιθος, ἐκτύπωσιν ἔχουσα προσοχῆς συνεχέσιν ἀναγλυφαῖς ῥαβδώσεως, πυκνὴν ἐχούσαις τὴν πρὸς ἄλληλα θέσιν περὶ ὅλην τὴν τράπεζαν. ὑπὸ δὲ τὴν ἐκτύπωσιν τῶν λίθων τῆς ᾠοθεσίας, στέφανον ἐποίησαν οἱ τεχνῖται παγκάρπιον, ἐν ὑπεροχῇ προδήλως ἔχοντα βοτρύων καὶ σταχύων, ἔτι δὲ φοινίκων καὶ μήλων, ἐλαίας τε καὶ ῥοῶν, καὶ τῶν παραπλησίων. σὺν δὲ λίθους ἐργασάμενοι πρὸς τὴν τῶν προειρημένων καρπῶν διατύπωσιν, ἔχοντας ἑκάστου γένους τὴν χρόαν, ἀνέδησαν τῷ χρυσῷ κύκλῳ περὶ ὅλην τὴν τῆς τραπέζης κατασκευὴν κατὰ κρόταφον. μετὰ δὲ τὴν τοῦ στεφάνου διάθεσιν, ὁμοίως κατὰ τὴν τῆς ᾠοθεσίας διασκευὴν, ἡ κατεσκεύαστο καὶ τὰ λοιπὰ τῆς ῥαβδώσεως καὶ διαγλυφῆς, καὶ κατ' ἀμφότερα τὰ μέρη τὴν τράπεζαν πρὸς τὴν χρῆσιν πεποιῆσθαι, καθ' ὃ ἂν μέρος αἴρωνται· ὥστε καὶ τὴν τῶν κυμάτων θέσιν, καὶ τὴν τῆς στεφάνης, εἶναι κατὰ τὸ τῶν ποδῶν μέρος. ἔλασμα γὰρ ἐποίησαν καθ' ὅλου τοῦ πλάτους τῆς τραπέζης στερεὸν, δακτύλων τεσσάρων· ὥστε τοὺς πόδας ἐνισάξ εἰς τοῦτο, περόνας κατάκλειστον ἔχοντας ἐσφίγχθαι κατὰ τὴν στεφάνην· ἵνα καθ' ὃν ἂν αἴρωνται μέρος, ἡ χρῆσις ᾖ. τοῦτο δὲ κατ' ἐπιφάνειαν θεωρεῖται ἀμφοτεροδέξιον τῆς κατασκευῆς οὔσης. ὑπ' αὐτῆς δὲ τῆς τραπέζης μαίανδρον ἔκτυπον ἐποίησαν, ἐν ὑπεροχῇ λίθους ἔχοντα κατὰ μέσον πολυτελεῖς, τῶν πυλιάδων, ἀνθράκων τε καὶ σμαράγδων, ἔτι δὲ καὶ ὀνύχων, καὶ τῶν ἄλλων γενῶν τῶν διαφερόντων ἐν ὡραιότητι. μετὰ δὲ τὴν τοῦ μαιάνδρου διάθεσιν ἐπέκειτο θαυμαστὴ πλοκὴ, θαυμασίως ἔχουσα, ῥομβωτὴν ἀποτελοῦσα τὴν ἀνὰ μέσον θεωρίαν· ἐφ' ἣ κρυστάλλου λίθου καὶ τὸ λεγόμενον ἤλεκτρον ἐνετετύπωτο, ἀμίμητον θεωρίαν ἀποτελοῦν τοῖς θεωροῦσι. τοὺς δὲ πόδας ἐποίησαν τὰς κεφαλίδας ἔχοντας κρινωτὰς, ἀνάκλασιν κρίνων ὑπὸ τὴν τράπεζαν λαμβανόντων. τὰ δὲ τῆς ἐκτὸς προσόψεως ὀρθὴν ἔχοντα τὴν πετάλωσιν. ἡ δὲ ἀπ' ἐδάφους ἔρεισις τοῦ ποδὸς, ἄνθρακος λίθου παντόθεν παλαιστιαία, κρηπῖδος ἔχουσα τάξιν κατὰ τὴν πρόσοψιν, ὀκτὼ δὲ δακτύλων τὸ πλάτος ἔχουσα· ἐφ' ὃν ἐπίκειται τὸ πᾶν ἔλασμα τοῦ ποδός. κατεσκεύασε δὲ ἐκφύοντα κισσὸν ἀκάνθῳ πεπλεγμένον ἐκ τοῦ λίθου, σὺν ἀμπέλῳ περιειλούμενον κυκλόθεν τῷ ποδὶ σὺν τοῖς βότρυσιν οἱ λιθουργοὶ ἦσαν μέχρι τῆς κεφαλῆς. ἡ δὲ αὐτὴ διάθεσις ἦν τῶν τεσσάρων ποδῶν, πάντα ἐνεργῶς πεποιημένα καὶ προσηγμένα, τῆς ἐμπειρίας καὶ τέχνης τὰς ὑπεροχὰς ἀπαραλλάκτως ἐχόντων πρὸς ἀλήθειαν, ὥστε καὶ ῥιπιζόντων τῶν πνευμάτων τοῦ κατὰ τὸν ἀέρα, κίνησιν ἐπιδέχεσθαι τὴν τῶν φύλλων θέσιν, πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας διάθεσιν τετυπωμένων ἁπάντων. ἐποίησαν δὲ τριμερὲς τὸ σῶμα τῆς τραπέζης, οἱονεὶ τρίπτυχον, πελεκίνοις συναρμοζόμενον γομφώσεσι πρὸς ἑαυτὰ κατὰ τὸ πάχος τῆς κατασκευῆς ἀθέατον καὶ ἀνεύρετον τὴν τῶν ἁρμῶν κατασκευά-

σαντες

nexionis formam: omnes etiam per foramina fibulis aureis, ut firmi inessent, comprehensi. Angulorum juncturas clausuræ constringebant. Circa partes autem coronæ ad aspectum eminentes, per obliquum in circuitu erat ex lapidibus preciosis confecta quædam ovorum facies, cum effigie extante, & virgulis exculptis, ad formam continui & densi inter se situs, quæ ambibat totam mensam. Sub hac lapidea ovorum effigie, artifices fecerant coronam feracem omnium frugum, ita ut illi fructus extarent, & conspicui essent: ut botri, spicæ, palmæ, poma olivæ, punica mala, & id genus alii fructus: quos singulos lapides non tantum ad formam, sed & colorem fructuum elaboratos in circuitu totius mensæ alligarant ad summum orbis aurei. Post coronam ita exornatam extabat in opere similiter & oviculatis illa facies, & illa reliqua virgularum & cœlaturæ forma, ut cum mensa esset ad usum ab utraque parte confecta, ad utram eam erexeris, ab illa usque ad ima pedum eandem & plegmatum & coronæ speciem referret. Nam laminam mensæ, quam lata ea erat, adjunxerant solidam, & latitudine quatuor digitorum, ad pedes in eam inserendos, qui fibularum clausuris astringerentur, ut in utramvis partem erecta mensa, apta esset usui. Atque hæc quidem in externa superficie mensæ utrobique ad usum accommodatæ cernebantur. Supra ipsam autem conspicuum meandrum fecerant, qui in medio haberet extantes lapides preciosos, ut pyliades, carbunculos, smaragdos ad hæc onyches, & alios qui specie fulgore præstarent. Juxta meandrum erat pariens quædam textura miro artificio confecta in medio exprimens sublongam & rotundam figuram rhombo similem, quæ crystallum, & quod vocant electrum, ita affabre figurata habebat insena, ut contemplantibus videretur opus inimitabile. Pedes vero ita erant parati, ut haberent lilia, & ea repansa in summo qua incumberet mensa. Subtus autem folia quæ sub aspectum venirent, essent erecta. Pars autem ima pedis cujusque, qua innitebatur pavimento, constabat carbunculo ex omni parte palmari, latitudine digitorum octo: quia erat loco fundamenti, cui pedi reliqua moles tota incumbebat. Ex eo etiam artificiose exculpta prodibat hedera acantho implexa & viti quæ circumvoluta toti pedi botros haberet ad summum usque ex lapidibus preciosis confectos. Atque hæc eadem forma erat pedum quatuor, in quibus omnia erant ita elaborata affabre & coaptata, ut peritiæ & artis præstantia non solum nihil discreparent à veritate, sed etiam vento per aerem flante moverentur eorum folia omnia, & situ & habitu ad nativam imaginem sculpta. Labia autem mensæ constabant ex tribus partibus, & erant veluti triplicata, ac clavibus subtilibus ita inter se per crassitudinem operis coagmentaet, ut neque cerni neque inveniri posset, qua juncturæ coirent.

ποιοῦντες συμβολήν. ἡμιπηχίου δὲ οὐκ ἔλασσον ἦν τὸ πάχος τῆς ὅλης τραπέζης, ὥστε πολλῶν εἶναι ταλάντων τὴν ὅλην διασκευήν. ἐπειδὴ γὰρ οὐ προῄρητο τοῖς μεγέθεσιν οὐδὲν προσθεῖναι ὁ βασιλεύς, ὅσον ἔδει δαπανηθῆναι κατασκευαζομένων μειζόνων, τοῦτο ἀπέδωκε πλείονα· καὶ κατὰ τὴν προαίρεσιν αὐτοῦ πάντα ἐπετελέσθη θαυμασίως καὶ ἀξιολόγως ἔχοντα, καὶ τὴν τέχνην ἀμίμητα, καὶ τῇ καλλονῇ διαπρεπῆ.

Τῶν δὲ κρατήρων δύο μὲν ἦσαν, τὴν κατασκευὴν φολιδωτὴν ἔχοντες, ἀπὸ τῆς βάσεως μέχρι τοῦ μέσου τὴν διασκευὴν τῇ τορείᾳ, καὶ τὴν τῶν λίθων ἀνὰ μέσον τῶν φολίδων σύνδεσιν πολυτέχνως ἔχοντες, εἶτα μαίανδρος ἐπέκειτο πηχυαῖος ὕψει. τὴν δὲ ἐκτύπωσιν ἐνυπῆρχε διὰ λιθώσεως ποικίλης, ἐμφαῖνον σὺν ὡραιότητι τὸ τῆς τέχνης φιλόπονον. ἐπὶ δὲ τούτου ῥάβδωσις, ἐφ' ἧ διαπλοκὴ ῥόμβων, δικτυωτὴν ἔχουσα τὴν πρόσοψιν ἕως ἐπὶ τὸ στόμα. τὸ δὲ ἀνὰ μέσον ἀσπιδίσκαι λίθων ἑτέρων παρ' ἑτέροις, τοῖς γένεσι παραλλαγὴν ἐχόντων, τετραδακτύλων οὐκ ἔλαττον, ἀνεπλήρουν τὸ τῆς καλλονῆς ἐναργές. ἐπὶ δὲ τῆς στεφάνης τοῦ στόματος κρίνων τύπωσις, σὺν ἀνθεμίσι καὶ βοτρύων σχοινίῳ διαπλοκῇ διετυποῦτο κυκλόθεν. οἱ μὲν οὖν διὰ τοῦ χρυσοῦ τοιαύτην εἶχον τὴν κατασκευήν, χωροῦντες ὑπὲρ δύο μετρητάς. οἱ δὲ ἀργυροῖ λίαν εἶχον τὴν διασκευὴν ἔνοπτρον δὴ γεγονυῖαν, πρὸς αὐτὸ τοῦτο θαυμασίως ἔχουσαν, ὥστε πᾶν τὸ προσαχθὲν ἀπαυγάζεσθαι σαφέστερον μᾶλλον, ἢ ἐν τοῖς κατόπτροις. οὐκ ἐφικτὸν δὲ ἐστιν ἐξηγήσασθαι τὰ προσεπιτελεσθέντα πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἔμφασιν. ὡς γὰρ ἐπετελέσθη, τεθέντων τῶν κατασκευασμάτων ἑτέρου παρ' ἕτερον, λέγω δὲ πρῶτον ἀργυροῦ κρατῆρος, εἶτα χρυσοῦ, πάλιν ἀργυροῦ καὶ χρυσοῦ, παντελῶς ἀνεξήγητος ἐγένετο τῆς προσόψεως ἡ διάθεσις· καὶ τῶν πρὸς τὴν θεωρίαν προσιόντων οὐ δυναμένων ἀφίστασθαι, διὰ τὴν περιαύγειαν, καὶ τὸ τῆς ὄψεως τερπνόν. ποικίλη γὰρ ἦν ἡ τῆς ἐπιφανείας ἐνέργεια. προσορώντων γὰρ πρὸς αὐτὴν τὴν τοῦ χρυσίου κατασκευήν, ψυχαγωγία τις ἦν μετὰ θαυμασμοῦ, συνεχῶς ἐφ' ἕκαστον ἐπιβαλλούσης τῆς διανοίας τεχνίτευμα. καὶ πάλιν ὅτε πρὸς τὴν τῶν ἀργυρῶν προσβλέψαι τις θέσιν ἤθελεν, ἀπέλαμπε τὰ πάντα κυκλόθεν, ὡς ἄν τις ἕστηκε, καὶ διάχυσιν ἐποίει μείζονα τοῖς θεωμένοις· ὥστε παντελῶς ἀνεξήγητον εἶναι τῶν ἐνηργημένων τὴν πολυτεχνίαν.

Τὰς δὲ χρυσᾶς φιάλας διετόρευσαν στεφάνοις ἀμπέλου κατὰ μέσον· περὶ δὲ τὰ χείλη, κισσοῦ τε καὶ μυρσίνης, ἔτι δὲ ἐλαίας ἀνέπλεξαν στέφανον ἔκτυπον, πολυτελεῖς ἐνέντες λίθους· καὶ τὰς λοιπὰς δὲ τορείας διηλλαγμένας ἐπετέλεσαν, ἅπαντα φιλοτιμηθέντες εἰς ὑπεροχὴν δόξης τοῦ βασιλέως ποιῆσαι. καθόλου γὰρ οὔτε ἐν τοῖς βασιλικοῖς ὑπῆρχε ῥισκοφυλακίοις τοιαύτη κατασκευὴ τῇ πολυτελείᾳ καὶ τεχνουργίᾳ, οὔτε ἐν τινὶ ἄλλῳ. πρόνοιαν γὰρ οὐ μικρὰν

coirent. Craffitudo autem menfæ totius non minor erat femicubito: unde fumptus ad multa millia protrahebantur. Nam quia Rex femel conftituerat, non effe magnitudine ampliorem faciendam, quæ infumenda fuiffent in eam, illa, atque adeo plura, contulit in craffitudinem, omniaque funt ex ipfius fententia perfecta ad ornatum excellentem & vifu mirabilem, in quo & artificium fuperaret omnem imitationem, & fpeciei decor effet valde confpicuus.

Crateres autem duo erant ornato fquamofo, ab imo ufque ad medium perquam artificiofe torno exculpti, in medio fquammarum interfertis lapidibus preciofis. Hinc fequebatur meander altitudine cubitali, ita ex lapidibus variis figuratus, ut in eo præter fpeciem pulchritudinis, artis etiam infignis induftria eluceret. Poft hunc erat virgularum feries fuper quam ufque ad labia rhombi ad fimilitudinem retis complicati. In medio horum fcuta ex lapidibus diverfi generis, magnitudine non minore quatuor digitorum, ad fummum illuftrabant fplendorem pulchritudinis illa fua perpetua lapidum difcrepantia. In coronæ autem labiis erant expreffa lilia, & anthemides, atque botri in ambitu intertexti. Talem formam habebant crateres aurei, qui capiebant plus quam duas urnas. Argentei autem erant, ad nitorem mirifice confpicuum & fplendentem, propter hoc ipfum elaborati ut quidvis adhibitum in iis multo expreffius quam in ipfis fpeculis repræfentaretur: nec fane licet oratione affequi veram effigiem eorum. Nam poftquam effent perfecti, & hoc ordine difpofiti, ut primum locum haberet argenteus, fecundum aureus, deinde rurfus argenteus, poftea aureus politus effet, plane inenarrabilis fpectaculi facies reddebatur: ut accedentes ad contemplandum, non poffent difcedere, eo quod omnia fplendore eorum illuftrarentur, & quod in contemplatione magna ineffet jucunditas, & ea condita varia quadam vi apparitionis & fpecie ipforum, dum contemplantes quidem decus aureorum craterum fentirent perpetuam quandam voluptatem, cum admiratione animi affidue fe ab una ad aliam artificii folertiam conferentis. Refpicientibus ad argenteos, undique in oculos incurreret fplendor, qui multo etiam magis caperet animos, & majori voluptate fpectantium oculos mulceret: ex quo fane varietas & folertia artificii eorum non poteft enarrari.

Porro phialas aureas ita torno expolierant, ut in medio haberent coronas vitis, circa labia hederæ & myrti: quibus etiam coronam oleæ illuftrem & lapidibus valde preciofis exornatam interferuerant, & reliqua fimiliter varietate fculpturæ fpeciofa reddiderant, dum fingulari induftria ftuderent omnia abfolvere ad excellentiam gloriæ Regis. Nam prorfus neque in ærario regio, neque ullo alio extabant tanti fumptus & tam artificiofa opera. Rex enim, ut erat ambitiofus circa

μικρὰν ἐποιεῖτο ὁ βασιλεὺς, φιλοδοξῶν εἰς τὰ καλῶς ἔχοντα. πολλάκις γὰρ τὸν δημόσιον χρηματισμὸν παρεὶς τοῖς δὲ τεχνίταις παρήδρευεν ἐπιμελῶς, ἵνα καθηκόντως τῷ τόπῳ συντελέσωσιν, εἰς ὃν ἀπεστέλλετο τὰ τῶν ἔργων. διὸ πάντα σεμνῶς ἐγεγόνει, καὶ καταξίως τοῦ τε ἀποστέλλοντος βασιλέως, καὶ τοῦ προεστῶτος ἀρχιερέως τοῦ τόπου. καὶ γὰρ τὸ τῶν λίθων πλῆθος ἄφθονον, καὶ μεγάλοι τοῖς μεγέθεσιν, οὐκ ἔλαττον πεντακισχιλίων· καὶ ταῖς τέχναις κρατιστεύοντα πάντα, ὥστε πενταπλασίως τοῦ χρυσοῦ τιμιωτέραν εἶναι τὴν τῶν λίθων δόσιν, καὶ τὴν τῶν τεχνῶν ἐνέργειαν.

Ὑπολαμβάνων οὖν ἐκ τούτων τὴν ἀναγραφὴν ἀναγκαίαν οὖσαν δεδήλωκά σοι. τὰ δὲ ἑξῆς περιέχει τὴν πρὸς τὸν Ἐλεάζαρον ὁδὸν ἡμῖν γενομένην· τὴν δὲ θέσιν τῆς ὅλης χώρας πρῶτον δηλώσω. Ὡς γὰρ παρεγενήθημεν ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐθεωροῦμεν τὴν πόλιν μέσην κειμένην ἐπ' ὄρους, ὑψηλὴν ἔχοντος τὴν ἀνάτασιν. ἐπὶ δὲ τῆς κορυφῆς κατεσκεύαστο τὸ ἱερὸν ἐκπρεπῶς ἔχον· καὶ οἱ περίβολοι τρεῖς, ὑπὲρ ἑβδομήκοντα δὲ πήχεις τῷ μεγέθει, καὶ τὸ πλάτος ἀκόλουθον, καὶ τὸ μῆκος, τῆς κατὰ τὸν οἶκον διασκευῆς ὑπῆρχε· μεγαλομερείᾳ καὶ χορηγίᾳ κατὰ πάντα περιβαλλούσῃ διῳκοδομημένων ἁπάντων. καὶ τοῦ θυρώματος δὲ, καὶ τῶν περὶ αὐτὸ συνδέσμων κατὰ τὰς φλιὰς, καὶ τῆς τῶν ὑπερθύρων ἀσφαλείας, ἔκδηλος ἦν ἡ τῶν χρημάτων γεγονυῖα ἀφειδὴς δαπάνη. τοῦ τε καταπετάσματος ἡ διατύπωσις, θύραισι κατὰ πᾶν ὁμοιοτάτη ὑπῆρχε· καὶ μάλιστα διὰ τὴν τοῦ πνεύματος ὑποδρομὴν, ἀδιάλειπτον κίνησιν λαμβανούσης τῆς ὑφῆς, διὰ τὸ ἀπ' ἐδάφους γινομένης τῆς ὑποδρομῆς κατὰ τὴν κόλπωσιν, μέχρι τῆς ἄνω διατάσεως, ἡδεῖάν τινα δυσαπάλλακτον τὴν θεωρίαν ἔχοντος τοῦ πράγματος.

Ἥ τε τοῦ θυσιαστηρίου κατασκευὴ, σύμμετρον ἔχουσα πρὸς τὸν τόπον, καὶ τὰ θύματα διὰ πυρὸς ἐξαναλούμενα, τὴν διοικοδομὴν εἶχε. τῆς δὲ ἀναβάσεως τῆς πρὸς αὐτὸ, πρὸς τὴν εὐκοσμίαν ἔχοντος τοῦ τόπου, καθηκόντως τὸ κλίμα τῶν λειτουργῶν, τῶν ἱερέων κεκαλυμμένων μέχρι τῶν σφυρῶν βυσσίνοις χιτῶσι. ὁ δὲ οἶκος βλέπει πρὸς ἕω, τὰ δὲ ὀπίσθια αὐτοῦ πρὸς ἑσπέραν· τὸ δὲ πᾶν ἔδαφος λιθόστρωτον καθέστηκε· καὶ κλίματα πρὸς τοὺς καθήκοντας τόπους ἔχει τῆς τῶν ὑδάτων ἐπιφορᾶς ἕνεκεν, ἣ γίνεται διὰ τὴν σμῆξιν τῶν ἀπὸ τῶν θυσιῶν αἱμάτων. πολλαὶ γὰρ μυριάδες κτηνῶν προσάγονται κατὰ τὰς τῶν ἑορτῶν ἡμέρας. ὕδατος δὲ ἀνέκλειπτός ἐστι σύστασις ὡς ἂν καὶ πηγῆς ἔσωθεν πολυῤῥύτου φυσικῶς ἐπιρρεούσης· ἔτι δὲ θαυμασίων καὶ ἀδιηγήτων ὑποδοχείων ὑπαρχόντων ὑπὸ γῆν, καθὼς ἀπέφαινον, πέντε σταδίων κυκλόθεν τῆς κατὰ τὸ ἱερὸν καταβολῆς· καὶ ἑκάστου τούτων σύριγγας ἀναριθμους, καθ' ἕκαστον μέρος ἑαυτὰ συναπτόντων τῶν ῥευμάτων· καὶ πάντα ταῦτα μεμολυβδῶσθαι κατ' ἐδάφους καὶ τοῦ τοίχου· ἐπὶ δὲ τούτων κεχύσθαι πολύ τι πλῆθος κονίας, ἕως ἐνεργῶς γεγενημένων ἁπάντων. εἶναι δὲ πυκνὰ τὰ στόματα πρὸς τὴν βάσιν, ἀο-

ράτως

circa decus & splendorem, non parum adhibebat curæ & solicitudinis ad hoc suum institutum. Nam sæpe omissis publicis occupationibus, studiose assidebat artificibus, ut illi perficerent omnia ut conveniret loco in quem illa opera missurus erat. Unde quidem evenit, ut omnia essent absoluta honorifice, & pro dignitate tum regis mittentis, tum summi sacerdotis qui præesset loco illi. Nam lapides & magnitudine conspicui, & numero multi, non pauciores quinque millibus adhibiti erant: tum artis solertia omnia ita excellebant, ut quintuplo pretium auri superarent lapides collati, & artificum industria navata.

Ita habes & hæc, quorum expositionem judicavi necessariam. Sequens narratio continebit iter nostrum ad Eleazarum: sed primum declarabo tibi totius regionis situm. Postquam ergo pervenimus in loca illa, cernebamus civitatem in medio regionis sitam super montem editum & sublimem. In hujus summo erat extructum Templum, cum insigni ornatu: circum quod erant tres muri altitudine supra septuaginta cubitos, & tum latitudine pro tali altitudine, tum longitudine pro structura & mole ædificii. Atque hæc omnia erant exædificata perquam magnifice, cum sumptus ex omni parte excellentia. Conspicua etiam erat magnificentia expensarum in portas, & compages partium earum inferiorum, & in munitionem superliminarium. Velum item appensum erat, ad similitudinem januarum formatum, quod spectaculum quoddam jucundissimum, & quo nunquam facile satiari posses, præbebat: & quidem ideo præcipue, quia à vento subintrante perpetuo movebatur, & quidem sinuatione ab imo usque ad summum, ob ventum à pavimento subintrantem.

Altare etiam extructum erat apposite & ad locum illum, & hostias quæ ibi igne consumerentur. Qua vero parte ascensus erat & illud, ea perquam decenter exornata erat, & pulchre accommodata ad ministeria sacra, & habitum sacerdotum ad talos usque indutorum tunicis ex bysso. Templum autem spectat ad ortum, posterioribus ejus ad occasum tendentibus. Et pavimentum totum est lapide constratum, tractusque habet aquæ immittendæ ad loca certa, quæ immittitur ad abluendum sanguinem hostiarum: quia in solennibus festis multa millia jumentorum offeruntur. Aquæ vero confluxus nunquam deficit: & quia fons intrinsecus magnus naturalem, & eam perennem scaturiginem habet, & quia subtus terram sunt mira & inenarrabili arte aquarum receptacula, confecta per quinque stadia, quemadmodum apparebat undequaque circum templum, quorum singula habent fistulas infinitas, utrinque in se invicem emittentes fluxus: atque hæc omnia in imo & à lateribus plumbo sunt obducta, & multa terra accurate cooperta. Sunt prætera multa ostia in fundo & basi, quæ nemo

 cernere

ράτως ἔχοντα τοῖς πᾶσι πλὴν αὐτοῖς οἷς ἐστι λειτουργία· ὡς ῥοπῇ καὶ πνεύματι πάντα καθαρίζεσθαι τὰ συναγόμενα παμπληθῆ τῶν θυμάτων αἵματα.

Πεπεισμένος δὲ καὶ αὐτὸς τὴν τῶν ὑποδοχείων κατασκευὴν δηλώσω καθὼς ἐπιςώθην. προσήγαγον γὰρ πλέον σταδίων τεσσάρων ἐκ τῆς πόλεως, καὶ πρός τινα τόπον ἐκέλευσέ τις κατακύψαντα συνακοῦσαι τοῦ γινομένου ψόφου τῆς απαντήσεως τῶν ὑδάτων· ὥστε συμφανές μοι γεγονέναι τὸ μέγεθος τῶν ἀγγείων, καθὼς δεδήλωται.

Τῶν δὲ ἱερέων ἡ λειτουργία κατὰ πᾶν ἀνυπέρβλητός ἐστι τῇ ῥώμῃ, καὶ τῇ τῆς εὐκοσμίας καὶ σιγῆς διαθέσει. πάντες γὰρ αὐτοκελεύστως διαπονοῦσι, πολλῆς γινομένης κακοπαθείας· καὶ ἑκάστῳ τὸ διατεταγμένον μέλει. καὶ ἀδιαλείπτως ὑπηρετοῦσιν, οἱ μὲν τὴν ξυλείαν, οἱ δὲ ἔλαιον, οἱ δὲ σεμίδαλιν, οἱ δὲ τὰ τῶν ἀρωμάτων, ἕτεροι τὰ τῆς σαρκὸς ὁλοκαυτοῦντες, ἰσχύϊ διαφερόντως συγχρώμενοι· διαλαβόντες γὰρ ἀμφοτέραις τῶν μόσχων τὰ σκέλη, πλέον ὄντα ταλάντου σχεδὸν ἑκάστου, ἀναῤῥίπτουσιν ἑκατέροις θαυμασίως ὕψος ἱκανὸν, καὶ οὐχ ἁμαρτάνουσι τῆς ἐπιθέσεως. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ τῶν προβάτων, ἔτι δὲ αἰγῶν, τοῖς βαρέσι καὶ πιμελῇ θαυμασίως ἔχει. κατὰ πᾶν γὰρ ἐκλεγομένων, οἷς ἐπιμελές ἐστιν, ἀμώμητα, καὶ τῇ παχύτητι διαφέροντα, τὸ προειρημένον ἐπιτελεῖται. πρὸς δὲ τὴν ἀνάπαυσιν τόπος αὐτοῖς ἐστιν ἀποτεταγμένος, οὗ καθίζουσιν οἱ διαναπαυόμενοι. τούτου δὲ γινομένου, τῶν διαλελοιπότων ἐγείρονται πρόθυμοι, οὐδενὸς ἐπιτάσσοντος τὰ τῆς λειτουργίας· ἥτε πᾶσα σιγὴ καθέστηκεν, ὡς τόπον λαμβάνειν, μηδένα ἄνθρωπον ἐν τῷ τόπῳ παρεῖναι, πρὸς σὺν ἑπτακοσίους παρόντων τῶν λειτουργῶν, καὶ τῶν προσαγόντων δὲ τὰ θύματα πολύ τι πλῆθος· ἀλλὰ φόβῳ καὶ καταξίως μεγάλης θειότητος ἅπαντα ἐπιτελεῖται.

Μεγάλην δὲ ἔκπληξιν ἡμῖν παρέσχεν, ὡς ἐθεασάμεθα τὸν Ελεάζαρον ἐν τῇ λειτουργίᾳ, τά τε τοῦ στολισμοῦ καὶ τῆς δόξης, ἡ συνίσταται διὰ τὴν ἔνδυσιν οὗ φορεῖ χιτῶνος, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν λίθων· χρυσοῖ γὰρ κώδωνες περὶ τὸν ποδήρη εἰσὶν αὐτοῦ, μέλους ἦχον ἀνιέντες ἰδιάζοντα. παρ' ἑκάτερον δὲ τούτων ἄνθεσι πεποικιλμένοι ῥοΐσκοι, τῇ χρόᾳ θαυμασίως ἔχοντες. κατέζωσο δὲ διαφόρῳ ζώνῃ διαπρεπεῖ, διυφασμένῃ καλλίστοις χρώμασιν. ἐπὶ δὲ τοῦ στήθους φορεῖ τὸ λεγόμενον ΛΟΓΕΙΟΝ, ἐν ᾧ συνεσφιγμένοι λίθοι δεκαδύο, διαλλάσσοντες τοῖς γένεσι, χρυσῷ κεκολλημένοι, τὰ τῶν φυλάρχων ὀνόματα κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς διάταξιν γενηθεῖσαν ἀπαυγάζοντες, ἕκαστος ἀνεξήγητον τῆς ἰδιότητος τὴν φυσικὴν χρόαν. ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς ἔχει τὴν λεγομένην Κίδαριν. ἐπὶ δὲ ταύτης τὴν ἀμίμητον μίτραν,

cernere potest, præter illos quibus ministerium est commissum: per hæc impetu & effluxu supermissæ aquæ, sanguis quantumvis copiosus à victimis collectus, abluitur & expurgatur.

Exponam etiam, quomodo ipse istorum receptaculorum molem & structuram ex singulari benevolentia monstratam cognovi. Nam abduxerunt me ex civitate ultra quatuor stadia, & jussit me unus capite ad locum quendam inclinato auscultare sonum, quem aquarum concursus ederet. Hinc ego aperte cognovi magnitudinem vasorum illorum de quibus dixi.

Sacerdotes vero ministeria peragentes, omnino virium robore præstant, cum summa ornatus ac silentii reverentia. Nam omnes sponte intenti sunt laboribus, licet valde molestis. Ac suæ cuique demandatæ partes sunt curæ, sine intermissione ministerii. Alii enim ligna, alii oleum, alii similam, alii aromata in ministerio suo curant: alii integras carnes hostiarum comburunt, utentes in hoc magna virium & intentione & dexteritate. Apprehensa enim utrisque manibus vitulorum crura, quæ singula fere talenti pondo habent, per vices utraque manu sursum projiciunt mira industria, in altitudinem satis magnam: nec in iis excipiendis errant. Simili modo projiciunt etiam ovium crura, nec non & caprarum, quæ mirifice & pondere & pinguedine per omnia seligantur, quæ & labe reprehensionis omni vacent, & pinguedine excellant. Ad quietem autem habent locum certum, ubi quiescentes recumbunt: atque inde usi quiete, alacres & prompti excitantur, nemine ipsis ministerii officia imperante. Tantumque ubique est silentium, ut putes in loco illo nullum prorsus esse hominem: cum interim & sacerdotum ministrantium sint circiter septuaginta, & eorum qui hostias adducant valde magnus numerus. Ita omnia cum reverentia, & ut convenit magnæ Divinitati, peraguntur.

excellunt. Nam quod jam dictum est, ita peragitur, ut ad id, à certis quibus hoc curæ est,

Hinc vero magnus non subibat stupor, cum aspexissemus Eleazarum sacra tractantem, & ornatum illum ejus, & dignitatis reverentiam, emergentem ex tunica induta, & lapidibus in ea pretiosis. Nam aurea tintinnabula ad pedes usque ornatus ejus dependent, quæ singula harmoniæ edunt sonum suum: inter quæ singula sunt punica mala, & floribus variis & colore miro decorata. Zona autem cinctus erat valde decente, & variis ac pulcherrimis coloribus pertexta. Supra pectus gestabat quod λογεῖον vocant: in quo impleti & auro alligati erant duodecim lapides generum diversorum, qui splendentes specie inenarrabili nativi & proprii coloris, inscripta habebant nomina principum cujusque tribus, juxta priscam & ab initio institutam ordinationem. Supra caput habebat tegumentum, quod Cidarim vocant: & supra hanc inimitabilis artificii mitram,

μίτραν, τὸ καθηγιασμένον βασίλειον. ἐκ τύπων, ἐπὶ πετάλῳ χρυσῷ γράμμασιν ἁγίοις τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ, κατὰ μέσον τῶν ὀφρύων, δόξῃ πεπληρωμένον· ὁ κριθεὶς ἄξιος τούτων ἐν ταῖς λειτουργίαις. ἡ δὲ συμφάνεια τούτων ἐμποιεῖ φόβον καὶ ταραχὴν, ὥστε νομίζειν εἰς ἕτερον ἐληλυθέναι ἐκτὸς τοῦ κόσμου· καὶ διαβεβαιοῦμαι, πάντα ἄνθρωπον προσελθόντα, τῇ θεωρίᾳ εἰς ἔκπληξιν ἥξειν, καὶ θαυμασμὸν ἀδιήγητον, μετατραπέντα τῇ διανοίᾳ, διὰ τὴν περὶ ἕκαστον ἁγίαν κατασκευήν.

Πρὸς δὲ τὴν ἐπίγνωσιν ἁπάντων, ἐπὶ τὴν παρακειμένην ἄκραν τῆς πόλεως ἀναβάντες, ἐθεωροῦμεν· ἡ κεῖται μὲν ἐν ὑψηλοτάτῳ τόπῳ, πύργοις ἐξησφαλισμένη πλείοσι μέχρι κορυφῆς, εὐμήκεσι λίθοις ἀνῳκοδομημένων αὐτῶν, ὡς μεταλαμβάνομεν, πρὸς φυλακὴν τῶν περὶ τὸ ἱερὸν τόπων· ἵνα, ἐὰν ἐπίθεσις τις ἢ νεωτερισμὸς, ἢ πολεμίων ἔφοδος γένηται, μή τις δυνηθῇ ὁδὸν εἰς τοὺς περιβόλους ποιήσασθαι τοὺς περὶ τὸν οἶκον· ἐπικειμένων καὶ ὀξυβελῶν ἐπὶ τῶν πύργων τῆς ἄκρας, καὶ ὀργάνων ποικίλων καὶ τοῦ τόπου κατὰ κορυφὴν ὄντος τῶν προειρημένων περιβόλων, ὡσανεὶ φυλασσομένων τῶν πύργων ὑπὸ τῶν πιστοτάτων ἀνδρῶν, καὶ τῇ πατρίδι μεγάλας ἀποδείξεις δεδωκότων· οἵτινες οὐκ εἶχον ἐξουσίαν ἐξιέναι τῆς ἄκρας, εἰ μὴ ταῖς ἑορταῖς, καὶ τοῦτο ἐκ μέρους· οὐδὲ εἰσοδεύειν εἴων οὐδένα. μετ' ἀκριβείας δὲ πολλῆς εἶχον, εἰ καί τις ἐπιταγὴ γένοιτο διὰ τοῦ προκαθημένου, πρὸς θεωρίαν δέξασθαί τινας· οἷον καὶ καθ' ἡμᾶς ἐγεγόνει. μόλις γὰρ ἀνόπλους ὄντας ἡμᾶς δύο παρεδέξαντο, πρὸς τὸ κατανοῆσαι τὰ τῶν θυσιῶν. ἔλεγον δὲ καὶ δι' ὅρκων πεπιστῶσθαι τὸ τοιοῦτον. τοὺς δὲ πάντας ὀμωμοκέναι, κατ' ἀνάγκην ἐπιτελουμένους θείως, τὸ κατὰ τὸν ὁρισμὸν πρᾶγμα, ὄντας πεντακοσίους, μὴ παραδέξασθαι πλείονας ἀνθρώπων πέντε κατὰ τὸ αὐτό. τοῦ δὲ ἱεροῦ τὴν πᾶσαν εἶναι φυλακὴν τὴν ἄκραν· καὶ τὸν καταβαλλόμενον αὐτὴν τὴν προφυλακὴν τῶν εἰρημένων, οὕτως ἠσφαλίσθαι.

Τῆς δὲ πόλεώς ἐστι τὸ χῦμα συμμέτρως ἔχον, οἷον τεσσαράκοντα σταδίων ὄντος τοῦ περιβόλου, καθόσον εἰκάσαι δυνατόν. ἔχει δὲ τὴν τῶν πύργων θέσιν θεατροειδῆ. καὶ φαινομένων διόδων τῶν ὑποκειμένων, τῶν δὲ ἐπάνωθεν εἰθισμένων, καὶ τὰς διὰ τούτων διεξόδους. ἀνάκλασιν γὰρ ἔχει τὰ τῶν τόπων, ὡς ἂν ἐπ' ὄρους τῆς πόλεως ᾠκοδομημένης. εἰσὶ δὲ καὶ διαβάθραι πρὸς τὰς διόδους, οἱ μὲν μετέωροι τὴν ὁδείαν, οἱ δὲ ὑπ' αὐτὰς ποιοῦνται, καὶ μάλιστα διεστηκυίας τῆς ὁδείας, διὰ τοὺς ἐν ταῖς ἁγνείαις ὄντες· ὅπως μηδενὸς θιγγάνωσιν, ὧν οὐ δέον ἐστίν.

Οὐκ ἀλόγως δὲ τὴν πόλιν συμμετρίᾳ καθηκούσῃ κατεσκεύασαν οἱ πρῶτοι, σοφῶς δὲ ἐπινοήσαντες. τῆς γὰρ χώρας πολλῆς οὔσης καὶ καλῆς, καὶ τινῶν μὲν πεδινῶν, τῶν κατὰ τὴν Σαμαρεῖτιν λεγομένων, καὶ τῶν συναπτόντων τῇ τῶν Ἰδουμαίων χώρᾳ· τινῶν δὲ ὀρεινῶν, τῶν πρὸς τὴν γεωργίαν καὶ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς γῆς γίνεσθαι

tram, ornamentum regale consecratum. Hinc supra laminam auream nomen Dei sacris literis scriptum usque ad medium superciliorum maximo cum decore protendens. Ipse vero Eleazarus in tractatione sacrorum videbatur his omnibus dignus esse. Qui autem splendor inde existebat metu & turbatione quadam ita afficiebat spectantes, ut extra ornatum aliam induisse personam Eleazarus videretur: affirmoque omnem qui accessisset, ex illa contemplatione captum animo valde quidem stupere velle propter illum sanctum habitum, qui in singulis videbatur inesse.

Hinc, ut omnia cognosceremus, in adjacentem civitatis arcem ascendentes, eam perlustrabamus. Hæc sita in editissimo loco, munita est turribus ad summum usque longis lapidibus extructis, ad illorum quæ circum templum erant locorum, ut colligebamus, custodiam: ut si quæ insidiæ, aut qui tumultus, aut hostium ingressus existeret, ne quis posset aditum aperire ad illa circum templum munimenta. Nam in turribus arcis erant acuta jacula, & varia bellica instrumenta: locusque iste erat in vertice montis supereminens inter alia munimenta: turribus præterea custoditis á fide dignissimis, & patriæ multis argumentis declaratis viris, qui non habebant facultatem egrediendi ex arce præterquam festis diebus, idque per partes & vices: neque sinebant ingredi quenquam. Et à præside jussi admittere aliquem contemplandi gratia, valde accurate eum observabant: quod etiam tum, cum nos adessemus, eveniebat. Nam ægre nos duos & inermes admittebant, ad perlustrandas res sacras. Dicebant enim, sibi sub fide commissam hanc curam: omnesque adductos ad hoc juramento, ut sancte hanc rem, ut esset sibi præscripta, curare vellent: nempe ut cum sint numero quingenti, nunquam admitterent simul plures quam quinque. Quippe templi munitionem omnem esse arcem & proinde fundatorem istius vigilias tam bene curasse.

Civitatis vero amplitudo est mediocritate quadam temperata: quæ, quantum colligere potuimus, in circuitu quadraginta stadia habet. Turres ejus subtus videntur esse perviæ, supra vero transitus usitatos habent, & sunt ad formam theatralem dispositæ. Nam quia civitas in monte est sita, sunt reflexæ, & in se invicem pronæ. Ad illos transitus sunt etiam parati ascensus graduum editiores, ut alii in sublimi, alii subtus incederent. Quæ distinctio præcipue facta est ob sanctos & religioni deditos viros, ut neminem attingerent, quem non liceat.

Non temere autem illi primi conditores, civitatem hac convenienti amplitudinis dimensione condiderunt: sed sapienti hoc consilio fecerunt. Nam regio est ampla & bona. Versus quidem Samaritas, & qua attingit Idumæos, magna ex parte est campestris: in nonnullis etiam aliis locis est montosa, ubi agricolatione & diligenti terræ

γίνεσθαι συντυχῶς, ἵνα καὶ διὰ τοῦτο ὕπαι τὴν εὐκαρπίαν ἔχωσιν· οὐ γενομένου, γεωργεῖται μὲν πάντα, δαψιλείας πολλῆς ἐν πάσῃ τῇ προειρημένῃ χώρᾳ. Τῶν δὲ πόλεων ὅσαι μέγεθος ἔχουσι, καὶ τὴν ἀκόλουθον εὐδαιμονίαν, ταύταις συμβέβηκεν εὐανδρεῖν, ἀμελεῖσθαι δὲ τὰς χώρας, πάντων ἐπὶ τὸ κατὰ ψυχὴν ἱλαροῦσθαι νενευκότων, καὶ τῇ κατασκευῇ πάντας ἀνθρώπους ἐπὶ τὰς ἡδονὰς εὐκαταφόρους εἶναι. τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, ὑπερβάλλουσαν πάσας τῷ μεγέθει καὶ εὐδαιμονίᾳ τὰς πόλεις. οἱ γὰρ ἀπὸ τῆς χώρας εἰς αὐτὴν ἐπιξενούμενοι, καταμένοντες ἐφ᾽ ἱκανὸν, εἰς ἐλάττωσιν ἦγον τὰ τῆς ἐργασίας· ὅθεν ὁ βασιλεὺς, ἵνα μὴ καταμένωσι, προσέταξε, μὴ πλέον εἴκοσιν ἡμερῶν παρεπιδημεῖν· καὶ τοῖς ἐπὶ τῶν χρειῶν ὁμοίως δι᾽ ἐγγράπτων διαστολὰς ἔδωκεν, ἐὰν ἀναγκαῖον ᾖ κατακαλέσαι, διακρίνειν ἐν ἡμέραις πέντε. πρὸ πολλοῦ δὲ ποιούμενος καὶ χρηματιστὰς, καὶ τοὺς τούτων ὑπηρέτας, ἐπέταξε κατὰ νόμους· ὅπως μὴ πορισμὸν λαμβάνοντες οἱ γεωργοὶ, καὶ προστάται τῆς πόλεως, ἐλαττῶσι τὰ ταμεῖα· λέγω δὲ, τὰ τῆς γεωργίας πρόσφορα.

Παρεξέβημεν δὲ ταῦτα, διὰ τὸ καλῶς ἡμῖν τὸν Ἐλεάζαρον ὑποδεδειχέναι τὰ προειρημένα. μεγάλη γάρ ἐστιν ἡ τῶν γεωργουμένων φιλοπονία. καὶ γὰρ ἐλαϊκοῖς πλήθεσι συνδενδρός ἐστι, καὶ σιτικοῖς καρποῖς αὐτῶν ἡ χώρα, καὶ ὀσπρίοις, ἔτι δὲ ἀμπέλῳ καὶ μέλιτι πολλῷ. τὰ μὲν τῶν ἄλλων ἀκροδρύων καὶ φοινίκων οὐδ᾽ ἀριθμεῖται παρ᾽ αὐτοῖς· κτήνη τὰ πολλὰ παμμιγῆ, καὶ δαψιλὴς ἡ τούτων νομή· διὸ καλῶς ἔβλεψαν, ὅτι πολυανθρωπίας οἱ τόποι προσδέονται, καὶ τὴν κατασκευὴν τῆς πόλεως, καὶ τῶν κωμῶν ἔθεντο κατάλογον. πολὺ δὲ πλῆθος καὶ τῶν ἀρωμάτων, καὶ λίθων πολυτελῶν καὶ χρυσοῦ παρακομίζεται διὰ τῶν Ἀράβων εἰς τὸν τόπον. ἐργάσιμος γὰρ, καὶ πρὸς τὴν ἐμπορίαν ἐστὶν ἡ χώρα κατεσκευασμένη, καὶ πολύτεχνος ἡ πόλις. οὐ σπανίζει δὲ οὐδὲν τῶν διακομιζομένων διὰ τῆς θαλάσσης. ἔχει γὰρ καὶ λιμένας εὐκαίρους, χορηγοῦντας τά τε κατὰ τὴν Ἀσκαλῶνα καὶ Ἰόππην, καὶ Γάζαν. ὁμοίως δὲ Πτολεμαΐδα, τὴν ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἐκτισμένην. μέση δὲ κεῖται πρὸς τοὺς προειρημένους τόπους, οὐκ ἀπέχουσα τούτων πολύ. ἔχει δὲ πάντα δαψιλῆ, κάθυγρος οὖσα πάντοθεν ἡ χώρα, καὶ μεγάλην ἀσφάλειαν ἔχουσα. περιῤῥεῖ δὲ αὐτὴν ὁ λεγόμενος Ἰορδάνης ποταμὸς ἀείῤῥους, οὐκ ἔλαττον ἑξακισχιλίων μυριάδων ἀρουρῶν κατὰ τὸ ἀρχαῖον οὔσης. μετέπειτα δὲ οἱ γειτνιῶντες ἐπέβησαν αὐτῆς, ἑξήκοντα μυριάδες ἀνδρῶν ἔγκληροι καθεστήκεισαν ἑκατονταρούροις. πληρούμενος δὲ ποταμὸς, καθὼς ὁ Νεῖλος, ἐν ταῖς πρὸς τὸν θερισμὸν ἡμέραις, πολλὴν ἀρδεύει τῆς γῆς· ὃς εἰς ἕτερον ποταμὸν ἐκβάλλει τὸ ῥεῦμα, κατὰ τὴν Πτολεμαίων χώραν. οὗτος δὲ ἔξεισιν εἰς θάλασσαν. ἄλλοι δὲ χείμαῤῥοι λεγόμενοι

κατίασι,

terræ elaboratione indiget. Sed fere fit, ut etiam hi cultores ob ſuam induſtriam & diligentiam, abundantiam frugum habeant. Ex quo ſane fit, ut omnia excolantur: & ubique in regione ſit magna fructuum affluentia. At vero quæ civitates ſunt amplæ, & pacem felicitatemque & affluentiam rerum habent, in illis evenit ut juventus quidem floreat, regiones vero negligantur, omnibus ad hilaritatem animi intentis: & à natura ad voluptatem maxime propenſis. Id quod uſu venit Alexandriæ, quæ cum omnes civitates & magnitudine & affluentia rerum ſuperet, in eam ex omnibus regionis partibus commeantes incolæ ad hoſpitium, dum morantur diutius ibi, cultum terræ imminuunt. Unde rex, ne ibi ita morarentur, hoc mandatum promulgavit, ut ne ultra viginti dies liceret in civitate exteros verſari. Etiam illis qui haberent negotia in civitate, præſcripſit modum & tempus ad dijudicanda ea: ut ſi quis eſſet vocandus in jus, intra quinque dies negotium ejus in judicio expediretur. Cumque etiam frumentarios, commeatuſque curatores & eorum miniſtros magnifaceret, legibus ordinavit, ut ne agricolæ & præfecti civitatis quæſtum facientes, minuerent cellas & horrea, id eſt, fructus agriculturæ.

In hæc autem ideo digreſſi ſumus, quia Eleazarus ea nobis accurate demonſtravit. Eſt ergo ibi magnum ſtudium agriculturæ: & ideo regio eorum conſita eſt arboribus olivarum, & ferax eſt omnis generis frumenti & leguminum: ad hæc, vineis, & mellificio abundat. Palmæ vero, & aliæ frugiferæ arbores ſunt innumerabiles apud ipſos: item jumenta & pecora omnis generis multa, & paſcua uberrima. Itaque præclare hoc perſpicientes, iſta loca multitudine hominum egere, ad hoc & civitatis conſtitutionem & pagorum numerum accommodarunt. Præterea immenſa copia aromatum, lapidum pretioſorum & auri, importatur eo per Arabes. Nam regio & ad cultum & ad negotiationem eſt idonea, & civitas abundat artificibus: nec deeſt ei quicquam eorum quæ mari advehi ſolent, cum habeat portus opportunos, qui abunde ſuppeditent res & Aſcalonæ, & Joppæ, & Gazæ, ſimiliter etiam Ptolemaidis, civitatis à rege conditæ. Jam in medio iſtorum locorum eſt ſita, nec ab illis multum diſtat, ſed ipſa per ſe omnia abunde habet, cum ſit & irrigua undique regio, & ad magnam ſecuritatem munita. Nam Jordanus, fluvius ille perennis, circumfluit ipſam, in ſe ab antiquo continentem non minus arvorum quam ſex millia myriadum. Deinde ex vicinia ſexaginta myriades hominum in ipſam pervenerunt, qui ſinguli poſſeſſionem centum jugerum agri ſunt conſecuti. Fluvius autem, perinde ut Nilus, circa tempus meſſis exundans, multum terræ irrigat, & circa regionem Ptolemæorum in alium fluvium illabitur, qui deinde in mare ingreditur. Alii etiam qui vocantur Torrentes

defluunt,

κατίασι, περιλαμβάνοντες τὰ πρὸς τὴν Γάζαν μέρη, καὶ τὴν Ἀσωτίων χώραν. περιέχεται δὲ ἀσφαλείαις αὐτοφυέσι, δυσείσβολος οὖσα, καὶ πλήθεσιν ἀπεχγμάτοις· διὰ τὸ στενὰς εἶναι τὰς παρόδους, κρημνῶν παρακειμένων, καὶ φαράγγων βαθέων· ἔτι δὲ τραχείας οὔσης τῆς περιεχούσης τὴν χώραν ὀρεινῆς.

Ἐλέγετο δὲ, καὶ ἐκ τῶν παρακειμένων ὀρέων τῆς Ἀραβίας μέταλλα χαλκᾶ καὶ σιδηρᾶ συνίστασθαι πρότερον. ἐκλέλειπται δὲ ταῦτα, καθ' ὃν ἐπεκράτησαν χρόνον Πέρσαι· τῶν τότε προεστηκότων, ποιησαμένων διαβολὴν, ὡς ἄχρηστος ἡ κατεργασία γίνεται, καὶ πολυδάπανος· ὅπως μὴ διὰ τὴν μεταλλείαν τῶν εἰρημένων συμβῇ καὶ τὴν χώραν καταφθείρεσθαι, καὶ σχεδὸν διὰ τὴν ἐκείνων δυναστείαν ἀλλοτριωθῆναι, παρεύρεσιν λαβόντων εἰς τοὺς τόπους εἰσόδου, διὰ τὸ τὴν διαβολὴν γεγονέναι τοιαύτην. ὅσον οὖν καὶ περὶ τούτων ἔδει, κεφαλαιωδῶς σεσήμαγκά σοι, ὦ Φιλόκρατες ἀδελφέ· τὰ δὲ τῆς ἑρμηνείας ἑπομένως δηλώσομεν.

Ἐπιλέξας γὰρ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας, καὶ παιδείᾳ διαφέροντας, ἅτε δὴ γονέων τετευχότας ἐνδόξων, οἵτινες οὐ μόνον τὴν τῶν Ἰουδαϊκῶν γραμμάτων ἕξιν περιεποίησαν αὐτοῖς· ἀλλὰ καὶ τῆς Ἑλληνικῶν ἐφρόντισαν οὐ παρέργως κατασκευῆς. διὸ καὶ πρὸς τὰς πρεσβείας εὔθετοι καθεστήκεισαν, καὶ τοῦτ' ἐπετέλουν ὅτε δέοι, καὶ πρὸς τὰς ὁμιλίας καὶ ἐπερωτήσεις τὰς διὰ τοῦ νόμου μεγάλην εὐφυΐαν εἶχον· τὸ μέσον ἐζηλωκότες κατάστημα (τοῦτο γὰρ κάλλιστόν ἐστι) ἀποτεθειμένοι τὸ τραχὺ καὶ βάρβαρον τῆς διανοίας· ὁμοίως δὲ καὶ τὸ κατοίεσθαι καὶ νομίζειν ὑπερφρονεῖν ἑτέρους, ὑπερβεβηκότες· τὴν δὲ ὁμιλίαν καὶ τὸ συνακούειν, καὶ πρὸς ἕκαστον ἀποκρίνεσθαι δεόντως παραδεδεγμένοι, ὑπερφέρειν ἕτερος ἑτέρῳ, καὶ τοῦ καθηγουμένου πάντες ἄξιοι, καὶ τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς. νοῆσαι δὲ ἦν, ὡς ἠγάπησαν τὸν Ἐλεάζαρον, δυσαποσπάστως ἔχοντες, καὶ ἐκεῖνος αὐτούς, χωρὶς καὶ τοῦ πρὸς τὸν βασιλέα γεγραφέναι περὶ τῆς ἀποκαταστάσεως αὐτῶν, πολλὰ παρεκάλεσε τὸν Ἀνδρέαν ποιῆσαι, συναντιλαμβάνεσθαι παρακαλῶν, καθ' ὃ ἂν δυνώμεθα. καὶ ἡμῶν ἐπαγγελλομένων, ἀφροντιστεῖν περὶ τούτων· ἔφη, καὶ λίαν διαγωνιᾶν. εἰδέναι γὰρ, ὅτι φιλάγαθος ὢν ὁ βασιλεὺς, πάντων μέγιστον ἡγεῖται τὸ μεταπέμπεσθαι, καθ' ὃν ἂν τόπον ἀνομάθη τις ἄνθρωπος διαφέρων ἀγωγῇ καὶ φρονήσει παρ' ἑτέρους. μετείληφα γὰρ καλῶς αὐτὸν λέγειν, ὅτι περὶ ἑαυτὸν ἔχων ἄνδρας δικαίους καὶ σώφρονας, τὴν μεγίστην ἂν φυλακὴν τῆς βασιλείας ἔχειν, συμβουλευόντων παρρησίᾳ πρὸς τὸ συμφέρον τῶν φίλων· ὃ δὴ σύνεστι τοῖς ἀποστελλομένοις ὑπ' αὐτοῦ. καὶ διὰ ὅρκων ἐπιστοῦτο, μὴ προΐεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, εἴ τις ἑτέρα χρεία πρὸς τὰ κατ' ἰδίαν αὐτὸν κατεπείγοι· πρὸς δὲ τὴν κοινὴν πᾶσι τοῖς πολίταις ἐπανόρθωσιν, ἐξαποστέλλειν αὐτούς. τὸ γὰρ καλῶς ζῆν, ἐν τῷ τὰ νόμιμα συντηρεῖν εἶναι. τοῦτο δὲ ἐπιτελεῖσθαι, διὰ τῆς ἀκροάσεως πολλῷ μᾶλλον,

defluunt, qui loca illa ad Gazam & regionem Asotiorum inundant. Adhæc naturalibus munimentis circumdatur, cum ob angustias viarum & præcipitia ac fauces profundas, asperitatesque montium qui eam ambiunt, irruptiones excludat, nec ab aliqua multitudine invadi possit.

Narrabatur etiam, ex montibus Arabiæ vicinis prius metalla æris & ferri fuisse eruta: quæ postea, quo tempore Persæ rerum potirentur, fuerunt intermissa: quia qui tum præessent, culparent illa, ut inutilis & sumptuosi laboris, & per quæ etiam regio posset perdi. Ac quidem hæc ipsorum criminatio valuit: quia fere per potentiam illorum qui intenti iis erant, regio fuit perducta in alienas manus, cum illi inde in regionem nacti fuissent ingressum. Exposui ita strictim tibi, frater Philocrates, quæ etiam de his commemoranda fuerunt. Deinceps exponam illa, quæ sunt ipsius interpretationis.

Elegit ergo Eleazarus optimos & eruditione præstantes viros, utpote præclaris ortos parentibus: qui non solum exercitati erant in literis Judæorum, sed etiam in studia & mores Græcorum non segnem operam navarant: quique ideo idonei erant ad legationes, & eas obibant cum opus esset. Jam ad disputationes de legibus explicandas valde solertes erant. Iidem amplexabantur statum vitæ & morum medium, qui est optimus, deponentes à se asperitatem & barbariem animi: nec volebant videri arrogantes, nec adversus inferiores superbe se gerebant, sed suavitatem animi in conversationibus, & facilitatem audiendi alios, solertiamque respondendi ad singula apte & ordine recto, declarare studebant: denique omnes erant digni præside suo, & virtute ipsius. Quam vero ipsum Eleazarum amarent, hinc licebat cognoscere, quia inviti & ægre ab ipso discedebant: & quia præterquam quod scripserat ad Regem de ipsis restituendis, multum etiam rogabat Andream, ut id negotii promoveret, & in aliis quibus possemus, ipsi gratificaremur. Cumque nos promisissemus nostram operam, & dixissemus ipsum non debere de istis sollicitum esse: dixit se multum dubitare. Compertum enim habere, Regem cum virtutis studio flagraret præcipue curare ut ubi aliquis doctrina prudentiaque maxime polleret, eum ad se accersat. Et hoc quidem recte: nam si habeat apud se justos & moderatos viros, habeat secum regni sui maximum præsidium & munimentum: eo quod illi libere & intrepide consulant, ad communem utilitatem illorum quibus ipse bene velit. Talesque dicebat se animadvertere, esse illos ab ipso missos. Præterea jurejurando affirmabat, istos viros non dimissurum, si quod aliud suum negotium instaret. Nunc vero dimittere illos, ad emendationem rei communiter omnibus civibus utilis. Nam ut quis bene vivat, hoc situm esse in observantia & diligenti custodia legum: hoc vero acquiri & absolvi multo magis

ex

λον, ἢ διὰ τῆς ἀναγνώσεως. προστιθέμενοι οὖν ταῦτα, καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια, φανερὸς ἦν τὴν διάθεσιν, ὃς ἦν πρὸς αὐτούς.

Ἄξιον δὲ ἐπιμνησθῆναι βραχέων τῶν ὑποδειχθέντων ὑπ' αὐτοῦ, πρὸς τὰ δι' ἡμῶν ἐπιζητηθέντα. νομίζειν γὰρ τοὺς πολλοὺς περιεργίαν ἔχειν τινὰ τῶν ἐν τῇ νομοθεσίᾳ περί τε τῶν βρωμάτων καὶ ποτῶν, καὶ τῶν νομιζομένων ἀκαθάρτων εἶναι κνωδάλων. πυνθανομένων γὰρ ἡμῶν, διὰ τί, μιᾶς καταβολῆς οὔσης, τὰ μὲν ἀκάθαρτα νομίζεται πρὸς βρῶσιν, τὰ δὲ καὶ πρὸς τὴν ἀφὴν (δεισιδαιμόνως γὰρ τὰ πλεῖστα τὴν νομοθεσίαν ἔχειν, ἐν δὲ τούτοις πάλιν πάνυ δεισιδαιμόνως) πρὸς ταῦτα οὕτως ἐνήρξατο.

Θεωρεῖς, ἔφη, τὰς ἀναστροφὰς καὶ τὰς ὁμιλίας, οἷον ἐνεργάζονται πρᾶγμα· διότι κακοῖς ἐνομιλήσαντες, διαστροφὰς ἐπιλαμβάνουσιν ἄνθρωποι, καὶ ταλαίπωροι δι' ὅλου τοῦ ζῆν εἰσίν· ἐὰν δὲ σοφοῖς καὶ φρονίμοις συζῶσιν, ἐξ ἀγνοίας, ἐπανορθώσεως εἰς τὸν βίον ἔτυχον. διαστειλάμενος τὰ τῆς εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης πρῶτον ὁ νομοθέτης ἡμῶν, καὶ διδάξας ἕκαστα περὶ τούτων οὐκ ἀπαγορευτικῶς μόνον, ἀλλ' ἐνδίκως, καὶ τὰς βλάβας προδήλους καὶ τὰς ὑπὸ τοῦ θεοῦ γινομένας ἐπιπομπὰς τοῖς αἰτίοις. ὑπέδειξε γὰρ πάντων πρῶτον, ὅτι μόνος ὁ θεός ἐστι, καὶ διὰ πάντων ἡ δύναμις τοῦ αὐτοῦ ἐστι φανερὰ γίνεται, πεπληρωμένου παντὸς τόπου τῆς δυναστείας, καὶ οὐθὲν αὐτὸν λανθάνει τῶν ἐπὶ γῆς γινομένων ὑπ' ἀνθρώπων κρυφίως· ἀλλ' ὅσα ποιεῖ τις αὐτῷ φανερὰ καθέστηκε, καὶ τὰ μέλλοντα γίνεσθαι. ταῦτα οὖν ἐξεργαζόμενος ἀκριβῶς, καὶ πρόδηλα θεὶς, ἔδειξεν, ὅτι κἂν ἐννοηθῇ τις κακίαν ἐπιτελεῖν, οὐκ ἂν λάθοι, μὴ ὅτι καὶ πράξας, διὰ πάσης τῆς νομοθεσίας τὸ τοῦ θεοῦ δυνατὸν ἐνδεικνύμενος. ποιησάμενος οὖν τὴν καταρχὴν ταύτην, καὶ δείξας ὅτι πάντες οἱ λοιποὶ παρ' ἡμᾶς ἄνθρωποι πολλοὺς θεοὺς εἶναι νομίζουσιν, αὐτοὶ δυναμικώτεροι πολλῷ καθεστῶτες ὧν σέβονται ματαίως· ἀγάλματα γὰρ ποιήσαντες ἐκ λίθων καὶ ξύλων, εἰκόνας φασὶν εἶναι τῶν ἐξευρόντων τι πρὸς τὸ ζῆν αὐτοῖς χρήσιμον· οἷς προσκυνοῦσι, παρὰ πόδας ἔχοντες τὴν ἀναισθησίαν. εἴτε γὰρ κατ' ἐκεῖνό τις θείη, κατὰ τὴν ἐξεύρεσιν παντελῶς ἀνόητοι. τῶν γὰρ ἐν τῇ κτίσει λαβόντες τινὰ συνέθηκαν καὶ προσυπέδειξαν εὔχρηστα, τὴν κατασκευὴν αὐτῶν οὐ ποιήσαντες αὐτοί, διὸ κενὸν καὶ μάταιον τοὺς ὁμοίους ἀποθεοῦν. καὶ γὰρ ἔτι καὶ νῦν εὑρηματικώτεροι καὶ πολυμαθέστεροι τῶν ἀνθρώπων τῶν πρὶν εἰσὶ πολλοί, καὶ οὐκ ἂν φθάνοιεν αὐτοὺς προσκυνοῦντες. καὶ νομίζουσιν οἱ ταῦτα διαπλάσαντες, καὶ μυθοποιήσαντες, τῶν Ἑλλήνων οἱ σοφώτατοι καθεστάναι. τῶν γὰρ ἄλλων πολυματαίων,

ex auditione, quam lectione. Ex horum ergo & similium commemoratione, satis declarabat animi sui erga illos viros affectum.

Nunc pauca quædam ex illis quæ ipse nobis interrogantibus explicuit, dignum fuerit commemorare, præsertim cum existimemus multis videri, nonnulla in lege temere comprehensa: ut illa quæ de cibo & potu, & animalibus illis quæ habentur impura, sunt tradita. Interrogantibus ergo nobis, quare cum sint unius creatione omnia condita, alia ad esum impura habeantur, nonnulla etiam ad tactum. Hæc enim & alia multa videri superstitiose tradita esse in lege, & observari etiam nimis superstitiose. Ad hæc ipse ita cœpit loqui.

Cernis, inquit, quid possint & efficiant conversatio & consuetudo. Quia homines ex conversatione improborum depravantur & fiunt miseri per totam vitam. Si vero cum sapientibus & prudentibus versentur, ignorantiæ suæ emendationem ad vitæ rectitudinem consequuntur. Hinc primum legislator noster distincte & accurate præcepit, quæ sunt pietatis & justitiæ: & singula de his tradidit non solum prohibitione, sed etiam cum præscriptione recti: ob oculos etiam positis malis & afflictionibus, quas Deus immittat auctoribus delictorum. Nam primum omnium ostendit, unum solum esse Deum, & ejus potentiam omnia pervadere, ita ut omnia sint ea repleta, nec ipsam lateat quicquam eorum quæ in terra ab hominibus clam fiant: sed quæcunque quis vel jam faciat, vel post sit facturus, ea sint illi aperta. Quibus quidem ita accurate traditis, hoc demonstravit & effecit, ut si quis tantum cogitet de aliquo improbo facinore peragendo, nedum si id peregisset, sciret Deum id non latere: sicque in tota lege sua Dei majestatem & potentiam illustravit. Hoc initio ita facto, demonstravit deinde, omnes alios homines, præter Judæos, stulte multos statuere Deos, & colere eos quibus ipsi sint multo præstantiores. Nam illos simulachra ex lapidibus & lignis confecta, habere pro imaginibus eorum qui ipsis aliquid ad vitam utile invenerint: atque ita adorare illa, quæ manifeste videant omni sensu destituta esse. Jam ut quis concedat, ipsos respicere ad facultatem, qua tempore inventionis præditi fuerint: hinc etiam stultos habendos, quia illi ipsorum inventores non crearint neque produxerint quicquam, sed ex creatis & productis quædam aut ostenderint esse utilia, aut ad meliorem usum composuerint & proinde stulte & inaniter agere, dum habeant & colant pro diis sui similes: & eo magis, cum inveniri hic at multos etiam nunc qui illis prioribus inventoribus longe sint solertiores & ad inveniendum & ad intelligendum, quos tamen illi nunquam adoraverint: & interim Græcos talia fingentes & commentatos de diis, haberi apud ipsos sapientissimos. De aliis vero, aiebat, longe stultioribus

ταίων τί δεῖ καὶ λέγειν; Αἰγυπτίων τε, καὶ τῶν παραπλησίων· οἵ τινες ἐπὶ θηρία, καὶ τῶν ἑρπετῶν τὰ πλεῖστα, καὶ κνωδάλων, τὴν ἀπέρεισιν πεποίηνται, καὶ ταῦτα προσκυνοῦσι, καὶ θύουσι τούτοις καὶ ζῶσι καὶ τελευτήσασι; συνθεωρήσας οὖν ἕκαστα σοφὸς ὢν ὁ νομοθέτης, ὑπὸ θεοῦ κατεσκευασμένος εἰς ἐπίγνωσιν τῶν ἁπάντων, περιέφραξεν ἡμᾶς ἀδιακόποις χάραξι, καὶ σιδηροῖς τείχεσιν· ὅπως μηθενὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ἐπιμισγώμεθα κατὰ μηδὲν, ἁγνοὶ καθεστῶτες κατὰ σῶμα καὶ κατὰ ψυχὴν, ἀπολελυμένοι ματαίων δοξῶν, τὸν μόνον θεὸν καὶ δυνατὸν σεβόμενοι παρ' ὅλην τὴν πᾶσαν κτίσιν. ὅθεν οἱ Αἰγυπτίων καθηγεμόνες ἱερεῖς, ἐγκεκυφότες εἰς πολλὰ, καὶ μετεσχηκότες πραγμάτων, ἀνθρώπους θεοῦ προσονομάζουσιν ἡμᾶς· ὃ τοῖς λοιποῖς οὐ πρόσεστιν, εἰ μή τις σέβεται τὸν κατ' ἀλήθειαν θεὸν, ἀλλ' εἰσὶν ἄνθρωποι βρωτῶν καὶ ποτῶν καὶ σκέπης· ἡ γὰρ πᾶσα διάθεσις αὐτῶν ἐπὶ ταῦτα καταφεύγει. τοῖς δὲ παρ' ἡμῶν οὐδενὶ ταῦτα λελόγισται, περὶ δὲ τῆς τοῦ θεοῦ δυναστείας δι' ὅλου τοῦ ζῆν ἡ σκέψις αὐτοῖς ἐστιν, ὅπως ἐν μηθενὶ συναλισγούμενοι, μηδ' ὁμιλοῦντες φαύλοις, διαστροφὰς λαμβάνοιμεν· πάντοθεν ἡμᾶς περιέφραξεν ἁγνείαις καὶ διὰ βρωτῶν, καὶ ποτῶν, καὶ ἁφῶν, καὶ ἀκοῆς, καὶ ὁράσεως νομικῶς. τὸ γὰρ καθόλου πάντα πρὸς τὸν φυσικὸν λόγον ὅμοια καθέστηκεν, ὑπὸ μιᾶς δυνάμεως οἰκονομούμενα. καὶ καθ' ἓν ἕκαστον ἔχει λόγον βαθὺν, ἀφ' ὧν ἀπεχόμεθα κατὰ τὴν χρῆσιν, καὶ οἷς συγχρώμεθα. χάριν δὲ ὑποδείγματος ἓν ἢ καὶ δεύτερον ἐπιδραμὼν, σοὶ σημανῶ· μὴ γὰρ εἰς τὸν καταπεπτωκότα λόγον ἔλθῃς, ὅτι μυῶν, καὶ γαλῆς, ἢ τῶν τοιούτων χάριν, περιεργίας ποιούμενος ἐνομοθέτει ταῦτα Μωϋσῆς· ἀλλὰ πρὸς ἁγνὴν ἐπίσκεψιν, καὶ τρόπων ἐξαρτισμὸν, δικαιοσύνης ἕνεκεν, σεμνῶς πάντα ἀνατέτακται. τῶν γὰρ πτηνῶν, οἷς χρώμεθα, πάντα ἥμερα καθέστηκε· διαφέρει καθαρότητι, πυροῖς καὶ ὀσπρίοις χρώμενα πρὸς τὴν τροφήν. οἷον περιστεραὶ, τρυγόνες, ἀτλακοὶ, πέρδικες, ἔτι χῆνες, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα τοιαῦτα. περὶ ὧν δὲ ἀπηγόρευται πτηνῶν, εὑρήσεις ἄγριά τε καὶ σαρκοφάγα, καὶ καταδυναστεύοντα τῇ περὶ ταῦτα δυνάμει τὰ λοιπὰ, καὶ τὴν τροφὴν ἔχοντα δαπάνησιν τῶν προειρημένων ἡμέρων μετ' ἀδικίας. οὐ μόνον δὲ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄρνας καὶ ἐρίφους ἀναρπάζουσι, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἀδικοῦσι νεκρούς τε καὶ ζῶντας. παράσημον οὖν ἔθετο διὰ τούτων, ἀκάθαρτα προσονομάσας· ὅτι δέον ἐστὶ κατὰ ψυχὴν, οἷς ἡ νομοθεσία διατέτακται, δικαιοσύνῃ συγχρῆσθαι· καὶ μηδένα καταδυναστεύειν, πεποιθότας ἰσχύϊ τῇ καθ' ἑαυτούς· μηδ' ἀφαιρεῖσθαι μηδὲν, ἀλλ' ἐκ δικαίου τὰ τοῦ βίου κυβερνᾶν, ὡς τὰ τῶν προειρημένων πτηνῶν ἥμερα ζῶα, τὰ φυόμενα τῶν ὀσπρίων ἐπὶ γῆς δαπανᾷ, καὶ οὐ καταδυναστεύει πρὸς τὴν ἐπαναίρεσιν τῶν συγγενικῶν. διὰ τῶν τοιούτων οὖν παραδέδωκεν ὁ νομοθέτης σημειοῦσθαι τοῖς συνετοῖς, εἶναι δικαίους τι, καὶ μηδὲν ἐπιτελεῖν βίᾳ· μηδὲ τῇ παρ' αὐτοὺς ἰσχύϊ πεποιθότας, ἑτέρους καταδυναστεύειν.

bus quid opus est dicere, ut de Ægyptiis & similibus, qui ad bestias & multa reptilia aliaque animalia delapsi, ea venerantur, & iis tam mortuis quam vivis sacrificant? Hæc ergo singula diligenter contemplatus, utpote sapiens, & a Deo omnium rerum cognitione instructus legislator noster, circummunivit nos vallis firmissimis, & ferreis mœnibus, ut cum nullis prorsus aliis populis possemus ulla in re commisceri: sed permanentes & corpore mundi, & animo liberi à falsis opinionibus, unum Deum, & eum potentem supra universam creaturam coleremus. Ex quo Ægyptiorum sacri præsides, postquam multa ex disciplina nostra intentius perpenderant, & inde assumpserant, nos Dei homines appellant: quod ea aliis nemini contingere potest, nisi verum Deum colat. Sed fere alii homines sunt cibi & potus & vestitus, in quo toto animo incumbunt. Nostri vero his pro nihilo habitis, per totam vitam versantur in contemplatione majestatis & omnipotentiæ Dei. Hinc ergo ne per ullius impietatis communicationem inficeremur, neve conversatione improborum depravaremur, circumsepsit nos legitima sanctitate & puritate cibi, potus, tactus, auditus, & visus. Nam in universum omnia quæ ipse sanxit nobis, habent naturalem causam & ita divinitus gubernantur: habetque unumquodque eorum quo vel abstinemus vel utimur, causam & rationem profundam. Ex quibus unum & alterum tibi, exempli causa, cursim exponam, ne in has abjectas & leves de legislatore nostro cogitationes incidas, quasi ipse pro muribus, mustelis, & similibus tantopere sollicitus, talia legibus suis ordinarit: sed ut perspicias, omnia ab ipso graviter & sancte instituta esse justitiæ causa, ad morum conformationem, & ad animos piis & sanctis cogitationibus imbuendos. Nam ex volatilibus, quibus utimur, omnia sunt mansueta, & excellunt puritate, nutriunturque tritico & leguminibus: ut sunt columbæ, turtures attagenæ, perdices, anseres, & id genus alia volatilia. Quæ autem nobis sunt prohibitæ volucres, illas invenies esse agrestes, carnivoras, in alias violentas, & illas mansuetas ad suum nutrimentum diripientes: nec vero illas solum, sed & agnos & hœdos, ipsosque homines & mortuos & vivos, violenta sua rapacitate petunt. Ideo eas insigni apposita nota, vocavit immundas: hinc docens, eos quibus tulerat leges, debere etiam in animis suis justitia uti, nec quenquam potentia & viribus suis fretos opprimere, aut re ulla spoliare alios, sed totam vitam suam juste instituere, ad exemplum illorum mansuetorum animalium quæ leguminibus ex terra nascentibus vescantur, & nullam vim usurpent ad alia sui generis absumenda. His itaque quasi symbolis quibusdam, legislator voluit ostensum intelligentibus, ut cogitarent se debere esse justos, & nihil per vim agere, neque fiducia potentiæ & virium suarum alios opprimere.

δυναστεύειν. ὅπου γὰρ οὐδ' ἅψασθαι καθῆκε τῶν προειρημένων, διὰ τὴν περὶ ἕκαστα διάθεσιν· πῶς οὐ φυλακτέον παντάπασι, τοὺς τρόπους εἰς τοῦτο κατακλασθῆναι, πάντων τῆς συγχωρήσεως ἡμῖν ἐπὶ τούτων, καὶ τῶν κτηνῶν, τροπολογῶν ἐκτέθειται. τὸ γὰρ διχηλεύειν καὶ διαστέλλειν ὁπλῆς ὄνυχας, σημεῖόν ἐστι τοῦ διαστέλλειν ἕκαστα τῶν πράξεων ἐπὶ τὸ καλῶς ἔχον. ἡ γὰρ ἰσχὺς τῶν ὅλων σωμάτων μετ' ἐνεργείας ἀπέρεισιν ἐπὶ τοὺς ὤμους ἔχει καὶ τὰ σκέλη. μετὰ διαστολῆς οὖν ἅπαντα ἐπιτελεῖν πρὸς δικαιοσύνην ἀναγκάζει τὸ σημειοῦσθαι διὰ τούτων. ἔτι δὲ, διότι παρὰ πάντας ἀνθρώπους διεστάλμεθα. οἱ γὰρ πλεῖστοι τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων ἑαυτοὺς μολύνουσιν ἐπιμισγόμενοι, συντελοῦντες μεγάλην ἀδικίαν, καὶ χῶραι καὶ πόλεις ὅλαι σεμνύνονται ἐπὶ τούτοις. οὐ μόνον γὰρ προσάγουσι τοὺς ἄρσενας, ἀλλὰ καὶ τεκούσας, ἔτι δὲ καὶ θυγατέρας μολύνουσιν. ἡμεῖς δὲ ἀπὸ τούτων διεστάλμεθα. περὶ ὃν δὲ ἐστιν ὁ προειρημένος τῆς διαστολῆς τρόπος, περὶ τοῦτον εἶναι καὶ τὸν τῆς μνήμης κεχαρακτηρικέναι. πάντα γὰρ ὅσα διχηλεῖ, καὶ μηρυκισμὸν ἀνάγει, σαφῶς τοῖς νοοῦσιν ἐκτίθεται τὸ τῆς μνήμης. ἡ γὰρ ἀναμηρύκησις οὐθὲν ἕτερον, ἀλλὰ τῆς ζωῆς καὶ συστάσεως ἐπίμνησις· τὸ γὰρ ζῆν διὰ τῆς τροφῆς συνεστάναι νομίζει. διὸ παρακελεύεται καὶ διὰ τῆς γραφῆς ὁ λέγων οὕτως· μνείᾳ μνησθήσῃ τοῦ κυρίου, τοῦ ποιήσαντος ἐν σοὶ τὰ μεγάλα καὶ θαυμαστά. κατανοούμενα γὰρ, καὶ μεγάλα καὶ ἔνδοξα φαίνεται, πρῶτον μὲν ἡ σύμπηξις τοῦ σώματος, καὶ ἡ τῆς τροφῆς διοίκησις, καὶ ἡ περὶ ἕκαστον μέλος διαστολή. πολλῷ δὲ μᾶλλον ἡ τῶν αἰσθήσεων διακόσμησις, διανοίας ἐνέργημα, καὶ κίνησις ἀόρατος, ἥ τε ὀξύτης τοῦ πρὸς ἕκαστόν τι πράσσειν, καὶ τεχνῶν εὕρεσις, ἀπέραστον περιέχει τρόπον, διὸ παρακελεύεται μνείαν ἔχειν, ὡς συντηρεῖται τὰ προειρημένα θείᾳ δυνάμει, σὺν κατασκευῇ. πάντα γὰρ χρόνον καὶ τόπον ὥρικε, πρὸς τὸ διὰ παντὸς μνημονεύειν τοῦ κρατοῦντος θεοῦ, καὶ συντηροῦντος. καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν βρωτῶν καὶ ποτῶν ἀπαρξαμένους, εὐθέως τότε συγχωρήσειν κελεύει. καὶ μὴν καὶ ἐκ τῶν περιβολαίων παράσημον ἡμῖν μνείας δέδωκε, ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν πυλῶν καὶ θυρῶν προστέταχε μὲν ἡμῖν τιθέναι τὰ λόγια, πρὸς τὸ μνείαν εἶναι θεοῦ· καὶ ἐπὶ τῶν χειρῶν δὲ διαῤῥήδην τὸ σημεῖον κελεύει περιῆφθαι, σαφῶς ἀποδεικνὺς, ὅτι πᾶσαν ἐνέργειαν μετὰ δικαιοσύνης ἐπιτελεῖν δεῖ, μνήμην ἔχοντας τῆς ἡμῶν συστάσεως, ἐπὶ πᾶσι δὲ τὸν περὶ θεοῦ φόβον. κελεύει δὲ καὶ κοιταζομένους, καὶ διανισταμένους, μελετᾶν τὰς τοῦ θεοῦ κατασκευάς, οὐ μόνον λόγῳ, ἀλλὰ διαλήψει θεωροῦντας τὴν κίνησιν, καὶ ὑπόληψιν ἑαυτῶν, ὅταν εἰς ὕπνον ἔρχωνται, καὶ τὴν ἔγερσιν, ὡς θεία τίς ἐστι καὶ ἀκατάληπτος τούτων μετάθεσις.

Δέδεικταί δέ σοι καὶ τὸ περισσὸν τῆς λογίας, τῆς κατὰ τὴν διαστολὴν καὶ μνείαν· ὡς ἐξεθέμεθα τὴν διχηλίαν, καὶ τὸν μηρυκισμόν· οὐ γὰρ εἰκῆ κατὰ

τὸ

mere. Nam cum non permisit attingere jam enumerata animalia propter singulorum affectus: præcipue cavit ne moribus & vita ad ipsorum naturam afformaremur. Ita quæ nobis concedit in omnibus, ut volatilibus, ita pecoribus, figurate & ad morum informationem statuit. Nam quod præcepit, pecora geminis & fissis debere esse ungulis: hoc symbolum eo tendit, ut diligenter, prout decet, discernamus actiones nostras. Cum enim totius corporis robur quasi in humeris & cruribus colligatur, hoc signo voluit monere ut omnia cum selectione juste agamus: idque hanc etiam ob causam, quia sumus sejuncti ab aliis hominibus, quorum plerique se ipsi mutuo commercio inquinent, cum magna justitiæ violatione. Atque de hoc etiam regiones integræ gloriantur, quibus fas est, non solum cum masculis commercium habere, sed etiam puerperas & filias polluere: à quibus nos longe sumus sejuncti. Quo autem in loco est hæc distinctionis admonitio, in eo est etiam suo charactere expressum memoriæ & recordationis præceptum. Nam cum dicit, quæcunque habent fissas ungulas, & ruminant: ibi manifeste intelligentibus proponit signum memoriæ. Nam ruminatio significat memoriam & recordationem, ac quidem præcipue vitæ & constitutionis nostræ: & quod vita constat & conservatur per alimenti sumptionem. Unde similiter etiam in Scriptura cohortatur ille qui dicit: *Memoria recordator Domini, qui fecit in te magna & mirabilia.* Apparent enim illa magna & admiranda, cum recte considerantur: ut primum ipsa corporis compages, nutrimenti dispensatio, & singulorum membrorum sua certa figura: deinde, & multo magis, sensuum dispositio, & mentis vis atque agitatio invisibilis: tum etiam ejus solertia ad quidvis agendum, & inventio artium in immensum sese extendunt. Idcirco jubet nos hæc considerare, & meminisse, quod omnia jam commemorata virtute divina, ut sunt condita, ita conserventur. Adhæc etiam distinxit tempora, & pulchre accommodavit ad perpetuam recordationem Dei, omnia gubernantis & conservantis. Nam cum cibus & potus est capiendus, tum statim jubet omnes convenire & adesse, ad libationes & precationes pias peragendas. Quinetiam in vestitu nobis indicia & signa illustria hujus memoriæ tradidit: similiter etiam in portis & januis mandavit præcepta Dei affigi, ad memoriam ejus habendam. Atque etiam in manibus jubet palam Dei signum gestare: quo hoc plane monstrat, omnia esse instituenda juste cum memoria creationis nostræ, & in primis cum timore Dei. Jubet præterea & cubitum euntes, & de lecto surgentes, non sermone solum sed cogitatione complecti Dei opera in divina illa vicissitudine somni & vigiliarum.

Ostendi ita tibi in expositione ungularum fissarum & ruminationis, præstantiam oraculi legitimi, de distinctione, delectu, & memoria, ut videres

τὸ ἐμπεσὸν εἰς ψυχὴν κενομεθίστηται, πρὸς δὲ ἀλήθειαν καὶ σημείωσιν ὀρθοῦ λόγου. διατάξας γὰρ ἐπὶ βρωτῶν καὶ τῶν κατὰ τὰς ἁφὰς ἕκαστα, κελεύει μηθὲν εἰκῇ μήτε πράσσειν, μήτε ἀκούειν· μήτε τοῦ λόγου δυναστείᾳ συγχρωμένους, ἐπὶ τὴν ἀδικίαν τρέπεσθαι. καὶ ἐπὶ τῶν κνωδάλων δὲ ταὐτόν ἐστιν εὑρεῖν. κακοποιητικὸς γὰρ ὁ τρόπος ἐστὶ καὶ γαλῆς, καὶ μυῶν, καὶ τῶν τούτοις ὁμοίων, ὅσα διηγόρευται. πάντα γὰρ λυμαίνονται καὶ κακοποιοῦσι μύες, οὐ μόνον πρὸς τὴν ἑαυτῶν τροφὴν, ἀλλὰ καὶ παντελῶς ἄχρηστον γίνεται ἀνθρώπῳ, ὅταν δήποτοῦν ἐπιβάληται κακοποιεῖν. τό τε τῆς γαλῆς γένος ἰδιάζον ἐστί· χωρὶς γὰρ τοῦ προειρημένου, ἔχει λυμαντικὸν κατάστημα· διὰ γὰρ τῶν ὤτων συλλαμβάνει, τικτοποιεῖ δὲ τῷ στόματι. καὶ διὰ τοῦτο ὁ τοιοῦτος τρόπος τῶν ἀνθρώπων ἀκάθαρτός ἐστιν· ὅσοι γὰρ διὰ ἀκοῆς λαβόντες, ταῦτα τῷ λόγῳ σωματοποιήσαντες, κακοῖς ἑτέρους ἐνεκύλισαν, ἀκαθαρσίαν οὐ τὴν τυχοῦσαν ἐπετέλεσαν, μιανθέντες αὐτοὶ παντάπασι τῷ τῆς ἀσεβείας μολυσμῷ. καλῶς δὲ ποιῶν ὁ βασιλεὺς ὑμῶν, τοὺς τοιούτους ἀναιρεῖ, καθὼς μεταλαμβάνομεν. ἐγὼ δὲ εἶπον· τοὺς ἐμφανιστὰς οἴομαί σε λέγειν· καὶ γὰρ αἰκίαις καὶ θανάτοις ἐπαλγέσιν αὐτοὺς περιβάλλει συνεχῶς. ὁ δὲ, τούτους γὰρ καὶ λέγω· ἡ γὰρ ἐπαγρύπνησις, ἀνθρώπων ἀπώλεια ἀνόσιος. ὁ δὲ νόμος ἡμῶν κελεύει, μήτε λόγῳ, μήτε ἔργῳ μηδένα κακοποιεῖν. καὶ περὶ τούτων οὖν, ὅσον ἐπὶ βραχὺ διεξελθεῖν, προσυποδεδείξαντά σοι· ὅτι πάντα κεκανόνισται πρὸς δικαιοσύνην, καὶ οὐδὲν εἰκῇ κατατέτακται διὰ τῆς γραφῆς, οὐδὲ μυθωδῶς, ἀλλ' ἵνα διὰ ὅλου τοῦ ζῆν καὶ ἐν ταῖς πράξεσιν ἀσκῶμεν δικαιοσύνην πρὸς πάντας ἀνθρώπους, μεμνημένοι τοῦ δυναστεύοντος θεοῦ. περὶ βρωτῶν οὖν καὶ τῶν ἀκαθάρτων, καὶ κνωδάλων, καὶ πᾶς λόγος ἀνατείνει πρὸς δικαιοσύνην, καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων συναναστροφὴν δικαίαν. ἐμοὶ μὲν οὖν ἐνόμιζε περὶ ἑκάστων ἀπολογεῖσθαι· καὶ γὰρ περὶ τῶν προσφερομένων ἔλεγε μόσχων τε καὶ κριῶν, καὶ χιμάρων· ὅτι ἀεὶ ταῦτα ἐκ βουκολίων καὶ ποιμνίων λαμβάνοντας ἥμερα θυσιάζειν, καὶ μηθὲν ἄγριον· ὅπως οἱ προσφέροντες τὰς θυσίας, μηθὲν ὑπερήφανον ἑαυτοῖς συνιστορῶσι, σημειώσει κεχρημένοι τοῦ διατάξαντος. τῆς γὰρ ἑαυτοῦ ψυχῆς τοῦ παντὸς τρόπου τὴν προσφορὰν ποιεῖται ὁ τὴν θυσίαν προσάγων. καὶ περὶ τούτων οὖν νομίζω τὰ τῆς ὁμιλίας ἀξιολόγου καθεστάναι, διὸ τὴν σεμνότητα καὶ φυσικὴν διάνοιαν τοῦ νόμου προῆγμαι διασαφῆσαί σοι Φιλόκρατες, δι' ἣν ἔχεις φιλομάθειαν.

Ὁ δὲ Ἐλεάζαρος ποιησάμενος θυσίαν, καὶ τοὺς ἄνδρας ἐπιλέξας, καὶ πολλὰ δῶρα τῷ βασιλεῖ κατασκευάσας, προέπεμψεν ἡμᾶς μετ' ἀσφαλείας πολλῆς. ὡς δὲ παρεγενήθημεν εἰς Ἀλεξάνδρειαν,

deres non temere ista, prout in animum inciderint, à legislatore nostro constituta esse, sed ad veritatis & rectæ etiam rationis normam. Atque ut de esu & de cibis disposuit, ita etiam de singulis quæ ad tactum & auditum pertinent, diligenter præcepit: jubens ut neque ageremus neque audiremus quicquam temere: neque etiam orationis facultate confisi, ad injusta delaberemur. Horumque rationes & causas similiter in naturis bestiarum, quas prohibuit, est invenire. Nam mustelæ & murium, & id genus aliarum bestiarum quæ sunt prohibitæ, natura est damnosa, & ad nocendum prona. Mures enim omnia vastant & corrumpunt, non solum quantum ad ipsorum nutrimentum attinet: sed etiam, quia quæ invadunt, illa omnino corrumpunt, & reddunt homini inutilia. Et mustelæ natura est peculiaris, quia hoc animal præter jam commemoratam nocendi inclinationem & facultatem, hoc etiam proprium habet, ut auribus concipiat, ore vero pariat fœtum suum. Quo significatur, hanc naturam & consuetudinem hominum esse impuram, qua quæ auribus percipiant, verbis exaggerata efferant ad alios malis afficiendos, inquinantes in hoc se immundicia non levi, dum plane impietatis fœditate contaminantur. Ex quo præclare Rex vester facit, qui (ut accipimus) hoc genus hominum supplicio solet afficere. Hic ego: Tu videris mihi loqui de delatoribus. Nam hos ille tormentis & suppliciis capitalibus, iisque acerbis prosequitur. Tum ille: Hos ipsos & ego intelligo. Nam horum vigilantia, est scelerata aliorum hominum pernicies. Nostra vero lex jubet, ut neminem neque dicto neque facto quis lædat. Atque ita quantum brevitas permisit, de his disseruimus, ad ostendendum hoc tibi, omnia in legibus nostris esse statuta ad justitiam: neque quicquam temere aut severius & durius esse ordinatum & propositum, sed ut per totam vitam & in actionibus omnibus exerceremus justitiam erga omnes homines, memores Dei omnipotentis. Ita ergo, & quæ de cibis, & quæ de bestiis sunt tradita, omnia spectant eo, ut justitia excolatur, & hominum societas & consuetudo sit justa. Mihi itaque videbatur singulorum rationem pulchre exposuisse. Nam dicebat etiam de vitulis, arietibus, & hircis, qui offerentur, quos omnes ex gregibus & armentis deligerent mansuetos, & nihil prorsus quod ferum & indomitum esset mactarent: ut ne sacrificantes ex legislatoris ordinatione alicujus elationis & superbiæ ansam arripere, & sibi adscribere possent, eo quod sacrificans omnino faciat oblationem pro animi sui affectione. Atque hæc fuerunt tractata in collocutione, memoratu (ut ego puto) digna: quæ tibi, Philocrates, propter studium tuum singulare, de legis sanctitate & naturali instituto volui exponere.

Eleazarus peractis sacris, & adornatis regi muneribus, dimisit nos cum securitate itineris. Postquam autem pervenimus Alexandriam, nunciatumque

Ἀλεξάνδρειαν, προσηγγέλη τῷ βασιλεῖ περὶ τῆς ἀφίξεως ἡμῶν. παρῆμεν δὲ εἰς τὴν αὐλὴν Ἀνδρέας τε καὶ ἐγώ, φιλοφρόνως ἠσπασάμεθα τὸν βασιλέα, καὶ τὰς ἐπιστολὰς ἀποδεδώκαμεν τὰς παρὰ τοῦ Ἐλεαζάρου. περὶ πολλοῦ δὲ ποιούμενος τοῖς ἀπεσταλμένοις ἀνδράσιν ἐντυχεῖν, ἐκέλευσε τοὺς λοιποὺς πάντας ἀπολῦσαι, τοὺς ἐπὶ τῶν χρειῶν, καλεῖν δὲ τοὺς ἀνθρώπους. οὐ πᾶσι παραδόξου φανέντος, διὰ τὸ κατ᾽ ἔθος εἶναι, πεμπταίους εἰς πρόσωπον ἔρχεσθαι βασιλεῖ τοὺς περὶ χρησίμων ἀφικνουμένους· τοὺς δὲ παρὰ βασιλέων ἢ πόλεων ἐν ὑπεροχαῖς, μόλις ἐν τριάκοντα εἰς τὴν αὐλὴν παρελθεῖν· τοὺς δὲ ἥκοντας τιμῆς ἀξιῶν μείζονος, καὶ τὴν ὑπεροχὴν κρίνων τοῦ πέμψαντος, ἀπολύσας οὓς ἐνόμιζε περισσούς, ὑπέμενε περιπατῶν, ἕως ἂν παραγινομένους ἀσπάσηται. παρελθόντων δὲ σὺν τοῖς ἀπεσταλμένοις δώροις, καὶ ταῖς διαφόροις διφθέραις ἐν αἷς ἡ νομοθεσία γεγραμμένη χρυσογραφίᾳ τοῖς Ἰουδαϊκοῖς γράμμασι, θαυμασίως εἰργασμένου τοῦ ὑμένος, καὶ τῆς πρὸς ἄλληλα συμβολῆς ἀνεπαισθήτου κατεσκευασμένης· ὡς εἶδεν ὁ βασιλεὺς τοὺς ἄνδρας, ἐπηρώτα περὶ τῶν βιβλίων. ὡς δὲ ἀπεκάλυψαν τὰ τῶν ἐνειλημάτων, καὶ ὑμένας ἀνείλιξαν, πολὺν ἐπιστὰς χρόνον, καὶ προσκυνήσας σχεδὸν ἑπτάκις, εἶπεν· εὐχαριστῶ μὲν, ἄνδρες, ὑμῖν· τῷ δὲ ἀποστείλαντι, μᾶλλον· μέγιστον δὲ, τῷ θεῷ, οὗ τινες ἐστὶ τὰ λόγια ταῦτα. ὁμοθυμαδὸν δὲ πάντων εἰπόντων ὑπὸ μίαν φωνὴν, τῶν τε παραγενομένων καὶ τῶν συμπαρόντων, εὖ βασιλεῦ· προήχθη δακρῦσαι, τῇ χαρᾷ πεπληρωμένος. ἡ γὰρ τῆς ψυχῆς ἔντασις, καὶ τὸ τῆς τιμῆς ὑπερτεῖνον, δακρύειν ἀναγκάζει κατὰ τὰς ἐπιτυχίας. κελεύσας δὲ εἰς τάξιν ἀποδοῦναι τὰ τεύχη, τὸ τηνικαῦτα ἀσπασάμενος τοὺς ἄνδρας, εἶπεν· δίκαιον ἦν, θεοσεβεῖς ἄνδρες, ὧν χάριν ὑμᾶς μετεπεμψάμην, ἐκείνοις πρῶτον σέβασμον ἀποδοῦναι· μετὰ ταῦτα, τὴν δεξιὰν ὑμῖν προτεῖναι· διὸ πεποίηκα τοῦτο πρῶτον. μεγάλην δὲ τίθειμαι τὴν ἡμέραν ταύτην, ἐν ᾗ παραγεγόνατε· καὶ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἐπίσημος ἔσται πάντα τὸν τῆς ζωῆς ἡμῶν χρόνον. συνέτυχε δὲ καὶ κατὰ τὴν νίκην ἡμῖν προσπεπλωκέναι τῆς πρὸς Ἀντίγονον ναυμαχίας· διὸ δειπνῆσαι σήμερον μεθ᾽ ὑμῶν βουλήσομαι. * πάντα δυνάμιν εἶπεν παρεστέναι καθηκόντως, οἷς συγχρήσεσθε κἀμοὶ μεθ᾽ ὑμῶν. τῶν δὲ ἀσμενισάντων, ἐκέλευσε καταλύματα δοθῆναι τὰ κάλλιστα, πλησίον τῆς ἄκρας αὐτοῖς· καὶ τὰ κατὰ τὸ συμπόσιον ἑτοιμάζειν.

Ὁ δὲ ἀρχιητρὸς Νικάνωρ Δωρόθεον προσκαλεσάμενος, ὃς ἦν ἐπὶ τούτων ἀποτεταγμένος, ἐκέλευσε τὴν ἑτοιμασίαν εἰς ἕκαστον ἐπιτελεῖν. ἦν γὰρ οὕτω διατεταγμένον ὑπὸ τοῦ βασιλέως (ἃ μὲν ἔτι καὶ νῦν ὁρᾷς) ὅσαι γὰρ πόλεις εἰσὶν, αἷς συγχρῶνται πρὸς τὰ ποτὰ καὶ βρωτὰ καὶ στρωμνὰς, τοσοῦτοι καὶ προεστῶτες ἦσαν· καὶ κατὰ τοὺς ἐθισμοὺς οὕτως ἐσκευάζοντο, ὅταν παραγένοιντο πρὸς τοὺς βασιλεῖς,

ἵνα

tumque esset Regi nos advenisse, Andreas & ego statim vocabamur in aulam: & Rege comiter salutato, obtulimus ei literas Eleazari. Qui cum valde cuperet secum habere viros illos missos, mandavit reliquos omnes qui negotiorum causa adessent secedere, & illos vocari: quæ res ut insuitata, movit omnibus admirationem. Quia hoc in more erat, ut qui ob privatum aliquod negotium venissent, quinto demum die in conspectum regis pervenirent: qui vero à regibus & civitatibus præstantibus missi essent, illi ægre post triginta dies in aulam admitterentur. Hos autem viros majori judicans honore dignos, & respiciens etiam ad excellentiam ejus à quo missi essent, remotis qui viderentur debere abesse, deambulans exspectabat, donec advenientes salutasset. Quos quidem ingressos cum muneribus missis, & variis pellibus, in quibus lex aureis literis lingua Judæorum perscripta erat, quarumque membranæ mira arte elaboratæ erant, & ita compositæ ut oculis discerni non posset earum compositio, Rex ut vidit, de libris interrogavit. Qui postquam illos involutos aperuissent, & membranas explicuissent: ille diu subsistens, cum adoratione fere septies, ita est locutus: Gratias ago vobis, viri, sed majores ei qui vos misit, maximas vero Deo illi cujus hæc sunt oracula. Hæc unanimiter approbantibus, voceque una & illis qui advenerant, & qui cum Rege erant dicentibus, Bene Rex facis: ille repletus gaudio, lachrymas effundere cœpit: quia animi vehemens intentio ob aliquam rem magnam & gloriosam, quæ exoptata contigit, solet elicere lachrymas. Hinc jussit illos in ordinem redigere & reponere volumina legis. Hocque facto, salutans excepit illos, & dixit: Rectum erat, viri pietate insignes, me primum exhibere honorem illis ob quæ vos accersivi huc: deinde vobis præbere dexteram: ideo illud prius feci. Hic autem dies in singulos annos per totam vitam meam erit mihi solennis & magnus, quo vos ad me venistis. Et quia contigit ut ad me veniretis tempore illo, quo ego navali adversus Antigonum prælio victoria sum potitus: ideo volo hodie vobiscum cœnare. *Jussitque suo convenienti ordine & modo convenire & adesse omnes magnates & potentiores suos, interque eos nos quoque cupidos & paratos.* Quibus assentientibus diversoria in quibus seniores quiescerent & morarentur, mandavit ea dari quæ proxime arcem splendidissima essent, & simul quæ ad convivium attinerent parari.

Nicanor autem, medicorum princeps, accersitum Dorotheum, cui hoc muneris commissum erat, jussit effectum curare singulorum apparatum. Nam ita à Rege statutum erat, quod nunc etiam cernis, ut quot essent civitates, quæ suppeditarent ea quæ ad cibum, potum, & lectisternia attinerent: tot essent etiam præfecti eorum, qui exercitati & assuefacti, cum qui ad Regem venissent,

pro

ἵνα κατὰ μηδὲν δυσχεραίνοντες, ἱλαρῶς διεξάγωσιν· ὃ καὶ περὶ τούτους ἐγεγόνει. προσεχέστατος γὰρ ὢν ἄνθρωπος ὁ Δωρόθεος, εἶχε τὴν τῶν τοιούτων προστασίαν. συνέστρωσε δὲ πάντα τὰ διὰ αὐτοῦ χειριζόμενα, πρὸς τὰς τοιαύτας ὑποδοχὰς διαμεμερισμένα. διαμερῆ τε ἐποίησε τὰ τῶν κλισιῶν, καθὼς προσετέταξεν ὁ βασιλεύς. τοὺς γὰρ ἡμίσεις ἐκέλευσε ἀνάρχα κατακλῖναι, τοὺς δὲ λοιποὺς μετὰ τὴν ἑαυτοῦ κλισίαν, οὐδὲν ἐλλείπων εἰς τὸ τιμᾷν τοὺς ἄνδρας.

¶ Ὡς δὲ ἀνεκλίθησαν, ἐκέλευσε τῷ Δωροθέῳ, τοῖς ἐθισμοῖς, οἷς χρῶνται πάντες οἱ παραγενόμενοι πρὸς αὐτὸν ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας, οὕτως ἐπιτελεῖν. διὸ τοὺς ἱεροκήρυκας καὶ θύτας καὶ τοὺς ἄλλους, οἷς ἔθος ἦν τὰς κατευχὰς ποιεῖσθαι, παρῃτήσατο. τῶν δὲ παραγεγονότων σὺν ἡμῖν, Ἐλεάζαρον ὄντα τῶν ἱερέων πρεσβύτερον παρεκάλεσεν ποιεῖσθαι κατευχὴν, ὃς ἀξιολόγως στὰς εἶπεν· Πληρώσαι σε, βασιλεῦ, πάντων τῶν ἀγαθῶν, ὧν ἔκτισεν ὁ παντοκράτωρ θεός· καὶ δῴη σοι ταῦτ' ἔχειν, καὶ γυναικὶ, καὶ τέκνοις, καὶ τοῖς ὁμονοοῦσι, πάντα ἀνέκλειπτα τὸν τῆς ζωῆς χρόνον. Εἰπόντος δὲ ταῦτα τούτου, κατερράγη κρότος μετὰ κραυγῆς καὶ χαρᾶς εὐφροσύνου πλείονα χρόνον· καὶ τὸ τηνικαῦτα πρὸς τὸ τέρπεσθαι διὰ τῶν ἡτοιμασμένων ἐτράπησαν, τῶν λειτουργιῶν ἁπασῶν διὰ τῆς τοῦ Δωροθέου συντάξεως ἐπιτελουμένων· ἐν οἷς καὶ βασιλικοὶ παῖδες ἦσαν, καὶ τῶν τιμωμένων ὑπὸ τοῦ βασιλέως.

Ὅτε δὲ καιρὸν ἔλαβεν ἐκ διαστήματος, ἠρώτησε τὸν ἔχοντα τὴν πρώτην ἀνάκλισιν· (ἦσαν γὰρ καθ' ἡλικίαν τὴν ἀνάκλισιν πεποιημένοι) α΄. ΠΩΣ ἂν τὴν βασιλείαν μέχρι τέλους ἄπταιστον ἔχων διατελοῖ; Βραχὺ δὲ ἐπισχὼν, εἶπεν· οὕτως ἂν μάλιστα διευθύνοις, μιμούμενος τὸ τοῦ θεοῦ διαπαντὸς ἐπιεικές. μακροθυμίᾳ γὰρ χρώμενος, καὶ βλιμάζων τοὺς ἀξίους ἐπιεικέστερον, καθὼς εἰσὶν ἄξιοι, μετατιθεὶς ἐκ τῆς κακίας, καὶ εἰς μετάνοιαν ἄξεις.

Ἐπαινέσας ὁ βασιλεὺς, τὸν ἐχόμενον ἠρώτα· β΄. ΠΩΣ ἂν ἕκαστον πράττοι; ὁ δὲ ἀπεκρίθη, τὸ δίκαιον εἰ πρὸς ἅπαντας διατηροῖ ἑαυτὸν, καλῶς τὰ ἕκαστα πράξοι· διαλαμβάνων, ὅτι πᾶν ἐννόημα σαφές ἐστι θεῷ· καταρχὴν δὲ θείου φόβου λαμβάνων, ἐν οὐδενὶ διαπίπτοις.

Καὶ τοῦτον δὲ εὖ μάλα παραδεξάμενος, ἕτερον ἐπηρώτα· γ΄. ΠΩΣ ἂν ὁμόνους ἑαυτῷ ἔχοι τοὺς φίλους; κἀκεῖνος εἶπεν· εἰ θεωροίησαν πολλὴν σε πρόνοιαν ποιούμενον, ὧν ἄρχεις, ὄχλων· σὺ δὲ τοῦτο πράξεις, ἐπιβλέπων ὡς ὁ θεὸς εὐεργετεῖ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ὑγίειαν αὐτοῖς καὶ τροφὴν καὶ τὰ λοιπὰ κατὰ καιρὸν παρασκευάζων ἅπαντα.

Συνεπιμαρτυρήσας δὲ τούτῳ, τὸν ἐχόμενον ἠρώτα· δ΄. ΠΩΣ ἂν ἐν τοῖς χρηματισμοῖς καὶ διακρίσεσιν,

pro more omnia adornarent sine omni molestia & mora: id quod etiam circa hos hospites est factum. Nam Dorotheus, homo diligentissimus, illis præerat: qui curavit omnia sibi commissa, & ad hujuscemodi exceptiones destinata, expandi & substerni, & juxta Regis voluntatem sessionem etiam in duas partes divisit. Nam Rex voluit mediam partem illorum virorum ante se discumbere, reliquos post suum solium: nihilque intermittendum putavit, quod faceret ad honorandos illos viros.

¶ Postquam autem discubuissent, jussit Dorotheum omnia peragere pro more illorum qui ex Judæa advenire solebant. Is ergo sacros præcones, sacrificatores, & alios qui solerent peragere precationes, accersivit. Sed illi Eleazarum seniorem sacerdotem ex illis qui advenerant rogarunt, ut facerent vota. Qui cum convenienti reverentia stans dixit: Rex, impleat te Deus omnipotens omnibus illis bonis quæ creavit: detque & efficiat ut ea tu, uxor, liberi, & amici habeatis per omne vitæ tempus affluentia & firma. Ad hæc ab illo dicta excitatus est magnus applausus, cum clamore & exultatione, qui satis diu duravit. Hinc conversi sunt ad oblectandum se illis quæ apparata erant. Tum ministri omnes, ex Dorothei præscripto & ordinatione ministrantes, expediebant sua munia: inter quos etiam regii pueri erant, quique apud regem in magno essent honore.

Ibi Rex post aliquantulum spacii, per occasionem captatam, sedentibus illis ordine secundum ætatem, eum qui primum locum in sessione habebat interrogavit: 1. QUOMODO regnum ad finem usque retineat extra lapsum & offensionem? Ad quod ille paululum cunctatus, respondit: Si in tota tua gubernatione imitatus fueris æquitatem & mansuetudinem Dei. Nam dum ita indignos quidem prosequeris mansuetudine & longanimitate, dignos vero (quemadmodum par est) tractabis honorificentius & mitius, illos etiam de sua improbitate detrudes, & perduces ad pœnitentiam ejus.

Hoc collaudato, proximum interrogabat: 2. QUOMODO quodque instituat & agat? Ille respondit: Ita ipsum singula recte acturum, si quod justum est erga omnes conservet, ex eo quod statuat omnem cogitationem suam Deo notam esse: & in primis, si cum timore Dei actiones suas inchoet, in nulla earum interruptum & parum commodum processum habiturum.

Hoc etiam admodum benigne audito, sequentem interrogabat: 3. QUOMODO posset nancisci & retinere sibi animis consentientes amicos? Cui ille: Si illi viderint te magnam curam habere illorum cœtuum, quibus præes: tu vero ita hoc facies, si considerabis, quomodo Deus juvet genus humanum, qui valetudinem ipsis, alimenta, victum, & alia omnia præparat temporibus suis.

Suffragatus & huic, sequentem interrogabat: 4. QUOMODO in jure dicendo, & judiciorum sen-

διακείμενον εὐφημίας τυγχάνοι καὶ ὑπὸ τῶν ἀποτυγχανόντων; ὁ δὲ εἶπεν· εἰ πᾶσιν ἴσος γίνοιο τῷ λόγῳ, καὶ μηδὲν ὑπερηφάνως, μηδὲ τῇ περὶ σεαυτὸν ἰσχύϊ, πράσσοις κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων. τοῦτο δὲ ποιήσεις, τὴν διάταξιν βλέπων τὴν ὑπὸ τοῦ θεοῦ· τὰ γὰρ ἱκετευόμενα συντελεῖσθαι τοῖς ἀξίοις· τοῖς δὲ ἀποτυγχάνουσιν, ἢ δι' ὀνείρων, ἢ πράξεων, σημαίνεσθαι τὸ βλαβερὸν αὐτοῖς· οὐ κατὰ ἁμαρτίας, οὐδὲ κατὰ τὴν μεγαλωσύνην τῆς ἰσχύος, τύπτοντος αὐτούς, ἀλλὰ ἐπιεικείᾳ χρωμένου τοῦ θεοῦ.

Ο δὲ καὶ τοῦτον καταπαινέσας, ἠρώτα τὸν καθεξῆς· ε'. ΠΩΣ ἂν ἐν ταῖς πολεμικαῖς χρείαις ἀήττητος εἴη; ὁ δὲ εἶπεν· εἰ μὴ πεποιθὼς ὑπάρχοι τοῖς ὄχλοις, μηδὲ ταῖς δυνάμεσιν· ἀλλὰ τὸν θεὸν ἐπικαλοῖτο διὰ παντὸς, ἵνα τὰς ἐπιβολὰς αὐτῷ κατευθύνῃ, δικαίως διεξάγοντι πάντα.

Αποδεξάμενος δὲ καὶ τοῦτον, τὸν ἕτερον ἠρώτα· ς'. ΠΩΣ ἂν φοβερὸς εἴη τοῖς ἐχθροῖς; ὁ δὲ εἶπεν· εἰ τῇ τῶν ὅπλων καὶ δυνάμεων κατασκευῇ πολλῇ χρώμενος εἴη· εἰ δὴ εἴη ταῦτα ὄντα κενὰ ἐπὶ πλείονα χρόνον, πρὸς τὸ συμπέρασμα δρᾶν τι. καὶ γὰρ ὁ θεὸς διδοὺς ἀνοχὰς, καὶ ἐνδεικνύμενος, τὰ τῆς δυναστείας φόβον ἐγκατασκευάζει πάσῃ διανοίᾳ.

Καὶ τοῦτον δὲ ἐπαινέσας, εἶπεν πρὸς τὸν ἐχόμενον· ζ'. ΤΙ κάλλιστον αὐτῷ πρὸς τὸ ζῆν ἂν εἴη; κἀκεῖνος ἔφη· τὸ γινώσκειν, ὅτι ὁ θεὸς δυναστεύει τῶν ἁπάντων· καὶ ἐπὶ τῶν καλλίστων πράξεων οὐκ αὐτοὶ κατευθύνομεν τὰ βουλευθέντα· θεὸς δὲ τελειοῖ τὰ πάντων, καὶ καθηγεῖται δυναστεύων.

Επιφωνήσας δὲ καὶ τούτῳ καλῶς λέγειν, τὸν ἕτερον ἠρώτα· η'. ΠΩΣ ἂν ἀκέραια συντηρήσας ἅπαντα, τοῖς ἐγγόνοις τὴν αὐτὴν παραδιδοῖ διάθεσιν ἐπὶ τέλει; ὁ δὲ εἶπεν· εὐχόμενος ἀεὶ πρὸς τὸν θεὸν, ἀγαθὰς ἐπινοίας λαμβάνειν πρὸς τὰ μέλλοντα πράσσεσθαι· καὶ τοῖς ἐγγόνοις παρακελευόμενος, μὴ ἐκπλήττεσθαι τῇ δόξῃ, μηδὲ τῷ πλούτῳ. θεὸν γὰρ εἶναι τὸν χαριζόμενον ταῦτα· καὶ οὐ δι' ἑαυτῶν ἔχειν τὴν ὑπεροχὴν πάντων.

Επιμαρτυρήσας δὲ τούτοις, τοῦ μετὰ ταῦτα ἐπυνθάνετο· θ'. ΠΩΣ ἂν τὰ συμβαίνοντα μετρίως φέροι; ἐκεῖνος δὲ ἔφησεν· εἰ πρόληψιν λαμβάνοις, ὅτι γεγόνασιν ὑπὸ θεοῦ πάντες ἄνθρωποι, μεταςχεῖν τῶν μεγίστων κακῶν, ὡσαύτως δὲ καὶ ἀγαθῶν· καὶ οὐκ ἔστιν ἄνθρωπον ὄντα τούτων ἀμιγῆ γενέσθαι. ὁ θεὸς δὲ τὴν εὐψυχίαν δίδωσιν, ὃν ἱκετεύειν ἀναγκαῖον.

Φιλοφρονηθεὶς δὲ καὶ τοῦτον, καλῶς εἶπεν ἅπαντας ἀποφαίνεσθαι. ἐπερωτήσας δὲ ἔτι ἕνα, καταλήξω τὸ νῦν ἔχον· ἵνα καὶ πρὸς τὸ τέρπεσθαι τραπέντες, ἡδέως διεξάγωμεν. ἐν δὲ ταῖς μετὰ ταῦτα ἐξ ἑξῆς ἡμέραις, καὶ παρὰ τῶν λοιπῶν ἑξῆς μαθήσομαί τι πλέον. εἶτ' ἐπηρώτα τὸν ἄνδρα· ι'. ΤΙ πέρας ἀν-

δρείας

tentiis ferendis, possit laudem & approbationem assequi apud illos etiam qui non sint sui compotes facti voti? Ille dixit: Si omnibus te præbueris sermone æquabilem, & nihil neque superbe neque pro tua potentia egeris contra delinquentes. Hoc autem ita facies, si Dei observabis administrationem & constitutionem, qui dignis perficit vota ipsorum: quos autem non vult participes fieri suorum votorum, illis aut per insomnia, aut factis & actionibus ipsis ostendit, ipsorum vota esse noxia: neque eos vel pro ipsorum delictis, vel pro suæ potentiæ magnitudine affligit, sed æquitate erga illos utitur.

Et hunc suis laudibus prosecutus, interrogabat eum qui sequebatur: 5. QUOMODO in rebus bellicis posset esse invictus? Ille dixit: Si neque in multitudine, neque in potentia & viribus fiduciam tuam collocaveris: sed Deum semper invocaveris, ut tibi juste omnia agenti, conatus & consilia dirigat tua.

Cum hunc etiam approbasset, interrogabat alium: 6. QUOMODO existat hostibus formidolosus? Ille dixit: Si & armorum & potentiæ multo apparatu instructus fueris, & hæc longiore tempore detinueris extra omnem rei aggressionem, tanquam inania prorsus essent & inutilia ad finem consequendum. Etenim & Deus utitur dilatione, & ita per declarationem potentiæ suæ omnium animis incutit terrorem.

Hoc etiam collaudato, ad sequentem dixit: 7. QUID sibi ad vitam degendam possit esse optimum? Ille ait: Hoc cognitum habere & statuere, Deum universorum dominari: nosque etiam in illis quæ nobis maxime sunt gloriosæ actiones, non dirigere consilia nostra, sed Deum omnia perficere & gubernare pro sua potentia.

Comprobata & hujus sententia, interrogabat alium: 8. QUOMODO & ipse posset omnia conservare & tueri integra & salva, & tandem eundem rerum suarum statum posteris etiam tradere ad perpetuitatem quandam? Ille dixit: Orando assidue Deum, ut bona de rebus agendis capias consilia: & monendo liberos, ne efferantur dignitate & opibus, neve putent se ista habere ex se, sed sciant Deum ea largiri.

Suffragatus & huic sententiæ, ex sequente percontabatur: 9. QUOMODO quosvis eventus moderate ferat? Ille inquit: Si tibi persuaseris, homines ita creatos à Deo, ut & malorum & bonorum maximorum in vita fiant participes: nec inveniri hominem, qui sit hujus vicissitudinis expers: Deum vero contribuere animum æquum, pro quo ille sit orandus.

Hoc etiam benigne & cum approbatione audito, dixit, Omnes præclare respondere: sed interrogato adhuc uno tantum, velle in præsens desistere, quo animos ad lætitiam & oblectationem penitus convertamus: sequentibus vero sex diebus, velle etiam ex reliquis aliquid addiscere. Deinde quæsivit ex proximo: 10. QUIS finis

esset

δρείας ἐςίν; ὁ δὲ εἶπεν· εἰ τὸ βουλευθὲν ὀρθῶς ἐν ταῖς τῶν κινδύνων πράξεσιν, ἐπιτελοῖτο κατὰ πρόθεσιν. τελειοῦται δ᾽ ὑπὸ τοῦ θεοῦ πάντα σοι, καλῶς βουλευομένῳ, βασιλεῦ, συμφερόντως. ἐπιφωνησάντων δὲ πάντων, καὶ κρότῳ σημηναμένων, πρὸς τοὺς φιλοσόφους εἶπεν ὁ βασιλεὺς (οὐκ ὀλίγοι γὰρ παρῆσαν τούτοις) οἴομαι διαφέρειν τοὺς ἄνδρας ἀρετῇ, καὶ συνιέναι πλεῖον· οἵτινες ἐκ τοῦ καιροῦ τοιαύτας ἐρωτήσεις λαμβάνοντες, ὡς δέον ἐστὶν ἀποκέκρινται, πάντες ἀπὸ θεοῦ τοῦ λόγου τὴν καταρχὴν πεποιημένοι.

Μενέδημος δὲ ὁ Ἐρετριεὺς φιλόσοφος εἶπε· ναὶ, βασιλεῦ. προνοίᾳ γὰρ τῶν ὅλων διοικουμένων, καὶ ὑπειληφότων ὀρθῶς τοῦτο, ὅτι θεοκτιστόν ἐστιν ἄνθρωπος, ἀκολουθεῖ, πᾶσαν δυναστείαν καὶ λόγου καλλονὴν ἀπὸ θεοῦ κατάρχεσθαι. τοῦ δὲ βασιλέως ἐπινεύσαντος περὶ τούτων, ἔληξεν· ἐτράπησαν δὲ πρὸς εὐφροσύνην. ἐπιλαβούσης δὲ τῆς ἑσπέρας, τὸ συμπόσιον ἐλύθη.

¶ Τῇ δὲ μετὰ ταῦτα, πάλιν κατὰ τὴν αὐτὴν διάταξιν τὰ τῆς ἀναπλώσεως καὶ συμποσίας ἐπετελεῖτο. καθὼς δὲ ἐνόμιζεν ὁ βασιλεὺς εὔκαιρον εἶναι πρὸς τὸ πυνθάνεσθαί τι τῶν ἀνδρῶν, ἐπηρώτα τοὺς ἑξῆς τῶν ἀποκεκριμένων τῇ προτέρᾳ ἡμέρᾳ. πρὸς τὸν ἑνδέκατον δὲ ἤρξατο τὴν κοινολογίαν ποιεῖσθαι (δέκα γὰρ ἦσαν ἠρωτημένοι τῇ προτέρᾳ) σιγῆς δὲ γενομένης, ἐπυνθάνετο· ια'. ΠΩΣ ἂν πλούσιος διαμένοι; βραχὺ δὲ ἐπισχὼν ὁ τὴν ἐρώτησιν ἐκδεχόμενος, εἶπεν· εἰ μηδὲν ἀνάξιον τῆς ἀρχῆς, μηδὲ ἀσελγὲς πράσσοι· μηδὲ δαπάνῃ εἰς τὰ κενὰ, καὶ μάταια συντελοῖ· τοὺς ὑποτεταγμένους εὐεργεσίᾳ πρὸς εὔνοιαν ἄγοι τὴν ἑαυτοῦ· καὶ γὰρ ὁ Θεὸς πᾶσιν αἴτιος ἀγαθῶν ἐστιν· ᾧ κατακολουθεῖν ἀναγκαῖον.

Ἐπαινέσας δὲ ὁ βασιλεὺς τοῦτον, ἕτερον ἐπηρώτα· ιβ'. ΠΩΣ ἂν τὴν ἀλήθειαν διατηροῖ; ὁ δὲ τοῦτο ἀπεκρίθη· γινώσκων, ὅτι μεγάλην αἰσχύνην ἐπιφέρει τὸ ψεῦδος πᾶσιν ἀνθρώποις, πολὺ μᾶλλον τοῖς βασιλεῦσιν· ἐξουσίαν γὰρ ἔχοντες, ὃ βούλονται πράσσειν, τίνος ἕνεκεν ἂν ψεύσαιντο; προσλαμβάνειν δὲ δεῖ τοῦτό σε, βασιλεῦ· διότι φιλαλήθης ὁ θεός ἐστιν.

Ἀποδεξάμενος δὲ εὖ μάλα καὶ τοῦτον, ἐπιβλέψας εἰς ἕτερον, εἶπεν· ιγ'. ΤΙ ἐστι σοφίας διδαχή; ὁ δὲ ἕτερος ἀπεφήνατο· καθὼς οὐ βούλῃ σεαυτῷ τὰ κακὰ παρεῖναι, μέτοχος δὲ τῶν ἀγαθῶν ὑπάρχειν ἁπάντων, εἰ πράσσοις τοῦτο πρὸς τοὺς ὑποτεταγμένους, καὶ τοὺς ἀγαθοὺς τῶν ἀνθρώπων ἐπιεικέστερον νουθετοῖς· καὶ γὰρ ὁ θεὸς τοὺς ἀνθρώπους ἁπάντας ἐπιεικείᾳ ἄγει.

Ἐπαινέσας αὐτὸν, τῷ μετ᾽ αὐτὸν εἶπε· ιδ'. ΠΩΣ ἂν φιλάνθρωπος εἴη; κἀκεῖνος ἔφη· θεωρῶν, ὡς ἐν πολλῷ χρόνῳ, καὶ κακοπαθείαις μεγίσταις, αὔξει τε καὶ γεννᾶται τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος· ὅθεν οὔτε εὐκόπως δεῖ κολάζειν, οὔτε αἰκίαις περιβάλλειν· γινώσκων, ὅτι τὸ τῶν ἀνθρώπων ζῆν, ἐν ὀδύ-

ναις

esset fortitudinis? Ille respondit: si quod in rebus arduis & periculosis fuerit recte deliberatum & constitutum, id etiam ita pro animi sententia expediatur. Sed tibi, ô Rex, à Deo præclare omnia perficiuntur, qui recta & salutaria habes proposita. Acclamantibus omnibus ad hæc, & applausu suam approbationem declarantibus, Rex ad philosophos qui non pauci aderant, dixit: Ego arbitror istos homines excellere virtute, & præ aliis esse intelligentes, qui ex tempore ad hujusmodi quæstiones ita apte respondent, omnes à Deo sermonis sui initium capientes.

Tum Menedemus philosophus Eretriensis: Recte sane, inquit, Rex. Nam cum à Deo omnia gubernentur, & recte hoc statuamus, hominem esse Dei creaturam: consentaneum est, ut ii omnes sui sermonis vim & elegantiam à Deo præcipue petant. Quibus cum Rex annuisset, verba facere desiit: ac deinde conversi sunt ad hilaritatem convivii, quod ad vesperam demum est finitum.

¶ Postridie rursum eodem modo & ordine & convivium erat apparatum, & singuli discumbebant: ibi Rex, cum visum esset commodum interrogare aliquid ex illis viris, qui sequebantur eos qui pridie responderant ad interrogata, cœpit cum undecimo colloqui, quia decem die priori erant interrogati. Ac silentio facto, quærebat: 11. QUA ratione dives permanere posset? Tum, qui interrogatus erat, paululum moratus, dixit: Si nihil præter regni dignitatem & per luxum egeris, sique sumptus nullos in inania & inutilia impenderis: tuos vero subditos studueris beneficiis tuis in tui morem allicere. Nam Deus est summe beneficus & omnium bonorum causa: quem imitari oportet.

Collaudato hoc, Rex alterum interrogabat: 12. QUOMODO veritatem diligere & colere posset? Ille respondit: Si primum statueris, magnum dedecus esse omnibus hominibus, mentiri: multo vero magis, regibus: qui cum habeant potestatem agendi quæ velint, cur mentiantur? Deinde si hoc etiam consideraveris: Deum esse veritatis amatorem.

Hoc etiam valde approbato, conversis oculis in sequentem, dixit ad eum: 13. QUÆ esset doctrina, & qui fructus sapientiæ? Ille respondit: Quemadmodum tu mala quidem recusas habere, bonis vero omnibus abundare cupis, sapienter egeris, si similiter affectum te erga subditos & delinquentes exhiboeris, honestos vero & probos viros humanius & animo æquiori monueris. Nam Deus etiam in sua administratione omnes homines æquitate prosequitur.

Collaudato hoc, ad sequentem dixit: 14. QUA ratione possis esse humanus? Ille respondit: Si consideraveris, quam longo tempore, & in quantis miseriis genus humanum nascatur & crescat: quodque ideo nec facile punire oportet, neque accusare alios, ex hac cognitione, quia vita humana

per

ναις τε καὶ τιμωρίαις καθέστηκεν· ἐπινοῶν ἐν ἑκάστῳ, πρὸς τὸν ἔλεον τραπήσῃ. καὶ γὰρ ὁ θεὸς ἐλεήμων ἐστίν.

Ἀποδεξάμενος δὲ τοῦτον, ἐπυνθάνετο τοῦ καθεξῆς· ιε΄. ΤΙΣ ἀναγκαιότατος τρόπος βασιλείας; τὸ συντηρεῖν, εἶπεν, αὑτὸν ἀδωροδόκητον· καὶ νήφειν τὸ πλεῖον μέρος τοῦ βίου· καὶ δικαιοσύνην προτιμᾶν, καὶ τοὺς τοιούτους φιλοποιεῖσθαι. καὶ γὰρ ὁ θεὸς φιλοδίκαιός ἐστιν.

Ἐπισημάνας καὶ τοῦτον, πρὸς τὸν ἕτερον εἶπεν· ιϛ΄. ΤΙ τὸ εὐσεβείας ἐστὶ κατάστημα; ἐκεῖνος δὲ ἔφη· τὸ διαλαμβάνειν, ὅτι πάντα διὰ παντὸς ὁ θεὸς ἐνεργεῖ καὶ γινώσκει καὶ οὐθὲν ἂν λάθοι ἄδικον ποιήσας ἢ κακὸν ἐργαζόμενος ἄνθρωπος· ὡς γὰρ θεὸς εὐεργετεῖ τὸν ὅλον κόσμον· οὕτως καὶ σὺ μιμούμενος, ἀπρόσκοπος ἂν εἴης.

Ἐπιφωνήσας δὲ τούτῳ, πρὸς τὸν ἕτερον εἶπεν· ιζ΄. ΤΙΣ ὅρος τοῦ βασιλεύειν ἐστίν; ὁ δὲ ἔφη· τὸ καλῶς ἄρχειν ἑαυτοῦ· καὶ μὴ τῷ πλούτῳ καὶ τῇ δόξῃ φαινόμενον ὑπερήφανον καὶ ἄσχημόν τι ἐπιθυμήσαιο, εἰ καλῶς λογίζοιο. πάντα γάρ σοι πάρεστιν, ὡς οὐδέν. ὁ θεὸς δὲ ἀπροσδεής ἐστι, καὶ ἐπιεικής. καὶ σύ, καθ᾽ ὅσον ἄνθρωπος, ἐννόει, καὶ μὴ πολλῶν ὀρέγῃ, τῶν δὲ ἱκανῶν πρὸς τὸ βασιλεύειν.

Καταπαινέσας δὲ αὐτόν, ἐπηρώτα τὸν ἕτερον· ιη΄. ΠΩΣ ἂν τὰ κάλλιστα διαλογίζοιτο; ἀπεκρίθη δὲ ἐκεῖνος· εἰ τὸ δίκαιον ἐπὶ παντὸς προβάλλοι συνεχῶς· καὶ νομίζοι, τὴν ἀδικίαν, τοῦ ζῆν στέρησιν εἶναι. καὶ γὰρ ὁ θεὸς διὰ παντὸς τοῖς δικαίοις ἀγαθὰ προσημαίνει μέγιστα.

Τοῦτον δὲ ἐπαινέσας, εἶπεν πρὸς τὸν ἑξῆς· ιθ΄. ΠΩΣ ἂν ἐν τοῖς ὕπνοις ἀτάραχος εἴη; ὁ δὲ ἔφη· δυσαπολόγητον ἠρώτηκας πρᾶγμα. συναναφέρειν γὰρ οὐ δυνάμεθα ἐν τούτοις, τοῖς κατὰ τὸν ὕπνον, ἑαυτούς· ἀλλὰ περιεχόμεθα ἀλογίστῳ κατὰ τῇδε αἰσθήσει. πάσχομεν γὰρ κατὰ ψυχὴν ἐν τοῖς ὑποπίπτουσιν, ὡς θεωρουμένοις· ἀλογιστοῦμεν δέ, καθ᾽ ὅσον ὑπολαμβανόμενοι, καὶ ἐπὶ πέλαγος, καὶ ἐν πλοίοις, ἢ πωλεῖν, ἢ πέτασθαι φερόμενοι, καὶ διαίρειν εἰς ἑτέρους τόπους, καὶ τοιαῦτα ἕτερα. καὶ ὁ ταῦτα ὑπολαμβάνων, μὴ καθεστάναι. πλὴν ὅσον ἔμοιγ᾽ ἐφικτόν, οὕτω διείληφα· κατὰ πάντα τρόπον σε, βασιλεῦ, καὶ τὰ λεγόμενα, καὶ τὰ πραττόμενα, πρὸς εὐσέβειαν ἐπανάγειν· ὅπως ἑαυτῷ συνιστορῇς, ὅτι τὸ κατ᾽ ἀρετὴν συντηρῶν, οὔτε χαρίζεσθαι προαιρῇ παρὰ λόγον· οὐδὲ ἐξουσίᾳ χρώμενος, τὸ δίκαιον αἴρεις. ἐπὶ πλεῖον γάρ, ἐν οἷς ἕκαστος πράγμασιν ἐγρηγορὼς τὴν διαγωγὴν ποιεῖται, καὶ καθ᾽ ὕπνον ἐν τοῖς αὐτοῖς ἡ διάνοια τὴν ἀναστροφὴν ἔχει· ὃς δὲ πάντα διαλογισμὸν καὶ πρᾶξιν ἐπὶ τὰ κάλλιστα τετραμμένην κατευθύνει καὶ ἐγρηγορώς, καὶ ἐν ὕπνῳ. διὸ καὶ περὶ σὲ διὰ παντός ἐστιν εὐστάθεια.

Κατευφημήσας

per se obnoxia sit doloribus & infortuniis. Ex horum enim diligenti consideratione pronus eris ad misericordiam: & eo magis, si Deum etiam cogitabis esse misericordem.

Approbato & hoc, proximum interrogavit: 15. QUI mores in regia administratione essent in primis necessarii? Ille dixit: Ut quis se servet immunem ab omnium munerum corruptione: ut sit sobrius majori vitæ tempore: ut justitiam omnibus rebus præferat, & ejus amatores amplectatur singulari benevolentia: quia & Deus amat justos.

Hoc etiam suis laudibus ornato, ad alterum dixit: 16. IN quo consisteret pietas? Ille: In eo, inquit, ut persuasum habeas, Deum omnia in omnibus agere & scire, neque ipsum latere quicquam quod homo vel bene vel male agat. Proinde si, quemadmodum Deus totum mundum sua benignitate fovet, & tu similiter feceris, nunquam impinges & delinques.

Hoc etiam cum acclamatione approbato, dixit ad sequentem: 17. QUIS esset finis, & quod officium regnandi? Ille dixit: Recte seipsum regere: & quidem ita nihil ex confidentia opum & gloriæ concupisces, quod sit elatum & indecens, si sortem tuam diligenter perpenderis. Nam omnia tua ita tibi adsunt tanquam nihil: & Deus vacat omni cupiditate plurium, & est æquus. Quod etiam tu, ut homo, consideres: neque multas jurisdictiones ad tuum regnum pertrahere cupias.

Laudato eo, proximum interrogabat: 18. QUOMODO posset habere optimas cogitationes, deliberationesque? Respondit ille: Si semper proposueris tibi justa, & statues injustitiam esse vitæ privationem & perniciem: justis vero Deum semper maxima largiri bona.

Hoc approbato, ad sequentem dixit: 19. QUOMODO in somno quietus esse possit? Ille dixit: Quæris rem explicatu difficilem. Nam in illis quæ in somno dormientibus eveniunt, non regimus nos ipsi, sed ducimur sensu irrationali circum illa. Quæ enim utcunque inciderunt, illis afficimur tanquam iis quæ cernamus: idque fit sine ratione, quatenus putamus nos vel in mare ferri, vel navibus vehi, aut vendere aliquid, aut volare sublatos, aut peregrinari, idque genus alia facere, quæ postea experimur non extitisse. Licet autem hæc sit difficultas in hoc negotio, tamen quantum ego possum assequi intelligentia mea, ita puto tibi faciendum esse Rex, ut omnia quæ & agenda & dicenda sunt tibi, illa referas ad pietatem. Nam ut ipse expertum habes, dum meditaris & agis ea quæ sunt virtutis, interim neque gratificaris alicui præter rationem, neque potentia confisus jus tollis. Fere autem, quibus in negotiis quis vigilans multum versatur, in illis etiam in somno animus ejus occupatur. Hinc ergo, qui vigilans omnem cogitationem & actionem suam ad honestissima & optima habet destinatam, ille etiam in somno inde rectas habet commotiones: sicut & tu Rex perpetua es animi æqualitate præditus.

Hoc

Καταυφημήσας δὲ καὶ τοῦτον, εἶπεν πρὸς τὸν ἕτερον· ἐπεὶ σὺ δέκατος τὴν ἀπόκρισιν ἔχεις, ὃς ἂν ἀποφήνῃ, ἐπὶ τὸ δεῖπνον τραπησόμεθα. ἠρώτα δέ· κ΄. ΠΩΣ ἂν μηδὲν ἀνάξιον ἑαυτῶν πράσσοιμεν; Ὁ δὲ εἶπεν· ἐπίβλεπε διὰ παντὸς εἰς τὴν σεαυτοῦ δόξαν καὶ ὑπεροχὴν, ἵνα τούτοις ἀκόλουθα καὶ λέγοις καὶ διανοῇ· γινώσκων, ὅτι πάντες ὧν ἄρχεις, περί σου καὶ διανοοῦνται, καὶ λαλοῦσιν· οὐ γὰρ ἐλάχιστόν σε δεῖ τῶν ὑποκριτῶν φαίνεσθαι· τὸ γὰρ πρόσωπον οὐδὲ αὐτό ἐστιν ὑποκρίνεσθαι. τοῦτο συνθεωροῦντες, ἀκόλουθα πάντα πράσσουσιν· σὺ δὲ οὐχ ὑποκριτὴν ἔχεις, ἀλλὰ ἀληθῶς βασιλεύεις, θεοῦ δόντος σοι κατεξίως τῶν τρόπων τὴν ἡγεμονίαν.

Τοῦ δὲ βασιλέως εὖ μάλα συγκροτήσαντος, μετὰ φιλοφροσύνης ἐπὶ πλείονα χρόνον τοὺς ἀνθρώπους καθυπνοῦν παρεκάλουν. καὶ τὰ μὲν πρὸς τούτους ὡς ἔληξεν, ἐπὶ τὴν ἑξῆς ἐτράπησαν τοῦ συμποσίου διάταξιν.

¶ Τῇ δὲ ἐχομένῃ, τῆς αὐτῆς διατάξεως γενηθείσης, ὅτε καὶ καιρὸν ὑπέλαβεν ὁ βασιλεὺς τοῦ πυνθάνεσθαί τι τῶν ἀνδρῶν· ἠρώτα τὸν πρῶτον τῶν ἀπολιπόντων πρὸς τὴν ἑξῆς ἐρώτησιν, ΤΙΣ ἐστιν ἀρχὴ κρατίστη; ἐκεῖνος δὲ ἔφη· τὸ κρατεῖν ἑαυτοῦ, καὶ μὴ συγκαταφέρεσθαι ταῖς ὁρμαῖς. πᾶσι γὰρ ἀνθρώποις φυσικὸν εἶναι, τὸ πρός τι τὴν διάνοιαν ῥέπειν. τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς ἐπὶ τὰ βρωτὰ, καὶ ποτὰ, καὶ τὰς ἡδονὰς, εἰκός ἐστι κεκλίσθαι· τοῖς δὲ βασιλεῦσιν, ἐπὶ χώρας κατάκτησιν, κατὰ τὸ τῆς δόξης μέγεθος. πλὴν ἐν πᾶσι μετριότης καλόν. ἃ δὲ ὁ θεὸς δίδωσι, ταῦτα λαμβάνων συνέχε· τῶν δὲ ἀνεφίκτων μὴ ἐπιθύμει.

Τοῖς δὲ ῥηθεῖσιν ἀρεσθεὶς, πρὸς τὸν ἐχόμενον εἶπεν· κβ΄. ΠΩΣ ἂν ἐκτὸς εἴη φθόνου; διαλιπὼν δὲ ἐκεῖνος, ἔφη· πρῶτον εἰ νοήσαιο, ὅτι ὁ θεὸς πᾶσι μερίζει δόξαν τε καὶ πλούτου μέγεθος τοῖς βασιλεῦσι· καὶ οὐδεὶς παρ᾽ ἑαυτοῦ ἐστι βασιλεύς· πάντες γὰρ θέλουσι μετασχεῖν ταύτης τῆς δόξης, ἀλλ᾽ οὐ δύνανται· θεοῦ γάρ ἐστι δόμα.

Ἐπαινέσας δὲ τὸν ἄνδρα διὰ πλειόνων, ἠρώτα τὸν ἕτερον· κγ΄. ΠΩΣ ἂν καταφρονείη τῶν ἐχθρῶν; ὁ δὲ εἶπεν· ἠσκηκὼς πρὸς πάντας ἀνθρώπους εὔνοιαν, καὶ κατεργασάμενος φιλίας, λόγον οὐθενὸς ἂν ἔχοις. τὸ δὲ κεχαριτῶσθαι πρὸς πάντας ἀνθρώπους, καὶ καλὸν δῶρον εἰληφέναι παρὰ θεοῦ, τοῦτ᾽ ἔστι κράτιστον.

Συναινέσας δὲ τούτοις, τὸν ἑξῆς ἐκέλευσεν ἀποκριθῆναι, πρὸς αὐτὸν εἰπὼν· κδ΄. ΠΩΣ ἂν δοξαζόμενος διαμένοι; εἶπεν δέ· τῇ προθυμίᾳ, καὶ ταῖς χάρισι πρὸς τοὺς ἄλλους μεταδοτικὸς ὢν, καὶ μεγαλομερὴς, οὐδέποτ᾽ ἂν ἀπολίποι δόξης· ἵνα δὲ τὰ προειρημένα σοι διαμένῃ, τὸν θεὸν ἐπικαλοῦ διὰ παντός.

Εὐφημήσας

Hoc etiam cum applausu audito, ad sequentem dixit: Quoniam tibi decimo loco est respondendum, ubi pronunciaris sententiam tuam convertemur ad cœnationem. Ex te autem cupio cognoscere: 20. QUOMODO nihil egerimus indignum nobis? Ille inquit: Inspice assidue in tuam gloriam, & excellentiam dignitatis tuæ, ut ita consentanea illis & loqui & cogitare studeas, ex hac animi sententia: Quia omnes quibus tu imperas, de te cogitent & loquantur. Nam nihil in te debet esse simulatum: siquidem personam illam quam sustines, neque fingere neque simulare potes. Hoc alii in te cernentes omnes, similiter studebunt agere. Verum tu præstas regem verum, ex gratia Dei, qui pro tuorum morum præstantia tibi imperium dignum largitus est.

Hæc omnia cum Rex valde approbasset, tandem benigne dimisit eos ad cubitum. Quo facto, & finita hac convivatione apparabantur quæ in sequentis diei convivium instruendum pertinerent.

¶ Sequenti ergo die, cum idem discumbentium ordo esset, Rex ubi putavit adesse tempus quærendi aliquid ex cæteris illis, rogavit: 21. QUOD imperium esset optimum? Respondit: Sibi ipsi imperare, nec rapi ab affectibus suis. Nam hoc quidem est omnium commune, ut sint animis proni ad aliquid prosequendum. Et hinc vulgus fere putat se debere inclinari ad commessationes, potationes, & alias hujus generis voluptates: Reges vero existimant, sibi pro suæ potentiæ & dignitatis amplitudine convenire regionum dominationem: sed modus in omnibus rebus rectus est, & probatur. Tu ergo Rex, conserves & tuearis illa quæ Deus tibi largitus est: quæ vero ad te non jure pertinent, ea ne concupiscas.

His delectatus, ad sequentem dixit: 22. QUOMODO posset esse liber à vitio invidiæ, ita ut ipse nemini invideret? Ille interjecta brevi mora, dixit: Hoc præcipue modo, si ita tecum cogitaveris, Deum esse qui distribuat & largiatur regibus potentiam & opum affluentiam, nec esse quenquam regem ex sese. Id quod inde patet, quia omnes cupiunt consequi hanc dignitatem: sed non possunt, cum sit Dei donum.

Hoc multis collaudato, ad sequentem dixit: 23. QUOMODO spreverit hostes? Ille dixit: Si studueris omnes homines benevolentia prosequi, & ita tibi paraveris amicitias illorum, non te turbabit hostis ullus: sed ita promeritum & in gratia esse apud omnes homines, est præclarum donum Dei, quo ab illo præstantius non licet consequi aliud.

His approbatis, sequentem respondere ad hanc quæstionem jussit: 24. QUOMODO posset esse in perpetua gloria & fama apud homines? Ille dixit: Si fueris munificus, & propensus ad alios promptitudine animi & beneficiis demerendos, nunquam te deficiet gloria. Sed ut ista jam dicta tibi perpetuo adsint, Deus semper invocandus erit.

Εὐφημήσας δὲ τοῦτον, ἕτερον ἠρώτα· κε΄. ΠΡΟΣ τίνα δεῖ φιλότιμον εἶναι; ἐκεῖνος δὲ ἔφη· πρὸς τοὺς φιλικῶς ἔχοντας ἡμῖν, οἴονται πάντες ὅτι πρὸς τούτους δέον. ἐγὼ δὲ ὑπολαμβάνω, πρὸς τοὺς ἀντιδοξοῦντας φιλοτιμίαν δεῖ χαριστικὴν ἔχειν, ἵνα τούτῳ τῷ τρόπῳ μετάγωμεν αὐτοὺς ἐπὶ τὸ καθῆκον καὶ συμφέρον ἑαυτοῖς. δεῖ δὲ τὸν θεὸν λιτανεύειν, ἵνα ταῦτα ἐπιτελῆται· τὰς γὰρ ἁπάντων διανοίας κρατεῖ.

Συνομολογήσας δὲ τούτοις, τὸν ἕκτον ἐκέλευσεν ἀποφήνασθαι πυνθανόμενος· κϛ΄. ΤΙΣΙ δεῖ χαρίζεσθαι; ἐκεῖνος δὲ ἀπεκρίθη· γονεῦσι διαπαντός. καὶ γὰρ ὁ θεὸς πεποίηται ἐντολὴν μεγίστην περὶ τῆς τῶν γονέων τιμῆς· ἑπομένως δὲ τὴν τῶν φίλων ἐγκρίνει διάθεσιν, προσονομάσας ἴσον τῇ ψυχῇ τὸν φίλον. σὺ δὲ καλῶς ποιεῖς, ἅπαντας ἀνθρώπους εἰς φιλίαν πρὸς ἑαυτὸν καθιστῶν.

Παρακαλέσας δὲ καὶ τοῦτον, ἐπυνθάνετο καὶ τοῦ μετέπειτα· κζ΄. ΤΙ καλλονῆς ἄξιόν ἐστι; Ὁ δὲ εἶπεν· εὐσέβεια. καὶ γὰρ αὕτη καλλονή τις ἐστὶ πρωτεύουσα. τὸ δὲ δυνατὸν αὐτῆς ἐστιν ἀγάπη· αὕτη γὰρ θεοδόσιός ἐστιν· ἣν καὶ συγκέκτησαι, πάντα περιείπων ἐν αὐτῇ τἀγαθά.

Λίαν δὲ φιλοφρόνως ἐπικροτήσας, εἶπε πρὸς τὸν ἕτερον· κη΄. ΠΩΣ ἂν πταίσας, πάλιν τῆς αὐτῆς κρατήσειε δόξης; Ὁ δὲ ἔφη· σὲ μὲν οὐ δυνατὸν πταῖσαι, πᾶσι γὰρ χάριτας ἔσπαρκας, αἳ βλαστάνουσιν εὔνοιαν· ἣ τὰ μέγιστα τῶν ὅπλων κατισχύουσα, περιλαμβάνει τὴν μεγίστην ἀσφάλειαν. εἰ δέ τινες πταίουσιν, ἐφ' οἷς πταίουσιν, οὐκ ἔτι χρὴ ταῦτα πράσσειν· ἀλλὰ φιλίαν κατακλησαμένους, δικαιοπραγεῖν. θεοῦ δὲ δῶρον, ἀγαθῶν ἐργάτην εἶναι, καὶ μὴ τῶν ἐναντίων.

Συναρεσθεὶς τούτοις, πρὸς τὸν ἕτερον εἶπεν· κθ΄. ΠΩΣ ἂν ἐκτὸς γένοιτο λύπης; ὁ δὲ ἔφησεν· εἰ μηδένα βλάπτοι, πάντας δὲ ὠφελοῖ, τῇ δικαιοσύνῃ κατακολουθῶν· τοὺς γὰρ ἀπ' αὐτῆς καρποὺς, ἀλυπίαν κατασκευάζειν. ἱκετεύειν δὲ τὸν θεὸν, ἵνα μὴ τὰ παρὰ τὴν προαίρεσιν ἡμῶν ἀνακύπτοντα βλάπτῃ· λέγω δὴ, οἷον θάνατοί τε, καὶ νόσοι, καὶ λῦπαι, καὶ τὰ τοιαῦτα. σοὶ δὲ εὐσεβεῖ καθεστῶτι, τούτων οὐδὲν ἂν προσέλθοι.

Καλῶς δὲ καὶ τοῦτον ἐπαινέσας, τὸν δέκατον ἠρώτα· λ΄. ΤΙ μέγιστόν ἐστι δόξης; ὁ δὲ εἶπεν· τὸ τιμᾶν τὸν θεόν· τοῦτο δέ ἐστιν, οὐ δώροις, οὐδὲ θυσίαις, ἀλλὰ ψυχῆς καθαρότητι, καὶ διαλήψεως ὁσίας, καθὼς ὑπὸ τοῦ θεοῦ πάντα κατασκευάζεται καὶ διοικεῖται κατὰ τὴν αὐτοῦ βούλησιν· ἣν καὶ σὺ διατελεῖς ἔχων γνώμην, ἧς πάρεστι σημειοῦσθαι πᾶσι ἐκ τῶν ὑπό σου συντετελεσμένων καὶ συντελουμένων. μετὰ μείζονος δὲ φωνῆς ὁ βασιλεὺς πάντας αὐτοὺς ἠσπάζετο, καὶ παρεκάλει, συνεπιφωνούντων

τῶν

Hoc cum approbatione excepto, proximum interrogabat: 25. APUD quos conveniret gloriose & honorifice se gerere? Ille dixit: Alii omnes putant hoc faciendum esse apud illos, qui amice erga nos sunt affecti: ego autem existimo hanc honorificam venditationem cum gratia civilis moderationis usurpandam coram illis, qui in contrariis gloriam & laudem quærunt, ut hoc modo illos etiam traducamus ad id quod conveniat, & prosit illis. Sed Deus erit orandus ut hæc ille perficiat, qui omnium animos gubernat & moderatur.

Suffragatus huic, sextum pronunciate jussit sententiam suam ad hanc quæstionem: 26. QUIBUS esset gratificandum? Ille dixit: Parentibus perpetuo, & in primis, quoniam Deus maximum dedit præceptum de honorandis parentibus: secundo loco amicis, quod idem vult cum dicit, Amicum ex æquo animæ tuæ. Sed tu Rex praclare facis, qui omnes homines in tuam amicitiam pertrahere studes.

Hoc etiam approbato, sciscitabatur ex sequenti: 27. QUID esset dignum cultu decente, & exornatione? Ille inquit: Pietas. Hæc enim & ipsa est excellens quædam pulchritudo, quæ vim suam sitam habet in charitate, dono Dei: quam tu etiam possides, & in ea omnia bona complecteris.

Ad hæc amico admodum applausu edito, ad sequentem dixit: 28. QUOMODO offensione aliqua imminutam gloriam recuperare posset? Ille inquit: Tu quidem non potes labi & offendere quenquam, qui in omnes beneficia confers, unde germinat benevolentia: quæ cum sit superior maximis armis, præstat maximum munimentum & præsidium. Sed si qui solent delabi in offensas, illi ea quibus offendunt alios, non amplius faciant: sed reconciliatis animis offensorum, justa agant. Verum hoc est donum Dei, bonis & non malis actionibus deditum esse.

His oblectatus, ad sequentem dixit: 29. QUOMODO qui vacuus esse possit à tristitia? Ille respondit: Si neminem læserit, sed omnes ex amore & studio colendæ justitiæ juverit. Hujus enim fructus pariunt securitatem, & tranquillitatem animi. Interim tamen Deus erit orandus, ne quæ præter animi nostri voluntatem & sententiam incidere solent, ut obitus, morbi, mœstitia, & similia, illa etiam eum turbent. Sed tibi, pietatis cultori, nihil horum accidere potest.

Recte autem & hoc approbato, decimum interrogabat: 30. QUID esset in primis gloriosum, & homine dignum? Ille dixit: colere & venerari Deum, non muneribus & sacris, sed animi puritate: & hoc sancto studio cogitandi & considerandi, ut omnia ab ipso creentur, & gubernentur, secundum voluntatem suam. Ad quem quidem tu es animo & sententia tua perpetuo conformatus: sicut hoc licet facile omnes cognoscere ex illis quæ egisti & agis. Tum Rex majore acclamatione comprobationis suæ ipsos omnes prosequebatur: comprobantibus ipsos etiam aliis qui

aderant,

τῶν παρόντων, μάλιστα δὲ τῶν φιλοσόφων. καὶ γὰρ ταῖς ἀγωγαῖς καὶ τῷ λόγῳ πολὺ προέχοντες αὐτῶν, ὡς ἂν ἀπὸ θεοῦ τὴν καταρχὴν ποιούμενοι. μετὰ δὲ ταῦτα, ὁ βασιλεὺς εἰς τὸ φιλοφρονεῖσθαι ἦλθε, διὰ τῶν προπόσεων.

¶ Τῇ δὲ ἐπιούσῃ, κατὰ τὰ αὐτὰ τῆς διατάξεως τοῦ συμποσίου γινομένης, καθὼς εὔκαιρον ἐγένετο τῷ βασιλεῖ, τοὺς ἑξῆς ἠρώτα τῶν προαποκεκριμένων, εἶπε δὲ τῷ πρώτῳ λα΄. ΤΟ φρονεῖν εἰ διδακτόν ἐστι; ὁ δὲ εἶπεν· ψυχῆς ἐστι κατασκευὴ, διὰ θείας δυνάμεως ἐπιδέχεσθαι πᾶν τὸ καλὸν, ἀποστρέφεσθαι δὲ τἀναντία.

Συνομολογήσας δὲ, τὸν ἐχόμενον ἠρώτα· λϐ΄. ΤΙ πρὸς ὑγίειαν μάλιστα συντείνει; ἐκεῖνος δὲ ἔφη· σωφροσύνη· ταύτης δὲ οὐκ ἔστι τυχεῖν, ἐὰν μὴ θεὸς κατασκευάσῃ τὴν διάνοιαν εἰς τοῦτο.

Παρακαλέσας δὲ τοῦτον, πρὸς τὸν ἕτερον ἔφη· λγ΄. ΠΩΣ ἂν γονεῦσι τὰς ἀξίας ἀποδῴη χάριτας; ὁ δὲ εἶπεν· μηδὲν αὐτοὺς λυπήσας· τοῦτο δὲ οὐκ ἔστιν, εἰ μὴ θεὸς τῆς διανοίας ἡγεμὼν γένοιτο πρὸς τὰ κάλλιστα.

Προσεπινεύσας δὲ τούτῳ, τὸν ἑξῆς ἠρώτα· λδ΄. ΠΩΣ ἂν φιλήκοος εἴη; ἐκεῖνος δὲ εἶπε· διαλαμβάνων, ὅτι πάντα συμφέρει γινώσκειν, ὅπως ἂν πρὸς τὰ συμβαίνοντα ἐκλεγόμενός τι τῶν ἠκροαμένων, ἀνθυποτιθεὶς πρὸς τὰ τῶν καιρῶν ἀντιπράσσηται, σὺν χειραγωγίᾳ θεοῦ. τοῦτο δὲ ἐστὶν, αἱ τῶν πράξεων τελειώσεις ὑπ' αὐτοῦ.

Τοῦτον δ' ἐπαινέσας, πρὸς τὸν ἕτερον εἶπεν· λε΄. ΠΩΣ ἂν μηδὲν παράνομον πράσσοι; πρὸς τοῦτο ἔφησε· γινώσκων, ὅτι τὰς ἐπινοίας ὁ θεὸς δέδωκε τοῖς νομοθετήσασι, πρὸς τὸ σώζεσθαι τοὺς βίους τῶν ἀνθρώπων, ἀκόλουθος ἂν εἴη αὐτοῖς.

Αποδεξάμενος δὲ αὐτὸν, πρὸς ἕτερον εἶπεν· λϛ΄. ΤΙΣ ὠφέλεια συγγενείας ἐστίν; ὁ δὲ ἀπεφήνατο· ἐὰν τοῖς συμβαίνουσι νομίζωμεν, ἀτυχοῦσι μὲν ἐλαττοῦσθαι καὶ κακοπαθεῖν, ὡς αὐτῶν φαίνεται τὸ συγγενὲς, ὅσον ἰσχύον ἐστί (τελουμένων δὲ τούτων, καὶ δόξα καὶ προκοπὴ παρὰ τοῖς τοιούτοις ὑπάρξει· τὸ γὰρ συγγενὲς εὐνόως γινόμενον, ὡς ἐξ ἑαυτοῦ ἀδιάλυτον πρὸς ἅπαντα.) μετὰ δὲ εὐημερίας, μηδὲν προσδεῖσθαι τῶν ἐκείνων, ἀλλὰ θεὸν ἱκετεύειν, πάντα ἀγαθοποιεῖν.

Ωσαύτως δὲ ἐκείνου ἀποδεξάμενος αὐτὸν, ἄλλον ἠρώτα· λζ΄. ΠΩΣ ἀφοβία γίνεται; εἶπε δέ· συνιστορούσης τῆς διανοίας, μηδὲν κακὸν πεπραχέναι· θεοῦ κατευθύνοντος, εἰς τὸ καλῶς ἅπαντα βουλεύεσθαι.

Τούτῳ δὲ ἐπιφωνήσας, πρὸς ἄλλον εἶπεν· λη΄. ΠΩΣ ἂν προχείρως ἔχοι τὸν ὀρθὸν λόγον; ὁ δὲ εἶπεν· εἰ τὰ τῶν ἀνθρώπων ἀτυχήματα διὰ παντὸς ἐπιβλέποι· γινώσκων, ὅτι ὁ θεὸς ἀφαιρεῖται τὰς εὐημερίας, ἑτέρους δὲ δοξάζων εἰς τὸ τιμᾶσθαι προάγει.

Καλῶς

aderant, & præcipue philosophis, quibus illi longe præstantiores erant & studiis vitæ & orationis usu, ut qui à Deo omnium caperent initia. Hinc Rex ad hilaritatem convivii rediit.

¶ Postero die, convivio instructo ad eundem modum, cum Regi esset visum opportunum, incipiebat interrogare illos qui sequebantur eos qui jam responderant, ac ad primum dicebat: 31. NUM prudentia studiis & doctrina parari posset? Ille dixit: Est hic habitus animi, qui à divina virtute dirigitur ad prosequenda omnia honesta, & contraria aversanda.

Suffragatus huic, sequentem interrogabat: 32. QUID in primis faceret ad valetudinem tuendam? Ille respondit: Temperantia. Sed hanc non licet assequi, nisi Deus ad eam mentem præparet, & conformet.

Hoc approbato, ad alium dixit: 33. QUOMODO parentibus dignas quis posset referre gratias? Ille dixit: Nulla prorsus tristitia & molestia ipsos afficiendo. Sed hoc non conceditur, nisi Deus mentis dux & gubernator extiterit in consiliis & actionibus dirigendis ad optima quæque.

Suffragatus & huic, ad sequentem dixit: 34. QUOMODO quis fieri posset cupidus audiendi? Si, inquit ille, existimaverit utile esse omnia cognoscere, ad hoc, ut ex auditis aliquid seligat, quod cum tempus postulet, depromat, & in agendo sequatur: sub gubernatione tamen & quasi manuductione Dei, quia ab ipso actiones ad suos eventus perducuntur.

Hoc comprobato, ad sequentem dixit: 35 QUOMODO quis nihil egerit contra leges? Ad hoc dixit ille: Ita poterit aliquis obtemperando sequi leges, si statuerit, Deum cogitationes & intelligentiam suggessisse legumlatori ad ferendas leges tales, in quibus salus hominum consistat.

Approbato hoc, ad sequentem dixit: 36. QUÆ esset cognationis utilitas? Ille respondit: Si rem existimare volumus ex eventis, ut in adversa quidem fortuna una dejiciantur, affligunturque, pro magnitudine ipsorum mutuæ cognationis (quæ cum fiunt, & gloria sequitur, & cognationis vinculum fit arctius. Quoniam cognatio, benevolentia & beneficentia temperata, fit omnino indissolubilis:) in fortuna vero secunda ultra res ipsorum nihil amplius requirant, & aliunde petant: sed Deus orandus erit suppliciter, ut omnia prosperet.

Hoc similiter approbato, sequentem interrogabat: 37. QUOMODO quis posset sine metu esse? Ille dixit: Si habuerit mentem nullius malæ actionis sibi consciam, ex beneficio Dei, dirigentis animum ad consultationes semper bonas.

Huic suffragatus, ad alium dixit: 38. QUOMODO quis posset in promptu habere rationem rectam? Ille dixit: Si semper respexerit ad hominum infortunia, & inde hoc didicerit, Deum adimere aliis secundam fortunam, alios vero extollendo evehere ad dignitatis decus.

Hoc

Καλῶς δὲ καὶ τοῦτον ἀποδεξάμενος, τὸν ἑξῆς ἀποκριθῆναι παρεκάλει· λθ΄. ΠΩΣ ἂν μὴ εἰς ῥαθυμίαν, μηδὲ ἐπὶ τὰς ἡδονὰς τρέποιτο; ὁ δέ, προχείρως ἔχων (εἶπεν) ὅτι μεγάλης βασιλείας κατάρχει, καὶ πολλῶν ὄχλων ἀφηγεῖται· καὶ οὐ δεῖ περὶ ἕτερόν τι τὴν διάνοιαν εἶναι, τῆς δὲ τούτων ἐπιμελείας φροντίζειν· θεὸν δὲ ἀξιοῦν, ὅπως μηθὲν ἐλλίπῃ τῶν καθηκόντων.

Ἐπαινέσας δὲ καὶ τοῦτον, τὸν δέκατον ἐρωτᾷ· μ΄. ΠΩΣ ἐπιγινώσκοι τοὺς δόλῳ τινὶ πρὸς αὐτὸν πράσσοντας; ὁ δὲ ἀπεφήνατο πρὸς τοῦτο· εἰ παρατηροῖτο τὴν ἀγωγὴν ἐλευθέριον οὖσαν, καὶ τὴν εὐταξίαν διαμένουσαν ἐν τοῖς ἀσπασμοῖς, καὶ ταῖς συμβουλίαις, καὶ τῇ λοιπῇ συναναστροφῇ τῶν σὺν αὐτῷ· καὶ μηδὲν ὑπερτείνοντας τοῦ δέοντος ἐν ταῖς φιλοφρονήσεσι, καὶ τοῖς λοιποῖς τοῖς κατὰ τὴν ἀγωγήν. θεὸς δὲ τὴν διάνοιαν ἔξει σοι, βασιλεῦ, πρὸς τὰ κάλλιστα. ὁ δὲ βασιλεὺς συγκροτήσας, πάντας τ' ἐπαινέσας κατ' ὄνομα, καὶ τῶν παρόντων ταυτὰ ποιούντων, ἐπὶ τὸ μέλπειν ἐτράπησαν.

¶ Τῇ δὲ ἐχομένῃ, τὸν καιρὸν λαβὼν, ἐπηρώτα τὸν ἑξῆς· μα΄. ΤΙΣ ἐστιν ἀμέλεια μεγίστη; πρὸς τοῦτ' ἔφη· εἰ τέκνων ἄφροντις τίς ἤ, καὶ μὴ κατὰ πάντα τρόπον ἀγαγεῖν. εὐχόμεθα γὰρ ἀεὶ πρὸς τὸν θεὸν, οὐχ οὕτως περὶ ἑαυτῶν, ὡς περὶ τῶν ἐγγόνων, ἵνα παρῇ πάντ' αὐτοῖς τἀγαθά. τὸ δὲ ἐπιδεῖσθαι παιδείαν σωφροσύνης μετασχεῖν, θεοῦ δυνάμει τοῦτο γίνεται.

Φήσας δὲ εὐλογεῖν, ἄλλον ἠρώτα· μβ΄. ΠΩΣ ἂν φιλόπατρις εἴη; προτιθέμενος (εἶπεν) ὅτι καλὸν ἐν ἰδίᾳ καὶ ζῆν καὶ τελευτᾶν. ἡ δὲ ξενητία τοῖς μὲν πένησι καταφρόνησιν ἐργάζεται, τοῖς δὲ πλουσίοις ὄνειδος, ὡς διὰ κακίαν ἐκπεπτωκόσι. εὐεργετῶν οὖν ἅπαντας, καθὼς συνεχῶς τοῦτο ἐπιτελεῖς, θεοῦ διδόντος σοὶ πρὸς πάντας χάριν, φιλόπατρις φανήσῃ.

Τούτου δὲ ἀκούσας τοῦ κατὰ τὸ ἑξῆς ἐπυνθάνετο· μγ΄. ΠΩΣ ἁρμόσαι γυναικί; ὁ δὲ ἔφη· ὅτι μὲν θρασύ ἐστι τὸ θῆλυ γένος, καὶ δραστικὸν, ἐφ' ὃ βούλεται πρᾶγμα· καὶ μεταπῖπτον εὐκόπως διὰ παραλογισμοῦ, καὶ τῇ φύσει κατεσκεύασται ἀσθενές. δέον δ' ἐστὶ κατὰ τὸ ὑγιὲς χρῆσθαι, καὶ μὴ πρὸς ἔριν ἀντιπράσσειν. κατορθοῦται γὰρ βίος, ὅταν ὁ κυβερνῶν ἴδῃ, πρὸς τίνα σκοπὸν δεῖ τὴν διέξοδον ποιεῖσθαι. θεοῦ δ' ἐπικλήσει καὶ βίος κυβερνᾶται κατὰ πάντα.

Συνανθομολογησάμενος δὲ τούτῳ, τὸν ἑξῆς ἠρώτα· μδ΄. ΠΩΣ ἀναμάρτητος εἴη; ὁ δὲ ἔφησεν· ὡς ἅπαντα πράσσων μετὰ διαλογισμοῦ, καὶ μὴ πειθόμενος διαβολαῖς, ἀλλ' αὐτὸς ὢν δοκιμαστὴς τῶν λεγομένων· καὶ κρίσει κατευθύνων τὰ τῶν ἐντεύξεων, καὶ διὰ κρίσεως ἐπιτελῶν ταῦτα, ἀναμάρτητος (ἔφη) ἂν εἴης, ὦ βασιλεῦ. τὸ δὲ ἐπινοεῖν ταῦτα, καὶ ἐν τούτοις ἀναστρέφεσθαι, θείας δυνάμεώς ἐστιν ἔργον.

Διαχυθεὶς

Hoc etiam approbato, sequentem hortabatur ostendere: 39. QUOMODO neque ad ignaviam, neque ad voluptates distraheretur? Ille inquit: Si ob oculos habueris, & consideraveris, te præesse magno regno, & multis imperare, nec debere mentem ad alia traducere, sed circa istorum administrationem retinere animi cogitationes & curas: interim tamen orandus erit Deus, ne quid omittas eorum quæ sint officii tui.

Hoc collaudato, decimum interrogabat: 40. QUOMODO posset cognoscere dolose secum agentes? Ille respondit: Si observaveris, quam sit cuique vita libero homine digna, & quam constans certaque morum æquabilitas in salutationibus, consultationibus, & reliqua conversatione, in benevolentia & reliquis vitæ officiis nihil ultra modum agant. Deus autem tibi, Rex, mentem ad optima diriget. Rex cum applausu hoc accepto, & simul omnibus aliis nominatim collaudatis, idque etiam facientibus aliis qui aderant, deinde convertuntur ad hilaritatem canentium.

¶ Sequenti die Rex similiter captata opportunitate, interrogabat sequentem: 41. QUÆ esset maxima negligentia? Ille ad hoc respondit: Si quis non curat liberos, nec eos educando quam diligentissime informat. Nam oramus Deum semper non tam pro nobis, quam pro liberis nostris, ut illis adsint omnia bona. Ut autem vere cupiant & possint acceptare temperantiæ disciplinam, hoc est gratiæ & virtutis divinæ.

Hunc fassus recte dixisse, alium interrogabat: 42. QUOMODO amator patriæ quis extiterit? Ille dixit: Si ita statuerit secum, honestum esse & vivere & mori domi: apud peregrinos vero, reputet egentes quidem contemni, divites vero male audire, tanquam ob turpitudinem aliquam exulent. Verum tu, Rex, si perges benefice tractare omnes, quemadmodum hoc diligenter facis, Deo contribuente tibi erga omnes tam benignam voluntatem, habeberis amator patriæ.

Hoc audito, ex eo, qui sequebatur quærebat: 43. QUOMODO quis cum uxore posset consentienter degere? Ille dixit: Hoc quidem certum est genus muliebre esse confidens, & idoneum ad quam rem cunque velit efficiendam: ad hæc, mutabile, ob consilii & sexus imbecillitatem naturalem: sed cum sana mente est tractandum, nec irritandum adversando ad contentionem. Ita enim vita recto cursu agitur, cum gubernator ejus scit ad quem scopum omnes in ea actiones oporteat referre. Verum invocata ope divina hæc gubernatio fit fœlix.

Hoc cum assensione audito, ad sequentem dixit: 44. QUOMODO sine erratis vixeris? Ille dixit: Si egeris omnia cum diligenti consideratione, & non habueris fidem calumniis, sed putaveris tibi singula esse expendenda: atque cum judicio pariter & colloqueris cum aliis & de quibus fueris locutus, illa perficies, ita Rex, nunquam laberis & errabis. Sed hæc ita expendere, & in iis perseverare, est opus Divinæ virtutis.

His

Διαχυθεὶς δὲ τοῖς εἰρημένοις, τὸν ἕτερον ἠρώτα· μέ. ΠΩΣ ἂν ἐκτὸς θυμοῦ γένοιτο; πρὸς τοῦτ᾽ εἶπεν· γινώσκων, ὅτι πάντων ἐξουσίαν ἔχει· καὶ εἰ χρήσαιτο θυμῷ, θάνατον ἐπιφέρει· ὅπερ ἀνωφελὲς καὶ ἀλγεινόν ἐστιν, εἰ τὸ ζῆν ἀφελεῖται πολλῶν, διὰ τὸ κύριον εἶναι. πάντων δὲ ὑπηκόων ὄντων, καὶ μηδενὸς ἐναντιουμένου, τίνος χάριν θυμωθήσεται; γινώσκειν σε δεῖ, διότι θεὸς τὸν πάντα κόσμον διοικεῖ μετ᾽ εὐμενείας, καὶ χωρὶς ὀργῆς ἁπάσης. τούτῳ δὲ κατακολουθεῖν ἀναγκαῖόν ἐστι σε, ἔφησεν, ὦ βασιλεῦ.

Καλῶς δὲ ἀποκεκρίσθαι φήσας τοῦτον, ἐπυνθάνετο τοῦ μετέπειτα· μϛ΄. ΤΙ ἐστιν εὐβουλία; τὸ καλῶς ἅπαντα πράττειν, ἀπεφήνατο, μετὰ διαλογισμοῦ, κατὰ τὴν βουλὴν παρατιθέντα καὶ βλαβερὰ τῶν κατὰ τὸ ἐναντίον τοῦ λόγου διάστημα· ἵνα πρὸς ἕκαστον ἐπινοήσαντες, ὦμεν εὖ βεβουλευμένοι, καὶ τὸ προτεθὲν ἡμῖν ἐπιτελῆται. τὸ δὲ αὖ κράτιστον θεοῦ δυναστείᾳ πᾶν βούλευμα, ἵνα ἐξισοῖ τὴν εὐσέβειαν ἀσκοῦντι.

Κατωρθωκέναι δὲ καὶ τοῦτον εἴπας, ἄλλον ἠρώτα· μζ΄. ΤΙ ἐστι φιλοσοφία; τὸ καλῶς διαλογίζεσθαι πρὸς ἕκαστα τῶν συμβαινόντων, ἀπεφήνατο, καὶ μὴ ἐκφέρεσθαι ταῖς ὁρμαῖς, ἀλλὰ τὰς βλάβας καταμελετᾷν, τὰς ἐκ τῶν ἐπιθυμιῶν ἐκβαινούσας· καὶ τὰ πρὸς τὸν καιρὸν πράσσειν δεόντως, μετριοπαθῆ καθεστῶτα. ἵνα δὲ ἐπίστασιν τούτων λαμβάνωμεν, θεραπεύειν δεῖ τὸν θεόν.

Επισημήνας δὲ καὶ τοῦτον, ἕτερον ἠρώτα· μή. ΠΩΣ ἂν ἀποδοχῆς ἡ ξενιτεία τυγχάνῃ; πᾶσιν ἴσος γινόμενος, ἔφη· καὶ μᾶλλον ἥττων, ἢ καθυπερέχων φαινόμενος, πρὸς οὓς ξενιτεύει. κοινῶς γὰρ ὁ θεὸς, τὸ ταπεινούμενον προσδέχεται κατὰ φύσιν, καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος τοὺς ὑποτασσομένους φιλανθρωπεῖ.

Επιμαρτυρήσας δὲ τούτοις, ἄλλον ἠρώτα· μθ΄. ΠΩΣ ἃ ἂν κατασκευάσῃ, καὶ μετὰ ταῦτα διαμένῃ; πρὸς τοῦτ᾽ εἶπεν· εἰ μεγάλα καὶ σεμνὰ ταῖς ποιήσεσιν ἐπιτελοῖ, πρὸς τὸ φείσασθαι τοὺς θεωροῦντας, διὰ τὴν καλλονὴν, καὶ μηθένα κατεργαζόμενον τὰ τοιαῦτα παραπέμποι, μηδὲ τοὺς ἄλλους ἀμισθὶ συντελεῖν, ἀναγκάζοι τὰ πρὸς τὴν χρείαν. διανοούμενος γὰρ, ὡς θεὸς πολυωρεῖ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, χορηγῶν αὐτοῖς καὶ ὑγίειαν, καὶ εὐαισθησίαν, καὶ τὰ λοιπά. καὶ αὐτὸς ἀκόλουθόν τι πράξει, τὴν κακοπαθειῶν ἀντιδιδοὺς τὴν ἀντίμειψιν. τὰ γὰρ ἐκ δικαιοσύνης τελέσματα, ταῦτα καὶ διαμένουσιν.

Εὖ δὲ καὶ τοῦτον εἰρηκέναι φήσας, τὸν δέκατον ἠρώτα· ν΄. ΤΙΣ ἐστι σοφίας καρπός; ὁ δὲ εἶπεν· τὸ μὴ συνιστορεῖν ἑαυτῷ κακὸν πεπραχότι, τὸν δὲ βίον ἐν ἀληθείᾳ διεξάγειν. ἐκ τούτων γὰρ κρατίστη χαρὰ, καὶ ψυχῆς εὐστάθειά σοι γίνεται, μέγιστε βασιλεῦ· καὶ ἐλπίδες ἐπὶ

His exhilaratus, sequentem interrogabat: 45. QUOMODO possit esse liber & vacuus ab ira? Ad hoc dixit ille: Si primum consideraveris, quod cum omnium potestatem habeas, si adjunxeris iram, mortem sis allaturus multis: id quod est inutile & triste, si quis ex eo quod omnia in sua potestate habeat, multos vita privat: deinde si hoc etiam perpenderis, cum omnes habeas subjectos, & nullum adversantem, non esse cur tibi sit irascendum. Postremo, si & hoc expenderis, Deum totum mundum gubernare cum mansuetudine, sine indignatione omni: huncque, Rex, tibi esse imitandum.

Fassus hunc praeclare respondisse, ex sequente percontabatur: 46. QUID esset recte deliberare, & sana capere consilia? Ille dixit: Omnia recte agere cum diligenti ponderatione, appositis ad consultationem ex contraria parte noxiis etiam, ut ita singulis inspectis perpensisque & rectum consilium capiatur, & quod constitutum sit peragatur. Sed illa demum sunt optima consilia, quae divina virtute piis animis infunduntur.

Recte & hunc statuisse fassus, proximum interrogabat: 47. QUID esset Philosophia? Ille dixit: Recte sentire & statuere de singulis quae eveniunt in vita, nec de gradu moveri impetu ullius cupiditatis: sed perpensis incommodis quae ex cupiditatibus existant, pro tempore omnia agere, ut conveniat cum animi moderatione. Sed ut horum curam habere possimus, Deus erit colendus.

Hunc etiam approbans, ad proximum dixit: 48. QUOMODO peregrinos posset nancisci hospitales & faciles ad se excipiendum? Dixit ille: Si te erga omnes aequalem exhibueris, aut etiam inferiorem magis quam superiorem erga illos apud quos peregrineris. Nam primum Deus ipse in universum, quod se humiliat, acceptat ex sua natura. Deinde etiam homines ipsi demissos humanitate prosequuntur.

Suffragatus huic, alium interrogabat: 49. QUOMODO extruere posset, quae sint futura diuturna? Ad hoc dixit ille: Si magna & honorifica perfeceris opera, ut contemplantes ea, ob pulchritudinem cogantur ab illis abstinere, nec ullius familia aulit instituere, aut alios intentos curae necessariae ad ea perficienda perpellere possit sine mercede. Sed praecipue hoc ita assequeris, si consideraveris, Deum magna providentia gubernare & tueri genus humanum, & ipsis suppeditare valetudinem, integritatem sensuum, aliaque omnia, & tu simile quid, imitans ipsum, egeris, non neglecta interim etiam justa malorum compensatione. Nam quae per justitiam peraguntur, illa habent diuturnitatem.

Hunc etiam fassus recte dixisse, interrogabat decimum: 50. QUI esset fructus sapientiae? Ille dixit: Non esse sibi conscium malarum actionum, & in tota vita degenda veritatem colere. Nam ex hoc maximum gaudium, & tranquillitas animi maxima tibi contingent, Rex. Spes etiam

ἐπὶ θεῷ καλαὶ κρατοῦντί σοι τῆς ἀρχῆς εὐσεβέως. ὡς δὲ συνήκουσαν οἱ πάντες, ἐπεφώνησαν σὺν κρότῳ πλείονι. καὶ μετὰ ταῦτα πρὸς τὸ προπιεῖν ὁ βασιλεὺς λαμβάνειν ἐτράπη, χαρᾷ πεπληρωμένος.

§ Τῇ δ᾽ ἑξῆς, καθὰ πρότερον ἡ διάταξις ἦν τῶν κατὰ τὸν πότον ἐπιτελουμένων, καιροῦ δὴ γενομένου, τοὺς ἀπολειπομένους ὁ βασιλεὺς ἐπηρώτα. πρὸς τὸν πρῶτον δὲ ἔφη· να΄. ΠΩΣ ἂν μὴ τραπείη τις εἰς ὑπερηφανίαν; ἀπεκρίθη δὲ, εἰ τὴν ἰσότητα τηροῖ· καὶ παρ᾽ ἕκαστον ἑαυτὸν ὑπομιμνήσκοι, καθὼς ἄνθρωπος ὢν ἀνθρώπων ἡγεῖται· καὶ ὅτι ὁ θεὸς τοὺς ὑπερηφάνους καθαιρεῖ, τοὺς δὲ ἐπιεικεῖς καὶ ταπεινοὺς ὑψοῖ.

Παρακαλέσας δὲ αὐτὸν, τὸν ἑξῆς ἐπηρώτα. νβ΄. ΤΙΣΙ δεῖ συμβούλοις χρῆσθαι; τοῖς διὰ πολλῶν, ἔφη, πεπειραμένοις πραγμάτων, καὶ εὔνοιαν συντηροῦσιν ἀκέραιον πρὸς αὐτὸν, καὶ τῶν τρόπων ὅσοι μετέχουσιν αὐτῷ. θεοῦ δὲ ἐπιφάνεια, γίνεται πρὸς τὰ τοιαῦτα τοῖς ἀξίοις.

Ἐπαινέσας δὲ καὶ αὐτὸν, ἄλλον ἠρώτα· νγ΄. ΤΙ ἐστι βασιλεῖ κτῆσις ἀναγκαιοτάτη; τῶν ὑποτεταγμένων φιλανθρωπία, καὶ ἀγάπησις, ἀπεκρίνατο. διὰ γὰρ τούτων ἄλυτος εὐνοίας δεσμὸς γίνεται. τὸ δὲ γίνεσθαι κατὰ προαίρεσιν ταῦτα, ὁ θεὸς ἐπιτελεῖ.

Καταπαινέσας δ᾽ αὐτὸν, ἕτερον διεπυνθάνετο· νδ΄. ΤΙ πέρας ἐστὶ λόγου; κἀκεῖνος δ᾽ ἔφησε· τὸ πεῖσαι τὸν ἀντιλέγοντα, διὰ τῆς ὑποτεταγμένης τάξεως τὰς βλάβας ὑποδεικνύντα· οὕτω γὰρ λήψῃ τὸν ἀκροατὴν, οὐκ ἀντικείμενος, συγχρώμενος δ᾽ ἐπαίνῳ πρὸς τὸ πεῖσαι· θεοῦ δ᾽ ἐνεργείᾳ κατευθύνεται πειθώ.

Εὖ δὲ λέγειν φήσας αὐτὸν, ἕτερον ἠρώτα· νε΄. ΠΩΣ ἂν, παμμιγῶν ὄχλων ὄντων ἐν τῇ βασιλείᾳ, τούτοις ἁρμόσαι; τὸ πρέπον ἑκάστῳ συνυποκρινόμενος, εἶπεν, καθηγεμόνα λαμβάνων δικαιοσύνην· ὡς καὶ ποιεῖς, θεοῦ σοι διδόντος εὖ λογίζεσθαι.

Φιλοφρονηθεὶς δὲ τοῦτον, πρὸς ἕτερον εἶπεν· νϛ΄. ΕΠΙ τίσι δεῖ λυπεῖσθαι; πρὸς ταῦτα, ἀπεκρίθη, τὰ συμβαίνοντα τοῖς φίλοις, ὅταν θεωρῶμεν πολυχρόνια καὶ ἄφευκτα γινόμενα. τελευτήσασι γὰρ, καὶ κακῶν ἀπολελυμένοις, οὐχ ὑπογράφει λύπην ὁ λόγος· ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ἑαυτοὺς ἀναφέροντες, καὶ τὸ πρὸς ἑαυτοὺς συμφέρον, λυποῦνται πάντες ἄνθρωποι. τὸ δὲ ἐκφυγεῖν πᾶν κακὸν, θεοῦ δυνάμει γίνεται.

Ὡς δὲ ἔδει φήσας αὐτὸν ἀποκεκρίσθαι, πρὸς ἕτερον εἶπεν· νζ΄. ΠΩΣ ἀδοξία γίνεται; ἐκεῖνος δὲ ἔφησεν· ὅταν ὑπερηφανία καθηγῆται, καὶ θράσος ἄληκτον, ἀτιμασμὸς ἐπιφύεται, καὶ δόξης ἀναίρεσις. θεὸς δὲ δόξης πάσης κυριεύει, ῥέπων οὗ βούλεται.

Καὶ τούτῳ δὲ ἐπικυρώσας τὰ τῆς ἀποκρίσεως, τὸν ἑξῆς ἠρώτα· νη΄. ΤΙΣΙ δεῖ πιστεύειν ἑαυτόν;

in Deo præclara continget tibi, pie administranti regnum. His auditis, omnes exclamarunt cum applausu magno. Deinde Rex lætitia repletus, ad propinandum est versus.

§ Sequenti autem die apparato convivio, series eadem, quæ ante, erat discumbentium. Ibi Rex data opportunitate, reliquos interrogare cœpit, ac ad primum dixit: 51. QUOMODO quis vitaverit, ut non in superbiam incidat? Ille dixit: Si primum æqualitatem servaverit: deinde ubique sibi subjecerit, quod ipse homo præsit hominibus: tertio, si cogitaverit, Deum deprimere superbos, & exaltare humiles.

Commendato eo, sequentem interrogabat: 52. QUIBUS sit utendum consiliariis? Illis, inquit ille, qui in multis sunt exercitati negotiis, & qui sinceram erga te conservant benevolentiam, quique eisdem secum prædîti sunt moribus: sed horum cognitio contingit dignis, ex illustratione divina.

Collaudato & eo, sequentem interrogabat: 53. QUÆ possessio esset regi in primis necessaria? Ille respondit: Subditorum humanitas & amor, quia ex his benevolentiæ nexus existit indissolubilis. Sed Dei est, ista ex animi sententia perficere.

Eo comprobato, ex sequente percontabatur: 54. QUI finis esset orationis? Ille inquit: Persuadere, sed ita ut ostendas, adversarium ex argumentis & orationis suæ serie habere noxia proposita. Ita enim conciliabis tibi auditorem ad sententiam tuam acceptandam: non contra disceptando rationibus, sed adjutus ipsius adversarii comprobatione. Verum Deus est, qui sua virtute gubernat persuasionem, ad eventum exoptatum.

Præclare hunc fassus dixisse, alium interrogabat: 55. QUOMODO, cum in regno sit varia hominum multitudo, Regi cum illis convenire possit? Ille inquit: Duce justitia, cuique quod ei convenit attribuendo: quemadmodum tu Rex hoc facis, Deo suppeditante tibi sanitatem & rectitudinem judicii.

Hunc benigne amplexus, ad alium dixit: 56. OB quæ sit tristandum? Ille respondit: Ob illa, quæ adversa eveniunt amicis, si cernamus ea fore diuturna, & inevitabilia. Nam ob defunctos & liberatos malis, ratio non permittit tristari. Sed ad se & suum commodum respicientes, etiam ob hæc omnes homines tristantur. Cæterum ut quis effugiat omne malum, hoc non contingit nisi virtute Dei.

Fassus hunc respondisse ut oportebat, ad proximum dixit: 57 PER quæ veniat quis in contemptum, & amittat gloriam, & existimationis famam? Ille dixit: Quando in aliquo existit superbia & confidentia perpetua, tum supervenit contemptus, & existimationis ejus eversio. Deus tamen omnem gloriam gubernans, quo vult eam inclinat.

Hujus etiam sententia pro rata accepta, sequentem interrogabat: 58. QUIBUS debeat se credere? Illis

ἑαυτόν; τοῖς διὰ τὴν εὔνοιαν (εἶπεν) συνοῦσί σοι, καὶ μὴ διὰ τὸν φόβον, μηδὲ διὰ πολυωρίαν, ἐπανάγοντες πάντα πρὸς τὸ κερδαίνειν. τὸ μὲν γὰρ ἀγαπήσεως σημεῖον, τὸ δὲ δυσνοίας καὶ καιροτηρησίας. ὃς γὰρ ἐπὶ τὸ πλεονεκτεῖν ὁρμᾶται, προδότης πέφυκε. σὺ δὲ πάντας εὔνους ἔχεις, θεοῦ σοι καλὴν βουλὴν διδόντος.

Σοφῶς δὲ αὐτὸν φήσας ἀποκεκρίσθαι, ἑτέρῳ εἶπεν· νθ'. ΤΙ βασιλείαν διατηρεῖ; πρὸς τοῦτ' ἔφη· μέριμνα καὶ φροντὶς, ὡς οὐδὲν κακουργηθήσεται διὰ τῶν ἀποτεταγμένων εἰς τοὺς ὄχλους ταῖς χρείαις· καθὼς σὺ τοῦτο πράσσεις, θεοῦ σοι τὴν σεμνὴν ἐπίνοιαν διδόντος.

Θαρσύνας δὲ τοῦτον, ἕτερον ἐπηρώτα· ξ'. ΤΙ διαφυλάσσει χάριτας καὶ τιμήν; ὁ δὲ εἶπεν, ἀρετή· καλῶν γὰρ ἔργων ἐστὶν ἐπιτέλεια, τὸ δὲ κακὸν ἀποτρέπεται· καθὼς σὺ διατηρεῖς τὴν πρὸς ἅπαντας καλοκἀγαθίαν, παρὰ θεοῦ δῶρον τοῦτ' ἔχων.

Κεχαριτωμένως δὲ καὶ τοῦτον ἀποδεξάμενος, τὸν ἑνδέκατον ἐπηρώτα, διὰ τὸ δύο πλεονάζειν τῶν ἑβδομήκοντα· ξα'. ΠΩΣ ἂν κατὰ ψυχὴν καὶ ἐν τοῖς πολέμοις εἰρηνικῶς ἔχοι; ὁ δὲ ἀπεφήνατο· διαλαμβάνων, ὅτι κακὸν οὐδὲν εἴργασται τῶν ὑποτεταγμένων οὐδενί· πάντες δὲ ἀγωνιοῦνται περὶ τῶν εὐεργετημάτων, εἰδότες, κἂν ἐκ τοῦ ζῆν ἀποτρέχωσιν, ἐπιμελητήν σε τῶν βίων. οὐδὲ γὰρ διαλείπεις ἐπανορθῶν ἅπαντας, τοῦ θεοῦ σοι κατ' εὐφροσύνην δεδωκότος. ἐπισημήνας δὲ κρότῳ πάντας, αὐτοὺς ἀπεδέξατο φιλοφρονούμενος, καὶ προπίνων ἑκάστῳ πλεῖόν τι, πρὸς τὸ τερφθῆναι μετ' εὐφροσύνης, τοῖς ἀνδράσιν συνών, καὶ μετὰ χαρᾶς πλείονος.

¶ Τῇ δὲ ἑβδόμῃ τῶν ἡμερῶν, πλείονος παρασκευῆς γενομένης, προσπαραγενομένων ἑτέρων πλειόνων ἀπὸ τῶν πόλεων (ἦσαν δὴ ἱκανοὶ πρέσβεις) ἐπηρώτησεν ὁ βασιλεὺς, καιροῦ γενομένου, τὸν πρωτεύοντα τῶν ἀπολειπόντων τῆς ἐρωτήσεως· ξβ'. ΠΩΣ ἂν ἀπαραλόγιστος εἴη; ἐκεῖνος δὲ ἔφη· δοκιμάζων καὶ τὸν λέγοντα, καὶ τὸ λεγόμενον, καὶ περὶ τίνος λέγει· καὶ ἐν πλείονι χρόνῳ τὰ αὐτὰ δι' ἑτέρων τρόπων ἐπερωτῶν. τὸ δὲ νοῦν ἔχειν ὀξὺν, καὶ δύνασθαι κρίνειν ἕκαστα, θεοῦ δόρημα καλόν ἐστιν· ὡς σὺ τοῦτο κέκτησαι, βασιλεῦ.

Κρότῳ δὲ ἐπισημηνάμενος ὁ βασιλεὺς, ἕτερον ἐπηρώτα· ξγ'. ΔΙΑ τί τὴν ἀρετὴν οὐ παραδέχονταί τινες τῶν ἀνθρώπων οἱ πλείονες; ὅτι φυσικῶς ἅπαντες, εἶπεν, ἀκρατεῖς, καὶ ἐπὶ τὰς ἡδονὰς τετραμμένοι γεγόνασιν· ὧν χάριν ἀδικία πέφυκε, καὶ τὸ τῆς πλεονεξίας χεῦμα. τὸ δὲ τῆς ἀρετῆς κατάστημα, κωλύει τοὺς ἐπιφερομένους ἐπὶ τὴν ἡδονοκρασίαν, ἐγκράτειαν δὲ κελεύει καὶ δικαιοσύνην προτιμᾶν, ὁ δὲ θεὸς πάντων ἡγεῖται τούτων.

Εὖ

Illis qui versantur tecum ob benevolentiam, non ob metum, neque ob potentiam tuam, referentes inde omnia ad suum commodum. Nam illud argumentum est amoris: hoc, malevolentiæ, & callidæ captationis opportunitatis, ad fraudem usurpandam. Nam qui ducitur cupiditate rerum suarum locupletandarum, solet esse proditor: verum tu omnes benevolos habes, Deo suggerente tibi rectitudinem consilii.

Fassus eum sapienter respondisse dixit sequenti: 59. QUID conservet regnum? Ad hæc respondit ille: Sollicita & diligens observatio & cura, ne à præfectis negotiis expediendis, quid perperam agatur, & mali aliquid inferatur in subditos. Quam quidem curam tu sedulo adhibes, Deo subministrante tibi animi cogitationes graves.

Hoc confirmato, sequentem interrogabat: 60. QUID conservet gratiam & honorem? Ille dixit: Virtus, quæ bona peragit opera, & quod vitiosum est abolet. Quemadmodum tu hoc donum nactus divinum, erga omnes conservas & usurpas perfectam virtutis probitatem.

Hoc etiam libenter audito, undecimum, eo quod illorum duo supra septuaginta essent, interrogabat: 61. QUOMODO etiam in bello gerendo posset esse animo tranquillo? Ille dixit: Si tibi persuaseris, nihil esse à te temere & negligenter ordinatum, omnesque tuos ad edenda præclara facinora inde certaturos, quia sciant, ut maxime ex vita excesserint, te habituros curatorem rerum suarum. Neque enim, Dei beneficio nactus ex animi sententia rerum successum, cessas omnes tuos refocillare, & erigere tua munificentia, ad meliorem rerum suarum statum. Edita significatione approbationis suæ per applausum, ipsos omnes amice commendavit, & singulis paulo plus propinavit, ut eo plus oblectationis & gaudii haberet ista sua conversatio cum ipsis.

¶ Septimo die, instructo convivio cum majori apparatu, eo quod plures, & ii satis multi, advenerant legati ex civitatibus, cum tempus adesset, Rex primum ex reliquis ad interrogandum percunctabatur: 62. QUOMODO effecerit, ut non seducatur & decipiatur verbis aliorum? Ille inquit: Si expenderis & quis sit qui dicat, & quid dicat, & de quo dicat, & quidem longiori tempore eadem aliis modis sciscitando. Sed habere mentem acutam, & idoneam ad quævis dijudicanda, qualem tu habes, hoc est præclarum donum Dei.

Applausu approbationis edito, alterum interrogabat: 63. QUARE plerique homines virtutem non amplexarentur? Ille dixit: Quia natura omnes homines sunt incontinentes, & proclives ad voluptates: unde solet existere injustitiæ & avaritiæ immensitas. At virtus functione & vi sua inhibet præcipites ad incontinentiam voluptatis, & jubet potius colere continentiam & justitiam: sed hæc etiam omnia Deus administrat pro sua voluntate.

Confessus

Εὖ δὲ ἀποκεκρίσθαι τοῦτον εἴπας ὁ βασιλεὺς, τὸν μετ' αὐτὸν ἠρώτα· ξδ'. ΤΙΣΙ δεῖ κατακολουθεῖν τοὺς βασιλεῖς; ὁ δὲ ἔφη· τοῖς νόμοις, ἵνα δικαιοπραγοῦντες, ἀνακτῶνται τοὺς δήμους τῶν ἀνθρώπων· καθὼς σὺ τοῦτο πράσσων, ἀέναον μνήμην καταβέβλησαι σεαυτοῦ, θείῳ προστάγματι κατακολουθῶν.

Εἴπας δὲ καὶ τοῦτον καλῶς λέγειν, τὸν ἐχόμενον ἠρώτα· ξε'. ΤΙΝΑΣ δεῖ καθιστάνειν στρατηγούς; ὁ δὲ εἶπεν· ὅσοι μισοπονηρίαν ἔχουσι, καὶ τὴν ἀγωγὴν * αὐτοῦ μιμούμενοι, πρὸς τὸ διὰ παντὸς εὐδοξίαν ἔχειν αὐτοὺς, τὰ δίκαια πράσσουσι. καθὼς σὺ τοῦτο ἐπιτελεῖς, βασιλεῦ, θεοῦ σοι στέφανον δικαιοσύνης δεδωκότος.

Ἀποδεξάμενος δ' αὐτὸν ὁ βασιλεὺς μετὰ φωνῆς, ἐπὶ τὸν ἐχόμενον ἐπιβλέψας εἶπεν· ξς'. ΤΙΝΑΣ δεῖ καθιστάνειν ἐπὶ τῶν δυνάμεων ἄρχοντας; ὁ δὲ ἀπεφήνατο· τοὺς ἀνδρείᾳ διαφέροντας, καὶ δικαιοσύνῃ· καὶ περὶ πολλοῦ ποιουμένους τὸ σώζειν τοὺς ἄνδρας, ἢ τῷ νικᾶν τῷ θράσει παραβάλλοντας τὸ ζῆν. ὡς γὰρ ὁ θεὸς εὖ ἐργάζεται πᾶσι· καὶ σὺ τοῦτον μιμούμενος, εὐεργετεῖς τοὺς ὑπὸ σεαυτόν.

Ὁ δὲ ἀποκεκρίσθαι φήσας αὐτὸν εὖ, ἄλλον ἠρώτα· ξζ'. ΤΙΝΑ θαυμάζειν ἄξιόν ἐστιν ἄνθρωπον; ὁ δὲ ἔφη· τὸν κεχορηγημένον δόξῃ καὶ πλούτῳ καὶ δυνάμει, καὶ ψυχῇ ἴσον πᾶσιν ὄντα· καθὼς σὺ δόξῃ τε πλούτῳ τε δυνάμει τοῦτο ποιῶν, ἀξιοθαύμαστος εἶ, τοῦ θεοῦ σοι διδόντος εἰς ταῦτα τὴν ἐπιμέλειαν.

Ἐπιφωνήσας δὲ καὶ τοῦτον, πρὸς τὸν ἕτερον εἶπεν· ξη'. ΕΝ τίσι δεῖ πράγμασι τοὺς βασιλεῖς τὸν πλείω χρόνον διάγειν; ὁ δὲ εἶπεν· ἐν ταῖς ἀναγνώσεσι, καὶ ἐν ταῖς τῶν πορειῶν ἀπογραφαῖς διατρίβειν, ὅσαι πρὸς τὰς βασιλείας ἀναγεγραμμέναι τυγχάνουσι, πρὸς ἐπανόρθωσιν καὶ διαμονὴν ἀνθρώπων. ὃ σὺ πράσσων, οὐκ ἐφικτὴν ἄλλοις δόξαν κέκτησαι· θεοῦ σοι τὰ βουλήματα συντελοῦντος.

Ἐνεργῶς δὲ καὶ τοῦτον προσείπας, ἕτερον ἠρώτα· ξθ'. ΤΙΝΑΣ δεῖ ποιεῖσθαι τὰς ἀγωγὰς ἐν ταῖς ἀνέσεσι καὶ ταῖς ῥαθυμίαις; ὁ δὲ ἔφη· θεωρεῖν, ὅσα ὁπλίζεται μετὰ περιστολῆς· καὶ πρὸ ὀφθαλμῶν τιθέναι τὰ τοῦ βίου, μετ' εὐσχημοσύνης καὶ καταστολῆς γινόμενα, βίοις σωφρονῶν καὶ κατέχων· ἔνεστι γὰρ καὶ ἐν τούτοις ἐπισκευή τις· πολλάκις γὰρ καὶ ἐκ τῶν ἐλαχίστων αἱρετόν τι δείκνυται. σὺ δὲ πᾶσαν ἠσκηκὼς καταστολὴν διὰ τῶν ἐνεργειῶν, φιλοσοφεῖς διὰ καλοκαγαθίαν ὑπὸ θεοῦ τιμώμενος.

Εὐαρεστήσας δὲ τοῖς προειρημένοις, πρὸς τὸν ἔνατον εἶπεν· ο'. ΠΩΣ δεῖ διὰ τῶν συμποσίων διεξάγειν; ὁ δὲ ἔφησιν· παραλαμβάνοντα τοὺς φιλομαθεῖς, καὶ δυναμένους ὑπομιμνήσκειν τὰ χρήσιμα τῆς βασιλείας, καὶ τοὺς τῶν ἀρχομένων βίους, ἐμμελέστερον ἢ μουσικώτερον οὐκ ἂν εὕροις τι τούτων. οὗτοι γὰρ θεοφι-

Confessus hunc bene respondisse, proximum interrogabat: 64. QUIBUS Reges potissimum insistere deberent? Ille inquit: Legibus, ut suo juste agendi studio demereantur omnium famam & approbationem: quemadmodum tu Rex, hoc modo obtemperans mandato divino, immortalem nominis tui memoriam es adeptus.

Fassus & hunc præclare dixisse, sequentem interrogabat: 65. QUI essent constituendi administratores functionum publicarum? Ille dixit: Qui oderunt improbitatem, & imitantes mores & vitæ * *tuæ* rationem, ad retinendam perpetuam existimationis suæ famam, justa agunt: quemadmodum tu Rex hæc facis, quia divinitus concessam justitiæ coronam habes.

Approbato eo clara voce, & oculis in sequentem conjectis, dixit ad eum: 66. QUOS oporteat in belli duces eligere? Ille respondit: Fortitudine & justitia præstantes, & quibus potius est servare homines, quam cupiditate victoriæ per confidentiam perdere eorum vitam. Nam ut Deus beneficus est in omnes, ita tu imitatione ejus omnia beneficentia prosequeris.

Fassus eum bene respondisse, alium interrogabat: 67. QUEM hominem conveniat prosequi admiratione? Ille dixit: Eum qui cum gloria, opibus, & potentia abunde sit exornatus, interim tamen animo æquali sit erga omnes. Quemadmodum tu Rex, dignus es admiratione, qui dignitate, opibus, & potentia excellens, hoc facis, Deo tibi hujus rei curam injiciente.

Hoc quoque comprobato, ad proximum dixit: 68. IN quibus rebus reges majori tempore versari deberent? Ille inquit: In legendo & in commentariis legationum illarum quæ extant perscriptæ ad reges, ad instauranda illa quæ faciunt ad rectam, salutarem, & diuturnam hominum gubernationem. Quo studio tu, Deo promovente tuos conatus ad eventus suos, consecutus es gloriam aliis ignotam.

Ut res se habeat, & hunc fassus dixisse, sequentem interrogabat: 69. QUALIS vitæ ratio sit ineunda, & quid agendum in otio & remissione animorum? Ille inquit: Contemplanda sunt illa quæ sobrie, & cum animi contractione adornantur: & ob oculos ponenda, quæ in vita cum decore, honestate, & moderatione fiunt, geruntur que, ut moderate & continenter vivas. Inest enim & in his quædam insonnatio, & sæpe ex minimis aliquid prosecutione dignum demonstratur. Tu vero, cum sensu usuque vitæ & actionum sis exercitatus, philosopharis in studio & actionibus virtutis perfectæ, ex illa præstantia honoris quæ tibi à Deo contigit.

Delectatus oratione hujus, ad nonum dixit: 70. QUÆ sit vitæ ratio in conviviis peragendis ineunda? Ille inquit: Si adjunxeris tibi discendi cupidos, quique possint tibi & regni negotia & subditorum mores vitamque commemorare, nihil his concinnius & suavius poteris habere. Nam tales,

θεοφιλεῖς εἰσι, πρὸς τὰ κάλλιστα πεπαιδευκότες τὰς διανοίας. καθὼς καὶ σὺ τοῦτο πράσσεις, ὡς ἂν ὑπὸ θεοῦ σοι κατευθυνομένων ἁπάντων.

Διαχυθεὶς δὲ ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις, ἐπυνθάνετο τοῦ μετέπειτα· οα'. Τί κάλλιστόν ἐστι τοῖς ὄχλοις, ἐξ ἰδιώτου βασιλέα κατασταθῆναι ὑπ' αὐτῶν, ἢ ἐκ βασιλέως βασιλέα; ἐκεῖνος δὲ ἔφη· τὸ ἄριστον τῇ φύσει. καὶ γὰρ ἐκ βασιλέων βασιλεῖς γενόμενοι, πρὸς τοὺς ὑποτεταγμένους ἀνήμεροί τε καὶ σκληροὶ καθίστανται· πολλῷ δὲ μᾶλλον καί τινες τῶν ἰδιωτῶν, καὶ κακῶν πεπειραμένοι, καὶ πενίας μετεσχηκότες, ἄρξαντες ὄχλων, χαλεπώτεροι τῶν ἀνοσίων τυράννων ἐξέβησαν. ἀλλά, ὡς προεῖπον, ἦθος χρηστὸν, καὶ παιδείας κεκοινωνηκὸς, δυνατὸν ἄρχειν ἐστί· καθὼς σύ, βασιλεῦ, μέγας ὑπάρχεις, οὐ τοσοῦτον τῇ δόξῃ τῆς ἀρχῆς καὶ τοῦ πλούτου προέχων, ὅσον ἐπιεικείᾳ καὶ φιλανθρωπίᾳ πάντας ἀνθρώπους ὑπερῆρκας, θεοῦ σοι δεδωρημένου ταῦτα ἐπὶ πλείονα χρόνον.

Καὶ τοῦτον ἐπαινέσας, τὸν ἐπὶ πᾶσι ἠρώτα· οβ'. Τί μέγιστόν ἐστι βασιλείας; πρὸς τοῦτο εἶπε· τὸ διὰ παντὸς ἐν εἰρήνῃ καθεστάναι τοὺς ὑποτεταγμένους, καὶ κομίζεσθαι ταχέως τὸ δίκαιον ἐν ταῖς διακρίσεσι. ταῦτα δὲ γίνεται διὰ τὸν ἡγούμενον, ὅταν μισοπόνηρος ᾖ, καὶ φιλάγαθος, καὶ περὶ πολλοῦ ποιούμενος ψυχὴν ἀνθρώπου σώζειν· καθὼς καὶ σὺ μέγιστον ἥγησαι τὴν ἀδικίαν· δικαίως δὲ πάντα κυβερνῶν, ἀένναον τὴν περὶ σεαυτὸν δόξαν κατεσκεύασας· τοῦ θεοῦ σοι διδόντος ἔχειν ἁγνὴν, καὶ ἀμιγῆ παντὸς κακοῦ τὴν διάνοιαν.

Καταλήξαντος δὲ τούτου, κατερράγη κρότος μετὰ φωνῆς καὶ χαρᾶς ἐπὶ πλείονα χρόνον. ὡς δὲ ἐπαύσατο ὁ βασιλεὺς λαλῶν, ποτήριον ἐπεχέατο καὶ τῶν παρόντων ἁπάντων, καὶ τῶν εἰρημένων λόγων. ἐπὶ πᾶσι δὲ εἶπε· τὰ μέγιστά μοι γέγονεν ἀγαθὰ, παραγενηθέντων ὑμῶν. πολλὰ γὰρ ὠφέλημαι, καταβεβλημένων ὑμῶν διδαχὴν ἐμοὶ πρὸς τὸ βασιλεύειν. ἑκάστῳ δὲ τρία τάλαντα προσέταξεν ἀργυρίου δοθῆναι, καὶ τὸν ἀποκαταστήσοντα παῖδα. συνεπιφωνησάντων δὲ πάντων, χαρᾶς ἐπληρώθη τὸ συμπόσιον, ἀδιαλείπτως τοῦ βασιλέως εἰς εὐφροσύνην τραπέντος.

Ἐγὼ δὲ εἴπα πλείονα· καὶ τούτοις, ὦ Φιλόκρατες, συγγνώμην ἔχειν. τεθαυμακὼς γὰρ τοὺς ἄνδρας ὑπὲρ τὸ δέον, ὡς ἐκ τοῦ καιροῦ τὰς ἀποκρίσεις ἐποιοῦντο, πολλοῦ χρόνου δεομένας· καὶ τοῦ μὲν ἐρωτῶντος, μεμεριμνηκότος ἕκαστα· τῶν δὲ ἀποκρινομένων, ἀλλήλως ἐχόντων τὰ πρὸς τὰς ἐρωτήσεις· ἄξιοι θαυμασμοῦ κατεφαίνοντό μοι, καὶ τοῖς παροῦσι, μάλιστα δὲ τοῖς φιλοσόφοις. οἴομαι δὲ καὶ πᾶσι τοῖς παραληψομένοις τὴν ἀναγραφὴν, ἄπιστον φανεῖται.

tales, cum habeant animos eruditos, & conformatos ad res optimas, sunt chari Deo. Quemadmodum & tu talibus es occupatus, ut cui omnia à Deo recte administrentur.

Exhilaratus his dictis, sequentem interrogabat; 71. UTRUM sit satius populo ut ex privatis aliquem sibi eligant regem, an vero ex regia stirpe genitum? Ille inquit: Id est eligendum, quod est naturæ gratum & exoptatum. Nam & ex regibus electi in gubernationem regni, adversus subditos inclementes & duri solent exsistere: & ex privatis, ac quidem multo magis, nonnulli & alia mala & paupertatem experti, cum ad imperia populorum fuerunt perducti, exstiterunt intolerabiliores etiam impiis tyrannis. Sed quemadmodum dixi, indoles ingenii, & natura proba, & humanitatis cultu exornata, idonea est ad imperandum: quemadmodum tu Rex magnus es, qui non tam dignitate imperii & opibus præstas aliis, quam æquitate & humanitate omnes alios homines superas, Deo tibi ista in longius tempus sua benignitate suggerente.

Hoc etiam collaudato, postremum interrogabat: 72. QUID esset in Regia gubernatione maximum? Ad quod ille dixit: Ut subditi habeant perpetuam pacem, & celeriter consequantur in judiciis jus suum. Quæ quidem tum fiunt, quando qui præest imperio, malis adversatur, & probos diligit: ac maximi facit hoc, ut animam hominis conservet. Quemadmodum & tu maximum semper judicasti scelus injustitiam: juste vero omnia gubernando, perpetuam tibi consecutus es gloriam ex beneficio divino: unde tu mentem habes sanctam, & ab omni malorum labe immaculatam.

Finita hujus oratione, exortus est applausus cum acclamatione & gaudio: qui satis diu duravit. Postquam autem Rex finivit hujusmodi cum ipsis collocutionem, tum & aliis omnibus præsentibus, & iis qui sententias dixerant, craterem plenum vino libavit, & tandem in hunc modum locutus est: Vestro adventu contigerunt mihi maxima bona. Nam multum utilitatis percepi ex doctrina vestra, mihi de regnandi ratione tradita. Hinc mandavit, singulis talenta tria donari, & puerum qui ea obtulerit. Hæc omnibus approbantibus, cum acclamatione convivium replebatur lætitia, Rege sine intermissione omnia ad hilaritatem referente.

Ego autem, ô Philocrates, fui longior in commemorandis istis: sed tu dabis veniam mihi. Nam ego supra modum admiratus sum istos viros, ita ex tempore respondentes de rebus meditationis longi temporis. Nec vero ego solum admirabar tum interrogantis solertiam in meditandis singulis quæstionibus, tum facultatem tam promptam respondentium ita apte & sapienter ad singulas interrogationes: sed & aliis omnibus qui aderant, videbantur hæc admiratione digna, & præcipue Philosophis. Existimo autem fore, ut & aliis omnibus qui hæc sunt lecturi, videantur ea supra fidem

φανείη. ψεύσματα μὲν οὐ καθῆκόν ἐστι περὶ τῶν ἀναγραφομένων. εἰ δὲ καί τι παραβαίη, οὐχ ὅσιον ἐν τούτοις· ἀλλ' ὡς γέγονεν, οὕτω διασαφοῦμεν, ἀφοσιούμενοι πᾶν ἁμάρτημα. διόπερ ἐπειράθην, ἀποδεξάμενος αὐτῶν τὴν τοῦ λόγου δύναμιν παρὰ τῶν ἀναγραφομένων ἕκαστα τῶν γινομένων ἔν τε τοῖς χρηματισμοῖς τοῦ βασιλέως, καὶ τῶν συμποσίαις, μεταλαβεῖν. ἔθος γάρ ἐστι, καθὼς καὶ σὺ γινώσκεις, ἀφ' ἧς ἂν ἡμέρας ὁ βασιλεὺς ἄρξηται χρηματίζειν, μέχρις οὗ κατακοιμηθῇ, πάντα ἀναγράφεσθαι τὰ λεγόμενα· καλῶς γινομένου καὶ συμφέροντος. τῇ γὰρ ἐπιούσῃ, τὰ τῇ πρότερον πεπραγμένα καὶ λελαλημένα, πρὸ τοῦ χρηματισμοῦ παραναγινώσκεται· καὶ εἴ τι δεόντως μὴ γεγονὸς, διορθώσεως τυγχάνει τὸ πεπραγμένον. πάντ' οὖν, ἀκριβῶς πάντων ἀναγεγραμμένων, ὡς ἐλέχθη, μεταλαβόντες, κατακεχωρήκαμεν· εἰδότες, ἣν ἔχεις φιλομάθειαν εἰς τὰ χρήσιμα.

¶ Μετὰ δὲ τρεῖς ἡμέρας, ὁ Δημήτριος παραλαβὼν αὐτοὺς, καὶ διελθὼν τὸ τῶν ἑπτὰ σταδίων ἀνάχωμα τῆς θαλάσσης πρὸς τὴν νῆσον, καὶ διαβὰς τὴν γέφυραν, καὶ προσελθὼν ὡς ἐπὶ τὰ βόρεια μέρη, συνέδριον ποιησάμενος εἰς κατεσκευασμένον οἶκον παρὰ τὴν ἠϊόνα, διαπρεπῶς ἔχοντα, καὶ πολλῆς ἡσυχίας ἔφεδρον, παρεκάλει τοὺς ἄνδρας τὰ τῆς ἑρμηνείας ἐπιτελεῖν, παρόντων, ὅσα πρὸς τὴν χρείαν ἔδει, καλῶς. οἱ δὴ ἐπετέλουν ἕκαστα σύμφωνα ποιοῦντες πρὸς ἑαυτοὺς ταῖς ἀντιβολαῖς· τὸ δὲ ἐκ τῆς συμφωνίας γινόμενον πρεπόντως, ἀναγραφῆς οὕτως ἐτύγχανε παρὰ τοῦ Δημητρίου. καὶ μέχρι μὲν ὥρας ἐνάτης τὰ τῆς συνεδρίας ἐγίνετο· μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τὴν τοῦ σώματος θεραπείαν ἀπελύοντο γίνεσθαι, χορηγουμένων αὐτοῖς δαψιλῶς, ὧν προῃροῦντο, πάντων. ἐκτὸς δὲ, καθ' ἡμέραν, ὅσα βασιλεῖ παρεσκευάζετο, καὶ τούτοις ὁ Δωρόθεος ἐπετέλει· προστεταγμένον γὰρ ἦν αὐτῷ διὰ τοῦ βασιλέως. ἅμα δὲ τῇ πρωΐᾳ παρεγίνοντο εἰς τὴν αὐλὴν καθ' ἡμέραν, καὶ ποιησάμενοι τὸν ἀσπασμὸν τοῦ βασιλέως, ἀπελύοντο πρὸς τὸν ἑαυτῶν τόπον. ὡς δὲ ἔθος ἐστὶ πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις, ἀπονιψάμενοι τῇ θαλάσσῃ τὰς χεῖρας, ὡς ἂν ηὔξαντο πρὸς τὸν θεόν, ἐτρέποντο πρὸς τὴν ἀνάγνωσιν, καὶ τὴν ἑκάστου διασάφησιν.

Ἐπηρώτησα δὲ καὶ τοῦτο· τίνος χάριν ἀπονιζόμενοι τὰς χεῖρας, τὸ τηνικαῦτα εὔχονται; διεσάφουν δὲ, ὅτι μαρτύριόν ἐστι, τοῦ μηδὲν εἰργάσθαι κακόν· πᾶσα γὰρ ἐνέργεια διὰ τῶν χειρῶν γίνεται· καλῶς καὶ ὁσίως μεταφέροντες ἐπὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἀλήθειαν, πάντα. καθὼς δὲ προειρήκαμεν, οὕτως καθ' ἑκάστην εἰς τὸν τόπον, ἔχοντα τερπνότητα διὰ τὴν ἡσυχίαν καὶ καταύγειαν, συναγόμενοι, τὸ προκείμενον ἐπετέλουν. συνέτυχε δὲ οὕτως, ὥστε ἐν ἡμέραις ἑβδομήκοντα δυσὶ τελειωθῆναι τὰ τῆς μεταγραφῆς. οἱονεὶ κατὰ πρόθεσίν τινα τοῦ τοιούτου γεγενημένου.

Τελείωσιν δὲ ὅτε ἔλαβε, συναγαγὼν ὁ Δημήτριος τὸ πλῆθος τῶν Ἰουδαίων εἰς τὸν τόπον, οὗ καὶ τὰ τῆς ἑρμηνείας ἐτελέσθη, παρανέγνω πᾶσι, παρόντων καὶ τῶν διερμηνευσάντων· οἵτινες καὶ μεγάλης

fidem esse. Sed profecto non licet aliquid falsi narrare de illis quæ excepta & annotata sunt, & nefas judicem etiam præterire aliquid in hujusmodi rebus: sed ut hæc sunt acta, ita ea exposui, ut vitarem omnem errorem. Licet ipse hæc omnia percepissem, tamen studiose istam expositionem meam accepi ab illis, qui singula quæ fiunt & dicuntur in regiis negotiis & conviviis, excipere & annotare solent. Nam ut ipse scis, hic mos est, ut quo die Rex incipiat publica negotia agere, omnia excipiantur scripto, & quæ dicantur & quæ gerantur: id quod recte & utiliter fit. Nam hinc sequenti die & acta & dicta præcedentis, antequam quid denuo publice agatur, præleguntur: & si quid parum recte est gestum, id emendatur. Inde ergo cum essent omnia accurate perscripta, nos hæc, sicut dictum est, desumpta & selecta ad te misimus: non ignari, quantum sit tuum studium ad cognoscenda utilia.

Post tres autem dies, quam illa quæ exposuimus, sunt acta, Demetrius assumpsit ad se illos viros, & in insulam per aggerem maris septem stadiorum est progressus, ac trajecto ponte partes versus septentrionem occupavit: ibi congregatis illis viris in domo splendide exstructa juxta littus, & ab omni tumultu & strepitu remota, cum ibi etiam adessent omnia quibus opus foret, hortabatur eos ad interpretationem legis perficiendam. Illi autem rem aggressi, singula ex collationibus ad consonantiam elaborabant: & quod ita consonum & elaboratum erat, ut dignum esset descriptione, à Demetrio scripto excipiebatur. Ac quidem quotidie ad nonam usque horam in tali studio congregati erant: deinde discedebant ad curandum corpus, quibus omnia large suppeditabantur quæ cupiebant, & præter hæc quotidie de illis quæ regi apparabantur, & bis Dorotheus ex mandato regio subministrabat. Atque etiam quotidie bene mane veniebant in aulam, & salutato Rege redibant ad suum locum: lotisque manibus pro communi omnium Judæorum more ex mari, & votis ad Deum peractis, pergebant legere, & singula interpretari.

Interrogati autem & de hoc quare post lotas manus vota faciant? Respondebant: hoc fieri in argumentum & testimonium, nullius sceleris perpetrati, quoniam per manus omnes conatus soleant expediri: ita pulchre & sancte omnia ad justitiam referebant. In singulos ergo dies, sicut ante diximus, convenientes in locum illum amœnum, jucundumque & ob silentium & ob lucis claritatem, rem susceptam studebant perficere. Ac quidem ita cecidit, ut illa interpretatio eorum perficeretur diebus septuaginta duobus, perinde ac si data opera hoc ab illis factum fuisset.

Finita autem interpretatione, Demetrius illam Judæis omnibus congregatis in locum illum, ubi ea perfecta erat prælegit, præsentibus etiam ipsis interpretibus: qui etiam ut authores magnorum bonorum

μεγάλης ἀποδοχῆς παρὰ τοῦ πλήθους ἔτυχον, ὡς ἂν μεγάλων ἀγαθῶν παραίτιοι γεγονότες. ὡσαύτως δὲ καὶ τὸν Δημήτριον ἀποδεξάμενοι, παρεκάλεσαν δοῦναι τοῖς ἡγουμένοις αὐτῶν μεταγραψάντα τὸν πάντα νόμον. καθὼς δὲ ἀνεγνώσθη τὰ τεύχη, στάντες οἱ ἱερεῖς, καὶ τῶν ἑρμηνέων οἱ πρεσβύτεροι, καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ πολιτεύματος οἵ τε ἡγούμενοι τοῦ πλήθους, εἶπον· ἐπεὶ καλῶς καὶ ὁσίως διηρμήνευται, καὶ κατὰ πᾶν ἠκριβωμένως· καλῶς ἔχον ἐστὶν, ἵνα διαμένῃ ταῦτα οὕτως ἔχοντα, καὶ μὴ γένηται μηδεμία διασκευή. πάντων δὲ ἐπιφωνησάντων τοῖς εἰρημένοις, ἐκέλευσε διαράσασθαι, καθὼς ἔθος αὐτοῖς ἐστιν· εἴ τις διασκευάσει, προστιθεὶς, ἢ μεταφέρων τι τὸ σύνολον τῶν γεγραμμένων, ἢ ποιούμενος ἀφαίρεσιν· καλῶς τοῦτο πράσσοντες, ἵνα διὰ παντὸς ἀέναα καὶ μένοντα φυλάσσηται.

Προσφωνηθέντων δὲ καὶ τούτων τῷ βασιλεῖ, μεγάλως ἐχάρη. τὴν γὰρ πρόθεσιν, ἣν εἶχεν, ἀσφαλῶς ἔδοξε τετελειῶσθαι. παρανεγνώσθη δὲ αὐτῷ πάντα, καὶ λίαν ἐξεθαύμασε τὴν τοῦ νομοθέτου διάνοιαν. καὶ πρὸς τὸν Δημήτριον εἶπε· πῶς τηλικούτων συντετελεσμένων οὐδεὶς ἐπεβάλετο τῶν Ἱστορικῶν ἢ Ποιητῶν ἐπιμνησθῆναι; ἐκεῖνος δὲ ἔφη· διὰ τὸ σεμνὴν εἶναι τὴν νομοθεσίαν, καὶ διὰ θεοῦ γεγονέναι· καὶ τῶν ἐπιβαλλομένων τινὲς, ὑπὸ τοῦ θεοῦ πληγέντες, τῆς ἐπιβολῆς ἀπέστησαν. καὶ γὰρ ἔφησεν ἀκηκοέναι Θεοπόμπου, διότι μέλλων τινὰ τῶν προηρμηνευμένων ἐπισφαλέστερον ἐκ τοῦ νόμου προσιστορεῖν, ταραχὴν λαβεῖν τῆς διανοίας πλεῖον ἡμερῶν τριάκοντα· κατὰ δὲ τὴν ἄνεσιν ἐξιλάσκεσθαι τὸν θεὸν, σαφὲς αὐτῷ γενέσθαι, τίνος χάριν τὸ συμβαῖνόν ἐστι. δι' ὀνείρου δὲ σημανθέντος, ὅτι τὰ θεῖα βούλεται περιεργασάμενος εἰς κοινοὺς ἀνθρώπους ἐκφέρειν· ἀποσχόμενον δὲ, οὕτως ἀποκαταστῆναι. καὶ περὶ Θεοδέκτου δὲ, τοῦ τῶν τραγῳδιῶν ποιητοῦ, μετέλαβον ἐγὼ, διότι παραφέρειν μέλλοντός τι τῶν ἀναγεγραμμένων ἐν τῇ βίβλῳ πρός τι δρᾶμα, τὰς ὄψεις ἀπεγλυκλάθη· καὶ λαβὼν ὑπόνοιαν, ὅτι διὰ τοῦτ' αὐτῷ τὸ σύμπτωμα γέγονεν· ἐξιλασάμενος τὸν θεὸν ἐν πολλαῖς ἡμέραις, ἀποκατέστη.

Μεταλαβὼν δὲ ὁ βασιλεὺς, καθὼς προεῖπον, περὶ τῶν τοῦ Δημητρίου προσκυνήσας, ἐκέλευσε μεγάλην ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι τῶν βιβλίων, καὶ συντηρεῖν ἁγνῶς. παρακαλέσας δὲ καὶ τοὺς ἑρμηνεῖς, ἵνα παραγίνωνται πυκνότερον πρὸς αὐτὸν, ἐὰν ἀποκαταστῶσιν εἰς τὴν Ἰουδαίαν. δίκαιον γὰρ, εἶπε, τὴν ἐκπομπὴν αὐτῶν γενέσθαι· παραγενηθέντας δὲ, ὡς θέμις, ἕξειν αὐτοὺς φίλους, καὶ πολυδωρίας τῆς μεγίστης τεύξεσθαι παρ' αὐτοῦ. τὰ δὲ πρὸς τὴν ἐκπομπὴν αὐτῶν ἐκέλευσεν ἑτοιμάζειν, μεγαλομερῶς τοῖς ἀνδράσι χρησάμενος, ἑκάστῳ στολὰς ἔδωκε τῶν κρατίστων τρεῖς, καὶ χρυσίου τάλαντα δύο, καὶ κυλίκιον ταλάντου, καὶ τρικλίνου πᾶσαν κατάστρωσιν.

Ἔπεμψε δὲ καὶ τῷ Ἐλεαζάρῳ μετὰ τῆς ἐκπομπῆς αὐτῶν ἀργυρόποδας κλίνας δέκα, καὶ

τὰ

bonorum, magna laude & approbatione sunt accepti ab ipsa Judæorum multitudine. Similiter & Demetrium prosequuti sunt sua laude, rogaruntque ut istam legem descriptam suis etiam principibus dare vellet. Ut autem perlecta sunt ista volumina legis, adstantes & sacerdotes & interpretes seniores, gubernatoresque civitatis, & ipsi principes multitudinis, ita dixerunt: Quoniam recte, sancte, & per omnia accurate perfecta est ista interpretatio, par est, ut omnia permaneant in suo habitu, nec ulla fiat immutatio. Omnibus ad hæc cum approbatione acclamantibus: jussit Demetrius illos, ut haberent in more, imprecari dira illi, si quis immutaturus esset quid vel addendo, vel transferendo, vel auferendo. Quod recte fecerunt, ad hoc ut perpetuo conservarentur illa salva, & cum diuturnitate inviolata.

Quæ & ipsa cum essent Regi denunciata, valde est gavisus. Nam putabat ita præclare suum institutum esse ad perpetuitatem confirmatum. Ac quidem cum ipsi omnia essent prælecta, valde admiratus est legislatoris mentem. Et ad ipsum Demetrium dixit: Quare tanti operis nullus Historiographorum aut Poetarum aggressus sit mentionem facere? Ille inquit: Quia ista lex est sacrosancta, & divinitus lata: tum quia nonnulli aggressi, divina plaga territi, ab instituto destiterunt. Nam audivi Theopompum, cum vellet quædam ex ista lege, tum non ita commode versa, in suam historiam inserere, animo fuisse turbatum ultra dies trigiota: & in morbi intermissione cum exorasset Deum votis, ut sibi declararet, quam ob causam hoc sibi accidisset: in somno ei fuisse indicatum, ideo accidisse, quia divina studio suo evulgare conaretur. Hinc cum institutum intermisisset, dicitur fuisse liberatus à morbo. Accepi etiam de Theodecte tragico poeta, cum voluisset aliquid quod scriptum esset hoc libro, transferre in quandam suam fabulam, fuisse visum ei ablatum, donec perpendisset hoc sibi evenisse propter hoc suum factum, & per multos dies reconciliasset sibi Deum votis suis.

His auditis Rex, & (sicut diximus) accepta à Demetrio legis interpretatione, religiosa veneratione est eam prosecutus: & jussit magnam curam haberi librorum istorum, eosque religiose observare. Ipsos etiam interpretes rogavit, ut post reditum suum in Judæam crebrius ad se venire vellent. Jam enim justum esse ut ipsos dimittat: sed si redirent ad se, ipsos, ut par sit, pro amicis habiturum, & maximis muneribus ornaturum. Hinc jussit adornari quæ facerent ad illos deducendos, magnaque munificentia est in eos usus. Dedit cuique tres pulcherrimas stolas, & duo talenta auri, & calicem talenti unius, & omnem ornatum qui in cœnaculis expandi solet.

Mittebat etiam Eleazaro simul in deductione illa, decem mensas argenteis pedibus præditas, &

omnem

τὰ ἀκόλουθα πάντα· καὶ κυλίκιον ταλάντων τριάκοντα, καὶ στολὰς δέκα, καὶ πορφύραν, καὶ στέφανον διαπρεπῆ, καὶ βυσσίνων ὀθονίων εἰς τὸν ἑκατὸν, καὶ φιάλας, καὶ τρυβλία, καὶ κρατῆρας χρυσοῦς δύο πρὸς ἀνάθεσιν. ἔγραψε δὲ καὶ παρακαλῶν, ἵνα ἐάν τινες τῶν ἀνδρῶν προαιρῶνται πρὸς αὐτὸν ἀνακομισθῆναι, μὴ κωλύσῃ· περὶ πολλοῦ ποιούμενος, τοῖς πεπαιδευμένοις συνεῖναι, εἰς τοιούτους τε τὸν πλοῦτον κατατίθεσθαι δαψιλῶς, καὶ οὐκ εἰς μάταια.

Εὖ δὲ, καθὼς ἐπηγγειλάμην, ἀπέχεις τὴν διήγησιν, ὦ Φιλόκρατες· τέρπειν γάρ οἴομαί σε ταῦτα, ἢ τὰ τῶν μυθολόγων βιβλία. νένευκας γὰρ πρὸς περιεργίαν, καὶ ἐν τούτοις τὸν πλείονα χρόνον διατελεῖς. πειράσομαι δὲ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἀξιολόγων ἀναγράφειν, ἵνα διαπορευόμενος αὐτὰ, κομίζῃ τοῦ βουλεύματος τὸ κάλλιστον ἔπαθλον.

omnem earum ornatum, & calicem triginta talentorum. Stolas item decem, & purpuram, ac coronam insignem decore, tum circiter centum linteola byssina. Ad hæc, phialas & pelves, & duos aureos crateras ad libationes sacras. Præterea scripsit ad ipsum, & eum rogavit, ne prohibere vellet, si quando qui istorum virorum iter ad se suscepturi essent. Nam sibi gratissimam futuram conversationem cum tam doctis & intelligentibus viris: seque malle suas opes large & magnifice conferre in tales homines, quam in alias non tanti momenti res.

Atque ita, Philocrates, quemadmodum promisi tibi, habes hanc historiam: quali puto te magis oblectari, quam libris eorum qui fabulas continent. Nam intentus es studio gravium rerum, & huc plus temporis impertis. Dabo autem operam, ut quæ alia commemoratu digna nancisci potero, & illa ad te perscribam: ut illis evolutis, consequaris studii tui pulcherrimum præmium.

ERRATA.

Auctore à Prælo absente, irrepsere menda complufcula, quorum nonnulla emendari curavi: alia quæ hactenus deprehendere potui, hæc sunt: pag. 5. not. col. 1. lin. 3. lege, lib. 4. p. 12. not. col. 1. lin. 9. lege, *Is. Vossium.* p. 16. l. 12. metueret. p. 31. l. 33. *Phylarcho.* p. 32. l. ult. *Æschylique.* p. 33. l. 10. & p. 34. l. 4. in Bibliotheca instruenda. p. 33. l. penult. pro CXXXVIII. lege, CXVIII. p. 38. l. 9. (*a*) dele. p. 42. l. 49. sublimem. p. 43. l. 30. significant. p. 46. not. col. 2. l. 15. perpendunt. p. 47. l. 31. pro audivisse, lege, nominatum fuisse. p. 71. marg. ad l. 34. lege, Jos. VI. 26. p. 84. l. 22. angusto. p. 89. l. 34. pro, convincant, atque persuadeant, lege, in sententiam nostram vel invitos cogant pertrahantque. p. 107. l. 18. *βιβλίοις.* l. 20. *βιβλίοις.* p. 110. l. 42. Legis, vel nullum satis correctum, reperiendum p. 113. l. 18. pro XXV. lege, XXVIII. marg. l. 2. pro, VII. 21. lege, V. 15. p. 116. l. 19. חוֹמֶר. p. 121. l. 19. פִּגֻּל. lin. 20. lege, LXV. p. 129. l. 27. lege, & *Georgius Homædides Elmacinus.* p. 137. l. 17. *expeditius.* p. 148. l. 48. eum. p. 155. l. 4. illuc. p. 159. l. 22. lege, VII. 31. p. 160. l. 35. תורדן. p. 170. l. 45. ארנבת. marg. l. 15. Gen. 49. 6. & l. 23. Exod. 24. 11. p. 171. l. 33. ex dele. p. 175. l. 20. alibi. p. 180. l. 22. pro jamjam, lege, jam. p. 191. l. 11. *Prophetas.* & l. 24. pro, quia, lege, qui. p. 193. l. 18. *Jobeleis* 27ti. p. 194. l. 21. *Hen.* p. 197. l. 36. *Hexaplis.* p. 203. l. 20. ullo. p. 219. l. ult. pro, inde, lege, deinde. p. 223. l. 39. μεθερμηνευ. p. 224. l. 4. πατέρας. & l. 13. Tragœdo. p. 227. l. 13. lege, (*f*) Grotius. & l. 14. lege, (*d*) *Lightfootus.* p. 229. l. 12. הושע. & l. 50. Proselytos. p. 233. l. 6. hodiernum. p. 234. l. 10. *&* vertere. p. 238. l. 8. *Dionem Chrysostomum.* p. 240. l. 30. pro, fallatur, lege, memoria lapsus sit. l. penult. lege, plura quædam dici possint, hic vero tantum &c. p. 243. marg. l. 9. lege, c. 3. §. 10. p. 244. l. 45. Joan. VII. 38. p. 245. l. 18. idem inculcat. p. 246. l. 30. pro *Hexapli* lege, *Pentaseludi.* p. 254. l. 52. *opponere.* p. 260. l. 17. *Levitici.* p. 261. marg. l. 3. lege, §. 13. p. 263. l. 38. lege, §. 72. 73. p. 265. l. 13. Et. LIX. p. 269. l. 13. vel oscitantia vel fraude. & l. 23. *Dositheum.* p. 272. l. 12. חסיריך לראות. p. 273. l. 2. lege, XV. 7. & l. 22. וּקְאָב. ibid. l. 24. pro כְּאָב, legerunt כְּאָב. ibid. ויכאב. p. 274. l. 3. Inter ea quæ. p. 275. l. 25. pro, ex eodem Psalmo vers. 3. lege, ex Psalmo 52. versu 4. p. 275. l. 48. רוע. p. 277. l. 37. &c. *Barnabas.* p. 280. l. 16. testimoniorum. p. 281. l. 24. statim à principio. p. 286. l. 31. Homiliâ. p. 300. l. 16. ut & Patrum. p. 303. l. 27. amplexas. p. 306. l. 31. & 44. Admirabilis, p. 310. marg. l. 1. Gen. 2. 2. p. 334. l. 48. quendam p. 337. l. 21. & 24. *Senensis.* p. 343. l. 18. post *Stapletonus*, adde; si recte à scriptore quodam citatur: sed tale quid apud illum non invenio. p. 350. l. 24. *exceptum.* p. 352. l. 19. Concilii. p. 353. l. 48. *non tam Hebræa.* p. 356. l. 35. expressisse. p. 358. l. 9. *Catalogo.* & l. 18. tentarum. p. 366. l. 12. inflatos fuisse. & l. 44. sursum deorsum. p. 369. l. 14. in literas se Hebraicas. p. 370. l. 1. *in rem horrendam refugisse* loqui in reprehensionem τῶν LXX. ibid. l. 22. disertitudinem. p. 379. l. 44. lege, 6. De hisce &c. p. 381. l. 7. illa Hieronymi, in quibus LXX. p. 393. l. 41. quorum est. p. 396. l. 40. pro, in Bibliothecæ cujusdam Catalogo, lege, in Inscriptione *Lud. Saxonis* Expos. in Psal. p. 400. l. 29. intellige. p. 440. l. 18. subreptam. p. 445. l. 10. רמיר. p. 448. l. 42. splendida. p. 449. l. 13. pro, quemlibet, lege, quenquam. p. 458. l. 39. ei, dele. p. 462. l. 11. optatum. p. 465. l. 20. pro, Eis, lege, Eos. p. 480. l. 28. Forolempronienfem. p. 488. l. 46. super. p. 490. l. 25. quas. p. 491. l. 7. *Paceus.* p. 493. l. 26. & ne. p. 508. l. 22. consessus. p. 510. l. 14. tanquam ad Fontes. p. 517. l. 22. *Jamesius.* p. 528. l. 26. est cuivis sequi. ibid. marg. l. 5. Lud. Tena. p. 530. l. 5. *Monachii* ed. p. 531. l. 28. lege 1644. p. 545. l. 27. non in ictus. p. 551. l. 8. Seguinum. p. 562. l. 33. pro, quæ, lege, qui. p. 567. l. 41. factum. p. 577. l. 51. lege, cap. 5. 18 20. Ibidem ad cap 5. 16 18 20. dicitur &c. p. 578. l. 5. pro, quam, lege, quod. p. 579. l. 13. *Commodus.* p. 581. l. 26. lege, μεθερμηνεύειν. p. 594. l. 3. Minores, dele. p. 619. l. 18. ed. an. ibid. l. 34. veris. p. 628. l. 49. *Alexandria.* p. 633. l. 2. primus. ibid. l. 42. טון. p. 634. l. 45. & *Fr. Vergara*, dele. p. 637. l. 1. accederet. ibid. l. 44. contaminatam. p. 641. l. 39. *Apamensis.* Errata quæ in numeris occurrunt in Contentis cap. 1. & 10. libri 1. & cap. 6. libri 2. & cap. 1. 2. partis 1. libri 3. corrigantur ex *Syllabo Capitum.* Pro *Syrach*, lege passim, *Sirach.* Alia quædam levioris momenti, & si quid sit erratum gravius, quod hactenus me fugit, Lectoris relinquo candori.

P. 170. l. 36. Non modo S. Patribus omnibus &c. usque ad, loquuntur, dele, & hæc substitue: Neque illud me movet, quod cum Aristobulo consensisse videatur ipse *Aristeas*, nimirum ubi refert *Theopompum* voluisse τινὰ τῶν προηρμηνευμένων ἐπισφαλέστερον ἐκ τοῦ νόμου προστιθέναι· *quædam ex illis quæ in Lege* ANTEA MINUS COMMODE VERSA SUNT, *historiæ suæ inserere.* Eadem enim vanitate id confinxit *Aristeas*, ut fabula, quam narrat, de *Theopompo* & *Theodecte* verisimilior videretur. *Jac. Capellus* Auctor Annot. in Ep. ad Heb. non fuit *Ludovici* filius, sed alter ille *Jacobus* senior: Corrigatur itaque p. 254. l. 36. p. 263. l. 27. p. 273. l. 15. 25. 28.

CONTRA HISTORIAM
LXX. INTERPRETUM
ARISTEÆ
Nomine inſcriptam.

CAP. I.

Ariſteæ *librum vulgatum, eundem eſſe cum illo quo uſi ſunt Veteres,* Joſephus, Euſebius, &c. *contra* Leonem Caſtrium, Alphonſum Salmeronem, & Jo. Gregorium. Ger. Voſſii *aliorumque hallucinationes, confundentium opinionem illorum cum* Scaligeri &c. 19. Simleri, Pamelii, &c. *error, quo confunditur* Ariſteas *noſter cum aliis ejuſdem nominis,* 3. *de* Ariſteis *variis.* 2. 3. 4. Ariſteas, Ariſtæas, Ariſtæus, Ἀρισαῖος &c. *vocabula Veteribus promiſcue uſurpata* 8. 9. *de Hiſtoriâ* Ariſteæ *nomine editâ, quâ uſus eſt* Epiphanius, *à vulgatâ diverſâ, ſed Styli recentioris* 11. *de aliâ quâ uſus eſt* Matthæus Cigala. 13. *de Regum variorum* Ephemeridibus. 21.

ARISTEAS (ſi ipſi credendum ſit) unus fuit ex Purpuratis *Ptolemæi Philadelphi*, qui in Ægypto ſecundus poſt *Alexandriam* conditam regnabat; juxta [a] D. *Hieronymum* ὑπερασπιστὴς, id eſt, [1] *Corporis cuſtos*: non enim neceſſe eſt, ut vocem iſtam reſtringamus ad ſatellitem illum, cujus erat in præliis *clypeum ante Regem* [2] *geſtare*. Nam [b] *Joſephus*, quem *Hieronymus* præeuntem habuit, ſenſu latiori ait illum *cuſtodiam corporis* ſibi creditam habuiſſe. In ordinem autem iſtum videtur *Joſephus* eum ingeſſiſſe, eò quod apud illum legerat, *Andream*, ipſius, in obeunda legatione ad Judæorum Pontificem, collegam, cuſtodiendi Regii corporis dignitate inſignitum fuiſſe. *Ariſteas* ipſe id muneris non ſibimet arrogat, ſed *Andreæ* ſoli tribuit. Inducitur namque Rex ad Pontificem ſic ſcribens: *Ablegavimus ad te Andream præcipuum corporis cuſtodem, & Ariſteam, Viros apud nos magno in honore conſtitutos.* Cæterum hæc res non tanti eſt, ut de ea contendere cum quoquam velimus.

a Præf. in Penteuch.

b Lib. 2. c. Ap.

2. Hiſtoriam LXX. Interpretum ad *Philocratem*, fratrem ſuum, ſcribit. Alluſque de *Judæis* libri, quem antea eidem nuncupaverat, mentionem [c] facit: In quo quæ prodiderit, ait ſe didiciſſe à *Judaicis Sacerdotibus* in Ægypto verſatis. Crediderim deſignari eundem librum, quem titulo *Ariſtææ libri de Judæis* citat *Alexander Polyhiſtor* apud [d] *Euſebium*. Eundem ex *Euſebio* adducit *Olympiodorus* apud *Catenam in Job*: Ἀριστέας ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων λόγῳ Nimirum prætendebat Auctor noſter eundem ſe fuiſſe cum illo *Ariſteâ*. Vel ſub falſo *Ariſteæ* nomine utrumque opus idem compoſuit. Meminit etiam *Olympiodorus*, ex *Euſebii* Hiſtoria Eccleſiaſtica, *Commentariorum* in librum *Job* ab *Ariſteo* conſcripto-

c Statim ab initio.

d Præp Evang. IX. 25.

1 De appellatione iſti ſuave eſt quod habet *Hugo Card.* Annot in *Hieronymi* Præfat. in Pentat. *Ariſteus* ὑπερασπιστὴς: *hyperaſpiſtes*, i fidelis interpres: *ab hyper quod eſt* valde, & piſtis, *quod eſt* fides Nardi piſtici pretioſi, Joh XII. *Vel* Hyperaſpiſtes: *id eſt*, Notarius: *ab* hyper, *quod eſt* ſuper; & piſtan, *quod eſt* aſſiſtens; *vel* piſtis, *quod eſt* fides: *quaſi ſuper aliquos regi fideliter aſſiſtens.* Hugo de S. Victore Expoſ. in eandem Præf. *Ariſtarchus* (ſic ille) *ejuſdem Ptolemæi Hyperaſpiſtes*, i. *protector & propugnator*, qui ejuſdem Ptol. facta fideliter defendit.

2 Quale officium apud Alexandrum M. fuiſſe meminit *Arrianus*.

rum. Verum ejuſmodi Commentariorum mentionem apud *Euſebium* fruſtra quæſiveris.

a Epit. Bibl. Geſn.

3. A *Simlero* [a] commemoratur *Ariſteus Græcus*, *qui* librum mirabilium orbis *compoſuerit*, *item* Fabularum librum, *& ſub Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege* (ipſius) *geſta deſcripſerit*. Non alium hunc fuiſſe quam *Ariſteam* noſtrum exiſtimat [b] *Jac. Pamelius*, ſuffragante [c] *Angelo Roccha*. Atqui plures Scriptores inter ſe imperitiſſime confundit *Simlerus*, ſive is quem ille ſequebatur. *Philadelphi geſtorum hiſtoria* nihil aliud eſt quam deſcriptio hæc rerum à *Philadelpho* in Legis interpretatione geſtarum. *Ariſtei Fabularum liber* non alius eſt, quam *Ariſtei*, ſive *Ariſteæ*, *Phliaſii* liber *Dramatum*, quæ & *Fabulæ* dicuntur. Neque alius videtur *Ariſtei liber Mirabilium orbis*, quam *Ariſteæ Proconneſii Arimaſporum Hyperboreorum* hiſtoria mirabilium plena. Errat quoque [d] *Simon Schardius*, cum ex auctoritate *Joachimi Camerarii* in Chronologia *Nicephoriana*, refert *Ariſteæ* noſtri extare libellum alium, *de Conſultationibus Regiis*, *& cellulis atque jugis in Pharo*. *Camerarii* verba ſunt iſta: *Joſephus remittit lectorem ad Ariſtææ librum, quem auctorem fuiſſe Regi perhibent hujus operis: & nunc etiam extat liber illius de confabulationibus regiis, & cellulis atque jugis* (*Græci οἰκίσκους & ζυγὰς nominarunt*) *in Pharo*. Non alium à noſtro librum intellexit *Camerarius*, male tamen concepta inſcriptione, ex indice quodam MSS Codicum, ubi occurrebat libellus noſter inſcriptus *de Confabulationibus regiis*, vel ſaltem pars ejus, quæ Regis quæſtiones Seniorumque reſponſa complectitur: cui ſubtextum fuerit fragmentum de *Cellulis* iſtis in inſula Pharo commentitiis, in quibus per *ζυγὰς*, ſive *bini bini*, diſcluſi fuiſſe Interpretes à nonnullis perhibentur.

b Ad Tertull. Apol. not. 270.
c Catalog. Autorum præfixo Bibl. Vatic.
d Argumento præfixo Ariſteanæ Hiſtoriæ.

4. Occurrunt alii Scriptores [1] complures ſub nomine *Ariſteæ*, ſive *Ariſtæi*. Sed ii nihil ad *Bacchum*. Forte magis huc ſpectat *Ariſtæus* ille *Cyprius*, ejuſdem cum ipſo *Ptol. Philadelpho* ævi, unus è duobus primariis Magnatibus, qui ſub *Antiocho* Rege regnum Syriæ gubernabant, ab *Æliano* [e] memoratus. Nonnullis fortaſſe in promptu fuerit ſuſpicari, *Ariſtæi* illius famam anſam dediſſe Auctori noſtro (confundenti nimirum *Antiochum* R. cum *Ptolemæo* R.) ut ſub *Ariſtæi* nomine fabulam ſuam comminiſceretur, eumque apud *Ptolemæum* tanto in honore habitum fuiſſe, totique negotio interpretationis interfuiſſe, confingeret. Id ſibi ſi quis perſuaſerit, ei non refragabor. Et melius hac de re judicare poterit Lector, quando alias ejus hallucinationes detectas viderit. Ejuſdem ætatis *Ariſteas* alius, pater *Theridis Cretenſis* ſtadiodromi curſoris, commemoratur à *Callimacho* in Epigrammate quodam.

e Hiſt. Var. II. 41.

5. Hiſtoriam LXX. Interpretum, poſito *Ariſteæ* nomine, tradiderunt poſteris [f] *Joſephus*, [g] *Euſebius*, [h] *Georgius Syncellus*, [i] *Jo. Zonaras*, &, qui immenſum quantum ab illis diſcrepat, *Epiphanius*. [k] *Philonem Judæum*, & [l] *Cyrillum Hieroſol.* alioſque permultos, qui *Ariſteæ* mentionem non faciunt, ſciens hic loci prætereo.

f Antiq. XII. 2.
g Præp. Evang. VIII. 2. 9.
h Chronog.
i Annal. to. 1.
k De Vita Moſis lib. 2.
l Catech. 5.

6. De Hiſtoria hac *Ariſteæ*, duplex eſt controverſia. Primo quæ-

1 *Ariſteas in τῷ περὶ κιθαρῳδῶν* Athen. XIV. 4.

Ariſteas Rhodius Medicus, ap. *Nic. Myrepſum* de Compoſ. Medic. §. 1. de Antidotis c. 9. Scripſit is in *Hippocratem* Comment.

Ariſteas Argivus Hiſt. *G. Voſſio* ignotus, ap. ſeriem Regum Argivorum affixam Euſebii Chronicis Scalig. p. 363. Quem eundem fuiſſe puto cum *Ariſtea Argivo*, cujus mentio ap. *Plut.* in *Pyrrho*.

Ariſteus Argivus Olympionica memoratur à *Pauſania* Eliac. 2.

Ariſtæus Croton. Pythagor. ap. *Iambl.* Vita Pyth.

Ariſtæus, qui condidit poemata Piſandro tributa. *Suid.* v. *Πείσανδρος*.

Ariſtæus Geometra, cit. à *Pappo* Collect. Mathem. & *Hypſicle* Com. in Euclid. Duo autem fuere illius nominis Geometræ: nam *ſenior* à *Pappo* commemoratur.

Ariſtæus à *Philoſtrato* Vitis Soph. memoratus tanquam ſui æqualis, ſed admodum ſenex.

Ariſteus in Turba, citatur ab Hortulano inter Scriptores *Chymicos*, monente *Simlero*. Fictitium (ut reor) nomen Latini cujuſdam Scriptoris.

ritur,

ritur, idemne fit liber iste, quem modo in manibus habemus, cum illo, quo Veteres, *Josephus*, *Eusebius*, &c. utebantur, an ab eo diversus? Secundo, Utrum illa ipsa Historia, quæ extabat apud Antiquos, revera condita fuerit ab *Aristea* quodam Ptol. Philadelphi aulico; an potius à recentiore aliquo conficta?

7. *Aristeæ* libellum *vulgatum* primus omnium in dubium vocavit [a] *Lud. Vives*: *Circumfertur* (inquit) *libellus ejus nomine confictus*, *ut puto*, *ab aliquo recentiore*. Post *Vivem*, Exemplaria hodierna rejecerunt, tanquam diversa à vetustis illis, [b] *Leo Castrius*, [c] *Alphonsus Salmeron*, & [d] *J. Gregorius* Anglus. Si [e] *Serario* credimus, *videtur etiam S. Augustinus lib.* 18. *de Civ. c.* 4. *negare Aristeæ libellum*, *qui hodie circumfertur*, *omnino sincerum esse & germanum*. Sed tale quid apud *Augustinum*, nec in loco citato, neque alibi usquam invenies. Receptior & verior est sententia, Historiam, quæ in manibus versatur, eandem omnino esse cum illa, quam *Josephus* ipse, & *Eusebius*, aliique Veterum legebant. In hanc opinionem cursu eunt [f] *Jac. Pamelius*, [g] *Jo. Despieresius*, [h] *Pet. Galesinius*, [i] *Rob. Cardinalis Bellarminus*, [k] *Ant. Possevinus*. Miratur *Joachimus Perionius*, [l] quid venerit in mentem *Vivi*, ut libellum, qui præ manibus habetur, *Aristeæ* abjudicaret. *Margarinus Bignius* [m] affirmat, neminem adhuc hanc historiam *Aristeæ non esse*, *vel reperta & edita alia Aristeæ historia*, *vel certo aliquo argumento demonstrasse*. Accedunt iis, ex castris nostris, Viri clarissimi pariter ac eruditissimi, [n] *Jac. Usserius*, [o] *Brianus Waltonus*, [p] *Edv. Simsonius*, [q] *Is. Vossius*; &, ut verbo dicam, illorum in partes transit totus fere literatorum cœtus.

8. Quid venerit in mentem *Vivi*, incertum. *Castrius* vero & *Salmeron*, qui contendunt librum hodiernum *confictum fuisse*, *& ex Josepho*, *Aristæo vero*, *& aliis quibusdam compilatum*; primum argumentum à differentia nominis arcessunt. Allegant *Scriptorem hujus libri dici* Aristeam *per simplicem e in penultima*; *priorem vero* Aristæum *à Græcis Patribus*, *hoc est*, *Justino*, *Epiphanio*, *Eusebio*, *ac Josepho*, *nominari*. Quibus adjicit *Salmeron*, veteris illius nomen in *ως*, nostri vero in *ας* terminari.

a In S. August. de Civit. Dei XVIII. 42.
b Procem. in Esaiam c. 35.
c Proleg. Bibl. sexto.
d In posthumo de LXX. Interpret. Tractatu vernaculo.
e Proleg. Bibl.
f In Tertull.
g De LXX. Int. Dub. 1.
h De LXX Int.
i De Script. Eccl.
k Apparat. S. vocibus *Aristeas* & LXX. Interpr.
l In Justini M. Paræn.
m Bibl. Patrum.
n Syntag. de LXX. Int & in Annal.
o Proleg. 9. in Bibl. Polyglot.
p Chron. an. 3719.
q De LXX. Int.

9. Quas eorum ratiunculas dum huc descripserim, succurrit mihi in mentem arbor quædam *Americana*, istis sane simillima, cujus quæcunque pars ab homine tangatur, vigorem amittit illico, ac deflorescit. Primo errant, cum dicunt *Justinum Martyrem*, *Aristæum* illum appellare: nam de eo ne *γρῦ* apud Patrem illum reperitur. Deinde *Salmeron* gravissime hallucinatur, quod putat nomen ejus Græcis consignatum literis in *ως* exire. Miserescit pudetque me hominum usqueadeo ineptientium. Si *Logicam* utriusque respexeris, toti erunt delirium. Quis enim, cui mens sana, scriptorem quemvis tanquam non germanum idcirco repudiet, quod discrepantia nominis tantilla intercedat? Verum enim vero ignorabant omnino illi, quid hoc esset apud Græcos vocabuli. Eodem utique recidebant *Aristeas*, *Aristaas*, *Aristias*, *Aristæus*, *Ἀρισεῦς*, addo & *Aristæon*, *Aristeuas*, *Aristas*, *Aristhus*. Quæ omnia pro eodem habebantur nomine. *Actæonis* pater ille à plerisque nominatur *Aristæus*, ab aliis [r] tamen *Aristeus*. Poeta ille Dramatum Scriptor, [s] *Aristias*, [1] *Aristius*, & [2] *Aristeas* audit. *Proconnesius* iste decantatus, apud complures [3] *Aristeas*, aliis [4] *Aristæus*, apud

r Hygino Fab. c. 181. & Poet. Astron. Plac. Lactantio in Stat. Theb. l. 4. v. 569.
s Athenæo XV. 10.

1 *Αγνιῖος Polluci* IX. 5. Idem enim denotatur, etsi aliter visum *G. Vossio*.

2 Vita Sophoclis.

3 *Plut.* Romulo. *Athen* XIII. 8. *Jo. Tzetz.* Chil. 2. Hist. 5. *Suidam*, *Hesych. Miles.* de Philosophis. *Herodot* IV. 13. *Origen.* contra Cels. lib. 3. *Celsum* ibid. *Maximum Tyr.* Dissert. 22. *Apollon. Dysc.* Hist. Comment. c. 2. *A. Gell.* XIX. 4. *Plac. Lactant.* in Stat. Theb. l. 4. v. 569. *Diod. Sic.*

4 *Eustath.* in Il. 2. *Dion. Hal.* Judicio de Thucydidis Hist. *Tatian.* Orat. contra Græcos, ad calcem. *Greg. Nazianz.* Stelitent. 1. *Nonnio* in eum, qui ex Lebadia Bœotiæ, cum Trophonio & Empedotimo, male illum arcessit.

[a] alios utramque indifferenter appellationem obtinet; neque deest cui dicatur Ἀριστεύς. Sic dux ille Corinthius, qui ab *Herodoto* nuncupatur Ἀριστέας ὁ Ἀδειμάντου, à *Thucydide* dicitur Ἀριστεὺς ὁ Ἀδειμάντου. *Ionice* effertur hoc nomen Ἀριστεὺς, ut apud *Hippocratem*. Neque noster ipse apud priscos appellatur solum *Aristæus*, quod *Castrius* & *Salmeron* somniabant, verum etiam [3] *Aristeas*, *Aristæas*, & *Aristeus*. At tædet me harum ineptiarum, cum ab omnibus leptologiis Grammaticis abhorream.

10. Pergamus itaque ad alterum eorum argumentum. Historiam quæ in manibus habetur, aiunt ad amussim non convenire cum illis locis, quæ in Operibus quorundam Scriptorum veterum citata reperiuntur. *Deinde* (inquiunt) *Epiphanius, & alii Patres, qui de* LXX. *Interpretibus scripserunt, testem vocant Aristæum eorum quæ dicunt, & quæ in hoc Aristæo minime invenies.* Quinam sunt illi *alii Patres*? Certe usqueadeo consentiunt exemplaria nostra cum fragmentis illis, quæ ex historia *Aristeana* transcripsere *Josephus* & *Eusebius*, ut vel inde liquidissimo constet eandem omnino Historiam esse. Et quantum attinet ad discordiam, quæ nostro est cum *Epiphaniano* codice; ea quæ ex *Aristea* adducit *Epiphanius*, non magis à nostro recedunt exemplari, quam ab illis ipsis, è quibus sua deprompsere *Josephus*, atque *Eusebius*, aliique Patres.

11. *Epiphanianus* Aristeæ Codex quam diversus fuerit cum à nostro, tum à *Josephiano Eusebianoque*, patet & in aperto est. Plane alia est Epistola Regis *Epiphaniana*, stylo vario, varia sententia conscripta, diversas Regis petitiones exhibet. Atvero utra Historia sit antiquior, vel stylus ipse perspicue declarat. Nam *Epiphanianam* confictam fuisse à Nugatore aliquo longe recentiore, vel leviter hisce literis tincto elucescit. Vulgatam Historiam testatur *If. Casaubonus* ævo vetustiora resipere. Eidem [a] alibi nuncupatur *Aristeas auctor antiquissimus & elegantissimus*.

[a] In Hist. Augustam.

12. In Epistola *Damasi* Papæ ad *Hieronymum* suppositia, designantur quidam ex numero LXX. Interpretum nominibus diversis ab illis quæ reperiuntur in Codicibus vulgatis. Inter eos enim recensentur *Matthias*, *Ptolemæus*, *Muchius*, *Sacreus*, *Hydronius*, *Pamphylus*, *Zoastites*, *Didymus*, *Samus*, *Epiphanius*, *Ciatres*, *Simon*. E quibus nullum, exceptis primo & ultimo, in vulgatis comparet. Credibile est, hominem nugivendulum, qui Epistolam ipsam comminiscebatur, Nomina quoque excogitasse. Vel forte reperta sunt in Codice *Epiphaniano*.

13. Circumfertur inter recentiores Græculos Narratiuncula alia, ab utraque prædicta longissime diversa, quæque alias & prorsus diversas *Ptolemæi* atque *Hebræorum* Epistolas exhibet. Quam videre est apud *Matthæi Cigalæ* Cyprii *Novam Synopsin variarum Historiarum*, hodiernorum Græcorum sermone barbaro conscriptam. Eo usque Historiis hac de re confingendis addicti sunt! De istis quisquiliis hic loci nihil attinet disputare. Epistolia quoque nova & ab aliis omnibus di-

1 *Strabo* lib. 1. p. 15. scribit Ἀρισαῖος; at lib. 13. p. mihi 405. Ἀρισαῖος. Eodem plane modo, *Plinio* Hist. Nat. VII. 2. *Aristeas* est, sed c. 52. *Aristæus*.

2 Ἀρισεὺς *Æneæ Gaz.* in Theophr. Sic statua ejus quæ apud *Metapontinos* videbatur, ab illis nuncupata est Ἀρισέας, ut refert *Herodotus*: sed secundum *Æneam* ἱστορίαις Ἀρισεὺς, nomine *Aristeus* fuit. *Aristæus* est *Servio* in Æn.

3 *Eusebius*, *Epiphanius*, & ex *Josephi* Antiq. *Jo. Zonaras* Ἀρισαῖον dicunt. *Josephus* etiam *Gor.* III. 2. habet אריסתיאוס *Aristæus*. Non ita cæteri. *G. Syncellus* Ἀρισαῖος. ita *Tertul.* Apolog. c. 18. juxta *Pamelii* edit. 1583. sed secundum codicem *Puteani*, & edit. *Rigaltii*, *Aristæus*: ex edit vero *Barrii* an. 1586. *Aristeas*. Tantillum interesse quomodo proferretur id nomen librariis visum est. B. *Hieronymus* (convenientibus ubique inter se editionibus *Erasmi* & *Victorini*) Com. in Ezech c. 5. *Aristeum* (nusquam *Aristæum*) scribit; at vero in Præfat. in Pent. & Apolog. c. Ruffin. II. 7. ubi eadem Præfatio recitatur, *Aristeam*. Accedat denique ipse *Flav. Josephus*, cui quidem in Opere Antiquitatum Ἀρισαῖος est; verum lib 2. contra Appion. Ἀρισαῖος, in quarto scilicet casu Ἀρισαῖον. Autor Historiæ Judaicæ ab *Alexandro Polyhistore* dicitur Ἀρισαῖος.

versa

versa habes apud *Comestorem* in *Historia Scholastica*, sive *Ecclesiastica*, ut in Codice quodam MS. Bibliothecæ *Bodleianæ* legitur.

14. *Jo. Gregorius*, ut evincat *Aristeam* nostrum alium esse ab antiquo, observat illum, & *Josephum*, mentionem facere *Heptastadii*, cujusdam aggeris, per quem ab insula Pharo ad continentem usque Ægypti porrectum, Interpretes ab Urbe in Pharum fuerint transgressi. Ait istud *Heptastadium* à *Cleopatra* Ægypti regina ultima constructum fuisse, ideoque istius mentionem nullam ab *Aristea* vero fieri potuisse. *Josephum* verò illius mentionem addidisse, quia sua ætate per illud in Insulam transiri consueverit. Ex quo factum fuisse, quod Historiæ vulgatæ consarcinator recentior, ejusdem quoque mentionem habeat, particula ista è *Josepho* desumpta. In hanc sententiam *Gregorius*. Quo nihil infelicius urgeri potuit. Neque enim *Heptastadium* post *Ptol. Philadelphi* tempora condebatur, id quod penultimo hujus libri capite ostensuri sumus: neque si recentius esset, ex ejus mentione concludi deberet *Vulgatos* Codices ab antiquis alios fuisse, sed *Historiam* ipsam ab aliquo recentiore fuisse confictam.

15. Non alia de causa contendunt adversarii exemplaris *Vulgati*, illud aliud esse ab eo quo utebantur veteres, quam quia nullam mentionem facit LXX. *Cellularum*, in quibus Interpretes separatim & divino numinis afflatu Versioni incubuerint, sed omnino contrarium attestatur. *Videtur* (ait *Salmeron*) *hic liber suppositus, & ad elevandam fidem miraculi de* LXX. *Cellulis editi, compositus*. Paucarum linearum causa quare novus, amabo, conderetur liber? Mutassent eas, non novam procudissent historiam. Quid? quod constat libri *vulgati* Scriptorem adeo non voluisse Versionis Græcæ auctoritatem elevare, ut augendæ isti ac ampliandæ totus incumberet. Quin & Codices illos ipsos, qui apud antiquos terebantur, de *Cellulis* omnino siluisse, & cum nostris hac in parte consensisse, in libro subsequente demonstrabimus, ubi de ista fabula pluribus erit agendum.

16. Atque hæc de libris *Vulgatis*. Jam ventum est ad alteram & præcipuam Quæstionem, fueritne Historia ista ab *Aristea* Philadelphi Regis Aulico revera conscripta, an ab aliquo Judæo recentiore (licet valde antiquo) conficta?

17. A Judæo quodam *Aristeæ* nomine confictam fuisse, primus omnium statuit Vir maximus *Josephus Scaliger* in [a] *Animadversionibus Eusebianis*. Cui adstipulantur [r] complures alii non infimi nominis, cum *Critici*, tum *Theologi*. a Ad Num. MDCCXXXIV.

18. In eandem nos sententiam toto animo concedimus: Nec amplectimur eam modo, sed & veram esse demonstraturi sumus. Subolet jam tandem nobis fumus iste, quem credulis tot seculis Impostor vendidit. *Hyperaspistes* ille ex Aula pulsus, in latebras suas Alexandrinas demittitur, unde in ipsum Regis palatium perfricta fronte irrepserat. Qui asylum in *Serapeo* quærebat, idem jam in *Synagoga* invenitur, nugas machinans, & crepundia credulis meditans. Sane (ut *Wowerii* verbis uti liceat) nunquam tam gravem mentiar somnum, ut persuaderi mihi patiar, huic Historiæ nihil alieni aut falsi admixtum esse. Certe plus elargitus Auctor est quam veritas concedebat, ut *Judaicæ* gentis nomen illustraret, ejusque Legis admirandas & divinas virtutes orbi proponeret.

r *Sethus Calvisius* ad A. M. 3681 *Hen. Valesius* in Hist Eccl Eusebii V. 9. *Simon Episcopius* Institut. Theol. lib. 5. §. 1. cap. 21. *And. Rivetus* Isag. ad S. Scrip. *Gul. Hen. Vorstius* in R Dav. Ganzii Chron. *Jo. Croius* Observ in N. T. cap. 30 *Jo. Lightfootus* Horis H b. & Talm. in Epist. 1. ad Corinth. & alibi. *Ric. Simonius* Crit. Sac. XI. 2. *Jo. Wowerius* Syntag. de Græca & Lat. Bibliorum Interp. *Rob. Baillius* Opere Hist. & Chron. lib. 1. *Dan. Heinsius* in Aristarcho. *Sam. Maresius* Coll. Theol. loco 1. §. 41. *Dan. Chamierus* Panstr. Cathol XII. 1. & XIII. 4. *Jo. Woemsius* Exerc. Theol Anglice conscriptis. *Arn. Boatius* Epist. de Heb. Ver. c. Lud. Capellum. *Lud. Capellus* de Punct. Heb. antiq. l. 1. c. 8. Alii multi.

A qua vanitate minime abhorrent Judæi, qui sine ulla religione, neglecta omni specie veri, mentiri ausi sunt, quasi tota posteritas Midæ aures (quod *Tertullianus* ait) aptas eorum fabulis assumpsisset. Nulla mihi imposita necessitas adversus faciles & inanes disputandi; liberum cuivis judicium erit. Quanquam si recte rationem temperemus, & discussa caligine vulgaris opinionis, rem totam intueamur, fallor aut constabit multa esse incondite dicta, etsi magno applausu recepta, & inveterato errore valida. Quis audebit inficiari, plurima scatere in opusculo illo, quæ Judæam referunt vanitatem? Quis audebit negare, infinita præter rem & adversus historiæ veritatem Hellenistas affinxisse? Nunquam à me impetrabit superstitio, ut à veri judicii norma desciscam.

a Synt. de LXX. Int. c. 1.

19. *Jac. Usserius*, [a] illustrissimus *Armachanus* Antistes, Historiam quidem ascriptam *Aristeæ* veram esse contendit, cæterum de eo, utrum *Aristeas* eam ipse condiderit, an alius quispiam illius nomine emiserit, videtur animi pendere. Dicens enim *Aristobulum*, antiquissimum Judæum, qui LXX. Interpretum meminit, notitiam *Demetrii Phalerei*, quo auctore rem totam peractam scribunt, ex *Aristeæ* historia habuisse, subnectit: ***Quod si hoc desumpsit Aristobulus, qui proximo post Aristeam scripsit seculo, si non ab ipso Aristea, ab alio saltem aliquo, qui ab illius & rei gestæ tempore quam proxime abfuit, sub persona Aristeæ (quemadmodum sub Orphei Lebethrii persona Orpheus Crotoniates sua scripsit Argonautica) hunc de*** LXX. ***librum fuisse editum, ut dicamus necesse est.*** Jam vero si concedatur Historiam hanc non ab ipso *Aristea*, cujus fert nomen, compositam fuisse, sed ab alio illius nomini suppositam, tota statim corruet illius auctoritas, & unicuique pro lubidine, ubi ratio aliqua idonea repugnaverit, rejiciendi quidvis libera erit licentia.

20. Quæstiones has duas, de antiquitate librorum *Vulgatorum*, & de auctoritate *Historiæ Aristeanæ*, inter se omnino diversas, mirum quam confundant viri quidam alias doctissimi ac perspicacissimi, quantasque idcirco nugas agant, *Scaligeri* sententiam à *Leonis Castrii*, *Salmeronisque* non discernentes. Eruditissimus ipse *Ger. Vossius*, [b] agnoscit veritatem illis constare, quæ ex *Aristea* tradiderunt veteres; alio tamen in loco [c] eo videtur inclinare ut Aristeam *hodiernum* existimet non esse genuinum, in hanc sententiam argumentis *Jos. Scaligeri* præcipue inductus. Verba enim faciens de *Aristea* ab antiquis, *Josepho*, *Eusebio*, &c. laudato, subjungit: ***Extat hodieque liber sub Aristæi seu Aristeæ nomine de translatione Legis per*** LXXII. ***Interpretes. Sed eum genuinum videri negat Lud. Vives. Scio Vivi in eo refragari cum alios non paucos, tum Card. Bellarminum, & Marg. Bigneum. Sed Vivi accedunt Leo Castrius, & Salmeron. Et profecto levia non sunt, quæ pro hac sententia adfert Josephus Scaliger.*** Jo. Bona Card. [d] ***Aristeas scripsit ad Philocratem historiam*** LXXII. ***Interpretum. Sed qui nunc extat sub ejus nomine Vulgatus liber suppositus existimatur, nam Latinus multum differt à Græco, ex quo quædam Eusebius excerpsit. Sed & Græcum à Judæo quodam Alexandrino confictum esse docet Valesius.*** Disputat *Valesius* contra libros non *Vulgatos* tantum, sed etiam *Veteres*. Hinc quoque inepte, adversus *Scaligerum*, cavillatur *Salianus*: [e] ***In eadem est sententia Salmeron, & Scaliger in Euseb.*** Paulo post: ***Quid porro sibi velit Burdo*** (*Scaligerum* designat) ***non intelligo, dum ait, Aristeæ nomine confictum librum à Judæis Hellenistis, qui hodie in manibus omnium sit, & ex quo hauserit Josephus, & alii qui hac de re tractarunt. Quomodo enim hausit Josephus & alii antiqui Scriptores ex conficto Aristea? Certe quicunque confictum Aristeam dicunt, recens confictum dicunt. Quomodo ergo Josephus & alii antiqui ex recente scriptore hauserunt, multis scil. seculis antequam ederetur in lucem?*** In eundem offendit lapidem Clariss. *Waltonus*: [f] "***Nulla*** (inquit) ***dari possit ratio, cur libellum hunc fingerent*** "***Judæi***: ut authoritatem hujus Versionis elevarent, *dicit Salmeron*, mi-"raculum

b De Hist. Gr. l. 12.
c Lib. 1. c. 15.
d Notitia Auctorum in Operibus suis cit.
e Annal. an. 3775.
f Prolegom. ad Bibl. Polygl. 9. cap. 4.

"raculum Cellularum silentio suo extenuando. *E contra*, ut authoritatem huic Versioni conciliarent, *ait Scaliger*, fingendo prodigia circa hanc Versionem. *Sic alter alterius fundamenta convellit.*

21. Pro veritate Historiæ *Aristeanæ* provocat *Waltonus* idem ad *Annales Ægyptiorum*, in quibus ait eadem fuisse enarrata; & in eam rem profert (quod mirum in tanto Viro) auctoritatem *Galesinii*: quasi vero *Galesinius* vel Annales illos legisset, vel quod de illis dicit, ex alio ullo scriptore probare potuerit, quam ex ipso *Aristea*. Ab *Aristea* equidem satis prudenter præcautum atque provisum est, ut ad *Diaria* Regis provocando, Lectori suo persuaderet, se nihil scripsisse, nisi quod in ipsa *Diaria* regestum fuerat, tantique testimonii fide confirmari potuerit. Non loquitur vero ille de tota sua historia, sed tantum de Regis Quæstionibus, Interpretumque Responsionibus. Nempe postquam narrasset Regem Intepretibus singulis inter convivandum Quæstionem quandam Moralem aut Politicam proposuisse, & Interpretes ei extemporali sagacitate satisfecisse; responsis omnibus in medium adductis, subnectit, se omnia ex *Diariis* regiis descripsisse. Illius verba facere non possum quin huc attexam, sed Latine tantum: *Existimo autem fore, ut omnibus qui hæc sunt lecturi, videantur ea supra fidem esse. Sed profectò non licet aliquid falsi narrare de illis quæ excepta & annotata sunt, & nefas judicem etiam præterire aliquid in hujusmodi rebus: sed ut hæc sunt acta, ita ea exposui, ut vitarem omnem errorem. Licet ipse hæc omnia percepissem, tamen studiose istam expositionem meam accepi ab illis, qui singula quæ fiunt & dicuntur in regiis negotiis & conviviis excipere & annotare solent. Nam, ut ipse scis, hic mos est, ut quo die Rex incipiat publica negotia agere, omnia excipiantur scripto & quæ dicantur & quæ gerantur: id quod rectè & utiliter fit. Nam hinc sequente die, & acta & dicta præcedentis, ante quid denuo publice agatur, perleguntur, & si quid parum rectè est gestum, id emendatur. Inde ergo, cum essent omnia accurate perscripta, nos hæc, sicut dictum est, desumpta & selecta ad te misimus: non ignari quantum sit tuum studium ad cognoscenda utilia.* Sed nemo est vel paulo oculatior, qui fraudem altumque hominis non facile perspiciat. Vulgaris hæc est & trita mendaculorum astutia, speciosis id genus figmentis allinere & astruere mendacia sua. Persensit Impostor non modo è re sua fore, sed plane necesse sibi esse, hoc commentum de *Seniorum* responsionibus in commentarios publicos referendis, cæteris suis imposturis assuere; quia tot & tam prolixarum responsionum repetitio nimium quantum detraxisset à rei verisimilitudine, nisi addidisset singulorum verba inter loquendum in literas missa fuisse. An etiam propterea finxerit invaluisse apud *Philadelphum* istiusmodi morem, non dixerim. Siquidem eundem apud alias etiam gentes institui pro comperto habemus. In India hercle vix quicquam vel agit vel loquitur magnus ille *Mogul*, quod in libros non conjicitur, uti nos docent itinerantium commentaria. Et ne memorem Commentarios Chronicos Ahasueri Regis, in *Esthera* libro celebratos, qui videntur *Diariorum* naturam retulisse; *Athenæus* [a] auctor est, *Diodotum Erythræum* & *Eumenem Cardianum* (cujus etiam [b] *Ælianus* meminit) Alexandri M. *Ephemeridas* scripsisse; atque ejusdem argumenti librum à *Strattide Olynthio* editum fuisse testatur *Suidas*. Plutarchus [c] *Ephemeridum Alexandri* meminit, in quibus notatum esset, illum, hoc illo tempore ex longa compotatione dormitasse: quemadmodum [d] *Nicobula* (sive quis alius) observat Alexandrum certo tempore è convivio somno semet tradidisse. Apud eundem *Plutarchum* [e] legimus, *Xerxem* cum Græcis pugnam initurum, in edito consedisse, classem & aciem speculantem, *multis adhibitis scribis, quorum erat munus, ut quæque res in prælio gereretur, scripto excipere.* Memorantur à Vopisco [f] *Ephemerides Aureliani* Imp. & [g] *Cari*, nec non [h] *Probi*;

a Lib. 10. c. 9.
b Var. Hist. III. 23. ubi pro ὁ μ. ὁ Καρδ. lege Εὐμένης ὁ Καρδ.
c Sympos. l. 1. Quæst. 6.
d Ap. Athen. loc. cit.
e Themistoclis Vitâ.
f Aureliani Vitæ initio.
g Cari Vita.

[a] Probi Vitâ.
[b] Vitæ ejus fine.
[c] Manipulo Originum rerumque Constantinop.

[a] *Probi*; quas postremas scripserit *Turdulus Gallicanus*: à Trebellio Pollione, [b] *Gallieni*, quas ediderit *Palfurius Sura*. In Anonymi *Demonstrationibus Chronographicis*, quas [c] emisit *Combefisius*, adducitur locus ἐκ τῆς καθ' ὥραν Μαυρικίου Αὐγούστου, *ex Mauricii Imp. Diario, sive Horario.* Concedimus igitur nihil repugnare quo minus quæ apud Alexandriæ Reges dicebantur & fiebant, in publicas referri tabulas consueverint: attamen Auctoris nostri narrationem ex ejusmodi Diariis desumptam fuisse, ut credam, nemo mihi unquam persuadebit. Non debemus suspicere atque admirari quicquid audacia luserit temeraria, vel nosmet ipsos tam faciles præbere, ut nos in amorem rapiat *fucata* quævis deformitas.

CAP. II.

Aristeæ Historiam, *qua usus est* Epiphanius, *ab aliquo recentiore scriptam fuisse demonstratur. Impugnatur quoque altera illa antiquior Historia, quæ & vulgata est, argumento exinde ducto, quod tradit* Demetrium Phalereum *S. Scripturæ vertendæ tempore sub* Ptol. Philadelpho *Bibliothecæ Alexandrinæ præfuisse: quod* Hermippi *testimonio probatur fieri non potuisse.*

QUAM dedita & addicta sit hujusmodi figmentis gens *Judaïca*, usque adeo elucescit omnibus, qui in eorum rebus librisque non sunt plane hospites, ut frustra essemus, si exemplis congerendis hic loci laboraremus. Et postquam ostendimus, duas olim extitisse Historias *Aristeæ* nomine prænotatas, & stylo & sententia diversissimas, quarum alteram fuisse commentitiam necesse est; nemo non videt extitisse olim otiosos quosdam homines, qui per fas aut nefas Versioni Græcæ auctoritatem conciliare studuerint.

2. Historiam *Epiphanianam*, quæ à vulgata tantopere discrepat, habuisse auctorem recentiorem quendam, sive *Judæum*, sive potius Christianum, non opus est alio argumento, quo comprobetur, quam quod peti potest ex Epistola Regis posteriore, [1] quæ ab hac inchoatur parœmia: Θησαυροῦ κεκρυμμένου, καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης, τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; *Thesauri absconditi & fontis obsignati quæ utilitas in utrisque?* Ubi in Epistola Regi *Græco*, sive *Ethnico*, afficta, quis non statim advertat manifestum *Hebraïsmum?* eumque ex illis *Ecclesiastici* (qui post *Ptol. Philadelphi* tempora editus est liber) XX. 30. & XLI. 18. observante [d] *Usserio* maximo, expressum. Σοφία κεκρυμμένη, καὶ θησαυρὸς ἀφανὴς τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?*

[d] Annal. an. 3727.

3. Alia quædam sunt isti libro peculiaria quæ clarissime demonstrant, ab *Hellenista* quodam sciolo (nisi potius *Christianum* dixeris) conscriptum fuisse. Narrat ex eo *Epiphanius* Demetrium Phal. sciscitanti Regi quot volumina in Bibliotheca essent reposita, respondisse, quod extiterunt ibi quinquaginta & quatuor librorum millia, cum octingentis plus minus; atque hæc subjecisse: Ἀκηκόαμεν δὲ ἐπὶ πολὺ πλῆθος ἐν τῷ κόσμῳ ὑπάρχειν, παρά τε Αἰθίοψι καὶ Ἰνδοῖς, Πέρσαις τε, καὶ Ἐλαμίταις, καὶ Βαβυλωνίοις, Ἀσσυρίοις τε, καὶ Χαλδαίοις, παρά τε Ῥωμαίοις τε, καὶ Φοίνιξι, Σύροις τε, καὶ τοῖς ἐν τῇ Ἑλλάδι, οὔπω Ῥωμαίοις καλουμένοις ἀκμὴν ἀλλὰ Λατίνοις. *Audio tamen longe plures esse toto orbe terrarum: ut apud Æthiopes, Indos, Persas, Elamitas, Babylonios, Assyrios, Romanos, Phœnicas, Syros, eosque qui in Græcia habitant, qui nondum Romani vocantur, sed Latini.* Ad quem locum adnotat *Petavius* probabile esse, *Romanos* nondum per illa tempora tanta Scriptorum copia & auctoritate

1 Sunt qui putant Epistolas istas non ex Historia ulla *Aristeana* fuisse desumptas, sed ipsum Epiphanium auctorem habuisse; ut una tantum fuerit Historia *Aristeæ* nomine inscripta. Sed id mihi minus probabile videtur.

floruisse,

floruisse, ut à Demetrio id dici potuerit, nec quicquam eos admodum, præter 12. *Tabularum* Leges, aut Pontificum Annales, atque id genus obscura quædam, penes se habuisse. Sed missis his aliisque ineptiis, animadverto præcipue phrasin istam, ἐν τῷ κόσμῳ, quam sane in illo sensu vix ferent, qui aliquid in his literis sapiunt. Aut fallor enim, aut apud scriptores solum *Hellenisticos*, Christianosque, ea reperitur. *Phalereus* ille, & quivis Ptolemæi Aulicus, dixisset, ἐν τῇ οἰκουμένῃ. Scriptor libri *Aristeani*, qui habetur in manibus, peritiam linguæ Græcæ longe majorem assecutus fuerat; qui sic loquitur: ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην βιβλία· & alibi, παρ' ὅλην τὴν οἰκουμένην.

4. De Codice *Epiphaniano* hæc satis superque. De vulgato isto vetustiore jam dispiciamus. Inter omnes *Aristeanæ Historiæ* editiones convenit, *Demetrium Phal.* Bibliothecæ simul Regiæ & Interpretationis operi, sub Regis *Philadelphi* auspiciis, præfedisse. At vero *Demetrium* illum statim post mortem *Ptolemæi Lagi*, *Soteris* cognominati à *Philadelpho* relegatum fuisse ab Aula Alexandrina, & in custodia diem clausisse, testis est luculentissimus, incorruptus, atque integer, *Hermippus* apud *D. Laertium*, in ejusdem *Demetrii* Vita. Verba ejus hæc sunt: φησὶ δ' αὐτὸν Ἕρμιππος, μετὰ τὸν Κασσάνδρου θάνατον φοβηθέντα Ἀντίγονον, παρὰ Πτολεμαῖον ἐλθεῖν τὸν Σωτῆρα, κἀκεῖ χρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις, καὶ τὴν βασιλείαν τοῖς ἐξ Εὐρυδίκης περιθεῖναι παισί· τοῦ δὲ οὐ πεισθέντος, ἀλλὰ παραδόντος τὸ διάδημα τῷ ἐκ Βερενίκης, μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἀξιωθῆναι πρὸς τούτου παραφυλάττεσθαι ἐν τῇ χώρᾳ μέχρι τι δόξει περὶ αὐτοῦ. ἐνταῦθα ἀθυμότερον διῆγε, καὶ πως ὑπνώττων, ὑπ' ἀσπίδος τὴν χεῖρα δηχθεὶς τὸν βίον μετέθηκε, καὶ τέθαπται ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ, πλησίον Διοσπόλεως. *Hermippus tradit illum* (Demetrium Phal.) *post Cassandri mortem, Antigonum metuentem, ad Ptolemæum Soterem venisse; apud quem satis diu quum fuisset, præter cætera, ei consilium dedisse, ut regnum Eurydices filiis relinqueret: quod cum ei non persuasisset, sed contrà is diadema Berenices filio obtulisset*, ait *hunc ipsum post ejus mortem illum in ditione sua custodiri jussisse, donec de illo aliquid statueretur. Hoc in loco demissius agebat, ac forte dormiens aspidis morsu manum appetentis vita privatus est, sepultusque in Busiridis præfectura prope Diospolin.*

5. Argumentum hoc πολυθρύλλητον, *Josepho Scaligero* acceptum ferimus, post quem à multis eruditis viris summa cum fiducia (quicquid ex adverso ingruerint *Aristeani*) contra fabulam *Aristeæ* allatum fuit, ut à *Calvisio*, *Riveto*, *Episcopio*, *Gul. Hen. Vorstio*, *Weemsio*, aliis. Nemo tamen est (quod sciam) qui responsionibus adversantium obviam ivit, sed omnes nude tantum illud in medium proferunt. Nos responsa omnium, quotquot *Aristeæ* causam susceperunt, æqua veritatis lance expendemus, & hoc argumentum contra impugnantium machinamenta, quam poterimus firmissimo munimento stabiliemus. Et primo retundemus eorum tela, qui *Hermippi* auctoritatem labefactare, fidemque illi auferre studuerunt. Quis, qualis, cujus sæculi fuerit *Hermippus* inquiremus. Deinde occurremus illorum effugiis, qui auctoritatem ejus non infringere ac infirmare, sed evitare atque amoliri conniuntur.

CAP. III.

Diluuntur Responsiones Serarii, Gretseri, Usserii &c. §. 1. 2. 3. 4. *Asseritur* Hermippi *auctoritas*; *qui quo numero, qua existimatione habitus fuit, & quo tempore vixit, ostenditur.* Ger. Vossii *error.*

NIC. SERARIUS [a] argumentum hoc *perlevem ratiunculam* vocat. *Ab omni* (inquit) *abhorret ratione, ut auctor unus, isque Gentilis, & vix notus, tot ac tantis veteribus ac notis, Christianis & Judæis, anteponatur.* [a] Proleg. Biblicis c. 15. Quæst. 5.

ponatur. Eodem cum fastidio *Hermippum* præterit [1] *Jac. Gretserus*: *His tamen universis præponitur à Novatore* (Scaligero) *unus*, *isque ignotus & Ethnicus*; *& rerum Judaïcarum ignarus Hermippus. Qua mente, nisi novandi & contradicendi libidine? Quis non magis credat vel uni Aristeæ, qui interfuit, quam huic tenebricoso Hermippo?*

2. Permagnâ hæc quidem confidentiâ; at debiliter & ex vano assultus fiunt. Quod enim ad consensum antiquorum attinet; Christiani Judæique veteres, quotquot sibi consentientes *Aristeas* habet, ex unius *Aristeæ* libello desumpserunt omnia. Sic omnes fere antiquorum ad *Aristeam* reduci debere, ideoque auctoritate parum valere, ingenue fatetur quidam *Aristeanæ* fabulæ propugnator. Agnoscit *Waltonus*, *Aristeā* hujusce traditionis *fontem* fuisse, unde ad posteros defluxerit Patres. Asseritque *Serarius* ipse *citatos antea Patres*, nempe quos adduxerat plurimos, ex *Aristea* rem illam referre. Miratur *Usserius*, atque ita alii, si *Augustinus*, *Hieronymus*, *Epiphanius*, *Tertullianus*, tanti viri, potuerint decipi. Atqui magis miror ego, illorum consensum à doctissimo Antistite in argumentum proferri: qui ipse disputans contra vulgarem de *Cellulis* LXX. fabulam, quam *Justinus Martyr* ex Judæorum narratione amplexus fuerat, & à *Justino* acceperant recentiores Patres, respondet, *Justinum* summa facilitate à Judæis potuisse eludi in re, quam ipse non sibi modo, sed omnibus hominibus persuasissimam plane esse cuperet; & eadem facilitate ob illam causam opinionem à *Justino* edoctam amplexos esse posteros. Idem nos dicimus de tota LXX. Interpretum Historia. Sane vel renitentium fidem cogere potuit Historia illa, quæ tot tantaque argumenta Christianis adversus Ethnicos simul & Judæos suppeditabat: contra *Gentiles*, quod in ea prædicetur, ipsum *Ptolemæum* Regem, aliosque *Græcos*, Sacras Scripturas tanta veneratione fuisse prosecutos: contra *Judæos* illos, qui solebant Scripturas adulteratas aut perperam versas *Christianis* objicere; quod in illa Historia, Interpretatio perhibetur adornata auctoritate ipsius Judæorum Pontificis maximi, supremique concilii, & opera LXX. Seniorum, Scripturarum scientia apprime instructorum; traditurque insuper, Versionem absolutam & publice perlectam, concordibus omnium suffragiis laudatam & approbatam fuisse; diris præterea & imprecationibus devotum fuisse, qui quicquam addere, vel subtrahere, ausus foret.

3. Futile vero illud, & ab omni recto judicio alienum, quod de *Hermippi Gentilismo* Jesuitæ obganniunt; quasi vero *Gentiles* Historici nullam veri rationem habuerint, quasi soli Judæi Christianique fidem nostram mereantur. Porro edoceri velim, cujas ille debuit esse, qui de negotiis Ethnicorum Historiam conscriberet. Quî melius, quæso, quam per *Græcum* auctorem, ad nos pervenire potuit notitia rerum ad *Ptolemæum Demetriumque*, *Græcos*, attinentium? Ridicule *Gretserus* objicit, *Hermippum* rerum *Judaïcarum* fuisse ignarum. Quod, quia petit, do illi & concedo. At non ignarus fuit rerum *Græcarum*, non rerum a *Ptolemæis* gestarum, non rerum ad vitam mortemque *Demetrii* Atheniensium principis & Philosophi, & ad *Bibliothecam Alexandrinam*, ejusque præfectos, spectantium.

4. Sed instat atque urget *Gretserus*, magis credendum esse *Aristeam*, *utpote* qui rebus ipsis *interfuit*. Bella sane *Principii Petitio*! quasi non sit omnis hæc quæstio de eo ipso, utrum *interfuerit* Aristeas iste, necne. Per quem *Notorem* evincet ille, quod Philadelphi in Aula vixit? Ut

1 Defens. Bellarmini II 6. Ita *Ger. Vossius* Hist. Gr. I. 12. *Salianus* Annal. an. M. 3775. *Usserius* de LXX. Interpretibus cap. 1. *Waltonus* Prolegom. in Polyglot. 9 c. 4. aliique, *Josephi*, Christianorumque Patrum, auctoritate adversus *Hermippum* utuntur.

verbo

verbo dicam; Scriptorem istum Versionis negotio *interfuisse* comprobetur, & in æternum nobis silendum erit.

5. Nihilo plus efficiunt altero argumento, ab *Hermippi* obscuritate deprompto. *Vix notum* appellat Serarius, *tenebricosum* Gretserus: non perpendentes, neminem unquam mortalium in lucem prodiisse, qui *Aristeâ* minus notus vel magis tenebricosus fuerit. Cujus quidem Historiæ per annos *trecentos* nemo unus unquam mentionem fecit. Qui an ater (quod dici solet) an albus esset, nemo, nisi ex ipsius testimonio, didicisset. Inquiramus vero quare tanto cum contemptu obscuritatem *Hermippo* exprobrarint. Hoc certe fecerunt nulla alia de causa, quam quod Scriptorem præclarissimum sua eis inscitia reddidisset ignotum. Sic *cæci* quum essent, solem ipsum tenebricosum vocassent. *Serarius* ex *Suida* notat, [1] duos fuisse *Hermippos*, alterum *Atheniensem*, Poetam Comicum; alterum *Berytium*, Historicum, *Philonis Byblii* discipulum, qui imperante *Hadriano* scriptis inclaruit. Auctoritatem *Comici* spernit, utpote hominis contra *Aristeam* non nominandi. *Historici* testimonium parvi facit, tanquam antiquitate non satis firmatum. Qui tamen, me judice, in æquo saltem *Aristeæ* staret, & illius testimonio si fretus fuissem, non veritus fuissem cum *Aristeæ* fautoribus manus conserere. At duo tantum fuere *Hermippi*? *Serarii* aliorumque venia, alius ab utroque, & antiquior, & clarior, erat *Hermippus* noster. Civitate fuit *Smyrnæus*, studio *Historicus*, homo celebri fama & multo nomine multaque antiquitate. [a] *Is. Casaubonus*, & [b] *Menagius*, doctissimi viri, æqualem illum faciunt *Theophrasto*, qui ipsi *Demetrio Phalereo* coævus fuit. Illis vero me fateor non omni ex parte consentire. *Hermippum* enim non vixisse *Theophrasti* ætate, aut saltem tam juvenem fuisse, cum ille moreretur, ut notum illum vix haberet, id argumento est, [2] quod cum dicit illum in senectute solitum fuisse lectica ferri, *Arcesilaum Pitanæum* citat auctorem, ut docet *Phavorinus* apud *Laertium*. Palam tamen est illum floruisse ætate proximò subsequente, exeunte scil. *Philadelphi* regno. Et illum ad tempora *Ptolemæi Euergetæ*, filii *Philadelphi*, refert *Ger. Vossius*; [c] argumento, quod inter tot præclaros viros, quorum vitas posteritati tradidit, nullum (quantum cognoscitur) descripserit eorum, qui post *Theophrastum* claruerunt. Accedit, quod *Callimachi* Poetæ, qui regnante *Philadelpho* floruit, discipulus fuit: hinc Καλλιμάχει@ *Atheneo* dictus.

a Præf. in *Theophrasti* Charact.
b Ad D. *Laertii* Vitam *Theophrasti*.
c Hist. Gr. l. 1. c. 16.

6. Quod ad *Hermippi* nostri *Smyrnæi* auctoritatem fidemque spectat, testis est locupletissimus, omnique exceptione major. Vitarum enim & historiarum clarorum virorum apprime peritus fuit, & *Vitarum* volumen ipse composuit, cui titulus Βίοι; in quo inter alios multos Philosophos *Demetrii Phalerei* Vitam adornavit. *Josephus* [d] ipse illum, inter multos qui *Pythagoræ* res gestas in monumentis suis dederunt famæ, *insigniorem* fuisse testatur, & *circa omnem historiam diligentissimum indagatorem* appellat. *Smyrnæum* enim *Josephus* designat, non *Berytium*, quod *Serarius* imperitissime [3] existimavit.

d Lib. 1. contra App.

7. *Ger. Vossius*, [e] quamvis ei *Smyrnæus* non ignotus fuisset, *Laertii* tamen locum, de quo jam disputamus, de *Berytio Hermippo* exponit. Quod

e Hist. Gr. l. 1.

1 Ita *Frassenius* Disquisit. Bibl. lib. 2. cap. 3. *Ea omnia quæ de Demetrio narrantur, nituntur præsertim testimonio Hermippi. Quis autem fuerit ille Hermippus, non indicant. Duos enim Hermippos numerat Suidas, unum Atheniensem lusum & Poetam Comicum; alterum Berytium Historicum, qui Adriani tempore multa scripserit. Quis autem eorum hanc de Demetrio narrationem instituat, aperis nemo. Si prior, an plus fidei meretur Poeta, & quidem Comicus, quam tot tamque graves Auctores Christiani, & Judæi? Si posterior, ut ex ejus patria & scriptis conjicitur, floruit is tempore Adriani Imp. At rebus, cum gererentur, interfuit Aristeas, ex cujus narratione ista referunt à nobis prius laudati Veteres.*

2 De sententia sua & nostra vide quæ habet Claris. *Menagius* in Laertii edit. posteriori p. 211.

3 Nec Historicus solum fuit, verum etiam *Philosophus*. *Hermippum* enim *Vitarum* Scriptorem, *Hermippum Peripateticum* appellat B. *Hieronymus* Præf. in *Catal. Scriptorum Eccles.*

error est manifestissimus. Liquet enim *Smyrnæum*, Vitarum scriptorem, sexcenties alibi à *Laertio* citari. Et Ἑρμιππος ἐν τοῖς Βίοις, in *Thaletis* & *Anaxagoræ* Vitis diserte citatur. Atque hinc est, quod in loco supra in medium adducto nominatur [1] simpliciter *Hermippus*, omisso cognomine. De eodem nempe *Laertius* se voluit intelligi, cujus toties testimonio usus fuerat. Nec *Berytium* quidem unquam (quantum ego observaverim) memorat. Sed quid conamur inferre lucem in clarissimum solem? Sufficerit adnotasse hunc locum adeo nihil in se habere dubii, ut libere fateatur *Isaacus*, [a] eruditissimus *Gerardi* filius, *Hermippum designari Smyrnæum, qui Euergetæ Ptolemæi temporibus Philosophicam tradidit historiam.* Qui tamen, acerrimus *Aristeanæ* historiæ vindex, si vel minima fuisset dubitandi causa, eam avide arripuisset.

[a] De LXX. Int. cap. 2.

CAP. IV.

Vindicatur Hermippus *à reprehensionibus* If. Vossii. *Verum esse quod* Hermippus *scribit*, Demetrium Phal. *post Cassandri mortem* Antigoni *metu in* Ægyptum *se contulisse.* Demetrium Phal. *Athenarum principem à* Cassandro *fuisse constitutum. Illum sponte non restituisse* Athenienses *in libertatem*; *sed à* Demetrio Poliorcete *expulsum fuisse* §. 1. 2. 3. Hermippi *narrationem* Strabonis *testimonio confirmari.* §. 4. Diodorum Sic. Hermippo *non refragari.* §. 5. Antigonum *ab* Hermippo *designari non* Magnum, Demetrii Poliorcetis *Patrem, sed* Cassandri *filium.* § 8.

QUAMVIS *Hermippum*, ob antiquitatem ejus & gravitatem, tanto in pretio habeat Vir clarissimus *If. Vossius*, ut concordiæ inter illum & *Aristeam* constituendæ operam dare satius putet, quam illius testimonium rejicere: eo tamen angustiarum illius relatu se redactum percipit, ut quo infirmetur, quantum possit, illius auctoritas, monet [b] duplicem errorem ab eo in loco supra citato committi. In illum objicit primo (*Jo. Bapt. Ricciolio* [c] suffragante) quod scribit *Demetrium Phal.* post mortem *Cassandri*, Regis Macedoniæ, Ægyptum petiisse; quod falsum esse ut evincat, affirmat *Diodorum Siculum* testari, *Demetrium Phal.* octennio ante annum 2dum Olympiadis 120. quo *Cassander* mortuus est, ad *Ptolemæum* in Ægyptum concessisse; nempe anno 2. Olymp. 118. Quod verum esse, addit ab ipso historiæ ordine evinci. 2do, quod *Phalereum* hunc *Demetrium* refert in Ægyptum confugisse præ metu *Antigoni*, cum *Antigonum* (ut inquit) ante *Cassandrum* obiisse constet.

[b] De LXX. Int. cap. 2.

[c] Chronologiæ Reformatæ tom. 1.

2. Dum his objectionibus sibi consulit vir doctissimus, tot ipse errores committit, quot *Hermippum* incusat. Primum quod attinet, [2] si error

1 Idem *Vossius* de Hist. Gr. l. 4. *Hellanicum Lesbium à Dionysio Hal. Hellanicum* citante, designari hinc probat, quod *Hellanicum Lesbium* antea citasset: *& alium* (inquit) *si signasset ab eo, cujus ante meminerat, cognomento distinxisset.*

2 *Utrum Demetrius Phal. postquam Athenarum excidit principatu, in animo statim habuerit Ptolemæum adire, an vero aliquandiu postea, ad rem non facit, & futilis omnino est quæstio*: ait Cl. *Vossius* in *Respons.* Futilissima sane fuisset quæstio, nec ad rem pertineret, nisi *Vossius* ipse, ut *Hermippi* auctoritatem labefactaret, infeliciter eam movisset. Sed pudet pœnitetque nunc Virum doctissimum quæstionis suæ, nec immerito.

Licet verum esse concesserimus (inquit) *id quod scripserunt Hermippus & ex illo Strabo, Demetrium Phal. mortuo demum Cassandro Ægyptum adiisse, nihil tamen aliud efficiemus nisi id solum, tempus quo in Ægypto vixerit Phalereus, non 24. sed 14. aut 15. tantum fuisse annorum.* Immo vero, hoc præterea efficiemus, non errasse *Hermippum*, cujus auctoritatem convellere nitebatur *Vossius*. Id modo concedat, & de ea re non disputabimus.

Monuimus (ait) *Hermippum geminum hoc loco commisisse errorem, &* VERIOREM VIDERI ILLORUM SENTENTIAM, *qui statim post amissam tyrannidem,* AUT CERTE NON DIU POSTEA, *illum ad Ptolemæum se contulisse scribunt, uti Diodorus, Plutarchus, Eusebius, & alii.* Colludit hic & prævaricatur V. Cl. Quam falsum sit illum ea *monuisse*, intelliget Lector, si verba ejus ex scripto *de translatione* LXX. *Interpr.* in medium proferamus, quæ sic se habent: *Cum dicis Hermippus Demetrium Phal. demum post mortem Cassandri Ægyptum petiisse, in eo omnino peccas. Mortuus est Cassander an. 2. Ol.* CXX. *Atqui Diodorus Sic. testis est locupletissimus Demetrium Phal. octennio ante ad Ptolemæum concessisse, nempe an. 2. Olymp.* CXVIII. (quo refert illum Athenis fuisse ejectum) *verumque id esse ipse evincit historiæ ordo.* Neque illud verum est, vel *Diodorum*, aut *Plutarchum*, aut *Eusebium*, aut quemvis alium, tradidisse, profectum fuisse *Demetrium* in Ægyptum NON DIU post amissam tyrannidem.

sit

ſit illud quod ſcribit *Hermippus*, *Demetrium Phal.* non niſi poſt *Caſſandri* obitum in Ægyptum ſe contuliſſe, eo certe rationis robore honeſtatur, ut maluerim cum *Hermippo* hac in re errare, quam cum *Diodoro* (ſi verum eſſet *Hermippo* illum refragari, quod tamen nego) recta ſemita contendere. Mirum enim, ſi *Demetrius Phal.* qui ab amico ſuo *Caſſandro* Athenarum principatu donatus fuerat, ad *Ptolemæum*, & non ad *Caſſandrum*, ſe reciperet, cum è patria & regimine ſuo, *Caſſandri* cauſa, ejectus eſt. Cur tam longum iter ad *Ptolemæum*? Cur ultra maria? cum [1] in Græcia adhuc ſuperfuit *Caſſander*, quem habuit amantiſſimum ſui, & à quo Civitatis præſes conſtitutus fuerat. Sane nullus dubito, quin *Demetrius*, cum primum *Athenis* expulſus fuit, ad *Caſſandrum* ipſum confugerit, & demum, poſt ejus mortem, ad *Ptolemæum*. Quod *Hermippus* videtur in animo habuiſſe.

3. *Demetrium* autem *Phalereum* Caſſandri favore ad Reip. Athenienſis gubernacula evectum fuiſſe, teſtantur [a] *Strabo*, & [b] *Pauſanias*, & præſertim [c] *Diodorus*, ne alios commemorem. Neque dici poteſt, illum *Demetrio Poliorceti* Civitatem ſponte tradidiſſe, atque ideo ad *Caſſandrum* ſe non recepiſſe. Quod enim *Hieronymus* ſcribit in Verſione Chronici [d] *Euſebiani*, *Demetrium Phalereum ad Ptolemæum venientem impetraſſe ut Athenienſibus Democratia redderetur*, omnino falſum eſt, ut à *Scaligero* jam olim obſervatum. In Ægyptum enim conceſſit *Demetrius* poſtquam patriæ ſuæ populare regimen jam redditum fuerat. Et quod in [e] Græco *Euſebii* Codice legitur, illum *Democratiam Athenienſibus reddidiſſe*; non intelligendum eſt quaſi ſponte id fecerit. Coactum enim compulſumque fuiſſe, ſatis evincit inveteratum illud odium, quo in fugientem debacchati ſunt [a] Cives, abrogantes Leges quas tulerat, judicio capitis abſentem damnantes, trecentas & ſexaginta illas æneas ſtatuas, quas paulo ante in honorem illi dedicaverant, alias frangentes, conflantes alias, idque etiam (ut aliqui ſcripſerunt) in matulas; omnes ad unam, quæ in arce poſtea ſervabatur, deturbantes. Et licet dicitur illum ad *Poliorcetem*, Athenas cum claſſe appellentem, miſſum fuiſſe, & de libertate Civibus reſtituenda apud illum *diſſeruiſſe*; non tamen is fuit, qui libertatem illis reſtituit. *Poliorcetes* enim antea ([f] *Plutarcho* teſte) cum primum Pyreæum appelleret, *per præconem pronunciaverat ad liberandas ſe Athenas, præſidiumque* (Phalerei) *ejiciendum acceſſiſſe*; Atque inde erat, quod *Phalereus*, tyrannidem ſuam contra tantam poteſtatem retineri poſſe deſperans, ad *Poliorcetem* exierit, declarans ſe principatu ceſſurum, dummodo

[a] Geog. lib. 9.
[b] Atticis.
[c] Lege lib. 18. p. 637. ad fin.
[d] Ad num. MDCCIX. & I. Ol. 118.
[e] Ex eo apud G. Syncellum.
[f] Vita Demetrii Poliorc.

1 *Quod putat Juvenis Oxon.* (inquit Voſſius) *Phalereum iſtum poſt amiſſas Athenas gratum fuiſſe Caſſandro hoſpitem, fieri id non poteſt, cum iſtac jactura omnes pene Caſſandri profligatæ fuerint opes, effeceritque ut lenta demum conſumptus tabe perierit. Tantum abeſt, ut ſplendido apud Caſſandrum loco eſſe potuerit, ut credibile ſit, ne vultum quidem ejus ſuſtinuiſſe; relictis enim Athenis, illo quo Thebis fuit tempore ſine ullo vixit honore, male audiens & vilia quæque obiens, ἀδόξως καὶ ταπεινῶς πράττων, ut habet Plutarchus.* Quam ſplendido fuerit apud Caſſandrum loco, id nec dicimus nos, nec ad rem pertinet. Non dubito tamen quin & vultum Caſſandri ſuſtinuerit, (cur enim non, ſiquidem ſemper ei fidelis extiterit?) & amice ab eo fuerit exceptus. Non mirum vero ſi illic obſcuriorem humilioremque vitam ageret, quandoquidem Caſſandro jam omnes opes eſſent profligatæ, omniaque ei peſſum iviſſent. Satis nobis eſt, quod ad Caſſandrum Thebas confugerit, ibique vixerit; non ſtatim Athenis in Ægyptum abierit, quod *Voſſius* contendebat. Et Thebis quidem illum DEGISSE teſtatur etiam ipſe *Plutarchus*, à *Voſſio* revera adverſus ſemetipſum citatus. Reperitur locus in libello *de Adulatoris & amici Diſcrimine*, his verbis ex *Xylandri* interpretatione: *Demetrium ferunt Phalereum, cum patria exulans apud Thebas obſcuram humilemque vitam ageret, accedente Cratete nonnihil cepiſſe moleſtiæ, Cynica eum erga ſe libertate aſperiſque uſurum ſermonibus opinatum. Sed cum Crates comiter ipſum allocutus de exilio diſſeruiſſet, docuiſſetque illi nihil mali, aut quod deberet ferre iniquius accidiſſe, negotiis liberato periculoſis atque lubricis; hortatuſque eſſet ut in ſeipſo animique affectione ſui omnem collocaret fiduciam: ibi tum Demetrium moleſtia abjecta, animoque recepto, amicis dixiſſe: Piget vero me actionum iſtarum atque occupationum, quarum culpa tantum virum non licuit videre.* Ex hiſce inſuper apparet loqui *Plutarchum* de primo fere ejus ad Thebas adventu; adeo ut minime conſtet exiſtimaſſe illum, Phalereum *obſcuram humilemque égiſſe vitam* quamdiu in ea commoraretur civitate. Et cum primum Thebas acceſſerit Phalereus, credibile eſt abſuiſſe Caſſandrum, bello undique flagrante.

a *D. Laertius* Vita ejus. *Strabo* lib. 9. *Plinius* Nat. Hiſt. XXXIV. 6. *Philochorus* apud Scaligeri Anagr. Olymp. D. Halicarn. in Dinarcho.

liceret Civibus suis libertate absoluta frui. Ita habet *Plutarchus*: *Phalerei Consiliarii* (sive *satellites*) *omnes recipiendum censebant potentiorem*. Adjicit, illum *magis cives suos quam hostes metuisse*, & igitur *disseruisse apud Poliorcetem de sua incolumitate*, comitatumque, qui sibi præsidio esset, ab eo obtinuisse. *Diodorus* [a] etiam testatur illum, *Athenas retineri posse desperantem in fugam se contulisse*. Adde his [b] *Suidam*, & *Pausaniam*. Hic asserit *Demetrium Poliorcetem*, *Phalereum ex tyrannide ejecisse*: & *Cassandrum* postea, pro acerbissimo quo in Athenienses laborabat odio, *Lachari* cuidam, qui ad illud usque tempus principem in plebe locum tenuerat, persuasisse, ut tyrannidem invaderet. Qui etiam à Poliorcete expulsus est.

[a] Lib. 20.
[b] Vocibus Δημήτριος Φαληρ. & Δημήτριος ὁ Ἀντιγόνου.

4. Ad hoc argumentum, quo omnino probabile redditur, *Dem. Phalereum* in Ægyptum non concessisse ante mortem *Cassandri*, adjiciendum est [c] *Strabonis* testimonium disertissimum. ὁ φθόνος ἴσχυσε καὶ ἡ πρὸς ὀλίγους ἀπέχθεια, ὥστε μετὰ τὴν Κασσάνδρου τελευτὴν ἠναγκάσθη φυγεῖν εἰς Αἴγυπτον. *Verum invidia & Oligarchiæ odium in tantum valuerunt, ut* CASSANDRO MORTUO, *Demetrius Phalereus fugere in Ægyptum* [1] *sit coactus*.

[c] Lib. 9.

5. Neque aliquid est, quod huic veritati vel minimum refragetur. *Diodorus* enim, quem citat *Vossius*, non dicit *Dem. Phalereum* Alexandriam abivisse eodem anno quo de principatu suo deturbatus fuerat; sed postquam enarrasset, ad an. 2. Ol. 118. quomodo is à Poliorcete pulsus esset, hoc solum subjungit; illum *fugisse Thebas*, & *demum in Ægyptum ad Ptolemæum*: ἔφυγεν εἰς Θήβας, ὕστερον δὲ πρὸς Πτολεμαῖον εἰς Αἴγυπτον. Hæc adeo non favent *Vossio*, ut nobismet ipsis argumentum præbeant. Vel exinde enim colligitur illum, cum Athenis discederet, constitutum sibi non habuisse in Ægytum concedere, siquidem *Athenis* non fuit per *Thebas* in *Ægyptum* iter. Sed adversa prorsus fuit & contraria via, qua *Thebas* itum est. [2] Et quod dicitur primum *Thebas*, & *postea* (vel *demum*) *Alexandriam* concessisse, id indicio est, illum exilii sui tempus partim *Thebis* (sub patrocinio *Cassandri*) partim *Alexandriæ* traduxisse. De profectione autem ejus in Ægyptum, eodem loco, quo de expulsione ejus & ad Thebas fuga, meminit *Diodorus*, ut Lectori suo satisfaceret, quasi anxie percontaturo, quid demum de illo tanto viro factum fuerit, quoque terrarum novissimò tetenderit. [3] *Plutarchus ubi* de expulsione ejus loquitur, de profectione

1 Precario ait *Vossius* Strabonem ex *Hermippo* scripsisse. Esto vero: fac ex eo scripserit: at constat Strabonem, doctissimum accuratissimumque scriptorem, de Phalerei in Ægyptum statim postquam Athenis fuisset expulsus profectione nihil inaudivisse.

2 *Quod dicis Juvenis Oxon. non dari viam quæ per Thebas in Ægyptum ferat, & hoc quoque futile. Phalereo isti non data fuit optio proficiscendi quo vellet, satis illi fuit evasisse furorem populi & in proximo exponi loco.* Sic *Vossius*. Et hoc quoque futilissimum & falsum. Disertis etenim verbis testatur *Plutarchus* datam ei fuisse optionem proficiscendi quo vellet, nempe jussisse Poliorcetem, ut *Thebas*, UTI PETEBAT, *deduceretur*. τὸν δὲ Φαληρέα διὰ τὴν μεταβολὴν τῆς πολιτείας μᾶλλον τοὺς πολίτας ἢ τοὺς πολεμίους φοβούμενον, οὐκ ἠμέλησεν ὁ Δημήτριος, ἀλλὰ καὶ τὴν δόξαν αἰδεσθεὶς καὶ τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρὸς, εἰς Θήβας αὐτὸν, ὥσπερ ἐβούλετο, μετ᾽ ἀσφαλείας συνεξέπεμψεν. *Phalereum vero, civium magis, ob reipubl. mutationem, quam hostium metuentem, non neglexit Demetrius: sed dignitatis ejus & virtutis veneratione, Thebas eum, uti petebat, addito præsidio deduci jussit.*

3 *Sed est exacti historici* (inquit *Vossius*) *singula suis locis reddere, non autem res confundere, & quæ tot annorum intervallo distincta sunt sine significatione tam longi quod intercessit temporis simul recensere, ut excusari non possit Diodorus, si non conjungenda sine aliqua præfatione conjunxerit.* Exactissimi certe historici est, id ipsum facere quod fecit *Diodorus*. Hic breviter, & uno verbo prudenter monet Lectorem, quo demum adierit *Phalereus*. Nec res aut tempora ullo modo confundit. Et in ista historiæ suæ parte, quæ injuria temporis periit, quum ad ea devenisset tempora, verisimile est illum de Phalerei ad Ptolemæum profectione, rebusque apud illum gestis, morteque, plura addidisse. Vani & inepti sumus, si ejuscemodi exempla, quæ passim apud alios probæ notæ occurrunt historicos, congerendo tempus perdamus. Neque his de rebus usqueadeo ineptiisset Vir magnus, nisi victum se, & à *Juvene* victum, fateri *clariss. Seni* pergrave fuisset.

Tantum abest, ut statim in Ægyptum se contulerit *Phalereus*, ut non modo *Thebis*, sed & in *Thracia* quoque prius versatum fuisse, testetur *Polyænus*: cujus testimonium dum profert *Vossius*, ipse suo se jugulat gladio. *A Cassandri* (inquit) *& Poliorcetæ copiis militaribus intercluso per maria itinere, necessum habuit non Thebas tantum, sed & Macedoniam & Thraciam terrestri adire itinere. Nam & Thraciam adiisse & illic quoque latuisse, colligo ex Polyæno lib. 3. circa finem, ubi scribit illum agnitum & jamjam comprehendendum à rege Thraciæ, abdidisse se in plaustro onusto fœno, & sic evasisse. Satis ex his verisimiliter cognoscimus, post amissas Athenas, nusquam diu substitisse Demetrium Phalereum, vitamque*

profectione in Ægyptum nihil dicit: hoc tantum habet, Poliorcetem, virtutem ejus admirantem, *jussisse illum Thebas, uti petebat, adhibito præsidio deduci*. Non est cur subjiciam aliquid de *historiæ ordine*, quem objicit in *Hermippum* Vir eruditissimus. Ex dictis enim evidenter liquet, ex *historiæ ordine* nihil posse contra *Hermippum* inferri.

6. Ad alterum jam errorem deventum est, cujus *Hermippum* Vir clarissimus insimulat: scil. quod tradit *Phalereum* hunc *Demetrium*, post obitum Cassandri in Ægyptum profectum fuisse *metu Antigoni*: qui, ut dicit ille, triennio ante *Cassandrum* diem extremum morte confecit, attestante id non *Diodoro* tantum, sed & communi historicorum consensu. Quæ objectio nihilo fælicius doctissimo Viro succedit. Ab *Hermippo* enim non designatur *Antigonus Magnus*, Demetrii Poliorcetis pater (quod ille existimavit) cui triennio supervixit *Caßander*, sed ipsius *Cassandri* filius, *Antipater* vulgo nominatus, ab aliis vero *Antigonus*.[a] Canon

non

[a] *Dexippus* ap. Eusebii Chron. l. 1. *Porphyrius* ibid. *G. Syncellus* Chron. *Plutarchus* in Pyrrho. *Pausanias* Bœoticis *Justinus* Hist XVI. 1. *Numisma* apud Goltzii Thesaurum.

tamque ejus fugam fuisse perpetuam, donec Alexandriam tandem appelleret. Sed & quam vana sint pleraque ea quæ de decennali hospitio & gratia qua apud Cassandrum floruerit, Oxoniensis iste scribit Juvenis, & hoc quoque patet. Ubi genitum vixerit, aut quomodo, ante mortem *Cassandri*, *Phalereus*, id nostrâ parum refert, modo non in *Ægypto*, ut salva sit *Hermippi* auctoritas. Sed nec verum est id quod dicit *Vossius*, ex hoc *Polyæni* testimonio patere, falsa esse ea quæ dixit *Juvenis Oxon.* de Phalerei apud Cassandrum hospitio. Illud enim & vanum & nullo fundamento nixum, quod urget Vir doctus de Phalereo, quod *necessum habuerit, non Thebas tantum, sed & Macedoniam & Thraciam terrestri adire itinere, ob interclusum per maria iter à Cassandri & Poliorcetæ copiis militaribus.* Et quis dicit illum vel *statim*, vel *brevi*, post adventum ad urbem Thebarum, in *Thraciam* concessisse? Quis illum *Cassandro* valedixisse, cum eam adiret regionem? Sane non dubito ego quin in *Thracia* tunc ipsius *Cassandri* tractaret negotia, legatus ab eo, ut videtur, missus ad amicum ejus *Lysimachum*. Nam præter *Lysimachum*, in Thracia Rex alius fuit indigena quem designat *Polyænus*, inter quem & *Lysimachum* diuturnum intercessit bellum, de quo vide *Justinum* XVI. 1. *Polyæni* hæc verba sunt: Δημήτριος Φαληρεὺς συλλαμβάνεσθαι μέλλων ὑπὸ τοῦ Θρᾳκῶν βασιλέως, ἀποκρύψας αὑτὸν ἐς ἅμαξαν χορτοφόρον, ἐς τὴν ὅμορον χώραν διεσώθη. *Demetrius Phalereus cum se, à Thracum Rege interceptum, captum iri cerneret, semetipsum in plaustrum fœno onustum abdens, in finitimam regionem salvus & incolumis pervenit.*

Jo. Tzetzes Chil. IV. v. 748. ait *Demetrium Phal.* post exilium Corinthi literas docuisse. Sed memoriæ is lapsu *Demetrium* nostrum & *Dionysium* Siculum inter se confundit.

1 Nec felicius rem gerit *Vossius* in hac sua objectione contra *Hermippum* tuenda. In hoc solo veritatem attigit, quod *Canonis Eusebiani* Græca, quæ citavimus, sed quibus satis commode carere possumus, monet esse fictitia, & ex Hieronymi Versione a Scaligero desumpta. De re ipsa sic ratiocinatur: *Si binominis fuisset Antipater, debuisset dici Antipater Cassander, non Antipater Antigonus. Apud Græcos enim cognomina addebantur aut à parentibus, ut Aridæus Philippus, Theocritus Simmichidas, Eumenes Cratilas, Ptolemæus Lagus, & complura similia, quæ Græci vocant πατρωνυμικὰ ἀπαραλλάκτως λεγόμενα: Aut à præceptoribus, ut Apollonius, Manlius Antiochus, Aristides Quintilianus, & plures alii; aut denique à dominis, uti passim apud Romanos. Sed nihil horum locum habet in Antipatro, nec ulla potest fingi causa quamobrem Antigoni huic accesserit cognomentum.* Quam gratis & precario hæc dicuntur, more *Vossiano*! Quo auctore probabit cognomina apud Græcos addita fuisse aut à parentibus, aut à præceptoribus, aut à dominis? Mille *Vossii* refellendis vel hoc unum sufficiat exemplum. Et si, prout *Vossius* voluit, se res habuisset, qui id non innotuit illis, qui (non *Philippum*, sed) *Aridæum*, fuisse cognomen fratris Alexandri M. existimabant? In his est *Ptolemæus* Astronomus in Canone; Φιλίππου Ἀριδαίου. *Eusebius* quoque in Canone, *Philippus qui & Aridæus*. Indebantur cognomina à majoribus etiam, & aliis multis de causis. *Hermodamantis* qui ab uno è majoribus suis *Creophylus* cognominabatur, meminit *Jamblichus* in Vita *Pythagoræ*: νύκτωρ λαθὼν πάντας μετὰ τοῦ Ἑρμοδάμαντος τὸ ὄνομα, Κρεωφύλου δὲ ἐπικαλουμένου, ὃς ἐλέγετο Κρεωφύλου ἀπόγονος εἶναι, Ὁμήρου ξένου τοῦ ποιητοῦ φίλου καὶ διδασκάλου τῶν ἁπάντων. *Noctu inscius omnibus cum quodam cui quidem Hermodamanti nomen erat, cognomento vero Creophylo, qui dicebatur unus fuisse ex posteris illius Creophyli, qui ut fertur, Homeri hospitis & poetæ amicus fuit & præceptor omnium.* Exemplo sunt etiam contra *Vossii* assertionem, *Alexander Antiochus*, & *Demetrius Seleucus*, Reges Syriæ, *Ptolemæus Alexander*, Rex Ægypti, Ptolem. Euergetæ II. filius, *Demetrius Ixion* Grammaticus, cum multis aliis.

Sed *nulla* (inquit) *potest fingi causa, quamobrem Antigoni illi accesserit cognomentum.* Et quid mirum, cum de eo, totaque Cassandri familia, tam pauca nobis innotuerint? Cæterum isti Domo familiare fuisse nomen *Antigoni*, vel ex eo colligi potest, quod filia quædam Cassandri fratris Antipatri, & patrui Cassandri Regis, mater Berenices Reginæ Ægypti, nominabatur *Antigone*, ut testatur *Theocriti Scholiastes*: ab eaque Berenice filiam quandam suam nominabat *Antigonen*, cujus meminit *Plutarchus* in *Pyrrho*. At quidni dicamus cognomentum ei fuisse non *Antigonum*, sed *Antipatrum*, idque ei accessisse ab avo ipsius *Antipatro*, Cassandri patre? Sed de hoc nihil asserimus.

Pergit Vir doctiss. *Nullo alio fundamento nititur hoc figmentum quam verbis Hieronymi qui cum libro 1. recte scripsisset*. Macedonibus regnavit XXVII Antigonus & Alexander annis IV. *in posteriore tamen libro addit eos filios fuisse Cassandri, errore manifesto, cum iste Antigonus, qui post mortem Cassandri appellatus fuit Rex Macedonum, fuerit* Antigonus Gonatas, *filius Demetrii Poliorcetæ, qui & ipse 12. annis, antequam solus in Græcia & Macedonia regnaret, æque ac pater & avus, Græcorum & Macedonum Rex audiebat. Si itaque Hermippum ab errore vindicare velimus, aut de* Antigono Gonata *accipienda sunt ejus verba, aut dicendum Antigonum nominari pro posteritate Antigoni.* Bene est quod objectionis suæ Virum doctum tandem pœniteat, & *Hermippum* equidem quovismodo excuset per me licet. Gravissime tamen dormitabat, cum ea scripsit. Si *Canonem* Eusebianum inspexisset, reperisset *Antigonum & Alexandrum*, (qui *Cassandri filii* appellantur) successisse *Cassandro* in Macedoniæ regno Ol. CXX. 2.

vel

non Eusebianus: Μακεδόνων ἐβασίλευσεν κζ. Ἀντίγονος καὶ Ἀλέξανδρος Κασσάνδρου υἱοὶ ἔτη δ'. In Latino Hieronymi: *Macedonum* XXVII. *Antigonus & Alexander Caßandri filii.* Chronicorum libro I. secundum Græca, quæ plurima *Eusebii* non sunt, idem audit *Antipater*: Μακεδόνων ἐβασίλευσεν κζ. τρεῖς παῖδες Κασσάνδρου Φίλιππος καὶ Ἀλέξανδρος καὶ Ἀντίπατρος ἔτη γ'. Sed & primus liber Latine ab *Hieronymo* versus, cum *Canone* convenit: *Macedonicis regnavit 27. Antigonus & Alexander an.* 4. Huc accedunt Græca Excerpta, quæ *Eusebiano* Chronico *Scaliger* attexuit, ubi in serie Regum Macedonum recensentur *Philippus Aridæus*, *Cassander*, *Antigonus*, *Demetrius*, & sic deinceps.

7. Jamvero quid causæ fuerit, cur *Antigonum* hunc Cassandri filium, post Cassandri obitum metuerat *Demetrius Phal.* & illius causâ in Ægyptum fugeret, luculentissime comparebit, si quod actum fuerit ab *Antigono* post *Cassandri* mortem, Lectori ob oculos proferamus. Sciendum itaque, quod post *Caßandri*, filiique ejus natu maximi, *Philippi*, continuas mortes, *Thessalonice* Cassandri vidua, crudelissime ab *Antigono* filio (cui nomen etiam *Antipatro*) perempta est. Causa parricidii, quod in divisione regni [a] inter duos superstites fratres, propensior illa pro *Alexandro*, natu minore, [b] videbatur. *Dexippus*, & post eum *G. Syncellus* auctores sunt eam molitam fuisse regnum ad *Alexandrum* transferre; nullum tamen extitisse maternæ fraudis vestigium *Justinus* attestatur; unde facinus gravius omnibus & atrocius visum esse. Utut erat, ea res duos illos fratres magno bello inter se habuit, & utrique tandem exitio fuit. Et quis nunc non facile perspicit, quare ab *Antigono* sibi metueret *Phalereus* noster? [1] *Thessalonicæ* proculdubio ille adhæserat, *Cassandri* & ipsius beneficiorum memor: atque ideo cum videret *Antigonum* eo crudelitatis provectum, ut materno cruore madidus sæviret; sive quod apud Regem tam ferocem agere non visum sit, sive quod de ipso etiam (quod credibile) tanquam Reginæ consiliorum participe Regi esset suspicio; periculo se subtraxit opportuna fuga in Ægyptum, ad Ptolemæum, veterem *Caßandri* amicum.

[a] *Justinus* Hist.
[b] Ut *Plutarch.* & *Pausan.* scribunt, non *majore*, ut est apud *G. Syncellum*.

8. Sic abunde confirmatur, quod tradit *Hermippus* noster, *Demetrium Phal. post Cassandri mortem, metu Antigoni, ad Ptolemæum concessisse.* Et auctoritatem ejus à reprehensionibus *If. Vossii*, aliorumque omnium, immunem & integram præstitimus.

CAP. V.

Aliorum effugia excutiuntur. Hermippum *à* Laertio *citari testem, quod* Demetrius Phal. *statim post mortem* Ptolemæi Lagi *in exilium à* Philadelpho *missus est, & in custodia mortuus*: *contra* Usserium. §. 2. *Quod* Hermippi *testimonium aliorum veterum suffragiis corroboratur*. 3. Demetrium *à* Philadelpho *in gratiam non receptum fuisse, contra* Serarium *&* Salianum. 4.

DE *Hermippo*, auctoritateque ejus, satis cum disseruimus, superest ut eorum discutiamus responsa, qui vel *Hermippum* majori habentes existimatione, vel ineptis suis adversus illum cavillationibus non acquiescentes,

vel 3. & regnasse annis 4. Post eos regnasse *Demetrium Poliorcetem*, ANTIGONI GONATÆ PATREM, annis 6. deinde *Pyrrhum*, postea *Lysimachum* an. 5. deinde *Ptolemæum Ceraunum* & *Sosthenem*: post omnes tandem illos Macedoniæ regno potitum fuisse *Antigonum Gonatam*; hoc est annis 19. post initium regni *Antigoni* & *Alexandri*. Conspicuum est itaque *Antigonum* istum, qui una cum *Alexandro* ab Eusebio conjungitur, alium omnino ab *Antigono Gonata* fuisse. Plura dicere parco, cum hæc abunde sufficiant, ad immanem eruditiss. *Vossii* oscitantiam patefaciendam.

1 *Etiamsi inter filios Cassandri fuisset Antigonus* (inquit *Voss.*) *nulla tamen fingi potest causa, quamobrem ab isto sibi timeret Demetrius Phalereus. Longe ille aberat terrarum, & in tuto, nisi fallor, jam versabatur, & licet præsens fuisset, frustra tamen timuisset regulum, vix in aliqua Macedoniæ regnantem parte & jugulatum antequam in solio confirmaretur, ipse præsertim in humili latitans loco & nullorum particeps consiliorum.*

acquiescentes, nova machinantur stratagemata, & conantur suis se effugiis ab illius testimonii pondere subducere.

2. *Jac. Usserius*, [a] Armachanus Antistes, decus immortale suæ gentis, ait *Laertium* de *Demetrio* quidem relegato narrationem ex *Hermippo* mutuari, sed de ista parte, quod in custodia vitæ cursum confecerit, *Hermippum* non citari testem. *Prioris* (inquit) *hujus narrationis partis de custodito à Philadelpho in ea regione Demetrio, donec quid de eo fieri decerneretur, Hermippum auctorem producit Laertius; non posterioris, de eodem aspidis morsu postmodum extincto.* Observaverat illustrissimus Præsul *Laertium* à narratione rerum ab *Hermippo* traditarum *modo Infinitivo* instituta, ad *Indicativum* revocare orationem, & quasi sua ex persona reliqua subjicere. Attamen, pace celeberrimi Viri, mirari ego satis non possum, si arcta ista narrationis atque sensus cohærentia non evincat *Laertium*, quamvis personam sustinere suam videatur, partem etiam posteriorem eidem auctori acceptam retulisse. Nunquam certe de hac re aliquid scrupuli movisset *Usserius*, nisi eo loco & æstimatione *Hermippum* habuisset, ut adversus illum in aciem ire periculosum duceret. Latere illum non potuit, eundem orationis construendæ morem cum in Græca tum in aliis linguis vulgarem & tralatitium esse. Qua de re si quis dubitet, inspiciat modo velim *Athenæi* volumen, &, ne ad alios pervagetur innumeros, *Porphyrium* adeat *Duridem Samium* citantem in exordio *Vitæ Pythagoræ*. Et ipsi *Laertio* rationem hanc loquendi usitatissimam esse cognoscet, si legat pag. 67. editionis *Londinensis*, ubi *Heraclidis* de *Menedemo*, pag. 114. ubi *Aristippi* de *Aristotele*, & pag. 136. ubi *Hermippi* nostri de *Heraclide* testimonium profertur. Ad plura *Laertii* loca Lectorem amandare inutile fuerit. Porro vero, si *Laertius* in parte posteriore alium quemvis præter *Hermippum* designasset, omnino videtur moniturus fuisse, quem auctorem sequebatur, ubi tam spissæ frequentesque sunt Scriptorum pro re fere qualibet citationes. Denique, ut rem paucis complectar; si fingamus Scriptorem illum ab *Hermippo* alium fuisse, illum tamen rerum ad *Demetrium* spectantium curiosum admodum & scientissimum fuisse, apertissime constabit ex enarratione rerum tam particulari, scil. quo genere mortis perierit, qua parte corporis ab aspide infectus, in somno id contigisse, denique quo in loco sepultus. Et quantam ei fidem haberet *Laertius*, vel exinde colligitur, quod descriptum ab eo *Demetrii* fatum *Epigrammate* celebrarit.

[a] De LXX. Interpr. cap. 2.

3. Quinetiam consonis aliorum testimoniis egregie suffulcitur illius narratio. *Heraclides*, apud *Laertium* [b] in *Epitome Sotionis Successionum*, testatur *Demetrium Phal.* Ptolemæum Lagi *hortatum fuisse, ne Philadelpho regno cederet*. Et quantum ad *Demetrii* mortem attinet; de ea ipsum *Ciceronem* habemus astipulantem. *Video* (inquit) *Demetrium & ex Republica Athenis quam optime digesserat, & ex doctrina, nobilem & clarum, qui Phalereus vocitatus est, in eodem isto Ægypti regno, aspide ad corpus admota, vita esse privatum.* Quibus verbis conspicuum est adlusisse *Tullium* ad fatale illud odium quo *Demetrium* Rex *Philadelphus* prosequebatur; & hoc sibi voluisse, talem ei necem per Regis iracundiam accidisse. Accedit apud Suidam vetus auctor, nisi quod interitum ejus referat ad ipsius *Soteris*,

[b] Vitâ Demetrii.

rum. Hæc quoque partim, ut pleraque *Vossiana*, precario & absque ullo auctore dicta sunt, partim jam refutata. Etsi vitam autem tam privatam Thebis ageret *Phalereus*, ut nullorum particeps consiliorum esset, (id demus *Vossio* impræsentiarum) non immerito tamen sibi à Principe tam immani & crudeli timere potuit, adeo ut maluerit ad *Ptolemæum* profugere, quam sub istius vivere ditione. *Antigonum* istum, sive *Antipatrum*, Cassandri filium una cum fratre, Macedoniæ regnum tenuisse, donec *Poliorcetes* Macedonum Rex renunciaretur, videre est etiam apud *Plutarchum* in *Poliorcetæ* Vita, & *Justinum* XVI. 1. Errat omnino *Vossius*, cum dicit *jugulatum fuisse illum antequam in solio confirmaretur.* Neque enim jugulatus est ille, sed frater ejus *Alexander*, neque is nisi annis 4. post mortem *Cassandri*, à *Poliorceta* nimirum regnum occupaturo. Adi *Plutarchum*, *Justinum*, & *Eusebium*.

id est, *Ptolemai Lagi*, tempora. Καὶ παρὰ τῷ Σωτῆρι Πτολεμαίῳ διατρίβων, δηχθεὶς ὑπ' ἀσπίδος ἀπέθανε, κ) ἐτάφη ἐν τῷ Βυσιρίτη νομῷ πλησίον τ Διοσπόλεως τ ἐν τοῖς ἕλεσι.

a Proleg. Bibl. cap. 17.
b Annal. an. M. 3775.

4. [a] *Serarius* & [b] *Salianus*, cessuros se fluctibus sentientes, stramina quæque arripiunt, & contendunt, potuisse *Demetrium Phal.* uti tradit *Aristeas*, *Philadelphi* Bibliothecæ præfectum & curatorem esse, quamvis concedatur verum esse quod scribit *Hermippus*. Dicunt [1] *consequens non esse, ut Demetrius statim mori jussus sit, si offenderit Philadelphum, ejusque jussu asservatus fuerit in provincia; potuisse ergo intervenisse reconciliationem: potuisse etiam rem illam esse calumniam, eaque purgata gratiam redintegrari. Mortem ipsam Demetrio ultro accersitam non videri; & vel aspidem illum dormientem momordisse, vel illum voluntariam mortem alia quapiam interveniente causa delegisse; vel si propter offensam Philadelphi mortem sibi consciverit, exinde tamen confici non posse illum in gratiam Regis non rediisse, & apud illum non vixisse post exilium antequam se è vita eduxerit. Generosos enim animos* (inquiunt) *culpa etiam condonata vellicat, & credita aliquandiu calumnia nescio quam fumi nigredinem innocentiæ candori afflare solet, quo deinceps affligatur.* Sic illi splendide ineptiunt. Utrum *Demetrius* ipse sibi, admota aspide, mortem consciverit, an Regis jussu, an casu (quod *Hermippus* innuit,) aspis admota fuerit, id nostra nihil refert: Quod vero ad *reconciliationem* spectat, *Hermippi* verbis id omnino repugnat. Ab eo asseritur, fine ulla vel sensus vel verborum obscuritate, *Demetrium*, statim post mortem *Ptolemai Lagi*, à *Philadelpho* in custodiam conjectum fuisse, & in illa custodia obiisse. Et cum dicit illum in *Busirite provincia*, longe ab *Alexandria* dissita, sepultum fuisse, aperte indicat illum in ea regione fuisse custoditum, mortemque ibi oppetiisse. Unde hac luce clarius apparet, in Regis illum *Philadelphi* aulam & gratiam nunquam rediisse. *Hermippi* hac de re testimonium res ipsa satis confirmat: quandoquidem non verisimile est, voluisse Regem (nugatorium enim est quod de *calumnia* causantur) suos ad amplexus revocare hominem pessime de se meritum, qui regno ipsum privare consilio suo conatus fuerat, cujus animum jam alienatiorem reddiderant exilium & incarceratio, & qui prima occasione *Ptolemæi Ceraunι*, cui antea faverat, partes defensurus videbatur. Et hoc agnoscit ipse *Salianus*. Is enim alibi in eum locum rem adduxit, ut ingenue fateatur, plurimum id valere contra *Aristeam*, si verum sit, quod *Demetrius Phal.* cum Ptolemæo Lagi egit, ut filiis sibi ex *Eurydice* genitis regnum impertiret. *Quæ si vera sunt* (inquit) *dubia valde redditur insignis illa, quæ vulgo traditur, familiaritas Demetrii Phalerei cum Philadelpho Ptolemæo, à quo nullam videbatur majorem injuriam accipere potuisse, quam ut ejus opera consilioque, paterno beneficio, tanto præsertim privaretur.*

1 Sic post eos *Frassenius* Disquisit. Bibl. lib. 2. cap. 3. *Cum ipsi Ptolemæo Lagidæ Philadelphi Patri, Demetrius esset acceptissimus, conceptum in ipsum odium dissimulare potuit Philadelphus, vivente Patre, imo etiam aliquandiu post ejus mortem, vel ne crudelis & austerus censeretur; vel quia res exploratas satis nondum habebat, nec sufficientem nactus erat occasionem, ut in ipsum specie justitiæ posset animadvertere. — Deinde ne iste quidem Hermippus aperte negat, Demetrium curandæ Bibliothecæ præpositum fuisse, sed tantum refert eum incurrisse quidem Regis offensionem, dignum tamen ab eo habitum (ut observat Serarius) qui in regione asservaretur, donec quid de illo statueret, videretur. Quid autem Rex de illo statuerit, non narrat ille. Potuit autem fieri, ut rebus melius consideratis, innocentem pronunciaverit, vel nocentem venia donarit; ejus nimirum doctrina, industria, dotibusque aliis delectatus. Quam enim illiusmodi multa, in aulis & apud Reges fiunt quotidie! Non est ergo cur Scaliger, & cum eo plures Heterodoxi, præsertim Rivetus, his levioribus momentis historiam tot tantisque testibus probatam, arietare se glorientur.*

Lydiati in notis ad *Chron. Arund.* conjectura est, asservatum fuisse *Demetrium* tanquam in libera custodia, *& forte circa ipsam Bibliothecam.* Sed isti conjecturæ omnino repugnat *Hermippi* traditio.

CAP.

CAP. VI.

Occurritur responsioni Vossiorum Gerardi *&* Isaaci, Dionysiique Petavii *&c.*

Cum Aristeæ *Historia non convenire, quod statuunt illi* Versionem Græcam, *regnantibus simul* Ptolemæo Lagi *&* Philadelpho *factam fuisse.* Aristeæ *mentem esse, Versionem confectam fuisse, non modo post mortem* Ptolemæi Lagi, *verum etiam vergente ad exitum* Philadelphi *regno, fuse demonstratur.* Philadelphus *adolescens fuit cum regnare cœpit.* §. 6. *&c. Sororem suam non duxit uxorem nisi postquam annis aliquot regnasset.* §. 10. Ptolemais *Syriæ urbs à quo* Ptolemæo *condita: si à* Ptolemæo Lagi *vel* Philadelpho, *argumentum exinde peti posse contra* Aristeam. *Syriaca Versio notata.* §. 12. Philadelphum *Bibliothecæ Alexandrinæ augendæ animum non applicuisse, nisi postquam diu regnasset.* § 20.

ERuditissimi *Vossii*, [a] *Gerardus*, & post eum [b] *Isaacus*, parentis maximi non minor filius, *Hermippum* & *Aristeam* inter se reconciliare ratione Chronologica nituntur. Dicunt S. Scripturam ex Hebraico sermone Græce expressam fuisse quo tempore unà cum Patre suo regnaret *Philadelphus*, adeo ut sub *Philadelpho*, curante tamen *Demetrio Phalereo*, absolvi potuerit Versionis opus. Quam responsionem dederunt quoque [c] *Dionysius Petavius*, & [d] *Jo. Bapt. Ricciolius*; in eaque acquiescunt docti omnes hujus ævi, quotquot *Aristeanam* Historiam veram esse credunt.

a Hist.Gr.l.11.
b De LXX.Int. cap. 2.
c In Epiphan. de Mensuris & Ponder.
d Chronol. tom. 1.

2. Cui responsioni obviam ut eatur, nihil nobis impræsentiarum erit cum Quæstione illa, *An regnante simul utroque Ptolemæo Versio Græca confecta sit?* De qua disputamus in Capite 2. *secundi* libri, & verum id esse, sive probabile, concedimus, & confirmamus. Abunde erit hoc in loco demonstrasse, solutionem hanc non congruere istis quæ tradit *Aristeas*, & illum Versionem non ad id temporis intervallum referre, sed ad tempora inferiora. Unde perspicue constabit, scriptorem hunc fictitium esse, cum statuat Versionem factam fuisse *diu* post mortem *Ptolemæi Lagi*, cura *Demetrii Phalerei*; qui *statim* post mortem *Ptolemæi* illius, in exilium missus est, & in exilio defunctus. Atque ad hoc evincendum, plurimis armati argumentis intrepide procedimus.

3. Si quis *Aristeæ* exemplar, quo usus est *Epiphanius*, admittendum censeat; habet is in promptu, unde quod in disquisitione positum est, luculenter demonstrari queat. Etenim in Epistola Regis *Philadelphi* ad *Eleazarum* Pontificem, in hanc sententiam legitur: *Quod amoris gratia erga vos hanc petitionem faciam, ex nostra erga vos benevolentia*, si in memoriam revocaveritis, *scietis. Meministis sane quod captivos multos ex patria vestra abductos & in Ægyptum nostram patriam perductos, dimisi &c.* Ubi ista, *si in memoriam revocaveritis*, &, *meministis*, clarissime monstrant Judæos captivos, ex Auctoris sententia, libertati restitutos fuisse longo [1] ante tempore quam accerserentur sacro-sancta volumina: cum tamen *Philadelphus* anno uno, vel altero, non eo plus, ante mortem Patris, in socium regni ascitus est.

4. Si vetustiores sive vulgatos libros, qui *Aristeæ* nomen præferunt, evolvamus, nihil prius comparebit, nihil manifestius. De Ptolemæo enim *Patre* (ut aliis plerisque brevitatis studio supersedeam) nulla prorsus habetur mentio, qua videri possit superstes tunc temporis fuisse. Omnia ad Filium referuntur; omnia Filium penes fuisse innuitur. Leges & institutiones, easque *paternas*, abdicare dicitur, assensu Patris nullo,

1 Sciendum enim in Codice *Epiphaniano* statui, *Philadelphum* ex propria clementia, non gratia obtinendæ Judæorum Legis, jussisse captivos Judæos esse liberos.

nulla comprobatione memorata. Quid? quod tradit *Aristeas*, *Andream*, *Sosibium*, & se ipsum ad Consilia illa Regis admissos fuisse? Quocirca absurdum fuerit putare illum, ut Ptolemæum Patrem silentio præteriret, ulla alia causa inductum fuisse, quam quod illum autumaret tunc non fuisse superstitem.

5. Epistolæ *Eleazari* Judæorum Pontificis ad Philadelphum Regem exordium sic concipitur: Αὐτὸς τε ἔῤῥωσο (vel ut melius legitur apud *Eusebium*, Εἰ αὐτὸς τε ἔῤῥωσαι) καὶ ἡ βασίλισσα Ἀρσινόη ἡ ἀδελφὴ, καὶ τὰ τέκνα, καλῶς ἂν ἔχοι, καὶ ὡς βουλόμεθα, καὶ αὐτοὶ δὲ ὑγιαίνομεν. *Si vales ipse*, & Regina *Arsinoe soror tua*, & *liberi*, *bene est*, & *ut volumus*, *nos etiam valemus*. Unde multa argumenta desumi possunt. Primo enim observare licet, quod, *Uxore*, & *Liberis* Regis *Philadelphi* salute impertitis, nulla salus dicitur regiis ejus Parentibus; quod argumento est firmissimo, ab Auctore creditum fuisse, illos tum in vivis non extitisse. Huic consentaneum est quod unus Interpretum dixisse perhibetur, cum in Convivio ad mensam consecrandam vota fecerit: *Rex*, *impleat te Deus omnipotens omnibus illis bonis*, *quæ creavit*: *detque* & *efficiat*, *ut ea tu*, UXOR, LIBERI, & AMICI *habeatis per omne vitæ tempus affluentia* & [1] *firma*.

6. Deinde in locis illis commemorantur Philadelphi *Regina* & *Liberi*.

1 *Plura* (inquit *Vossius*) *contra Aristeam Juvenis Oxon. profert argumenta*, *in quibus valde sibi placet*, *cum tamen ex omnibus ne unum quidem sit quod succedat. Quia nulla hoc loco in Aristea Ptolemæi patris fit mentio*, & *omnia ad Filium referantur*, *ideo existimat illo tempore Patrem non fuisse superstitem. Sed plurimum fallitur. Aliquot annis simul regnarunt Pater* & *filius*: *Sed ultimo biennio*, *quo Pater*, *ut habet Justinus*, regno ei publice tradito, privatus Officium Regi inter satellites fecit, *mirum videri non debet*, *si nulla Patris fiat mentio*, & *omnia ad Filium referantur. Sed* & *hoc clarum*, *quare in Epistola Eleazari nulla salus adscribatur Patri* & *Conjugi ejus*, *utpote qui non vivere*, *sed regnare desiissent*. In his argumentis sibi valde quidem placet *Juvenis Oxon.* non obstante *Vossio Sene* sibi semper valde placiturus: Quæ adeo succedunt ut apud omnes cordatiores, qui ea serio, & sine præjudicio perpenderint, de bono Aristea in æternum plane conclamatum est. Sed ad rem. Si verum esset Ptolemæum Patrem regnare jam desiisse cum Versio confecta est, quomodo tamen credibile esse potest, *Aristeam* de eo tam altum silentium acturum fuisse, si eum autumasset tum fuisse superstitem? Quomodo induci potuit Pontifex in Epistola ad Philadelphum salutem adscribens *Arsinoæ Sorori ejus* & *Liberis*, non simul memoratis *Patre* ejus & *Matre*, principibus tam illustribus, tam amantibus Philadelphi, tam ei charis? Quomodo induci potuit unus iste Seniorum, *Philadelpho*, *Uxori*, *Liberis*, & AMICIS *ejus* bona omnia apprecans, *Patre* ac *Matre* silentio prorsus præteritis? Cæterum nec verum est id quod dicit *Vossius*, *regnasse simul aliquot annis Patrem* & *Filium*, *sed ultimo vitæ suæ biennio regnare desiisse Patrem*. Hoc vere *Vossianum* est, ad subsidium ruituræ causæ, absque ullo auctore, excogitatum. *Ptolemæum Lagi* regnum nunquam deposuisse, constat 1. auctoritate *Dexippi*, *Africani*, *Eusebii*, eorumque sectatorum, qui regno ejus annos 40. tribuunt, ab ejusque morte Philadelphi regnum incipiunt. 2. testimonio luculentissimo *Porphyrii* de Regibus *Ptolemæis* eorumque regnis ex professo agentis, qui asserit *Ptolemæum Lagi*, licet biennio ante obitum filio suo Philadelpho administratione rerum cederet, usque ad mortem tamen suam REGNASSE. Πτολεμαῖος συντάξαντα μὲν τε παρέντα ἔτη ζ΄. ἐ διαγ. βασιλεύσας ἔτη τρία καὶ εἴκοσι. ὡς πάντα μ΄. λογίζεσθαι αὐτῷ, ἄχρι τῆς τελευτῆς &c. 3. Factum fuisse Philadelphum à Patre *regni consortem* meminit *Theocriti* Græcus enarrator, de Patris cessione nihil. ζῶν γὰρ ἔτι ὁ Σωτὴρ ἐγκαθίστησι τῷ Φιλαδέλφῳ τὴν βασιλείαν. 4. Ptolemæum Lagi non voluisse se regno revera abdicare, cum Filium regem constituerit, patet quoque ex isto argumento, quo *Demetrium Phal.* ut eum à proposito deterreret usum fuisse scribit apud *Laertium Heraclides*: *Si alteri dederis*, *ipse non habebis*. 5. Patrem regnasse usque ad obitum suum, non regno vere cessisse, id quoque confirmat, quod (ut patet ex *Corn. Nepote*) à nonnullis creditum est, illum à *Philadelpho* Filio vita fuisse privatum. Si enim regno revera cessisset, nullus fuisset istiusmodi suspicioni locus. 6. Idem quoque ex eo confirmatur, quod *Demetrium Phal* inimicum suum, qui ipsius successioni se opposuerat, non ante mortem Patris ulcisci ausus est *Philadelphus*, sed statim post mortem ejus in exilium egit, custodiæque commisit. 7. Contra sententiam *Vossianam* ipse facit, quem solum testem adhibet, *Justinus*: qui quamvis videatur innuere Ptolemæum Lagi regno se revera abdicasse paulo ante mortem; de eo tamen quod antea una cum Filio regnavit, nihil habet, sed prorsus contrarium indicat, adeo ut perspicuum sit illum loqui de re eadem, de qua alii scriptores, cum dicunt illum Filium suum fecisse regni participem. Lib. XVI. c. 2. *Ptolemæus* (inquit) *cum magna rerum gestarum gloria moriens*, *contra jus gentium minimo natu ex filiis*, *ante infirmitatem regnum tradiderat*, *ejusque rei populo rationem reddiderat*: *cujus non minor favor in accipiendo*, *quam Patris in tradendo regno fuerat. Inter cætera Patris* & *Filii mutuæ pietatis exempla*, *et iam ea res amorem populi juveni conciliaverat*, *quod Pater regno ei publice tradito*, *privatus officium Regi inter satellites fecerat*, *omnique regno pulchrius regis esse patrem duxerat.* Videtur *Justinus*, sive *Trogus*, hinc deceptus fuisse, quod repererat Patrem aliquando Filio honoris ergo officium satellitis præstitisse, forte in die solenni quo regem illum renunciavit; eodem scil. modo quo *Henricus* II. Rex *Angliæ*, cum *Henricum* Filium in regni consortium sibi adsumpsit, in solenni Coronationis convivio, tanquam privatus inter ministros primum ferculum apportavit mensæque apposuit. Ipsum *Vossium* denique appello, qui in scripto *de transl.* LXX. *Int.* cap. 2. statuit factam fuisse Versionem *illo tempore quo simul* REGNARUNT *Ptolemæus Lagi* & *filius ejus Philadelphus*. Ad novas nunc angustias à nobis redactus, nova fingere cogitur.

At

At vero cum regnum primo iniit *Philadelphus*, admodum adolescens fuit, ut scriptorum probatissimorum testimoniis apparet. [1] *Justinus* [a] de illo jam regnante verba faciens, *juvenem* appellat. *Herodianus* [b] affirmat illum ἐν τῇ νεότητι βασιλείαν παραλαβεῖν, *in* ADOLESCENTIA *principatum suscepisse*, & præ immatura ætate mores tam malos didicisse, ut tandem sororiis amoribus implicaretur. Ptolemæum enim *Philadelphum* ab *Herodiano* designari constat: quem sororem suam uxorem duxisse, apud Auctores alios multos observatur. Adstipulatur his *Porphyrius*, [c] qui de *Ptolemæis* ex professo scribens, disertis verbis asserit Philadelphum *puerum* fuisse cum regnum à Patre reciperet: *Ptolemæus Soter* (inquit) vivens regnum suum tradidit τῷ υἱῷ Πτολεμαίῳ, τῷ παιδὶ τὴν ἀρχὴν παραδεξαμένῳ, *filio suo Ptolemæo, qui dum* PUER *esset regnum suscepit.* Quibus omnibus, etsi nulla opus sit confirmatione, addemus, *Ptolemæum Ceraunum*, Macedoniæ Regem, Philadelphi fratrem *natu majorem*, quando bellum gereret contra *Gallos*, fuisse secundum [d] Justinum, *immaturum juvenem*; juxta [e] *Diodorum Siculum*, τὴν ἡλικίαν νέον παντελῶς, [2] *ætate* ADMODUM JUVENEM. [3] Quem tamen apparet contra Gallos bellum

a Lib. XVI. c. 6.
b Lib. 1. §. 6.
c Fragmento de *Ptolemæis* ap. Eus. bir Chron. Græc. l. 1.
d XXIV. 4.
e Excerptis Constantini Porph.

1 *Locus Justini* (respondet *Vossius*) *quem affert Juvenis Oxon. ubi Philadelphus jam regnans juvenis vocatur, & alter Herodiani ubi dicitur regnum adiisse ἐν νεότητι id est, in juventute, & alius ex fragmento Porphyrii ubi est τῷ παιδὶ τὴν ἀρχὴν παραδεξαμένῳ, nihil juvant, cum voces istæ certam non determinent ætatem, & ad tricesimum annum adolescentes, ad quadragesimum vero fere tum juvenes appellentur apud Græcos quidem sæpe, apud Romanos vero semper.* Non nego adolescentiæ juventutis, cæterarumque ætatum terminos à variis varie circumscribi: nihil tamen id *Vossium* juvat. Esto: Ipsi quadragenarii nuncupentur interdum *juvenes*; ut cum *mori* dicuntur, vel eas res gessisse quæ majorem ætatem poposcisse videantur: At virum quadragenarium quis dixerit *juvenem* in locum regni a patre adsumptum fuisse aut et in regno successisse? Cum dicit *Herodianus* ea de causa Philadelphum eo usque turpitudinis provectum fuisse, quia ad regni fastigium *in adolescentia* promotus est, quis non videt de ætate admodum immatura eum loqui? Cum dicit *Porphyrius* illum παῖδα, seu *puerum* fuisse, cum regnum suscepit, quis non intellexerit illum de ætate vel plane *puerili*, vel de prima *adolescentia*. Sed παῖς, ut *Vossio* placet, non *puerum* modo, sed & *adolescentem* significat, & ad tricesimum annum *adolescentes* vocabantur. Id demus quoque. Atqui quam ridiculum fuisset *Porphyrio* monere, tanquam rem inusitatam & notabilem, Philadelphum παῖδα fuisse cum regnum susciperet, si eum fuisse 30. annorum aut circiter intellexisset. Verum his omissis, ad ipsum *Porphyrium* provocemus, ipse se interpretetur. Et ex aliis locis quam ille ætatem per παῖδα intelligere soleat, videmus, ut hæc res ponatur extra omnem controversiæ aleam. De *Vita Pythag.* παῖδα μὲν ἐν ὄντι ... τε κιθαρῳδῷ, καὶ παιδοτρίβῃ, καὶ ζωγράφῳ· νεανίαν δὲ γενόμενον εἰς Μίλητον πρὸς Ἀναξίμανδρον μαθησόμενον τὰ γεωμετρικὰ καὶ ἀστρονομικά. PUERUM *itaque ad citharœdum, palæstram, & pictorem misit: at* ADOLESCENTEM *postea factum Miletum ad Anaximandrum ablegavit, ut Geometriam atque Astronomiam addisceret.* Ibidem rursus: *Ita Crotoniatarum Civitas affecta fuit, ut postquam* (τῶν γερόντων) SENIORUM (vel *Senum*) *ex quibus urbis illius magistratus constabat animos cepisset; habita longa & præclara quadam* (τοῖς νέοις) *apud* JUVENES *dissertatione, rursus jussu magistratus adhortationes ad* ADOLESCENTES *instituerit*, (πολλὰ ἐφήβους ... παραινέσεις) *postea ad* PUEROS (τοὺς παῖδας) *certatim e ludis literariis ad ipsum confluentes; tandem etiam ad fœminas.*

2 Videtur *Ceraunus*, cum mortuus est, natus fuisse annos circiter 28. vel 30 & 23. vel 24. cum Philadelphus primum regnare cœpit. Filiam enim habuit, quam *Pyrrho Epirotæ* in sponsalia tradidit, natam jam (ut videtur) ad annos 7. vel forte 10. Cujus ætatis puellulas in matrimonium collocare & accipere, amicitiæ cum certa aliqua gente pangendæ gratia, à consuetudine Principum non abhorret. Cujus rei causa *Cerauni* filiam in connubium datam & assumptam fuisse, docet *Justinus* Hist. XVII. 2. & XXIV. 1.

3 *Nihil obstat* (ait *Vossius*) *quo minus Ptolemæum Ceraunum, cum occumberet, immaturum juvenem & νέον παντελῶς fuisse credamus, etiamsi multo plures quam 30 vixisset annos, ut opus non sit septennem huic tribuere filiam, quam ea jam ætate Pyrrho elocaris.* Qui νέος παντελῶς admodum *juvenis*, & *immaturus* quoque *juvenis* dicitur, vix annos 30. excedere potuisse, concedent æqui æstimatores rerum. Sed subdit V. D. *Si inter eos Ceraunus fuerit liberos, quos ex Eurydice genuit Ptolemæus antequam Berenicen haberet conjugem, quadragesimum etiam ætatis potuerit attingere annum, cum statim in initio Eurydicen duxerit uxorem, & absurdum videatur non nisi vicesimo aut decimo nono regni anno natum demum ex hoc conjugio fuisse Ceraunum.* Infeliciter admodum hæc ei succedunt. Nam tantum abest, ut verum sit *Eurydicen statim in initio* Ptolemæo Lagi fuisse denuptam, ut ex ipsa *Eurydices* Cerauni Matris ætate egregie confirmetur id quod posuimus de *Cerauni* juventute. Tam juvenis enim fuit *Eurydice* ipsa quo tempore regnum adiit *Philadelphus*, ut filium postea conceperit ac enixa fuerit. Nempe cum Philadelphus à Patre Rex renunciatus fuisset, id ægerrime (ut par erat) ferens *Eurydice*, Ptolemæo marito derelicto, in Syriam ad Seleucum discessit, indeque ad Demetrium Poliorcetem Ptolemæi hostem; eique adulterio cognita filium peperit. Hujus rei testis est *Plutarchus* in *Demetrii* Vita; ubi postquam narrasset quod Demetrius ex regno Macedoniæ post septennium pulsus fuit, indeque in Græciam, atque demum in Asiam venisset, ait *ibi Eurydicen eum circa Miletum excepisse adducentem suam & Ptolemæi filiam Ptolemaidem, antea ei, auctore Seleuco, pactam; quam eum collocante Eurydice duxisse uxorem.* Postea, stirpe Demetrii recensita subjicit: λέγεται δὲ καὶ Κάσσανδρον υἱὸν ἐξ Εὐρυδίκης αὐτῷ γενέσθαι. *Dicitur quoque filium illi ex Eurydice Corrabum genitum.*

Effugiis cæteris suis haud satis fidens V. D. eo demum rem adducit ut neget *constare utrum iste Ceraunus major natu fuerit Philadelpho. Quamvis* (inquit) *mater Cerauni prius nupserit Ptolemæo Lagi,* ac

ac mater Philadelphi, tamen cum hic posterior à patre prælatus fuerit in successione, videri possit ætatis id factum fuisse prærogativa. Sed & tum quoque graviſſime fallitur. *Ceraunum* enim fuiſſe Philadelpho natu majorem diſertiſſime teſtantur Scriptores ad unum omnes. Juſtinus loco ſuperius adducto affirmat Ptolemæum Lagi *contra jus gentium, minimo natu ex filiis regnum tradidiſſe.* Appianus Alex. de bel. Syr. υἱὸς ὢν ὁ Κεραυνὸς ἀπὸ Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος καὶ Εὐρυδίκης τῆς Ἀντιπάτρου, καὶ αὐτὸς ἐκπεπτώκει Αἰγύπτου διὰ δέος, ὅτι νεωτάτῳ παιδὶ ὁ Πτολεμαῖος τὴν ἀρχὴν ἐπενόει δοῦναι, ὁ Σέλευκος, οἷα φίλου παῖδα ἀτυχοῦντα ὑπεδέξατο, καὶ ἔφερε. *Hic Ceraunus filius erat Ptolemæi Soteris, & Eurydices, Antipatri filiæ: quem ex Ægypto metu profugum, quia pater juniori filio regnum dare decreverat, Seleucus, ut amici filium, miseratus excepit & aluit.* Non ſolum *Ceraunum*, verum etiam omnes filius à Ptolemæo Lagi ex Euridice genitos, fuiſſe Philadelpho natu majores teſtatur *Pauſanias* Atticis: ὃς Εὐρυδίκῃ τῇ Ἀντιπάτρου συνοικῶν, ὄντων οἱ παίδων, Βερενίκης ἐς ἔρωτα ἦλθεν, ἣν Ἀντίπατρος Εὐρυδίκῃ συνέπεμψεν ἐς Αἴγυπτον. ταύτης τῆς γυναικὸς ἐρασθεὶς παῖδας ἐξ αὐτῆς ἐποιήσατο. καὶ ὡς οἱ ἡ τελευτὴ πλησίον ἦν, Πτολεμαῖον ἀπέλιπεν Αἰγύπτου βασιλεύειν γεγονότα ἐκ Βερενίκης, ἀλλ' οὐκ ἐκ τῆς Ἀντιπάτρου θυγατρός. *Ptolemæus cum Eurydicen Antipatri filiam uxorem duxiſſet, ex eaque liberos etiam ſuſcepiſſet, Berenices nihilominus (quam Eurydicæ comitem in Ægyptum Antipater miſerat) amore captus, filios ex ea quoque genuit. Ex iis Ptolemæum jam prope moriens, ſibi regni ſucceſſorem declaravit.*

Pergit *Voſſius*: *Minus etiamnum ſuccedit quod de Philadelpho ſcribis, illum cum regnum adiret annorum fuiſſe 16. mortuum vero anno ætatis 56. Putas nempe hanc ætatem ſufficere ad explicandum Plutarchi locum, ubi Philadelphum in regno conſenuiſſe ſcribit. Atqui hac ratione ne quidem attigit ſenium, cum qui breviſſimos humanæ vitæ ſtatuunt terminos, ſexageſimum annum faciant ſenectutis principium: à Dionyſio vero Halicarnaſſeo ſenes ab anno demum* LXX. *vocari incipiant. Ut itaque conſenuerit Philadelphus ſeptuagenario majorem fuiſſe oportet, & trigeſimum annum diu exceſſiſſe cum ſolus regnare inciperet.* In quibus verbis multiplex error eſt. Monuimus *Plutarchum* tanquam aliud agentem & laxe de Philadelphi ætate loqui. De Alexandro M. quod omnia fortitudini ſuæ, nihil fortunæ debuerit, verba faciens: *Ad Antiochum* (inquit) *Seleuci F. ad Artaxerxem Cyri fratrem, ad Ptolemæum Philadelphum abi: eo vivi etiamnum patres regio titulo dignati ſunt: ii prælia nullis lacrymis conſtantia vicerunt, ii inter feſtos dies ac pompas & ſpectacula vitam exegerunt, ii ob felicitatem in regia dignitate conſenuerunt.* Sed eſto: conſenuerit in regno Philadelphus. Et quid tum poſtea? Videamus quam vera ſint ea, quæ de ſenectute decrevit V. D. Cum dicit *Dionyſium Hal.* auctorem eſſe, *ſenes ab anno* LXX. *vocari*, ſinceritatem in eo requiro. UT PLURIMUM dicit *Dionyſius*, quam vocem celare *Voſſio* placuit, ipſo quoque celato loco. Sed locus eſt in *Dinarchi Vita*: Τίθημι δὲ αὐτοῦ ἑβδομηκοστὸν ἔχοντα ἔτος, ἀπὸ τῆς φυγῆς κατεληλυθότα· ὡς καὶ αὐτός φησι, γέροντα αὐτὸν ἀπαγγέλλων ἀφ' οὗ χρόνου καὶ πρόσω τοὺς ἐν τῇ ἡλικίᾳ ταύτῃ μέλλοντας οἴομαι. Conſtat etiam *Antiochum Seleuci F.* quem una cum Philadelpho commemorat *Plutarchus*, ſeptuagenario longe minorem obiiſſe, cum matrem habuit *Apamen* Darii Regis cognatam, & Patri ſuo ſupervixit tantum annos 19. Alios autem ſenectutis principium facere annum LX^m^ fatetur ipſe *Voſſius*: id quod nobis abunde ſufficiat. Philadelphum enim natum fuiſſe annos 18. vel 20. cum primo Rex renunciatus eſt, conceſſimus. *Sexagenarios* autem *ſenes* ſæpenumero appellari conſtat. Ut alia complura omittam exempla: *Lucianus de Morte Peregrini*; ὡς ἀπέπνιξε τὸν γέροντα, οὐκ ἀνεχόμενος αὐτὸν ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη ἤδη γηρῶντα. *quomodo ſenem præfocaverit, nequaquam ſuſtinens eum ultra 60. annos jam ſeneſcentem.* Craſſus apud *Arrianum* in *Parthicis* annos 60. natus de *ſenectute* ſua loquitur. A *Tacito* Hiſt. II. 74. & 81. Veſpaſianus jam ſexagenarius vocatur *ſenex*. A *Plinio Jun.* lib. 2. Ep. 3. *Iſæus* inter *ſenes* numeratur quum annum tantum 60^m^ exceſſiſſet. Eandem ætatem *ſenectutem* dicit ipſe *Plutarchus* in Tract. *An ſeni ſit gerenda reſp.* Negans ſeni gerendam eſſe remp. *Non recte* (inquit) *Tib. Cæſar dixit turpe eſſe ei qui 60^m^ ætatis annum exceſſerit manum medico porrigere, imo hoc eum magis dedecet, manum ad populum intendere in comitiis ſuffragium petentem &c.* Errat porro V. D. cum aſſerit eos, qui breviſſimos vitæ humanæ ſtatuunt terminos, 60^m^ annum facere ſenectutis initium. Audiamus rurſus ipſum *Plutarchum* de Pompeji M. *ſenectute*, his verbis in Vita ejus loquentem: *Volvens cogitationes, virum annos 34. vincere aſſuetum, cladem autem & fugam tum primum in* ſenectute (ἐν γήρᾳ) *ſentientem.* Paulo poſt, ait illum occubuiſſe *poſtridie natalium ſuorum annos natum* 59. Sic apud *Herodianum ſenex* appellatur *Antoninus Philoſophus*, qui annum tamen ætatis 59. non expleverat. *Vitellius* Imp. à *Tacito* Hiſt. III. 66. *ſenex* audit, cum annum ætatis ageret 57. Ibidem enim cap. 86. dicitur expleſſe cum interiit, ætatis annum 57. C. Cæſar Dictator, qui fato functus eſt anno æt. 56. adhuc vivus dicitur *ſenex* apud *Macrobium Saturn.* II. 2. *Laſciviente Dictatore tam in matrem quam in puellam, tunc luxuriam* ſenis *adulteri civitas ſubinde rumoribus jociſque carpebat.* Apud *Jamblichum* in Vita Pythag. cap. 5. Pythagoras *natus annos circiter* 56. ait *diſciplinas quas adoleſcens didicerat jam ſe propter* ſenium *memoriæque defectum deſtituiſſe*: διὰ τὸ γῆρας, καὶ τὴν τούτου ἀμνημοσύνην. Taceo B. *Irenæum* dicere Chriſtum ad omnes ætates humanæ vitæ attigiſſe, etſi eum agnoſcat ad annum 50. non perveniſſe. Adv. Hær. II. 39.

Hæc adverſus reſponſiones *Voſſianas*, de *Philadelphi* adoleſcentia ſint dicta. De illius ætate ſic nunc ſtatuo; illum natum fuiſſe circa annos 12. cum à Patre in ſocium regni aſſumptus eſt, & annos 24. cum patre defuncto regnare ſolus incepit. Nempe natus eſt Ol. CXVII. 4. & ultimus annus vitæ Patris ejus incidit in Olymp. CXXIII. 4. Illud autem ſic probo. Quod natus eſt *Philadelphus* in inſula *Co* teſtatur *Callimachus* Hymno in Delum, ubi inducit Apollinem in utero parentis, illam monentem, ſe pari noluiſſe in inſula *Co*, non quod locus ſibi diſpliceret, aut gloriam iſtam ipſe inſulæ invideret, *verum quia illi Inſulæ fato deſtinatus eſt alius Deus*, nempe Ptol. Philadelphus.

> Ἀλλά οἱ ἐκ μοιρέων τις ὀφειλόμενος Θεὸς ἄλλος
> Ἐστί, σαωτήρων ὕπατον γένος. &c.

Scholiaſtes: διὰ τὸ ἐκεῖσε ἐναπογεννηθῆναι τὸν Φιλάδελφον Πτολεμαῖον ἐν τῇ Κῷ. Verum loqui Poetam non de eo quod nutritus, ſed quod *natus* ibi fuerit, manifeſtum eſt. Accedit *Theocritus* Idyl. XVII. quod in Philadelphi laudem conſcriptum eſt.

> Καί σε Κόως ἀτίταλλε, βρέφος νεογιλλὸν ἐόντα
> Δεξαμένα παρὰ ματρὸς, ὅτε πρώταν ἴδες ἀῶ. &c.

Et te Coos nutrivit infantem nuper ſuſceptum excipiens à matre cum primam vidiſti auroram. Ibi enim Lucinam invocavit, quæ parturientes liberat, Antigonæ filia gravata doloribus partus. &c. Scholion: ὁ Φιλάδελφος ἐν Κῷ τῇ νήσῳ ἐγεννήθη ὑπὸ Βερενίκης. Patrem autem Philadelphi (cui comitem ſe dederit mater) in inſulam *Con* profectum fuiſſe, ibique aliquandiu fuiſſe commoratum, Archonte Athenis Demetrio Phalereo, & COSS. Romæ Q. Fabio & C. Marcio, h. e. Ol. CXVII. 4. teſtem locupletiſſimum habemus *Diodorum Sic.* lib. 20.

lum

lum non gessisse nisi annis circiter 4. post mortem *Ptolemæi Lagi*, Patris sui, & circa 6. postquam *Philadelphus* regnare cœpit. Obiit enim *Ptolemæus Lagi* circa finem Olympiadis 123. & *Cerauno* bellum simul ac necem intulere Galli exitura Olympiade sequente, nempe 124. vel ineunte 125. *Eusebius* illius regnum conjicit ad Ol. 124. 3. qui tertius fuit annus ab obitu *Ptolemæi Lagi*. *Plutarchus* [a] meminit (sed obiter tantum & aliud agens) *Philadelphum* in dignitate Regia *consenuisse*: quod satis congruit cum Auctoribus supra citatis: annos enim 40. præter propter regnum tenuit *Philadelphus*, unde dato, illum antequam regnare cœpit, natum fuisse annos 18. vel 20. consequitur illum 60. circiter annos vixisse. Et si dicamus natum fuisse annos 16. cum regnum primo adiit, (quod videatur magis convenire cum Porphyrii verbis) in regno tamen consenuisse non immerito dicatur, cum annos vixerit 56.

[a] Lib. 1. de fort. Alex.

7. Quamvis nulla jam extarent indicia unde probari posset *adolescentem* fuisse *Philadelphum* quando regnum auspicatus est, illum tamen *Uxorem liberosque* nullos tunc habuisse, multis circumstantiis potuisset evinci. *Athenæus* [b] stupendam illam pompam, quam *Philadelphus*, unà cum Patre jam regnans, celebrabat, graphice per aliquot paginas, ex *Callixeno Rhodio*, describens, tradit, *coronis aureis in agone coronatos fuisse, Philadelphum ipsum 20. Ptolemæum primum*, [c] *ejus Patrem, etiam 20. & Berenicem ejus Matrem 23. advectis super aureis curribus*. De *Regina* ejus aliqua, mentio nulla. Cujus tamen non potuit non fieri mentio, si ullam tunc Philadelphus habuisset; cum non solum de *Patre* verum etiam de *Matre* facta sit mentio: præsertim vero cum Auctori constitutum fuit, magnitudinem divitiarum in pompa illa exhibitarum, & coronarum aurearum numerum Lectori suo ostentare. Nam si *Uxorem* tum habuisset *Philadelphus*, credi non potest, quin illa, æque ac *Mater*, ejusmodi Coronis donata fuisset.

[b] Lib. 5.

[c] Hoc enim Athenæus sibi voluit, etsi aliter visum doctiss. *Casaubono*.

8. Præterea vero, si ullam conjugem habuisset Philadelphus, cum primum regnare cœpit, illa non alia esse potuisset quam filia *Lysimachi*, Regis Thraciæ & Macedoniæ, quæ prima fuit ejus uxorum. Jam vero *Philadelphum* in primo regni initio nondum fuisse cum *Lysimacho* istiusmodi necessitudine devinctum, cum ex eo colligitur, quod *Sotades*, homo petulantissimæ linguæ, *solitus fuit* (auctore [d] *Athenæo*) *Lysimachum in Alexandria probris incessere, apud Lysimachum vero Ptolemæum Philadelphum, sicut alios Reges in aliis civitatibus*; quod ostenderit illos minus amice inter se affectos: tum exinde, quod *Ptolemæus Ceraunus* supradictus, Philadelphi frater, cum à suo regni patrimonio, *Philadelpho* Rege constituto, secludebatur, ad *Lysimachum* Regem (id testantibus [e] *Memnone Heracleota* & [f] *Pausania*) se contulit. Quod certe non fecisset, si *Lysimachi* filiam tunc habuisset *Philadelphus* matrimonio sibi conjunctam. Quomodo enim sperare potuit *Ceraunus*, *Lysimachum* se in patrocinium suum recepturum, qui infensissimus hostis *Generi Filiæque* ipsius fuerit, & in eos nihil non tentaturus, ut de regno illos deturbaret. Et sane cum memoriæ prodidit *Pausanias*, *Ceraunum* postea, concepta offensione, à *Lysimacho* ad hostem ejus *Seleucum* descivisse (quod contigerit duobus circiter annis post mortem *Ptolemæi Lagi*, & prope 4. post initium regni *Philadelphi*) omnino verisimile est, illum, eam ob causam à *Lysimacho* discessisse, quod affinitate cum *Philadelpho*, data ei in matrimonium filia, *Lysimachus* se tum [1] devinxisset.

[d] Lib. 14.

[e] Excerpsit Photianis cap. 13. & 30.

[f] Atticis.

9. Quod

1 Contra ea, quæ disputavimus in hac & priore sectione, sic *Vossius*: *In pompa Philadelphi & patris ejus, quam describit Athenæus, quod nulla sororis Reginæ fiat mentio, quid mirum, cum ne legitimæ quidem conjugis nomen ibi appareat? Sed negat Philadelphum, cum regnare inciperet, ullam habuisse conjugem; & causam affert eam, quod Athenæus scribat Sotaden in Alexandria solitum fuisse dictis lacerare Lysimachum, apud Lysimachum vero probris incessere Ptol. Philadelphum, quod futurum fuisse negat, si affinitatis intercessisset vinculum. Sed ipsa Sotadis verba melius rem expediunt. Apud Lysimachum criminabatur*

9. Quod denique *Philadelphus* nullos *liberos* habuit nisi diu post initium regni, & hinc confirmari possit, quod liberi ejus, quo tempore ipse obiit, hoc est anno regni 40. ætate tantum *juvenes* fuere. Atque hoc

minabatur Sotades Philadelphum, quod cum legitimam haberet conjugem, filiam nempe Lysimachi, & ipsam dictam Arsinoen, illa tamen posthabita, incesto amore pollueretur cum Arsinoe sorore sua eademque conjuge Lysimachi. Idem vero apud Philadelphum accusabat Lysimachum, tanquam male de Philadelpho loquentem. — Quamvis à patre elocata Lysimacho, ne sic quidem cessavit incestus, ut ex Sotade cognoscimus. Ad regnum vero provectus juvenis, non tamen ab illegitimis & vetitis abstinuit nuptiis, cum Regibus liceat quicquid libet, & pravæ primæ ætatis consuetudines diutissime inhæreant, & totam sæpe perdurent vitam. Inter hæc *Vossiani* cerebri figmenta, primo vanissimum est id quod de *Sotadis* testimonio urget. Quod Philadelphum incestus apud *Lysimachum* incusavit *Sotades*, quis dicit? Deinde fingitur *Arsinoen*, sororem Philadelphi, dum uxor esset Lysimachi, in Ægypto apud ipsum Philadelphum, idque tum postea, tum eo ipso tempore quo superstite Patre regnum tenuit Philadelphus, fuisse versatam. Quod ab omni veritate abhorrere perspicue demonstrant Historiæ, quæ omnes de ea loquuntur tanquam apud Lysimachum maritum perpetuo commorante. Adeo ut nullo modo de isto temporis spatio intelligi possit *Aristeas*. *Justinus* lib. XVII. *Lysimachus Agathoclem filium suum, ministra Arsinoe noverca, veneno interfecit. Hoc initium impendentis ruinæ fuit, &c.* Postquam narrasset Lysimachum in pugna adversus Seleucum occubuisse, addit: *Post menses admodum VII. Seleucus à Ptolemæo* (Cerauno) *cujus sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, per insidias circumventus occiditur; regnumque Macedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, cum vita pariter amittit. Igitur Ptolemæus cum & in gratiam memoriæ magni Ptolemæi patris, & in favorem ultionis Lysimachi ambitiosus apud populares esset, primo Lysimachi filios conciliare sibi statuit; nuptiasque Arsinoes sororis suæ, matris eorum petit, puerorum adoptione promissa. — Fratris quoque Regis Ægypti concordiam per epistolas deprecatur; professus deponere se offensam erepti paterni regni, &c.* Lib. XXIV. *Ptolemæus* (Ceraunus) *pulso Antigone cum regnum totius Macedoniæ occupasset, pacem cum Antiocho facit; affinitatemque cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia sua, jungit. — Insidias Arsinoæ sorori suæ instruit: quibus & filios ejus vita, & ipsam Cassandreæ urbis possessione privaret. Primus ei dolus fuit, simulato amore, sororis matrimonium petere. Aliter enim ad sororis filios, quorum regnum occupaverat, quam concordiæ fraude pervenire non poterat. — Nuptiæ magno apparatu lætitiaque omnium celebrantur. Ad concionem quoque vocato exercitu, capiti sororis diadema imponit, reginamque eam appellat. Quo nomine in lætitiam effusa Arsinoe, quia quod morte Lysimachi prioris mariti amiserat, recepisset, ultro virum in urbem suam Cassandream invitat &c. — Filios quoque suos, Lysimachum 16. annos natum, Philippum triennio minorem, — coronatos occurrere jubet.* (Occisis Ceratini jussu filiis) *Arsinoe cum duobus servulis ex urbe protracta, Samothraciam in exilium abit. — Ceraunus brevi post à Gallis spoliatus regno, vitam ferro, ut meruerat, amisit.* Hæc Justinus. *Memnon* Heracleotes apud Phot. Cod. CCXXIV cap. 5. &c. *Lysimachus Amastrin uxorem sibi ascivit, & initio mirifice amavit. — Postquam vero ad Ptolemæi* (*Philadelphi*, quæ vox delenda) *natam, cui nomen Arsinoe, amorem transtulisset, causam Amastri præbuit disjunctionis, usque deserto illo Heracleam occuparet. — Lysimachus in Macedonia tunc rerum potitus, etsi propter Arsinoes consuetudinem Amastrin à se abalienaverit &c. — Arsinoen exstimulavit Lysimachus, Heracleam, Tium, & Amastrin urbem laudando, ut earum dominium affectaret, sibique donari peteret. At is gravitatem muneris prætendens, initio preces non admittebat, sed tamen progressu temporis exoratus, concessit. Ingeniosa enim ad circumveniendum fuit Arsinoe, & jam senectus ipsa mansuefactum dederat Lysimachum. Potita igitur Heracleæ dominatu Arsinoe, Heraclitum eo Cumæum mittit. — Cæterum Lysimachus, fraude Arsinoes, filium Agathoclem, è priore sibi conjuge natum, necat. — Ptolemæus autem, qui sua manu scelus id perpetravit, frater erat Arsinoes, & Cerauni cognomentum retulit. — Ptol. Ceraunus, Lysimachi regno sub arbitrium Seleuci redacto, & ipse sub eo vivebat. Nec tamen ceu captivi loco neglectum, sed ut regia soboles in honore habitus, immo magnificis etiam promissis ornatus à Seleuco, fore ut defuncto parente in paternum Ægypti regnum deduceretur. — Ceraunus Seleucum benefactorem trucidat. Et victo Antigone, transitu in Macedoniam facto, jam firmiter regnum tenet. Statim igitur Arsinoen sororem matrimonii fœdere sibi astringit, & natos ei ex Lysimacho trucidat: quin mox etiam ipsam regno expellit. Cumque plurima contra Deum hominumque leges intra biennium perpetrasset, à Gallis ipse interfectus est.* Pausanias Atticis: *Lysimachus cum natu jam grandior esset, cumque ipse susceptis liberis fortunatus haberetur, tum vero Agathocli filio ex Lysandra liberi geniti essent, Arsinoen tamen Lysandræ sororem sibi matrimonio adjunxit. Eam, cum timeret sui ne filii, mortuo Lysimacho, in Agathoclis potestate essent, de Agathoclis cæde consilia inisse ferunt. Sunt qui scriptum reliquerint, Arsinoen Agathoclis amore captam; cumque ad obsequium adolescens pellici non potuisset, ab ea per insidias de medio sublatum. — Interempto Agathocle Lysandra ad Seleucum profugit. — Philæterus, cui omnis Lysimachi pecunia commissa fuerat, Agathoclem interfectum dolens, seque ob eam rem Arsinoæ suspectum existimans, Pergamum super Caycum occupat, atque inde per legatum se, pecuniamque omnem Seleuco tradit.* Porphyrius in frag. de Regibus Maced. *Lysimachus ab uxore sua Arsinoe persuasus, Agathoclem filium neci tradidit.* Polyænus lib. 8. *Arsinoe, Lysimacho marito suo vita defuncto, cum maximus Ephesi motus oriretur, & qui Seleuci partibus favebant, muros dejicerent, portasque aperirent, in cubili regio famulam regia stola amictam collocavit, multisque satellitibus eam munivit. Ipsa vero laceros induta pannos, & sordidatum vultum per aliam januam egressa, excurrit ad naves & solvit. &c.*

Pergit V. D. *Affirmat Oxon. Juvenis Regem hunc postquam jam 12. regnasset annos, exarsisse amore sororis agentis quadragesimum sextum, vel octavum ætatis annum, & ipsum totidem fere jam natum annos* (*Vossiana* somnia sunt ista) *Miror sane cum verba Herodiani tam clara & manifesta, adeo tamen infeliciter interpretari, ut quevis ea ænigmate faciat obscuriora. Quis enim ista intelligat* Philadelphum præ immatura ætate mores tam malos didicisse, ut tandem sororiis amoribus implicaretur? *Istud* tandem *non est in Græco, & totum destruit sensum, qui alias omnino perspicuus est. Jam à prima adolescentia illicite sororem amore prosequebatur Philadelphus, vel ipse id attestante nomine.* Precario id pro concesso sumit *Vossius*, quod erat probandum. Quis probet *Ptolemæum Philadelphum* cognomen illud à *prima adolescentia* habuisse? *Ptolemæus* simpliciter per multos annos dicebatur, donec suam sororem in uxorem sibi assumpsisset; sicut Pater ipsius, *Soteris*, & Filius, *Energetis* cognomenta non obtinuere nisi multis post regni initium annis. De loco *Herodiani*, dico 1. me & juxta veritatem & ut puto, juxta mentem auctoris, istum interpretari. Et cum dicitur *Philadelphum, ex eo quod adolescens ad regium fastigium*

hoc ex eo fit credibile, quod eorum natu maximus [1] *Euergetes*, non nisi post mortem, vel saltem sub finem vitæ Patris sui in rem uxoriam incubuit: & quod *Berenice*, filia, paucis tantum annis ante illius obitum, in matrimonium fuit collocata. Præter quos, filius alius memoratur tantum unus, nomine *Lysimachus*, de quo nihil habemus explorati. *Berenicen* autem Virginem *Antiocho Theo*, Regi Syriæ, in uxorem datam fuisse anno Philadelphi *ultimo*, doctissimus [a] *Simsonius* supputat: cujus in sententiam etsi non concedam, constat tamen eorum nuptias annis plusquam 30. postquam Philadelphus regnare cœpisset, celebratas fuisse. Testatur enim [b] B. *Hieronymus*, Antiochum *Berenicen* duxisse *multis annis* post regni sui initium, quod connectitur cum anno *Philadelphi* circiter 24[to]. Quod ad *Ptol. Euergetem*, Philadelphi filium, spectat, illum uxorem suam (*Berenicen* Magæ, Cyrenarum Regis, filiam) duxisse non ita multo ante, si non post, mortem Patris sui, è *Justino* colligitur, qui in ipso fine libri 26[ti] de nuptiis ejus agit; & statim post principium libri sequentis, docet illum jam fuisse Ægypti Regem. Deinde *Ptol. Euergetem*, quando bellum adversus *Seleucum Callinicum* moveret, regio titulo claruisse, ex eodem *Justino*, [c] *Appiano*, & *Hieronymo* manifestum est; atqui illum tum nuper matrimonium iniisse, patet ex [d] *Catullo*, sive *Callimacho* (cujus poemation *Catullus* Latinis expressit versibus) qui de illo, & Regina ejus *Berenice*, sic canit:

a Chron.
b Com. in Dan. cap. 11.
c De bellis Syriacis.
d Carmine de Berenices Coma.

Qua rex tempestate Novo auctus Hymenæo
Vastatum fines iverat Assyrios.

Per *novum* Hymenæum designans (ut vulgo vox significat) connubia

gium promovebatur, tam malos mores didicisse, ut tandem sororiis amoribus implicaretur; qui illud *obscurius ænigmate quovis*, aut quomodo *sensum destruit*? Sed istud *tandem* non est in Græco, ait *Vossius*: Itane vero! Nec in Græco est istud *tandem*, cum eodem in loco de *Nerone* loquitur, illiusque flagitia ait ex eo ortum habuisse quod juvenis Imperator creatus est. ὅτι δὲ καὶ μειράκιον αὐτῷ ἐλύπει τὰ μὴ ἀεὶ πολλά, ἀλλ' ὑπείγετο ὄχλῳ τὴν μοναρχίαν, τά τε Νέρωνος ἀπαγγελθέντα ἐς ἰχώρων μέχρι μητρῴου φόνου, παρέσχε τε τοῖς δήμοις ἑαυτὸν καταγέλαστον θέαμα. *Sollicitabant animum senis* (Antonini adolescentiam Commodi filii sui cogitantis) *recentia quoque exempla, ut Neronis ipsius, qui ne à materna quidem cæde abstinuerit, & se ridiculum populo spectaculum præbuerit.* Hæc tamen non in ipso initio, sed multis post imperium susceptum annis a Nerone perpetrata sunt, ut vel pueris notum. Si de *Philadelphi* initio necessario intelligendus est Historicus, de initio quoque *Neronis* intelligi debet, quod plane absurdum. Ei satis videbatur præcipua eorum crimina, quandocunque patrata, memorasse. Sed 2do fingamus *Herodianum* disertis verbis affirmasse Ptolemæum ipso statim regni sui initio sororem suam uxorem duxisse; tamen δῶρον ἄδωρον daremus: siquidem non modo de eo loquitur obiter tantum & aliud agens, sed tantam & tam erubescendam rerum *Ptolemaicarum*, dum de eo loquitur, prodit ignorantiam, ut plane nulla sit illius auctoritas, si quid ab aliis dissentiat. *Ptolemæum* enim illum, quem dicit Sororem suam uxorem duxisse, & in juventute ad Regnum pervenisse, non facit eundem cum *Philadelpho* nostro, sed cum Patre ejus, Ptolemæo *primo*, Alexandri M. *successore*. Quod clarissime illis constabit, qui verba ejus attentius perpenderint. *Terrebat hominem, multum in historia versatum, multorum memoria principum, qui juvenes imperium suscepissent; ut Dionysii Siciliæ tyranni; cujus tanta fuit intemperantia victus, ut novarum voluptatum inventores summis afficeret præmiis: ut Item Alexandri* SUCCESSORUM. *Ita enim contumeliose violenterque dominati sunt, ut* ILLIUS *imperio grave dedecus conciliarint. Siquidem* PTOLEMÆUS *eo turpitudinis prolapsus est, ut contra Macedonum atque adeo Græcorum omnium leges, etiam sororiis amoribus implicaretur.* ANTIGONUS *autem, qui Liberum Patrem per omnia repræsentaret, pro causia & diademate Macedonico, hederam capiti circumdare, thyrsumque pro sceptro gestare est solitus.* τοῦτο δὲ, ὡς τῶν Ἀλεξάνδρου διαδόχων εἰς τὰς ἐσχάτας ὕβρεις τε καὶ βίας, δι' ὧν τὴν ἐκείνου ἀρχὴν κατῄσχυναν. Πτολεμαῖος μὲν, καὶ μέχρις ἀδελφῆς ἰδίας ἔρωτος ἀπενεχθεὶς, παρά τε τοὺς Μακεδόνων καὶ Ἑλλήνων νόμους· Ἀντίγονος δὲ, Διόνυσον μιμούμενος &c. Patet id quod dixi, cum ex eo quod *Ptolemæum* simul & *Antigonum* commemorat cognominibus nullis distinctos, qui tamen non juvenes ad regna pervenerunt, ut eo major sit auctoris hallucinatio; tum ex eo quod dicit illos *Alexandri imperio* grave dedecus conciliasse. Et eos præterea *Successores* διαδόχους *Alexandri* diserte appellat: Quo nomine apud bonos auctores vocabantur tantum illi qui proximi Alexandro successerunt. Hinc inscriptio operis cujusdam *Nymphidis Heracleotæ*, Περὶ Ἀλεξάνδρου, καὶ τῶν διαδόχων, καὶ ἐπιγόνων *De Alexandro, & Successoribus, eorumque posteris.*

1 Vossius: *Cum negat Juvenis Oxon: Philadelphum ullos hoc tempore habuisse liberos propter feras Euergetæ nuptias, & tum quoque frustra est. Quis enim nescit principes si sagaces sint, ad ipsam pene senectam abstinere à legitimis nuptiis, metuentes sibi à liberis, qui si grandes fiant, & sceptro & vitæ eorum insidiantur.* Hoc merum esse effugium, quis non videt? Et id quod ponit *Vossius* à principum consuetudine longe abhorrere, quis nescit? Judicent æqui rerum Aulicarum æstimatores. Sed vero nec solius Euergetæ feras nuptias, in argumentum duco. Addo etiam feras ipsius Sororis ejus nuptias, de quibus nihil *Vossius*. Concurrunt omnia ad hoc evincendum, quod Philadelphi liberi diu post initium regni ejus nascebantur.

non multo ante inita. Hæc si quis rite perpendat, vel fallor ego, vel perquam probabile judicabit, Philadelpho liberos nullos, non dico ante initium regni sui, sed nec multis post annis, natos fuisse. Siquidem non est verisimile, tanti Regis hæredem transegisse annos plusquam 30. ætatis, cum primum matrimonium iniit. Nec facile creditu est, *Berenicen*, Philadelphi filiam, in adolescentia florente non nuptam fuisse, quippe quæ Regis tam potentis atque divitis filia, necnon formosissima fuit. Formosissimam autem fuisse, ex eo fas sit colligere, quod tanto eam amore amplexus fuisse Rex Antiochus perhibetur.

10. Abunde sint hæc de *Ptol. Philadelphi* regnum ineuntis adolescentia, & cœlibatu, sive ἀγαμίᾳ. In eodem autem loco Epistolæ Pontificis observare licet, uxorem Regis, quæ ibi salutatur, fuisse ipsius *Sororem Arsinoen*: quam nuptam ei fuisse notissimum est, & testatum reliquerunt [a] *Pausanias*, [b] *Stephanus Byz.* [c] *Plinius*, [d] *Plutarchus*, *Athenæus*, alii. Jamvero *Philadelphi* sororem *Arsinoen*, *Lysimacho* Regi primo elocatam fuisse, testimonium habemus *Memnonis* Historici, *Justini*, & [e] *Pausaniæ*. Et eandem post *Lysimachi* mortem denuptam fuisse fratri suo *Ptol. Cerauno*, Regi Macedoniæ, luculentissime testantur iidem [f] *Memnon* & [g] *Justinus*: quorum posterior de eorum nuptiis fuse scribit. Atque hinc liquet non nuptam fuisse *Philadelpho* nisi post mortem *Ptol. Cerauni*. Obiit vero ille circa annum 6. suscepti à *Philadelpho* regni, nempe (ut supra dictum est) exeunte Ol. CXXIV, vel ineunte proxima. Post *Cerauni* interitum quantum temporis effluxerit antequam facta ea sit *Philadelphi* uxor, incertum: sed intercurrisse sex minimum annos, videtur ex illis quæ supra disseruimus de ætatibus liberorum *Philadelphi*; quorum quidem maximus non natus fuisse videtur ante annum *Philadelphi* decimum. Adeo ut probabile sit *Philadelphum* eam in uxorem non duxisse, nisi postquam regnasset annos circiter 12. Constat enim illum ex *Sorore Arsinoe* nullos suscepisse liberos, sed prædictos tres illius liberos natos ei fuisse ex priore Conjuge, *Arsinoe Lysimachi* filia. Et hoc nobis locupletissime testatur *Theocriti* [h] Græcus *Enarrator*. Hoc saltem evidenter apparet, *Arsinoen*, *Sororem Philadelphi*, cujus mentio tanquam Conjugis ipsius in *Aristeana* Pontificis Epistola, non factam fuisse illius Conjugem, nisi annis aliquot post mortem *Ptol. Lagi*.

a Atticis.
b V. Ἀρσινόη.
c Nat. Hist. XXXVI. 9.
d De liberis educ.
e Atticis.
f Excerptis Photianis c. 15.
g Hist. XVII. 2. XXIV. 2. 3.
h Ad finem Idyllii 17.

Non sum nescius, recentiorum nonnullos opinari, *Arsinoen*, *Sororem* Philadelphi, quæ & *uxor* ejus erat, aliam fuisse ab illa, quæ prius *Lysimacho*, & postea *Ptol. Cerauno* nupsit. Sed temere hoc, & nullo prorsus argumento freti arbitrantur. Neque illud contra nos facit, quod *Arsinoe Lysimachi* & *Cerauni* conjux, quo tempore *Ceraunus* obiit, filium habuit annorum 16. à *Lysimacho* genitum; ideoque minus quam annos 32. nata esse vix potuit. Nihil enim repugnat quominus *Philadelphus* eam tot annis se natu majorem in uxorem sibi assumeret. Et hoc quidem videtur ex parte causæ fuisse quod nullam ea *Philadelpho* prolem pepererit; scil. quia cum illi nupta fuit, ætate jam provectior esset.

Id non celandum est, initium Epistolæ prædictæ apud *Josephum* paulo aliter se habere, quam in Codicibus vulgatis & apud *Eusebium*. Nempe apud *Josephum* in hunc modum se habet: Ἐρρωμένων σοῦ τε καὶ τῆς Βασιλίσσης Ἀρσινόης καὶ τῶν Τέκνων, καλῶς ἡμῖν ἔχει πάντα. Adeo ut ibi per *Reginam Arsinoen* denotari *Sororem* non appareat. At vero si Epistolam perlegamus, non minus ex *Josephi* Codice, quam ex vulgato & *Eusebiano*, manifestum fiet *Sororem* designari. *Provocati* (inquit Pontifex) *beneficiis in Cives nostros collatis*, *non debemus segnes esse ad referendam*

rendam gratiam: εὐθὺς ἂν ὑπέρ σου, καὶ τῆς Ἀδελφῆς σου, καὶ τῶν τέκνων, καὶ φίλων προσηγάγομεν θυσίας. *Quamobrem continuo pro te* SORORE*que tua*, *& Liberis*, *& amicis* (PATRIS ejus nulla mentio) *hostias obtulimus*. In quibus clarum est, per *Sororem*, designari eandem illam, quæ in exordio *Regina* dicitur.

Aristeas scribit Regem *Philadelphum solitum fuisse delatores suppliciis capitalibus, illisque acerbis prosequi*: Quo videtur allusisse ad supplicium *Sotadis*, in quem, quod in has *Philadelphi* cum Sorore sua nuptias stylum suum perstrinxerat, tam severe & vehementer vindicatum est, ut in amphoram plumbeam injectus, in altum mare invectus fuerit & demersus, uti apud *Athenæum* [a] tradit *Hegesander*. [a] Lib. 14.

11. Contra Responsionem *Vossianam* satis multa jam diximus, &, nisi gravissime fallor, cumulate planum fecimus, quod *Aristeas* hoc sibi voluit, scil. Scripturas Græce versas fuisse, non illo temporis intervallo, quo unà cum Patre suo regnabat *Philadelphus*, sed post Patris ejus mortem. Operi tamen cum me accinxerim, hanc quam occœpi telam pertexam quam possum firmissimò; & *Aristeæ* mentem esse, quod confecta fuit Versio postquam multos jam Philadelphus regnasset annos, aliis evincam argumentis. Sic enim non modo id pro quo jam contendimus, confirmabitur, sed novæ contra fabulam *Aristeanam* objectioni fundamentum jaciemus.

12. Itaque (ut missum faciamus illud, quod novissime tetigimus, quodque mihi permagni est momenti) de *Sorore* Philadelphi multis, vel aliquot saltem, annis post initium regni ejus, ei denupta: illud in primis observandum occurrit, quod de *Ptolemaïde* urbe scribit *Aristeas*. *Urbs* (inquit) *Hierosolyma nullius rei, quæ mari advehitur, indiget, quando opportuni illi portus propius adsunt apud Ascalonem*, [b] *Joppen*, *& Gazam*, *atque item à* Ptolemaïde, *quæ à Rege condita est civitas* (Πτολεμαΐδα τὴν ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἐκτισμένην) *plurima comportantur*. Ptolemais urbs hic loci signatur, quæ in extremis Syriæ finibus sita, ab antiquis, & ab Arabibus *Ace* dicta est, Hebræis *Acon*, hodie *Acre*; sed quia *Ptolemæi* curâ à ruinis vindicata magnopereque ampliata fuit, *Ptolemais* nominabatur. Secundum nonnullos, instaurata fuit, nomenque accepit, à *Ptolemæo Lagi*; juxta alios à *Philometore*. Si vero ab alterutro eorum instaurabatur, inde novum adversus Aristeæ historiam argumentum efformari possit, cum ille eam instauratam sive conditam fuisse à *Philadelpho* statuit. Sed nullum quidem (quod sciam) habemus auctorem veterem & idoneum, qui instauratam fuisse sive à *Ptolemæo Lagi*, sive à *Philometore*, testetur. Et nomine illo donatam fuisse ante *Ptol. Philometoris* tempora, vel exinde facile deprehenditur, quod memoratur tanquam co antiquior ab Auctore libri I. *Machabæorum* cap. X. & *Polybius* [c] docet *Ptolemaïdis* nomine vocatam fuisse regnante *Ptol. Philopatore*. *Ptolemais* quoque nominatur in libro *Machabæorum* tertio, cap. VII. ubi agitur de *Ptol. Philopatore*. Quo tamen in loco, sicut etiam in aliis, *Syriacus* Interpres pro *Philopatore*, qui ubique retinetur in Græco, ponit *Philometorem*. Verum ad *Philopatorem* historiam illam pertinere, cum aliunde palam est, tum etiam hinc, quod in Capite I. habetur sermo de *Theodoto*, viro principe, insidias in Regem moliente. *Theodotum* enim à *Philopatore*, occupata *Ptolemaïde*, defecisse *Polybius* memoriæ prodidit: & Regis capiti insidias struxisse, *Suidas* commemorat. Jamvero ut à digressu, qui tamen non prorsus abs re est, redeamus: *Aristeas* de urbe ista loquitur, tanquam longo antè tempore à Rege *Philadelpho* condita, nomineque donata. Innuitur jam diu consuetum fuisse Hierosolyma inde merces asportare. Unde facile perspi-

[b] *Jafo* sive *Joppe*, à Nubiensi Geographo Clim. 2. parte 5. vocatur *Hierosolymæ portus*.

[c] Lib. 5.

citur,

citur, ex ejus mente confectam fuisse Versionem diu post initium regni [1] *Philadelphi*.

13. Idem loquitur ingens illa Regis gloria famaque per totum terrarum orbem jamdudum pervagata. Docet *Aristeas* virtutem ejus regiam plane & heroicam, virorum eruditorum amorem, *solitam* in illis sibi conquirendis diligentiam, in artibus regnandi peritiam, apud omnes gentes ante tempora vertendarum Scripturarum jampridem celebratam fuisse atque decantatam. Et tamen, ut superius ostensum fuit, peradolescens fuit ille, quando una cum Patre regnum administraret. *Philadelphus* Rex in Epistola ad Eleazarum: *Judæos* (inquit) *liberos fieri jussimus, persuasum habentes, nos hoc pie agere, & offerre munus animi grati Deo maximo,* ὃς ἡμῖν τὴν βασιλείαν ἐν εἰρήνῃ καὶ δόξῃ κρατίστῃ παρ' ὅλην τὴν οἰκουμένην διατετήρηκε· *qui* CONSERVAVIT (hoc noto) *nostrum regnum in pace & gloria, quæ præstet toto terrarum orbe.*

14. *Sosibius* Regi, ut captivos Judæos manumitteret, persuadere volens, sic eum alloquitur. *Dignum est tua magnanimitate, ut summo Deo offeras istorum liberationem, munus animi pii & grati. Nam cum à Deo omnium gubernatore* (μεγίστως τετιμημένος καὶ δεδοξασμένος ὑπὲρ τοὺς προγόνους, εἰ καὶ μέγιστα πέμψεις χαριστήρια, καθῆκόν ἐστι σοι) *ad maximos sis evectus honores & gloria illustratus* super majores tuos: *convenit tibi, ut etiam maxima exhibeas munera, ad declarationem gratitudinis tuæ.* Quæ ostendunt illum supponi ad culmen felicitatis gloriæque suæ jam evectum fuisse. Non enim credibile est illum in prioribus annis gloria excelluisse Patri suo, *Ptolemæo Lagi*, qui tanta gloria vir tantisque rebus gestis fuit: qui vir fuit, ut scribit [a] *B. Hieronymus*, prudentissimus, fortissimusque, ac ditissimus, & tantæ potentiæ, ut Pyrrhum Regem Epirotarum expulsum restituerit in regnum, Cyprumque subegerit, & Phœnicen; qui Seleucum, Demetrio Antigoni filio victo, regno reddidit, Syriam totam percurrit armis, Cariam obtinuit, & multas insulas urbesque ac regiones: qui tanta floruit felicitate, ut à [b] *Luciano*, *omnium sui temporis Regum* εὐδαιμονέστατος prædicetur, & à *Justino*, singulari elogio, nuncupetur *Magnus*: qui denique tantus fuit, ut ab ipso, posteri sese omnes Alexandriæ Reges *Ptolemæos* ambitiose nominarint. *Philadelphum* quidem tanto cum honore regnum administrasse, ut etiam Parentem illum vinceret suum quantumcunque, sicut *Aristeas* tradit, ab aliis etiam proditum. Verum non credendum est in tantum eluxisse illius gloriam, nisi postquam diu regnasset, & victoriis aliquot, suisque illis in Æthiopiam expeditionibus, aliisque rebus insigniter gestis, divulgata per orbem terrarum fama, nomen ingens sibi comparasset, imperiique sui terminos ampliasset. Ut *Aristeas*, ita *Philo* quoque *Judæus* innuit elaboratam fuisse Versionem postquam Philadelphus supremum magnitudinis suæ fastigium attigisset. *De Vita Mosis lib.* 1. Ubi gloriatur id opus, *quia magnum erat & Reip. utilissimum, non privatis hominibus obvenisse, nec mediocribus istis principibus & regulis, sed Regi omnium longe celebratissimo.* Et paulo post subdit: *In universum Ptolemæorum domus cæteris regiis prænituit, inter Ptolemæos vero Philadelphus. Unus enim hic plura laude digna gessit, quam omnes reliqui ejus familiæ, & tantum in-*

[a] Comment. in Dan.

[b] Macrobiis.

1 Negat *Vossius*, hæc quæ diximus *de Ptolemaide quicquam facere contra Aristeam*, ob hanc rationem: *Et Ptolemæus pater* (inquit) *à quo nomen accepit ea Civitas, & filius Philadelphus, qui eam auxit & ornavit, & qui postea successere Reges, sub quibus ad majorem etiamnum crevit amplitudinem; omnes recte κτισταὶ sive conditores dicuntur, cum κτίζειν passim ita accipiatur.* Atqui palam est loqui Aristeam de *Ptolemaide* tanquam a *Ptolemæo Philadelpho*, primo condita, sive instaurata, nomineque donata; nec ullius Scriptoris veteris testimonio probari potest, à Patre ejus primo conditam fuisse nomenque accepisse. Sed esto: fingamus *Aristeam* voluisse Philadelphum eam Civitatem tantum magnopere ornasse atque auxisse, & inde meruisse, ut *Conditor* seu κτίστης vocaretur. Nonne tamen vel exinde satis apparet, voluisse Aristeam confectum fuisse Versionis negotium non in ipso regni Philadelphi initio?

ter

ter Reges emicuit quantum in corpore anima. Talis princeps, nostræ Legis amore ac desiderio captus, in Græcam linguam ex Chaldaica transferendam illam curavit.

15. Interpretum 64[tus], in responso, quod Regi reddidit, ait illum *secundum leges imperium agitando*, αἰώνιον μνήμην, *immortalem nominis sui memoriam fuisse adeptum.* Et 72[dus] dicit, *eum juste omnia gubernando, perpetuam sibi gloriam consecutum fuisse.* Unde quis non videt, juxta *Aristeam*, annos jam plurimos à Philadelpho in regno fuisse transactos, & tam celebrem evasisse Justitiæ illius famam, postquam illam ipsius subditi longo tempore feliciter experti fuerant?

16. Decimus senex interrogatus; *Quis finis esset fortitudinis?* respondet: *Si quod in rebus arduis & periculosis fuerit recte deliberatum & constitutum, id etiam ita pro animi sententia expediatur.* Τελεῖσται δὲ (addit) ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πάντα σοι, καλῶς βουλομένῳ. *Sed tibi, O Rex, à Deo* præclare omnia perficiuntur, *qui recta & salutaria habes proposita.* Quibus datur intelligi, *Philadelpho* jam olim bella prospere successisse.

17. Eleazarum, Judæorum Pontificem, dixisse legimus, *Se novisse Regem ob virtutis, quo excelluit, studium & amorem, hujus præcipue curam habuisse, ut ubicunque locorum celebretur aliquis doctrina & prudentia præ aliis excellens, eum ad se accerseret. Nam quoque* (pergit) DICERE SOLITUM ILLUM *audivi* (hoc præcipue noto) *& recte quidem; Quod si habeat apud se justos & moderatos viros, habeat secum regni sui magnum præsidium, & munimentum* &c.

18. Senex 68[vus] sciscitanti Regi, *Quibus rebus Reges majori tempore versari deberent?* responso dato, *In lectione & commentariis legationum maxime iis esse versandum*: subnectit; ὃ σὺ πράσσων οὐκ ἐφικτὸν ἄλλοις δόξαν κέκτησαι, Θεοῦ σοι τὰ βουλήματα συντελοῦντος. *Quo studio tu, Deo promovente tuos conatus ad ipsorum fines, consecutus es gloriam aliis inaccessibilem.* Quæ docent Philadelphum in senectutem jam, ex sententia *Aristeæ*, inclinasse. Et sane de illo jam senescente, ejusmodi dici omnia, non dubitabat Latinus ejus Interpres, *Matthias Garbitius*, ut ex sequentis loci versione colligitur. Quærenti Regi, *Qualis vitæ ratio sit ineunda, & quid agendum in otio & remissione animorum?* Judæorum advenarum 69[nus], responsione reddita, subdit. Σὺ δὲ πάσαν ἤσκηκας καρτερίαν διὰ τῆς ἐνεργείας, φιλοσοφεῖς διὰ καλοκαγαθίαν ὑπὸ Θεοῦ τιμώμενος. Quæ sic vertit Garbitius: *Tu vero, cum senio usque vitæ & actionum sis exercitatus, philosopharis in studio & actionibus virtutis perfectæ, ex illa præstantia honoris, quæ tibi à Deo contigit.* Quamvis de *senio* in Græco nihil diserte habeatur, clarum tamen est significari ætatem à laboribus ad otium devexam. Indicatur Regem tunc temporis, otio, remissionibus, studiisque jam totum dedisse. Atque istiusmodi quidem rationi vitæ tunc illum præcipue seipsum addixisse, quum ætate jam provectior multis conficeretur infirmitatibus, *Ælianus* diserte asserit, loco inferius in Sectione 20. adducendo.

19. His omnibus adde, mentionem fieri de *Sosibio Tarentino*, tanquam Viro apud *Philadelphum*, quo tempore Versio facta sit, honoratissimo: quem omnino videtur eundem fuisse cum illo *Sosibio*, qui regnante *Euergete*, Philadelphi filio, in Regia Alexandrina floruit, & postea sub *Philopatore*, Philadelphi nepote, *summam habuit in regno auctoritatem*, ut inquit [a] *Polybius*, ex eoque [b] *Plutarchus*; quemque *Suidas* (ex [c] *Polybio*) σκεῦος ἀγχίνουν καὶ πολυχρόνιον, *vas callidum, & valde-senem* appellat. Illi vero per ætatem non licuit accenseri numero Consiliariorum *Philadelphi*, nisi jam senescentis; siquidem inter *Philadelphum* & *Philopatorem* anni interjecti sunt 24. (& quod excurrit) *Euergetis* regno tribuendi.

[a] Hist. lib. 5.
[b] Cleomenis Vita.
[c] Excerptis Constant. Porphyrog.

20. Accedere denique potest, quod Philadelphus Bibliothecam suam non condidit, seu potius animum ad ornandam eam non appulit, nisi

nisi postquam diu regnasset; quod ex sequentibus facile deprehenditur.

Ab interpretatione Scripturarum ad natum Christum *trecentos fere annos* ponit [a] Magalianus, *trecentos* [b] Willetus noster, *trecentos plus minus* [c] Feuardentius & [d] Chamierus, *trecentis amplius* [e] Salmeron & [f] Galesinius, *uno plus trecentis* [g] Possevinus ac Auctor Præfationis Editionis Romanæ Versionis Græcæ. Quo videntur Versionem simul & Bibliothecæ constructionem conjecisse ad initium Philadelphi. Verum quam levis sit momenti eorum hac de re judicium, vel inde facile colligitur, quod regnare cœpit Philadelphus aunis non amplius CCLXXXV. aute adventum Servatoris, & ab ipso *Eusebio* refertur regni ejus initium ad annum aute Christum CCLXXXIII. [h] *Sixtus Senensis* annis L. plusquam illi contra temporum rationem peccat, Versioni assignans annos ante Christum CCCL. atque ita [i] *Barrius*, *Tertulliani* Editor, qui tamen dicit confectam fuisse Ol. CXXIV. à qua ad Christi nativitatem fuut anni tantum CCLXXXIII. Alius quidam errore adhuc immaniore numerat annos ante Christum natum CCCLXI.

Inter antiquiores unus *Eusebius* (quique illum sunt secuti *Marianus Scotus*, & Auctor *Chronici Alexandrini*) Versionem refert ad initium regni *Philadelphi*; ad quem annum vero, propter discrepantiam exemplarium non satis constat. Editiones omnes, quas ego viderim, *Scaligerana* priores, Versionem conferunt ad annum *tertium* post mortem Ptolemæi Lagi. [k] *Sabellicus* ait assignari ab eo aunum *quartum*; [l] *Serarius*, aunum *quartum* vel *quintum*: Editio *Scaligerana* aunum *secundum* definit; eandemque lectionem sequuntur *Chronicon Alexandrinum* & *Marianus*: neque desunt membranæ (adnotante *Pontaco*) quæ *primum* statuunt. Existimo hanc veriorem esse lectionem; neque alia de causa ad initium regni negotium hoc retulisse videtur *Eusebius*, quam quod ignorabat, quo anno regni confectum sit.

Philadelphum autem ipso regni initio in Bibliothecam adornandam non incubuisse ex eo fit satis verisimile, quod tantum adolescens tunc temporis fuit, & idcirco videtur aliis quibusvis rebus, quam libris congerendis curandisque addictior. Neque vero desunt testimonia Veterum. [m] *Epiphanius* Versionem coufert ad annum 17. à morte *Ptolemæi Lagi*, & 19. currentem ab admissione *Philadelphi* ad regnum; vel minimùm, ad *septimum* mortis *Ptolemæi Lagi*, & *nonum* admissi ad regnum *Philadelphi* exeuntem. Dubitatur enim de *Epiphanii* calculo. In Latinis Editionibus annus 17um à morte Ptolemæi Lagi fere exactus assignatur; quas secuti sunt quamplurimi homines docti, [n] *Lipsius*, [o] *Buntingus*, [p] *Codomannus*, [q] *Temporarius*, [r] *Beroaldus*, [s] *Functius*, [t] *Trinus*, [u] *Zanchius*, [x] *Bellarminus*, [y] *Dosma*, [z] *Kimedoncius*, [a] *Calvisius*, & [b] *Episcopius*, qui Versionem tradit absolutam anuo ante Christum CCLXVII. Quibus addendi [c] *Wowerius* & [d] *Matthias*, qui aunum Philadelphi *16*. Versioni tribuunt; & [e] *Chytræus*, qui 15^{m} apponit. Alii pro auno 17. ex Græco 7^{m} legunt apud *Epiphanium*, quorum in numero sunt [f] *Jos. Scaliger*, [g] *Labbeus*, [h] *Salianus*, [i] *Bibliander*, [k] *Serarius*, [l] *Usserius* noster, ac [m] *Waltonus*. [n] *Bonfrerius* dubitat utrum 17us an 7us ab *Epiphanio* fuerit assignatus. Et sane si Græcum ipsum consulamus, ubi annus ponitur 7us, illud secum haud satis constare comperiemus. Annus enim 7us non bene convenit cum numeris ibi tributis Ptolemæis siugulis. Si enim hos omnes computemus, exsurget numerus annorum CCCVI. ex quibus subductis CCXLIX. qui dicuntur effluxisse ab Interpretatione ad *Cleopatræ* mortem, manebunt ante Interpretationem LVII. è quibus XL.

a Præfat. Com. in Josuam §. 4.
b Synopsi Papismi.
c Not. in Irenæum III. 25.
d Panstrat. XII. 1.
e Prolegom. 5.
f De LXX. Interpr.
g Biblioth. selectæ II. 8. & Apparatu Sacro, *Voce* Sept. duo Interpr.
h Biblioth Sancta, *Voce* Sept. duo Interpr.
i Not. in Tertull. *Apolog.* cap. 18.
k Ennead 4. l. 8.
l Proleg. c. 17. Quæst. 9.
m De Pond. & Mens. c. 12.
n De Bibliothecis c. 2.
o Chron. l. 1. pag. 77. qui tamen p. 690. ex Eusebio ponit annum 3.
p Annal. an. 3873.
q Chron. Demonstrat. l. 1.
r Chron. S. Script.
s Chron.
t Indice Auctorum ad Comment voce *Aristeas*.
u De Script. Quæst. 10.
x De Script. Eccl.
y De Script. S. auctoritate II. 5.
z De Scripto Dei Verbo V. 2.
a Chron. ann. 3681.
b Institut. l. 4. sect. 1. c. 21.
c De Interpr. Bibl. cap. 1.
d Theatro Hist.
e Serie temporum Mundi.
f In Euseb. num. MDCCXXIV.
g Chron. parte 2.
h Annal. an. 3775.
i Temporum supput.
k Prolegom. c. 17. Q. 9.
l Annal. an. 3727.
m Prolegom. Bibl. Polyglot. 9. c. 5.
n Prolegom. Bibl. c. 16. sect. 1.

Ptolemæo Lagi tribuendi ſunt, & XVII. *Philadelpho*. Satis quidem probabile videtur pro annis XXXII. qui *Cleopatræ* in vulgatis Codicibus adſcribuntur, legendum eſſe XXII. quot ſolent Chronologi Reginæ iſti dimetiri: non certum tamen eſt, quia numerus idem retinetur in ſumma totali annorum omnium Ptolemæorum, ubi computantur CCCVI. τριακόσια ἕξ. qui tamen, ſi *Cleopatræ* tribuantur tantum XXII. non ſuperant numerum CCXCVI.

Utcunque ſibi voluerit *Epiphanius*; annus 17[us] propius accedit ad veritatem. Si *Arabicos* ſcriptores afferre liceat, habemus duos, ejuſce rei teſtes; quorum alter Verſionem *undevice ſimo*, alter *viceſimo* Ptolemæi ſecundi anno confectam tradit. Primus eſt *Armius*, Chronologus nomine tenus notus, quem citat Arabicus quidam Commentator in Pentateuchum, in Præfatione Commentariorum, qui literis Syriacis conſcripti ſervantur in Bibliotheca [a] *Bodleiana*. Verba Latine ſic ſonant: *Sic dicit Armius Chronologus: Decimo nono anno regni Ptolemæi, juſſit Rex ut congregarent Seniores Filiorum Iſraelis*, ut transferrent Legem &c. Alter eſt *Eutychius*, ſive *Said Ibn Batric*, qui in Annalibus de 2[do] Ptolemæo (quem [b] alium tamen à *Philadelpho* facit) verba faciens, *Hic anno* (inquit) *regni ſui viceſimo Hieroſolyma mittens, inde* LXX. *Viros à Judæis Alexandriam adduci curavit, quos ſibi Legem libroſque Propheticos è lingua Hebraïca in Græcam transferre juſſit.*

[a] Ap. Jo. Greg. de LXX. Int.

[b] Vide Tabulam Chronol. Ptolemæorum in Proœmio *Syntagmatis de Ptol.* fol. ult. & ipſum *Syntagma* cap. 22.

Si Auctores probatiores adeamus, & quo tempore Philadelphus Bibliothecam ſuam inſtituerit, inquiramus, conſtabit argumentis & indiciis non tenuibus, illum in curam iſtius operis non incubuiſſe, antequam majorem ſui regni partem egiſſet. Atque hoc in primis ex *Strabone* probabiliter colligi poteſt, qui teſtatur *Philadelphum* ad magna illa molimina, quibus tam clarus evaſit, animum intendiſſe *quando propter corporis imbecillitatem ſemper novæ alicujus oblectationis materiam expeteret*. [c] Οὗτοι (Reges Ægypti) γὰρ ἐφρόντισαν τῶν τοιούτων (ingentium operum) διαφερόντως δὲ ὁ Φιλάδελφος ἐπικληθεὶς, φιλιστορῶν, καὶ διὰ τὴν ἀσθένειαν τοῦ σώματος, διαγωγάς ἀεί τινας καὶ τέρψεις ζητῶν καινοτέρας. Philadelphum enim non ſemper & jam inde à pueritia, corporis infirmitate laboraſſe, ſed vitam voluptuoſam diu agendo, eam contraxiſſe, ex *Philarcho* colligere eſt; qui apud [d] *Athenæum* tradit illum διαφθαρῆναι ὑπὸ τοῦ ἀκαίρου τρυφῆς, *perditum fuiſſe importuno luxu*: quam ejus invaletudinem fuiſſe *podagram* idem docet. Sententiæ noſtræ accedit prorſus *Ludovicus Vives*, Vir magno judicio, qui ſcribit [e] *Philadelphum maturiore ſuâ ætate, quo tempore morbis afflictaretur, proculque à bellis gerendiſque rebus eſſe cogeretur, ſtudiis ſe tradidiſſe, accitis undique Ingeniis & constructa Bibliotheca.* Atque hanc ſententiam *Vivis* eſſe perquam probabilem pronunciat [f] *Torniellus*.

[c] Geogr. l. 17.

[d] Lib. 12.

[e] Not. S. Aug. l. 18. de Civ. Dei c. 42.

[f] Chron. an. 3798.

Huic argumento adeſt luculentum *Æliani* teſtimonium, qui oſtendit *Philadelphum* tunc in bonis literis operam poſuiſſe, eruditumque evaſiſſe, quando annis jam in ſenium vergentibus, valetudine ad morbos propenſa uteretur. Allatis enim multorum exemplis, qui, cum diu à ſtudiis literiſque operam ſuam atque induſtriam alio traduxerant, tandem per otium invaletudinis vacantes bonarum artium contemplationi, rei literariæ præſidiis ſeſe inſtruxerunt; addit idem *Ptol. Philadelpho* contigiſſe: [g] Μουσικώτατον δὲ λέγουσι καὶ Πτολεμαῖον γενέσθαι τὸν δεύτερον, καὶ αὐτὸν νοσοῦντα. *Aiunt etiam Ptolemæum ſecundum doctiſſimum evaſiſſe, cum infirme valeret.* Jamvero quis dubitet, quin illo tempore Bibliothecam illam ſuam inſtruxerit, cum Muſarum artibus tanto ſtudio animum adjecit?

[g] Hiſt. Var. IV. 15.

Adde, quod ex *Galeno* colligitur *Philadelphum* tunc è vivis deceſſiſſe cum in Bibliotheca inſtruenda occupatus fuit, & perficiendam reliquiſſe filio ſuo, *Ptol. Euergeti*. Ad inſtructionem enim Bibliothecæ tanto

tanto nisu se contulit *Euergetes*, totque in ea recondidit libros, ut *Galenus* ejus studium in Bibliotheca Alexandrina adornanda maxime celebraverit, eamque non [1] *Philadelphi*, sed *Euergetis* vocaverit. Quod qui fieri potuit, si in ipso regni initio *Philadelphus* illam tanto conamine apparavisset? Certe si ineunte regno Bibliothecam instruendam aggressus fuisset *Philadelphus*, cum tam diu regnavit, opibus & otio pollens, nequivisset non corrasisse tot volumina, ut ipsi præcipue, non alii cuivis juniori, Bibliothecam Alexandrinam omnes adscripsissent. *Galeni* locus est in Commentario secundo in librum 3. *Hippocratis de Morbis Vulgaribus*, ubi differens de Notis in libro illo repertis, ait exemplar quoddam *in Bibliotheca Ptol. Euergetis* (i. e. Alexandrina) *repertum fuisse illis characteribus notatum manu Medici cujusdam Pamphili.* Εὑρεθῆναί τι βιβλίον τι τοῦ Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος ἔχον αὐτοὺς διασκευασμένους ὑπό τινος ἰατροῦ Παμφίλου. Paulo post Bibliothecam illam vocat τὴν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μεγάλην βιβλιοθήκην. Et aliquibus interjectis: καὶ φιλότιμον, inquit, περὶ βιβλία τόν τε βασιλέα τῆς Αἰγύπτου Πτολεμαῖον οὕτω γενέσθαι φασὶν ὡς καὶ τῶν καταπλεόντων ἁπάντων τὰ βιβλία κελεῦσαι πρὸς αὐτὸν κομίζεσθαι &c. *tanto fuisse erga libros studio Ptolemæum* (Euergetem) *Ægypti Regem dicunt, ut omnium in Ægyptum navigantium libros ad se deferri juberet, & transcribi curaret; & quos à dominis acceperat in Bibliotheca sua reponeret, redditis iis illis quos exscripserat libris.* Paulo infra subnectit: Ὅτι δ' οὕτως ἐσπούδαζε περὶ τὴν τῶν παλαιῶν βιβλίων κτῆσιν ὁ Πτολεμαῖος ἐκεῖνος, οὐ μικρὸν εἶναι μαρτύριόν φασιν, ὃ πρὸς Ἀθηναίους ἔπραξε. δοὺς γὰρ αὐτοῖς ἐνέχυρα πεντεκαίδεκα τάλαντα ἀργυρίου, καὶ λαβὼν τὰ Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου καὶ Αἰσχύλου βιβλία, χάριν τοῦ γράψαι μόνον ἐξ αὐτῶν, εἶτ' εὐθέως ἀποδοῦναι σῶα, &c. *Tanti autem Ptolemæi illius studii ad veterum libros comparandos magnum esse argumentum referunt rationem quam habebat cum Atheniensibus; qui quindecim pignoratis argenti talentis, ab eis accepit Sophoclis & Euripidis, Æschylique libros, ut eos tantum describeret, & mox sartos tectos restitueret. Magnifice cum apparavisset eos in pulcherrimis chartis, quos ab Atheniensibus acceperat, retinuit: illis misit quos ipse paraverat, orans* 15. *talenta tenerent, acciperentque novos pro veteribus quos ipsi dederant, libros. Quod si Atheniensibus ne novos quidem remisisset libros, sed veteres retinuisset, non erat quod ægre ferrent, qui argentum hac lege acceperant, ut hoc ipsi servarent, si ille retineret libros. Itaque illi simul & novis libris, & argento sunt potiti.* Profitetur *Galenus* hæc se ex antiquo *Zeuxidis* in prædictum Hippocratis librum Commentario desumpsisse. Advertendum porro est quod dicit *Ptol. Euergetem* libros Athenienses adeptum fuisse, & in Bibliotheca Alexandrina reposuisse, quod idem *Philadelpho* tribuitur apud [a] *Athenæum*; qui de [b] *Neleo* verba faciens, in cujus potestate [c] *Aristotelis* libri fuerunt, subjungit: παρ' οὗ πάντα φησὶ πριάμενος ὁ ἡμεδαπὸς βασιλεὺς Πτολεμαῖος, Φιλάδελφος δ' ἐπίκλην, μετὰ τῶν Ἀθήνηθεν καὶ τῶν ἀπὸ Ῥόδου, εἰς τὴν καλὴν Ἀλεξάνδρειαν μετήγαγε. *A quo scil. omnes mercatus Ptolemæus Rex nostras, cognomine Philadelphus, cum iis quos Athenis & Rhodo nactus fuerat, in pulchram Alexandriam transferri curavit.* Quos libros Athenienses, eosdem fuisse cum illis, quorum meminit *Galenus*, omnino videtur; quippe non est dubitandum quin Philadelphus *Euripidis*, *Sophoclis*, *Æschilique*, tam [2] clarorum Poetarum, libros penes se habere cupierit: & si

a Initio lib. 1.

b Legendum enim Νηλέα, non Πηλέα.

c Leg. enim ap. Athen. τούτου non τούτων.

1 Hinc apparet futilissimum esse quod urget *Vossius* de magnitudine Bibliothecæ Philadelphi, *cui congerendæ* (inquit) *nulla humana videtur sufficere vita.* Non enim tanta fuit Bibliotheca Alexandrina Philadelphi ipsius tempore, sed ab aliis Regibus succedentibus magnopere aucta est. Neque illud verum est quod dicit, contendere Juvenem Oxon. *paucis mensibus à moribundo jamjam Philadelpho perfectam fuisse.*

2 Duo fuere Ptolemæi, *Euergetis* cognomine insigniti, quorum *posterior* quoque videatur ad ornationem *Bibliothecæ* multum contulisse, quippe qui libris deditissimus fuit, & a doctrina *Philologi* cognomentum obtinuit. Cæterum hic non videtur designari à *Galeno*, quia non est verisimile *Bibliothecam Alex.* tam diu, nempe annis plus minus 100. post mortem *Philadelphi*, caruisse operibus Poetarum tam celebrium. Nec videtur

si eos rogasset Athenienses, credi non potest illum repulsam ab illis fuisse passurum, siquidem Athenienses plurimis se nominibus Philadelpho adstrictissimos agnoverunt, &, ut docet *Pausanias*, magno illum in honore habuerunt, erecta in honorem ejus statua, & *Tribuum* una ab illius nomine nuncupata *Ptolemaide*. Quibus positis, conficitur, vel *Galenum* perperam pro *Philadelpho Euergetem* posuisse, quod affirmari nequit, vel libros supradictos à *Philadelpho* petitos fuisse, & libros ex illis descriptos remissos fuisse, sicut *Galenus* refert, ab *Euergete*, *Philadelpho* brevi post advectos codices moriente. Unde sequitur, *Philadelphum*, non nisi paulo ante obitum Bibliothecæ instruendæ tanto nisu operam posuisse.

Videatur forte contrarium ex eo colligi posse, quod [a] *Athenæus* scribit *Philadelphum Aristotelis* libros emisse à *Neleo*; qui, cum (auctore *Strabone*) *Aristotelis* auditor fuerat, vix credi potest fuisse superstes exituro *Philadelphi* regno, quandoquidem inter mortem *Aristotelis* & *Philadelphi* anni interpositi fuerint fere *octoginta*. At vero manifestum est *Athenæum* in eo falli: nam *Strabo* supra laudatus, testis locuples est, *Neleum Scepsium*, *Aristotelis & Theophrasti libros*, *quos ei Theophrastus supremis tabulis legaverat*, *Scepsin Athenis transtulisse*, *posterisque suis reliquisse*. *A quibus*, *ineruditis Viris*, *sub terra illos in fossa occultatos fuisse*, *ne à Regibus Attalicis*, *quibus Scepsis civitas parebat*, *Bibliothecam Pergamenam instruentibus*, *illuc transferrentur*. *Ibi humore & blattis misere vitiatos fuisse*, *& tandem Apelliconi Teio magno pretio venditos*; *&*, *Sylla*, *cum Athenas cepisset*, *hujus Bibliothecam recipiente*, *allatos fuisse Romam*. *Rem eandem confirmat Plutarchus*, cum refert in *Syllæ* Vitâ, *antiquiores Peripateticos Aristotelis & Theophrasti scripta neque pleraque neque exacte volvisse*, *verum ob hæredem Nelei Scepsii*, *ea ad inertes atque indoctos homines recidisse*. Et præterea *Aristotelis* Bibliothecam in manus *Philadelphi* non devenisse, deprehenditur ex *Ammonii Hermiæ* Scholiis in *Aristotelis Categorias*: qui scribit (in Præfatione) *Ptolemæum Philadelphum Operum Aristotelis conquirendorum perinde ac reliquorum*, *perstudiosum fuisse*, *pecuniasque iis persolvisse qui Philosophi libros ad ipsum afferrent*. *Quo factum esse ut quidam*, *quæstum consectantes*, *libros Philosophi nomine inscribentes comportarent*; *adeo ut in magna Alexandriæ Bibliotheca*, *Analyticorum Aristotelis quadraginta*, *Categoriarum duo libri inventi fuerint*. Si enim Aristotelis bibliotheca, & ipsi ab eo conscripti libri, in Bibliotheca Alexandrina repositi fuissent, quid opus fuisset congerendi libros quotquot sub ejus nomine afferrentur, cum una ipsius bibliotheca instar omnium fuisset?

[a] Lib. 13.

Quin si fingamus (quod concedi non potest) *Neleum* Aristotelis libros *Philadelpho* vendidisse, id tamen non fieri potuit ante partem posteriorem regni ejus, si verum sit quod vulgo opinantur (sed de quo ego valde dubito [1]) *Theophrastum* vitam perduxisse ad annum ætatis 107^{m}, uti proditur à S. *Hieronymo*, & confirmatur in Prooemio *Theophrasti* ad suos *Characteres*, ubi juxta omnia exemplaria, & suffragante [b] *Jo. Tzetze*, dicitur *Characteres* illos meditatus fuisse quum annos absolvisset 99. *Theophrastus* enim *Aristotelis* libros, cum propriis suis, testamento moriens reliquit *Neleo*; & si ad tantam ætatem pervenerit, vix fieri poterat ut ipse ante medium regni *Philadelphi* moreretur: siquidem *Aristotele* multo junior fuit, utpote ejus discipulus; à quo tamen ad medium *Philadelphi* regnum peracti sunt anni non amplius CXXXVIII. tot enim colliguntur ab Ol. XCIX. 1. quo Aristotelem natum testatur

[b] Chiliad. 9. 196.

tur probabile, *Philadelphum*, virum conquirendis libris tam præclarum, cæterosque post illum Reges, tam paucos congessisse libros, ut superessent tot volumina a posteriore *Euergete* adjicienda, ut propter illa, *Bibliotheca* ei, tanquam conditori, a *Galeno* adscribi posset.

1 Theophrastum vixisse tantum annos 85. videtur cum ex testimonio Laertii, tum indiciis aliis.

a Chron. ap. Laertium. [a] *Apollodorus*, ad Ol. CXXVIII. 2. qui vicesimus fuit regni *Philadelphi* annus, & 18[us] ab obitu *Ptolemæi Lagi*.

Verum hæc mittamus; & videamus an aliunde possit confirmari, *Philadelphum* Bibliothecæ instruendæ operam collocasse non nisi ante ætatem provectiorem. Sane huic sententiæ vigorem adjicit *Theocritus*, qui in Idyllio 17. quod Εγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον, inscribitur, *Philadelphum* laudat à fortitudine, opulentia, imperii magnitudine, militum multitudine, & munificentiis in Poetas &c. de doctrina tamen ejus & Bibliotheca illa celebratissima, quam instruxit, & quæ maxime in admirandis & in laudibus ejus ponenda fuit, ne verbulum quidem habet. Quod tamen Idyllium diu post initium regni ejus compositum erat, ut inde, inter alia, patet, quod de nuptiis ejus cum *Sorore* sua mentio fiat.

b Præfat. lib. 7. A nobis insuper est, quod [b] *Vitruvius* innuit *Alexandrinam* Bibliothecam post *Pergamenam*, nempe ex æmulatione, constructam fuisse: his verbis; *Reges Attalici magnis Philologiæ dulcedinibus inducti, cum egregiam Pergami Bibliothecam ad communem delectationem instituissent: tunc item* Ptolemæus *infinito zelo cupiditatisque studio incitatus, non minoribus industriis ad eundem modum contenderat* Alexandriæ *comparare*. Bibliotheca enim *Pergamena* ante tempora Regis *Eumenis*, primi ejus nominis, non instituebatur, ut patet ex [c] *Strabone* & [d] *Plinio*; inter quos convenit *Eumenem* fuisse illius conditorem. *Eumenes* autem, ejus nominis primus, secundus Pergami Rex, regnare cœpit non ante annum *vicesimum sextum* Philadelphi, nempe Ol. CXXIX. 4. eique supervixit annis circiter septem. Hæc, inquam, statuenda sunt, si *Vitruvio* fides fit. Sed, ut libere dicam quod ipse sentio, in eodem loco peccat *Vitruvius* sæpius contra Chronologiam. *Zoilus* enim & *Aristophanes* Grammaticus quos *Ptolemæo* Bibliothecæ *Alexandrinæ* conditori coætaneos facit, neuter videtur *Philadelphi* tempore floruisse; sed ille ante, hic post illius regnum claruisse videtur. Neque *Eumenem primum*, Philadelpho æqualem, sed *secundum*, qui diu post illius mortem regnum iniit, conditorem fuisse Bibliothecæ *Pergamenæ* testatur *Strabo*.

c Lib. 13.
d Hist. Nat. XIII. 11.

Vitruvii auctoritatem judicio Lectoris permitto, & ad hæc omnia adjiciam denique illustria & diserta quorundam testimonia, quibus confirmetur Philadelphum non nisi paucis annis ante obitum suum Bibliothecæ instruendæ animum adjecisse. *G. Syncellus* hoc fecit testatissimum, Bibliothecæ institutionem conjiciens ad Ol. CXXXII. cujus annus primus incidit in *sextum* ante mortem *Philadelphi*. Πτολεμαῖος ὁ φιλάδελφος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθήκην καθίστησιν ρλϐ΄. ὀλυμπιάδι, ἧς πληρωθείσης πλῆρες ἦν· δέκα μυριάδες βιβλίων ἦσαν, ὥς τινες φασίν. *Ptolemæus Philadelphus Bibliothecam in Alexandria instituit Olympiade* CXXXII. *qua exeunte decessit pariter ex vita: decem myriades librorum fuerunt, ut nonnulli dicunt*. Eadem habentur in libro I. Chronicorum *Eusebii* Græcorum, ubi deest tamen πλῆρες ἦν: ut sensus fit, decem fuisse myriades librorum in bibliotheca cum esset *completa*. Mortuus est Philadelphus anno 2. post prædictæ Olympiadis exitum. A *Goaro* in *Syncelli* editione ad marginem adnotatur ρλα΄. quasi aliud exemplar Bibliothecam referret ad Ol. CXXXI[m], atque hoc *Goarus* in Latina sua Versione posuit. Quam lectionem si admittendam censeas, Bibliothecam tamen intra decennium ante obitum Philadelphi institutam fuisse, luculento constaret *Syncelli* testimonio. Id vero, ni fallor, adjecit *Goarus* non ex codice aliquo, sed ex mera conjectura, quoniam *Eleazari* Pontificatus non duravit ad Ol. CXXXII[m]. [e] *Jos. Scaliger* ait *Julium Africanum*, præclarum Chronologum, Bibliothecæ Philadelphicæ institutionem referre ad supradictam Olympiadem, nempe CXXXII[m]. Cui computo *Scaliger* calculum

e Ad Euseb. num. 1734.

culum suum adjicit, aliique recentiorum docti Viri [1] suffragantur. *Africani* sententiam, sive traditionem, elicuit Scaliger ex loco *Syncelli* præcitato, qui quidem in hac re (ut in aliis plerisque) videtur *Africanum* [2] præeuntem sequi.

Huic opinioni prope accedit *Eutropius* quidam, quem meminit [a] *Sabellicus* conjicere Bibliothecæ institutionem in *trigesimum fere Philadelphi* annum, i. e. in trigesimum secundum ab eo tempore, quo incepit Philadelphus una cum Patre suo regno præesse: Solet enim vulgo *Philadelphi* regnum supputari ab obitu *Ptolemæi Lagi*. Videtur denique ipse *Flavius Josephus* à nobis facere, nimirum conjicere Bibliothecæ instructionem ad annum *Philadelphi* supremum, nempe *quadragesimum*; qui colligendus est, non à morte *Ptolemæi Lagi*, ut vulgo numerari solet, sed ab illo tempore, quo *Philadelphus* ab eo in socium regni admissus est. Ad illum autem annum referre videtur *Versionem*, non alia de causa, quam quod accepisset Philadelphum extremo regno suo in Bibliothecam conficiendam curas contulisse. Locus autem, unde hoc elicio, principium est secundi Capitis libri *Antiquitatum* XII. ubi, denarratis in priore Capite *Ptolemæi Lagi* rebus gestis, in hæc verba subjicitur: Ἐπειδὴ τὴν βασιλείαν τῆς Αἰγύπτου παραλαβὼν ὁ Φιλάδελφος, καὶ καθαρχὼν αὐτὴν ἐπ' ἔτη ἑνὸς δέοντος τεσσαράκοντα, τὸν νόμον ἡρμήνευσε &c. Quem locum non sum nescius Interpretes ejus, aliosque viros eruditos, solere ita intelligere, quasi vellet Philadelphum annis *undequadraginta* in universum regnavisse. Cæterum, ut taceam, vix ullum alium scriptorem annos 39. Philadelphi regno assignare, sed [b] vel 38. ab obitu ipsius Patris, vel 40. à primo regni initio, vulgo numerari: & ut illud quoque mittam, non morem esse *Josephi*, notare quot annis regnarint Ptolemæorum alii; & Philadelphi regnum tam diu non durasse, ut illius, præ cæteris, anni commemorari mererentur, cum illius ipse Pater vel tam diu, vel etiam diutius, regnum administrabat: his (inquam) omissis, videtur verborum ipsorum sensum magis genuinum esse, Philadelphum Legem Judaïcam Græce verti curavisse postquam 39. annos in regno transegisset, & in hunc modum ea esse interpretanda: *Philadelphus postea, regno Ægypti* [3] *assumpto, & annis* 39. *administrato Legem in Græcam linguam transferri curavit.* Verumtamen hæc de *Josepho* monuerim tantum literatos, non cito affirmarim. Utut de eo sit, aliunde à nobis clarissime fuit demonstratum, Philadelphum Regem, non regno ineunte, sed postquam jam diu regnasset, Bibliothecæ construendæ operam impendisse.

[a] Ennead. IV. 8.

[b] Vide Syntagma de Ptol. cap. 13.

1 Dan. Rivetus Isag. in S. Script. c. 10. §. 3. *Adam Littleton*, qui in Tabula Chronologica Dictionario affixa LXX. *Interpretes* refert ad annum post mortem *Ptol. Lagi* 32^m. vel 33^m. *Rabbi David Ganz* in Chronologia sacro-profana, quam *Germen Davidis* inscripsit, parte 2. ad an. 484. Millenarii 4. & ad an. 515. ait factam fuisse interpretationem anno *Philadelphi* 31. i. e. ab obitu *Ptol. Lagi*. *Corn. à Lapide* in Encomio S. Script. Commentariis præfixo, *Jacobus de Valentia* Tract. 6. Ptologi in Psalt. *Galatinus* de arcanis Cath. Ver. 1. 3. & *Driedo* de Catal. S. Script. II. 1. à Versione & Bibliotheca condita ante Christum numerant annos CCL. Annus autem ante Christum CCL^{us}. connectitur cum sexto ante mortem Philadelphi.

2 Futilissimum est quod ad hoc *Africani* testimonium respondet *Vossius*: *id ita accipiendum esse, quod ut toto vitæ spatio, ita quoque illo quem signarit* (Africanus) *anno locupletandæ bibliothecæ operam dederit Philadelphus.* Si per totum vitæ suæ spatium locupletandæ bibliothecæ operam dederit, cur factum illud non ad initium regni sed ad annum circiter *sextum* ante mortem ejus retulit *Africanus*? cur præcise ad Ol. CXXXII?

3 Τὴν βασιλείαν παραλαβὼν (inquit *Vossius*) *non potest id significare quod Juvenis Oxon. vult. Millies & ubique id occurrit, & nunquam aliter accipitur, nisi de eo qui primo regnare incipit.* Quid hæc sibi volunt? Non ex istis, τὴν βασιλείαν παραλαβὼν; sed ex illis, καὶ καθαρχὼν αὐτὴν ἐπ' ἔτη ἑνὸς δέοντος τεσσαράκοντα, argumentum duxi.

Sed instat *Vossius*: *Et sane quam ridiculus fuisset Josephus si ultimo vitæ anno Philadelphum suam instruxisse dixisset bibliothecam, & quidem curam ejus gerente Demetrio Phalereo.* Quomodo ridiculus fuisset non video; quando vivere desiit *Demetrius* nos scimus, non scivit *Josephus*, non *Aristeas*, non Patres antiqui; nec mirum, siquidem omnia facile credebant sine ullo examine. Neque tamen negavi quin possint Josephi verba sic intelligi, ut Interpres ea intellexit. Aio me id tantum Lectori proponere, non asserere.

a Annal. an. 3775.
b Chron. to. 1.

21. Illud autem tacitus prætertire non possum, [a] *Salianum*, & post illum [b] *Ricciolium*, urgere, quod colligi potest ex Epistola Regis, quæ apud *Aristeam* & *Josephum* recitatur, eos sibi voluisse, Translationem fuisse factam in [1] *initio* regni Philadelphi. Atque huic quidem opinioni favere videatur Latina *Matthiæ Palmerii* translatio *Aristeæ*, quæ sic se habet: *Nos ubi regni gubernacula cepimus, benignitate erga omnes, tum maxime erga cives tuos affecti, eorum supra* 100000. *libertate donavimus.* Græca vero sic concipiuntur: Καὶ ἡμεῖς δὲ παραλαβόντες τὴν βασιλείαν, φιλανθρωπότερον ἀπαντῶμεν τοῖς πᾶσι, πολὺ δὲ μᾶλλον τοῖς σοῖς πολίταις, ὧν ὑπὲρ δέκα μυριάδας αἰχμαλώτους ἠλευθερώκαμεν. Quæ in hanc sententiam vertenda sunt: *Nos vero consecuti regni administrationem, cum aliis omnibus exhibemus nos humaniores, tum vero præcipue civibus tuis, quorum supra* &c. Et verbis illis non indicatur Regem statim ab assumpta regni administratione Judæos captivos libertate donasse; sed significatur illum semper *consuevisse* Judæis aliisque cunctis plurimum humanitatis impertire. *Josephus* legit; Τὴν δ' ἀρχὴν ἐγὼ παραλαβὼν, πᾶσι μὲν φιλανθρώπως ἐχρησάμην, μάλιστα δὲ τοῖς σοῖς πολίταις &c. *Ego vero devoluto ad me principatu, in omnes benignitate usus sum, maxime vero in cives tuos. Quorum &c.*

22. Ex iis autem omnibus, quæ hac de re disputavimus, evidentissime apparet, Aristeæ mentem hanc fuisse, nempe quod facta est Versio postquam multos jam annos regnavisset *Philadelphus*, & tamen quod *Demetrius Phalereus* Bibliothecæ tunc temporis custos erat. Quorum alterum necesse est falsum fuisse, cum obierit *Demetrius* ipso regni *Philadelphi* initio. Atque hinc probatur, non ipsi negotio Versionis interfuisse Auctorem nostrum, nec in Aula *Philadelphi* floruisse, sed ab aliquo impostore confictam fuisse Historiam. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

CAP. VII.

Dubitatur utrum Eleazarus *Pontifex Judæorum esset quo tempore Bibliotheca Alexandrina à* Ptol. Philadelpho *instructa fuit.* §. 1.

Argumentum aliud contra Historiam Aristeæ, *exinde petitum quod, quamvis doceat Interpretationem plurimis annis post initium regni* Philadelphi *confectam fuisse, tradit tamen* Menedemum Eretriensem *eodem tempore quo Scriptura verteretur in* Ægypto *fuisse. Quem* Ptolemæo Lagi *supervixisse non plusquam septennio, demonstratur. Quæritur de ætate* Menedemi; *quo tempore natus, quo mortuus.* Jos. Scaligeri *error, existimantis illum obiisse diu ante initium regni* Philadelphi §. 3. *Juxta* Heraclidem *obiit ante regnum* Philadelphi. *Illum* Platonis *fuisse discipulum: Qui quo anno obierit.* Saidi Batricidæ *hallucinatio. Error eorum, qui* Menedemum *vixisse tantum annos* 73 *statuunt.* § 4. *Agnoscitur illum plures annos vixisse quam statuit* Heraclides, *& vitam perduxisse usque ad id temporis, quo* Antigonus Gonatas *Gallos in prælio vicit. Quæ victoria quo anno contigerit.* Menedemum *vixisse annis* 94. *Probabile esse illum nunquam fuisse in* Ægypto *regnante* Philadelpho. §. 6.

c Antiq. XII. 2.
d Præp. Evang. VIII. 2.
e De Civ. Dei XVIII. 42, 43.
f Catech. 5.
g Chron.
h Com. ad c. 1. Sophoniæ.
i Chronogr.
k Chron.
l Chronogr.
m Annal. to. 1.

ARISTEAS, & qui illum sequuntur, [c] *Josephus*, [d] *Eusebius*, [e] *B. Augustinus*, [f] *Cyrillus Hierosol.* [g] *Isidorus Hispalensis*, [h] *Theodorus Antiochenus*, [i] *Nicephorus Patriarcha*, [k] *Ado Viennensis*, [l] *G. Syncellus*, [m] *Jo. Zonaras*, aliique Versionem tradunt confectam *Eleazaro* Pontificatum Judæorum maximum gerente; quod fieri non potuit, siquidem, ut superius ex ipso *Syncello*, sive *Africano*, ostendimus, Bibliothecam suam

1 *Ricciolius* confert Versionem ad an. 1. vel 2. ante mortem *Ptolemæi Lagi*, *Salianus* ad an. 7. post mortem ejus delinentem, vel octavum inchoatum.

instruere

instruere cœpit *Philadelphus* non ante *Olympiadem* CXXXII. & juxta *Eusebium* annus ultimus *Eleazari* Pontificis incidit in Ol. [1] CXXXI. 2.

2. Hoc saltem affirmare ausim, à vera temporum ratione aberrare rursus *Aristeam*, cum doceat Versionem fuisse confectam declinante ad exitum *Philadelphi* regno, vel plurimis saltem annis post regni ejus initium; & tamen scribit *Menedemum Eretriensem* Philosophum in Aula tum Alexandrina versatum fuisse. *Menedemum* enim liquet intra annos 7. post initium regni Philadelphi obiisse.

3. *Eusebius* supputat *Menedemum* una cum *Speusippo* floruisse Olymp. CXVI. 1. qui *trigesimus secundus* annus erat ante mortem *Ptolemæi Lagi*. [2] *Jos. Scaliger* ad superiora tempora illum revocat, eo fretus argumento, quod *Platonem* audiverat. Et propterea existimat illum ad prædictum annum non pervenisse. Cæterum illum non modo ad annum prædictum sed & longe diutius vitam produxisse, fateor ego atque etiam profiteor.

4. *Heraclides* apud *Laertium* tradit illum vixisse annis LXXXIV. & testis est *Laertius* maturiore illum ætate Platonem habuisse magistrum. *Menedemus custos ab Eretriatibus Megara missus, in Academiam ad Platonem concessit, eoque captus, militiam deseruit.* Eadem legere est apud *Hesychium Milesium*. Et [a] *Plutarchus* docet *Platonem de Sociis suis misisse, Arcadibus Aristonymum reip. constituendæ causa, Eleis Phormionem, Pyrrhæis Menedemum.* Atque id quidem in causa fuit cur [b] *B. Cyrillus* (observante doctiss. *Menagio*) Menedemum vocat *Pyrrhæum*; qui & ipse appellat illum *Platonis* discipulum. Et illum jam annos aliquot post relictos ephebos peregisse cum ad Philosophiam pertractandam Platoni se dedit, vel exinde conspicuum est, quod publico illum in militia munere Cives ejus antea dignati fuerant. Apud *Platonem* quot annos egerit, incertum; tamen natum fuisse annos non minus quam viginti circiter & quatuor, quando mortuus est *Plato*, colligitur inde, quod ab eo mittebatur ad remp. *Pyrrhæis* constituendam. Quæ sane provincia videatur, vel ea majorem longe ætatem requisisse. Jamvero *Platonis* obitum contigisse *Ol.* CVIII. 1. *Hermippus* tradit apud *Laertium*, & hoc verum esse (licet *Eusebius* illum deduxerit ad annum ejus Olymp. 4m) clare evincunt in eundem annum consentientes, [c] *Plutarchus*, [d] *Athenæus*, [e] *Dionysius Halicarnasseus*, alii. *Arabicum* enim delirium illud est, quod [f] *Said Ibn Batric* refert de Platone tanquam post mortem *Alexandri M.* superstite. Posito itaque *Menedemum* explesse annos circiter XXIV. quum *Plato* vita concederet, constabit, juxta annorum numerum vitæ ejus ab *Heraclide* assignatum, illum mortuum fuisse Ol. CXXII. 1. exituro: à quo si ad primum usque annum Ol. CVIII. retro legas tempora, anni consient 60. Et hisce si addas illos 24. annos, quos ante *Platonis* obitum *Menedemus* natus fuerit, exurget numerus annorum LXXXIV. Juxta quam rationem consequitur, *Menedemum* obiisse anno uno, vel altero antequam *Philadelphus* in regni societatem à Patre suo admitteretur; quod accidit [g] Ol. CXXIII. 3. Nescio quo errore [h] *Gesnerus*, [i] *Car. Stephanus*, & [k] *Ricciolius* aiunt *Menedemum* obiisse vitæ suæ anno LXXIII. *Laertium* tamen auctorem citantes.

5. Nemini non liquet quanta probabilitatis specie niti videtur argumentum istud. Fatendum tamen est, non mihi videri recte institui annorum istum numerum, qui *Menedemi* vitæ ab *Heraclide* definitur.

a Lib. adversus Coloten.
b Lib. 6. Cont. Julianum.
c De 10. Rhetor.
d Lib. 5.
e Epist. ad Ammæum.
f Annal.
g Vide Syntag. de Prol. cap. 10. & 12.
h Onomast.
i Diction. Hist.
k Chron. to. 1.

1 *Dicat Juvenis Oxon*: (inquit *Vossius*) *si non sub Eleazaro, in quo omnes conveniunt, sub quo ergo alio Pontifice facta fuerit illa Versio.* Bella profecto Juvenis Oxon: refutatio! Nempe si facta fuit Versio eo tempore quo Philadelphum Bibliothecam instruxisse testatur *Africanus*, factam fuisse sub *Onia*, Eleazari successore, oportet. Sed nullius Judæorum Pontificis auspiciis factam fuisse, ostendimus alibi.

2 Videtur *Scaliger* non animadvertisse *Menedemi* mentionem fieri apud *Aristeam*.

Auctores enim gravissimi luculente testantur, illum superstitem fuisse ad illud usque tempus, quo *Antigonus Gonatas*, Demetrii Poliorcetis F. Rex Macedonum, Gallos in prœlio fudit. Quod quidem contigit annis aliquot postquam regnare cœpit *Philadelphus*: tamen non tanto post spatio, quin compareat *Menedemum* obiisse intra novennium post regni ejus initium, & intra septennium post mortem Patris. Apud *Laertium* dicitur *Menedemum* prædicto *Antigono* in deliciis habitum fuisse, & de eo, cum Barbaros (intellige *Gallos*) circa Lysimachiam profligasset, psephisma fecisse, cujus principium tale: '*Imperatores & Senatores dixerunt, Quoniam Antigonus Rex, Barbaris prælio victis, in regionem propriam revertitur, cæteraque omnia agit ex sententia, visum est Senatui populoque &c.* Gallorum hæc strages quo anno facta fuerit colligitur è *Justino*, qui postquam narrasset, quomodo Galli sub *Brenno* in expeditione contra Delphos attriti deletique fuerunt, addit: [a] *Inter duos Reges Antigonum & Antiochum statuta pace, cum in Macedoniam Antigonus reverteretur, novus eidem repente hostis exorsus est. Quippe Galli, qui à Brenno duce, cum in Græciam proficiscerentur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, ne soli desides viderentur, peditum 15000. equitum 3000. armaverunt, fugatisque Getarum Triballorumque copiis, Macedoniæ imminentes, legatos ad Regem miserunt, qui pacem ei venalem offerrent, simul & Regis castra specularentur, &c.* In Oraculum autem Delphicum invaserunt Galli Ol. cxxv. 2. (ut [b] *Pausanias* disertis verbis [1] attestatur) idque anno Olympiadico medio, sive tempore hyemali; ut hinc patet, quod tenentes obsessum Oraculum, *acerrimum frigus* [c] *cum nive plurima vehementer afflixerit.* Itaque cum tantillo post tempore Gallorum irruptio in Macedoniam, cladesque per Antigoni copias, accidebat, patet hanc conferendam esse in annum eundem exiturum, sive in proximum quasi ineuntem. Atque huic quidem computo calculum suum adjicit *Pausanias*, dicens, *Gallos proximo anno post Brenni cladem, Democle Athenis Archonte, alia* se expeditione in Græcos immisisse, eodemque anno *in Asiam trajecisse*. Mortuus autem est *Menedemus* statim fere post victos ab *Antigono* Gallos. Testantur enim *Heraclides* ipse, & *Hermippus*, & *Antigonus Carystius* apud *Laertium*, suffragante *Hesychio Milesio*, illum ob psephisma supradictum in suspicionem prodendæ ei Civitatis adductum, ad *Antigonum* venisse, & ibi brevi tempore præ tristitia, vel nullo cibo per septem dies sumpto, vitam cum morte commutasse. Atque hinc apparet obiisse illum *Olymp.* cxxv. 3. qui annus connectitur cum *septimo* defuncti *Ptol. Lagi*, & nono regni *Philadelphi*. Fuit autem hic annus septuagesimus à *Platonis* obitu, h. e. ab Olymp. cviii. 1. ut, dato *Menedemum*, *Platone* moriente, complevisse annos 24. colligantur anni vitæ ejus 94. non 84. ut ex *Heraclide Laertius* habet: apud quem, si placeat Criticorum filiis, pro ὀγδοηκοντα, substituendum putem ἐννενήκοντα.

[a] XXV. 1.

[b] Phocicis.

[c] Pausan. ibid. Justinus XXIV. 8.

6. Ut ex dictis constat, *Menedemum* non in *Ægypto* versatum fuisse post annum sextum ab obitu *Ptolemæi Lagi*, sed in patria temporibus istis commoratum fuisse, & in Macedonia obiisse; sic porro, si rem diligenter expendamus, vix videbitur probabile, illum unquam in *Ægypto* fuisse post initium regni *Philadelphi*. Illum quidem ad *Ptolemæum Ægypti* Regem (non *Macedoniæ*, quod putavit *Aldobrandinus*) sicut etiam ad *Lysimachum*, & *Demetrium Poliorceten*, legati nomine missum fuisse, & ubique honore affectum, apud *Laertium* legimus. Sed erat *Ptolemæus* iste, non *Philadelphus*, sed Pater ejus, ut ex verbis *Laertii* apertissimum est: *Legatus ad Ptolemæum & Lysimachum missus est*,

1 Sic Polybius l. 2. ait *Pyrrhum* primo in Italiam trajecisse 5 annis ante Delphicam Gallorum cladem & postea ait illum in Italiam trajecisse.

ubique

ubique honore affectus: sed ad Demetrium quoque, cui quidem cum ducenta talenta singulis annis Civitas persolverat, quinquaginta abstulit: apud quem eo nomine accusatus, quod Ptolemæo *Civitatem traditurus esset, epistola se defendit.* Quibus verbis constat *Ptolemæum* eundem in utroque loco intelligi: atqui in posteriore designari *Ptolemæum Lagi*, exinde manifestum est, quod regnante *Demetrio*, *Philadelphus* nondum Ægypti regnum adeptus fuerat. Quinetiam ex ordine narrationis ostenditur *Menedemum* ad *Ptolemæum* primum legati munere functum fuisse, postea ad *Lysimachum*, deinde ad *Demetrium*. Unde illum legationem istam ad *Ptolemæum* suscepisse & in patriam rediisse diu ante initium regni *Philadelphi*, manifestum est: quandoquidem constat *Demetrium* ante *Philadelphi* regnum, Macedoniæ dominatu à Lysimacho exutum fuisse, & coactum in Asiam fugere: ubi à *Seleuco* in prœlio fractus, deditione sui facta, in custodia demum expiravit. Neque cum ulla probabilitatis specie dici potest, *Menedemum* postea ad *Philadelphum* quoque concessisse. Rem enim tanti in historia Vitæ ejus momenti silentio non præteriisset *Laertius*, nec illi scriptores, quos *Laertius* in Vita ejus sequitur, scilicet *Euphantus*, *Hermippus*, *Heraclides*, & *Antigonus Carystius*, [a] qui supremis *Philadelphi* temporibus Vitam ejus conscripsit, præsertim vero cum aliarum ejus peregrinationum memoriam tradendam posteris curaverint. Cui tanto Auctorum silentio accedit ipsum rationis rectæ firmamentum. Quî enim verisimile esse possit, *Menedemum* jam nonagenarium, ætate tam provecta, iter tam periculosum ad regionem tam procul dissitam suscepisse? Quis credat illum jam tanta ætate decrepitum, Αἴγυπτον δ' ἰέναι, δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε, *In Ægyptum ivisse, iter longum & difficile?* ut [b] *Homerus* canit.

[a] Teste Athenæo l. 10.

[b] Odyss. l. 4. v. 483.

Certe mihi satis evidens videtur, Auctorem nostrum, *Ptolemæum Lagi* cum *Ptol. Philadelpho*, dum loquitur de *Menedemo* in Ægypto versante, confudisse; eadem plane oscitantia, qua *Demetrium Phalereum*, qui apud *Ptolemæum Lagi* versabatur, in tempora *Philadelphi* [1] contulit.

CAP. VIII.

Non esse verisimile (quod scribit Aristeas) Demetrium Phalereum *fuisse Ptolemæi Regis Bibliothecarium.*

Illum fuisse Principem *&* Legislatorem *omnium sui temporis sapientissimum.* §. 1. *Male dici* Grammaticum *à* Tertulliano. *Solenne fuisse maximis* Philosophis *in re* Grammaticâ *se nonnunquam exercere.* 2. Philosophos *fuisse aliquando Custodes* Bibliothecarum. *Illud tamen officium videri indignum* Demetrio Phalereo. 3. *Diluitur Responsio Is. Vossii. Probatur* Demetrium Phalereum *summo in honore habitum fuisse apud* Ptolemæum Lagi. 4. *Exemplis variis ostenditur solitos fuisse literatos homines humilioris sortis* Bibliothecis *præfici; eundemque fuisse morem apud* Ptolemæos. 5. *Unde* Aristeæ *erroris ansa.* Ptolemæum Lagi *instituisse* Bibliothecam Alexandrinam. 6. 7. *Et sub eo non* Demetrium Phal. *sed* Zenodotum Ephesium *fuisse Bibliothecæ præfectum: quem etiam videri per totum* Philadelphi *regnum munus idem obiisse.* 8. *Erroris arguuntur Sequaces* Aristeæ, *qui* Philadelphum *statuunt primum ejus Conditorem.* 9.

[c] JO. WOWERIUS argumentum contra librum *Aristeæ* hinc trahit, quod *Demetrium Phalereum* facit *Ptolemæi* Regis *Bibliothecarium*:

[c] De Bibl. Interp. cap. 3.

1 Ad hæc quæ de *Menedemo* urgemus, quid *Vossius*? *Menedemum* (inquit) *dicit Juvenis Oxon. non nisi septennio supervixisse Ptolemæo Lagi filio. Atqui si ne unum quidem diem hunc supervixisset, omnia in Aristea & Josepho recte se habere quis non videat, cum Versio illa peracta fuit vivente etiamnum, licet non regnante, Lagi filio.* Sed juxta *Aristeam* factam fuisse Versionem multis annis post mortem Ptolemæi Lagi, luculentissime demonstravimus.

Qualem quidem fuiſſe illum, vix probabile eſſe haud ægre fatebuntur eruditi viri, ſi perpenderint illum fuiſſe *Principem*, & *Legiſlatorem* omnium ſui temporis illuſtriſſimum, omniumque Regum exiſtimatione ornatiſſimum. [1] Per ſolidum decennium principatu nobiliſſimæ Civitatis *Athenarum* inclaruerat, à *Diodoro Sic.* dictus Urbis Ἐπιμελητὴς *Curator*, à Suida *Demagogus*, Phædro [a] *Tyrannus*, id eſt, *Princeps*, ſive *tantum non Rex*. Et non minus quam mille & ducenta talenta ex annuo reditu accepit, teſtante [b] *Duride*. Imperator [c] *Antoninus* illum rejicit in eandem claſſem cum *Philippo* Rege Macedoniæ, & *Alexandro Magno*. Ὕπαγε νῦν καὶ Ἀλέξανδρον, καὶ Φίλιππον, καὶ Δημήτριον τὸν Φαληρέα μοι λέγε. [d] *Georgius Syncellus* illum vocat ἄνδρα παρ' Ἕλλησι σπουδαῖον, *Virum apud Græcos* [e] *ſtudioſiſſimum ſive graviſſimum*, & τρίτον νομοθέτην Ἀθηναίων, *Tertium Legiſlatorem Athenienſium.* [f] *Tullius* hoc elogium habet; *Fuit hic Vir, ut ſcitis, non ſolum eruditiſſimus, ſed etiam civis è republica maxime, tuendæque Civitatis peritiſſimus.* Et [g] alio in loco à nobis alibi citato; *Video*, inquit, *Demetrium ex repub. Athenis quam optime digeſſerat, & ex doctrina nobilem ac clarum, qui Phalereus vocitatus eſt.* Juxta *Ælianum* [h] ἐπιφανέστατα ἐπολιτεύσατο, *Laudatiſſime gubernavit rempublicam.* Et (ut [i] *Strabo* teſtis eſt) non defuerunt qui affirmarent nunquam melius fuiſſe gubernatam Athenienſium Remp. atque eo tempore quo *Demetrius* præfuit. [k] *Pauſanias* illum appellat τὸν πρὸς δόξαν εἰληφότα ἐπὶ σοφίαν, *hominem ſapientiæ laude præſtantiſſimum.* [l] *Plutarchus* affirmat ipſos illius hoſtes ſuſpexiſſe illum & admiratos fuiſſe, Regemque *Demetrium Poliorcetem* καὶ τὴν δόξαν αἰδεσθῆναι καὶ τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρός, *dignitatem ejus & virtutem veneratione proſecutum fuiſſe.* Denique tanto cum honore Remp. adminiſtravit, & apud *Athenienſes* tam λαμπρὸς fuit (uti ait *Laertius*) ut *imaginibus æneis trecentis & ſexaginta ab illis honeſtatus fuerit quarum pleræque equeſtres erant, & in curribus bigiſque collocatæ, quæ ne trecentis quidem ipſis diebus perfectæ ſunt.* Et tantus equidem Vir erat, ut non ſolum *Laertius* & *Hermippus* illius Vitam, inter aliorum Philoſophorum, conſcripſerint, verum etiam integrum de eo librum *Aſclepiades*, *Arei* filius, ediderit, quem citat [m] *Athenæus*.

2. Quod [n] *Tertullianus*, quo in loco refert illum Bibliothecæ præfectum fuiſſe, appellat illum *Grammaticorum probatiſſimum*, quaſi *Grammatices* tantum Profeſſor eſſet, exinde fuit, quod ſolebant veteres, cum Græci, tum Latini, *Bibliothecarum* curam demandare *Grammaticis*, vel hominibus rei Grammaticæ peritis. Niſi forſan hinc fuerit deceptus, quod alii eſſent *Demetrii* qui arte *Grammatica* claruerint, nempe unus *Adramyttenus*, alter *Cyrenæus*, tertius *Erythræus*, & alius *Scepſius*, qui fuit *Vir dives, nobilis, & valde Philologus*, [o] *Laertio* teſte; & *Grammatici* cognomen habuit, ut [p] *Strabo* auctor eſt. Nomen autem *Grammatici* eſſe prorſus indignum *Demetrio* noſtro, quæ ſuperius attuli abunde probant. Quibus adjici poſſit auctoritas B. *Hieronymi*: [q] *Demetrius Phalereus idem apud Græcos Orator & Philoſophus.* Et *Tullius*, qui duobus in locis ſupra citatis de illo loquitur tanquam homine Politico, in tertio quodam loco illum decorat *Oratoris* nomine, *Grammatici* vocabulo nuſquam [r] dehoneſtat: *Demetrius Phal. diſputator ſubtilis, Orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere.* Idem confirmant libri ab ipſo editi, qui plurimi *Philoſophica*, *Politica*, *Hiſtorica* (non *Grammatica*) tractabant argumenta. Quorum *Laertius* catalogum exhibet, dicens illum *omnes fere ſui ſeculi Peripateticos* (non dicit, *Grammaticos*) *librorum & verſuum numero ſuperaſſe.* Non neſcius tamen ſum, a ſtudiis illum Philoſophicis &

a Fabularum l. 5. fab. 1.
b Apud Athenæum l. 12.
c De Seipſo l. 9. c. 24.
d Chron.
e Non ut *Goarus* vertit *Græcarum literarum ſtud.*
f Lib. 2. de Legibus.
g Orat. pro *C. Rabirio Poſthumo.*
h Var. Hiſt.
i Geogr. l. 9.
k Atticis.
l Vita Demetrii Poliorc.
m Lib. 13.
n Apolog. cap. 18.
o Vita *Demetrii Phal.*
p Lib. 13.
q Com. in Dan. c. 11.
r De Officiis lib. 1.

1 Futile eſt quod ait *Fraſſenius* Diſquiſ. Bib. l. 2. c. 3. Demetrium Phal. cognomen SAPIENTIS inde adeptum fuiſſe quod Bibliothecæ Alexandrinæ primarius auctor fuit.

Politicis

Politicis feriatum, aliquando lusisse rebus à *Grammatica* non prorsus alienis; cujusmodi fuisse videntur libri illi duo *de Iliade*, & quatuor alii *de Odyssea*, & alter *Homericus* titulo [1] inscriptus; quos recenset *Laertius* inter multos *Philosophicos* & Politicos illius libros. Cæterum si propterea *Grammaticum* illum dixerit *Tertullianus*, eodem jure etiam *Cæsarem Dictatorem* vocasset *Grammaticum*, quia librum condidit *de vocum Analogia*, [a] *Suetonio*, & [b] *Charisio* testibus; aliosque Philosophos maximos, quorum in more erat positum ejusmodi rebus (sicut etiam *amatoriis*) mentes suas reficere majorum contemplatione lassas & defessas, veluti discimus ex *Laertianis* ipsorum Vitis. Exemplis sunt [2] *Crito Atheniensis*, [3] *Simon Atheniensis*, [4] *Simmias Thebanus*, Socratici; inter Peripateticos [5] *Heraclides Heracleotes*, & [6] *Theophrastus*, quem *Laertius* docet non solum *Philosophum* fuisse, sed & *Philologum*, inter Cynicos [7] *Menippus*, & [8] *Antisthenes*, pater *Cynicorum*; [9] *Cleanthes*, & [10] *Chrysippus* Stoici; quibus addendus [11] *Democritus*; & [12] *Plato* ipse, quem *Phavorinus* apud *Laertium* refert *primum inspexisse vim Grammatices*; atque etiam [13] *Aristoteles*, à quo (*Dione Chrysostomo* [c] auctore) *opinio fuit Artem Criticam & Grammaticam cepisse initium*. Quibus exemplis conspicuum redditur, *Demetrium* nostrum *Phalereum* non idcirco in albo *Grammaticorum* reponendum esse, vel minoris esse putandum, quia de *Homero* quædam, vel alia similia, commentabatur; cum tot tantique Philosophi, & maximus ipse *Cæsar*, ad argumenta talia se demittere non recusaverint. Quibus adjici liceat, *Ptolemæum* ipsum *Euergetem*, ejus nominis posteriorem, Ægypti Regem, harum rerum tam doctum fuisse, ut Philologi cognomen meruerit.

[a] Vitâ ejus cap. 56.
[b] Instit. Gram. lib. 1.
[c] Oratione 53. quæ est de Homero.

3. Non assentior ego *Woverio*, qui videtur existimasse *Bibliothecarii* munus indignum fuisse *Philosophorum* nomine. Quippe legimus de [d] *Athenodoro, Philosopho Stoico*, Bibliothecæ *Pergamenæ* præfecto; & de [e] *Euphorione, Philosopho & Poeta*, custode Bibliothecæ *Antiochi Magni*, Regis Syriæ. *Eratosthenes* quoque *Alexandrinæ* præses, non modo *Grammaticis*, verum etiam *Philosophicis* florebat studiis. Sic *Dionysius Alexandrinus*, cui Bibliothecarum cura demandabatur, quamvis professione *Grammaticus* esset, videtur tamen tenuisse quoque locum *Philosophi*: dicitur enim à *Suida* fuisse *discipulus Chæremonis Philosophi, illique successisse*. Neque ulla sane ratio erat cur *Grammaticorum* potius curæ, quam *Philosophorum*, Bibliothecæ committerentur, quam quod *Philosophi* vulgo rerum magis contemplationi, quam libris addicebantur. Adeo ut nihil repugnat quo minus Philosophi illi, qui in rebus contemplandis se totos non ponebant, sed in veteribus quoque scriptis multum studioseque versabantur, Bibliothecarum custodes constituerentur. Atque ideo non negaverim *Demetrio* nostro *Phalereo* per eruditionem licuisse, Bibliothecarii munus suscipere. Quandoquidem de eo testatur *Cicero*, quod non modo rei politicæ prudentissimus fuit, & Oratoriæ peritissimus, verum etiam *eruditissimus*; & à *Laertio* dicitur non modo πολύπειρος ut alius quivis, sed etiam εὐπαίδευτος. Veruntamen non polleo tanta credulitate, ut persuaderi mihi patiar, virum

[d] Laert. Vita Zenonis.
[e] Suidas.

1 His libris subcisivas horas impendit, in deliciis *Homerum* habens, velut docet *Athenæus* XIV. 3. ubi refert illum primum *Homeristas* in Theatrum produxisse.

2 Scripsit Dialog de *Literis*, & alium de *Poetica*.

3 Dialogum de *Poesi*.

4 Dialogum de *Poesi*, & alium de *Carminibus* (nisi idem is fuerit.)

5 Lib. 2. de *Homeri Hesiodique ætate*, 2. de *Archilocho & Homero*, 3. de *his quæ apud Eur p. & Soph.* 2. *Solutionum Homericarum*; 1. de *Poetica & Poetis*.

6 Lib. 1. de *Historia*; 1. de *Dictione*; 1. de *Metris*; 1. de *Poetica*; 1. de *Solœcismo*.

7 Epistolam ad (sive contra) *Grammaticos*.

8 Lib. de *Odyssea*, &c.

9 Lib de *Poeta*.

10 Lib. 1. de *Sermonibus Solœcismo laborantibus*; & 1. contra *Criticos*.

11 De *Homero*, sive de *emendata Locutione & Linguis*; *Onomasticon*; & de *Verbis*.

9 In *Cratylo* scribit de *recta Nominum Ratione*, & agit *Etymologum*.

10 Scripsit 6. libros *Quæstionum Homericarum*; 1. de *Poetica*; 1. de *Tragœdiis*, &c.

talem tantumque, illustrissimum *Legislatorem*, & magnum *Principem*, dedecoratum fuisse in Ægypto tali munere, quod hominibus quibusvis vel infimæ sortis, modo doctiores essent, solebat demandari. Neque enim verisimile est *Ptolemæum* Regem tam indigne habiturum fuisse Principem supplicem, neque ipsum fuisse accepturum munus statu suo tam indignum, si oblatum fuisset.

[a] De LXX Int. cap. 4.

4. Quod respondet [a] *Is. Vossius, minus hoc mirandum esse, quam quod Dionysius Tyrannus regno privatus literas pueros docuerit*; id nullius momenti est. *Dionysius* enim magno in odio apud omnes fuit, & exutus regno necesse habuit docendo pueros victum quæritare. Cum è contra constet *Demetrium Phalereum*, postquam principatu suo privatus fuisset, magna apud omnes existimatione fuisse, in Ægypto opibus honoribusque maximis floruisse, à sanctioribus consiliis fuisse *Ptolemæo Lagi* (apud quem illum Bibliothecarii munus obivisse statuit Vir clarissimus) & ferendis ibi Legibus præfuisse, imo secundum in regno locum tenuisse. Qua de re audi sis [b] *Ælianum*: Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς καὶ Ἀθήνησιν ἐπιφανέστατα ἐπολιτεύσατο, ἕως ἂν αὐτὸν ὁ συνήθης Ἀθηναίοις φθόνος [c] ἔξωσε. καὶ ἐν Αἰγύπτῳ δὲ συνὼν τῷ Πτολεμαίῳ νομοθεσίας ἦρξε. *Demetrius Phal. summa cum dignitate Remp. Atheniensium rexit, donec eum Atheniensibus consueta solitaque invidia ejecit: sed in Ægypto quoque apud Ptolemæum in rogandis ferendisque legibus primas tenebat.* Testatur [d] *Plutarchus*, quod in Ægypto floruit πρῶτος τῶν Πτολεμαίου φίλων, *amicorum Ptolemæi omnium primus*; & quod tantis ibi abundavit opibus, ut Atheniensibus etiam dona miserit. Οὐ μόνον αὐτὸς ἐν ἀφθόνοις διῆγεν, ἀλλὰ καὶ τοῖς Ἀθηναίοις δωρεὰς ἔπεμπε. Quamque intimum illum *Ptolemæus* habuit, quantique illum fecit, vel exinde cognoscimus, quod secretissima de Hærede regni constituendo consilia cum eo consociaverit, sicut docent *Hermippus* & *Heraclides*, ubi scribunt illum hortatum fuisse Ptolemæum ne *Philadelphum* in regni societatem acciperet. Minime itaque verisimile est *Demetrium*, superstite adhuc *Ptolemæo Lagi*, tam indignum munus obivisse. Si quis autem cum *Aristea* statuat præfecturam Bibliothecæ demandatam ei fuisse post mortem *Ptol. Lagi* à *Ptol. Philadelpho* (quod non potuisse fieri jamdudum demonstratum fuit) dicendum erit, vel illum eodem loco & existimatione habitum fuisse à *Ptol. Philadelpho*, quo à *Ptolemæo Lagi* (quo dato, sequeretur improbabile esse illum id munus subiisse) vel apud *Philadelphum* in offensa fuisse, atque pristinis honoribus exutum, necessitate coactum fuisse Bibliothecæ præfectura contentum abire. Hoc quidem (etsi fingamus id falsum esse quod de morte ejus scribit *Hermippus*) nullo modo probabile videbitur. Rationi quippe non consentaneum est, voluisse illum apud Regem talem commorari, quem expertus fuisset iratum sibi & inimicum. Et ad alios quosvis Reges videtur se recepturus, potius quam passurus honorem sibi minui ac elevari, seque in ordinem inferiorem deprimi. Præsertim vero cum tanta sapientiæ & peritiæ gubernandi gloria excelluerit, & in tantam Regum dignationem pervenisset, ut videatur neminem extitisse inter Reges istius ætatis, quin sibi in maximo lucro posuisset Virum tantum tamque sapientem apud se & in consiliis habere. Nec credendum est, *Demetrium* tam humili demissoque animo fuisse ut quemvis vitæ statum sub *Philadelpho* æquo animo ferret. Illum enim sublimen gessisse spiritum Principique parem, ex illis dignoscere licet, quæ de prodigalitate ejus refert [e] *Athenæus* ex *Antigono Carystio*, & *Duride*: qui affirmat illum, cum summum populi Atheniensis imperium penes ipsum fuit, *in sumptu epularum profusiorem fuisse Macedonibus, munditiis superiorem & Cypriis & Phœnicibus.* Et postquam exulasset, quanta fuit magnitudine animi, abunde evincit nobile illud responsum, quod cuidam, nunciantı

[b] Var. Hist. III. 17.
[c] Videtur legendum ἐξέωσε.
[d] De exilio.
[e] Lib. 12.

nuncianti Athenienses omnes ipsius statuas dejecisse, dedisse fertur: *At non*, inquit, *virtutem ob quam eas posuerunt.*

5. Jamvero ne quis existimet *Bibliothecarum* præfecturam magis honorificam fuisse apud *Ptolemæos*, aliosque veterum, quam apud hodiernos, exempla quædam Custodum Bibliothecarum adducam, è quibus certo colligi potest quam indignum *Principe* fuerit istud munus. Inter Præfectos Bibliothecæ *Alexandrinæ* recensentur ab Auctoribus *Zenodotus Ephesius*, *Eratosthenes Cyrenæus*, *Apollonius Rhodius* [1], & *Aristophanes Byzantius*. E quibus *Zenodotus* à *Suida* vocatur *Grammaticus*, & dicitur [2] Ptolemæi Regis *filios docuisse literas*. *Eratosthenes* ejusdem facultatis professor fuit, & discipulos docuit, inter quos *Aristophanes Byzantius*, *Suida* teste. De *Apollonio*, qui illi successit, hæc cognoscimus ex *Suida* & duobus Scriptoribus anonymis, qui Vitam ejus breviter tradiderunt, fuisse illum *Alexandrinum* & *Callimachi Grammatici* discipulum; reliquisse patriam eo quod ibi male audiret, & Rhodum concedentem *docuisse Rhetoricam*, inde reversum tandem *Alexandriam*, evectum fuisse ad præfecturam Bibliothecæ. *Aristophanes*, qui à *Vitruvio* dicitur præfuisse Bibliothecæ sub *Philadelpho*, sed referendus est ad tempora posteriorum Ptolemæorum, *Grammatices* professione claruit, [3] auctore *Suida*.

Si *Alexandria* transeamus *Romam*, obviam ibi se nobis feret *C. Jul. Higinus*, Curator *Palatinæ* Bibliothecæ Augusti Cæsaris, *Grammaticus admodum pauper*, *& Augusti libertus*, ut testatur [a] *Suetonius*: Qui addit *Cajum Melissum*, *Grammaticum & servum manumissum*, curam ordinandarum Bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepisse, delegante *Augusto*. Inter omnes hujusce ordinis, *Dionysius Alexandrinus* videtur ad dignitatem maximam pervenisse, quem *Suidas* dicens vixisse à temporibus Neronis & Trajani, subdit: καὶ τῶν βιβλιοθηκῶν προέστη καὶ τῶν ἐπιστολῶν, καὶ πρεσβειῶν ἐγένετο καὶ ἀποκριμάτων. Quæ ex *Porti* interpretatione, significat illum, vel fuisse *præfectum Epistolarum*, *responsorum*, *& legationum*; vel fuisse *ab Epistolis*, & *à responsis*, *& varias legationes obivisse.*

a De illust. Grammat.

1 Post eum *Aristonymus Comicus*, ut ex *Suida* discimus.

2 Docuit & alios, ut patet ex *Suida* V. Πτολεμαῖος γραμματικός.

3 Bibliothecæ Alexandrinæ custos fuit etiam *Aristarchus Grammaticus*. Et *Grammaticis* præfici *Bibliothecis*, tam proprium fuit, ut vox *Grammaticus* pro *Bibliothecario* nonnunquam usurpetur. *Jo. Tzetzes* Chil. XII. Hist. 405.

Γραμματικὸς δ᾽ Ἀρίσταρχος ὑπάρχων Πτολεμαίῳ,
Ἔπεισεν οὗτος Γραμματικὸς χάρτας εἰς Ῥώμην πέμψαι,
Ὁ τοῦ Ἀττάλου ὕστερον Γραμματικὸς ἐφεῦρεν
Ἐκ τούτου τάχα ὁρμηθεὶς, τὰς χάρτας τὰς μεμβράνας.

Grammaticus autem Aristarchus existens Ptolemæi (male vertit Paul. Lacisius; *Grammaticus autem Aristarchus, præfectus Ptolemæi*) *persuasit primus literas papyri Romam mittere: Attali autem deinde Grammaticus invenit, ex hoc forte impulsus, chartas Membranaceas.* Sic ad *Joannem Grammaticum* (i. e. uti ego intelligo, *Bibliothecarium*) *Palæologi*, habetur Epistola quædam *Theophylacti*.

Quamvis hoc argumentum ab indignitate muneris Bibliothecariorum ductum, non idem pondus habere cum aliis nonnullis & censeam, & semper censui: mihi minime tamen satisfaciunt ea quæ reponit *Vossius*. *Exemplis* (inquit) *& argumentis pluribus evincere conatur, præfecturam bibliothecarum non magis honorificam fuisse apud veteres, quam sit apud hodiernos. Esto sane. Verum Oxoniensis iste Juvenis, qui nunquam Collegium excessit, & nescit quid rerum foras agatur, omnes bibliothecarios similes esse existimat illis, qui versantur in iis quæ frequentat Collegiis, quorum conditio inter Baccalaureos & Magistros Artium præterpropter est media. Sed si in Galliam transeat, inveniet Archiepiscopum Remensem Primatem totius Galliæ qui sit regius bibliothecarius. Si Romam pergat, habebis primarium Cardinalem qui Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii gaudeat titulo. Quod si non tantum à magnitudine & potentia Regum Ægypti, sed & à dignitate ipsius bibliothecæ argumentum ducamus, & tum quoque necesse est, tanto præstantius id munus olim fuisse existimemus, quanto Alexandrina olim bibliotheca præstantior fuit Vaticana, additis etiam in cumulum omnibus totius Europæ bibliothecis: ut merito aliquis dixerit, non minus gloriosam Demetrio bibliothecæ præfecturam fuisse sub Ptolemæo, quam Athenarum sub Cassandro.* Uno verbo respondeo, Bibliothecarios istos quorum *Vossius* adducit exempla, esse mere *honorarios* nudoque insignitos titulo, quales nulli apud veteres reperiebantur. Custodes bibliothecæ speciatim Alexandrinæ fuisse ejusdem plane conditionis cum ordinariis nostris (ut ita dicam) bibliothecarum regiarum præfectis, exemplis multis evicimus. Atque inde quoque patet vanum omnino esse argumentum illud quod à potentia Regum *Ptolemæorum* & magnitudine bibliothecæ Alexandrinæ ducitur. Sed nec tanti fuere *Ptolemæi* Reges, quam credidit *Vossius*, nec tanta eorum Bibliotheca, nedum *Philadelphi* ætate. Dum de ea tam magnifice loquitur V. D. antiquitatis nimius admirator, judicium in eo non immerito requiras.

Ad quæ munera, qualiacunque fuerint, videtur promotus fuisse postquam Bibliothecis præfuisset; &, utcunque esset, constat tamen illum *Grammaticum* professione fuisse. *Grammaticus* enim *Suidæ* nuncupatur, & *Parthenii Grammatici Præceptor* fuisse dicitur.

6. Quam ob rationem *Demetrium Phal.* Bibliothecæ Alexandrinæ Curatorem constituerit *Aristeas*, conjectura colligere non difficile fuerit, si inquiramus quis Ptolemæorum primus Bibliothecam instituit. Inter omnes fere sequaces *Aristeæ*, cum recentiores, tum antiquiores convenit *Ptolemæum Philadelphum* primum posuisse fundamenta Bibliothecæ Alexandrinæ: sed hoc falsum esse ex *Suida* constat, qui aperte docet Bibliothecam Alexandriæ extitisse tempore *Ptol. Lagi*, eoque regnante *Zenodotum Ephesium* fuisse *Bibliothecarium*. Ζηνόδοτος Ἐφέσιος, ἐποποιὸς ἢ γραμματικὸς, μαθητὴς τοῦ Φιλητᾶ, ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου, ὃς καὶ πρῶτος τῶν Ὁμήρου διορθωτὴς ἐγένετο, καὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθηκῶν προὔστη, καὶ τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν. *Zenodotus Ephesius*, *Versificator*, & *Grammaticus*, *Philetæ discipulus*. *Vixit sub Ptolemæo primo, qui etiam primus fuit Homeri corrector, & Alexandrinis Bibliothecis præfuit, & Ptolemæi liberos instituit & erudivit.* Atque hoc probabile esse vel exinde confirmatur, quod *Ptolemæus Lagi* ipse Vir literatus fuit, & de studiis bonarum literarum optime meritus. Nam ut transeam testimonium [a] *Jo. Malalæ*, (qui *Astronomum* vocat, cum *Ptolemæo Astronomo* illum confundens) & ne commemorem volumen illius *Epistolarum*, quas à *Dionysidoro* editas fuisse refert [b] *Lucianus*; ipse Historiam contexuit de Expeditionibus Alexandri M. cujus meminere [c] *Plinius*, & [d] *Plutarchus*. Ex qua præcipue *Arrianus* Historiam suam composuit, sicut ipse [e] profitetur. [f] *Q. Curtius* de eo testatur, quod quamvis *promptissimus bellator* esset, *pacis tamen artibus, quam militiæ, major fuit & clarior.* Sapientiæ Doctores & eruditos viros plurimi fecit, eorumque multos in Aula sua aluit fovitque: Quorum in numero fuere [g] *Theodorus Atheus*, [h] *Stilpon Megareus*, [i] *Diodorus Cronus*, & [1] *Strato Peripateticus*: quemadmodum colligitur ex *D. Laertio*. A quo etiam intelligimus illum [k] *Theophrastum* Philosophum suspexisse, literasque ad eum misisse, quippe Virum *eruditissimum & Philologum*. Itaque à fide non prorsus alienum est, *Ptolemæum Lagi* percelebre illud *Museum Alexandrinum* instituisse, quod Collegium fuit doctorum Virorum. Ad quod Bibliotheca Alexandrina pertinuit, ut docet anonymus Auctor Vitæ *Apollonii Rhodii*, ubi Bibliotheca magna Alexandriæ dicitur Βιβλιοθῆκαι τοῦ Μουσείου. Verum quidem est *Philadelphum* præclare de *Museo* & Bibliotheca meritum fuisse. Hoc etenim attestatur [l] *Athenæus*, qui orationem de *Philadelphi* opibus ac magnificentia clausurus, περὶ δὲ βιβλίων πλήθους (inquit) καὶ βιβλιοθηκῶν κατασκευῆς, καὶ τῆς εἰς τὸ Μουσεῖον συναγωγῆς τί δεῖ καὶ λέγειν, πᾶσι τούτων ὄντων κατὰ μνήμην. *De librorum multitudine & coacervatis Bibliothecis, & congregatione* (Virorum doctissimorum) *in Museum quid attinet dicere? cum in hominum memoria hæc versentur.* *Dalecampius* pro, *congregatione in Museum*, vertit, *Museique structura*; quasi *Athenæus* Museum *Philadelpho* tanquam primo conditori attribuerit; quod ex verbis istis non satis liquet, neque aliud quicquam ex iis colligere fas sit, quam quod *Philadelphus Bibliothecam* magnopere auxerit, & *Museum* egregie adornaverit, multamque in eo posuerit operam, ut Viros doctrina præstantissimos in socios *Musei* conquireret. *Plutarchus* [m] profecto videatur conjecturam nostram firmare, & *Museum* adscribere *Ptolemæo primo*. Scribens enim contra *Epicurum*, qui pronunciaverat Viros sapientes &

a Chronographia nondum edita (postea vero ed. an. 1691.)
b Ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσκυνήσει πταίσματος.
c Hist. Nat.
d Vita Alexandri.
e Præfat.
f Lib. 9. c. 8.
g Laert. Vita Aristippi.
h Idem in ejus Vita, & in Vita Euclidis.
i Idem ibid.
k Vita ejus.
l Lib. 5.
m Non posse suaviter Vivi secundum Epicurum.

1 *Stratonem* apud *Ptolemæum Lagi* versatum fuisse, cum *Philadelphum* (adolescentem) docuit Philosophiam, hinc conficitur, quod Olymp. CXXXIII. qua *Philadelphus* regnum inivit, *Theophrasto Athenis* in Schola successerit, eique usque ad mortem præfuerit.

Reges

Reges non debere audire quæstiones eruditas disqnisitionesque Criticorum philologicas, neque disputationes de Musicis aut Poeticis quæstionibus institutas, hæc verba habet: Εἰ δὲ Πτολεμαῖος ὁ πρῶτος συναγαγὼν τὸ Μουσεῖον ταύταις συνέτυχε ταῖς καλαῖς καὶ βασιλικαῖς παραγγέλμασιν, ἆρα οὐκ ἂν εἶπε τοῖς Σαμίοις, ὦ μοῦσα τίς ὁ φθόνος. Quæ licet non abhorreant ab hujusmodi interpretatione: *Quod si Ptolemæus, qui primus Museum instituit, in præclara ista & Rege digna præcepta incidisset, nonne dicturus erat Samiis, O Musa, quæ invidia?* Possunt tamen & in huuc modum Latine reddi; *Quod si Ptolemæus primus, Museum instituens &c.* Porro [1] vero (ut *Museum* missum faciamus) cum *Ptolemæus Lagi* in optimis literarum studiis suavissime otiari, eademque in aliis hominibus promovere consuevit, dubium esse nequit, quin si in sua potestate librorum ullam supellectilem habuisset, eos translaturus fuisset in urbem *Alexandriæ*, quam legitur maximopere ornavisse. Jam vero quod extiterunt Bibliothecæ aliquæ sub illius ditiòne, nempe in Ægypto, hinc confirmatur, quod vetusta Ægyptiorum scripta multum celebrantur ab Auctoribus: & præterea *Osymanduas*, Rex Ægypti, à *Diodoro Sic.* traditur *Bibliothecam sacram construxisse*, quam vocaverit ἰατρεῖον τῆς ψυχῆς, *Medicinæ animæ officinam.* Qui *Osymanduas* licet unus fuit ex Regibus vetustioribus, non est tamen dubitandum, quin illins Bibliothecæ exemplum, si non res ipsa, permanserit, & nonnullæ Bibliothecæ exinde ad tempora *Ptolemæi Lagi* extiterint. Accedit qnod *Naucrates* quidam (referente [a] *Eustathio*) tradit, *Phantasiam* fœminam, Memphi in Ægypto natam, *Iliadem* atque *Odysseam* scripsisse, & *Memphi in templo Vulcani deposuisse*; & *Homerum*, in Ægyptum qnum venisset, Poematum istorum exemplaria ab aliquo τῶν ἱερογραμματέων accepisse, sibi adscripsisse, atque edidisse. Quod licet in *Homero* haud dubio falsum sit, confirmat tamen (ut recte observat eruditissimus [b] *Lipsius*) Ægyptios Bibliothecas in Templis suis habuisse. Quo quidem modo solebant postea Græci & Romani Bibliothecas in Templis construere. Ad veritatem itaque propensius accedit, *Ptolemæum Lagi* Bibliothecarum harum Ægyptiarum saltem aliquarum libros collegisse, transtulisseque Alexandriam. Adde, quod [c] *Athenæus* inter illos, qui libris congerendis coacervandisque Bibliothecis clari fuere, *Polycratem Samium*, *Pisistratum* Tyrannum Atheniensem, *Euclidem* Atheniensem, *Euripidem* Poetam, *Aristotelem* Philosophum, & *Pergami Reges*, annumerat *Nicocratem Cyprium*; *Cyprum* autem à Polemæo Lagi subactam fuisse & ditioni suæ adjunctam, *Diodorus Sic.* aliique memoriæ prodiderunt. Et sic procul omni dubio *Nicocratis* Regis Bibliotheca in manus Ptolemæi venit. Neque dubium est quin ab illo *Alexandriam* transportata fuerit. Atque hæc, conjuncta cum libris ex Templis Ægyptiorum advectis, aliisque quibusdam aliunde conquisitis, videtur constituisse Bibliothecam *Ptolemæi Lagi*, de qua in loco superius citato *Suidas*.

a Procemio in Odyss.

b Syntag. de Biblioth. c. 1.

c Lib. 1. c. 2.

7. Cum autem demonstraverimus *Ptolemæum Lagi* Bibliothecam Alexandriæ condidisse, subjungemus *Plutarchi* locum, unde elici possit, quid illud fuerit, quod *Aristeam* de *Demetrio* in errorem abduxit. Scribit is, [d] *Demetrium Phalereum Ptolemæo Regi suasisse, ut libros de Regno ac Principatu compararet ac legeret, quippe illa, de quibus amici Reges monere non audent, in libris illis reperiret.* Jamvero, si conjecturam inire liceat, verisimile videatur, *Aristeam* existimasse *Demetrium Phal.* versatum fuisse apud *Ptolemæum Philadelphum*, quem noverat percelebrem

d Apophtheg. Regum.

1 Strabo lib. 13. ait: *Aristoteles primus omnium, quos novi, libros collegit, & Reges Ægypti docuit Bibliothecæ structuram.* Unde conficiatur *Ptolemæum Lagi* Bibliothecam incepisse, quia illius regni initio obiit Aristoteles; nisi voluerit *Strabo* Aristotelem Bibliothecæ structuram *exemplo* suo docuisse: quod quidem omnino videtur.

congerendis libris fuiſſe, quoniam acceperat eum vixiſſe apud illum *Ptolemæum*, qui Bibliothecam *Alexandrinam* primum inſtituit. Et videatur credidiſſe *Demetrium* à Bibliotheca illi fuiſſe, quia inciderat in Scriptorem aliquem qui id quod refert *Plutarchus*, literis mandaverat; nempe quia legerat *Demetrium* cum *Ptolemæo* egiſſe de libris conquirendis. Neque enim improbabile eſt, *Ptolemæum Lagi*, cum *Demetrius* de libris ſupradictis coemendis ipſum admoneret, in mandatis illi dediſſe, ut illos ipſe compararet, utpote qui omnium optime nôrit quinam eſſent de regno & principatu evolvendi libri. Hinc, inquam, facile quis crediderit *Ariſteam* deceptum fuiſſe, quod legerat *Ptolemæum* (quem putavit fuiſſe *Philadelphum*) *Demetrio Phal.* dediſſe negotium de *libris* comparandis. Dixi veriſimile eſſe *Demetrium Phal.* habuiſſe curam ſibi commiſſam librorum ſupradictorum conquirendorum. Et ſane ſi *Ariſteas* hoc ſolum ſcripſiſſet, illum adminiſtraſſe negotium conquirendi libros ad inſtruendam Regis *Bibliothecam*, illi hoc nomine non fuiſſem adverſatus: Potuit enim *Ptolemæus* à *Demetrio* petere, ut, ſiquidem eruditiſſimus ac librorum peritiſſimus eſſet, id curæ in ſe ſuſciperet, ut Bibliothecarios conſilio ſuo dirigeret, ut ad Civitates exteras mitteret qui libros coemerent, & ad eas viroſque doctos ſcriberet ad libros obtinendos. Jamvero *Ariſteas* noſter non modo *Demetrio* hanc curam attribuit, verum etiam officium communium Cuſtodum Bibliothecarum aperte illi adſcribit: Καταταχθεὶς ἐπὶ τῆς τοῦ Βασιλέως βιβλιοθήκης Δημήτριος ὁ Φαληρεύς. Et in Epiſtola quæ à *Demetrio* ad Regem fingitur, indicatur *Demetrii* fuiſſe non modo libros coemere in Bibliotheca recondendos, ſed etiam illos, qui jam repoſiti fuerant, curare ne quid iis detrimenti accideret, & læſos detritoſque [1] reficere, ſicut fieri ſolet à communibus Bibliothecariis. Προστάξαντός σου, Βασιλεῦ, περὶ τῶν ἀπολιπόντων εἰς τὴν συμπλήρωσιν τῆς βιβλιοθήκης βιβλίων, ὅπως ἐπισυναχθῇ, καὶ (adde ὅπως) [2] τὰ διαπεπτωκότα τύχῃ τῆς προσηκούσης ἐπισκευῆς, πεποιημένος οὐ παρέργως τὴν ἐν τούτοις ἐπιμέλειαν, προσαναφέρω σοι τάδε. *Cum, Rex, mandaveris mihi ut, qui deeſſent Bibliothecæ tuæ libri, eos curarem ad eam complendam colligi: & ſi qui detrimentum cepiſſent, illos ad modum convenientem reficerem: ego hactenus non ſegnem in hoc operam navavi.*

8. Illud porro attentius advertendum eſt ex loco *Suidæ* ſupra citato Cuſtodem Bibliothecæ *Alexandrinæ*, quo tempore filii *Ptolemæi* Lagi adoleſcentes erant, hoc eſt, cum *Demetrius Phal.* in Aula illius verſaretur, non fuiſſe *Demetrium* ipſum, ſed [3] *Zenodotum Epheſium* Grammaticum. Quod omnino repugnat illorum ſententiæ, qui ſtatuunt *Demetrium* Bibliothecarium fuiſſe quo tempore regnabant ſimul *Ptolemæus*

1 Plane lepidum eſt id quod dicit *Voſſius*, *Juvenem* Oxon. *ex male intellectis Ariſteæ & Joſephi locis putare Demetrium fuiſſe librarium, & compingendis & glutinandis operam locaſſe libris.* Itane vero? Adeone deliravit Juvenis, ut putaret Demetrium ipſum hæc per ſe feciſſe? Num per ſe, an per alios hæc facere ſolent *communes bibliothecarii*? Quod dicit *Juvenis Oxon* ipſiſſima ſunt *Ariſteæ* & *Joſephi* verba. Διαπεπτωκότα enim βιβλία ſunt libri *læſi detritique*; & tales libri curare ut reficerentur, fuiſſe muneris *Demetrii* tradit *Ariſteas*. Sed διαπεπτωκότα βιβλία (inquit *Voſſ.*) *ſunt libri quorum ſcriptura vetuſtate aut aliqua contracta labe evaneſceret.* Eſto ſane. At non tamen verba male intellexi, cum libros *læſos detritoſque*, ſive *eos qui aliquid detrimenti cepiſſent*, reddidi. Neque verum eſt βιβλία διαπεπτωκότα eſſe libros *tantum ſcripturâ læſos*, ſicut *Voſſio* placet: ſunt libri quovismodo, ſive ſcripturâ, ſive aliàs, ut *compactione*, læſi, ſi modo ulli (quod quidem addubito) temporibus illis extiterint more noſtro *compacti* libri, & non omnes eſſent *volumina* ſtrictius ſic dicta.

2 Ita Joſepho legitur: προστ. σου, ὦ Βασ. περί τε τῶν ἐλλειπόντων εἰς ἀναπλ. τῆς βιβλ. συγγραμμάτων ὅπως συναχθῇ, καὶ περὶ τῶν διαπεπτωκότων ὅπως τῆς δεούσης ἐπιμελείας τυχ. &c. Quæ poſteriora verba *Gelenius* non intellexit, ſic vertens: *Quia mandaſti, Rex, ut quod deeſt tuæ Bibliothecæ ſuppleamus, & libros qui hactenus noſtram inquiſitionem fugerunt, perquiramus.*

3 Ad hoc argumentum quomodo reſpondet *Voſſius*? eodem modo, quo ad alia multa, quoque ſuæ cauſæ melius conſuluit, nempe tacite prætereondo. Non deſunt tamen alii, qui obiiciunt, *Suidam* Scriptorem eſſe nimis recentem, quam ut ſatis ſit hac in re illius auctoritas. Sed ii non perpendent, quod *Suidas*, quæ habet paſſim de Scriptoribus priſcis, ex alio aliquo vetuſto notæque optimæ bibliographo deſcripſit. Certe conſtat illum iſtiuſmodi librum quendam expilaſſe totum, & in iſtis præſertim rebus auctoritatem illius operis, quod *Suidæ* vocamus, permagni eſſe ducendum.

Lagi

Lagi & *Philadelphus*. Neque solum tunc temporis, sed diu etiam postea Bibliothecæ Custos permansit *Zenodotus*. Nam vitam illum perduxisse ad initium usque *Ptolemæi Euergetis*, vel saltem ad exitum fere regni *Philadelphi*, ex eo conficitur, quod (testante [a] *Suida*) præceptor fuit *Aristophanis Grammatici*, qui floruit [b] Olympiade CXLV. adeo ut ex ephebis non potuerit excessisse cum *Philadelphus* fato concederet. Atque hoc verissimum esse, confirmatur inde, quod ille (*Aristophanes*) [c] *Eratosthenis* quoque auditor fuerat. *Eratosthenes* enim ipse, obeunte *Philadelpho*, non excesserat annum ætatis suæ trigesimum; cum natus est [d] Olympiade CXXVI, neque *Alexandriæ* docuit ante regnum *Ptol. Euergetis*: [1] à quo [e] *Alexandriam* accitum fuisse legimus. *Suidas* quidem non asserit disertis verbis *Zenodotum Aristophanis* magistrum, fuisse *Ephesium* illum, qui præfecturam tenuit *Alexandrinæ* Bibliothecæ: constat tamen eundem [2] designari, licet alter fuerit *Zenodotus Grammaticus* itidem, & *Alexandrinus*. Vixit enim *Zenodotus* iste *Alexandrinus* post ipsum *Aristophanem*. Nam ad summum tantum coævus fuit *Aristarcho* Grammatico (qui [f] claruit Olymp. CLVI.) ut ex eo deprehenditur quod *Suidas* de illo scribit, nempe quod *in urbem* (Alexandriæ) *vocatus fuit ad recognoscendum ea quæ ab Aristarcho in Homero damnata sunt ac rejecta*. Cum dictis autem de *Zenodoto Ephesio*, Bibliothecæ *Alexandrinæ* Præfecto, quod superstes fuit per totum *Philadelphi* regnum usque ad tempora *Euergetis*, convenit illud quod traditur de *Eratosthene* supradicto, quod ab *Euergete* accersitus fuit Alexandriam, & Bibliothecæ præfectus, & quod τὸ Βῆτα nuncupatus fuit. Videtur enim eo nomine donatus fuisse quia *secundus* fuit Præfectorum *Bibliothecæ* & *Musei*, nimirum *Zenodoti*, Præfecti primi, successor. Scio [g] *Suidam* & *Hesychium Milesium* dicere, ea de causa nomen illud ei impositum fuisse, quod in omni doctrinæ genere *secundas* tulerit ab illis, qui accesserant ad summa. Quam conjecturam video etiam allubescere doctissimo [h] *Ger. Vossio*, à quo observatur, *Eratosthenem* quoque propter omnifariam eruditionem audivisse *secundum*, vel *juniorem Platonem*, quasi Plato *Alpha*, id est *primus* in doctrinæ laude, *Eratosthenes Beta* fuisset, hoc est, *secundus*. Sic quoque [i] *Martialis*, eodem observante:

Quod Alpha *dixi, Codre, pænulatorum*
Te nuper, aliqua cum jocarer in charta:
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit Beta *me togatorum.*

Hæc tamen non adeo me movent, quin putem verisimilius esse illum ab ordine, quem tenebat in Bibliothecariorum Musei numero, nomen illud habuisse. Et huic equidem conjecturæ meæ Vigorem illud adjicit, quod inditum ei fuit cognomentum illud à sequentibus *Bibliothecariis* sive Præsidibus *Musei*, teste *Marciano Heracleota*; [k] Ἐρατοσθένης ὃν Βῆτα ἐκάλεσαν οἱ τοῦ Μουσείου προεστῶτες. Unde facile colligas sic dictum fuisse respectu aliquo habito ad *Museum*. Repugnat quidem illud quod de *Callimacho*, *Poeta* & *Grammatico*, fuisse illum Bibliothecæ *Alexandrinæ* (ante *Eratosthenem*) custodem, referunt [l] *Genebrardus* & [m] *Frischlinus*. Sed vero in nullo idoneo Scriptore hoc reperimus. *Strabo* enim quem *Frischlinus* testem adducit, non dicit *Callimacho* Bibliothecæ curam concreditam fuisse; sed tantum, [n] *Callimachum* & *Eratosthenem* Cyrenæos, *ambos ab Ægypti Regibus in honore habitos* [3] *fuisse*.

a In *Aristophanes Byzant.* μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου· ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος, τοῦ δὲ παῖς ἤκουσε.

b *Suidas*, apud quem pro με' scribendum est μδ'.

c *Suidas* in *Eratosthenes*.

d Idem.

e Idem.

f Idem in *Eratosthenes* & *Aristarchus*.

g Apud quem pro, τὰ δεύτερα legendum esse τὸ βῆτα, recte monent eruditi Viri.

h Hist. Gr I.17.

i L.5. Epig. 27.

k In *Periplo* sive fragmento Epitomes XI. lib. Geogr. Artemidori Eph. ad *Periplum* attexto.

l Chron.

m Præf ad *Callimachi* Hymnos.

n Lib. 17.

1 Cl. *Hen. Dodwellus* in Appendice *Dissertationum in Irenæum* ed. an. 1689. pag. 507. ait se à me monitum, *Eratosthenem* à *Ptol. Philadelpho* Alexandriam accitum fuisse. Qui Viri doctissimi memoriæ lapsus est, *Philadelphum* pro *Euergete* ponentis.

2 *Zenodotum Ephesium* vitam perduxisse usque ad regnum *Euergetis*, ex alio *Suidæ* loco colligitur, viz. *ubi dicit Ptolemæum Grammaticum*, *Epitheton* dictum fuisse, quod sequeretur *Aristarchum*. *Constatur autem audiisse Hellanicum Grammaticum*, *vel Agathoclem*, *vel Zenodotum Ephesium*. *Aristarchus* enim, cui coævus fuit *Ptolemæus Zenodoti* discipulus, floruit Ol. CLVI. & *Aristophanis* auditor fuit.

3 Videtur tamen unus fuisse ex *Musei* sociis, cum scripsit opus *Μουσεῖον* inscriptum, & Πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων ἐν βιβλίοις κ'. καὶ ρ'. ut in Vita ejus dicitur. Quod opus ab *Athenæo* VI. 10. & XIV. 12. inscribitur *Index omnigenorum scriptorum*.

9. Non

9. Non omiserim hoc loco (tametsi mentione quidem vix dignum sit) [a] *Josephum Gorionidem*, ubi de opere Interpretationis ex *Aristeæ*, vel illius sequace quopiam, narrationem instituit, quod *Aristeas Demetrio* ascribit *Phalereo*, id totum attribuere ipsi *Aristeæ* & *Andreæ*, de *Demetrio* nulla facta mentione. *Ptolemæus præcepit duobus Principibus suis, quorum nomina erant Aristæus & Andreas, ut congregarent libros multos. Collectis autem plurimis voluminibus, scriptis Medorum atque aliorum populorum linguis, dixit Rex ad eos; Quot habetis libros? Responderunt ei &c.*

[a] Hist. Jud. III. 2.

10. Quod *Ptol. Philadelphus* ad instruendam Bibliothecam Alexandrinam totum se aliquando intenderit, illamque egregie adornaverit, testimonium perhibent non solum *Aristeas*, & post illum *Philo*, *Josephus*, & Scriptores Ecclesiastici, verum etiam *Vitruvius*, *Ammonius*, & plusquam uno loco *Athenæus*, quos olim citavimus. Illum vero non primum fuisse illius conditorem, quod statuunt vulgo *Aristeæ* sequaces, ex supra dictis elucescit. Cæterum hoc quidem *Aristeas* ipse nusquam diserte asserit. Et cum dicit *Demetrium* CONSTITUTUM SUPRA BIBLIOTHECAM REGIS, *conatum fuisse omnia totius terrarum orbis volumina colligere*; videtur subindicare, fuisse quandam Regi ante id temporis Bibliothecam. Clarius vero hoc innuitur in loco superius allato ex *Demetrii* ad Regem Epistola, ubi dicit *Demetrius* officii sui fuisse (non Bibliothecam instituere & incipere, sed) libros acquirere qui *Bibliothecæ defuerunt, & reficere illos, si qui fuerint, qui aliquid ceperant detrimenti*. Sectatores ejus vulgo aliter sensisse, manifestum est. *Constantinus Manasses* de *Philadelpho* [b] canit:

[b] Annal. V. 950.

——— Ὃς πρῶτος βασιλέων
Τὴν Ἀλεξάνδρου τίθεικε βίβλων πολλῶν μητέρα &c.

Id est: *Qui regum primus Alexandri Urbem multorum librorum matrem fecit. Infinitos enim libros aiunt ipsum collegisse ad quater nimirum centena millia.* Tertullianus: [c] *Ptolemæorum eruditissimus (quem Philadelphum supernominant) & omnis literaturæ sagacissimus, cum studio Bibliothecarum Pisistratum (ut opinor) æmularetur, inter cætera memoriarum, quibus aut vetustas, aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, ex suggestu Demetrii Phal. Grammaticorum tunc probatissimi, cui præfecturam mandaverat, libros à Judæis quoque postulavit.* Quem locum secutus fuisse videtur [d] B. *Hieronymus*, ubi dicit, *Pamphilum* Martyrem *Demetrium Phal. & Pisistratum in sacræ Bibliothecæ studio voluisse æquare.* [e] B. *Augustinus* postquam locutus fuisset de *Ptolemæo Lagi*, subjungit de *Philadelpho*, eum *concupivisse habere* libros S. Scripturæ, *in Bibliotheca, quam nobilissimam fecerat*, id est (uti illum intelligo) *in Bibliotheca nobilissima, quam fecerat. Justinus Martyr* ait Ptolemæum Scripturas Græce reddi curasse [f] ὅτε βιβλιοθήκην κατεσκεύασε, καὶ τὰ πάντων ἀνθρώπων συγγράμματα συνάγειν ἐπειράθη, *cum Bibliothecam institueret* (ut vertit Interpres) *& hominum omnium scripta comportare conaretur.* Et alibi: [g] Ptolemæus βιβλιοθήκην ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ κατασκευάσας, καὶ πανταχόθεν συναγαγὼν βιβλία, καὶ πληρώσας αὐτὴν &c. In eundem modum [h] *Epiphanius*: Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελ. βιβλιοθήκην κατασκευάσας ἐπὶ τῆς αὐτῆς Ἀλεξάνδρου πόλεως, ἐν τῷ Βρουχίῳ καλουμένῳ κλίματι. [i] *Eusebius* (ex Græco vertente *Hieronymo*) ait *Philadelphum* S. Scripturarum volumina *in Alexandrina Bibliotheca habuisse, quam sibi ex omni genere literaturæ comparaverat.* In *Chronico Alexandrino* quod dicitur (sive *Paschali*) legitur *Philadelphum* volumina sacra posuisse ἐν ταῖς κατασκευασθείσαις αὐτῷ βιβλιοθήκαις, *in Bibliotheca à se instructa. Syncellus* ait illum *Bibliothecam Alexandriæ καθιστάναι instituisse*: & omnes libros, quotquot in Alexandrina Bibliotheca numerat, reconditos ibi fuisse à *Philadelpho* docet. Uno enim in loco ait proditum esse, decem fuisse myriadas librorum in Bibliotheca *Alexandrina*, quum perfecta absolutaque esset;

[c] Apolog. c. 18.
[d] Epist. 141. ad Marcellum: quam recitat Ruffinus Invect. in Hieron. l. 2.
[e] De Civ. Dei XVIII. 42.
[f] Apolog. 2.
[g] Cohort. ad Græc.
[h] De Pond. & Mens. c. 10.
[i] Chron. Can.

&

& in alio scribit, *Philadelphum Græcorum omnium, Chaldæorum, Ægyptiorum, & Romanorum libris collectis, & illis, qui aliena dialecto scripti sunt, in Græcam versis, myriadas decem Bibliotheca Alexandriæ à se constructa custodiendas reposuisse*: ἀπέθετο κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐν ταῖς ὑπ᾽ αὐτοῦ συσταθείσαις βιβλιοθήκαις. *Syncellum* secutus est *Cedrenus*, qui tamen ab ineptis librariis gravissime passus est. Πτολεμαῖος (inquit) ὁ Φιλάδ. ὃς τὴν μεταβολὴν τῶν θείων γραφῶν, καὶ λοιπῶν Ἑλληνικῶν, Χαλδαικῶν, Αἰγυπτίων, καὶ Ῥωμαικῶν εἰς δέκα μυριάδας ἀριθμουμένων βιβλίων, πασῶν τε ἀλλογλώσσων οὐσῶν, εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν μετεποίησε, διὰ τῶν ο΄. σοφωτάτων Ἑβραίων. ἃς καὶ ἐν ταῖς κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν βιβλιοθήκαις αὐτοῦ ἐναπέθετο. *Isidorus Hispalensis* [a] videtur existimasse *Alexandriam* ante tempora Ptol. Philadelphi Bibliothecis excultam fuisse. *Magnus Alexander* (inquit) *vel successores ejus instruendis omnium librorum Bibliothecis animum intendit, maxime Ptolemæus cognomento Philadelphus.* [a] Orig. VI. 3.

11. [b] *Jo. Weemsius*, Scoto-britannus, hinc crimen in *Aristeam* instituit, quod (ut inquit) *Demetrium* assignat primum Bibliothecæ Alexandrinæ Magistrum; cum *Vitruvius* (ait) testetur Bibliothecam primo creditam fuisse *Aristophani Grammatico*. Qua criminatione, si non injuste, inepte tamen illum impetit, & nullo fretus argumento. *Vitruvius* enim adeo non affirmat *Aristophanem* primum fuisse Bibliothecæ istius Curatorem, ut verbis disertissimis meminerit, alios fuisse ante illum Præfectos. Neque custos ejus sub *Philadelpho* præ ætate esse potuit *Aristophanes*. [b] Exercit. Theol. l. 1.

CAP. IX.

Excutitur responsio Waltoni, *& aliorum, qui Historiam* Aristeæ *defendunt testimonio* Aristobuli Judæi, *qui (sicut* Aristeas*) scribit Versionem confectam fuisse cura* Demetrii Phalerei.

Respondetur, Aristobulum *in eo secutum fuisse* Aristeam. *De ætate ejus & auctoritate disquisitio instituitur. Non constare illum Commentarios suos scripsisse ad* Ptol. Philometorem *Ægypti Regem*. §. 3. Ptolemæum *illum, cujus Magister* Aristobulus *fuisse dicitur in Epistola præfixa libro* 2. Maccab. *non fuisse* Philometorem. §. 4. *Movetur dubium de Epistola ista, & de* Aristobuli *Commentariis. Illos videri supposititios, & post natum Christum conscriptos. Falli quoque* Eusebium, *cum* Aristobulum *illum eundem facit cum* Aristobulo Peripatetico. §. 5. Aristobuli *testimonio, etsi verum sit, non posse defendi* Aristeam. §. 6. *Quæritur utrum* Demetrius Phalereus *alius ab illo, qui* Tyrannus *erat* Athenarum, *ab* Aristea *designari potuerit? Negatur.* §. 7.

ANTEQUAM alia, quæ tradit *Aristeas* noster, subjiciamus examini, respondendum est illis, qui Historiam ejus propugnant auctoritate *Aristobuli Judæi*, qui ipse testatur Scripturas Græce versas fuisse sub *Ptol. Philadelpho* cura *Demetrii Phalerei*. Is libro 1. Commentariorum in libros Mosis ad *Ptolemæum* Regem scriptorum, prout citantur ab [c] *Eusebio*, & [d] *Clemente Alex.* affirmans *Pythagoram* & *Platonem*, Philosophos Græcos, Legis *Mosaicæ* instituta secutos fuisse, exindeque plurima hausisse; ut reddat hoc probabile, ait partem Scripturarum Græce redditam fuisse ante Interpretationem *Demetrii* monitu elaboratam, & ante imperium *Alexandri M.* atque etiam *Persarum*. Διηρμήνευται γὰρ πρὸ [e] Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, δι᾽ ἑτέρων, πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως. Et aliquibus interjectis addit: [f] ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων (γέγονε) ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, σοῦ δὲ προγόνου, προσενεγκάμενον (lege προσενεγκαμένου) μείζονα φιλοτιμίαν, Δημητρίου τοῦ

[c] Præp. Ev. XIII. 12.
[d] Strom. lib. 1. & inde ap. Euseb. ibid. IX. 6.
[e] Clemens Alex. habet πρὸ Δημητρίου simpliciter sine τοῦ Φαληρέως.
[f] Clemens hæc omittit.

τοῦ Φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων. *Interpretatio vero totius Legis peracta est sub Ptolemæo cognomento* [1] *Philadelpho*, proavo *tuo*, *qui adhibuit majorem magnificentiam & studium, præcipua opera Demetrii Phalerei.* [a] *Eusebius* Aristobulum hunc *Peripateticum Philosophum* vocat, & consentiente *Clemente Alexandrino*, monet illum *Commentarios* hosce nuncupasse *Ptolemæo* cognomento *Philometori*, qui quartus fuit à *Philadelpho* & cœpit *puerulus* regnare intra annos post mortem ejus LXVI. sive, juxta rationes *Eusebianas*, LXVII. Cui etiam dicitur fuisse à studiis Philosophicis. Testimonio hoc *Aristobuli*, *Aristeam* contra *Scaligerum* tuetur, & *Hermippum* erroris arguit clariss. [b] *Waltonus*, contendens, illum *auctorem indubitatum esse*, *& paulo post Aristeam scripsisse*; *& vel ab ipso vel aliis, qui rei gestæ interfuerunt, veritatem addiscere potuisse.* Eodem fretus argumento eruditissimus [c] *Stillingfleetus*, Ecclesiæ nostræ *Præsidium*, *& dulce Decus meum*, *Hermippi* rejicit testimonium de *Demetrii Phalerei* apud Regem *Philadelphum* dedecore, incarceratione, & interitu. Contenditque *Aristobulum* non minoris æstimandum esse quam *Hermippum* ipsum, cum *Philosophus* fuerit *Peripateticus*, & ad Regem *Philometorem* scripserit.

[a] Canone ad an. 3. Ptol. Philometoris.

[b] Proleg. Bibl. Polyglot. IX 4.

[c] Orig. Sac. I. 3.

2. Pace Virorum maximorum responderi potest primo, *Aristobulum* non aliunde, quod tradit, desumpsisse, quam ex ipso *Aristeæ* libello spurio & conficto, sed valde antiquo. Videatur quidem minus verisimile, Virum *Philosophum*, & Regis ipsius *Præceptorem*, potuisse usque adeo falli de interpretatione Legis Judaicæ, & de instructione Bibliothecæ *Alexandrinæ*, cum in illa ætate, qua vixerit, superstites nonnulli fuerint qui Regem ipsum norint *Philadelphum*. Si tamen statuamus fabulam *Aristeanam* confictam fuisse ante tempora *Philometoris*, potuit inde opinio de Versione *Philadelphi* Regis auspiciis & *Demetrii Phalerei* cura elaboranda, in animis Judæorum Alexandrinorum inveterasse, adeo ut ab ipso *Aristobulo*, fine ullo rei examine, crederetur: sicut quotidianis exemplis videmus solenne esse etiam Viris eruditis ac sapientibus res multas commentitias (neque illas modo quæ prioribus, sed & quæ eadem ætate confictæ sunt) pro concessis habere.

3. Sed 2do; si auctoritatem *Aristobuli* penitius excutiamus, comperiemus illam multo tenuiorem esse quam vulgo existimatur. Si enim de ætate ejus scrutinium instituamus, fallor, vel apparebit illum ad Ptolemæum aliquem scripsisse *Philometore* recentiorem, vel incertum omnino esse quo tempore vixerit. Nempe constabit illum ad *Ptolemæum* simpliciter scripsisse, non posito ejus cognomine; & *Clementem Alexandrinum*, quem secutus est *Eusebius*, ex nuda conjectura *Philometoris* cognomen apposuisse, quoniam in exordio 2^di^ libri *Maccabæorum* fit mentio *Aristobuli* cujusdam Sacerdotis Judæi, Præceptoris *Ptolemæi* cujusdam Regis, quem putabat fuisse *Philometorem*. *Clementem* autem, & *Eusebium*, *Philometoris* cognomen in *Aristobuli* Commentariis non reperisse, exinde apparet quod sibimet de eo contradicunt, & interdum *Philometorem* ponunt, interdum alium, nempe ipsum *Philadelphum*. *Clemens* in uno loco [d] habet: Ἀριστόβουλος δὲ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς τὸν Φιλομήτορα, κατὰ λέξιν γράφει. In [e] alio libro: Ἀριστοβούλῳ δὲ τῷ κατὰ Πτολεμαῖον γεγονότι τὸν Φιλάδελφον, οὗ μέμνηται ὁ συντεταξάμενος τὴν τῶν Μακκαβαικῶν ἐπιτομὴν, βιβλία γεγόνειν ἱκανά. In primo loco existimavit Ptolemæum *Philometorem* designari in libro 2. *Maccabæorum*; in posteriore, oblitus sui, *Philadelphum* intelligi arbitratus est. *Eusebius* in *Canone*, quem sequuntur in Chronicis *Marianus Scotus*, *Ado Viennensis*, *Beda*, & Auctor *Chronici Alexandrini*, ait illum scripsisse ad Ptol. *Philometorem*, priorem

[d] Strom. lib. 1.

[e] Lib. 5.

1 Male *avum* ponit *Vigerus*. Ad locum hunc alludit *Scaliger* Euseb. num. MDCCCXLI. dicens *Aristobuli* verbis constare illum scripsisse ad *Ptol. Philometorem*. Quod tamen non verum est.

Clementis

Clementis locum in hoc ſequens; In libris vero *Præparationis Evangelicæ*, ubi *Ariſtobuli Commentarios* ſæpe addncit, ex iiſque fragmenta profert, *Philometorem* nunquam ponit, ſed pluribus diverſis locis ſimpliciter dicit *Ariſtobulum* ad *Ptolemæum* ſcripſiſſe. [a] Ἀριστόβουλος αὐτῷ Πτολεμαίῳ τὴν τῶν ἱερῶν νόμων προσφωνῶν ἑρμηνείαν. Alibi: [b] Ἀριστόβουλος ἐν τῷ πρὸς Πτολεμαῖον τὸν βασιλέα συγγράμματι. Rurſus: [c] Ἐκ τοῦ Ἀριστοβούλου βασιλεῖ Πτολεμαίῳ προσπεφωνημένων. Et in [d] quarto loco, illum facit coævum *Eleazaro* Judæorum Pontifici, de quo agit *Ariſteas*; & ad ætatem ejuſdem *Ptolemæi* ntrumque confert, nempe *Philadelphi*. Producturus enim explanationes quaſdam Legis Moſaïcæ ex *Ariſtobuli* Commentariis, & ex illis explicationibus, quas continet *Ariſteæ* libellus, acceptas (ut fingit) ab *Eleazaro* Judæorum Pontifice in colloquio cum eo habito; ſic loquitur: Ἀπαρκέσω ἡγοῦμαι τὰς Ἐλεαζάρου καὶ Ἀριστοβούλου διηγήσεις, ἀνδρῶν τὸ μὲν γένος Ἑβραίων ἀνέκαθεν, τὸν δὲ χρόνον, κατὰ τοὺς Πτολεμαίους χρόνους διαπρεψάντων. *Eleazari & Ariſtobuli explicatione contentus ero, qui ambo & genus ab Hebræis ſuum longiſſime repetunt*, & Ptolemæi *Regis tempore floruerunt*. Quid? quod *Anatolius Alexandrinus*, in *Canone Paſchali*, *Ariſtobulum* facit unum ex LXX. Interpretibus, & affirmat inſuper illnm *Commentarios* ſuos dicaſſe non *uni* alicui *Ptolemæo*, ſed *duobus*, *Philadelpho* ſcil. & Patri ejus *Ptolemæo Lagi*. Unde patet, adeo non conſtitiſſe veteribus, quo ille vivebat ſeculo, & ad quem ſcribebat *Ptolemæum*, ut unuſquiſque fere Lector conjecturam ſuam interpoſuerit. Μαθεῖν δ' ἔστιν (inquit *Anatolius* apnd [e] *Euſebium*) ἐκ τῶν ὑπὸ Φίλωνος, Ἰωσήπου, Μουσαίου, λεγομένων, καὶ οὐ μόνον τούτων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἔτι παλαιοτέρων, ἀμφοτέρων [1] Ἀγαθοβούλων τῶν ἐπίκλην Διδασκάλων, Ἀριστοβούλου τοῦ πάνυ, ὃς ἐν τοῖς Ἑβδομήκοντα κατειλεγμένος, τοῖς τὰς ἱερὰς καὶ θείας Ἑβραίων ἑρμηνεύσασι γραφὰς Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ καὶ τῷ τούτου πατρὶ, καὶ βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωϋσέως νόμου τοῖς αὐτοῖς προσεφώνησε βασιλεῦσιν. Hoc eſt: *Idque ex Philonis*, *Joſephi*, *& Muſæi verbis licet cognoſcere: Neque ex his duntaxat, verum etiam ex aliis duobus, qui ambo antiquiores fuere, ſcil. Agathobulo cognominato Magiſtro*, & Ariſtobulo *viro præſtantiſſimo, qui unus fuit ex illis* LXX. *Viris, qui ſacra Hebræorum volumina in Ptolemæi* Philadelphi & Parentis *ipſius gratiam Græco ſermone interpretati ſunt*, *& qui libros explanationum Legis Moſaïcæ* iiſdem Regibus *nuncupavit*. In *Ruffini Aquileienſis* antiqua Verſione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Euſebii* (quam [f] *Bridefertus Rameſienſis* adſcribit S. *Hieronymo*) unius tantum Regis fit mentio, & locus exponitur quaſi liber *Ariſtobuli* non deſignaretur, ſed *Anatolius* locutus fuiſſet de LXX. Interpretum reſponſis, quæ ad Regis quæſtiones data fuiſſe refert *Ariſteas*: Dicitur tamen in ea quoque Verſione, *Ariſtobulum* unum fuiſſe ex LXX. Interpretibus. Interpretatio ſic ſe habet. *Sicut evidenter edocet Philo & Joſephus: ſed & horum antiquiores Agathobulus, & ab eo eruditus* Ariſtobulus ex Paneade, *qui unus ex illis* LXX. *Senioribus fuit, qui miſſi fuerunt à Pontificibus ad Ptolemæum Regem, Hebræorum libros interpretari in Græcum ſermonem, quique multa ex traditionibus Moyſi proponenti Regi percontantique reſponderunt.* Quæ ita converſa fuiſſe à *Ruffino*, liquet non ſolum ex impreſſis Codicibus, verum etiam ex *Gloſſis* in *Bedam* ſcriptis à *Brideferto*, qui floruit anno DCCCCLXXX. & ex ipſo [g] *Beda*, qui locum iſtum tranſcribunt integrum. Conſtat tamen *Anatolium* locutum fuiſſe de *Ariſtobuli* Commentariis, de quibus res nobis eſt. Notandum autem eſt obiter, in *Ruffini* iſta Verſione definiri *patriam Ariſtobuli*, ſcilicet illum fuiſſe ex *Paneade*, Civitate Syriæ ſive Palæſtinæ, quæ poſtea *Cæſarea Philippi* nominata eſt. Unde videatur minus mirandum

[a] Lib. 7. c. 13.
[b] Lib. 8. c. 9.
[c] Lib. 13. c. 12.
[d] Lib. 8. c. 8.
[e] Hiſt. Eccleſ. VII. 32. ſive 31. ſecundum *Ruffinum* 28.
[f] Gloſſis in *Bedæ* librum de Temporum ratione c. 28.
[g] De Temp. rat. cap. 28.

1 Corrige (quicquid aliter *Valeſius* ſenſerit) παλαιοτέρων ἀμφοτέρων, Ἀγαθοβούλου τοῦ ἐπίκλην Διδασκάλου, καὶ Ἀριστ. Quod confirmat *Ruffiniana* Euſebii Verſio. Non enim veriſimile eſt duos fuiſſe *Agathobulos* cognominatos *Magiſtros*.

esse, quod ille, cum non *Ægyptius*, sed advena esset, exploratam non haberet veritatem de institutione *Bibliothecæ*, & Scripturarum interpretatione. Cæterum (ut quod res est dicam) videtur veteres non tantum de *Aristobulo* cognitum habuisse, quantum unde esset. Videtur enim lectio hodierna Græca, Ἀριστόβουλος τοῦ πάνυ, magis genuina, quam quæ in *Ruffini* Codice reperta fuerit Ἀρισ. τοῦ ἀπὸ Πανεάδος. Neque improbabile est *Ruffinum*, quem constat Græcarum literarum non fuisse valde peritum, non intellexisse quid τοῦ πάνυ significaret, atque ideo putasse corruptum illud fuisse ex τοῦ Πανεάδος: eodem modo, quo observavi Interpretem quendam [a] *Jo. Climaci*, hæc verba, ἰωάννης ὁ μοι πάνυ, Latine vertere, *Joannes Opanius*, quia phrasin illam non intellexit; quæ tamen elegans est, & significat, *Joannes Vir mihi in paucis charus*, ὁ μοι πάνυ ἀγαπητος, ut *Matthæus Raderus* recte interpretatur.

[a] Scala Paradisi Gradu 4. §. 85.

4. Tertio, *Aristobulum* non scripsisse ad Ptol. *Philometorem*, sed ad ejus *Successorem*, vel ex eo conficiatur quod dicitur idem fuisse cum illo *Aristobulo*, qui in Epistola præfixa 2do libro *Maccabæorum* memoratur, & Regis Ptolemæi *Magister* appellatur. Eundem fuisse statuit *Clemens* loco supra citato. Sic *Eusebius*: [b] οὗτος δ' ἦν αὐτὸς ἐκεῖνος, οὗ καὶ ἡ δευτέρα τῶν Μακκαβαίων ἐν ἀρχῇ τῆς βίβλου μνημονεύει. Et omnino probabile est, vel eundem revera fuisse, vel saltem illius nomini suppositos fuisse prædictos Commentarios. Et in quodam eorum fragmento [c] innuere videtur Auctor, se Regis fuisse *Præceptorem*: in quo indicat se olim, antequam Commentarios scriberet, à Rege interrogatum fuisse de sacris Scripturis, & de Judæorum circa Numen opinione, atque illi olim de hisce rebus respondisse. *Ptolemæum* autem illum, cujus Magister *Aristobulus* dicitur in *Epistolâ* supradicta, non fuisse *Philometorem* (quod *Clemens* nonnunquam opinatus est, & *Eusebius* ab eo deceptus) sed illius Successorem, apparet ex tempore quo data est *Epistola*. Data enim est Epistola anno æræ Maccabæorum CLXXXVIII. *Philometor* vero mortuus est anno ejusdem æræ CLXVII. ut legimus in libro I. *Maccab.* cap. XI. v. 18. ubi qui nescit intelligi *Philometorem*, in historiis *Ptolemæorum* hospes sit necesse est. Annus autem æræ *Maccabaicæ* CLXXXVIII. quo testatur *Epistola* antedicta floruisse *Aristobulum*, incidit in annum à morte *Ptol. Philadelphi*, secundum Canonem *Ptolemæi Astronomi*, CXXII. juxta computum *Eusebii*, CXXIII. Quo longo temporis intervallo, facillime potuit fabula *Aristeana* confingi, & vulgo apud *Judæos Alexandrinos* pro vera recipi.

[b] Præp. Ev. III. 9.

[c] Apud Euseb. Præp. II. 10.

5. Porro vero, si accuratius in disquisitione hujusce rei procedamus, inveniemus locum esse justæ suspicioni, Commentarios istos non omnino scriptos fuisse ad quenquam *Ptolemæorum*, sed ab aliquo recentiore editos fuisse nomine *Aristobuli* illius supradicti, *Præceptoris Ptolemæi*. Sane nullum unquam exstitisse *Aristobulum Judæum*, *Præceptorem Ptolemæi Regis*, & Epistolam supradictam, qua illius fit mentio, fictitiam esse, mihi facile persuadeo. Neque alia de causa videtur *Commentariorum* Auctor eos edidisse sub persona talis *Aristobuli*, quam quod talis mentionem in Epistola prædicta repererat. Epistolam vero istam commentitiam esse, exinde colligere licet, quod cum data sit anno *Maccabaico* CLXXXVIII. *Ptolemæum* tamen, qui tunc regnavit, *præceptorem* habuisse prætendat, *Aristobulum*, *Regis præceptorem* appellans. Quod fieri non potuit, cum *Ptolemæus* iste, qui tunc regnum administravit, non *juvenis* fuit, sed *Senex*. Fuit nimirum *Ptolemæus* ille, *Philometoris* frater, cognomine *Euergetes* Secundus, sive *Physcon*, qui currente anno *Maccabaico* CLXXXVIII. non potuit natus esse annos minus LX. siquidem annus *Maccabaicus* CLXXXVIII. vicesimus primus fuit post mortem *Ptol. Philometoris*, fratris illius; & regnavit *Philometor* post

mortem *Epiphanis*, patris utriusque, annis xxxv. Quod vero in Epistola prædicta intelligitur *Ptolemæum* Regem discipulum fuisse *Aristobuli*, non olim, sed eo ipso [1] tempore, quo Epistola scripta fuerit, ex
verbis fit [a] conspicuum: Ετυς ἑκατοςοῦ ὀγδοηκοςοῦ, καὶ ὀγδόου οἱ ἐν Ἱεροσολύ- a 2 Maccab.
μοις, καὶ οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ ἡ γερουσία, καὶ Ἰούδας, Ἀριςοβούλῳ διδασκάλῳ Πτο- I. 10.
λεμαίου τοῦ βασιλέως, ὄντι δὲ ἀπὸ τοῦ τῶν Χριςῶν ἱερέων γένους, καὶ τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ Ἰουδαίοις, χαίρειν, καὶ ὑγιαίνειν.

Suspicionem meam de νοθείᾳ Commentariorum *Aristobuli* prædictorum, illud non parum auget, quod [2] *Clemens Alexandrinus* primus sit omnium, qui eorum fecere mentionem; qui claruit exeunte seculo altero post natum Christum. Si enim *Aristobulus* aliquis, ex genere summorum Sacerdotum Judæorum ortus, Commentarios in Legem Mosis ad *Ptolemæum* Ægypti Regem scripsisset, qui fieri potuit ut *Josephus* nullam illius mentionem faceret? Qui profecto de *Aristobulo*, tali viro, ne unum verbulum habet. [3] Cum Commentarii illi tam boni probatique fuerint, ut propter eos *Vir sapiens inter Hebræos* appel-
letur Auctor ab [b] *Eusebio*, ὁ πάνυ ab *Anatolio*, à Beda [4] *eruditissimus*, non- b Præp. VII. 13.
ne res est verisimillima *Josephum* Auctoris eorum memoriam fuisse celebraturum, si ante ipsum vixisset? Commentarios in Legem Mosis à *Judæo* ad *Ptolemæum Regem* conscriptos, quomodo potuit ille silentio præterire? & quomodo mentionem *Aristobuli Judæi* PRÆCEPTORIS *Ptolemæi Regis*, si de eo quicquam audivisset, omittere potuit? Nemini non notum quam fertile & fœcundum scriptorum fictitiorum fuerit proximum illud post ætatem *Josephi* seculum, nimirum secundum à Christo nato. Nihil magis tunc temporis in usu fuit, quam libros emittere sub nominibus antiquiorum. Quod infinitis exemplis luculento constat. Atque hanc sane ætatem sapere satis videntur Commentarii prædicti, eo scilicet, quod (in loco superius citato, alioque
producto ab [c] *Eusebio*) asseritur & inculcatur, Philosophos & Poetas c Præp. VIII.
Græcorum veteres sapientiam & scientiam pleramque suam ex sacris 10.
Scripturis hausisse ac deprompsisse. Quod solitum fuit ab illius ætatis Patribus objici Philosophis Ethnicis, Religionis Christianæ adver-
sariis, qui sacra volumina contemptui fastidioque habuerunt, deque d Cohort. ad Græc.
Græcorum eruditione gloriari consueverunt: id quod manifestum est e Ad Autolycum l. 2.
evolventibus opera [d] *Justini Martyris*, [e] *Theophili Antiocheni*, [f] *Tatiani*, f Orat. c. Græc. ad finem.

1 *Quis nescit* (respondet *Vossius*) *nutritiorum, pædagogorum, & omnium eorum qui educationi & formandis adolescentiæ præsunt moribus, & nomina, & titulos, & emolumenta tamdiu perseverare, quamdiu vel ipsi vel Reges vivant? Pleni sunt libri exemplis Regum etiam in extrema ætate præceptores suos hoc nomine salutantium. Quod si quis hodierna malit, vel vicinam adeat Galliam, in qua licet quam diutissime regnarit magnus ille Rex, præfecti tamen seu gubernatoris non cessat titulus.* Si Præceptor Ptolemæi Regis tunc in vivis existeret, non nego illum potuisse *Præceptoris Regis* ornari titulo. Attamen cum constat Regem annum ætatis 60ᵐ tunc excessisse, & soliti sunt tantum ætate provectiores & in senium saltem vergentes Regibus adolescentibus præfici tanquam magistri; haud videtur verisimile, superstitem tunc fuisse Regis præceptorem. Saltem non immerito de ista re dubitari possit, præsertim cum talis *Aristobuli* Præceptoris Regis, apud Josephum nulla facta sit mentio.

2 Post *Clementem*, non solum *Anatolius* & *Eusebius*, verum etiam *Origenes* c. *Celsum* l. 4. eorum meminit.

3 *Æque futile est argumentum* (inquit *Vossius*) *exinde petitum, quia Aristobuli in Scripturam Commentariorum nullam Josephus fecerit mentionem. Ecqua enim est causa quamobrem hujus operis in historia meminisse debuerit? Ne Philonis quidem operum meminit, & nisi legatione ad Caium Cæsarem functus fuisset, nec nomen quidem Philonis apud Josephum extaret.* Futilissima sane responsio. Satis est quod *Philonis* alicubi mentionem facit *Josephus*. *Aristobuli* mentionem nusquam facit, quamvis omnino expectandum esset, ut in *Antiquitatum* Opere, ubi de Judæorum sub *Ptolemæis* statu ex professo agit, de *Aristobulo* Sacerdote, ipsius Ptolemæi R. præceptore, & qui *ad illum* Commentarios in Legem conscripserit, mentionem faceret. Quomodo potuit silentio talem hominem præterire, si de eo quicquam inaudivisset? *Philonem* & commemorat & laudat ubi erat expectandum ut de eo loqueretur: *Aristobulum* nusquam. Mihi profecto argumentum hoc, quicquid dicit *Vossius*, adeo non videtur futile, ut propter *Josephi* silentium de isto *Aristobulo* sim perpetuo dubitaturus.

4 Epist. ad *Wicrhedam* Presb. de Paschæ celebratione, sive de Æquinoctio Vernali secundum Anatolium; ubi ait: *Cum hanc æquissimam anni inter æquinoctiorum diremptionem antiquissimi & eruditissimi doctoris* Aristæi *verbis adstruat, qui fuit unus ex illis* LXX. *illustribus Scripturæ sacræ interpretibus.* Pro *Aristæi* legendum *Aristobuli*.

a Admonit. ad Græc. & Strom. lib. 1. qui claruerunt seculo secundo, & [a] *Clementis Alexandrini*, qui (ut dixi) eodem excunte floruit; ne quid dicam de illis, qui subsecutis vixere temporibus.

Postquam hæc scripsissem, in *Anglicam* linguam ex *Gallica* conversa prodiit doctissimi *Simonii Historia Critica Veteris Testamenti*, Anno b Lib. 1. c. 2. MDCLXXXII. In qua [b] illum deprehendi prædictos *Aristobuli Commentarios* inter scripta supposititia reponere. Non mediocriter mihi placuit conjecturam meam gravissimo eruditi illius Viri judicio confirmatam videre: sed nullum is argumentum, [1] quo sententia sua firmetur, in medium [2] attulit.

6. Advertendum est denique, quod quamvis concedatur verum esse quod tradunt prædicti *Commentarii*, scil. factam fuisse Versionem auspiciis *Ptol. Philadelphi*, *Demetrii Phalerei* cura, hoc tamen pacto non posse defendi *Aristeæ* Historiam. Potuit enim Interpretatio fieri *Philadelphi* auspiciis & *Demetrii* cura, quo tempore una cum Patre suo regnavit *Philadelphus*: Sed longo post tempore confectam fuisse statuit Historia *Aristeana*.

7. Cum argumenta quædam mea de *Demetrio Phalereo* communicassem aliquando cum Viro quodam doctissimo, fatebatur ille quidem se iis convinci, simul vero sciscitabatur, annon potuerit ab *Aristea* designari *Demetrius Phalereus* alius quispiam ab illo, de quo hactenus disseruimus, qui statim post mortem *Ptolemæi Lagi* à *Philadelpho* in custodiam conjectus est, ibique diem suum clausit extremum? Quapropter existimo operæ pretium fore pauca quædam hac de re subjicere.
c Præf. ad *Demetrium Phal. sive Rhetores selectos* ed. Oxon. Docet eruditissimus [c] *Thomas Galeus* alios extitisse *Demetrios Phalereos* præter percelebrem illum toties dictum, quorum alter inter Scholiastas in [3] *Nicandri* Poetæ *Theriaca* recensetur à [d] *Stephano Ethnicographo*:
d In *Κορώπ.* Alius à [e] *Josepho* celebratur tanquam Scriptor Historiæ Judaicæ. Su-
e Lib. 1. contra Ap. *Galeus* citat lib. 1. *Antiq.* memoriæ errore. spicatur tamen Vir doctissimus cognomen, φαληρεὺς, apud *Josephum* redundare & glossema esse. Cæterum genuinam esse lectionem id pro argumento est quod [f] *Eusebius*, neque ille solus, sed [g] *Tertullianus* etiam,
f Præp. Ev. IX. cap. ult. ex *Josepho* Auctorem illum citantes, cognomen *Phalerei* ponant. Veri-
g Apolog. c. 19.
h Strom. l. 1. simile tamen omnino est *Josephum* ex mera conjectura cognomen illud posuisse: Nam ut [h] *Clemens Alex.* eundem Scriptorem *Demetrium* simpliciter nominat sine ullo cognomento; sic facile fuit *Josepho* Historiam illam *Regum Judæorum*, quam à *Demetrio* scriptam legerat, existimare contextam fuisse à præclaro illo *Demetrio*, quem ab *Aristea* didicerat Versionem Legis Judæorum accurasse ac promovisse. Neque quidem facile crediderim Scholiasten illum *Nicandri* cognomen [4] *Phalerei* revera habuisse: quod videtur insertum à Lectore quodam sciolo.
i Lib. 3. c. 26. Quo modo *Demetrius*, Poeta Comicus, quem [i] *Athenæus* laudat in Fabula *Sicilia*, à Latino *Athenæi* Interprete [5] *Demetrius Phalereus* dicitur, cum in Græcis non habeatur vox φαληρεύς. Atque ita liber περὶ ἑρμη-
k Vide Præf. in *Selectos Rhetores*. νείας sub titulo *Demetrii Phalerei* citatur à [k] *Theophylacto*, & sub illo nomine hodie circumfertur, quia creditum fuit, illius Auctorem, (ab

1 Neque aliud forte requiri videbatur, quam quod de Versione *Aristeæ* consentanea tradunt.

2. De *Aristobuli* auctoritate hoc denique addendum, videri *Eusebium* falli, cum illum eundem facit cum *Aristobulo Peripatetico*. Hunc enim non *Judæum*, sed *Gentilem* fuisse, colligi potest ex modo quo *Judæos* commemorat apud *Cyrillum Alex. contra Julianum* lib. IV. *Aristobulus autem Peripateticus alicubi sic ait: Quæcunque apud antiquos de Natura dicta sunt, eadem etiam dicuntur apud illos, qui extra Græciam philosophantur, partim quidem apud Indos à Brachmanis, partim in Syria* AB IIS QUI JUDÆI NOMINANTUR. τὰ δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων. De iis non sic locutus fuisset *Judæus*. Et in prima Persona, *nos*, *instituta nostra*, *populares nostri*, &c. passim loquitur Auctor *Commentariorum* in fragmentis apud *Eusebium*.

3 Doctiss. *Menagius* in D. *Laert.* ed. Lond. illum *Callimachi* Scholiasten facit, sed memoriæ lapsu.

4 Vocem istam, ὁ Φαληρεὺς apud *Stephanum* νόθευσιν affirmare non dubitat *Menagius* in D. *Laert.*

5 Qui *Indicem auctorum* ab *Athenæo* citatorum collegit, aliis in locis ubi *Athenæus* citat *Demetrium Phal.* oscitanter intelligit *Demetrium Comicum*.

Ammonio

Ammonio tamen *Demetrium* ſimpliciter dictum) eundem fuiſſe cum *Atheniensi* noſtro, cujus magnum nomen in Atticis Oratoribus fuit, quique libros conſcripſit *Rhetoricos*; cum conſtat tamen diverſum ab eo fuiſſe. Supradictos Scriptores non fuiſſe cognominatos *Phalereos*, & unicum fuiſſe cognomine illo notum, id ſatis magno argumento eſt, quod [a] *Diogenes Laertius*, qui recenſet *viginti* Viros doctos *Demetrii* nomine inſignitos, unius tantum *Demetrii Phalerei* meminerit. Unde ſaltem clariſſime apparet non alium fuiſſe illius cognominis memorabilem & clarum Virum, qualis ille debuit eſſe, qui Bibliothecæ curam præfecturamque obtinuerit à *Ptolemæo* Rege *Philadelpho*, cujus Aula tot viris eruditiſſimis floruit, ut nullum forſan ſeculum Regiam doctrinâ tam illuſtrem viderit. *Ariſteas* de *Demetrio* ſuo *Phalereo* loquitur tanquam Viro clariſſimo, & eo nomine celebratiſſimo; atque ita *Ariſtobulus*: & antiqui Scriptores Eccleſiaſtici de celeberrimo illo Athenienſi *Phalereo Ariſteam* ad unum omnes [b] intelligunt, *B. Hieronymo*, & *G. Syncello* illum ipſum fuiſſe diſerte affirmantibus. Quocirca cum in libris aliorum veterum habemus, illum in *Ægypto* apud Regem commoratum fuiſſe, nullus locus ſuſpicioni eſſe poteſt, alium ullum ab *Ariſtea* deſignari. Ne quis vero uſque adeo obſtinato ſit animo, ut, hiſce non obſtantibus, ſuſpicetur Auctores ſupradictos cognominatos fuiſſe revera *Phalereos*, eorumque aliquem potuiſſe ab *Ariſtea* denotari; oſtendemus per illorum ætates, eorum neminem ſignificari potuiſſe. *Demetrium Nicandri* Enarratorem vixiſſe diu poſt tempora *Ptol. Philadelphi* exinde liquet, quod *Nicander* ipſe diu poſt illum vixerit: atque hoc ex eo comprobatur, quod Poema ſcripſerit ad *Attalum* Regem Pergami; & anonymus Scriptor Vitæ ejus teſtatur, illum claruiſſe *temporibus Attali extremi Regis Pergameni*, qui regnum iniit annis 110. poſt *Ptol. Philadelphi* obitum. *Demetrius* ſcriptor *Hiſtoriæ Regum Judæorum*, Hiſtoriam ſuam perduxit ad regnum uſque *quarti Ptolemæi, Philadelphi* ex Filio *nepotis*, teſte [c] *Clemente Alexandrino*. Si cui placeat Scriptorem libelli περὶ ἑρμηνείας, nominatum revera fuiſſe *Demetrium Phalereum*, illum tamen vixiſſe diu poſt regnum *Ptol. Philadelphi*, dilucet ex iis quæ [d] *Hen. Valeſius*, & [e] *Galeus* doctiſſime de eo diſſeruerunt, ut probent illum non fuiſſe percelebrem illum *Athenienſem*. *Demoſthenem*, *Xenophontem*, eorumque æquales, appellat ἀρχαίους *priſcos*, cum tamen [f] *Demoſthenes* obierit regnante *Ptolemæo Philadelphi* patre, & *Xenophon* non multo ante. Et (ne obſervem citari Poemata *Sotadis*, qui clarus [g] habebatur regnante *Philadelpho*, ut alia etiam complura ſileam) memoratur *Nicias Piſtor*, qui (auctore [h] *Plinio*) vixit ætate Regis *Attali*; & *Gadarenus* quidam citatur, quem non immerito credit *Galeus* fuiſſe *Theodorum Gadarenum*, Sophiſtam, ſub finem [i] *Auguſti Cæſaris*, & ſub *Tiberio* clarum.

a Vita *Demetrii Phal.*

b *Joſephus* l. 2. contra Ap. *Ariſteanum Demetrium* vocat *eruditione ſui ſeculi facile principem*: τὸν μὲν παιδείᾳ τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν διαφέροντα Δημήτριον.

c Strom. l. 1.

d Vide Præf. in *Selectos Rhet.*

e Notis in *Demetrium* ad num. ΞΖ΄. ΡϚΖ΄. ΣΙΗ΄. ΣΛΔ΄. ΣΜϚ΄. ΣΜΘ΄. ΤΕ΄. ΤΗ΄.

f *Suidas* aliique complures.

g Athen. l. 14.

h Nat. Hiſt. XXXV. 11.

i *Suidas*.

CAP. X.

Quæritur de navali illa victoria quam Ariſteas *tradit de* Antigono *reportatam fuiſſe à* Ptolemæo Philadelpho.

Illam non fuiſſe eandem cum illa victoria quam de Antigono Magno *conſecutus eſt Ptolemæus* Lagi; *vel ſi eadem fuerit*, Ariſteam *de ea inſigniter hallucinari*: *contra* Iſ. Voſſium *&* Ricciolium. Voſſium *falli de feſto anniverſario inſtituto à* Ptolemæo Lagi. §. 1. 2. 3. 4. *Victoriam nullam partam fuiſſe de* Antigono Gonata *à* Patroclo *Duce* Ptol. Philadelphi; *contra Salianum*. 5. *Auctoris conjectura de victoria illa, & quomodo deceptus fuerit* Ariſteas. 7.

ARISTEAS narrans quomodo LXX. Interpretes ad ſe miſſos *Philadelphus* Rex exceperit, inducit illum ſic eos alloquentem: μεγάλην

χάλλω δὲ τίθεμαι τὴν ἡμέραν ταύτην ἐν ᾗ παραγεγόνατε. καὶ κατ' ἐνιαυτὸν ἐπίσημος ἔσται πάντα τὸν ζωῆς ἡμῶν χρόνον. συνέτυχε δὲ καὶ κατὰ τὴν νίκην ἡμῖν προσπεπτωκέναι τῆς πρὸς Ἀντίγονον ναυμαχίας. διὸ δειπνῆσαι σήμερον μεθ' ὑμῶν βουλήσομαι. *Hic autem dies, quo vos ad me venistis, per singulos annos per totam vitam meam erit mihi solennis & magnus. Et quia contigit ut ad me veniretis tempore illo quo ego navali adversus Antigonum prœlio victoriam sum potitus, ideo volo vobiscum hodie cœnare.* Si quæramus quænam ista sit Victoria, respondebit [a] Cl. *Is. Vossius*, & cum eo [b] *Jo. Bap. Ricciolius*, eandem fuisse cum illa quam celebrat *Diodorus Siculus* ad Olymp. CXVIII. 3. lib. XX. quem dicit fuse hanc pugnam in eo loco describere, & diserte tradere *Ptolemæum* memorabili victoria lætum, præsentissimoque liberatum periculo, *anniversarium sacrum & annua instituisse convivia.* Qua solutione quæstionis liquide ostenditur eruditissimum Virum neque *Aristeæ* verba satis, neque ipsum attendisse *Diodorum*. Constat enim in illo bello nihil adeo insigne per classes actum fuisse, ut victoria navalis denominaretur. Nullum enim prœlium commemorat *Diodorus*, nullius meminit præclaræ [1] ναυμαχίας, qualis illa debuit esse, quam *Aristeas* deprædicat; verum refert *Antigonum* terra, *Demetrium Poliorceten*, illius filium, mari *Ptolemæum* ursisse, eosque propter firmissima quibus Ægyptii muniebantur propugnacula, & propter tumidiora fluenta Nili, quæ illorum cursui obstiterunt, atque tempestates, quæ classem concitatius invaserunt, coactos fuisse re infecta sine ulla pugna discedere. Neque navalis alicujus prœlii mentionem facit [c] *Pausanias*, ubi eandem rem gestam celebrat: Neque [d] *Plutarchus*, qui de ea hoc solum reliquit: *Igitur Antigonus quum in magnas perplexitates terra incurrisset, Demetrius vero tempestate & ingentibus fluctibus jactatus, in loca importuosa & aspera esset ejectus multasque naves amisisset, re infecta redit.* De *annuo* etiam festo omnino fallitur Vir clarissimus. De *annuo* [2] enim nihil habet *Diodorus*, qui hoc tantum dicit, Ptolemæum reverso in Syriam Antigono, præ gaudio Diis sacrificasse, & deinde amicis convivium magnifice instruxisse. Verba ejus sunt: Πτολεμαῖος δὲ διὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν πολεμίων περιχαρὴς γενόμενος, καὶ θύσας τοῖς θεοῖς χαριστήρια, τοὺς φίλους εἱστία λαμπρῶς. *Ptolemæus discessu hostium maximum in modum lætatus, sacrificio immolato Superis gratabundo, splendidum epulum exhibuit.*

[a] De LXX. cap. 3.
[b] Chron. to. 1. l. 3. c. 6.
[c] Atticis.
[d] In Demetrio.

2. Neque audiendus est Vir summus, cum dicit liquere ex ipsis *Aristeæ* verbis, festum illud observatum fuisse quamdiu vixerit *Ptolemæus Lagides*. Tantum enim abest ut apud *Aristeam* dicat *Ptol. Philadelphus*, Patrem suum diem illum, de quo loquitur, habuisse sacrum, ut clarissime doceat *seipsum* (non *Patrem*) voluisse ut dies ille sacer haberetur; atque id, non ante adventum ipsum LXX. Interpretum, si fides sit *Josepho* illius verba explicanti: Qui indicat *Philadelphum* partim quia devicerat eo die *Antigonum*, partim quia LXX. Seniores eodem ad se devenerant, voluisse illum haberi religiosum: τὴν μὲν τοίνυν ἡμέραν, καθ' ἣν ἦλθον πρὸς αὐτὸν, ἐπιφανῆ ποιήσειν, καὶ κατὰ πᾶν ἔτος ἐπίσημον εἰς ὅλον τὸν τῆς ζωῆς

1 *Si sciret Juvenis iste* (inquit Vossius) *quid sit naumachia seu bellum navale, non hæc scriberet. Quod nullius prœlii in hoc bello meminerit Diodorus, vel ob hoc ipsum præclarior & illustrior ea fuit victoria, quæque vel sola suffecit ut Soteris nomen meruerit Ptolemæus, conservando suos & simul in fugam vertendo adversarios. Quis nescit Pompeium ideo laudatum, quod incruenta victoria bellum confecerit piraticum?* Si sciret *Vossius* quid sit *naumachia*, non hæc scriberet. Ullane est *naumachia*, ubi nulla est pugna? *Naumachia* non est bellum in quo tantum educuntur classes, nedum quo educuntur ex altera tantum parte; sed ubi *pugnatur*. In eo bello, cujus meminit *Aristeas*, fuit ναυμαχία i. e. *pugna navalis*; in illo quod describit *Diodorus*, nulla omnino *pugna* fuit. Ergo fallitur *Vossius*, cum utrumque de uno eodemque intelligit bello.

2 Vossius: *De convivio & sacrificio annuo propter hanc victoriam instituto, si quis ea quæ scripsi legat, videbit Juvenem istum cavillari.* Vossium erroris arguere, est cavillari. En autem Vossii verba: *Ptolemæus tam memorabili victoria lætus, præsentissimoque liberatus periculo* ANNIVERSARIUM *sacrum, &* ANNUA *instituit convivia. Et* HUJUS *quoque festi* DISERTIM *meminit Diodorus.* Ubi *festi anniversarii* meminit *Diodorus*?

χρόνον

χρόνον ἐπαγγέλλεται· ἔτυχε γὰρ &c. *Diem quidem adventus tam gratum sibi (Rex) professus est, ut quoad viveret, per singulos annos redeuntem ejus memoriam colere se velle promitteret; forte enim idem erat dies, quo Antigonum navali prælio vicerat.*

3. Si tamen cl. Viro placuerit, per me licebit victoriam illam à *Ptolemæo Lagi* reportatam, quam *Diodorus* aliique concelebrant, intelligere. Argumentabor enim inde *ad Hominem* (ut Dialectici loqui amant) *Aristeam* errorem turpissimum commisisse; cùm tradat in illo bello commissum fuisse *navale prælium*, quod nullum erat, & disertis verbis asserat *Ptol. Philadelphum* (pro *Ptolemæo Lagi*) *Antigonum Magnum* bello illo vicisse, qui quidem multis annis post mortem *Antigoni Magni* regnare cœpit, & cum bellum istoc gereretur, plane infans erat. Affirmat enim apud illum *Philadelphus* semetipsum (non Patrem suum) de *Antigono* victoriam istam retulisse; ut palam erit, si ad ista respexeris verba: τὴν νίκην ἡμῶν προσπεπλωκέναι:[1] ubi τὸ, ἡμῶν, *Philadelphum* ipsum, tanquam *Regem*, denotat, sicut & illud πάντα τὸν τῆς ζωῆς ἡμῶν χρόνον. Ita *Josephus*: ἔτυχε γὰρ ἡ αὐτὴ εἶναι τῆς παρουσίας αὐτῆς, καὶ τῆς νίκης, ἣν Ἀντίγονον ναυμαχῶν ἐνίκησεν. Videtur Vir doctus (quantum ex ejus verbis conjecturam facio) putavisse verba hæc, quæ *Aristeas* & *Josephus Ptolemæo* Regi tribuunt, à *Ptolemæo Lagi* prolata fuisse: quod vehementer abhorret ab eorum mente. De *Philadelpho* enim uterque manifesto loquitur. *Ricciolius* ait *Ptolemæum Lagi per eam opportunitatem* LXXII. *Seniores convivio excepisse, ideoque id attributum Philadelpho à Josepho, quia huic jam Lagides regnum tradiderat, & ob summum consensum inter eos, de quo Justinus meminit. Et sic de utriusque consensu invitatos fuisse, & de utriusque consensu dimissos Judæos captivos in libertatem.* Opinatur ille Scripturas Græce versas fuisse dum *Ptolemæus Lagi* adhuc vixerit, nempe illo tempore, quo regnabat una cum Filio suo, quod non fuisse opinionem *Aristeæ* fuse supra demonstravi: & si *Aristeas* in ea sententia fuisset, non potuisset tamen adducere *Philadelphum* victoriam illam sibimet arrogantem, quam non ipse, sed Pater ipsius adeptus fuerat, idque non eo tempore quo uterque simul regnabat, sed annis ante viginti & amplius, quando *Philadelphus* non modo non potuerit bello interesse, verum etiam (ut diximus) in cunis fuit. Idem addit; *mirum non esse si Josephus suppresserit nomen Lagidæ, cui infensus adeo erat propter abductos in captivitatem Judæos centum viginti millia, & die Sabbati dolose captam Hierosolymam.* Quod ineptissime dicitur; neque enim nostra quicquam refert quid *Josephus* facturus fuerit, sed quid *Aristeas* fecit, qui victoriam prædictam, cæteraque omnia ad Versionem spectantia, *Philadelpho* soli tribuit: illumque in hoc secutus est *Josephus*. Neque fuit *Josephus* infensus adeo *Ptolemæo Lagi*: cui licet culpæ vertat, quod Judæos tot captivos egerit, eodem tamen loco illum laudat, quod abductos in captivitatem beneficiis complexus fuerit; & alibi illum celebrat, tanquam de Judæis in Ægypto præclare meritum. Et si fuisset animo in illum offensiore, idcircone mentiturus fuit, & Filio ejus adscripturus quæ ille gessit?

4. [a] *Jac. Salianus* locum hunc *Aristeæ* de alia intelligit victoria, quam dicit *Philadelphum* reportasse ab *Antigono Gonata*, supradicti *Antigoni* nepote, quando Atheniensibus contra illum opem tulit, anno circiter regni sui XVIII. Non sine usu fuerit ponere verba ejus de hac re. *Itaque ad Atheniensium subsidium Philadelphus Patroclum cum classe misit, qui & feliciter contra Antigonum pugnavit; cujus rei testes habemus Josephum & Aristeam, qui ambo affirmant eodem die tam nuncium ad Philadelphum*

[a] Annal. an. M. 3785. §. 2.

1 Nullo modo assentior *Vossio*, cum dicit ea verba non esse ipsius Regis, sed ab *Aristea* per parenthesin inserta esse.

de victoria navali contra Antigonum venisse, quam LXXII. *Interpretes Alexandriam Hierosolymis evocatos appulisse. Quod non malum est argumentum in hunc* [a] *annum Philadelphi nobilissimam illam Scripturarum in linguam Græcam interpretationem à* LXXII. *Senioribus Judæorum factam incidisse.* Si qua temporum ratio habeatur, necesse quidem est ut intelligatur, non *Antigonus primus*, sed ille qui *Gonatas* cognominatus est; de quo tamen victoriam *Philadelphi* nullam apud Historicos nacti sumus, quæ ad rem faciat, & pro qua convivia annua instituerit. Quod enim attinet ad bellum illud, quo Ægyptii, *Patroclo* duce, Atheniensibus auxilium præstabant, si ad illud *Aristeas* alluserit (ut opinatur *Saltanus*) rem longe aliter se habuisse, quam ille refert, ex monumentis Historicorum probatorum liquet. In quibus memoriæ traditur, *Philadelphi* copias nihil insigne gessisse, & ne pugnam quidem cum *Antigono* commisisse; tantum abest ut *Philadelphus* tunc victoriam navalem anniversario convivio dignam adeptus sit. [b] *Justinus*, *Trogi* Abbreviator, de illo bello in hunc modum loquitur: *Interea Antigonus cum multiplici bello, & Ptolemæi* [c] *Regis, & Spartanorum, premeretur: novusque illi hostis Gallogræciæ exercitus affluxisset, in speciem castrorum parva manu adversus cæteros relicta, adversus Gallos totis viribus proficiscitur.* Devictis illis, *Ptolemæus* (id est *Ptolemæi* exercitus) *& Spartani, victorem hostium exercitum declinantes, in tutiora se recipiunt. Antigonus quoque ubi eorum discessum videt, recenti adhuc ex priori victoria militum ardore, bellum Atheniensibus infert.* *Pausanias* in *Laconicis* scribit, *Antigono Athenas terrestribus maritimisque copiis obsessas tenente, Atheniensibus subsidio missum fuisse cum classe Patroclum ex Ægypto, & Areum Regem cum voluntariorum Lacedæmoniorum manu. Et Patroclum per nuncios Areum & Lacedæmonios monuisse, ut prælium cum Antigono inirent; se interim Macedonum terga invasurum, quod sui nequaquam pedestri acie pares essent Macedonibus, quippe qui Ægyptii & nautæ essent. Verum Areus* (inquit) *quoniam commeatus fere omnis consumptus fuit, exercitum domum reportavit. Unde factum est, ut Athenienses cum diu acriter restitissent, ut pacem obtinerent coacti fuerint Antigono concedere, ut præsidium sibi in Museo imponeret.* Idem in *Atticis* affirmat, *Ptolemæum Philadelphum, quando classem in navale Atheniensium bellum contra Antigonum miserit, per subsidium illud parum Atheniensibus in salutem contulisse, & nihil magnum fecisse.* Οὔτε Πτολεμαῖος, ναυτικὸν ἔστειλεν ἐς τὴν Ἀθηναίων ναυμαχίαν ἐπ' Ἀντίγονον καὶ Μακεδόνας, ἀλλὰ καὶ ἀπ' αὐτοῦ οὐδὲν μέγα ἐγένετο εἰς σωτηρίαν Ἀθηναίοις.

5. Itaque, sive *Antigonum Magnum* designarit *Aristeas*, sive bellum hoc *Antigoni Gonatæ*, liquet illum insigniter errasse. Claris. *Ussertus* [d] existimat *naumachiæ* ab Aristea celebratæ, *ob historiarum ejus temporis defectum*, nullam alibi factam reperiri mentionem. Quod tametsi forte fieri potuerit, id tamen autumo dubitationem minime sublaturum eruditis Viris & æquis rerum æstimatoribus, qui *Aristeæ* nomina sua nondum religiose dederunt.

6. Si mihi quod potissimum de hac re sentiam exprimere liceat, facile inducor ut credam, insignem illam navalem victoriam, quam *Ptolemæus Ceraunus*, Macedoniæ Rex, *Ptolemæi Lagi* filius natu maximus, de *Antigono Gonata* reportasse perhibetur à [e] *Memnone Heracleota*, ipsi *Philadelpho* affinxisse: idque hac de causa quod *Ptolemæum* illum fuisse filium *Ptolemæi Lagi* [1] accepisset.

[a] *Salianus* ante statuerat factam fuisse Versionem anno Philadelphi 7. desinente, vel 8. inchoato.

[b] Hist. lib. 26. cap. 2.

[c] *Philadelphi*, non *Euergetæ*, ut quidam interpretatur.

[d] Annal. an. M. 3727.

[e] Hist. Heracleæ ap. Photii Biblioth.

1 Odi & tempsi semper illos (sunt ii tamen non pauci) qui nulla habita veritatis ratione errores suos pertinaciter, per fas aut nefas, defendere conantur; nec in se quod falsum est, nec in adversariis suis quod rectum aut pulchrum, agnoscentes. Mihi plane perinde est, sive alios refutem, sive meipsum. Itaque ne quid Lectorem celem quod contra memetipsum videatur facere, meminit *Laertius* in Vita *Arcesilai navalis* cujusdam *pugnæ*, qua *Antigonus Gonatas* victus sit, postquam Athenis fuisset potitus. Is referens *Arcesilaum*, Antigono Athenarum principatum

CAP. XI.

Aristeam *errare, cum statuit* Ptolemæum Lagi *ducem fuisse illius expeditionis, qua centum millia Judæorum in* Ægyptum *abducta fuisse perhibentur.*

Quam probatur primam fuisse illarum quas Ptolemæus *in* Syriam *instituit, & factam fuisse per* Nicanorem Ptolemæi *Ducem.* §. 2. 4. *Captivos non fuisse deportatos eodem bello, quo* Ptolemæus Hierosolymæ *urbem cepit, dum Judæi* Sabbatum *celebrabant.* 5. Hecatæi Abderitæ *liber de* Judæis, Herennio Philoni *suspectus: qui si spurius fuerit, argumentum contra* Aristeam *exinde peti posse.*

ARISTEAS scribit *Ptolemæum Lagi* ad *decem*, sive (ut apud *Josephum* legitur) *super undecim*, Myriadas Judæorum abduxisse captivas, & Ægyptiis maximam eorum partem in servitutem tradidisse. Quamvis autem verum sit myriadas aliquot deportatas fuisse; de expeditionis tamen, qua deportatæ fuerunt, circumstantiis *Aristeas* omnino fallitur; de quibus non potuisset in errorem deferri, si in Palatio Philadelphi Regis floruisset. Atque hoc ut evincamus, ostendemus 1. expeditionem illam, qua Judæi in Ægyptum abducti fuerint, primam fuisse illarum, quas *Ptolemæus* in *Syriam* fecit. 2. *Ptolemæum* ipsum in propria persona non fuisse expeditionis illius Ducem, quod statuit *Aristeas*, sed exercitum alii ducendum tradidisse.

2. Judæos in *prima* expeditione in Ægyptum traductos fuisse, colligitur ex *Flavio Josepho*; qui, [a] postquam narravisset quomodo *Ptolemæus* Hierosolymæ urbem die Sabbati ceperit, Judæorumque plurimos in servilem conditionem rapuerit, subjungit, illum postea captivos bene benigneque habuisse, additque, *non paucos præterea* RELIQUORUM (τῶν ἄλλων) *Judæorum sponte in Ægyptum migravisse, partim ubertate terræ allectos, partim Ptolemæi liberalitate.* Contigit autem ista expeditio *prima* biennio post mortem *Alexandri M.* Et in expeditione *secunda* (quæ accidit annis 9. post primam, nempe anno 12. ab obitu Alexandri, & [b] Ol. CXVII. 1. eademque fuit, in qua *Ptolemæus* Demetrium Poliorcetem apud *Gazam* vicit) devenit sponte in Ægyptum multitudo ista Judæorum altera, nempe Ptolemæo domum redeunti

[a] Antiq XII. 1.

[b] Vide *Syntag. de Ptol.* c. 8.

patum obtinente, cum plerique ei obsequerentur, illiusque domum salutandi gratia confrequentarent, abstinuisse, nolentem in illius notitiam incidere, subnectit: μετά τε τὴν Ἀντιγόνου ναυμαχίαν πολλῶν ἀφισταμένων, καὶ ἐπιστολὰς παρακλητικὰς γραφόντων, αὐτὸς ἡσύχασεν. *Et post navalem Antigoni pugnam plurimis eum adeuntibus, Epistolasque pro consolatione scribentibus, tacuit ipse.* Designari videtur eadem pugna à *Plutarcho De sui laude*, ubi narrat *Antigonum secundum in navali ad Con prælio, amicorum quodam dicente, Non vides quanto plures sint hostium naves? Me vero ipsum* (inquit) *quot navibus opponis?* Idem in *Apophtheg.* rem eandem enarrans, diserte testatur pugnatum tunc fuisse cum *Ptolemæi* Ducibus: Μέλλων δὲ ναυμαχεῖν πρὸς τοὺς Πτολεμαίου στρατηγοὺς &c. *Navali prælio cum Ptolemæi Ducibus congressurus, dicente gubernatore multo plures numero esse hostium naves: Me vero* (inquit) *ipsum præsentem quam multis comparas?*

Ex istius vero victoriæ mentione, quam facit *Aristeas*, argumentum aliud nobis suppeditatur, voluisse illum Versionem factam fuisse non illo temporis intervallo, quo regnabant simul *Ptolemæus Lagi* & *Philadelphus*, sed multis post annis. Siquidem regnare cœpit *Antigonus Gonatas* annis 5. post mortem *Ptolemæi Lagi*, ut videre est in *Eusebii Chronicis*. Et *Antigonum Gonatam* Athenienses in deditionem accepisse Ol. CXXIX. 3. monet *Aldobrandinus* in *Laertium*; qui annus fuit XXIII[us] post mortem *Ptolemæi Lagi*. Pugnatum fuisse post annum saltem XV. ab obitu illius, vel exinde liquet quod testatur *Eusebius* obiisse *Polemonem* Philosophum eo anno, *postquam illum Cratetem & Arcesilam* (sive *Arcesilaum*) *claros habitos fuisse.* Constat enim ex *Laertio* pugnatum fuisse post ipsius *Cratetis* mortem & postquam *Arcesilaus* Scholæ præesse cœpisset: quem docet *Laertius*, *Cratetí vita functo in Schola successisse.* Illum *Polemoni* defuncto in Schola successisse ait *S. Augustinus lib.* 3. *contra Academicos.* In *Eusebii Chronicis* legimus *Antigonum Gonatam Atheniensibus reddidisse libertatem* anno XXIX. post obitum *Ptolemæi Lagi*, atque inde constat illum ante id temporis à *Philadelpho* victum fuisse. Atque hoc satis convenit cum computo illo quo statuitur victum fuisse anno XXIII. post *Ptol. Lagi* mortem. *Pausanias* ubi loquitur de præsidio Atheniensibus ab illo imposito, subdit: καὶ τοῖς μὲν ἀνὰ χρόνον αὐτὸς ἐξήγαγεν ἑκουσίως τὴν φρουρὰν ὁ Ἀντίγονος. quæ Interpres sic vertit: *quod tamen* NON MULTO POST *ultro deduxit.*

a Ap. *Josephum* lib. 1. c. Ap.

comites se dederunt, ut in libro *de Judæis* testatur [a] *Hecatæus Abderites*, qui cum ipso Ptolemæo Lagi tunc temporis versabatur. *Ptolemæus* (inquit) *post pugnam ad Gazam, potitus fuit locis Syriæ, & adjacentibus: & multi homines cognita Ptolemæi comitate, & humanitate cum eo in Ægyptum proficisci, & ejus sub auspiciis vivere voluerunt: quorum unus erat Ezecias Judæorum Pontifex, homo ætate annorum circiter 66. dignitate apud gentiles suos magnus, & ingenio non bardus: præterea dicendi facultate pollens, & rerum gerendarum, si quis alius, peritus.* Cujus *Ezeciæ* consuetudine ac familiaritate addit se in Ægypto usum fuisse. *Josepho* disertis verbis adstipulatur *Eusebius* in Chronico ad Ol. cxiv. 3. (ad quem annum *Diodorus Sic.* expeditionem primam conjicit) sic scribens: *Ptolemæus Lagi F. Ierosolymis & Judæa in deditionem suam dolo redactis, plurimos captivorum in Ægyptum transtulit.* Huc adjici potest testimonium

b Ap. Jos. l. c.

Hecatæi modo laudati, [b] qui tradit *multas myriadas Judæorum abductas, in Babylonia à Persis primum collocatas fuisse, & non paucas etiam post mortem Alexandri in Ægyptum & Phœnicen translatas fuisse propter seditionem in Syria factam.* Ubi per ista, *post mortem Alexandri*, luculente ostenditur abductos fuisse Judæos illos *statim fere post mortem Alexandri*: *Hecatæus* enim hoc scripsit paucis annis, *viginti* forsan vel circiter, post *Alexandri* mortem. Et ipse testatur tantum abfuisse, ut Judæi in *secunda* expeditione, nempe anno 12mo ab *Alexandri* morte, in captivitatem cogerentur, ut *Ptolemæo* ab illa in Ægyptum regredienti comites se ultro addiderint Judæorum multi, allecti ejus humanitate. Accedit denique ad hæc omnia, quod *Diodorus Sic.* testatur *Cæle-syriam* & *Phœniciam* in expeditione *prima* perdomitas fuisse, *Ptolemæique* ditioni adjunctas; quas easdem duas regiones disertim meminit *Aristeas* Ptolemæum subegisse in illo bello, quo Judæi tot captivi in Ægyptum deportati sunt.

3. *Ptolemæum* ipsum in expeditionem milites suos tunc temporis eduxisse, quando *Cæle-syriam Phœniciamque* subegit, & Judæos captivos abduxit, *Aristeas* his verbis docet: *Ratus sum adesse tempus agendi de liberatione illorum, qui à Patre Regis traducti ex Judæa fuerant. Nam ille adortus* (ἐκεῖνος γὰρ ἐπελθὼν) *partes Cæle-syriæ & Phœniciæ, cum & viribus præstaret, & ubique fortunam haberet faventem, alios in colonias traducebat, alios captos abducebat: passimque terrore injecto ita subjugarat omnia, ut ad decem myriades ex Judæâ in Ægyptum traduceret: ex quibus circiter tres myriades, electos & armis instructos Viros, assumpsit in regionem, ut in præsidiis ipsius degerent.* In edicto Regis *Philadelphi* de Captivis manumittendis, illi, qui in Ægyptum Judæos pertraxerunt, dicuntur συστρατεύσαντες τῷ πατρὶ, *in militiam una cum Patre ejus profectos fuisse.* Ibidem dicitur, Captivos una cum Patre ejus in Ægyptum venisse; συνεληλυθέναι τῷ πατρὶ ἡμῶν εἰς τὴν Αἴγυπτον.

4. Jamvero bellum illud non gestum fuisse à *Ptolemæo* ipso, sed per

c Non *Seleucum Nicanorem*, Babylonis postea Regem quod *Saliano* placet, sed alium.
d Lib. 18.

Ducem ejus [c] *Nicanorem*, *Diodori Siculi*, auctoris severissimi, testimonio constat. [d] *Ptolemæus* (inquit) *advertens Phœniciam, Syriamque quæ Cava dicitur, Ægypto perquam commode adjectam, multum in hoc operæ dedit, ut urbibus illis potiretur. Nicanorem igitur unum ex amicis Ducem creat, & cum justis illuc copiis mittit. Is expeditione in Syriam facta, Laomedontem regionis satrapam capit, Syriamque totam in potestatem redigit. Ita Phœniciæ quoque urbes subigit, præsidiisque munit, & operosa intra breve tempus expeditione perfunctus in Ægyptum redit.*

e Ap. *Josephum* lib. 1.

5. Lectorem non celandum est, quod ab [e] *Agatharchide* memoriæ proditur, nempe *Hierosolymam* captam fuisse die Sabbati, *Ptolemæo* ipso *præsente & duce.* εἰσιόντες εἰς τὴν πόλιν Πτολεμαίου μετὰ τῆς δυνάμεως &c. Unde, cum *Josephus* & *Eusebius* doceant Captivos abductos fuisse in illo bello,

quo

quo Ptolemæus Hierosolymæ urbem, Judæis *Sabbatum* celebrantibus, expugnaverit, videtur argumentum pro *Aristea* desumi posse. Esto. At longe verisimilius est *Josephum* (nam *Eusebium* is fefellit) de ea re à veritate paululum aberrasse, quam vel Captivos non factos fuisse in *primo* bello Syriaco, vel primo illi bello præfuisse Ptolemæum ipsum, & non *Nicanorem*, de quo tam luculentum habemus *Diodori* testimonium. Cum enim *Josephus* accepisset, Ptolemæum Hierosolymam cepisse dum cives in Sabbato otiarentur, atque etiam Judæorum multos patriis de sedibus exturbasse, errore facillimo putare potuit, utrumque eadem expeditione factum fuisse. Constat autem Ptolemæum Hierosolymæ urbem vicinasque regiones armis suis obtinuisse sæpius; sæpiusque, Antigono earum potito, amisisse. Atque hæc fortasse res *Aristeæ* ipsi ansam erroris præbuit, quod putarit Judæos in servitutem tunc traductos fuisse, quum die *Sabbati* Ptolemæus Urbem invaderet.

6. Reliquum est aliud, quod præterire non debemus, nempe *Hecatæum* in libro *de Judæis* (è quo superius testimonia protulimus) adeo laudasse *Judaïcæ* gentis sapientiam, ut *Herennius Philo* (sicut auctor est [a] *Origenes*) in suis de Judæis Commentariis existimaverit, vel eum correptum fuisse Judæorum persuasionibus probasseque illorum placita, vel hujus Historici id scriptum non fuisse. Si posterius verum sit, auctoritas ejus libri multum infirmaretur: non tamen tolleretur tota; & nulla esset dubitandi ratio utrum in prima Ptolemæi expeditione Judæi in captivitatem mitterentur necne, siquidem alia sunt in eam rem testimonia. Et sane si placet *Aristeæ* sequacibus, libenter illis concedam, non scriptum fuisse librum istum ab *Hecatæo*, sed à *Judæo* aliquo sub ejus nomine. Hoc enim in novum cedet contra Fabulam *Aristeanam* argumentum: quandoquidem *Aristeas*, qui *Hecatæo* coævum se, licet paulo juniorem, credi voluit, ex illo tamen libro sub *Hecatæi* nomine edito testimonium adducit. Nemini namque dubium esse potest, quin liber ille, si suppositítius esset, ederetur diu post mortem [1] *Hecatæi*.

[a] L. 1. c. Celsum.

1 Ad hoc Caput his verbis respondet Vossius. *Alium errorem impingis Juvenis Oxon. Aristeæ, ac si ille confundisset primam & secundam Ptolemæi in Syriam expeditionem. Dicit in prima expeditione, quam per Nicanorem confecit Ptolemæus, omnia ista capta fuisse mancipia, quibus postea libertatem concessit Philadelphus. Hoc ut efficias, mirifice sane torques Josephi verba, & ex male intellecto loco, pejora etiamnum formas consequentia. Tria Josephus memorat Judæorum genera, quæ captis Jerosolymis in Ægyptum & alias Ptolemæo obnoxias migrarunt terras. Primo recenset illos qui in montanis locis & in vicinia viverent Jerosolymorum, quos omnes bello captos mancipia fecit & in Ægyptum transtulit Ptolemæus. Deinde loquitur de Jerosolymitis, quorum multos secum abduxit, & quod fidem illorum perspectam haberet, tuendis arcibus præfecit & Civitatis Alexandrinæ jure donavit. Postremo agit de aliis qui vel Jerosolymis vel alibi remansissent Judæis, quos dicit ubertate terræ Ægyptiæ & munificentia Ptolemæi inductos & ipsos sponte sua in Ægyptum migrasse.* Addit, Me velle, *Judæos istos qui sponte sua terras suas deseruere, non tamen prius in Ægyptum migrasse quam libertas redderetur iis, quos primo Josephus recensuit, captivis. Sed scire velim unde tale potuerit haurire somnium, cum tam clara sint Josephi verba? Desinas tandem scriptorum vexare loca, & tam alienos illis affingere sensus. Credas Josepho, & illi, cui & Josephus & omnes credidere antiqui, Aristeæ inquam, qui rem clare explicat, cum in edicto Philadelphi, quod scripto suo inseruit, non unius temporis Judaica recenseat mancipia, utpote qui scribat, illa non tantum cum caperentur Jerosolyma, sed & antea & postea fuisse deportata. Quid enim verbis opus manifestius? Ὀργάς δὲ ἢ οἵ τινες ἀπὸ [illegible], ἢ καὶ μετὰ ταῦτα εἰσὶν [illegible]* Hæc Vossius. Quibus tam confidenter positis quis non crediderit Juvenem Oxon. penitus refelli, & ad extremas redigi angustias? Cum omnia tamen vel à vero sunt aliena, vel nihil omnino ad rem faciunt.

Aristeas voluit *Ptolemæum ipsum* ducem fuisse expeditionis, qua *Syriam & Phœniciam* subegit, & *terra Judæa* perdomita tot Judæorum millia abducta sunt captiva. Quod falsum esse ostendi auctoritate *Diodori Sic.* testantis non Ptolemæum ipsum, sed *Nicanorem* fuisse ducem in illa expeditione qua *Syriæ & Phœniciæ* regiones subactæ sunt. Et insignem illam Judæorum deportationem fuisse in illa expeditione, de qua loquitur *Diodorus*, quamque confectam fuisse à *Nicanore* testatur, confirmavi testimonio *Eusebii* in Chronicis, qui expeditionem qua *Jerosolyma* capta, & *Judæa* sub Ptolemæi ditionem redacta, & tot captivi in Ægyptum abducti sunt, refert ad Ol. CXIV. 3. ad quem ipsum annum *Nicanoris* expeditionem *Syriæque & Phœniciæ* subactionem refert *Diodorus*. Quid ad hæc *Vossius*? Ne verbulum quidem.

Sed expeditionem qua tot Judæi captivi abducti sunt, eandem fuisse cum illa quam describit *Diodorus*, nempe cum prima copiarum Ptolemæi, exinde quoque evicimus, quod *Josephus* innuit, post expeditionem illam qua Jerosolyma capta sunt, & captivi tot deportati, *migravisse non paucos reliquorum Judæorum sponte in Ægyptum, partim ubertate terræ allectos, partim Ptolemæi*

CAP.

CAP. XII.

In dubium revocantur plura, quæ tradit Aristeas *de Judæis Captivis, eorumque manumissione.*

Petri Comestoris *inepta conjectura.* Judæi Ægyptienses *hodierni unde orti.* §. 2. Judæorum *fabula de* Esdrâ *Propheta in Aula* Ptol. Philadelphi *commorante. Antiquorum sententiæ variæ de causa manumittendi Judæos captivos.* 3. *Non videtur probabile* Ptolemæum Lagi *tot Judæos in servilem conditionem dedisse. Illum benevolum erga Judæos in Ægyptum deductos se præbuisse. Judæorum* Cyrenaicorum *origo.* 4. *Perperam dici* Judæos *propter nullum suum crimen abductos fuisse captivos.* 5. Aristeam *videri ignorasse* Alexandrum M. *coloniam Judæorum in urbe* Alexandrina *posuisse.*

COMPERTUM habemus, *Hecatæo* teste, (sive verus is fuerit *Hecatæus*, sive *Judæus* aliquis) Judæos illos, quos è patria Ptolemæus deportabat, non fuisse omnes in *Ægyptum* deductos, sed partim in Ægypto, & partim in *Phœnicia* collocatos: cum è contra *Aristeam* existimasse illos omnes in Ægyptum pertractos fuisse, ex eo colligi posse videtur quod tantam illorum multitudinem, nempe supra 100000. in Ægypto numeret, & quod ubi de deportatione ista tractat, mentionem nullam facit de ullis in *Phœnicia* dispositis: nisi forsan illos designet, cum dicit *alios in colonias fuisse traductos.*

2. *Marinus Sanutus Torsellus* [a] scribit *Captivos Judæos, venditioni in Ægypto à Ptolemæo expositos, à negotiatoribus nationum distractos fuisse, & per Orbem dispersos plusquam in aliqua captivitate: propter quam* Act. 11. *dici, quod convenerant in Jerusalem, ex omni natione quæ sub cælo sunt.* Eadem habent cum alii, tum [b] *Petrus Comestor*, quem cæteri (opinor)

[a] Libro Secretorum fidelium Crucis l. 3. parte 1. c. 10.

[b] Hist. Schol.

lemæi erga Judæorum gentem liberalitate: & Hecatæus testatur, in secunda expeditione quæ accidit Ol. CXVII. 1. *multos homines cognita Ptolemæi comitate & humanitate, cum eo in Ægyptum profectos fuisse, sub illius auspiciis vivere volentes*; inter quos fuisse *Ezeciam Judæorum quendam pontificem dignitate apud gentiles suos magnum.* Observavimus quoque eundem *Hecatæum* testem esse, *non paucos Judæos* in Ægyptum captivos abductos fuisse *post mortem Alexandri*, i. e. brevi post mortem Alexandri, adeoque in *prima* expeditione quæ per *Nicanorem* confecta est.

Quod *Josephi* pro hac re usus sum testimonio, mirifice excandescit V. D. Ait *Josephum*, ubi loquitur de Judæis ubertate terræ Ægyptiæ & munificentia Ptolemæi in Ægyptum allectis, intelligendum esse de eadem expeditione qua tot mancipia facta sunt. Atqui hoc ut ab omni veritatis specie abhorret (quomodo enim Ptolemæi munificentia allici potuerunt eodem ipso tempore quo videbant 100000. suæ gentis homines captivos abductos?) sic quoque à *Josepho* nullo modo subindicatur. Illius omnino instituti fuit, ut clarum est, non de una tantum Ptolemæi expeditione verba facere, sed omnia illius gesta quæ Judæos spectabant, simul enumerare. Postquam in Capite præcedente quomodo se erga Judæos gesserit *Alexander M.* quæque eis contulerit beneficia, descripsisset, in toto hoc Capite *Ptolemæi Lagi* gesta varia referre aggreditur; ut in Capite sequente *Philadelphi.* Post mortem (inquit) Alexandri, *tota Syria gravissima passa est sub Ptolemæo Lagi, quem præter meritum Soterem appellabant. Is & Hierosolyma occupavit, — & acerbe eam & inclementer tractavit. Multos Captivos ex montana Judææ tractu & Hierosolymorum vicinia, Samariaque & Garizim monte in Ægyptum traductos jussit sedes ibi figere. Et cum Hierosolymitas pertinacissime jusjurandi fidem servare compertum haberet ex responso quod Alexandri legatis post Darii cladem dederant, multa ex eis præsidia disposuit per arces: & cum eis apud Alexandriam jus civitatis pari cum Macedonibus conditione dedisset, sacramento omnes devinxit, servaturos fidem posteris ejus qui tam multa ipsis crediderat. Non pauci præterea reliquorum Judæorum sponte in Ægyptum migraverunt, partim ubertate terræ allecti, partim Ptolemæi erga suam gentem liberalitate. — Post hunc Philadelphus assumpto Ægypti regno &c.* Quid in hisce reperitur, unde constet illum de uno passim eodemque tempore loqui? Nolim *Vossium* errores suos tam pertinaciter defendisse, & ne cui cedere videretur, *scriptorum vexasse loca, & tam alienos illis affinxisse sensus.*

At nonne loquitur *Aristeas* de Judaicis mancipiis diversis temporibus factis? Esto sane. Et quid tum postea? *Quicunque* (inquit edictum) *militantes cum patre nostro in regionibus Syriæ & Phœniciæ adorti terram Judæam obtinuerunt corpora Judaica, & ea secum perduxerunt huc in civitatem aut regionem, aut etiam aliis vendiderunt: similiter SI QUI VEL ANTE ADERANT, VEL POSTEA SUNT HUC ADDUCTI EX JUDÆIS, volumus, ut qui eos habent, illico dimittant à se liberos.* Quomodo hæc contra ea quæ disserui faciant, nullatenus video. Postquam de insigni illa captivorum deductione locutus fuisset Rex, ne alii nonnulli remanerent in Ægypto captivi, qui non in illa expeditione traducti sunt, sed ante ea tempora quovismodo, vel forte post (*SI QUI* tales reperiendi essent) eos quoque jubet esse liberos.

secuti

secuti sunt. Quæ quidem nihil aliud sunt, quam purum putum figmentum, & omnino quoque contrarium istis quæ tradit *Aristeas*. Refert enim ille Captivos in Ægypto, sive sub Ægypti ditione, commoratos fuisse, & à *Philadelpho* tandem plerosque omnes Penatibus restitutos. [a] *Jos. Scaliger* non credit illos in integrum restitutos fuisse, veterum numerosas illas Synagogas Ἑλληνιστῶν sub Regibus *Ptolemæis*, & innumerabilem multitudinem Judæorum Ægyptiensium hodiernorum, item *Samaritas*, qui [1] adhuc in urbe *Cairo* morantur, existimat non aliunde quam ex hac deportatione propagatos. Quod licet ex parte verum sit fortasse, illud tamen ut crederet non necesse fuit, cum certissima historiarum fide liqueat, Judæorum examina in Ægyptum sæpius transmigrasse. Certe ingens eorum multitudo sub *Alexandro M.* in ea regione sedes sibi fixit: &, ut omittam illos quos humanitas *Ptolemæi Lagi* illuc pertraxerit, magna proculdubio turba illuc demigravit, quando Templum ibi ab *Onia* Sacerdote, regnante *Ptol. Philometore*, [b] conderetur. Neque potest dubitari, quin multa alia agmina in illud sese regnum contulerint.

[a] Ad num. Euseb. 1731.

[b] Josephus Antiq. XIII. 6. de Bello VII. 30. Hieron. Com. in Dan.

3. Ut non negaverim remissos fuisse in patriam à *Philadelpho* Judæos aliquot, ita rebus omnibus quas de illa manumissione *Aristeas* prodidit, vix possum assensum præbere. Liquet enim à Judæis de illa ficta fuisse multa, quibus veritas non constat, & quæ maxime inter se pugnant. Eorum scil. aliqui eo usque provecti sunt deliriorum, ut somniarent *Esdram* Scribam (qui tertio fere seculo *Philadelphum* antecessit) auctorem illius beneficii extitisse. A Judæis enim id videtur acceptum fuisse quod legimus apud [c] *Gotfridum Viterbiensem. Iste Philadelphus* (inquit) *dicitur Esdram Prophetam in palatio suo tenuisse charissimum, & ejus petitione Judæos maxime ab exilio revocasse. Aristeas* noster, & ex eo *Josephus*, *Eusebius*, alii, scribunt Judæos libertati restitutos fuisse Versionis impetrandæ gratia. Iste vero nugivendulus, qui sub nomine *Aristeæ* mentitus est librum illum, quem legit *Epiphanius*, tradit illos libertate fuisse donatos diu ante interpretationem Legis, & non illius causa. [d] *Josephus Gorionides* (suffragante *Petro Comestore*) ait illos captivitate liberatos fuisse post confectam Versionem.

[c] Chron parte XI.

[d] Hist. Jud. III. 1.

4. Refert *Aristeas Ptolemæum Lagi* centum circiter Judæorum millia patriis de sedibus in Ægyptum deduxisse, & eorum circa 30000. electos & armis instructos Viros, qui ætate roboreque præstarent, in præsidiis suis collocasse; *reliquam turbam seniorum ac juniorum, & mulierum etiam, concessisse militibus in servitutem non tam sponte & consilio quam exoratum ab illis, ad usus & necessaria in belli rebus ministeria.* Præter quos commemorat Judæos alios in Ægypto captivos, quos Persæ olim illuc deportaverant; adeo ut numerus illorum Judæorum, qui in Ægypto servitute premebantur, privatis subjecti dominis, excesserit *centum millia.* Qua quidem de re non possum non dubitare, quia *Ptolemæum Lagi* Judæis, quos in Ægyptum per Duces suos deduxerat, benignissime fecisse, argumenti satis esse videtur, quod reliquorum Judæorum multi (uti testantur *Hecatæus* & *Josephus*) beneficentia & humanitate ejus usqueadeo allecti fuerint, ut sponte post istam captivitatem in Ægyptum devenerint, & sub ejus potius auspiciis maluerint, quam in patria vivere. Quod certe mirandum est illos fecisse, si tot ipsorum populares gravi affligerentur servitute. Adde, quod [e] *Josephus* testis est *Ptolemæum Lagi* beneficia multa apud Judæos in Ægypto posuisse; & memoria sua extitisse illius *Epistolas* de privilegiis Judaicæ genti concedendis Alexandriæ; atque illum insuper [f] *Judæos donavisse Civitatis jure*

[e] Lib. 2. c. Ap.

[f] Antiq. XII. 1.

1 *Scaligeri* tempore: nam hodie ibi nulli supersunt, teste *Vanslebio* in *præsenti statu Ægypti*: ubi ultimæ eorum familiæ, ejusque brevi extinguendæ meminit.

æquali cum ipsis Macedonibus. Illud porro mirandum, *Ptolemæum Lagi* 30. vel 40. [f] Captivorum Judæorum millia in præsidiis suis disposuisse, si illorum tot Populares in acrem addixisset servitutem. Quomodo sperare potuit illos intemeratæ fidei futuros? qui sane viderentur magis quam alii quivis, res novas molituri, ut Cives suos, Patres, Matres, fratres, sorores, filios, filias, consanguineos, amicosque eximerent servitute, patriæque compotes facerent. Probabilius hercle videtur Judæos in Ægyptum abductos, maxima ex parte libertatem habuisse concessam à *Ptolemæo Lagi*, cujus clementia magnopere [a] celebratur. Et videtur *Philadelphum*, volentem (ut legitur) Civitates exteras sibimet obligare, facultatem illis permisisse, ut quotquot vellent suam in patriam se reciperent. Unde crediderim *Aristeam* occasionem cepisse fingendi tantam Judæorum multitudinem ab eo sui juris factam fuisse. Quibus addidit tanta beneficia ab eo collocata fuisse, ut à Judæis ipsorum Lex & Interpretes impetrari possent. Quod quidem nullo modo concedam, etsi de cæteris non contendero, si quis duriorem se præbuerit. *Josephus* scribit *Ptolemæum Lagi non solum Ægypti munitiones Judæis captivis commisisse, verum etiam cum Cyrenarum & reliquarum Africæ urbium imperium tenere vellet, in eas partes misisse partem Judæorum ad habitandum.* A quibus existimo ortos fuisse Judæos illos *Cyrenaicos*, quorum mentio in *Novo Testamento.*

[a] Adi Diodorum Sic. l. 19.

5. In Decreto Regio de manumittendis Captivis Judæis, istius manumissionis hæc redditur ratio: *Nam arbitramur illos neque ex Patris nostri voluntate, neque ut decet, & æquum est, captos fuisse: sed ex militari impetu & regionem vastatam, & Judæorum in Ægyptum traductionem factam. Nam quod commodi contigit ex auxilio militum regionis, hoc satis magnum fuit: quia vero homines etiam ipsi, sunt captivi abducti, hoc est omnino iniquum. Cum ergo constitutum habemus reddere omnibus jus suum, & multo magis illis qui sine ratione sunt sub imperio alieno: cumque ubique & in omni negotio eligamus quod rectum sit ratione & justitiæ & pietatis: ideo mandavimus &c.* In quibus dicitur Judæos nullo suo crimine è patria fuisse exturbatos, quod falsum esse testatur ipse *Hecatæus*, licet Judæis ille usqueadeo faveret, ut *Judæus* fuisse à nonnullis crederetur: qui docet illos ideo deportatos fuisse in Ægyptum & Phœnicen, quod in Syria seditiones motusque conciverant. Et facillimum est perspicere hæc omnia nihil aliud fuisse, quam Judæi alicujus declamationem in Ægyptios, qui Judæos tot captivos duxisse credebantur.

6. *Aristeas* dicens centum millia Judæorum in Ægyptum abducta fuisse à *Ptolemæo Lagi*, subnectit: *Sed ante quoque satis multi pervenerant cum Rege Persarum, & ante hos alii, ut auxiliarii, missi erant ad Psammetichum, quocum pugnarent adversus Regem Æthiopum: verum illi non tot multitudine erant quot secum abduxerat Ptolemæus ille Lagi F.* Quo in loco recenset diversas Judæorum turbas, quæ in Ægyptum variis temporibus migraverant ante regnum *Ptolemæi Lagi*, & patet illum ignorasse, (quod tamen *Aristeas Philadelphi* Aulicus ignorare non potuit) *Alexandrum M.* paulo ante regnum Ptolemæi Lagi coloniam illorum deduxisse in Ægyptum, partemque Urbis suæ, quam condiderat, Alexandriæ dedisse illis ad incolendum, concesso illis privilegio cum ipsis Macedonibus pari, teste [b] *Josepho*, & post illum [c] *Hegesippo.*

[b] Lib. 2. c. Ap.
[c] Anacephalæosi de Excidio urbis Hierosol.

[f] Præter 30000. illorum, quos ipse abduxerat, multis eorum quos *Persæ* captivos egerant, præsidia commisisse dicitur in Epistola Regis ad Pontificem.

CAP.

CAP. XIII.

Verisimile non esse, Demetrium Phal. *adiisse Regem per Epistolam*, *sicut scribit* Aristeas. §. 1. Aristeas *reus absurdæ Tautologiæ*. 2. 3. *Sibi ipsi contradicit*. 4. *Tres Epistolas* Ptolemæi *Regis*, Eleazari *Pontificis*, *&* Demetrii Phal. *quæ apud illum leguntur*, *unius ejusdemque hominis stylo scriptas esse*. 5. *Epistolam* Demetrii, Hen. Valesii *judicio*, *insulsam esse*, *&* *barbaris vocibus plenam*, *indignamque* Demetrio. 6.

[a] JO. WOWERIUS ait *Demetrium* apud Aristeam *ridicule Regem præsentem per Epistolam alloqui*. Quæ objectio ut tollatur, respondet [b] *Is. Vossius*, Reges etiam ab iis qui in eadem Aula versantur adiri literis & libellis supplicibus & olim & nunc *tralativum* esse; quod etiam ante illum concesserat ipse *Aristeæ* adversarius illustris [c] *Scaliger*, locum hunc ex *Plauto* adducens: *Quasi Regem adiri solere eum aiunt per* [1] *Epistolam*. Quod quamvis dubitem dictumne fuerit de degentibus in Aulis Regum, non nego tamen morem fuisse Regum aliquorum, & nunc esse, à domesticis etiam suis conveniri per [2] Epistolas. Sic dicitur [d] licere nemini, præter Uxores, Liberos, & Eunuchos, aliter ac scripto adire *Chinensium* Regem. Veruntamen vehementer ambigo an ullis ejusmodi exemplis *Aristeas* excusari possit. Nam, [1] cum paulo ante cum Rege collocutus fuisset *Demetrius* de libris Judæorum in Bibliotheca reponendis, uti ait *Aristeas*, vix credibile videtur illi non fuisse facultatem conveniendi Regem, consilium ejus de libris describendis exquirentem. Credine potest illum, virum Regi officiis, usu, consuetudine conjunctissimum, in mandatis ab illo accepisse ut tantummodo scriberet quid animi sui esset? Nonne verisimile est Regem voluisse consilia cum illo per colloquium miscere, atque ita elicere atque explorare quid consultius esset? Quod dicit *Aristeas*, *Demetrium* ideo à Rege mandatum habuisse, ut consilium suum de libris describendis per epistolam offerret, *quod apud Ægyptios Reges nihil inconsiderate & temere*, *sed omnia ex mandato & cum magna diligentia administrata fuerint*, videtur satis ex illis refutari, quæ ipse paulo ante scribit, nimirum de *Demetrio* sermones familiares cum Rege de Lege Judæorum in Bibliotheca recondenda conferente; & de seipso quod inter *colloquendum*, sine ulla Epistola, à Rege petebat, ut Judæi captivi libertate donarentur; item de *Sosibio* & *Andrea*, quod ii quoque cum Rege de re eadem sermones confererent, illique consilium darent. Nec videtur *Aristeam* ullam aliam ob causam id scripsisse, quam quod putârit Historiæ suæ auctoritatem majorem, producta de opere Versionis Epistola Regis, conciliatum iri. Observat *Scaliger* ex [e] *Josepho*, *Oniam*, Judæum Sacerdotem, familiarem Regi *Ptolemæo Philometori*, huic obtulisse Episto-

a De Bibl. Interp. cap. 4.
b De LXX Int. cap. 4.
c Ad Num. Euseb. MDCCLXXXIV.
d Herbert. Itin.
e Antiq. XIII. 6.

1 Plutarchus in *Cleomenis*, Regis Spartanorum, Vita, meminit, *eos qui illum adirent*, *neque purpuras circa eum*, *neque lænas*, *neque lectulorum conspicerent vel lecticarum instrumentum*, *neque per nunciorum & janitorum gregem*, *vel* per libellos *gravatim & cum difficultate respondentem*, *verum illum ipsum pallio amictum plebeio ad salutationes occurrentem*, *colloquentemque*, *&* *vacantem exporrecto vultu humanoque adeuntibus*.

2 Tacitus Annal. IV. 39. meminit *Sejanum* ipsum de Livia sibi in uxorem danda, *composuisse ad Tiberium Cæsarem codicillos*. *Moris quippe* (inquit) *tum erat*, *quanquam præsentem scripto adire*. Tales Epistolæ *Codicilli* proprie dicebantur. *Seneca* Epist. 55. *Video te*, *mi Lucili*, *cum maxime*, *audio*: *adeo tecum sum*, *ut dubitem*, *an incipiam non Epistolas*, *sed Codicillos tibi scribere*.

3 Quid sibi velit *Vossius*, cum dicit *me contendere Demetrium Phalereum*, *&* *alios istos in aula regia viventes per Epistolam non convenisse Philadelphum Regem*: *pertendere me servorum & vulgarium hominum hunc esse morem*, *non autem illorum qui tanta familiaritate Regi essent conjuncti*. *Parum gnarum me esse eorum quæ in aulis Regum Principumque geruntur*. His, inquam, quid sibi velit, ipse viderit. Talem esse in aulis Regum consuetudinem & optime novi, & aperte fassus sum. Dubitavi tantum de hoc exemplo, ob peculiares quasdam circumstantias.

lam de Templo in Ægypto construendo, cum tamen (ut inquit) ab Aula Regis non recesserit. Atqui hoc (*Scaligeri* venia) non constat, & ex Epistola, [1] quam ei Rex rescripsit, satis clarum videtur, *Oniam* tunc in Aula non fuisse versatum.

2. Verum enim vero si fingamus Regem *Demetrio* præcepisse, nt per Epistolam significaret, quid sibi videretur faciendum, si tamen in Epistolam conjiciamus oculos, apparebit ea tam inepta, tamque absurda esse, ut qnod maxime. Cum Rex *Demetrium* interrogaret, qnot librorum myriades in Bibliotheca repositæ fuerant, *Aristeas* ait illum, responso dato, subjunxisse, *narratum fuisse sibi Judæorum etiam Leges dignas fuisse quæ describerentur, & in regiam Bibliothecam seponerentur; indiguisse autem illas interpretatione, utpote quæ Hebraico scriberentur idiomate.* Quibus auditis, Rex constituit mittere ad Pontificem Judæorum, ut quæ exposita fuerant perficerentur; atque captivos Judæos, in libertatem vindicavit, ut ab illo impetrari posset, quod in votis habebat. Post peracta hæc omnia, jussit (ut diximus) *Demetrium* sententiam suam scripto offerre de libris Judæorum describendis; quod *Demetrius* (inquit *Aristeas*) fecit, & in Epistola sua in hanc sententiam scripsit: *Ego hactenus non segnem* in instruenda Bibliotheca tua *navavi operam, & nunc præterea ad te refero, Legum Judaicarum libros cum paucis quibusdam deesse. Constant enim hi lingua & literis Hebraïcis.* ——— *Rectum autem fuerit, & hos libros accurate elaboratos extare inter tuos: quia hæ Leges & sapientiores & sanctiores sunt aliis, ut quæ sunt divinæ.* Quam dissentaneum est rationi, quam abhorrens ab omni veritatis specie, *Demetrium* in Epistola Regem monitum fecisse de illa re, quasi nova illi & prorsus inaudita fuisset, quam ipse illum paulo ante docuerat, & scivit illi fuisse notam?

3. Consentaneum est, qnod *Demetrius* in eadem ait Epistola, *cum alios Scriptores & Poetas, tum Historicos omnes abstinuisse à mentione librorum Judaicarum Legum, & Virorum illorum qui per Leges illas administrarunt unquam remp. propter sapientiam & sanctitatem illarum*: in fine tamen libri inducitnr Rex *Demetrium* percontans, *Quare tanti operis nullus Historiographorum aut Poetarum aggressus sit mentionem facere?* Adeone fallax & infirma fuit Regi memoria, ut quod ante didicerat ex Epistola, protinus illi ex animo difflueret? Hiccine est *Aristeas* ille, Ptolemæi Purpuratus? Hiccine Vir doctissimus, qui Lectorem tantis vexat fatigatque ineptiis?

4. Notandum est insuper *Demetrium* in Epistola prædicta sibi non constare. In initio enim libri nbi Rex sciscitaretur, quot myriades librorum in Bibliotheca fuerant repositæ, respondit fuisse *myriades viginti*; multo vero plures, nempe 30. vel 50. myriades, restitisse reponendas, quas promisit se brevi reconditurum: ὑπὲρ τὰς εἴκοσι, βασιλεῦ· πληρώσω δὲ σὺν ὀλίγῳ χρόνῳ πρὸς τὸ πληρωθῆναι πεντήκοντα μυριάδας τὰ λοιπά. *Assunt, Rex, ultra viginti: sed brevi efficiam, ut reliquis adimpleantur myriades 50.* At quid postea? In Epistola paucis post diebus conscripta declarat Regi *paucissimos libros* Bibliothecæ defuisse, nempe libros Legis Judæorum *cum aliis quibusdam paucis*: Τὰ νόμου τῶν Ἰουδαίων βιβλία, σὺν ἑτέροις ὀλίγοις τισὶν ἀπολείπει. Ita legitur in Codicibus nostris, & apnd *Eusebium*: *Josephus* habet tantum, σὺν ἑτέροις; verbis illis, ὀλίγοις τισὶν, brevitatis causa omissis.

5. *Scaliger*, & post illum *Wowerius*, & *Rivetus*, ex scribendi genere argumentnm petunt contra Scriptorem nostrum. Dicunt exemplaria

1 *Futile est* (inquit *Vossius*) *quod de Onia Scaligero objicit Juvenis Oxon. Si enim voce tantum annuisset Rex Oniæ, irrita fuisset ea concessio.* Demus non constare ex ista Epistola Oniam tunc in aula non fuisse versatum. At unde constat, quod in aula tunc versatus fuit?

triuni

trium Epistolarum, quæ habentur apud *Aristeam* sub nominibus *Regis*, *Pontificis Judæorum*, & *Demetrii*, unius ejusdemque hominis stylo exaratas esse, idque manifesto patere cuivis harum rerum perito. Hoc eadem, qua affirmant illi, confidentia negant *Serarius* & *Gretserus*, non habentes quo objectionem illam diluerent. Fatetur vero ipse *Is. Vossius* rem ita se habere: respondetque *Aristeam* non voluisse ipsa Epistolarum verba, quibus à scribentibus dictatæ fuerant, proferre, verum suo stylo exarasse singularum sensum. Quod responsum tale est, quale forsan satis illis faciat, qui in opiniones inveteratas pedarii concurrunt superstitiose; cæterum illis qui absque præjudicio veritatem investigant, nequit non videri merum subterfugium. Minime enim verisimile est *Aristeam*, Ptolemæi *Aulicum*, mutaturum fuisse stylum Regis ipsius cæterorumque ad ipsum Epistolarum. Et si ipse *Vossius* res gestas Principum hujusce temporis mandaret literis, dicat mihi, illorumne (Sodes!) Epistolas Latine scriptas, non ipsorum sed proprio suo stylo [1] ederet?

6. Si quis neget Epistolas prædictas ejusdem hominis stylo conscriptas fuisse, testimonium habemus Viri eruditissimi [a] *Henrici Valesii*, Epistolam *Demetrii Phal.* plane insulsam esse, & barbaris vocibus plenam; cum tamen constet *Demetrium Phal.* fuisse excellentissimum magistrum Atticæ [b] eloquentiæ. Atque illud quidem si detur nobis [2] (de quo Lector viderit) argumento erit, non modo illam non fuisse revera *Demetrii*, verum etiam nec scriptam fuisse ab *Aristea Philadelphi* Regis magnate; qui, cum tantus Vir esset, ut primas fere partes apud Regem habuerit, credendus est peritissimus fuisse Græcarum literarum, politissimusque scribendi artifex.

a Not. ad *Euseb.* Hist. Eccl. v. 8.

b Oratorum *politissimus* dicitur à *Cicerone* l. 2. de Orat.

CAP. XIV.

Aristeas *refert, in* Ægypto *nulla extitisse exemplaria Legis Judæorum ante confectam Versionem Græcam, quod videtur incredibile.* §. 1. *Ineptiæ quædam* Judæum *Scriptorem referentes.* 2. 3.

REFERT *Aristeas* in exordio libri, *Ptolemæum* Regem, ut Judæorum Legem obtineret ex Hebraico in Græcum transferendam, Hierosolymam legatos misisse ad *Eleazarum* Judæorum Pontificem Maximum, διὰ τὸ γεγράφθαι παρ' αὐτοῖς ἐν διφθέραις Ἑβραϊκοῖς γράμμασιν· *propterea quod illa Hebraicis literis conscripta membranis apud* illos *extaret.* Per *illos*, *Hierosolymæ*, sive *Judææ* incolas designat, ut hinc

1 *Pergit nugari Juvenis Oxon.* (inquit Vossius) *& quæris à me, si historiam scripturus sim, utrum huic inferendas existimem literas nostri seculi principum ea qua scribuntur ratione Latine expressas, an vero in alium stylum reformatas. Ullumne Juvenis iste probæ notæ possit ostendere historicum, qui Regum Principumque literas, barbaro plerumque Cancellariæ, ut loquuntur, conscriptas sermone, suis inseruerit laboribus? Si qui Principes adeo infeliciter animati sint, ut id fieri cupiant, res suas committant servis mercenariis, & vilibus scribis, non autem illis qui posteritati commendata sua esse velint scripta.* Si ita certe animatus sit *Vossius*, mallem barbarum quemvis, quam *Vossium* habere historicum. Cum *modo*, ut loquuntur, *indirecto* scripta Principum recitant Historici, non eundem in omnibus servant stylum: sed ostendat *Vossius* vel unum, qui *modo directo* ponentes Principum Epistolas, earum stylum mutaverit. Verum rursus à *Vossio* quæro, num *vernacule* historiam scribens, Principum & Aulicorum sui temporis literas *vernaculas* in alium reformaret stylum? Id si faceret, nonne admodum ridiculus esset?

2 *Epistolam Demetrii Phal. nomine scriptam* (ait Vossius) *insulsam & barbarismis plenam esse dixit, sed nunquam probare potuit Valesius. Instanti olim mihi ut causam redderet, aliud quod reponeret non habuit, nisi hoc tantum, omnes istas Epistolas ejusdem videri esse auctoris.* Ipse judicet Lector. Nihil Ego hac de re affirmo. Ad ea quæ objicit *Valesius* adversus Epistolas, sic respondet, sine ullo judicio, *Frassenius* Disquisit. Bibl. lib. 2. cap. 3. *Quanquam Demetrii Epistola, qua unice nituntur tres Valesii rationes, forte à Judæis confictà fuerit, & Aristæi libello ac narrationi inserta; inde nihil detrahitur cæteris historiæ partibus. Non enim insolitum est antiquis historicis nonnulla affingi à successoribus, quo in rebus maximi momenti ab iis recensitis, facilior adhibeatur fides.*

apparet, quod illam reddit rationem, quare Rex *Hierosolymam* mitteret. Atque hinc palam est illum existimasse Hebraicos libros solum in Judæa repertos fuisse; apud *Alexandrinos* Judæos, sive illos qui in *Ægypto* vixerint, extitisse nullos. *Epiphanius* etiam ex suo *Aristea* exemplari ait Regem, interrogantem Bibliothecæ Præfectum de Judaicis libris quo in loco haberentur, responsum hoc tulisse: *Hierosolymis & in Judæa existunt libri Prophetarum Divini, qui de Deo, & mundi creatione, & alia omni ad communem utilitatem conducente doctrina tractant.* Jamvero quam falsum sit illud, Judæos in Ægypto, regnante Philadelpho, nullos habuisse Legis suæ libros, adeo manifestum erit, ut non eguerit disputatione, si perpendamus, quanta eorum tunc temporis multitudo, & quamdiu, in Ægypto versata fuerit, atque etiam *floruerit.* [a] Neque illud scripsisset, vel credidisset Auctor noster, nisi vixisset post tempora *Ptol. Philadelphi*, quando Codices *Hebræi* apud Palæstinos solos in usu fuerunt, & *Alexandrini* Judæi nullos habuerunt, Codicibus *Græcis* publice in Synagogis privateque lectis. Qua de causa putavit nullos fuisse libros *Hebraicos* in Ægypto *Philadelphi* tempore, quoniam sua memoria in ea regione fuerunt nulli.

[a] Vide supra cap. XI. §. 1. 2. & cap. XII.

2. Alio in loco dicitur, quod *Eleazarus*, summus Sacerdos, LXX. Viros ad Regem dimissurus, διὰ ὅρκων ἐπιστοῦτο, μὴ πέμψειν τοὺς ἀνθρώπους, εἴ τις ἑτέρα χρεία πρὸς τὶ κατ' ἰδίαν αὐτοῦ κατεπείγοι, *juramentis affirmabat se illos non missurum, si quod aliud suum negotium instaret.* Quo quid ineptius scribi potuit? Adeone *ingratum* putes & *insolentem* Pontificem Maximum, Virum sapientem, omnesque proculdubio urbanitatis numeros obiturum? adeone porro rudem, inurbanum, rusticum, ut diceret se minime per illos Viros inserviturum Regi, *si quid sui fuisset sibi negotii*? Regi, qui nuperrime tot nominibus totam sibi Judæorum gentem obligaverit, supra centum millia Captivorum sui juris fecerit, numerato ex fiscis regiis redemptionis pretio, & munera donariaque inæstimabilia Hierosolymam miserit. Nonne indecorum præterea & impium plane in Pontifice, Viro gravissimo & sanctissimo, tam frivole & sine ulla causa jusjurandum interponere? Quis non facile persentit, imprudenter & inepte confictum hoc fuisse, quo conciliaretur illis LXX. Viris æstimatio, ut suaderetur scilicet, eos fuisse tales, quales alios per Judæam totam frustra quæsivisses?

3. [b] *Dan. Chamierus* contra Historiam *Aristeanam* objicit λεπτολογίας, sive potius μικροφιλοτιμίας quasdam, quæ in ea reperiuntur, nempe tenuia exiguique momenti quædam, tanquam magna extolli. Inter quæ recenset LXXII. Responsiones, quas singuli Seniores dicuntur reddidisse extempore singulis Regis quæstionibus; *Mirum* (inquit) *quantis laudibus evehuntur, quantis acclamationibus excipiuntur, quasi nihil unquam vel æquale vel simile auditum esset, quasi illa majora essent quam quisquam credere posset. Nam & hoc ab Aristea asseritur.* (Fallitur doctiss. [c] *Simonius*, qui asserit *Aristeam* id dicere de tota Historia sua.) *Hoc* (addit *Chamierus*) *aliaque similia colligi possunt humilis ingenii indicia, parum digna Aristea, quem magnum aliquem Virum esse oportuit, magnis rebus innutritum, tantoque Regi familiarem.* Qua quidem de re cum *Chamiero* facile consentient illi, qui, expliciti præjudicio, rationis & veritatis norma judicia sua direxerint.

[b] Panstrat. Cathol. XIII. 4.

[c] Hist. Crit. II. 2.

CAP.

CAP. XV.

Quod tradit Aristeas, Demetrium Phal. *jussisse diris execrationibus devoveri illos, qui in* Versione *quicquam immutarent*, Judæum *Scriptorem omnino sapit. Ostenditur moris fuisse neque* Græcorum (*vel* Romanorum) *neque* Ægyptiorum, *neque* Judæorum, *diris quenquam* solenniter *incessere*, *nisi in rebus momenti maximi*, & *in magna necessitate, quæ in negotio* Versionis *nulla fuit*.

UT multa sunt ἀνιστορικῶς, multa inepte dicta, quæ scribi non poterant ab homine in Aula *Philadelphi* claro, ita præterea pleraque sunt (præter ista modo notata) quæ *Judæum* plane Scriptorem sapiunt: quale illud in primis est, quod dicitur de imprecationibus factis post peractam Legis interpretationem. Dicitur *Demetrium*, absoluta interpretatione, illam prælegisse coram multitudine: quæ ut prælegebatur, *adstantes Sacerdotes* Judæorum, & *Interpretes seniores*, *gubernatoresque Civitatis*, & *ipsos principes multitudinis*, *dixisse*: *Quoniam recte*, *sancte*, & *per omnia accurate perfecta est ista interpretatio*; *par est ut omnia permaneant in suo habitu*, *nec ulla fiat immutatio*. *Et omnibus ad hæc cum approbatione acclamantibus*, Demetrium *jussisse illos*, *ut haberent in more*, *imprecari diras illi*, *si quis immutaturus esset aliquid*, *vel addendo*, *vel transferendo*, *vel auferendo*. ἐκέλευσε διαράσασθαι, καθὼς ἔθος αὐτοῖς ἐστιν, εἴ τις διασκευάσει, προστιθεὶς, ἢ μεταφέρων τι τὸ σύνολον τῶν γεγραμμένων, ἢ ποιούμενος ἀφαίρεσιν. Ex quibus credideris *Aristeam* existimasse, execrationes istiusmodi in usu fuisse solum *Judæis*, non *Græcis*, vel *Ægyptiis*; cum dicit *Demetrium*, Virum Ethnicum, jussisse diras execrationes adhiberi à Judæis *pro illorum consuetudine*. Quod evinceret illum fuisse *Judæum*, cum sciret illud fuisse consuetudinis *Judæorum*, nesciret vero talem morem invaluisse apud *Græcos*.

2. Si sensus sit, *Demetrium* in mandatis dedisse Judæis, ut execrationibus diris agerent *eisdem ceremoniis*, quibus solebat gens *Judaica*: vel si per, αὐτοῖς, significentur non *Judæi*, sed *Græci* (quod aliquibus [1] visum est:) exinde tamen accedit confirmatio, à *Judæo* aliquo libellum conscriptum fuisse. Fabulosum enim esse, *Demetrium* mandasse diras tales congeri in illos, qui in Versione mutarent aliquid, facillime is sibi persuadebit, qui perpenderit, quanta cum *Græcis*, tum *Ægyptiis*, atque etiam *Judæis*, fuerit religio dirarum imprecationum. Quæ quidem tam sancta fuit, ut diras nunquam adhiberent, aut fieri cuperent, nisi in rebus plane desperatis, aut in urgentissima necessitate. Adeo ut repuguet vel maxime (sicut recte argumentatur *Wowerius*, & post illum *Weemsius*, *Rivetus*, *Episcopius*) [2] *Demetrium*, hominem gentilem, voluisse ut diris agerent in negotio Versionis Legis *Judaicæ*, quam ideo tantum curaverit fieri ut in regia Bibliotheca cum cæteris libris reponeretur. Ut autem compareat non solitas fuisse istiusmodi imprecationes adhiberi, nisi in rebus maximi momenti, illasque inter extremas relatas fuisse pœnas, exempla quædam hic proferam.

3. Apud *Romanos*, qui totam fere Religionem suam acceperunt à *Græcis*, percrebuit opinio, dirarum imprecationnm, etiamsi à privato aliquo homine congestæ fuerint, illam vim fuisse, ut infausta quæque in caput ejus reciderent, qui iis impugnaretur. *Defigi diris detesta-*

1 In his *Weemsius*, qui absurde dicit Aristeam *conari probare execrationes illas usitatissimas fuisse apud Græcos & Romanos.*

2 Putarunt illi, dici ipsum Regem jussisse, ut diris uterentur.

a Nat. Hist. VIII. 7.

b Epod. 5. in Canidiam Veneficam.

tionibus nemo non metuit, inquit *Plinius* alicubi; & alibi, a de Romano populo adversus *Pompeium* commoto: *Ut diras Pompeio, quas ille mox luit, implicaretur.* b Horatius:

Diris agam vos, dira detestatio
Nulla expiatur victima.

c De Bello Civili lib. 2.

Cum Roma expulsus fuit *Tarquinius*, diris devoti sunt solenniter, qui vel seipsos, vel alium Romæ Regem constituere conarentur. Quare *Julius Cæsar* (c *Appiano* tradente) cum quidam illum *Regio* honorabant titulo, illis interminabatur, aversatus nomen illud, tanquam infaustum post execrationem ejus jam inde à majoribus. Apud eundem legimus pecunias per *Gallicos* tumultus in ærario depositas fuisse *cum execratione publica in caput illius quicunque illas contrectare ausus foret, nisi causa belli Gallici.* Has *Cæsar*, effracto ærario, prohibentique *Metello*, Tribuno plebis, mortem minans, ni desisteret, diripuit, aiens, *religione solutam fuisse Remp. perdomitis à se Gallis, ut nihil inde sit periculi.*

d De Bello Punic. & de Bello Civ. l. 1.

e Annal. to. 2.

Romanorum Patres conscripti (d eodem auctore, & e *Zonara*) victis à Scipione *Carthaginiensibus*, expugnataque Urbe, decem Legatos, electos è Senatu, miserunt in Africam, ut una cum Scipione ordinarent Provinciam: hi, si quid Carthaginis superesset, decreverunt id Scipionem diruere, *interdixeruntque, adhibitis execrationibus, ne quis contra faceret: præcipue si quis Byrsam Megarave conderet denuo.* Et tanta fuit devotionum harum religio, ut 1 *Augustus*, interjecto plus centum annorum spatio, quum Carthaginem conderet, non ausus eam eodem loco statuere, in proximo construxerit, *antiquas devotiones cavens* 2 *religiosissime.* Audi denique sis *Plutarchum* de *Crasso* anathematum (ut nunc loquimur) vinculis innodato & constricto, ut deterreretur à bello *Parthico* ineundo, à quo plebs Romana vehementer abhorrebat: f *Atteius* (inquit) *præcurrit ad portam* (egressuro ad bellum Crasso) *ibique focum accendit, & quum pervenisset Crassus, suffitibus injectis, factisque libaminibus, diras capiti ejus atroces & horrendas imprecatus est: adhuc immanes Deos ibi invocavit & appellavit. Has Romani arcanas & vetustas devotiones ea præditas vi ferunt, ut nemo, adversus quem conceptæ sint, evitare illas queat, nec bene etiam cedant concipientibus eas. Unde neque qualibet de causa has, neque inultos imprecari. Ac tunc quoque Atteium reprehenderunt, quod Remp. cujus gratia Crasso infensus erat, devotionum tanta religione obstrinxisset.*

f In Crasso, & Appian de Bel. Civ. l. 2.

g Geogr. l. 13.

h Aristidis Vita.

i Alcib. c. 4. 6.

4. Si in Græciam ipsam transmigremus, docebit g *Strabo*, opinionem fuisse, *illos, qui Ilium, à Græcis pessundatum, instaurare intenderunt, abominatos fuisse locum antiqui Ilii, sive ob calamitates, sive quod Agamemnon in reparatorem pristini Ilii execratus fuerit vetere consuetudine: atque ideo isto loco omisso, urbem alio posuisse.* Eodemque modo *Crœsum*, *Sidena diruta, in qua tyrannus Glaucias confugerat, diris eos devovisse, qui muris rursus locum cingerent.* Aristides Atheniensis (h *Plutarcho* teste) *rogationem tulit, ut in capita illorum, qui legationem ad Medos mitterent, aut societatem desererent Græcorum, devotiones conciperent* 3 *Sacerdotes.* Athenienses *Alcibiadem* absentem, quod sacra violasset, reum fecerunt, capitis damnarunt, bona ejus publicarunt, & (ut scribit i *Corn. Nepos*)

1 *Appian.* de Bell. Pun. *Eutropius* Brev. Hist. l. 4. ait Carthaginem jussu Senatus reparatam fuisse, deductis eo Civibus Rom. diu ante *Augusti* tempora, nempe annis 22. postquam à Scipione subversa fuerat, COSS. *L. Cæcilio Metello*, & *T. Quintio Flaminio.*

2 *Semiamira*, probrosissima muliere, cum filio suo *Heliogabalo* Imperat. occisa, cautum est ante omnia, ne unquam mulier Senatum ingrederetur, utque inferis ejus caput dicaretur devoveretурque, per quem id esset factum. *Lampridius* in *Heliogab.* c. 18. Execrationum a *Constantino M.* adhibitarum exempla vide apud Constantinum Porphyrog. de Adm. Imp. c. 12.

3 Cum Persæ Græcorum templa combussissent, *Iones* eos execrationibus devoverunt, qui Templa cremata instaurarent, aut in iisdem fundamentis exædificarent, ut exinde monumenta posteris essent Barbarorum impietatis. *Isoc. Panegyr.*

id

id quod usu venerat, Eumolpidas Sacerdotes populus coegit, ut illum devoverent; ejusque devotionis quo testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum est, & positum in publico. Labente tempore, cum *Alcibiades* in patriam reverteretur, Eumolpidæ *rursus resecrare*, id est, execratione illum solvere & devotione liberare, coacti sunt ab eodem populo, qui eum devoverat; pilæque illæ, in quibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Nequeo mihi temperare quominus attexam quod de *Eumene* apud *Justinum* [a] scriptum invenimus; qui, cum ab *Argyraspidis*, militibus suis, in manus *Antigoni* dederetur, preces, quæ nihil potuerunt, in iram vertens, proditosque plures ipsorum Duces illis exprobrans, *ultima nunc ego* (addit) *perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico; ut inopes extorresque omne ævum in hoc castrensi exilio agatis, devorentque vos arma vestra, quibus plures vestros, quam hostium duces absumpsistis.* Neque irritæ erant diræ: fuerunt enim *Argyraspidæ* ipsius *Antigoni* jussu contriti omnes confectique.

[a] Hist. XIV. 4.

5. Idem positum est in instituto *Ægyptiorum*, aliarumque gentium. *Diodorus Sic.* [b] tradit *Bocchorin*, antiquissimum Ægyptiorum Regem, luxum, cui per multas ante ætates Ægyptii Reges sese dederant, damnavisse, & *imprecatum fuisse diras* (καταρώμενοι) Regi *Menæ*, qui primitus lautum istum & opiparum apparatum invexerat, & curasse imprecationem sacris literis in Templo *Jovis Thebani* describendam. Quam imprecationem in causa fuisse, ne gloria honoresque *Menæ* ad posteritatem perdurarent, & aboleretur omnium fere rerum ejus memoria, *præter nominis infamiæque.*

[b] Lib. 1.

6. In [c] *Cæsaris Commentariis* legitur, *Gallorum* equites, Duce *Vercingetorige*, contra illum pugnam inituros, sanctissimum jusjurandum diris his execrationibus confirmasse, *ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad uxores aditum habeat, qui non bis per hostium agmina perequitasset.*

[c] Bel. Gal. 1. 7.

7. Quod ad *Judæos* attinet, ut nihil dicam de [d] *Balac* Moabitarum Rege, qui *Balaamum* Prophetam accersivit, ut Israelitas diris configeret: Inter eos *Joshua* dicitur execrationes in illos contulisse, qui urbem *Jerichuntem* ab ipso dirutam, reconderent, sicut *Agamemnon* Trojam, *Crœsus* Sidenam, *Romani* Carthaginem, Byrsam, Megaraque reædificari vetuerunt. [e] *Præterea adjuratione execratus est Joshua tempore illo, dicendo; maledictus esto vir ille coram Jehova, qui surget ut ædificet civitatem hanc Jerichuntem, pretio primo geniti sui fundet eam, & pretio minimi sui statuat fores ejus.* Quas diras Deus ratas habuit, ut apparet, 1 *Reg.* XVI. 34. Alia quoque execrationum exempla in sacris literis habemus: Ut cum dicuntur Judæi, [f] *Nehemiæ tempore iniviſſe execrationem & juramentum se ambulaturos in Lege Dei*: & Nehemiam *lacertum suum excussisse, dicentem, sic excutiat Deus omnem Virum, qui non præstiterit verbum hoc, à domo ejus, & à labore ejus, & ita fit excussus ac vacuus.* Sic in edicto *Darii* Persarum Regis, de extruendo Hierosolymis Templo: [g] *Deus vero, cujus nomen habitat illic, dejiciat omnem Regem & populum, qui extenderit manum suam ad mutandam & destruendam domum Dei hanc, quæ est Hierosolymis. Ego Darius constitui legem, illico efficitor.* [1]

[d] Num. c. 22.

[e] Josh. VI. 19.

[f] Nehem. X. 30.

[g] Ezra VI. 12.

8. Ex allatis tot exemplis liquidissime constat in consuetudine antiquorum non fuisse execrationibus quemvis solenniter incessere, nisi in negotiis permagni momenti. *Aristeas* tamen narrat non modo *Demetrium* præcepisse, ut imprecationibus *solenniter* prosequerentur illos, qui auderent in Versione quicquam temerare, sed & *Regem* ipsum, cum audisset eo modo provisum fuisse ne corrumperetur Lex *Judaica, gavisum fuisse, quippe qui putabat ita præclare suum institutum fuisse ad perpe-*

1 Judæi contra se sentientes execrari solebant, quæ consuetudo incepit circa Christi ascensionem. Vide Otho. Misn. Doct. p. 82.

tuitatem

tuitatem confirmatum. Institutum suum? quod? nimirum hoc solum Regis fuerit institutum, ut in Bibliotheca sua Liber Legis Græce conversus reponeretur. Quis non persentit hoc confictum fuisse à *Judæo* aliquo, ut propterea crederetur Versionem, quæ in usu fuit apud Judæos *Hellenisticos*, conservatam fuisse sartam tectam (ut aiunt) ab omni additione, mutilatione, macula, sinceram integramque; & ut in futurum volentibus quicquam in illa depravare, vel adjicere, aut amputare, divinæ ultionis metus injiceretur? *Woverio*, *Riveto*, *Episcopio*, aliisque placet *Aristeam* in hoc fingendo respexisse locum illum [a] *Deuteronomii*: *Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neque* [1] *detrahite de eo.*

a Cap. 4. v. 2.

CAP. XVI.

Judaicam refert Vanitatem, quod de Judæis dicitur magnificentia Philadelphi *tanta decoratis impetrandæ* Legis *gratia. Huic figmento unde occasio data.* Philadelphi *opulentia, & munificentia erga Civitates exteras.* Lightfooti *error de annuo* Ægypti *reditu.* Gotfridi Viterbiensis *hallucinatio de.* Judaico *Templo à* Philadelpho Memphi *condito.*

DOCTISS. [b] *Lightfootus* Aristeam mendacii postulat, quod tradit *Ptolemæum* tam ingentes impensas erogasse in obtinendam Judaicæ Legis Versionem, in redimendis Captivis, ornando Templo, donisque collatis Pontifici & LXX. Senioribus; quæ conficiunt summam minimum mille talentorum, cum *tota* (inquit) *Bibliotheca Alexandrina tanti non constiterit, imo totum annuum vectigal Ægypti vix valuerit tanti*: Respondet [c] *Is. Vossius*, illos qui sic sentiunt, nescire quid rei fuerit *Ægyptus*, annuumque *Ptolemæi* reditum plurimorum fuis-

b Rabbinica & Talmud. Expositione.

c Resp. ad Simonium.

1 Vossius: “*Iterum dein Aristeam aggreditur, sed adeo inanibus & futilibus instructus armis, ut non possim ejus non mirari fiduciam. Peracta translatione rogant seniores ut omnia in statu suo conserventur. Consensit Demetrius & jubet ut pro more Judæorum male precentur illis qui in ea translatione aliquid addant, aut demant, aut transponant. Iste Oxoniensis Juvenis ineptam ut passim alibi* (at quibus in locis versionem istam sequendu erat?) “*Aristeæ facimus versionem, multus est ut ostendat neque Græcis neque Romanis, neque Ægyptiis aut Judæis unquam usitatum fuisse ut diras alicui pœnas imprecarentur, nisi in rebus magni momenti & magna necessitate, quam dicit nullam fuisse in negotio Versionis. Levis nempe & nullius momenti res ipsi videtur* (Demetrio quidem & Græcis, licet non Judæis) “*sacras depravare Scripturas. Quorsum vero omnia isthæc congessit imprecationum exempla, quorum ne unum quidem est quod ad rem faciat.* (At nonne evincunt, non usitari solitas fuisse nisi in negotiis magni momenti?) “*Millies plura potuisset adducere loca, ubi homines Diras seu Furias hominibus invocant levissimam & sæpe nullam ob causam.* (An solenniter? Proferat vel unum.) “*Ut vero cognoscat quantum fallatur cum putat morem imprecandi librorum corruptores nunquam obtinuisse* (ubi unquam hoc negavi?) “*sufficiant verba quæ in fine occurrunt Apocalypseos*; Contestor enim audienti verba prophetiæ libri hujus. Si quis apposuerit ad hæc: apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis abstulerit ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus a libro vitæ & ex urbe sancta & ex iis quæ scripta sunt in libro isto. *Laudat hunc morem Eusebius Hist. Eccl. lib. 5. cap. 20. de Irenæo agens*; Sed & in fine annotationem optimam invenimus quæ huic nostræ historiæ inserenda mihi videtur. Sic vero sese habet. Adjuro, inquit, te, qui describes hunc librum, per Dominum Jesum Christum & per gloriosum ejus adventum in quo judicaturus est vivos & mortuos, ut conferas quæ descripseris, & diligenter emendes ad exemplar unde descripseris. Utque adjurationem istam similiter describas, & Codici tuo inseras. *Quin & addit idem Eusebius*; Atque hæc utiliter ab illo dicta & à nobis commemorata sunt, ut priscos illos & sine controversia sanctissimos viros tanquam pulcherrimum exemplum exactissimæ diligentiæ semper ante oculos habeamus. *Chronico itaque suo similem adjurationem attexuit, ejusque exemplum secutus Hieronymus, in cujus antiquis exemplaribus grandioribus & aureis literis exarata comparet. Idem facit Ruffinus in Præfatione Origenis περὶ ἀρχῶν. Sed quid opus exemplis, cum infinita illa sint, & in libris veteribus passim obvia.*” Rectius dixisset; cum nullius momenti sunt, & ad rem non faciunt. De *solennibus* imprecationibus disputamus, non de privatis. Et ejusmodi imprecationes factas fuisse jussu *Demetrii Phal.* viri *gentilis* verisimile non esse existimamus. Sed jussisse id *Demetrium* ipsorum Judæorum hortatu, aiunt. Si *Judæorum*, non tamen *Judæorum* solorum, sed & totius turbæ *Ethnicæ*; quod eodem recidit, figmentumque Judaicum nimis sapit.

se

ſe millium talentorum. Hoc quidem recte: & certum eſt *Lightfootum* inſigniter erraſſe de annuo *Ptolemæorum* reditu, qui, præſertim *Philadelphus*, [a] quam opulentiſſimi fuere; licet annuus eorum reditus multo minor eſſet, quam, qui à *Voſſio* aſſignatur, *quinquaginta millium talentorum*. [b] *Rob. Baillius* dona regis uſque adeo magnifica negat videri credibilia; & aſſerit [c] *Woverius*, *veritatis ſtudioſos ægre aſſenſuros* Ariſteæ de tam effuſis ſumptibus in Legem obtinendam factis. Et ſane quamvis *Philadelphus* (ut inquit [d] *Appianus*) καὶ πόρισαι δεινότατος τῶν βασιλέων, καὶ δαπανῆσαι λαμπρότατος, καὶ κατασκευάσαι μεγαλουργότατος, *Regum omnium parandis opibus attentiſſimus eſſet, & expendendis ſplendidiſſimus, magnificentiſſimuſque in operibus*: fidem tamen omnem ſuperat, illum voluiſſe theſaurum tantum profundere, ſicut refert *Ariſteas*, in volumen unicum acquirendum ut in Bibliotheca ſua reconderetur; quæ quidem tota videatur vix ſtetiſſe tanti: Neque rem perpendentibus ſerio dubium eſſe poteſt, quin *Ariſteas* impenſas tantas in Legem actas fuiſſe Judaica vanitate mentitus fuerit, ut fidem faceret, *Philadelphum* Legem *Judæorum* quantivis pretii æſtimaſſe, & tantum in ea poſuiſſe, ut præ illa reliquos omnes libros nullo loco haberet. *Philadelphum* Judæis ſplendidiſſima nonnunquam munera elargitum fuiſſe, haud ægre conceſſerim, ſiquidem illum (ut olim innui) muneribus ampliſſimis Civitates exteras aliquando ornaviſſe, totumqne ſe contuliſſe ad obligationem Populorum omnium, ab Auctoribus memoriæ proditur. Illuſtris eſt, & dignus qui deſcribatur, [e] *Memnonis Heracleotæ* de hac re locus: Πτολεμαῖος δὲ ὁ τῆς Αἰγύπτου βασιλεὺς, εἰς ἄκρον εὐδαιμονίας ἀναβὰς, λαμπροτάταις μὲν δωρεαῖς εὐεργετεῖν τὰς πόλεις προῄρητο, ἔπεμψε δὲ καὶ τοῖς Ἡρακλεώταις ἀρτάβας πυροῦ πεντακοσίας, καὶ νεὼν αὐτοῖς Προκοννησίας πέτρας ἐν τῇ ἀκροπόλει Ἡρακλέους ἀνέδειματο. *Ptolemæus* (Philadelphus) *Rex Ægypti*, *altiſſimum benignæ fortunæ gradum aſſecutus, magnificentiſſimis Civitates muneribus demereri conſtituit. Itaque etiam Heraclienſibus* 500. *artabas tritici miſit, & Templum Herculis è Proconneſio ſaxo in arce eis exſtruxit*. Eadem munificentia celebratur à [f] *Theocrito*:

Πολλὸν δὲ ἰφθίμοισι δεδώρηται βασιλεῦσι,
Πολλὸν δὲ πολίεσσι. ———

Multum autem potentibus donat Regibus, multum Civitatibus. Et teſtatur [g] *Philo Judæus* tantam fuiſſe *Philadelphi* gloriam *ob relicta per Civitates regioneſque magnificentiæ monumenta*, ut etiam ſuo tempore, annis trecentis poſt illius ætatem, in Proverbium abierint *Opera Philadelphica*, tanquam omnium ſumptuoſiſſima: οὐ δὲ μέχρι νῦν τοσούτοις ὕστερον γενεαῖς ᾄδεται τὸ κλέος, πολλὰ δείγματα καὶ μνημεῖα τῆς μεγαλοφροσύνης κατὰ πόλεις καὶ χώρας ἀπολιπόντος, ὡς ἤδη καὶ ἐν παροιμίας εἴδει τὰς ὑπερόγκους φιλοτιμίας καὶ μεγάλας κατασκευὰς, Φιλαδελφείους ἀπ' ἐκείνου καλεῖσθαι. Inter has Civitates, à *Philadelpho* donis tam magnificis honoratas, *Hieroſolyma* videtur fuiſſe: atque hoc crediderim *Pſeudoariſteæ* præbuiſſe fabulandi anſam, *Philadelphum* Judæos impetrandæ *Legis* gratia donis tantis cumulaſſe. Utrum talia fuerint illius munera, qualia deſcribuntur ab Auctore noſtro, necne, ut pro certo non affirmarim, quia veritatem, quicquid ejus ſit, contaminavit tot fabulis, ita neque negaverim, cum potuerit veri nonnihil immiſceri falſis. Credibile vero eſt *Philadelphum* donaria quædam Templo *Hieroſolymitano* conſecraſſe, quemadmodum *Heraclienſium* Deo Templum conſtruxit; & Captivos illos, qui cupidi eſſent in patriam redeundi, feciſſe votorum compotes. Quinetiam, ſi verum ſit Captivos Judæos à *Ptolemæo Lagi* addictos fuiſſe in ſervilem conditionem (cujus rei dubitandæ rationes protulimus alibi) non videtur à ratione diſſentire, *Philadelphum*, qui nunquam dedit parca & contracta manu, pro benignitate ſua, muneribus

a Vide *Syntagma de Ptol.* cap. 14.
b Operis Hiſt. & Chronol. l. 1.
c De Bibl. Interpr. c. 9.
d Præf. Hiſt.
e Hiſt. *Heracleæ Ponticæ* c. 26. apud *Phot.* Bibl.
f Encomio *Ptol. Philadelphi*, ſcil. Idyl. 17. v. 111.
g Lib. 2. de Vita *Moſis*.

Hierosolymam missis Captivos manumissos adjecisse, proque capitibus singulis redemptionis pretium ex fiscis propriis persolvisse. [a] *Gotfridus Viterbiensis*, pro eo quod apud *Aristeam* legimus, *Philadelphum* Hierosolymam misisse dona ad ornandum Templum, ait illum novum Templum in Ægypto, urbe *Memphi*, condidisse, illudque donariis magnifice decorasse atque instruxisse. Quo videtur adlusisse ad Templum in Ægypto exædificatum ab *Onia*, *Ptol. Philometoris* venia. Si Canticum ejus velles, sic se habet.

a Chron. parte XI.

Septuaginta duos sapientes parte remota
Imperat Hebraica transferre volumina tota,
Nec voluit minimum prorsus abesse iota.
Dum quasi legista Philadelphus transtulit ista
Instituit Templum Templi Salomonis ad instar,
Ut quasi lege Dei sacrificaret ei.
Vasa Dei, mensamque Dei, variosque decores
Judaico more simili fabricavit honore
Cultum consimilem semper habere volens.
Aurea gemmifera mensa fuit inclyta forma,
Vasaque gemmarum species miranda perornat,
Ut lux in tenebris aurea mensa fuit.
Urbs Pharaonis erat quondam cognomine Memphis
Qua dedit hoc Templum Domino Sother Philadelphus,
Hanc sub Pompeio post cecidisse lego.

CAP. XVII.

Notantur multa, quæ Scriptorem Judæum *redolent: Electio* LXXII. Interpretum, *senorum ex Tribubus singulis.* § 1. *Pretium redemptionis Captivorum.* 2. *Modus commentandi in loca quædam* Legis. 3. *Religio nimia* Græcorum *erga Legem* Judaicam. 4. 5. &c.

INDUCITUR *Demetrius Phal.* exhortans Regem in Epistola, ut ad præstandum munus interpretandæ Legis, *Hierosolymis* acciret Viros eruditos LXXII. *de singulis Tribubus senos.* Quem numerum mihi facile persuadeo confictum fuisse vel ex *Judæorum* affectatione numeri LXXII. vel ad exemplum *Synedrii Magni*, quod vulgo credebatur ex viris LXXII. constitisse, *senis* selectis ex Tribubus singulis. His de rebus nos [b] alibi fusius. Certe si *Demetrius Phal.* vel alius Græcorum quivis, Versionis negotium ordinasset atque direxisset, non credibile est illum postulaturum fuisse, ut tot Viri accerserentur ad interpretandam Judæorum Legem, vel habiturum fuisse rationem ullam singularum Tribuum in illis seligendis.

b Libro 2. cap. 5.

2. Cum *Philadelphus* captivos Judæos in Ægypto detentos donaret libertate, pro uniuscujusque capitis redemptione 20. drachmæ expensæ fuisse dicuntur in exemplari hodierno; sed secundum exemplar, quod *Josephus* habuit, 120. drachmæ numeratæ sunt; quam lectionem veriorem esse videatur eo, quod multo facilius fuit transcriptori, vocem unam vel alteram, viz. ἑκατὸν καὶ, omittere, quam interpolare, per incuriam. Quo dato, & concesso designari drachmam *vulgarem*, apparebit perquam probabile redemptionis hoc pretium à *Judæo* aliquo confictum fuisse. Drachmæ enim vulgares 120. siclos sive stateras, aut argenteos tetradrachmos, 30. efficiunt: quod servi pretium in Judæorum Lege [c] constituitur; quo & Servator noster, quum pro nobis

c Exod. XXI. 32.

nobis servi formam assumpsit, à proditore venditus est, ut *Usserius* eruditissimus observat.

3. In colloquiis istis, quæ *Aristeas* refert se sevisse cum *Eleazaro* Judæorum Pontifice de ritibus Legis Judaicæ, inducitur Pontifex S. Scripturam explicans, illiusque verba sic recitans: περὶ ὧν ἐστιν ὁ προειρημένος τῆς διαστολῆς τόπος περὶ τούτου εἶναι καὶ τὸν τῆς μνήμης κεχαρακτηρισμένον. Πάντα γὰρ ὅσα διχηλῆ, καὶ μηρυκισμὸν ἀνάγει σαφῶς τοῖς νοοῦσιν ἐκτίθεται τὸ τῆς μνήμης. &c. "*Quo in loco est hæc distinctionis admonitio, in eo est etiam "suo charactere expressum memoriæ & recordationis præceptum*, [a] *illud enim*; "Quæcunque habent scissas ungulas & ruminant: *manifesto intelligen-"tibus proponit signum memoriæ.* Paulo post: διὸ παρακελεύεται καὶ διὰ τῆς γραφῆς ὁ λέγων οὕτως· Μνείᾳ μνησθήσῃ τοῦ κυρίου, τοῦ ποιήσαντος ἐν σοὶ τὰ μεγάλα καὶ θαυμαστά. κατανοούμενα γὰρ, καὶ μεγάλα, καὶ ἔνδοξα φαίνεται &c. "*Unde "similiter in Scriptura cohortatur ille qui dicit*: Memoria recordator "Domini, qui fecit in te magna & mirabilia. *Apparent enim illa ma-"gna & admiranda, cum recte considerantur.* Appello hic Lectorem, & judicium faciat æquus quivis æstimator & judex rerum, utrum probabile sit *Aristeam*, qui eo tempore rudis & ignarus Scripturarum fuerit, illasque nunquam legerat, tam perfecte memoria sua continuisse colloquium totum, ut non solum reliqua Pontificis verba, sed & ipsissima sacræ paginæ loca eodem modo eademque forma, qua solent Commentatores, proferre potuerit. Judicet Lector ingenuus & cordatus, utrum non appareat vel ipso sole clarius, loca illa posita fuisse à *Judæo* aliquo, qui partes Commentatoris sustinuit, & dedita opera loca quædam Judaicæ Legis conatus est explicare.

[a] Lev. XI. 3. Deut. XIV. 6.

4. *Judaicum* etiam Scriptorem clarissime sonant laudes illæ, quibus supra modum *Judaicam* gentem, illorum Religionem ac Leges effert. Contentus ero pauca quædam de multis protulisse. Paulo ante locum novissime notatum, ait se commemoraturum pauca quædam ex illis, quæ *Eleazarus* Pontifex in Lege exposuerat, *quoniam existimavit multis videri nonnulla in Lege temere comprehensa: ut illa quæ de cibo & potu, & animalibus illis, quæ habentur impura, sunt tradita.* Adeone affectus fuit *Aristeas*, ut dum Religionem coluerit Ethnicam, aliorum objectiones contra Leges *Judæorum* tenerent illum solicitum?

5. *Demetrius Phal.* Vir illustris apud Græcos ferendis Legibus, dicitur Regem monuisse in Epistola sua, *Legem Judæorum*, καὶ φιλοσοφωτέραν εἶναι καὶ ἀκέραιον, ὡς ἂν οὖσαν θείαν, *sapientiorem & sanctiorem aliis fuisse, utpote divinam.* Et ad calcem libri, quærente Rege unde factum sit quod nullus vel *Poeta* vel *Historicus* meminerit uuquam *Judæorum Legis*? dicitur rationem ex eo reddidisse, partim quod *sacrosancta esset & divinitus lata*, διὰ τὸ σεμνὴν εἶναι τὴν νομοθεσίαν, καὶ διὰ Θεοῦ γεγονέναι, *partim quod nonnulli, aggressi quædam ex ea libris suis admiscere, divina plaga territi, ab instituto destiterint. Nam audivi* (inquit) *Theopompum, cum vellet quædam ex ista Lege in suam Historiam inserere, animo fuisse turbatum ultra dies triginta: & in morbi intermissione cum exorasset Deum votis, ut sibi declararet quam ob causam hoc sibi accidisset, in somno ei fuisse indicatum, ideo accidisse quia Divina studio suo evulgare conaretur & referre ad multos homines. Hinc cum institutum intermisisset, dicitur fuisse liberatus à morbo. Accepi etiam de* [b] Theodecte *Tragico Poeta, cum voluisset aliquid, quod scriptum esset hoc libro, transferre in quandam suam Fabulam, fuisse visum ei ablatum, donec perpendisset hoc sibi evenisse propter hoc factum suum, & per multos dies reconciliasset sibi Deum votis suis.* Quæ quidem tantum abest ut mihi persuasum habeam, narrata fuisse à *Demetrio Phal.* Viro & patria & superstitione *Græco*, ut religio mihi non sit, quominus totam narrationem ponam in ridi-

[b] Male Theodectus à Petro Comestore dicitur. Syncello Τραγῳδὸς dicitur corrupta voce ex Τραγικός.

culis superstitiosisque fabulis, rejiciamque in eandem classem cum isto figmento, quod Judaici Doctores referunt de *Jonathane* Paraphrasta Chaldaico, nempe illum, sacras Scripturas interpretaturum, interrogatum fuisse voce cœlitus, quis ille esset, qui auderet arcana Dei revelare, publicando ea hominibus? quo deterritum, supersedisse reliquos libros interpretari. Quasi piaculi instar esset sermone vernaculo ea vulgare, quæ prius ab ipso Deo vernacula lingua fuerant promulgata! Præterquam autem quod supradictæ fabulæ perhibentur creditæ narratæque fuisse à *Demetrio*; illud porro attendendum, quod innuitur easdem apud omnes Græcos sermone tritas fuisse, fidemque eis ab omnibus adhibitam. Nisi enim hoc sibi voluerit Auctor, absurdum fuisset rationem istam assignare, quare Legis Judaicæ Græcorum nullus mentionem in scriptis fecerit.

6. A *Demetrio* ad Regem ipsum nosmet conferamus, & videamus qualem affectum ipse exhibuerit erga Legem. *Arrige aures, Pamphile, & uno verbo rem eloquar.* Non modo profitebatur illam fuisse *Oracula Dei*, sed promisit LXX. se Seniorum adventûs diem quotannis celebraturum, quousque vita sibi superesset: Et libros Græce conversos *προσκυνήσας adoravit*. Imo cum primum exhiberentur Hebraica volumina, *πολὺ ἐφεστὼς χρόνον καὶ προσκυνήσας σχεδὸν ἑπτάκις*, *diu substitit*, profunda raptus veneratione, *& septies* inclinato corpore *adoravit*: &, ecce boni Viri pietatem! *προσεχύθη δακρύοις τῇ χαρᾷ πεπληρωμένος*, *præ effusissimo gaudio lacrymavit*. Inverecundum Caput! quod adeo omnem sibi frontem detriverat, & non erubuit istiusmodi figmentum in vulgus emittere. Quantæ (Deus bone!) fuit impudentiæ dicere, Regem *idolorum superstitioni deditum, & contrariæ prorsus religioni addictissimum* (ut B. [a] *Chrysostomus* habet) divino cultu veneratum fuisse, *lacrymisque perfudisse* Judæorum volumina, quæ in illum duntaxat finem curaverat acquirenda, ut in Bibliotheca sua collocarentur! Mendacium illud est (si superis placet) *Democrito* [1] correctore multo, quam *Aristarcho* dignius, quod mihi persuadebis nunquam, etiamsi persuaseris.

[a] Sermone 4. in Gen. c. 1. v. 8.

7. Fingitur *Eleazarus*, Judæorum Pontifex, inter colloquendum cum Legatis Ægyptiis (quos inter *Aristeas*) verba hæc fecisse: *Deum unum & potentem colimus supra universam creaturam; quapropter Ægyptiorum primates Sacerdotes, postquam multa ex disciplina nostra intentius perpenderant, & inde assumpserant, nos* Dei Homines (*ἀνθρώπους Θεοῦ*) *appellant: quod ex aliis nemini contingere potest, nisi verum Deum colat.* Cum Rex profitebatur Judaicos libros fuisse *τοῦ Θεοῦ λόγια*, *Dei Oracula*; adstantes omnes (inter quos fuere *Menedemus Eretriensis*, & multi Græci Philosophi) dictum illud suffragiis suis comprobarunt (ut dicitur) *unaque acclamarunt voce, Bene Rex.* *ὁμοθυμαδὸν δὲ πάντων εἰπόντων ὑπὸ μίαν φωνὴν, τῶν τε παραγεγονότων, καὶ τῶν συμπεσόντων, εὖ βασιλεῦ.* Atque hinc est, quod *G. Syncellus* scribit, *Legem* perlectam idiomate Græco à *Demetrio, Menedemo* &c. *solam ex omnibus libris, quos illi cognovissent, habitam fuisse ab illis pro θεοπνεύστῳ.* Quæ omnia ut non est dubium quin sint falsissima, ita constat ideo conscripta fuisse, ut conciliaretur Judaicæ genti, eorumque Legi, æstimatio apud Gentes. Et quantum ea referant Judaicam vanitatem, quamque proni ac proclives fuerint illi ad figmenta talia, cum ex aliis exemplis infinitis, tum ex eo liquet, quod de Versione scribit *Gorionides*, nempe *Aristeam*, Ptolemæo

1 *Nihil hic dicitur*, respondet Vossius, *quod non semper & ubique & ab omnibus, quibus aliquis humanitatis inest sensus, fieri soleat. Quis enim in tanto acclamantium cœtu, & præ nimia lætitia non continentium lacrymas adeo rigido & atroci sit animo, cui etiam nolenti non profluant lacrymæ?* Temperare tamen me non possum quin *rideam* Ego, dum inter lacrymantes bonus Rex lacrymatur: *Adeo rigido & atroci sum animo.*

Regi

Regi jubenti ut Bibliothecam suam perficerent, dixisse: *Obsecro Domine, ut attendas, quod frustra laboravimus pro libris istis, quippe in quibus nulla est utilitas: quare si Regi bonum videtur, scribat ad Pontificem Hierosolymitanum, ut ille ad te mittat sapientes qui in illa sunt urbe, callentes linguam Græcam, qui tibi explicent Legem suam: illa enim scriptas habet res sanctas, & omnes alii libri non habent nisi vanitatem.*

8. *Judaicam* gentem nullo loco vel numero habitam fuisse apud Græcos & Ethnicos, eorumque ritus ab omnibus contemptos fuisse, notius est quam ut multis probem. *Gentes omnes quæ Judæorum erant irridebant*, inquit [a] *Salmeron.* [b] *Sabellicus* ex *Aristea* referens *Philadelphum* LXX. Interpretes ex Judæa vocasse, eorumque interpretationem cupide complexum, magnis muneribus donatos honorifice dimisisse, subjungit, non credendum esse, *id genti datum magis quam doctrinæ, cum nulla tunc gens esset in terris invisior omnibus aut despicatior quam Judæi.* E memoria mea non exciderunt honores illi, quos aliqui Principes Judaicæ genti dicuntur detulisse, neque amplissima illa verba quibus ornaverunt eorum religionem [c] *Cyrus*, [d] *Darius*, & [e] *Artaxerxes*, Persarum Reges, in Edictis suis posteritati traditis in sacra pagina. E quibus *Cyrus* proclamat *Dominum Deum Israelis fuisse Deum* verum, & *Deum Cœli*: ita *Darius*: & *Artaxerxes* in Edicto sive Epistola ad *Ezram*, illum appellat *Scribam Legis Dei Cœli*, & Templum *Hierosolymitanum* dicit *Domum Dei*, & *Domum Dei Cœli.* Ut non est ambigendum, quin universi sapientes Viri cujuscunque gentis & religionis, eundem Deum cum Judæis adorarint, Deum scil. verum, Creatorem omnium; in *Idolis* enim cultum suum nullus omnium sapientum terminavit unquam: ita minime dubito, quin omnes, qui in fide Judæorum exquirenda curiosiores essent, vel cum Judæis sapientioribus de Deo colloquium inierant, crediderint illos Deum verum coluisse. Quapropter non est mirandum, si Reges antedicti Judæorum Deum credebant fuisse Deum Optimum Maximum. Illud vero majorem difficultatem habere videatur, quod *Artaxerxes* Legem Mosis vocet *Legem Dei Cœli*, quasi illam crediderit dictatam ab ipso Deo fuisse, sicut de *Philadelpho*, Græcisque Philosophis, scribit *Aristeas.* Sed probabile videtur, à *Judæo aliquo*, qui *Artaxerxi* ab Epistolis fuerit, Decretum prædictum de Templo ædificando, illius nomine, & jussu ad *Ezram* dictatum fuisse. Quod etiam dici possit de Edictis *Cyri* & *Darii.* Cum enim de rebus ejusmodi ad *Judæos* spectantibus Epistolæ aut Decreta formanda essent, Scribis *Judaicis* demandatam fuisse istam provinciam, verisimile est. Et si ipse *Artaxerxes* credidit Judæorum Legem fuisse revera *Legem Dei Cœli*, censendum est hoc eum fecisse ex peculiari gratia Dei, quem docent sacræ literæ per singularem gratiam suam excitasse *Cyrum*, *Darium*, atque *Artaxerxem* ad Templum Hierosolymis instaurandum. Quasi quidem gratia præditos fuisse Regem *Philadelphum*, *Demetrium Phal. Menedemum*, cæterosque Philosophos Græcos, & Magnates Ægyptios, si quis sibi persuaserit, fruatur licet suo judicio. Extat apud [f] *Josephum* Epistola *Ptol. Philometoris* Regis Ægypti rescripta ad *Oniam* petentem veniam construendi in Ægypto Templi Judaici; in qua dicit Rex se mirari *si potuerit acceptum esse Deo Templum statutum in impuro loco & pleno animalibus. Sed quoniam* (inquit) *ais Prophetam Esaiam jam olim hoc prædixisse, permittimus tibi hoc quatenus potest salva Legis observatione fieri, ne videamur per hoc peccare in Deum.* Quam Epistolam (& si qua sint similia) impetrare à me non possum, quin credam ab aliquo *Judæo* fuisse confictam. Ex animo non effluxit quod olim admonui, *Herennium Philonem*, suspicionem exinde elicuisse *Hecatæi Abderitæ* Librum de *Judæis* à Judæo aliquo conscriptum fuisse,

[a] Loco citato cap. 1.
[b] Lib. 7. Exemplorum c. 5.
[c] Ezræ I. 2.
[d] Ib. VI. 10.
[e] Ib. VII. 12. 21. &c.
[f] Antiq. XIII. 6.

quod faventius de Judæis eorumque placitis loqueretur. Nihil tamen fuisse in illo libro, quod cum laudibus apud *Aristeam* repertis comparari posset, dignoscimus ex *Josephi libro* 1. *contra Apionem*, ubi plura ex eo proferuntur fragmenta, eaque haud dubio, quæ magis fecerunt ad honorem gentis Judaicæ. Et apud ipsum *Aristeam* hoc tantum dicit *Hecatæus*, Mosaicam Legem continuisse *ἁγνὴν τινα ϗ σεμνὴν θεωρίαν, puram quandam & venerandam contemplationem*. Lectori permitto ut quod sibi maxime arriserit, sequatur amplectaturque: *Judæos* apud *Ægyptios* vocatos fuisse *Dei Homines*; Judaicorum voluminum conspectum in fletum & lacrymas redegisse Ptolemæum Regem; eundem illum una cum *Demetrio*, *Menedemo*, Philosophisque cæteris, credidisse ac prædicasse Legem *Mosis* fuisse à *Deo* sancitam, omnibusque aliis quibuscunque præferendam; narrationem supradictam de *Theodecte* & *Theopompo* à *Demetrio* expositam fuisse, - - - - - credat per me licet, si quis vellet, - - - - - *credat Judæus Apella, non Ego.*

a Hist. Crit. XI. 2. 9. Abunde reor *R. Simonium*, Virum multo doctissimum eundemque acris judicii, sententiam meam suffragio stabilire suo; quem [a] reperio librum *Aristeæ* tanquam spurium & nullius fidei rejicere propter prædictas de *Theodecte* & *Theopompo* fabulas, aliaque istiusmodi, quæ b Panstrat. XIII. 4. *Judæum* (inquit) Scriptorem omnino redolent. *Chamierus* [b] etiam, Vir clarissimus, nobiscum totus est, cui vehementer displicet, quod à Rege in Legem, quam nude acciverat, de qua antea nunquam audive- c Op. Hist. l. 1. rat, tanta prætendatur religio: quod etiam *incredibile* videtur [c] *Baillio*; d De Bibl. Int. cap. 9. & affirmat [d] *Wowerius*, *veritatis studiosos ægre assensuros.*

CAP. XVIII.

Lectoris judicio proponuntur quædam, ab aliis objecta contra Aristeam, *de quibus ab* Auctore *dubitatur.*

Quæritur an post reditum Judæorum *à Captivitate* Babylonica, *ex omnibus* Tribubus *tribules aliqui extiterunt in* Judæa? *Conceditur, contra* Scaligerum *&c.* §. 2. Ptol. Philadelphum *inter Reges nequissimos injuste numerari ab* Episcopio, Riveto, *&c.* 3. Aristeas *refert Legem Judæorum ad Ptolemæum in Ægyptum missam, aureis literis exaratam fuisse*; *in* Talmude *vero traditur non licuisse Legem aureis literis scribi.* 4.

OBJECERUNT alii contra librum *Aristeæ* quædam, quæ, cum ipse perpenderim, visa mihi sunt vel infirma prorsus, vel dubia, & in probationem vix ducenda. Quoniam tamen à Viris doctis proferuntur, non incommodum duxi in medium illa producere, ut de illis Lector ipse judicium faciat.

2. Offendit *Scaligerum*, quod Interpretes LXXII. de singulis Tribubus senos selectos esse tradit *Aristeas*, cum (ut inquit) decem tribus à Rege Babyloniæ in Captivitatem deductæ, nunquam redierint, nec si reversi ex illis aliqui fuerint, potuerit summus Pontifex senos Viros eruditissimos ex unaquaque Tribu ad manum & in numerato habere, quandoquidem singulis certus locus assignari non potuerit, sed oportuerit decem Tribus quasi inquilinas *Judæ* & *Benjamin* interspersas ha- e Not. in Tertull. Apolog. cap. 18. bitare. Atque hoc argumento utuntur quoque [e] *Fran. Junius*, *Episcopius*, *Rivetus*, *Weemsius*, & [f] *Vorstius*. *Petrus Comestor* de LXXII. Viris è f Not. in Ganzium. Tribubus singulis eligendis narrationem instituens, persensit difficultatem Lectori orturam de 12. Tribubus usque ad illud tempus permanentibus, curavit itaque (vel alius quispiam ad ipsius *Historiæ Scholasticæ* marginem)

marginem) adnotari, quod *etsi* 10. *Tribus captæ fuerint, multi tamen latuerant, qui fugerunt in Jerusalem, quidam etiam ad Samaritanos, propter quam commixtionem Samaritani dixerunt se fuisse Hebræos.* Respondet [a] *Gretserus*, ex 10. Tribubus omnes ad unum non fuisse translatos in Assyriam, atque hoc patere ex historia *Judith* de *Bethulia*, quæ post illam 10. Tribuum deportationem urbs celebris fuit & populosa in Tribu *Zabulon*. Addit in Evangelio B. *Lucæ* legi, Hierosolymis habitasse *Annam*, Phanuelis filiam, ex Tribu *Aser*; *Jacobum* etiam inscribere Epistolam suam Canonicam τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ δώδεκα φυλαῖς, *Duodecim Tribubus quæ sunt in dispersione*: patere denique ex historia Evangelica, tempore Christi, imo & ante Christum, *Galilæam* Judæis incolis fuisse frequentissimam, quæ tamen pertinebat ad Tribus *Zabulon, Nephthalim, Aser, Issachar.* Adjicit ad hæc [b] *Serarius*, illos, qui in Babylonia, Perside, ac Media hærebant, & qui Judæam rursus incolebant, solitos fuisse ultro citroque commeare, idque ex Judaicarum Academiarum Rectoribus ac Discipulis patere in libris Rabbinorum. *Chrysostomum* [1] etiam, *Euthymium*, aliosque in *Matthæi* Caput XV. dicere *Pharisæos* ex omnibus 12. Tribubus fuisse: Imo *Picum Mirandulanum* Comitem in Epistola ad ignotum, quæ incipit, *Quisquis es*, affirmare plures sibi Judæos dixisse, falsum esse non rediisse Tribus decem. Ex responsione clariss. *Waltoni* adjici potest, *Usserium Annal. ad an.* 3468. asserere, "*non integras regni Israelitici tribus Salmanasserem abduxisse;* "*sed partem reliquisse, qui cum Judæis, Benjaminitis, & Levitis à Nebu*"*chadnezaro in Babylonem deportati sunt, & à Cyro dimissi. Unde soluta* "*Captivitate, anno* 1. *Cyri, omnes Israelitæ* dicuntur *habitasse in Civitati*"*bus suis, Ezra* 2. 70. *& cap.* 6. 16, 17. *Hirci* 12. *oblati sunt, pro peccatis* "*totius Israelis, juxta numerum Tribuum. Et Mat.* 4. 14. impletum est "vaticinium Esaiæ de *terra Zabulon & Naphthali, vidente magnam lucem* per Christi prædicationem. Addo Ego, [c] *Hegesippum*, qui Apostolorum temporibus proximus abfuit, in quinto *Commentariorum, S. Jacobi Justi* Martyrium celebrantem, memorare plures Tribus in Judæa existentes, sancti illius Viri passionis tempore; dicens enim B. *Jacobum* petiisse, ut testimonium suum de Jesu coram populo perhiberet, & ascenderet in fastigium Templi, ut ab omnibus conspici exaudirique posset, subnectit: Διὰ γὰρ τὸ Πάσχα συνεληλύθασι πᾶσαι αἱ φυλαὶ μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν. *Nam Paschalis solemnitatis gratia,* [d] *cunctæ Judæorum Tribus, & ex Gentibus haud pauci huc advenerant.* Prodiit liber [e] paucis aliquot annis abhinc, de reditu 10. Tribuum, in quo conficitur ex locis Scripturarum Propheticis, 10. Tribus à *Salmanassare* in Captivitatem deportatas, in Judæam reversas fuisse; cujus quidem sententiæ fuerunt olim [f] *Cyrillus Alex.* [g] *Theodoretus*, & [h] *Theophylactus*, aliique ætatis inferioris; qui credunt 10. Tribus [2] rediisse cum duabus *Judæ* & *Benjamen* sub *Zerobabele*, & in unum populum redactas fuisse sub ditione Hierosolymorum. Jamvero, utrum verum sit necne hoc postremum, cui repugnant [3] rationes (uti arbitror) minime contemnendæ, certam non

a Defens. Bell. lam. II 6.

b Prolog. Bibl. c. 17. Q. 7.

c Apud Euseb. Hist. II. 23.

d Videtur *Hegesippus* innuere distinctis sedibus habitasse omnes Tribus.

e *Jacobi Calvert* Naphthali edit. Lond. 1672. in *quarto*.

f Præf. Com. in Zach.

g In Esaiam II. 13. & alibi passim in Com. Propheticis.

h In Hos. III.

1 Voluit *Chrysostomus*, quem *Euthymius*, reliquique secuti sunt, non solum (ut asserit *Gretserus*) *Pharisæos* extitisse ex omnibus *Tribubus*, verum etiam *Tribus* omnes discretas habuisse sedes: sicut hinc apparet, quod ad illud Evangelii, *Accesserunt ad Jesum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi &c.* annotat: πανταχοῦ τῶν φυλῶν ὄντες διεσπαρμένοι, καὶ εἰς δώδεκα διῃρημένοι μέρη· ἀλλ' οἱ τὴν μητρόπολιν ἔχοντες &c. *Pharisæi per omnes Tribus in* 12 *partes erant disseminati: ac nequiores aliis Hierosolymitani fuerunt, quia cum majores honores consequerentur, plurimum sibi arrogabant.*

2 *Dorotheus* fictitius in *Synopsi*, capite de Ezechiele, apud *Chron. Paschale*, innuit Tribus *Dan & Gad* propter scelera, tunc cum ipse scribebat, in Babylonia detentos fuisse, & inde aliquando liberatum iri.

3 Certissimum est ab antiquis *Judæis* creditum fuisse 10 Tribus primæ deportationis nunquam reversas fuisse, & *Origenes* Epist. ad *Africanum* idem testatum fecit: νῦν Ῥωμαίοις δύο φυλαὶ μόναι εἶναι ἱστοροῦνται, ἥτε Ἰούδα καὶ Βενιαμὶν ἔτι καὶ Λευιτική. Sub Romanis tantum duæ Tribus feruntur esse, Juda nempe atque Benjamen. Esto vero, fuerit etiam Levitica.

feram

feram sententiam, neque animus est ad examen revocare argumenta singula supra prolata. Mihi tamen non dubium videtur quin ex omnibus Tribubus aliqui in *Judæa* extiterint, Pontifice *Eleazaro*. Probabile enim est, per singulas Tribus nonnullos ex Tribubus aliis interspersos habitasse: & quamplurimi, sine controversia, ex 10. Tribubus aliis, in Tribus *Judæ & Benjamen* confugerunt, quando 10. Tribus à *Salmanassare* in Captivitatem deportatæ sunt; qui cum duabus hisce Tribubus à *Nabuchadnezaro* in Babyloniam abducti sint, & cum illis reversi. Neque verisimile est, ex prima 10. Tribuum deportatione nullos duabus reliquis Tribubus in patriam redituris comites sese adjunxisse. Quid? quod nec videtur *Aristeas*, quamvis *Judæus* esset, & Historiam mentiretur (id quod nos asserimus) diversarum omnium Tribuum mentionem facturus fuisse, si extarent duæ solæ: quod non videtur Judæum ullum istorum temporum latere potuisse; multo minus *Josepho*, qui *Aristeam* in hoc secutus est, ignotum esse potuit. De LXXII. hisce Viris selectis ex Tribubus singulis scribit Aristeas, non (ut putavit *Scaliger*) illos fuisse conquisitos ex variis Judææ partibus, ut ad Ægypti Regem mitterentur, sed *Hierosolymis* omnes ætatem egisse, & solitos fuisse à Pontifice maximo in Legationes mitti. Quem utrum probabile sit ex singulis Tribubus elegisse qui majora Reip. obirent munera, aliis relinquo judicandum.

3. *Ptol. Philadelpho* curæ fuisse res sacras (quod tradit *Aristeas*) persuadere sibi non possunt Viri quidam eruditi, [a] *Rivetus*, [b] *Episcopius*, [c] *Weemsius*, [d] *Vorstius*; quoniam (ut aiunt) homo erat improbissimus, sibique ad summam impietatem reliqui nihil fecit, duobus ex fratribus suis è medio sublatis, & sorore sua incesto amore in uxorem sibi assumpta. Quapropter *truculentus & sordidus* appellatur ab Episcopio, *vilissimus & sceleratissimus* à Weemsio, & *Vorstius* in illum acerrime invehitur: *Quis judicabit* (inquit) *in sordidum, in fratricidam, & incestuosum Regem, tantam curam, tam profusam liberalitatem, tam pertinax studium in propaganda Lege Dei cadere potuisse? Sanguine duorum fratrum ex Eurydice natorum ad imperium grassatus est; nefandis nuptiis Sororis Arsinoæ thorum polluit. Hocce scelestum pectus tanto honoris Divini amore flagrasse quis credat?* Addit *Rivetus* noluisse Deum sibi Templum ædificari a *Davide* propterea quod multum effudisset sanguinem; atque itaque ***non voluisse Bibliorum editionem, quam Divinam, Propheticam, & Canonicam dicunt, à fratricida & incestuoso Principe procurari.*** Si sceleribus tam nefariis coopertus fuisset *Philadelphus*, si vitam adeo flagitiose egisset, quam credebant docti illi Viri, *Aristeæ* fidem de illius in Deum pietate, in suspicionem hoc nomine non immerito adduxissent; cæterum exinde non potuisset inferri, illum non jussisse Legem Judaicam in Græcam transferri linguam, quandoquidem id potuerit facere, non ex pietate ulla, sed doctrinæ causa, & ornandæ Bibliothecæ studio: ut *Ptolemæus Euergetes*, ejus cognominis secundus, licet post homines natos nequissimus esset, rei tamen literariæ egregiam navabat operam, summamque doctrinæ consequebatur laudem. Non multum enim habere ponderis videtur illud *Riveti*, Deum non permissurum fuisse Legem suam transferri auspiciis Regis fratricidæ & incestuosi. Dixi, si *sceleribus tam nefariis coopertus fuisset Philadelphus*: nullo enim modo assentior illis, qui in Regem illum tam acerbe & contumeliose invehuntur. Constat enim illum apud omnes veteres in numero Regum non modo maximorum, sed & optimorum fuisse repositum. Ut transeam encomia *Theocriti* atque [e] *Callimachi*, utpote qui vixerint sub ipsius auspiciis; à [f] *Strabone* recensetur inter probos & laudandos Ægypti Reges. [g] *Athenæus* illum vocat τ̀ πάντ᾽ ἄριστον, undequaque

[a] Isag. ad S. Script. c. 10.
[b] Instit. lib. 5. §. 1. cap. 21.
[c] Exerc. Theol. lib. 1.
[d] In Ganzii Chron.
[e] Hymno in *Delum Philadelpho* laudes celebrat.
[f] Lib. 13.
[g] Lib. 5. c. 6.

quaque optimum, & [a] alibi, πάντων σεμνότατον τῶν δυναστῶν, *gravissimum omnium Principum*. [b] *Philoni* nuncupatur Princeps *virtutibus regiis nobilis supra omnes ætatis suæ superiorumque seculorum Reges*. Ἀρετῆς τῆς ἐν ἡγεμονίᾳ πάντων, οὐχὶ τῶν καθ' αὐτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν πάλαι πώποτε γεγενημένων ἄριστος. Neque ausim cum aliis illum tanquam Principem impium damnare, quod Sororem suam in matrimonium sibi asciverit, cum istiusmodi conjugia (quod certo scimus) consuetudine & legibus Ægyptiorum honestata fuerint. Et (ne quid criminis Regi tam illustri falso inferri patiar) luculento [c] *Pausaniæ* testimonio patet, illum prædictos suos Fratres neci tradidisse, non injuste, sed quia contra eum impie machinabantur; alter enim insidias capiti ejus struebat, alter Cyprios ad defectionem solicitandi haud temere suspectus est. Rudis illius historiæ fuit *Vorstius*, qui affirmat illum cæde fratrum suorum ad solium grassatum fuisse: ad solium enim evectus est ab ipso Patre suo sine ulla vi vel effusione sanguinis, neque Filiorum Ptolemæi Lagi natu maximi fuerunt illi, quos *Philadelphus* interemit. Alia sunt scelera, quorum reus agi videatur posse: Auctores enim habemus, illum libidini suæ intemperantius litasse, scil. Concubinis plurimum indulsisse: & [d] *Phylarchus* scribit effusum fuisse totum ad luxuriam, & eousque *dementatum ea, perditumque fuisse, ut sempiternam vitam sibi futuram somniaret, jactitans à se solo repertam fuisse immortalitatem*; οὕτως ἐξαπατηθῆναι τὴν διάνοιαν, καὶ διαφθαρῆναι ὑπὸ τῆς ἀκαίρου τρυφῆς, ὥστε &c. Quibus accedit, quod, ut patet ex *Cornelio Nepote*, *dictum fuit* à nonnullis, illum Patrem suum vita privasse. Ut de cæteris autem nihil dicam; quis adduci potest ut credat ridiculum illud *Phylarchi* mendacium? Quis non persentit *Phylarchum* unum fuisse ex illis, qui quæ festive & jocose loquuntur Reges, arripiunt; & in malam detorquent partem; & [e] *Plutarchum* non immerito judicium hoc de illius Historia fecisse, fuisse *fabulosam & mendaciis plenam*? Quod de parricidio ejus retulerunt nonnulli, nullus dubito quin (ut fieri solet) calumniose id illi affictum fuerit: [f] *Justinus* enim innuit illius Patrem ex *infirmitate* mortuum fuisse; & de obitu ejus verba faciens, multa *Patris & Filii mutua pietatis exempla* celebrat. [g] *Christianus Matthias*, cum [h] *Roberto Baillio*, hunc nævum illi impingit, quod *Sotadi* crudelem intulerit mortem, qui (ut inquiunt) familiaritate regia fretus, de nuptiis ejus cum Sorore hoc dicto monere ausus est; εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς· *Nefandum stimulo foramen pertundis*. At hac de re injuste accusatur: *Sotades* enim illum non amice admonuit, sed per modum famosi libelli dicterio isto aculeato publice illum perstrinxit. [i] *Plutarchus* ait eum id locutum fuisse, ἵνα γέλωτα παράσχῃ τοῖς ἄλλοις, *ut Regem publico risui objiceret*: & fatetur illum *intempestivæ loquacitatis non culpandam dedisse pœnam*, τῆς ἀκαίρου λαλιᾶς οὐ μεμπτὴν ἔδωκε δίκην. Neque unicum fuit illud homuncionis istius facinus. Solebat enim in *Philadelphum* stylum suum acerbe distringere. *Hegesander* apud [k] *Athenæum* testatur illum insolentissime in eum debacchatum fuisse; εἰρήκει εἰς τὸν βασιλέα Πτολεμαῖον πολλὰ δεινά. Et eousque maledicentiæ provectum fuisse scribit *Athenæus*, ut *Lysimachum* in Alexandria prosciderit contumeliis; apud Lysimachum, *Philadelphum*; & alios Reges in aliis Civitatibus: & affirmat illum meritum luisse supplicium: διόπερ τῆς ἀξίας ἔτυχε τιμωρίας.

4. Narrat *Aristeas*, & post illum *Josephus* & *Epiphanius*, missam fuisse à Pontifice Ptolemæo Regi Judaicam Legem *aureis literis conscriptam*; quod fieri potuisse negant *Rivetus* & *Weemsius*. Testantur enim (inquiunt) Hebræorum Doctores, non licuisse libros sacros describere, ne Regi quidem, nisi atramento, eoque speciali modo ad id apparato,

a Lib. 12.
b De Vita Mosis, lib. 2.
c Atticis.
d Apud Athenæum lib. 12.
e Vita Themistocl. ad finem.
f Hist. XVI. 2.
g Theatro Hist.
h Op. Hist. l. 2.
i Περὶ παίδων ἀγωγῆς.
k Lib 14.

ex fumo olei vel picis, vel fevi, vel talium, pisto in exusto ligno, cum exiguo mellis bene depsito, donec attenuetur, postea exsiccato & reposito: Quod postea tempore scriptionis dissolverunt in aquis gallarum, aut similium. Dicunt autem injunctum fuisse Mosi in monte Sinai, ut libri sacri perscriberentur atramento, exclusis cæteris omnibus colorum speciebus, velut rubro, viridi, & consimilibus; quibus si una literula scriberetur, totum profanaretur. Ne nobilissimam quidem auri tincturam eos usurpasse perhibent. Hac lege dicunt accidisse, quod, cum in Pentateucho *Alexandri M.* omnis mentio *Dei* aureis Characteribus depicta esset, & factum hoc deveniret ad *Sapientes*, illi responderunt è medio illum tollendum esse. Hæc ex ipsis *Talmudicis* scribit [a] *Wilhelmus Schickardus* à *Weemsio* & *Riveto* citatus. Respondet breviter doctiss. [b] *Is. Vossius*, stolidum hoc esse Rabbinorum commentum; neque latere potuisse *Aristeam* & *Josephum*, si verum fuisset. De quo responso penes alios Judicium steterit. Quod dicunt vero *Talmudici*, gens fabulosissima, de consuetudine prædicta ex mandato Dei in monte Sinai instituta, nihil dubium est, quin falsum prorsus sit. Neque magis hæreo de eo, quod de Pentateucho *Alexandri M.* dicitur.

a De Jure Hebræorum c. 2.
b De LXX. Int. cap. 4.

c Panstrat. XIII. 4.

5. [c] *Chamierus*, contra *Aristeam* objiciens, quod quædam tenuia exiguique momenti tanquam magna extolluntur; *sic libros* (inquit) *fingit aureis literis descriptos, & Regem* θαυμάσαι τῆς ἰσχνότητος τῶν ὑμένων καὶ τῆς συμβολῆς τὸ ἀνεπίγνωστον, *miratum esse membranarum tenuitatem, & compactionis tantam subtilitatem, ut commissuræ sensum fugerent, sicut habet Josephus: Aristeas autem rem appellat visu mirabilem; ob quam Rex obstupefactus hæsitaverit, septiesque adorarit. Quasi illa magnum aliquid ad pietatem conferant, & Majestatem Legi addant.* Dicit quidem *Josephus* Regem χρόνῳ πλείονι *longo tempore miratum esse* membranæ & compactionis subtilitatem: Quod vero objicit *Chamierus* ipsi *Aristeæ*, id non apparet: *Postquam membranas* (inquit) *explicuissent, Rex diu substitit, & adorans fere septies, ita est locutus: Gratias ago vobis, Viri, sed majores ei, qui vos misit, maximas vero Deo illi, cujus hæc sunt oracula.*

6. Asserit insuper *Chamierus* absurdam esse fabulam, quod mos fuit Judæorum manus *in mari* prius lavare, quam preces funderent. Qua quidem de re assensorem me haberet vel maxime, si constaret *Aristeam* tale quid affirmare. Scribit is LXX. Interpretes, bene mane Versionem aggressuros singulis diebus, *pro communi Judæorum omnium consuetudine manus in mari lavasse, & tum vota ad Deum peregisse*: ὡς δὲ ἔθος ἐστὶ πᾶσι Ἰουδαίοις, ἀπονιψάμενοι τῇ θαλάσσῃ τὰς χεῖρας, ὡς ἂν ηὔξαντο πρὸς τὸν θεόν. &c. Interrogatos autem quare ante preces lavarent manus? respondisse, *hoc factum fuisse in argumentum & testimonium nullius sceleris perpetrati, quoniam per manus omnes conatus soleant expediri.* Quibus verbis non videtur hoc sibi voluisse, solitos fuisse Judæos omnes *in mari* lavare manus (qui enim nescire potuit Judæos plurimos procul à mari habitasse?) sed tantum, Interpretes in Pharum Insulam transituros, in mari suas lavasse manus juxta consuetudinem Judæorum, quibus in more fuerit manus lavare priusquam opus aliquod aggrederentur, sive rem Divinam facerent.

7. Idem notat *Aristeam* negare *moris fuisse, ut quisquam Legatorum in conspectum Regis admitteretur, etiamsi propter negotia missi rediverint; asserere vero, Regum & excellentium Urbium ad Regem missos Legatos vix trigesima die receptos fuisse in atrium.* Quod quis credat (inquit) nisi omnium politicorum ignarus? De eo, quod Legati redeuntes, nunquam admissi sunt in conspectum Regis, *Chamierum* fefellit *Matthiæ Palmerii* Versio Latina, quæ in hac re, ut in aliis non paucis, Auctoris

ctoris sensum non attingit. *Aristeas* dicens LXX. Seniores intromissos fuisse ad Regem statim postquam advenissent, subjicit: οὐ πᾶσι παράδοξον φανέντος, διὰ τὸ κατ᾽ ἔθος εἶναι, πεμπταίους εἰς πρόσωπον ἔρχεσθαι βασιλεῖ τοὺς περὶ χρησίμων ἀφικνουμένους· τοὺς δὲ παρὰ βασιλέων ἢ πόλεων ἐν ὑπεροχαῖς, μόλις ἐν ἡμέραις τριάκοντα εἰς τὴν αὐλὴν παριέναι. Quæ sic recte interpretatur *Matthias Garbitius*: *Quæ res, ut inusitata, movit omnibus admirationem, quia hoc in more erat, ut qui ob privatum aliquod negotium venissent, quinto demum die in conspectum Regis pervenirent: qui vero à Regibus & Civitatibus præstantibus missi essent, illi ægre post 30. dies in aulam admitterentur.* *Palmerius* vocabulum istoc, πεμπταίους, *missos* imperite reddidit, quod *quinto die* quippiam facientes denotat; ut πεμπταίους ἀφικέσθαι apud *Aristeam* idem significet, quod, διὰ πέμπτης ἡμέρας προσιέναι, quod *Josephus* habet. Si voluit *Chamierus* (ut videtur innuere) absurdum esse, quod de Legatis Regum & Civitatum illustrium non ante 30. dies admittendis prodit *Aristeas*; *Politicorum* de re illa judicium esto.

8. Vir egregius [a] *Hen. Valesius*, quem secutus est *Jo. Bona* Cardinalis, præter argumentum de Epistola *Demetrii Phalerei* insulsa barbarisque vocibus plena, superius à nobis memoratum, alia profert adversus *Aristeam*, in quibus ait illum falsitatem suam abunde prodidisse; in quibus illud est, quod *Hecatæi Abderitæ* testimonium, tanquam vetusti scriptoris, allegantem *Demetrium* induxerit; cum *Hecatæus* (inquit) ipso *Demetrio* haud antiquior fuerit, utpote quem sub *Alexandri Successoribus* floruisse scribant *Suidas*, aliique; necnon cum *Ptolemæo Lagi F.* familiariter versatum fuisse affirmet *Josephus*. Quod argumentum dubito an cessurum sit pro votis erudito Viro. *Hecatæum* enim à *Demetrio* allegari tanquam tanto antiquiorem, pro certo satis non habetur. Simpliciter enim profert illius testimonium de sapienti doctrina Legis Judæorum, quod quidem potuisset facere, quamvis in vivis tunc superstes fuisset *Hecatæus*.

[a] Not. in *Euseb.* Hist. Eccles. V. 8.

CAP. XIX.

Heptastadii *mentionem facit* Aristeas, *quod ab aliquibus dicitur extructum fuisse à* Cleopatra *longe post ætatem* Ptol. Philadelphi, *cujus regno profitetur* Aristeas *se vixisse. De tempore quo conditum sit* Heptastadium, *disquisitio instituitur. Illud* Ptol. Philadelpho *regnante extitisse, conceditur & probatur, contra* Jo Gregorium *&* Hen. Valesium.

ARISTEAS docet *Heptastadium*, isthmum ex jactis molibus constructum, & ad *septem stadia* ab Ægypti continente ad Pharum insulam pertensum, extitisse quo tempore LXX. Interpretes in Versionem incubuerint. Μετὰ δὲ τρεῖς ἡμέρας (inquit) ὁ Δημήτριος παραλαβὼν αὐτοὺς, καὶ διελθὼν τὸ ἐπὶ ἑπτὰ σταδίων ἀνάχωμα τῆς θαλάσσης πρὸς τὴν νῆσον, καὶ διαβὰς τὴν γέφυραν &c. *Post tres autem dies, Demetrius assumpsit ad se illos* (LXX. Seniores) *& in insulam per aggerem maris septem stadiorum progressus, & pontem trajiciens &c.* Eadem ad verbum habet *Josephus*. Ex cujus *Heptastadii* mentione concludit [b] *Hen. Valesius* conscriptam fuisse Aristeæ Historiam diu post *Philadelphi* tempora, contendens *Heptastadium Philadelphi* ætate non extitisse. Quid exinde confecerit *Gregorius* noster, edocui supra in Capite 1. §. 14. *Heptastadium* autem à *Cleopatra* conditum fuisse testes sunt *Chronici Alexandrini* (quod vocant) Auctor, [1] *Jo. Tzetzes*, *Cedrenus*, atque [c] *Amm. Marcellinus*.

[b] Annot. ad *Euseb.* Hist. Eccles. V. 8.

[c] Lib. 22. Ammianū sequuntur *H. Buntingus* Chron. & *Heylinus* Geogr. l. 4. aliique.

1 Chil. 2. cap. 33. & Chil. 6. cap. 44. qui *Tetrastadium* vocat. Insulam vero *Pharum* a Continenti ἑπτὰ μάλιστα σταδίοις distare notatum est ab *Aristide* Orat. Ægypt.

Hujus verba hæc sunt: *Hæc eadem Regina* (Cleopatra) *Heptastadium, sicut vix credenda celeritate, ita magnitudine mira construxit, ob causam notam & necessariam. Insula Pharos, ubi Protea cum Phocarum gregibus diversatum Homerus fabulatur inflatius, à Civitatis littore mille passibus disparata, Rhodiorum erat obnoxia vectigali. Quod cum inde quidem nimium quantum petituri venissent, Fœmina, callida semper in fraudes, solennium specie feriarum iisdem publicanis secum ad suburbana perductis, opus jusserat irrequietis laboribus consummari, & septem diebus totidem stadia, molibus jactis in mare, solo propinquanti terræ sunt vindicata. Quo cum vehiculo ingressa, errare ait Rhodios, Insularum non Continentis portorium* [1] *flagitantes.* Huic sententiæ de *Heptastadio* post regnum Philadelphi condito, accessisse videatur *Aristeas Epiphanianus.* Scribit enim *Epiphanius* LXX. Interpretes (non transgressuros esse in Pharum Insulam per *Heptastadium* aggerem, verum) *scaphis* rursum prorsum transvectos fuisse.

2. Quamvis hoc, si veritas constaret, in magno esset numero argumentorum nostrorum contra Historiam *Aristeæ*, fatendum tamen ingenue est, me nullo modo assentiri *Amm. Marcellino*, cæterisque qui illud attestantur. *Julius Cæsar* enim locupletissimus auctor est, *Heptastadium* illud, non à *Cleopatra*, sed à superioribus Ægypti Regibus congestum [a] fuisse. *Hæc insula* (inquit ille) *objecta Alexandriæ portum efficit: sed à superioribus regionibus in longitudinem passuum* DCCCC. *in mare jactis molibus, augusto itinere, & ponte, cum oppido conjungitur.* Pro *regionibus*, lego *Regibus*, cum [b] *Brodæo*, [c] *Scaligero*, [d] *Usserio*, [e] *Saliano*, [f] *Brantio.* Sic legit quoque [g] *Valesius*, qui quamvis existimaret *Heptastadium* constructum fuisse post [2] regnum *Philadelphi*, concedit tamen conditum fuisse ante *Cleopatræ* regnum. Hunc locum autem vexat & contorquet *Jo. Gregorius*, contendens lectionem istam genuinam esse, & sensum esse; *in longitudinem passuum* DCCCC. *à superioribus regionibus, jactas fuisse moles.* Sed (bona cum *Gregorii* venia) omnino superflua fuit particula ista, *à superioribus regionibus*, si ita legatur; nec videtur *Cæsar*, etsi verbis inaniter abundare voluisset, dicturus fuisse, *à superioribus regionibus*, sed, *ab oppido*, sive *ab urbe*: Quid? quod tantum abest, ut Alexandriæ Continens, *superior regio* vocaretur, respectu habito ad Insulam Pharum, ut Insula ipsa Pharus, *superior regio*, sive *terra*, (ἡ ἄνω γῆ) dici consueverit. Ἐν τῇ Φαρίᾳ νήσῳ, καλουμένῃ δὲ Ἄνω γῇ, ait [h] *Epiphanius*: & ex eo, *Julianus* [i] Præsul Toletanus; *In insula* [3] *Fari, quæ Anagoge* (l. *Anoge*) *id est Superior terra nominatur*: Quod addit *Gregorius*, testimonium *Cæsaris*, etsi *Brodæana* admittatur lectio, & legatur *Regibus*; nullius hac in re momenti esse, utpote qui ex invidia noluerit veritatem dicere, tantum opus adscribendo *Cleopatræ*, ne fossis suis vallisque bellicis grandius quiddam perfecisse videretur *Fœmina*: hoc in Viro docto tam expers est judicii, ut pigeat sane (ne dicam, & pudeat) meminisse.

3. At quorsum hæc? Quomodocunque se habeat ista lectio, ex eo ipso, quod *Cæsar Heptastadii* meminerit, clarissime demonstratur illud extitisse ante regnum *Cleopatræ*. Nam tempore belli *Cæsaris* Alexandrini, *Cleopatra* annum sui regni *quartum* [k] nondum compleverat, neque superaverat ætatis [l] *vicesimum primum.* *Lucius Florus* de Alexandrino bello sermonem habens, *puellam* illam vocat; & [m] *Appianus* ait

a De Bell. Civ. lib. 3. ad finem.
b Lib. 3. Miscel. cap. 5.
c Not. in Euseb. Chron.
d Annal. an. 3720.
e Annal.
f Not. ad Cæsarem.
g Not. in Marcellinum l. 22.
h De Pond. & Mens. cap. 3.
i Lib. 3. contra Judæos.
k Vide Syntag. de Ptol. c. 54.
l Vide ibid. c. 47.
m De Bell. Civ. lib. 2.

1 *Said Ibn Batric* in Annal. ait *Cleopatram multa extruxisse ædificia, magna & miranda; fecisseque opera tessellata, & magnum Templum Saturni condidisse.*

2 Sibi tamen inconstans videtur *Valesius.* In Notis enim ad *Marcellinum* colligit *Heptastadium* antiquius fuisse *Cleopatra*, non solum quia *Cæsar* ait conditum fuisse à superioribus Regibus, verum etiam quia *Josephus* (sive *Aristeas*) scribit LXX. Interpretes per illud Philadelphi tempore in Pharum Insulam transiisse.

3 Dicitur Insula *Pharus* ab Abulpharajio Hist. Dynast. Florentius Wigorn. turrim *Pharum* vocat *Faram.*

illos,

illos, qui in Ægypto regnabant cum *Pompeius* interficeretur, nempe *Cleopatram* & Fratrem ejus, fuisse παῖδας. Cum tamen illi, qui *Heptastadium Cleopatræ* tribuunt, vel affirmant omnes, vel innuunt, eam illud molitam fuisse postquam jam diu regnasset. Ad ætatem *Cleopatræ* tam teneram accedit, quod antequam *Cæsar* in Ægyptum appulit, *Cleopatra* regina erat tantum nomine tenus, nec ulla in regno auctoritate
pollebat. Nam ut auctor est [a] *Strabo*, cum Alexandrini, defuncto *Pto-* [a] Geogr. lib.
lemæo Dionyso sive *Aulete*, *Cleopatram & Fratrem ejus regno præficerent*, ult.
Pueri familiares Regis, *mota seditione*, *Cleopatram ejecerunt*, *quæ postea cum Sorore in Syriam secessit*, *& in exilio mansit*, *donec à Cæsare post bellum Alexandrinum revocata fuit*.

4. *Heptastadium* tempore belli *Alexandrini* extitisse testantur alii
præter *Cæsarem* multi. [b] *Lucanus* hoc versu: *Molis in exiguæ spatio* [b] Lib. 10.
stipantibus armis. *Suetonius* his verbis: [c] *Alexandriæ circa oppugnationem* [c] Jul. Cæsare
pontis (h. e. [1] Heptastadii) *eruptione hostium subito compulsus* (Cæsar) *in* cap. 64.
scapham &c. [d] Plutarchus hisce: περὶ τῇ Φάρῳ μάχης συνεςώσης, καθεπήδησεν [d] Vita Jul. Cæ-
μὲν ἀπὸ τοῦ χώματος εἰς ἀκάτιον. *Cæsar commissa ad Pharum pugna desiliit* saris.
ex aggere in acatium. Et [e] *Florus*, ubi dicit Cæsarem Alexandria ob- [e] Lib. 4. cap. 2.
sessum, in Pharum *peninsulam* subito evasisse; quo innuit illum per
isthmum eo confugisse. Idem indicat [f] *Dio Cassius*, ubi scribit Ægyptios, [f] Hist. lib. 42.
Cæsare Pharum [2] Insulam aggrediente, & incolas interficiente, per pontes auxilio eis venisse: κατά τε τὰς γεφύρας ἐπεβοήθησαν αὐτοῖς. Eadem, ex *Dione*, habes apud *Jo. Xiphilinum*, cujus Interpres, κατά τε τὰς γεφύρας &c. vertit; *& factis pontibus auxilio suis venerunt*: quasi ante nulli pontes extarent. Cum tamen denotentur pontes [3] illi duo *Heptastadii*, quibus *Strabo* ait transitum fuisse super aditus binos navigabiles in Eunosti portum. Nisi malles *Heptastadium* ipsum *pontes* in numero plurativo à *Dione* dici, quod *pons* quidem in singulari frequenter nuncu-
patur, ut à *Strabone*, *Suetonio*, [4] *Appiano*. Ita [g] Plinius: *à Pharo insula*, [g] Hist. Nat.
quæ nunc Alexandriæ ponte jungitur. Et [h] alibi: *juncta ponte Alexandriæ* XIII. 11.
Pharus. [i] Pomponius Mela: *Pharos Alexandriæ nunc ponte jungitur*. [h] Lib. 5. c. 31. [i] De Situ Orbis II. 7.

5. *Heptastadium* denique non congestum fuisse tumultuario illo mo-
do, quo refert *Marcellinus*, ex [k] *Strabone* colligitur, à quo discimus il- [k] Lib. ult.
lud non modo pontis vicem præstitisse, sed & *aquæductum* fuisse, idque *ante* bellum Alexandrinum. *Hi vero portus* (inquit) *continui in secessu illo*, *qui* Heptastadium *appellatur*, *aggere ab eo dirempti adjacent*. *Agger autem est pons quidam à Continenti in Insulam ad occidentalem ejus partem porrectus*, *duos tantum aditus navigabiles relinquens in Eunosti portum*, *ipsos quoque ponte junctos*: *quod opus non modo pons erat in Insulam*, *sed etiam aquæductus*, *cum illa habitaretur*. *At* (jam non habitatur, nam) *nostra ætate D. Cæsar eam in Bello Alexandrino*, *in quo pro Regibus contra ipsum* [5] *steterat*, *evastavit*; *pauci tamen nautæ juxta Turrim* [6] *habitant*.

6. Ut ex positis evincitur *Heptastadium* constructum fuisse ante ætatem *Cleopatræ*, ita alia nobis sunt argumenta, quæ fidem faciunt, illud conditum fuisse vel ab ipso *Ptol. Philadelpho*, vel etiam ante regnum ejus. Nempe constat *Heptastadium* extructum fuisse ante *Phariam Turrim*, cum artificem habuerit *Dexiphanem Gnidium* qui pater fuit *Sostrati*, architecti *Turris*. Et tamen apparet *Turrim Phariam* extitisse ipsius

1 Nisi forsan designavit *pontem*, quo Insulæ junctum est Heptastadium.

2 Non, *Urbem Pharum*, quomodo *Xiphilini* Interpres τὴν Φάρον reddit.

3 Verbis *Aristeæ* & *Josephi* citatis liquet *Heptastadium* conjunctum fuisse Pharo per *pontem*.

4 De Bello Civili lib. 2. nisi forsan intelligeret pontem, quo Insulæ junctum est Heptastadium.

5 Dicitur tamen *Colonia Cæsaris Dictatoris* à Plinio V. 31.

6 Non assentior *Is. Vossio*, qui in Notis ad *Melam*, ut illos, qui *Cleopatræ* Heptastadium ascribunt, cum aliis aliquatenus reconciliaret, ait illam *Heptastadium urbi conjunxisse ponte everso*. Extabat pons iste longe post *Cleopatræ* tempora. Et merum esse errorem, quo Heptastadium *Cleopatræ* attribuitur, ex circumstantiis satis conspicuum est.

 Philadelphi

Philadelphi tempore. *Heptaſtadii* autem architectum fuiſſe *Dexiphanem* (*Soſtrati* patrem) conſentiunt omnes. Cedrenus: *Antonius cum Cleopatra Alexandriæ & Ægypti regina inito conſilio*, [1] Dexiphane *Mechanico ei operi præfecto*, - - - - *maris fretum quatuor milliarium latitudine, ingeſta materia ſiccavit, fecitque, ut tanquam per Continentem liber eſſet ex urbe ad Pharum aditus.* Ita *Chronicon Alexandrinum*, cujus verba Latine reddita ſic ſe habent: [a] *Anno* 12. *Triumviratus Cæſaris Auguſti, cum tyrannidem* (in exteros) *exercerent Ægyptii & Cleopatra, quæ condidit Alexandriæ illius magnæ Pharum in Inſula, quam Protei dixere, Alexandriæ ad diſtantiam paſſuum* [2] 4000. *objecta*; & [3] *aggerem in mari per tantum ſpatium gleba & lapide congeſſit, efficiens ut ad inſulam Pharum uſque pedibus perveniri poſſet. Quod opus inſanum Cleopatræ juſſu* Dexiphanes, [4] *Gnidius Architectus, fecit, qui mare in Continentem vertit.* Suffragatur [b] *Jo. Tzetzes*:

a Raderus hunc locum male reddit.

b Chil. 2. Hiſt. 33.

Αὕτη σὺν ἀρχιτέκτονι [5] Κυπρίῳ Δεξιφάνει
Τὴν θάλασσαν χερσώσασα τὴν τῆς Ἀλεξανδρείας. &c.

Dexiphanem vero fuiſſe patrem *Soſtrati*, & à *Soſtrato* conditam fuiſſe *Pharum Turrim*, patet ex Inſcriptione quam [c] *Plinius* meminit ab ipſo *Soſtrato* Turri inſculptam fuiſſe, quamque [d] *Strabo*, [e] *Lucianus*, [6] *Syncellus*, & *Euſebius* (ſive quis alius in primo illius Chronicorum libro) conſervavere poſteris. Hæc ita eſt concepta:

c Nat. Hiſt. 36. 12.
d Lib. 17.
e Libro de arte ſcribendi Hiſtoriam, ad fin.

ϹΩϹΤΡΑΤΟϹ ΚΝΙΔΙΟϹ ΔΕΞΙΦΑΝΟΥϹ
ΘΕΟΙϹ ϹΩΤΗΡϹΙ
ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ.

SOSTRATUS GNIDIUS DEXIPHANIS. F.
DIIS SERVATORIBUS
PRO NAVIGANTIBUS.

7. Quod ad tempus conſtruendæ *Phari Turris* ſpectat; illam quoque *Cleopatræ* tanquam conditrici adſcribit *Chronicon Alexandrinum*. Quod ſi verum eſſet, vel exinde conficeretur *Heptaſtadium* longe poſt tempora *Philadelphi* extructum fuiſſe, ſiquidem ab architecti *Turris* patre extructum fuit. *Chronico Alexandrino* accedit *Amm. Marcellinus*; qui aſſerit *Cleopatram* Pharum erexiſſe, intelligens, eam iſtum, non inſtauraſſe (ut illum interpretantur [7] *Valeſius*, & [8] *Howelus* noſter) ſed *excogitaſſe*; hac enim voce utitur. Idem legitur in [f] *Excerptis Chronographicis Latino-barbaris*, & apud [g] *Jo. Tzetzem*, necnon in aliis Auctoribus; conſentiente etiam *Murtadi Ebn Gaphipho*, Scriptore Arabico, cujus verba Latine ſic ſe habent: *Pharus Alexandriæ factus non fuiſſet, niſi* [9] *ſpeculi gratia, quod ſuper illum erat, & de Romana regione adverſus illos venientes prodebat. Unus ex Romanis Imperatoribus, in tantum per artifices ſuos magnoſque ſumptus prævalebat, ut eum deſtrueret. Erat ex*

f Ed. à Scaligero ad finem Euſebii Chron.
g Hiſt. Ægypt.

1 Δεξιοφάνους male legitur. Ita tamen in Inſcriptione apud Euſeb. Chron. lib. 1.

2 Auctor, cum *Cedreno*, ſequitur in hoc *Homerum*.

3 Græca ſic compunge: λίθοις τὴν θάλασσαν ἐπὶ τοσοῦτον διάστημα, πεποιηκώς.

4 Δεξιφάνους, Κνιδίου· lege; Δεξιφάνους Κνιδίου.

5 Sed pro Κυπρίῳ legendum eſt Κνιδίῳ, ut apparet ex Epiſtola ejuſdem ad *Jo. Lachanam* apud Chil. 4. Hiſt. 141. ubi legitur: Ἥπερ ἡ Κλεοπάτρα ἐχερσώσατο τὴν Φάρον, τῷ Δεξιφάνει τῷ σοφῷ Κνιδίῳ ἑρμηνεύσας.

6 Chron. A *Soſtrato* conditum fuiſſe *Pharum* meminere *Suidas*, *Stephanus Byzant.* *Euſebius* in Canone, *Ado Vien.* in Chron.

7 Notis in *Marcellinum*. Putavit *Valeſius* conditum fuiſſe *Pharum* ante *Heptaſtadium*.

8 Hiſt. Mundi Anglice conſcripta. Falluntur *Valeſius* & *Howelus*, cum dicunt Pharum turrim ſubverſam fuiſſe à *J. Cæſare*, idque dici ab ipſo *Cæſare* & *Strabone*: loquuntur enim illi de *Pharo Inſula*, quam dicunt vaſtatam fuiſſe.

9 Pharum fuiſſe turrim *ſpeculatoriam*, vitreo ſpeculo inſtructam, ſcribit quoque *R. Benj. Barjona* in Itiner.

candido

candido marmore &c. Quibus verbis indicatur constructum fuisse Pharum quo tempore bella Romanos inter & Ægyptios exarsere, quod non fuit [1] ante regnum *Cleopatræ*. Jamvero quamvis tot testimoniis ea res confirmetur, facile tamen inducor ut credam constructum fuisse Pharum ante ipsius *Philadelphi* obitum. Non conditum enim fuisse à *Cleopatra*, sed ante regnum ejus, hinc abunde patet, quod *J. Cæsar*, qui in Ægyptum venit cum *Cleopatra* nihil nisi nomen Reginæ obtinuisset, de eo mentionem facit, & tanquam diu ante exædificato: [a] *Pharus turris nomen ab Insula accepit.* Adde, quod extructum fuisse à *Ptolemæo* affirment (astipulantibus etiam [2] *Strabone* & [3] *Luciano*) [b] *Plinius*, *Suidas*, [c] *Isidorus Hispalensis*. Quem quidem *Ptolemæum* fuisse *Philadelphum* ipsum, luculentum perhibent testimonium *Eusebius* & *Syncellus*, qui in *Chronicis* illius ædificationem conferunt ad initium *Philadelphi*, quod & faciunt, post *Eusebium*, *Ado Viennensis*, *Marianus Scotus*, & *Petrus Comestor*. Apud excerpta Græca *Scaligeri*, in serie Regum Macedonicorum, ubi inter Reges recensetur *Lysimachus*, qui obiit paulo post initium regni *Philadelphi*, adjicitur: κατὰ τοῦτον Σώστρατος Κνίδιος τὴν φάρον ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἀνέθηκε. *Suidas* scribit erectum fuisse sub *Ptolemæo* Ægypti Rege à *Sostrato Gnidio Dexiphanis F.* ὅτε καὶ Πύρρος τὴν δυναστείαν τῆς Ἠπείρου παρείληφε, *cum Pyrrhus Epiri principatum suscepit.* Pyrrhus autem Epiri regnum suscepit multis annis ante regnum *Philadelphi*, res Ægyptias tenente *Ptolemæo Lagi*. Cæterum ego facile sum passus, ne in mentem quidem aliquid contraveniat, ita faveo sententiæ illorum, qui Pharum *Philadelpho* acceptum referunt. Neque video sane quomodo *Philadelphi* Opera in proverbium usque (quod testatur *Philo*) celebrari potuerint, tanquam omnium magnificentissima, si à *Ptolemæo Lagi* construerentur, non solum *Heptastadium*, sed & *Pharus* quoque Ægypti (secundum *Pyramides*) duo maxima miracula. Adjice, quod videtur hæc Turris Pharia honori *Ptolemæi Lagi* & Reginæ ejus *Berenicæ*, jam defunctorum, dedicata fuisse. Nam per Θεοῖς Σωτῆρσι, in Inscriptione, existimo illos fuisse designatos: quos constat post mortem ab Ægyptiis habitos fuisse in Deorum numero, nominatosque fuisse [d] Θεοὺς Σωτῆρας. Et compertum habemus, [e] *Berenicen*, à *nautis* præsertim & *navigantibus*, sacrificiis adorari, precibusque invocari solitam fuisse.

[a] Bell. Civ. l. 3. ad finem.
[b] Nat. Hist. XXXVI. 12.
[c] Orig. XV. 2.
[d] Vide Syntag. de Ptol. cap. 4.
[e] Vide ibid.

8. Jamvero, sive à *Philadelpho*, sive à *Ptolemæo Lagi* conderetur Pharus, necessaria consecutione exinde colligitur, [4] *Heptastadium Philadelphi* extitisse tempore: cum (ut ostensum fuit) ante Pharum construebatur. Et si Pharus sub initio *Philadelphi* erectus sit, uti scribit [5] *Eusebius*, vel exinde conficiatur *Heptastadium Ptolemæum Lagi* habuisse conditorem. Atque ad hoc fortasse magnum illius opus allusit *Theocritus*, his [f] Carminibus,

——— οἷος μὲν ἦεν πλέϊστον μέγα ἔργον
Ὁ Λαγίδας Πτολεμαῖος, ὅκα φρεσὶν ἐγκατάθοιτο
Βουλὰν, ἂν οὐκ ἄλλος ἀνὴρ οἷός τε νοῆσαι.

[f] Encomio Philadelphi, Idyll. 17. v. 13.

——— *Qualis erat ad absolvendum opus magnum Lagides Ptolemæus, cum animo conceperat consilium, quod non alius Vir excogitare potuit.*

Si, cum dicit *Cæsar* illud conditum fuisse à *superioribus Regibus*, plures stricte Reges intelligeret, credendum est inceptum fuisse à *Ptolemæo*

1 Si excipias Romanum exercitum, cujus ope *Gabinio* duce, *Cleopatræ* pater restitutus est in regnum.

2 Lib. 17. ubi *Sostratum* qui illum ædificavit, vocat, *amicum Regum*.

3 *De scrib. Hist.* ubi docet *Virum* tunc regnasse, non *Fæminam*.

4 Cluverius Hist. Epit. & Bussieresius Hist. Flosc. *Heptastadium Philadelpho* tribuunt. *Usserius* in Annal. utrumque extructum putat, quo tempore unà regnabant *Philadelphus* & *Lagides*.

5 Videtur *Eusebius* ad initium *Philadelphi* Pharum contulisse, quia compertum non habuit quo anno regni ejus fuerit constructus.

Lagi,

Lagi, & perfectum à *Philadelpho*. Ad antiquitatem *Heptastadii* spe-
a Metamorph. lib. 15. v. 286. ctare videtur *Nasonis* locus iste, [a] ubi *Pharum* recenset inter illas Insulas, quæ diu ante memoriam suam factæ sunt Peninsulæ.

Fluctibus ambitæ fuerant Antissa, Pharosque,
Et Phœnissa Tyrus, quarum nunc insula nulla est.

b Itiner. 9. [b] *Barjona* Tudelensis, qui mortuus est anno Salutis nostræ 1173. *Heptastadium* refert congestum ante Ptolemæorum tempora ab ipso *Alexandro M.* *Ubi aggerem ad portum Alexandriæ per integrum milliare intra ipsum mare Alexander duxit. Jo. Gregorius*, qui locum hunc observaverat, contendit *Barjonam* non audiendum esse, quoniam Arabici Scriptores, è quibus hoc videtur desumpsisse, plurima de *Alexandro M.* inepte confinxerunt; nec aliquis, ut inquit, Græcorum molem istam *Alexandro* adscribit. Atqui hac in re egregie fallitur Vir doctus. Apud
c Annal. to. 1. *Zonaram* enim, Græcum Scriptorem, idem [c] reperitur. Alexander (inquit ille) urbem condidit, aggeribus insula ad continentem redacta. ἐκεῖ τὴν πόλιν ἱδρύσατο, ἠπειρώσας αὐτὴν διὰ χώματος, νῆσον οὖσαν τὸ πρότερον. Fatendum tamen est, minime audiendos esse istos ævi sequioris Scriptores, cum præstantiores illi rerum ab Alexandro gestarum enarratores, *Arrianus*, *Plutarchus*, *Curtius*, hac de re prorsus silent: maxime, cum *Arabibus*, à quibus haud dubium est quin traditionem istam hauserint *Zonaras* & *Barjona*, solenne sit tam splendide de *Alexandro* fabulari, & grandia quæque ac magnifica illi adscribere. Ita idem *Bar-*
d Annal. *jona*, & [d] *Batricides* quoque, Turrim Phariam *Alexandro* attribuunt.
e Prima parte quarti Climatis. [e] *Geographus Nubiensis* tradit illum Mathematicorum ope Oceanum Atlanticum cum Mediterraneo conjunxisse, abscisso ad Columnas Hercu-
f Ed. cum Eusebii Chron. leas isthmo: id quod Græci adscribunt *Herculi*. In [f] *Excerptis Chronographicis Latino-barbaris* perhibetur *Alexandrum Magnum omnes gentes subjugasse à Caspiacas* (quæ auctoris Latinitas est) *quæ sunt in ortu solis, usque ad exteriores terminos Eracli* (Herculis) *qui jacent in exteriores occidentis partibus contra Garirum* (Γαδείρων.) Sic scribit [1] *Cedrenus*, fabulas *Arabum* sequens, in aula illum Reginæ *Candacæ* versatum fuisse, & subdit, ἐκεῖθεν δὲ πρὸς Ἄφασιν καὶ Γάδειρα, καὶ τὰ Βρεττανικὰ ἔθνη γενόμενος &c. *illum ad Phasin & Gades, & Britannicas gentes pervenisse.* Sic causa quare Alexander *Dhul Karnaim*, h. e. *duo habens cornua*, nuncupetur ab Arabibus, ab aliis fuisse [2] dicitur, *quod duo solis cornua Orientem & Occidentem esset assecutus.* Quæ ratio redditur ab *Abul-Pharajio* in *Historiâ Dynastiarum* quam Arabice & Latine publici juris fecit clarissimus noster *Pocockius*, venerabilis Vir ætate & miraculo literarum, cui Deus de meis, si placuerit, annis addat.

CAP. XX.

Locus quidam apud Aristeam *videtur à* Christiano *quodam insertus. Librum tamen istum ante natum* Christum *editum fuisse.*

APUD *Aristeam*, interrogante Rege, πρὸς τίνα δεῖ φιλότιμον εἶναι, *Apud quos oportet liberaliter se gerere?* Interpretum vicesimus primus respondisse fertur; Πρὸς τοὺς φιλικῶς ἔχοντας ἡμῖν, οἴονται πάντες ὅτι πρὸς τούτους δέον. ἐγὼ δὲ ὑπολαμβάνω, πρὸς τοὺς ἀντιδοξοῦντας φιλοτιμίαν δεῖ χα-

1 Mira est in *Cedreno* locorum confusio. Videtur enim *Gades* & *Britanniam* in India Orientali posuisse.

2 Ratio vera est, quod *Jovis Ammonis*, cujus frontem duo cornua armabant, filius credi voluit; & quod ipse in Conviviis purpuream *Ammonis* vestem & *Cornua* tanquam Deus gestare solitus fuit: sicut docet *Ephippus* apud *Athenæum*.

εσυλιῶ

ἐπιπολῶ ἔχειν. &c. Simillimum est divinum illud Servatoris nostri Oraculum, [a] *Audistis dictum fuisse, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego vero dico vobis, Diligite inimicos vestros, benedicite eis &c.* Cui cum mecum reputem quam ad amussim conveniat *Aristeana* ista loquendi ratio, non possum non suspicari à *Christiano* quopiam insertum fuisse illud Præceptum. Quamvis quod ad ipsum præceptum attinet, non in eo sum, ut existimem id nimis *Christianum* esse, quam ut à *Judæo* [1] proferri potuerit. Dictum enim non dissimile de benefaciendo *inimicis*, ipsi *Socrati*, ut auctori, acceptum fertur à *Plutarcho*. Et, post *Socratem*, [b] *Aristo Lacedæmonius*, laudante quodam Cleomenis dictum, *Boni Regis esse, amicis bene, inimicis male facere*: respondit, *Quanto rectius erat amicis bene facere, inimicos vero amicos* [2] *facere?*

[a] Mat. V. 43. &c.

[b] Apophthegm. Lacon.

2. Quæstiones, quas Interpretibus singulis proposuisse Rex dicitur, & Responsa, quæ ab illis tulerit, extitisse in suo *Aristeanæ* Historiæ Exemplari *Josephus* monet, Lectorem, qui illa cupierit legere, ad *Aristeam* ipsum amandans. Eorundem etiam meminit [c] *Philo*, commemorans, *Regem tentaturum Interpretum cujusque sapientiam, proposuisse quæstiones non vulgares, quas illos statim apte & breviter explicuisse.* Unde facile colligitur Historiam hanc, quamvis fictitia sit, Servatoris tamen nostri temporibus antiquiorem fuisse, quandoquidem ipsi Servatori coævus fuerit *Philo*. Idem *Philo* de Versione, quod confecta erat auspiciis *Ptol. Philadelphi* à Senioribus LXXII. ex Judæa evocatis, loquitur, tanquam de re indubitata. Quod quidem nihil repugnat quin potuerit facere, tametsi confictus sit Liber *Aristeæ*, & falsa Versionis traditio tota. Nam si liber iste (quod nostra fert opinio) conscriptus esset paulo ante natum Christum, potuerunt ante *Philonis* memoriam figmenta illa per hominum ora ferri, Judæorumque Alexandrinorum sermone percrebrescere.

[c] Lib. 2. de Vita Mois.

3. Historiam autem istam commentitiam & suppositītiam esse, quæ hactenus disputavimus, nisi me fefellerit animus, abunde demonstrant. Argumenta quædam sunt (non enim omnibus æquale pondus esse sentio) quibus singulis forsan convinci possit, qui serio Veritati litat. Et si divisa non tantum valeant, ut eos, qui *Aristeæ* jam nomina dedere, convincant atque persuadeant, vis tamen unitorum fortior erit.

——— Si singula duram
Flectere non poterunt, poterunt tamen omnia mentem. Ovid.

1 Proverb. XXV. 21. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere: Prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.

2 *Pythagoræ* præceptum est, Consuetudine inter se utendum esse, ut amicos non faciamus inimicos, & ut inimicos faciamus amicos. *Laert. in Pythag.* *Antisthenis* quoque dictum fuit, optanda esse inimicis utilia cuncta, præter fortitudinem. *Plut. de Fort. Alex*

M LIBER

LIBER II.

DE GRÆCÆ, QUAM VOCANT *LXX. INTERPRETUM,* VERSIONIS AUCTORIBUS VERIS,

Eamque conficiendi Tempore, Modo, & Ratione.

CAP. I.

Introductio. Methodus proposita.

PROBAVIMUS in præcedente *Dissertatione contra Historiam* LXX. *Interpretum* Aristeæ *nomine conscriptam*, illam fœtum suppositititium esse, multis in rebus à veritate longe abhorrere, & ad conciliandam Versioni Scripturarum *Græcæ* auctoritatem, augendamque Gentis Judaicæ apud Ethnicos existimationem, à Judæo quodam *Hellenista* compositam fuisse. Convulso, in illa Dissertatione, opinionis vulgo receptæ fundamento, hujus libri institutum est sententiam veriorem stabilire, Græcæ Versionis auctoritatem ad examen revocare, deque tempore, modo, & ratione eam conficiendi inquirere.

Non statim, sine peculiari examine, sunt omnia illa pro fabulis rejicienda, quæ tradunt *Impostores*, & libri *suppostitii*. Imposturæ nonnullæ sunt, quæ nulli fundamento innixæ, & prorsus de nihilo natæ sunt: aliæ habent nonnihil fundamenti, veritate processu temporum inquinata mendaciis. Utrum hisce, an istis, accensendæ sint *Aristeanæ*, in dubium merito revocari possit. Ut de hac re Lector judicare queat, utque pateat quo loco esse debeat Editio Bibliorum *Græca*, in medium omnia proferemus, quæ dici & urgeri in utramque partem possunt. Hac autem procedemus Methodo: Inquiremus

1. Quo tempore Versionem suam adornarint Interpretes LXX. dicti, utrum regnante in Ægypto *Ptolemæo Philadelpho*, an Patre ejus *Ptolemæo Lagi*, an potius sub utroque simul regnante.
2. Utrum Versio ista Regis ipsius jussu, & curante *Demetrio Phalereo*, ut in *Alexandrina* Bibliotheca reconderetur, an potius sponte à Judæis, popularium suorum gratia, sit confecta.
3. Utrum à Judæis *Hierosolymis* Alexandriam accersitis, elucubrata fuerit, an ab *Alexandrinis*.
4. An Interpretes numero LXXII. revera fuerint.
5. An divini Spiritus afflatu interpretati sint.
6. Utrum omnes libri T. V. ab illis translati sint, an tantum *Pentateuchus*.
7. Postquam evicerimus Interpretes LXX. nominatos, *Pentateuchum* tantum in sermonem Græcum convertisse, inquisitionem instituemus de Interpretatione librorum reliquorum; quando, à quibus, quo modo, hi fuerint conversi.

CAP.

CAP. II.

Probabile esse, Interpretes LXX. *dictos Versionem suam confecisse quo tempore simul regnarunt* Ptolemæus Lagi *& Filius ejus* Philadelphus. *Multos illam referre ad regnum* Philadelphi. §. 1. *Alios non paucos ad* Lagidæ. 2. *&c. Nec deesse inter veteres, qui illam ad utrumque referat.* 4. Franc. Junii *optime refutata.* 3. *Multorum veterum errores.* 6. *&c.*

FACTAM fuisse Versionem, quam vocant LXX. Interpretum, regnante Ptolemæo *secundo* sive *Philadelpho*, tradunt *Pseudo-Aristeas*, &, qui illum secuti sunt, innumeri, *Aristobulus*, *Philo*, *Josephus*, *Tertullianus*, *Eusebius*, *Cyrillus Hierosol. Epiphanius*, *Jo. Chrysostomus*, *Basilius Seleuciensis*; inter Græcos & Latinos alii, quos longum & inutile fuerit recensere: inter Arabes, *Abulpharajius*, *Chronicon Orientale*, & *Armius* quidam Chronographus: inter Samaritas, *Abulphetachus* in Chronico inedito. *Rabbinos* recentiores, quales *Ganzius* &c. nihil attinet memorare.

Quo anno, vel qua parte, regni *Philadelphi* confecta fuerit, utrum parte posteriore, quod statuit [a] *Pseudo-Aristeas*, aut circiter initium, id prorsus incertum videatur. In *Capite* VI. *Dissertationis c. Hist. Aristeanam* §. 20. recensuimus veterum & recentiorum complurium hac de re opiniones; quorum alii Versionem referunt ad annum *Philadelphi* 1^{m}, alii ad 2^{m}, alii ad 3^{m}, alii ad 4^{m}, alii ad 5^{m}, sequentes exemplaria diversa Chronici *Eusebiani*; alii ad 7^{m}, alii ad 15^{m}, alii ad 16^{m}, alii ad 17^{m}, sequentes *Epiphanii* incertas lectiones. *Armius* Chronologus assignat annum 19^{m}, alii 20^{m}, *Ganzius* 31^{m}, *Abulphetachus* 10^{m}. Sed incerti omnino sunt hujusmodi calculi.

[a] Vide Dissert. contra Hist. Aristeæ cap. VII.

2. Mihi maxime placet intervallum illud temporis, quo una cum patre suo *Ptolemæo Lagi* regnavit *Philadelphus*, in imperii consortium assumptus; quod *biennium* circiter fuit, & incidit in annos Olympiadis $123^{æ}$ *tertium* & *quartum*, hoc est, ante æram Christianam vulgarem 286^{m} & 285^{m}. Argumento in primis est illud, quod etsi in *Philadelpho* Scriptores tot conveniunt, alii tamen, iique non pauci, literis tradiderunt, ipsius *Ptolemæi Lagi* temporibus Versionem confectam fuisse. Inter Rabbinos *Josephus Gorionides* Hist. Jud. III. 2. *Sed & inter omnes* (inquit) *terræ reges* (nempe quatuor illos, quos dixerat Alexandrum M. successores sibi constituisse) *convenit mittere munera ad honorandum Templum Hierosolymitanum. Proinde Ptolemæus Macedo, qui super Ægyptum constitutus fuit rex, vir erat misericors, sapiens, prudens, & qui libenter legebat in libris.* Eundem addit jussisse ut in Græcum sermonem Scripturæ verterentur. *Josippus*, sive *Compendium Historiarum Josephi* (Gorionidæ) quod non solum ex *Gorionida*, sed *ex aliis* etiam *libris* (uti res ipsa docet, & Auctor in principio profitetur) compositum est, hæc habet: *Duces* (qui Alexandro M. successerunt) *invicem prælia gesserunt: quorum unus fuit Ptolemæus, cui descripta fuit Lex Mosaica in lingua Græca.* Auctor libri inscripti 2^{di} *Maccabæorum ex Hebræorum Translatione*, qui Arabice extat, & in omnibus ferme Orientalium voluminibus sacris habetur; *Erat* (inquit) *vir Macedo, Ptolemæus nuncupatus, scientia atque intelligentia præditus; qui cum habitaret in Ægypto, constituerunt eum Ægyptii regem super regionem Ægypti. Quare inquirendarum scientiarum amore auctus, omnes sapientum libros undique collegit. Cupiens autem viginti quatuor Libros sibi acquirere, scripsit Sacerdoti magno in Jerusalem ut sibi mitteret ex peritioribus in istis libris, septuaginta senes,*

misitque Epistolam cum munere ad Sacerdotem. Quibus verbis intelligi *Ptolemæum* ejus nominis *primum*, cum ex ipsis patet, tum etiam ex Capite sequente, ubi ait, Ptolemæo huic, cui ascribit Versionem, successisse *Ptolemæum secundum*. Ex hac traditione de *Ptolemæo Lagi*, quod nimirum eo regnante confecta fit Versio, orta videtur Rabbinorum inepta fabula de eo quod Interpretes Græci *Lev.* 11. 6. loco λαγὸς i. e. *leporis* vocem δασύποδα reposuerint, ne regis uxorem, quæ Λαγὶς cognominata fuerit, offenderent, & eam inter animalia immunda recensere viderentur.

Rabbinis accedit inter Græcos [a] *Theodoretus*, Episcopus Cyri: Ἐμοὶ (inquit) δοκεῖ τολμηρὸν εἶναι τὰς ἀνέκαθεν ἐμφερομένας ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ τῆς Αἰγύπτου μετὰ τὸν Ἀλέξανδρον βασιλεύσαντος ἀνατρέπειν ἐπιγραφὰς, ἃς οἱ ἑβδομήκοντα πάντες πρεσβύτεροι μετέθηκαν εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν, ὡς καὶ τὴν ἄλλην ἅπασαν θείαν γραφήν. πρὸ πεντήκοντα δὲ καὶ ἑκατὸν τῆς ἑρμηνείας ἐνιαυτῶν, θείας ἀναπλησθεὶς χάριτος ὁ θαυμάσιος Ἔσδρας, καὶ ἱερὰς ἀνέγραψε βίβλους ὑπὸ τῆς τῶν Ἰουδαίων ἀμελείας, καὶ τῆς τῶν Βαβυλωνίων δυσσεβείας, πάλαι διαφθαρείσας. *Mihi quidem temeritas videtur invertere Inscriptiones* (Psalmorum) *quæ jam olim Ptolemæi, qui post Alexandrum in Ægypto regnavit, temporibus circumferebantur, quasque septuaginta omnes Seniores in Græcam linguam transtulere, sicut reliquam omnem sacram Scripturam. Annis autem ante interpretationem istam* 150. *mirabilis Esdras cælestis gratiæ plenus sacros libros descripsit, qui partim per Judæorum incuriam, partim vero per impietatem Babyloniorum, dudum fuerant depravati.* Cum dicit *Ptolemæum qui post Alexandrum in Ægypto regnavit*; manifesto designat istius nominis primum, qui Alexandro M. in Ægypti regno successit. Annus autem postquam Esdras Babylone Hierosolymam adscenderit, i. e. à septimo Artaxerxis, juxta calculos *Simsonii*, incidit in annum Ptolemæi primi 16[m]. Quot annis, postquam Esdras Hierosolymam venit, restitutæ sint ab eo sacræ Scripturæ, viderint alii. *Theodoreto* germana habet [b] *Philastrius Brixiensis*: *Hæc etenim sub Ptolemæo rege Ægyptiorum post Alexandrum Magnum, est edita omnibus* (sic enim interpungenda sunt verba, non, *Ægyptiorum, post Alexandrum M. est edita*) *populoque Judaico in Hierusalem data est, cum habitarent non multi Judæi, velut in subjectione jam positi Regis Ægyptii, rogatique ab ipso Ptolemæo ut Interpretes mitterentur Alexandriam.* [c] *Nicetas Heracliensis* ex eo quod ab aliis accepisset Versionem factam fuisse sub regno *Ptolemæi Primi*, ab aliis, sub *Philadelpho*, in illum errorem inducebatur, ut crederet Ptolemæum *Primum* & *Philadelphum* eundem fuisse; & scribit factam fuisse ὅτι μετ' Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα ὁ Φιλάδελφος Πτολεμαῖος κατ' Αἴγυπτον ἐβασίλευσε. *quo tempore* post Alexandrum Macedonem *in Ægypto regnavit Ptol. Philadelphus.* Similiter Anonymus Græcus in Præfatione ad *Scholia in Psalmos*, quæ Latine ex versione *Wolfgangi Musculi* sub nomine *S. Basilii* edita sunt, quamvis dicit volumina sacra Græce versa fuisse sub *Philadelpho*, Ptolemæorum tamen non *secundum* sed *primum* intelligit. *Sunt* (inquit) *Psalmi translati, & omnis vetus Scriptura, ex Hebræa dialecto in Græcam, principio quidem sub Alexandri successore, Ptol. Philadelpho, Philippi filio, qui Ægypto præsedit, à* LXX. *viris sapientibus.* Quibus verbis per *Ptol. Philadelphum* Auctorem designasse Ptolemæorum *primum*, non modo ex eo conficitur, quod *Alexandri successorem* illum appellat, verum etiam exinde, quod vocat illum *Philippi filium*. Ptolemæus enim *primus*, quamvis vulgo *Lagi filius* audiret, credebatur tamen revera fuisse filius *Philippi*, Regis Macedoniæ, Alexandri M. Patris, ut auctor nobis est *Pausanias* in *Atticis*. Addit *Nicetas Heracliensis*, quem modo laudavimus, confectam fuisse Versionem πρὸ τριακοσίων καὶ τριάκοντα (sic leg. ex MS. pro ἑκατοστοῦ) ἐνιαυτοῦ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἐπιδημίας. *annis plusquam* 330. *ante Servatoris in terris adventum.* sed hoc plus quam octennium fuit vel ante

regnum

[a] Præfat. in Psal.

[b] De Hæref. hær. post Christum 90ma.

[c] Præf. Catenæ Græcæ in Psal.

regnum ipsius *Ptolemæi Lagi*. [a] *S. Augustinus* quamvis Versionem *Philadelpho* adscribit, statuit tamen intra annos 40. post mortem *Platonis* fuisse confectam. Ait factam fuisse post mortem *Platonis* annos *ferme* 40. Annus autem à morte *Platonis* 40^{mus} incidit in annum *Ptolemæi Lagi* 17^m. Sic alii [1] nonnulli, licet hoc negotium *Philadelpho* attribuant, tradunt tamen peractum fuisse sub Judæorum Pontifice *Onia Simone*, *Eleazari* fratre natu majore, qui obiit, secundum *Eusebii* calculos, ante initium regni *Philadelphi*: *Joannes Malala* Chronographus sub *Ptolemæo Lagi* translatas fuisse Scripturas diserte asserit, loco tamen à librariis pessime habito: Τῆς δὲ Αἰγύπτου τὴν διαπεξάμενος ὁ Ἀλέξανδρος κρατεῖν καὶ βασιλεύειν Πτολεμαῖον τὸν Λάγου, τὸν Ἀστρονόμον, ὃς ἐβασίλευσεν Αἰγυπτίων, ἐν τῷ τῶν Μακεδόνων κράτει ἔτη μβ΄. Δεύτερος δὲ βασιλεὺς ὁ υἱὸς αὐτοῦ. Ἐπὶ δὲ τῆς αὐτοῦ βασιλείας, τοῦ αὐτοῦ Πτολεμαίου τοῦ υἱοῦ Λάγου, ἡρμηνεύθησαν αἱ βίβλοι τῶν Ἰουδαίων Ἑλληνιστὶ, παρὰ τῶν οβ΄. διδασκάλων, δι' ἡμερῶν οβ΄. (ἦσαν γὰρ γεγραμμέναι Ἑβραϊστὶ) οἷα τοῦ αὐτοῦ Πτολεμαίου βουληθέντος ἀναγνῶναι, δι' Ἑλληνικῆς φράσεως, τὴν δύναμιν τῶν Ἰουδαϊκῶν βιβλίων. Μετὰ δὲ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, ἐβασίλευσε τρίτος Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος, ἔτη λζ΄. *Ægypti autem regem constituerat Alexander Ptolemæum Astronomum* (confundit eum, nt alii, cum Ptolemæo Astronomo, multo recentiore) *Lagi filium: qui regnavit Ægyptiis, jure regni Macedonico, annos* XLII. *Huic in regno successit Ptolemæus secundus, ejus filius. Temporibus autem Ptolemæi Regis, Lagi filii, sacras Judæorum scripturas in Græcam linguam transtulerunt* LXXII. *Doctores, intra spatium dierum* LXXII. *Lingua enim Hebræa scripta fuerunt Biblia illa: quorum vim comprehendere cupiens Ptolemæus, in linguam eam transferri curavit. Post hujus mortem, tertius regnavit Ptolemæus Philadelphus, annos* XXXVII.

Leviora hæc neque magni momenti testimonia? Graviora quæ sequuntur. B. *Irenæus*, Episcopus Lugdunensis, Patrum fere omnium antiquissimus: [b] Πτολεμαῖος ὁ Λάγου φιλοτιμούμενος τὴν ὑπ' αὐτοῦ κατασκευασθεῖσαν βιβλιοθήκην ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, κοσμῆσαι τοῖς πάντων ἀνθρώπων συγγράμμασιν, ὅσα γε σπουδαῖα ὑπῆρχεν, ᾐτήσατο παρὰ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν εἰς τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον σχεῖν αὐτῶν μεταβεβλημένας τὰς γραφάς. *Ptolemæus Lagi F. magno studio incensus, bibliothecæ, quam Alexandriæ extruxerat, omnium scriptorum libris, qui erant accurate elaborati, exornandæ, postulavit ab Hierosolymitanis, ut ipsorum Scripturas ab Hebraico sermone in Græcum conversas habere posset.* Hunc locum *Irenæi* Græce nobis conservavit *Eusebius*, *Hist. Eccles.* V. 8. & ex eo *Nicephorus Callistus* IV. 14. Indocte existimat *Feuardentius*, *Irenæi* Annotator, Ptolemæum hunc *Lagi F.* eundem fuisse cum illo, qui *ab aliis Philadelphus* cognominatur. Eousque denique apud antiquiores inoleverat opinio de Scripturis sub *Ptolemæo Lagida* translatis, ut dubitet *Clemens Alexandrinus*, doctissimus ac vetustissimus Scriptor, illisne assentiri debeat, qui *Lagidam*, an aliis qui *Philadelphum* posuerint. Imo illis temporibus communior & receptior fuisse videtur opinio de *Lagida*; ut colligi potest ex *Clementis* verbis, quæ hæc sunt: [c] Ἑρμηνευθῆναι δὲ τὰς γραφὰς, τάς τε τοῦ νόμου καὶ τὰς προφητικὰς, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν φασὶν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου· ἤ ὥς τινες, ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος. *Versas autem fuisse Scripturas & Legis & Prophetarum ex Hebræo sermone in linguam Græcam aiunt tempore Ptolemæi Lagi filii: aut, ut dicunt nonnulli, tempore ejus qui fuit cognominatus Philadelphus.*

3. Fieri non potest ut duæ hæ traditiones inter se reconcilientur, nisi dicamus factam fuisse Translationem intra illud biennium quo una cum Patre suo regnavit *Ptol. Philadelphus*. Hoc si dicatur, salva res est, & inter dissidentes Scriptores constituitur concordia.

[a] Civ. VIII. 11.

[b] Lib. 3. adv. Hær. cap. 25.

[c] Strom. lib. 1. p. 341.

1 Apud *Chronicon Paschale* pag. 448. Edit. Raderi, refertur Translatio ad Pontificatum *Eleazari*, sed pag. 404. ad *Oniæ Simonis*. Ad hujus quoque Pontificatum refertur apud Chronicon Eusebii *Græcum*, utroque libro: quæ verba *Eusebii* non sunt, sed à *Scaligero* aliunde illuc importata.

a In Bellarm. Contror. l. 1. a. c. 5.

Existimat [a] *Franciscus Junius* Versionem istam, quæ dicitur elaborata sub *Ptolemæo Lagi*, à celeberrima illa *Philadelphica* disparem aliamque fuisse: hanc publici quidem consilii, illam vero privati operis fuisse, ad usum Synagogæ Judæorum Alexandrinorum absolutam, scilicet quum Judæi, qui Alexandro M. in occupanda Ægypto fuerant adjutores, civitate Alexandrino jure Macedonico (uti prodidit [b] *Josephus*) donati fuerint. Idem somnium somniabat *Jo. Weemsius*, in [c] *Synagoga Christiana* Anglice conscripta, ubi dicit, Translationem quandam fuisse sub *Ptolemæo Lagi* confectam, quæ sola Ægypto recepta fuerit: aliam vero fuisse τῶν LXX. ab omnibus gentibus receptam. Sed commentum hoc vanum est, & ex verbis Scriptorum, qui de Versione sub *Ptolemæo Lagi* elucubrata meminerunt, nullo negotio refutatum. De Versione enim LXX. virali, quam juxta alios *Philadelphi* ætas dedit, apud illos constat sermonem esse.

b Antiq. l. 12.

c Cap. 5. §. 2.

4. Argumento huic desumpto ex diversis Auctorum traditionibus, quorum alii *Ptolemæo Lagi*, alii *Philadelpho* Versionem attribuunt, addo *Anatolii Alexandrini* testimonium disertissimum. Asserit ille *factam* fuisse Translationem LXX. viralem sub utroque simul *Ptolemæo*, *Philadelpho* nimirum & Patre ejus, hoc est, eo temporis spatio quo simul illi regnum tenuerunt. Verba ejus ex *Eusebii Historia Ecclesiastica* jam supra protulimus in *Dissert. contra Hist. Aristeæ* Cap. IX. §. 3. ad quam Lectorem amando. Erat *Anatolius* ille, Episcopus Laodiceæ, & anno Christi 248. martyrium passus est, egregiæ doctrinæ nomine apud omnes Auctores celebratus. Doctrinam & eruditionem ejus, celebrat [d] *Hieronymus*; & [e] *Eusebius* affirmat illum *inter doctissimos sui temporis viros locum sine controversia tenuisse.* τὰ πρῶτα τῶν μάλιστα καθ' ἡμᾶς δοκιμωτάτων ἀπενηνεγμένος. *Eunapius* in *Vita Jamblichi* testatur illum (si modo idem is sit, qui inibi commemoratur) inter Professores secundum à *Porphyrio* locum obtinuisse, quanquam famæ ejus, ipse homo Ethnicus, detrahere velle videatur.

d De Script. Eccl. cap. 73.

e Hist. VII. 32.

5. *Petrus Trecensis* in *Chronico* refert, LXX. Interpretes *ex Ægypto domum redeuntes, etiam à Regibus Asiæ honoratos fuisse. Nam Seleucus* (inquit) *Nicanor in civitatibus quas per Asiam ædificaverat, & in inferiore Syria, & in ipsa Metropoli, republica sua dignos esse fecit, & æquum eis honorem cum habitatoribus Macedonicis deputavit.* Ex qua traditione videatur confici posse, elaboratam fuisse Versionem ante mortem *Ptolemæi Lagi*: nam ei *Seleucus Nicanor* biennio tantum supervixit. At *Petri* quidem (vel alius alicujus, quem ille præeuntem habuit) hæc mera hallucinatio est, negligenter, ut apparet, conferentis principium *Capitis 3. libri 12. Antiquitatum Josephi* cum fine præcedentis. Dicit ibi *Josephus* Judæorum genti (non LXX. Interpretibus quod Auctor iste oscitanter somniavit) concessa fuisse à *Seleuco* & Asiæ Regibus antedicta privilegia. Idem error occurrit apud incerti *Chronologiam* Latinam *ineditam*, quæ ab O. C. ad regnum *Baldwini* 2^{di}, Regis Hierosolymorum, perducitur, ante annos circiter cccc. conscripta, cujus extat exemplar in Bibliotheca *Bodleiana*. Verba sic se habent: *Abeuntes autem Interpretes, etiam à Regibus Asiæ honorati sunt, nam Seleucus æquum eis honorem cum habitatoribus Macedonibus & Græcis deputavit.*

f Annalibus Arabicis p. 296.

6. *Eutychius*, sive *Said Ibn Batric*, Patriarcha Alexandrinus, (ut ad aliorum traditiones procedamus) [f] tradit confectam fuisse Versionem LXX. viralem sub *Ptolemæo* quodam, cui nomen *Alexandro*, cognomen *Galeb-Uz*, qui ipsum *Ptolemæum Lagi* in regno præcesserit. Verba ejus velis? Sunt ea hujusmodi: *In Alexandriam autem & Ægyptum post Alexandrum 7. annos regnavit frater ipsius nomine* Philippus, *qui* Ptolemæus Aridæus *cognominatus est* (*vel juxta aliud exemplar annos* 40.) *Post ipsum*

ipsum Ptolemæus, *cui nomen* Alexander, *cognomen* Galeb Uz, *annos* 27. (*aliud exemplar* 21. *habet.*) *Hic anno regni sui vicesimo Hierosolyma mittens inde* LXX. *viros è Judæis Alexandriam adduci curavit, quos sibi Legem librosque Propheticos è lingua Hebraica in Græcam transferre jussit. &c.* Paulo post: *Mortuus est dein Ptolemæus Galeb-Uz, postquam regnavit Ptolemæus cognominatus Lepus* (*Lagus*) 29. *annos. Post illum annos* 26. *regnavit filius ipsius, Philadelphus cognominatus.* Germana habes apud *Excerpta Latino barbara* à *Scaligero* edita, in quibus hæc leguntur: *Post mortem Alexandri regnavit in Ægypto Philippus Ptolemæus, qui fuit Consiliarius Alexandri, annos* 7. *Post Philippum autem regnavit Alexander Ptolemæus, qui & ipse Consiliarius Alexandri, annos* 12. *Princeps autem Sacerdotum fuit in Jerusalem ipse Jannæus. Iisdem temporibus illi* LXX. *Hebræi Sapientes illam Legem interpretaverunt Græco sermone. Post hunc regnavit in Ægypto Lagaus Ptolemæus annos* 20. *dein Philadelphus* XXXVIII. Duo illi Reges, quos ante *Ptolemæum Lagi* regnasse dicunt, & *Ptolemæos* nominant hi Scriptores *Arabici*, (nam posteriorem quoque *Arabem* fuisse existimo) non alii fuerunt quam *Philippus Aridæus* Alexandri Magni Frater, & *Alexander* ejusdem filius, qui post mortem ejus per aliquot annos *Regum* titulum obtinuerunt. Qua de re nos plenius agimus in *Syntagmate de Ptolemæis Ægypti Regibus.* Hanc vero ob caussam in regnum Alexandri *Junioris* Versionem hi conferunt, quod acceperant fuisse confectam sub Ptolemæo *secundo*. Itaque quamvis ante ipsum *Ptolemæum Lagi* confectam fuisse scribant, accensendi tamen sunt illis qui ad regnum *Philadelphi* eam referunt. Cum illis enim consentiunt, sub *secundo* Ptolemæo fuisse confectam. *Georgius Homædides*, Scriptor alius Arabicus in *Chronico* inedito asserit Ptolemæum cognominatum *Galeb Lauz*, sive (ut habet *Eutychius*) *Galeb-Uz* vel *Auz*, eundem fuisse cum *Philadelpho*, & addit sub eo Scripturas fuisse translatas: [a] *Cum Ptolemæus* (inquit) *cognomentis Galeb Lauz & Philadelphus, ut erat scientiæ ac præcipue historiarum studiosissimus rimator, intellexerat in scriptis Mosis ac Prophetarum Hebræorum curiosa plurima reperiri, abs Hierosolymis* LXXII. *Seniores & sapientia insignes viros accersivit. &c.*

[a] Fragmento edito ab Edvardo Bernardo.

7. [b] *Philo Judæus*, quamvis *Philadelphum* nominatim ponit, videatur tamen credidisse sub *tertio* Ptolemæorum confectam fuisse Translationem. De hac enim verba faciens, ait *Ptol. Philadelphum*, cujus tempore elucubrata fuerit, tertium fuisse illorum qui post Alexandrum M. Ægypti regno potiti sunt. Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος ἐπικληθεὶς, τρίτος μὲν ἦν τῶν ἀπ' Ἀλεξάνδρου τὴν Αἴγυπτον παραλαβόντων. Hoc dixerit memoriæ lapsu, an impropria locutione, incertum. *Secundus* ab aliquo, pro *primus*; & *tertius* pro *secundus*, apud alios Scriptores reperire est. Sed *Philo* vix per istiusmodi exempla excusari potest. Credo illum *Philippum Aridæum*, qui post fratris sui Alexandri M. mortem, regio titulo insignitus est, inter Reges Ægypti annumerasse, quod & alii faciunt.

[b] De Vita Mosis lib. 2.

8. In *Synopsi S. Scripturæ* B. Athanasio tributa, dicitur Versionem factam fuisse ἐπὶ Πτολεμαίου βασιλέως τοῦ Φιλαδέλφου, πρὸ διακοσίων τριάκοντα ἐνιαυτῶν τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· *sub Ptolemæo Philadelpho rege annis* 230. *ante Christi nativitatem.* At vero annus ante Christum 230[us] incidit in regnum *Ptolemæi*, non *Philadelphi*, sed *Euergetæ* ejus filii, & in annum post mortem *Philadelphi* circiter 16[m]. Codex MS. pro διακοσίων τριάκοντα ἐνιαυτῶν, habet ϛ τα. ἐνιαυτοῖς, id est, *anno ante Christum* 301. Hic annus vero regnum *Philadelphi* præcessit, & cum anno *Ptolemæi Lagi* 22. connectitur.

9. In Chronico Rabbinorum *Seder Olam Zuta* inscripto, *Ptolemæus* Rex ille, cujus tempore Translatio perhibetur confecta, ipse *Interpres* fuisse dicitur: & traditur vixisse inter annos ab initio Alexandri M.

140[m]

140^m^ & 170^m^, hoc est, plus dimidium seculi post mortem *Philadelphi*: quo temporis intervallo regnarunt Ptolemæus *Epiphanes*, & Ptol. *Philometor*. Cœpit enim regnare *Epiphanes* circa annum ab initio regni Alexandri 133^m^, *Philometor* circa annum 157^m^. Chronici citati verba sunt ista: *In diebus Meschullam filii Zerubbabelis floruit regnum Græciæ anno scil. 52do Medorum & Persarum. Alexander Macedo, rex Græciæ regnavit* 12. *annis: mortuusque est Meschullam, & successit ei Hanania filius ejus, in cujus diebus imperarunt Phutran, Salmon, Alaschanos & Maparis reges Græciæ. Anno* 140mo *Græciæ mortuus est Hanania, successit Barahia, cujus diebus fuit Selicos* (i. e. Seleucus) *Santroc, Antioch, & Antiochus, Gascalnas, & Antikaus, qui ædificavit Antiochiam, & Tolemai* (hoc est *Ptolemæus*) *qui scripsit Pentateuchum Græce*. In *Seder Olam Rabba*, ex sententia *R. Jose* memoriæ proditur, Græcos Judæis dominatos fuisse per annos 180. usque ad Maccabæorum tempora, sub Regibus VIII. quorum hæc nomina fuerint, *Alexander Macedo, Phirton, Selimon, Selicos, Santroc, Antiok, Antiochus, Gascalnas*.

10. Præfatione *Pentateuchi Arabici*, qui habetur MS. in Bibliotheca *Bodleiana* (cujus magnam partem Latine edidit [a] Vir clariss. & eruditiss. *Edv. Bernardus*) dicitur factam fuisse versionem *ante adventum Christi plusquam* 100. *annis*: hoc est annis post mortem *Philadelphi* plusquam 140. quo tempore regnavit *Ptol. Lathurus*. Huic calculo accedit, mira rei Chronologicæ imperitia, *B. Joannes Chrysostomus*, licet [b] alibi agnoscat sub *Philadelpho* contigisse Interpretationem. Ait [c] factam fuisse πρὸ ἑκατὸν ἢ καὶ πλειόνων ἐτῶν τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας· *annis* 100. *vel etiam eo amplius ante adventum Christi*. Idem [d] alio in loco confectam fuisse dicit οὐ πρὸ πολλῶν τῶν ἐτῶν τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας· *non multos annos ante adventum Christi*.

a Ad calcem Aristeæ Ed. Oxon.
b Homil. c. Judaizantes tom. 6. p. 373.
c Homil. in Mat. V. 23. cap. 1.
d Hom. 4. in Gen.

11. Majori temporum imperitia *S. Justinus M.* scribit Versionem confectam fuisse sub *Ptolemæo* illo qui Bibliothecam Alexandriæ instituit, *& sub Herode Judæorum rege*. Refert nimirum, [e] *Ptolemæum Ægyptiorum Regem, cum bibliothecam institueret, & omnium hominum scripta comportare conaretur, de Prophetiis Judæorum certiorem factum, ad* Herodem *Judæorum tum regem misisse, petentem copiam sibi fieri Propheticorum librorum: ac Regem quidem* Herodem *ad illum eos misisse*. προσέπεμψε τῷ τῶν Ἰουδαίων τότε βασιλεύοντι Ἡρώδῃ, ἀξιῶν διαπεμφθῆναι αὐτῷ τὰς βίβλους τῶν προφητειῶν. καὶ ὁ μὲν βασιλεὺς Ἡρώδης τῇ προειρημένῃ Ἑβραΐδι αὐτῶν φωνῇ γεγραμμένας διεπέμψατο. Non vidit hunc errorem Justini [f] *Renatus Laurentius de la Barre*; qui, ex eo quod dicit ille misisse *Philadelphum* ad *Herodem* Regem, alii ad *Eleazarum Pontificem*, concludit illum ad utrumque simul misisse, & utrumque conjunctis consiliis rem curasse, & Interpretes in Ægyptum misisse. Quæ immanis est & plane erubescenda oscitantia in homine illius ætatis. Regnare enim cœpit *Herodes* post mortem *Philadelphi* annis 207. post *Eleazari*, non minus 215. De hoc autem *Justini* errore dicemus plura in Capite IX. §. 10. 11.

e Apolog. 2. pag. 72.
f Notis in Tertul. Apolog. cap. 18.

Non multo major est ista hallucinatio Chronologorum quorundam Hebræorum, qui, ut docet *R. Gedalias* (ipse illis consentiens) in [g] *Schal. Kabb.* testantur, *sectam Pharisæorum cœpisse diebus* Tiberii Cæsaris & Ptolemæi *Ægyptii cujus auspiciis Lex translata*. Sic tradit [h] *Ahmed ben Edris*, Arabicus Scriptor nondum Editus; *fateri Judæos, congregatos fuisse* LXX. *ut corrumperent Legis loca* XIII. post Messiam, *f. q. pax, tempore* CÆSARUM. Crediderunt alii boni *Rabbini*, illique satis antiqui, *Ptolemæum Romæ* regnasse; dicentes, [i] *Regem Ptolemæum seniores* Romæ *interrogasse, quot diebus mundum creasset Deus, sexque diebus ipsos respondisse, &c.*

g Ap. Hottingeri Thes. Philol. p. 26.
h Apud eundem p. 329.
i In *Beresith Rabba* citat. à *Morino* Exercit. Bibl. 8. l. 1. c. 2.

12. Factam fuisse Interpretationem quo tempore simul regnarunt *Ptolemæus Lagi* & *Philadelphus*, statuerunt ante nos alii e recentioribus, ut

ut monuimus in *Differt. cont. Fabulam* [a] *Aristeanam*. Ut autem hoc facerent, alio illi & diverso prorsus argumento adducti sunt. Scilicet hoc statuerunt ut reconciliari inter se possent Historia *Aristeana*, quæ tradit *Demetrium Phal.* sub *Philadelpho* Interpretationis negotio præfuisse, & *Hermippus Smyrnæus*, qui testatur illum statim post mortem *Ptolemæi Lagi* in exilium à Philadelpho missum fuisse, ibique in custodia vitam cum morte commutasse. Conjecturam facit *Ger. Vossius*, quem sequuntur alii nonnulli, sub utroque *Ptolemæo* inceptam fuisse Versionem, sed sub solo *Philadelpho* post mortem Patris fuisse absolutam, & ob hanc causam soli *Philadelpho* ab *Aristea* aliisque attribui. Nos, quamvis fatemur verisimile ob alias rationes videri, elucubratam fuisse Versionem quo tempore una cum Patre regnaverit *Philadelphus*, & fieri potuisse, ut *Demetrius Phalereus* tunc temporis negotio Versionis interesset, negamus tamen concordiam hoc modo posse instaurari inter *Aristeam* & *Hermippum*; siquidem ab *Aristea*, ut abunde demonstravimus, collocatur Versio longe post mortem *Ptolemæi Lagi*, ad partem posteriorem, vel saltem circiter mediam, regni *Philadelphi*.

[a] Cap. 7. §. 1.

Lud. Capellus nescio qua hallucinatione, addubitare se profitetur, utrum Versio facta sit sub *Philadelpho*, *an ut alii volunt*, *sub* EUERGETE. Sic in libri 1. de Punctorum Heb. antiq. cap. 8. Pro *Euergete* dixisset *Ptolemæo Lagi*.

CAP. III.

Factam fuisse Versionem non Regis Ptolemæi *jussu, aut* Demetrii Phal. *cura, ut in Bibliotheca Alexandrina reponeretur, sed sponte à Judæis in usum suorum popularium. Libri sacri postquam translati sunt, eruditis Ethnicis quam ignoti.*

ELABORATAM fuisse Interpretationem in eum finem ut reconderetur in Bibliotheca Regia, ipsius Regis jussu & auspiciis, & hortante *Demetrio Phalereo*, & *Demetrium* tunc fuisse Bibliothecæ Præfectum, post *Pseudo-Aristeam* multi memoriæ prodiderunt, [b] *Josephus*, [c] *Clemens Alex.* [d] *Tertullianus*, [e] *Eusebius*, [f] *Cyrillus Hierosolymitanus*, [g] *Epiphanius*, alii longo ordine. Et quamvis appareat Historiam *Aristeæ*, quam alii omnes sequuntur, fictitiam esse, & *Demetrium* statim post mortem *Ptolemæi Lagi* in exilium missum fuisse; cum tamen concessimus factam fuisse Interpretationem quo tempore simul regnarunt *Ptolemæus Lagi* & Filius ejus *Philadelphus*, quando quidem *Demetrius* Alexandriæ floruit; probabile forsan nonnullis videatur, factam eam fuisse *Regis* jussu & *Demetrii* hortatu. De hac re *tres* opiniones diversæ esse possunt.

[b] Antiq. XII. 2.
[c] Strom. 1.
[d] Apol. c. 18.
[e] Præp. VIII. 2.
[f] Catech. 5.
[g] De Pond. & Mens. cap. 9.

Prima hujusmodi est; *Ptol. Philadelphum* isto temporis intervallo, nempe statim ab initio regni sui, Bibliothecam sibi instituisse, eique *Demetrium* præposuisse. Sed huic opinioni repugnat id, inter alia, quod constet *Ptol. Philadelphum* Bibliothecæ instituendæ, sive augendæ & ornandæ, animum suum non applicuisse, nisi postquam diu regnasset: id quod nos ostendimus in *Differt. contra Hist. Aristeæ* cap. 7. §. 20.

Secunda opinio hæc fuerit; *Demetrium* fuisse Præfectum Bibliothecæ, non illius, quam ornaverat *Philadelphus*, sed quam ipse Alexandriæ condiderat *Ptolemæus Lagi*; & confectam fuisse Versionem non jussu *Philadelphi*, sed ipsius *Ptolemæi Lagi*, Demetrio suadente. Extitisse enim Alexandriæ Bibliothecam ante regnum *Philadelphi*, à Patre ejus *Ptolemæo Lagi* extructam, & fuisse ipsum *Ptolemæum Lagi* bonarum literarum studiosissimum, librisque addictissimum, certissime constat, &

[a] Contra Arist. cap. 8. §. 6.

[b] Vide Differt. contra Arist. cap. 8 §. 5.

[c] Vide ibid. §. 4.

[d] Vide ibid. §. 6.

alibi à nobis probatum fuit. At sententiæ huic repugnant cum alia quædam, tum hæc potissimum duo: *Primò* non videtur verisimile *Ptolemæum Lagi* dehonestaturum fuisse *Demetrium Phalereum*, tantum virum, Athenarum quondam Principem illustrissimum, istiusmodi officio, quod solitum est delegari hominibus inferioris sortis, & [b] Grammaticæ Professoribus. Certe constat *Demetrium Phal.* à *Ptolemæo Lagi* usque adeo fuisse honoratum, ut [c] ferendis legibus apud illum præsederit, & secundas in regno partes tenuerit. Videtur itaque eo indignum fuisse officium *Bibliothecarii*. Argumento hoc usi sumus in *Dissert. contra Hist. Aristeæ*, ut ostenderemus, verisimile non esse *Demetrium* sub *Philadelpho* isto munere functum fuisse, quod tradit iste nugivendus: urgeri idem in hac causa multo fortius potest, cum certum sit illum apud *Ptolemæum Lagi* semper fuisse eximie cultum ac honoratum. *Secundò*, ex [d] Auctoribus discimus, non *Demetrium* hunc *Phalereum*, sed *Zenodotum*, Ephesium Grammaticum, fuisse custodem Bibliothecæ Alexandrinæ sub *Ptolemæo Lagi*, & illum fuisse superstitem diu post hujus mortem.

Suspicari aliis in promptu fuerit, *Demetrium*, quamvis sub *Ptolemæo Lagi* non esset Bibliothecæ custos, potuisse tamen illi auctorem esse, ut in Græcorum sermonem monumenta sacra Hebræorum converti; & in Bibliotheca reponi, præciperet. Hoc si dicamus, abunde satisfacimus *Aristobulo Judæo*, cujus testimonium & auctoritatem nonnulli permagni faciunt. Non enim dicit ille *Demetrium* tunc fuisse Bibliothecæ Alexandrinæ custodem, sed tantum, eo curante & rege Ptolemæo jubente, negotium Interpretationis fuisse peractum. Quod addit ille, Ptolemæum istum fuisse *Philadelphum*, id errore levissimo dici potuit, cum una cum *Ptolemæo Lagi* Philadelphus tunc regnabat. Si Viris doctis arrideat hæc conjectura, cum illis non multum contendam. Sed, ut libere dicam id quod sentio, non tantum apud me valet *Aristobuli* istius auctoritas, ut factum id fuisse concedam.

2. Refert *Pseudo-Aristeas*, missam fuisse Judæorum multitudinem in Ægyptum regnante *Psammeticho*, ut ei auxilio essent contra Regem Æthiopum: Alios rursus cum Rege Persarum illuc pervenisse: Ingentem postea multitudinem, non minus quam *centum millia*, captivam in Ægyptum à *Ptolemæo Lagi* abductam fuisse. Hos omnes docet in Ægypto permansisse usque ad mortem *Ptolemæi Lagi*, & tandem à *Philadelpho* patriæ suæ restitutos fuisse. De Captivis in Ægyptum deductis sub *Ptolemæo Lagi* testimonium quoque habemus *Hecatæi Abderitæ*. Dicit ille, *non paucas Judæorum myriadas post mortem Alexandri in Ægyptum & Phœnicen translatas fuisse propter seditionem in Syria factam.*

[e] Vide Differt. contra Arist. cap. 12.

[f] Vide ibid. §. 2.

[g] Contra Ap. lib. 2. p. 1063.

Contigit hæc captivorum deportatio, ut alibi [e] nos evicimus, ipso fere initio regni *Ptolemæi Lagi*, duobus scil. annis post mortem Alexandri M. Annis 9. [f] postquam captivi deducti sunt, devenit sponte in Ægyptum multitudo Judæorum alia, *partim ubertate terræ allecta, partim Ptolemæi liberalitate*: ut inquit *Josephus*. Eorundem meminit *Hecatæus Abderita*: Ptolemæo (inquit) Syria potito, *multi cognita ejus comitate & humanitate, cum eo in Ægyptum profecti sunt, sub ejus auspiciis vivere volentes: quorum unus erat Ezecias Judæorum pontifex, dignitate apud Gentiles suos magnus &c.* Præter hos omnes, alia fuit colonia Judæorum in Ægyptum deducta ab ipso Alexandro M. qui partem Alexandriæ urbis dedit illis ad incolendum, concesso illis privilegio pari cum ipsis Macedonibus. Auctor [g] *Josephus*. Qui insuper docet, Judæos eandem Alexandriæ partem usque ad suam ætatem tenuisse. Non desunt inter *Rabbinos*, qui dicunt Judæorum in Ægypto sub Ptolemæis, & postea, degentium multitudinem duplo majorem fuisse illa,

quæ

quæ à Mose ex Ægypto educta est. Et hinc quidem exorta est illorum fabula de Synedrio Magno in illa regione Alexandri M. temporibus florente, cujus Seniores, LXX. aureis sedilibus consederint, & Congregatione duplo majori ista, quæ sub Mose ex Ægypto commigravit, stipati fuerint. Quos omnes fabulantur ab Alexandro interfectos & deletos fuisse, juxta maledictionem apud *Jeremiam cap.* 44. Ipse denique [a] *Philo* testatur, *suo tempore non minus quam decies centena millia Judæorum in Ægypto habitasse.* Hæc autem cum ita se habuerint, cum constet in Ægypto extitisse sub *Ptolemæo Lagi* & *Philadelpho* tantam Judæorum multitudinem, facillima & admodum probabilis fuerit conjectura, non factam fuisse librorum sacrorum Interpretationem ut reconderetur in Regia Bibliotheca, sed ab Alexandrinis quibusdam Judæis, vel sponte sua, vel ipsorum *Synedrii* jussu, in gratiam popularium suorum ibi degentium; obsolescente nimirum apud eos Hebraica lingua, & Scripturis à majore illorum parte tum minus intellectis. Ut postea sub *Ptolemæo Philometore* Templum sibi in Ægypto condebant, quale habuerunt Hierosolymitani, sacrificia ibi cæterosque ritus peragentes; ita nunc in Synagogis suis voluerunt haberi *Lectiones* è Libris sacris ea lingua quam omnes intelligerent, sicut ipsi habebant Hierosolymitani. Postea, ut apud Græcos, qui quicquid fuit Judæorum contemnebant & nihili pendebant, Mosaicæ Legis & rerum Judaicarum æstimatio adaugeretur, & ut Interpretationi conciliaretur auctoritas, contexta est fabulosa narratio sub nomine *Aristeæ* de Interpretatione facta ipsius Ptolemæi Regis jussu, & *Demetrii Phalerei* suasu, ut reponeretur in Regia Bibliotheca. Conquirendis libris & ornanda Bibliotheca celeberrimus omnium Ptolemæorum fuit *Philadelphus*: hinc credidit Auctor istius Fabulæ, *Philadelphum* fuisse primum Bibliothecæ Alexandrinæ conditorem: audiverat *Demetrium Phalereum*, Virum eruditissimum, floruisse sub illo Ptolemæo, qui primus Alexandriæ Bibliothecam instituit: forte etiam inaudiverat floruisse illum Alexandriæ quo tempore facta est Interpretatio: hinc Reges & tempora confundit, & *Demetrium* fingit floruisse apud ipsum *Philadelphum*, operique Versionis præfuisse. Hæc fabulæ istius origo.

[a] Lib. in Flaccum.

De auctoritate *Aristobuli*, qui rem eandem narrat, fusius disseruimus in [b] *Dissert. contra Historiam Aristeæ*; ubi ostendimus, suspicari aliquem non immerito posse, fuisse illum scriptorem supposititium, nec vixisse sub *Ptolemæis*, sed ipso *Josepho*, Judæorum Historico, recentiorem fuisse; & si fuerit scriptor genuinus, vixeritque sub *Ptolemæis*, potuisse tamen à *Pseudo-Aristea*, impostore vetustissimo, in errorem abduci.

[b] Cap. X.

3. Non opus est argumentis, quibus stabiliatur sententia nostra: certe ipsa rei probabilitate satis astrui videtur. Non desunt tamen argumenta alia, quæ evincunt, falsum esse quod vulgo perhibent de Versione facta *Ptolemæi* Regis mandato & *Demetrii Phalerei* cura. Hoc falsum esse, mihi inde facile persuaserim, quod non fuit Versio ista totius Instrumenti Veteris, sed tantum Mosis *Pentateuchi*, ut in inferioribus clarissime demonstrabitur. *Andreas Masius*, Vir pereruditus, cui non suboluit *Aristeæ* impostura, non *Pentateuchum* modo sed totum vetus Instrumentum, in linguam Græcam conversum fuisse, hoc modo evincere conatur: *Quæ*, inquit, *potuisset movere Ptolemæum causa, qui studio incredibili tenebatur omnia antiquitatis monumenta comparandi, quæ quidem literis consignata essent, ut Mosis Leges à Pontifice posceret, cæteras gentis nobilissimæ admirandas Historias & Prophetica Oracula prætermitteret negligeretque? præsertim cum jamdudum omnia non dispersa, dissipata, confusa in annalibus, atque à Mosis institutionibus separata, ut antea,*

sed ab Esdra collecta dispositaque, & tanquam in uno codice compacta fuerint. Sane ea est in omnium fere hominum animis insita curiositas, ut si qua forte fama de vatum vel obscurorum prædictionibus ad ipsos est allata, earum illico prædictionum cognoscendarum desiderio magno inflammentur; aliarum autem nationum leges, quamvis sæpe multo utiliores, non perinde curent percipere. Hæc *Masius.* Mihi vero, cui res videtur perspicua & evidentissima non totam veterem Scripturam, sed tantum *Pentateuchum* ab Interpretibus quos appellant LXX. translatum fuisse, videtur hoc argumento è contra demonstrari, non jussu & auspiciis Regis *Ptolemæi*, non suasu & cura *Demetrii Phalerei*, sed sponte à Judæis Versionem elucubratam fuisse. Certe si *Regis* & *Demetrii* desiderio confecta fuisset, nulla potest assignari causa satis probabilis quare tantum *Pentateuchus*, non cæteri etiam libri verterentur. Si sponte Judæi rem adgrederentur, non mirandum est solum *Mosis Legislatoris* libros fuisse conversos: id vero plane mirandum, homines *gentiles* de illis tantum, non de aliis quoque, fuisse solicitos. Anne id hujus rei causa erat, quod *Demetrii Phalerei* maxima fuit curiositas inquirendi de Legibus & rerum publicarum constitutionibus? Erat quidem *Demetrius* Legum ferendarum studiosissimus, rerumque Politicarum peritissimus: Vide sis quæ in libro præcedente de eo diximus Cap. VIII. §. 1. ex *Strabone*, *Tullio*, *Pausania*, *Syncello*, *&c.* quibus adjici potest testimonium hocce *Tullii* libro 3. de Legibus: *Nam & mediocriter doctos magnos in republica Viros, & doctissimos homines non nimis in republica versatos, multos commemorare possumus; qui vero utraque re excelleret, ut & doctrinæ studiis, & regenda civitate princeps esset, quis facile, præter hunc inveniri potest?* Laertius testis est eum *de Legibus Atheniensium* libros 5. item *de Legibus* (generatim,) aliaque multa ad rem *Politicam* spectantia, scripsisse: *Ælianus* denique testatur [a] eum *in Ægypto apud Ptolemæum in rogandis ferendisque legibus primas tenuisse.* Hæc cum ita se habeant; cum constet *Demetrium* nostrum usque adeo *Legum* & rerum *Politicarum* studiosum fuisse; nonne hoc in causa esse potuit, quod Legum Mosaicarum libros in sermonem Græcum transferri curaverit, cæteros Judæorum neglexerit ac prætermiserit? Hoc si quis dixerit, non acriter ei refragabor: mihi tamen longe verisimilius videtur, *Demetrium*, si *Mosis* libros curâsset convertendos, reliquos libros *sacros* non fuisse prætermissurum. Si mere quidem *Politicus* & *Legislator* fuisset, hoc credi facilius de eo potuisset. Sed de viro tam erudito, non *Legum* modo, sed omnium bonarum literarum doctissimo ac studiosissimo, videtur minus credibile. Eruditio ejus omnimoda & in bonis literis excellentia prædicatur non modo apud *Ciceronem*; sed auctor est etiam *Laertius*, *librorum multitudine omnes ferme sui temporis Peripateticos illum superasse, & doctissimum omnium* fuisse. Addit idem: *Sunt ipsius monumenta, partim Historica, partim Politica; Poetica alia, alia Rhetorica, & complura alia: inter hæc Grammatica & Ethica.* Qui Historia & rerum gestarum scientia eo usque delectatus est, nonne is Judæorum gesta scire cupiisset? Qui *Pæanas* conscribendo gloriam quæsivit, nonne is *Hymnos* Davidis Regis Judæorum legere voluisset? Qui dotibus sapientiæ in tantum clarebat, nonne is decantatam *Solomonis* Regis sapientiam degustare gestiisset? Qui *Ethica* tot scripta in publicum emisit, nonne is Scripturarum præceptis imbui optasset? His adde Scripta *Prophetica*, quæ talis & tanti viri curiositatem non potuissent non excitare & allicere. Neque illud prætermittendum, quod si *Leges* tantum *Mosaicas* cupiisset legere *Demetrius*, non totus translatus fuisset *Pentateuchus*, sed tantum pars illa qua *Leges* continentur. Accedat denique ipsius Regis *Ptolemæi* eruditio ac curiositas discendique cupido.

Quis

[a] Var. Hist. lib. 3. c. 17.

Quis credat Principem illum eruditum, si jussisset *Mosis Pentateuchum* in Græcorum linguam converti, & in Bibliotheca sua collocari, Judæorum libros *Propheticos* fuisse neglecturum? Quis credat neglecturum *Danielis* Prophetias, quæ de *Græcorum* imperio, *Alexandro M.* & ejus *Successoribus* (quos inter ipse *Ptolemæus*) tam clara edunt oracula?

4. Argumentum aliud, quo confirmetur *Ptolemæi* Regis auspiciis & *Demetrii Phalerei* instinctu & cura Interpretationem non confectam fuisse, ex eo peti potest, quod postquam facta fuit, neglecti penitus & ignoti Gentilibus eruditis diliuerint Codices sacri. Quod fieri certe non potuisset si Regis ipsius & *Demetrii Phalerei* auspiciis & opera translati fuissent, & in Alexandrina Bibliotheca reconditi. Quis eruditorum libros illos ignorare potuit, qui tantorum virorum cura non potuissent non fieri quam celeberrimi? Quis illos negligere potuit, qui *Demetrii Phalerei*, præclarissimi viri, opera fuissent commendatissimi? At unde, inquies, hoc constat, Gentilibus eruditis post confectam Versionem tam neglectas atque ignoratas jacuisse Judæorum Scripturas? Hoc tibi multis exemplis demonstratum dabo. *Diodorus Siculus*, Antiquitatum investigator diligentissimus, qui per annos 30. earum perquirendarum causa multas gentes peragravit, & in Ægypto versatus est regnante *Ptolemæo Auleta*, dum floruit adhuc Bibliotheca Alexandrina, tam rudis & ignarus fuit rerum Judaicarum ut crediderit illos nunquam fuisse a *Regibus* gubernatos. In *Eclogâ libri* XL[mi], ubi ex professo agit de eorum origine & Legibus: *Moses* (inquit) *Judæorum Legislator, Sacerdotes constituit, quos maximarum rerum disceptationi judices præfecit, legumque ac institutorum custodiam illorum fidei commisit. Quocirca* nunquam Judæis Rex fuit. *Sed multitudinis gubernandæ cura & potestas ei tradita est perpetuo, qui inter Sacerdotes prudentia & virtute præcellere visus est. Hunc Sacerdotem principem seu summum Pontificem appellant. &c.* Græca sunt: διὸ καὶ βασιλέα μὲν μηδέποτε τῶν Ἰουδαίων, τὴν δὲ τοῦ πλήθους προστασίαν δίδοσθαι διὰ παντὸς τῷ δοκοῦντι τῶν ἱερέων φρονήσει καὶ ἀρετῇ προέχειν. τοῦτον προσαγορεύουσιν Ἀρχιερέα. Hoc eum demonstrat nunquam inspexisse libros *Samuelis*, *Regum*, *Chronicorum*, *Davidis*, *Salomonis*, aut *Prophetarum*, nec de Regibus illis clarissimis *Davide* & *Salomone* quicquam unquam fando audivisse. Ait in fine Legum Mosaicarum adscriptum fuisse, *Moses Auditor Dei hæc dicit Judæis*: sed nec Mosis quidem volumina ab eo unquam lecta fuisse, ex aliis locis conspicuum. De origine Judæorum hæc habet: *In Ægypto* (inquit) *lue pestifera quondam exorta plerique mali causam ad offensam Numinis referebant. Cum enim multi promiscuæ colluvionis advenæ ibi habitarent, qui peregrinis ritibus in sacrorum ministeriis & immolationibus uterentur, evenit, ut aviti Deorum honores apud eos exolescerent. Hinc suspicio indigenis regionis illius injecta, nisi alienigenas submoverent, futurum ut malis nunquam exonerarentur. Statim igitur expulsis aliarum nationum hominibus pars nobilissima, & strenuitate aliis præstans, eximiorum ducum auspiciis in Græciam (ut perhibent) & alia quædam loca, variis jactata casibus, pervenit, quibus aliorum clarissimi Danaus & Cadmus præerant. Pars autem populi maxima in terram, quæ Judæa nunc vocatur, ab Ægypto quidem haud longe dissitam, at omnino temporibus illis desertam. rejecta est. Coloniæ hujus ductor erat Moses quidam, ut appellatur, sapientia & fortitudine maxime excellens.* Addit, *Mosem occupata Judææ regione, cum urbes alias, tum Hierosolyma, ac templum ibi, quod in summa* (inquit) *illis veneratione habetur, condidisse.* Subjicit, eum *multitudinem in* XII. *tribus divisisse, quod numerum hunc perfectissimum esse, ac mensibus, qui annum faciunt integrum, respondere, existimaret. Et propter gentis suæ ex Ægypto relegationem, inhumanam quandam & inhospitalem vitæ rationem præcepisse.* Idem in libri

XXXIV. Ecloga 1. tradit, *Judæos ab Ægyptiis è finibus suis expulsos fuisse, expiandi causa, ut impios & Diis exosos, cum corpora ipsorum vitiligine ac lepra infecta essent. Mosem Hierosolyma condidisse, & inaccesso Dei fano, quo Sacerdoti tantum penetrare lege permissum erat, fuisse illius ex lapide cum prolixa barba imaginem asello insidentem: quam repertam ibi fuisse ab Antiocho Epiphane.*

Trogum Pompeium, qui scripsit Origines gentium, & floruit sub Augusto Cæsare, *severissimus auctor* Plinio appellatus, Scripturas & libros Mosis nunquam evolvisse, liquidissime apparet ex iis quæ habet de

a Lib. 36. c. 2. Judæis juxta Epitomen Historiarum ejus à *Justino* confectam. [a] *Judæis* (inquit) *origo Damascena, Syriæ nobilissima civitas. Nomen urbi à Damasco rege inditum. Post Damascum Azelus, mox Adores, &* Abraham *&* Israhel *reges fuere. Sed Israhelem felix decem filiorum proventus majoribus suis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna divisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Juda, qui post divisionem decesserat, Judæos appellavit: colique ejus memoriam ab omnibus jussit. Ejus portio omnibus accesserat. Minimus ætate inter fratres Joseph fuit: cujus excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes sollerti ingenio percepisset, brevi ipsi Regi percarus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit, nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur: adeo, ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit: perissetque omnis Ægyptus fame; nisi monitu ejus rex edicto servari per multos annos fruges jussisset: tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur. Filius ejus Moses fuit, quem præter paternæ scientiæ hereditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptii, quum scabiem & vitiliginem paterentur, responso moniti, eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit: quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt. Itaque Moses Damascena antiqua patria repetita, montem Synan occupat: quo septem dierum jejunio per deserta Arabiæ, cum populo suo fatigatus, cum tandem venisset, septimum diem more gentis Sabbatum appellatum, in omne ævum jejunio sacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat: Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminerant, ne eadem causa invisi apud incolas forent, caverunt ne cum peregrinis communicarent: quod ex causa factum, paulatim in disciplinam religionemque convertit. Post Mosen etiam filius ejus Aruas, sacerdos sacris Ægyptiis, mox rex creatur; semperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem reges & sacerdotes haberent: quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.*

De eisdem habet Vir eruditissimus *Strabo*, eorundem temporum scriptor, *Geographus* simul & *Philosophus*, quæ clarissime ostendunt neque ipsum unquam Volumina *Mosis* inspexisse. Quem constat tamen in Ægypto aliquando fuisse versatum, & Ælii Galli, istius regionis Præfecti eruditi, familiaritate usum fuisse. Quæ apud eum de Judæis re-

b Lib. 16. periuntur, in hanc sententiam sunt: [b] *Moses* (inquit) *unus ex Ægyptiis Sacerdotibus, cum partem quandam regionis haberet, ac moleste ferret præsentem statum, inde huc* (in Judæam) *commigravit, multis eum comitantibus, quibus Divina curæ erant. Affirmabat enim, docebatque Ægyptios non recte sentire, qui bestiarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, itemque Afros & Græcos, qui Diis hominum figuram affingerent. Id vero solum esse Deum, quod nos & terram ac mare continet, quod cælum & mundum & rerum omnium naturam appellamus, cujus profecto imaginem nemo sanæ mentis alicujus earum rerum quæ penes nos sunt similem audeat effingere. Proinde omni simulacrorum effictione repudiata, dignum ei templum ac delu-*

brum

brum constituendum, ac sine aliqua figura colendum. Qui caste ac juste vivunt, eis bona somnia offerri: debere itaque & pro se, & pro aliis eos dormire in templo, & a Deo subinde aliquid boni atque indicii expectare, cæteris nihil sperandum. Talia dicens Moses hominibus bonis fidem fecit, inque ea loca deduxit, ubi nunc condita Hierosolyma: quæ facile obtinuit, cum non essent æmulationi obnoxia, neque digna de quibus contenderetur. —— Interim loco armorum sacra & Deum prætendebat, cui se dicebat sedem quærere, & ejusmodi cultum & sacrificia traditurum pollicebatur, quæ nec impensa, nec furoribus, neque re ulla absurda cultores perturbarent. Hæc ille cum suis probasset, non contemnendum est adeptus imperium: facile enim gentes omnes finitimæ tanta proposita spe, & hujusmodi consuetudine se adjunxerunt. Successores aliquandiu in iisdem institutis permansere, justi & vere religiosi. Post cum sacerdotium occupassent, primum quidem superstitiosi homines, deinde etiam tyrannici: superstitio invexit abstinentiam à carnibus, quam etiamnum retinent: & circumcisiones & excisiones, & si qua sunt hujusmodi alia: tyrannis autem latrocinia. De eorundem origine scriptores multos veteres consuluerat *Cornelius Tacitus*: conspicuum tamen est, *Mosaica* volumina ignota penitus fuisse cum illi ipsi, tum omnibus istis Auctoribus, quos de illis tractantes consulebat. Prolixior est locus; in gratiam tamen Lectoris, illius quoque verba huc describere non gravabor, ut pateat quam imperiti & ignari fuerint Antiquitatum Judaicarum Gentiles vel doctissimi, non minus utique postquam *Pentateuchus* in sermonem quem intellexerint traductus est, quam antea, dum lingua Hebraica reconditus lateret. *Taciti* verba sic se habent: [a] *Sed quia famosæ urbis* (Hierosolymorum) *supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia ejus aperire. Judæos Creta insula profugos, novissima Lybiæ insedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi Jovis pulsus cesserit regnis. Argumentum è nomine petitur: inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in Barbarum cognomine, Judæos vocitari.* Quidam *regnante Iside, exundantem per Ægyptum multitudinem ducibus Hierosolymo ac Juda proximas in terras exoneratam.* Plerique *Æthiopum prolem, quos, rege Cepheo, metus atque odium mutare sedes perpulerit.* Sunt qui tradant, *Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, ac mox proprias urbes, Hebræasque terras, & propiora Syriæ coluisse. Clara* alii *Judæorum initia: Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hierosolymam nomen è suo fecisse.* Plurimi auctores consentiunt, *orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum ut invisum Deis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, cæteris per lacrimas torpentibus, Mosen unum exulum monuisse, ne quam Deorum hominumve opem expectarent ab utrisque deserti, sed sibimet ut duci cælesti crederent, primo cujus auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent. Assensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt, sed nihil æque, quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant: cum grex asinorum agrestium, è pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Id levamen, & continuum sex dierum iter emensi, septimo pulsis cultoribus obtinuere terras, in quibus urbs & templum dicata sunt. —— Effigies animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere: cæso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt. Sue abstinent, memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem, crebris adhuc jejuniis fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis Judaicus nullo fermento, retinet. Septimo die otium placuisse* ferunt: *quia is finem laborum*

[a] Hist. V. 2.

rum tulerit, dein blandiente inertia, septimum quoque annum ignaviæ datum. Alii *honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos, & conditores gentis accepimus: seu quod è septem sideribus, quîs mortales reguntur, altissimo orbe & præcipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque cœlestium, vim suam & cursum septimos per numeros conficiant. Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur.* ——— *Quia sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea templo reperta: Liberum Patrem coli, domitorem Orientis* quidam arbitrati sunt, *nequaquam congruentibus institutis; quippe Liber festos lætosque ritus posuit: Judæorum mos absurdus sordidusque.*

a Adi Joseph. c. Ap. lib. 1. b Vide ibid. pag. 1057. c Vide ibid. lib. 2.

Taceo Ægyptios, [a] *Manethonem*, [b] *Chæremonem*, [c] *Apionem*; qui immane quantum à Mosaicis Traditionibus discrepantia, de origine gentis Judaicæ memoriæ prodiderunt in Historiis suis *Ægyptiacis*, & de iis quæ tradidit Moses mentionem nullam fecerunt, ut colligere licet ex libris *Josephi contra Apionem.* Hos dices fortasse, ut *Ægyptios*, scientes ea prætermisisse, nec dignatos fuisse mentione, tanquam falsa ac fabulosa. Esto. At [d] *Lysimachum.* scriptorem *Ægyptiacorum*, qui idem haud dubio fuit cum *Lysimacho Alexandrino*, quæ falsa retulit de antiquitatibus Judæorum non solum ex præjudicio scripsisse, sed partim *ex ignorantia*, affirmat [e] *Josephus.* Asserit idem de [f] *Apollonio Molone*, & aliis. Ἐπεὶ δὲ καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Μόλων, καὶ Λυσίμαχος, καί τινες ἄλλοι, τὰ μὲν ὑπ' ἀγνοίας, τὸ πλεῖστον δὲ κατὰ δυσμένειαν, περί τε τοῦ νομοθετήσαντος ἡμῖν Μωσέως, καὶ περὶ τῶν λόγων πεποίηνται λόγους, οὔτε δικαίους οὔτε ἀληθεῖς, τὸν μὲν ὡς γόητα καὶ ἀπατεῶνα διαβάλλοντες, τοὺς νόμους δὲ κακίας ἡμῖν καὶ οὐδεμιᾶς ἀρετῆς φάσκοντες εἶναι διδασκάλους. &c. *Quoniam vero & Apollonius Molon, & Lysimachus, & alii quidam partim per ignorantiam, maxime vero per præjudicium de Legislatore nostro Mose, & legibus, verba protulere, nec justa, nec vera: dum illi quidem velut mago atque fallaci derogant, leges autem malitiæ apud nos nullusque virtutis affirmant esse doctrices. &c.* Quibus verbis innuere videtur Mosaica volumina ignota eis fuisse. Nec credibile videtur *Manethonem*, qui floruit sub ipso *Ptol. Philadelpho*, eique opus suum dicavit, dum Ægyptiorum de Judæis traditiones literis mandavit, fuisse silentio præteriturum quæ *Mosis* libri paulo ante Græce translati denarrassent. Certe illos evolvisset, si *Regis* jussu & *Demetrii Phalerei* consilio curaque fuissent translati, atque in Bibliotheca repositi: & si illos evolvisset, videtur commemoraturus, in libris quidem Judæorum alia prorsus & contraria reperta fuisse, sed falsa, sed fabulosa, quibus nulla esset fides adhibenda. Nec videtur ipse *Apion*, si *Leges* Judæorum unquam pervolvisset, sibi ipsi persuadere potuisse (quod tamen [g] scriptis mandavit) eos *Asini caput adorasse.* Quod idem dicendum de aliis Ethnicorum, qui portentum istud fabulæ crediderunt. In his *Democritus Historicus* (si modo is vixerit post *Mosen* Græce conversum) qui dicit [h] Judæos *aureum Asini caput adorasse, eique hominem hospitem tertio quoque anno immolasse.*

d Vide ibid. l. 1. p. 1058.

e Contra Ap. l. 2. p. 1069.

f Vide ibid. p. 1061. 9. 1077. 1082.

g Joseph. contra Ap. lib. 2. pag. 1065.

h Suidas V. Ἰουδας.

Quam ignarus fuit rerum Judaicarum *Plinius* senior, ipse librorum helluo, vel ex eo apparet, quod *Jannem* & *Jambrem* (sive *Mambrem*) Magos *Ægyptios*, qui Mosi restitisse dicuntur, (quos nominat ipse *Jamnem* & *Jothapem*) *Judæos* appellet. Hist. Nat. xxx. 1. *Est & alia Magices factio à Mose, & Jamne, & Jothape Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem.*

Plutarchum Chæronensem libros sacros nunquam legisse, ex eo facile colligitur, quod *dubitet* [i] *utrum Judæi in honorem porci, aut quod animal illud abominentur, esu carnium suillarum sese abstineant*: Et rursus ex eo quod dubitet [k] *utrum à leporum esu abstineant in eorum honorem, an quia immundos existimarent*: Tum etiam ex istis quæ [l] habet de *Baccho* ab iis

i Vide Sympos. IV. 5.

k Ibid. p. 670.

l Ibid. p. 671. 2.

iis culto, deque *Levitarum* vocabulo à *Lyſio*, ſive *Euio* (quæ *Bacchi* ſunt nomina) derivato. *Primum* (inquit) *maximæ & perfectiſſimæ Judæorum ſolennitatis & tempus & modus cum Bacchi ſacris congruit. Quod enim ipſi vocant Jejunium, id ſic celebrant, ut maxime fervente vindemia proponant menſas in quibus expoſitæ ſint omnis generis fruges: & ſub tabernaculis deſident potiſſimum & palmitibus & hedera quæ contexuntur: & diem quæ Feſtum antecedit, Tabernaculariam nominant. Paucis vero poſt diebus aliam feſtivitatem non obſcure, ſed omnino aperte Baccho nuncupatam celebrant. Eſt etiam ſolenne apud eos feſtum Cradephoria à palmitibus geſtandis, & Thyrſophoria, ubi thyrſos geſtantes in templum intrant. Quid intus faciunt, ignoro: credibile eſt Bacchi ab iis ſacra peragi; nam & tubis exiguis, ſicut Argivi Bacchanalibus utuntur ad evocationem Numinis: & alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipſi Levitas appellant, ſive à Lyſio, ſive ab Euio (utraque vox Baccho congruit) ita dictos. Opinor etiam Sabbatorum ferias non plane à Baccho eſſe alienas. Bacchos enim multi etiamnum Sabbos appellant, eamque edunt vocem dum Orgia Bacchi celebrant. &c.* [a] *Ptolemæo Hephæ-* [a] Apud Phot.
ſtioni, & [b] *Helladio Bezantinoo* ignotos fuiſſe libros ſacros, vel ex eo Cod.cxc.
ſatis patet, quod ſcribant Moſen *Alpha* fuiſſe appellatum, idcirco quod [b] Ibid. Cod.
ἀλφῷ hoc eſt vitiligine corpus infectum haberet. Ad quod mendacium cclxxix.
Helladius Philonem quendam teſtem adhibet.

Quam ignoti eſſent [c] *Trebellio Pollioni*, quamvis eos in teſtimonium [c] Vitâ Claudii
advocat, res ipſa docet, cum ſic ſcribit: *Doctiſſimi Mathematicorum cen-* cap. 1.
tum & viginti annos homini ad vivendum datos judicant, neque amplius cuiquam jactitant eſſe conceſſum: etiam illud addentes, Moſen ſolum, Dei (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem, cxxv. *annos vixiſſe: qui quum quereretur quod juvenis interiret, reſponſum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus eſſe victurum.*

Quam fuerint ignoti ſcriptori *Gloſſarum* in *Virgilii Georgica* ex MSS. Lugd. editarum, apparet ex hac Gloſſa in verba iſta, *Frigida Saturni*
ſtella: [d] *Satis cognitum eſt* (inquit) *Saturni ſtellam frigidam eſſe; & ideo* [d] Georg. I.
apud Judæos Saturni die frigidos cibos eſſe. &c. v. 336.

Quid aliud ſentiendum de [e] *Acrone*, Horatii Commentatore? qui re- [e] In Sat. 9.
fert *Judæos pellicula imminutos fuiſſe, quia Moſes Rex eorum, cujus legibus* lib. 1.
reguntur, negligentia Medicinalis effectus, & ne ſolus eſſet notabilis, omnes circumcidi voluit.

Quid aliud de *Juvenalis Scholiaſte*? qui de Moſe ſic ſcribit: *Moyſes Sacerdos, vel Rex ejus gentis, aut ipſius quidem religionis inventor: cujus*
[f] *Cornelius etiam Tacitus meminit.* [f] In Sat. 14.

Se quoque volumina ſacra omnino ignoraſſe [g] *Dio Caſſius* docet, v. 102.
cum dicit neſcire ſe unde nomen *Judæorum* hæc gens obtinuerit: ἥτε [g] Hiſt. xxxvi.
γὰρ χώρα, Ἰουδαία, καὶ αὐτοὶ Ἰουδαῖοι ὠνομάδαται· ἡ δὲ ἐπίκλησις αὐτὴ ἐκείνοις μὲν pag. 37.
οὐκ οἶδ' ὅθεν ἤρξατο γενέσθαι. *Regio ipſa, Judæa; gens Judæi appellantur. Id nominis unde initium ceperit, non ſcio.*

Quæ habes apud *Artapanum* (eum haud dubitaveris vixiſſe poſt confectam Verſionem) demonſtrant illum quamvis librum peculiarem *de Judæis*, eorumque origine, compoſuerit, Scripturarum tamen volumina nunquam vidiſſe. Magnifice paſſim de *Moſe* miraculiſque ejus loquitur, ſed quæ plane repugnant Scripturarum traditionibus: nec de eo citat libros *Judæorum*, ſed *Memphitarum* & *Heliopolitanorum* traditiones. De tranſitu ejus per Mare Rubrum verba faciens: *Atque à Memphitis quidem* (inquit) *ita narratur: Moyſum totius regionis ſcientiſſimum, obſervato reciprocantis æſtus tempore, ſicco mari univerſam multitudinem tranſmiſiſſe: ab Heliopolitanis vero ſecus; quippe Regem abeuntes Judæos, quæque ab Ægyptiis mutuo acceperant, ſecum auferentes, ingenti exercitu cum animantibus conſecratis perſecutum eſſe. At Moyſum uti mare*

Virga percuteret, divinitus admonitum, Aquam Virga tetigisse, ac discedentibus illico fluctibus, copias sicco tramite deduxisse. Lege quæ ex eo adducta sunt apud *Eusebium Præp. Evang.* IX. 18. 23. 28. & mecum stantim consenties. Lege etiam quæ apud [a] eundem proferuntur ex *Eupolemo*, qui scripsit Historiam [b] *Regum Judæorum*, & alium librum (ni forte hic idem fuerit) *de Eliæ Prophetia*; Neque illum ex Codicibus sacris sua deprompsisse, sed ex aliis monumentis, res ipsæ clare loquuntur: & eos nunquam legisse, inde facile colligitur, quod Regem *Davidem*, *Saulis Regis* FILIUM appellitet. ἔπειτα τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ ὑπὸ Σαμουὴλ Σαοῦλον βασιλέα αἱρεθῆναι, ἄρξαντα δὲ ἔτη κα΄, τελευτῆσαι. ἔπειτα Δαβὶδ τὸν τούτου υἱὸν δυναστεῦσαι. Sic *Mathusalamum* facit *Noachi* filium. τοῦ δὲ Ἐνὼχ γενέσθαι υἱὸν Μαθουσάλαν. Floruit autem [c] *Eupolemus* sub posterioribus Ptolemæis, & videtur *Alexandrinus* fuisse. Non enim assentior *Is. Vossio*, qui illum existimat [d] fuisse Judæum, & eundem cum *Eupolemo filio Jochananis, amico Judæ Machabæi ejusdemque ad Romanos legato.*

a Præp. IX. 30. ad 35.
b Clem. Alex. Strom. I. p. 343.
c Vide Clem. Alex. Strom. I. pag. 338.
d De LXX. Int. cap. 27.

His adde *Alexandrum Cornelium*, qui claruit temporibus *Ptolemæi octavi*. Is licet tam eximie eruditus esset, ut *Polyhistoris*, hoc est *Multiscii*, cognomen inde meruerit, cum scripsit tamen *Historiam* suam *Romanam*, tam rudis ignarusque fuit rerum *Judaicarum*, ut putaverit, literisque prodiderit, eorum Leges conditas fuisse à *muliere* quadam, cui nomen *Moso*. Suidas, V. Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος. Οὗτος συνέγραψε βιβλία, ἀριθμοῦ κρείττω· καὶ περὶ Ῥώμης βιβλία πέντε. ἐν τούτοις λέγει ὡς γυνὴ γέγονεν Ἑβραία Μωσὼ ἧς ἐστι σύγγραμμα ὁ παρ' Ἑβραίοις Νόμος. *Hic libros innumerabiles scripsit, & de Roma libros 5. In his dicit fuisse mulierem Hebræam nomine Moso, cujus scriptum sit Lex illa quæ est apud Hebræos.* Rursus, V. Μωσώ. Μωσὼ γυνὴ Ἑβραία ἧς ἐστι σύγγραμμα, ὁ παρ' Ἑβραίοις Νόμος, ὥς φησιν Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος ὁ Πολυΐστωρ. Et quamvis postea Commentarium peculiarem *de Judæis* conscriberet, in quo, veriora edoctus, mentionem *Mosis* passim fecit, Mosis tamen volumina neque tunc videtur legisse cum opus illud contexeret: Sed videtur opus istud conflatum fuisse ex variis Græcis Scriptoribus qui res Judæorum literis tradiderant. Hoc in promptu sit colligere ex *Eusebii Præparationis Evang. libro* IX. ubi ex libro ejus proferuntur fragmenta multa prolixa *Eupolemi*, *Artapani*, *Philonis*, *Demetrii*, *Theodoti*, *Ezechielis* Poetæ Tragici Judæi, aliorumque; sed de ullis fragmentis ex ipsis *Mosis* Codicibus in illo Opere productis nulla mentio. Extat apud [e] *Eusebium*, ex [f] *Josepho* depromptum, *Alexandri Polyhistoris* fragmentum quoddam his verbis: Κλεόδημος φησὶν ὁ προφήτης, ὁ καὶ Μάλχος, ὁ ἱστορῶν τὰ περὶ Ἰουδαίων, καθὼς καὶ Μωυσῆς ἱστόρησεν ὁ Νομοθέτης αὐτῶν, ὅτι ἐκ τῆς Χατούρας Ἀβραάμῳ ἐγένοντο παῖδες ἱκανοί. λέγει δὲ αὐτῶν καὶ τὰ ὀνόματα ὀνομάζων τρεῖς, Ἀφέραν, Σουρείμ, Ἰάφραν. ἀπὸ Σουρεὶμ μὲν, τὴν Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι. ἀπὸ δὲ τῶν δύο, Ἀφέρα τε καὶ Ἰάφρα, πόλιν τε Ἄφραν καὶ τὴν χώραν Ἀφρικὰν ὀνομασθῆναι. τούτους γὰρ Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι ἐπὶ Λιβύην καὶ Ἀνταῖον. γήμαντα τε τὴν Ἀφέρα θυγατέρα Ἡρακλέα γεννῆσαι υἱὸν ἐξ αὐτῆς Δίδωρον. τούτου δὲ γενέσθαι Σοφῶνα, ἀφ' οὗ τοὺς βαρβάρους Σόφακας λέγεσθαι. *Cleodemus propheta, cognomine Malchus, qui res Judæorum tradidit eodem modo quo Moses eorum Legislator, narrat Abrahamum è Chetura aliquot filios suscepisse, tres nominatim recensens, Apheran, Surim, Japhran: à Surim appellatam Assyriam: ab Aphera & Japhra, urbem Aphram, & regionem Africam, nominatas: hos enim ductu Herculis militasse contra Libyam, & Antæum. Herculem enim ex Apheræ filia genuisse Didorum; ex hoc Sophonem prognatum, à quo Sophaces barbari habent nomen.* Qui dicit *Cleodemum*, hujusmodi fabulas referentem, eadem cum *Mose* de Judæis conscripsisse, constat ipsum Mosaicos libros nunquam inspexisse. Quo tempore vixerit *Cleodemus* iste, utrum postquam libri

e Præp. IX. 20.
f Antiq. I. 16.

libri *Mosis* in linguam Græcam translati sunt, an antea, incertum.

Unus omnium, quos ego quidem noverim, Gentilium, qui res Judæorum literis consignarunt, *Demetrius* ille, cujus extant apud [a] *Eusebium* fragmenta traducta ex *Polyhistore*, videtur incidisse in librorum *Mosaicorum* Græcam Versionem. Constat quidem illa, quæ traduntur in *Demetrii* fragmentis, desumpta fuisse ex libris *Mosis*, & ex Græca eorundem Interpretatione. Dubitari tamen potest utrum *Demetrius* è sacris ea Codicibus ipse deprompserit, an ab aliquo Judæo acceperit. Testatur enim [b] *Josephus* illum in Historia sua Judaica nonnulla perperam retulisse, & dicit eum ideo in aliquibus rebus errasse (sicut & *Eupolemum* & *Philonem*) quia sacros Codices non potuit ad amussim sequi. Verba ejus hic ponam, quia meminit quoque Gentilium aliorum, qui scribentes de rebus Judaicis, eas aliter narraverant quam sunt in Scripturis. Ἀρκοῦσι δὲ ὅμως εἰς τὴν ἀπόδειξιν τῆς ἀρχαιότητος, αἵ τε Αἰγυπτίων, καὶ Χαλδαίων, καὶ Φοινίκων ἀναγραφαί, πρὸς ἐκείνοις δὲ τοσοῦτοι τῶν Ἑλλήνων συγγραφεῖς. Ἔτι δὲ καὶ πρὸς τοῖς εἰρημένοις, Θεόφιλος, καὶ Θεόδοτος, καὶ Μνασέας, καὶ Ἀριστοφάνης, καὶ Ἑρμογένης, Εὐήμερός τε καὶ Κόνων, καὶ Ζωπυρίων, καὶ πολλοί τινες ἄλλοι τάχα, οὐ γὰρ ἔγωγε πᾶσιν ἐντετύχηκα τοῖς βυβλίοις, οὐ παρέργως ἡμῶν ἐμνημονεύκασιν. οἱ πολλοὶ δὲ τῶν εἰρημένων ἀνδρῶν τῆς μὲν ἀληθείας τῶν ἐξ ἀρχῆς πραγμάτων διήμαρτον, ὅτι μὴ ταῖς ἱεραῖς ἡμῶν βύβλοις ἐνέτυχον. κοινῶς μέντοι περὶ τῆς ἀρχαιότητος ἅπαντες μεμαρτυρήκασιν, ὑπὲρ ἧς τὰ νῦν λέγειν προτεθέμην. ὁ μέντοι Φαληρεὺς Δημήτριος, καὶ Φίλων ὁ πρεσβύτερος, καὶ Εὐπόλεμος, οὐ πολὺ τῆς ἀληθείας διήμαρτον. οἷς συγγινώσκειν ἄξιον. οὐ γὰρ ἐνῆν αὐτοῖς μετὰ πάσης ἀκριβείας τοῖς ἡμετέροις γράμμασι παρακολουθεῖν. *Sufficiunt tamen ad comprobationem antiquitatis nostræ, Ægyptiorum, & Chaldæorum atque Phœnicum historiæ, & super illas Græcorum pariter scriptores. Nam præter supradictos, Theophilus etiam, & Theodotus, & Mnaseas, & Aristophanes, & Hermogenes, & Euemerus, & Conon, & Zopyrion, & multi fortasse alii (non enim ego omnibus libris incubui) non obiter nostri fecere mentionem. Plurimi namque prædictorum virorum, veritate quidem antiquarum rerum frustrati sunt, quia lectioni sacræ nostrorum non incubuere librorum: communiter tamen de Antiquitate testati sunt omnes, pro qua nunc dicere proposui. Demetrius sane Phalereus* (sic perperam eum cognominat) *& senior Philo, & Eupolemus, non multum veritate frustrati sunt: quibus dari veniam dignum est. Non enim inerat eis, ut nostras literas possent omni scrupulositate sequi.* Vixit *Demetrius* sub *Ptolemæorum* [c] quarto, & ex ipsa Alexandria civitate videtur fuisse. Nec videtur dubitandum quin alii nonnulli eorum, qui ibi commemorantur, floruerint post confectam *Versionem*. Accedit his denique Poeta *Juvenalis*, qui Mosis volumen, *arcanum* appellat, quia Græcis Romanisque ignotum fuit, nec ab illis legi solitum. Videtur sane is credidisse, non Græce illud, sed tantum Hebraice extitisse. *Sat.* XIV.

> *Judaicum ediscunt, & servant, & metuunt Jus,*
> *Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.*

Et Mosaicas Leges usque adeo ignorabant, ut crederet idem Poeta, ex illis unam fuisse,

> *Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,*
> *Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.*

Inter recentiores Gentiles qui vixerunt post propagatam Religionem Christianam, quum in omnium fere Christianorum manibus tererentur sacri Codices, non negaverim fuisse qni Mosis scripta evolverant; quales erant, *Longinus*, *Numenius*, alii. Neque dubitaverim quin fuerint etiam inter antiquiores, præter *Demetrium* supradictum, nonnulli, qui in Græcam eorundem Versionem inciderant, eamque perlegerant. Sed non est cur moremur hujusmodi exempla *pauca*.

[a] Præp. Evang. IX. 21. 29.

[b] Lib. 1. contra Ap.

[c] Vide Clem. Alex. Strom. lib. 1. p. 337.

Nihil contra nos facerent exempla ante Christum *pauca*, nihil post Christum *infinita*. Sufficiat ostendisse, ignotam *pene omnibus* Gentilibus antiquioribus fuisse cum cæterorum librorum S. Scripturæ, tum Mosaicorum, Græcam Versionem: ignotam fuisse Gentilibus eruditissimis, illisque ipsis qui de Institutis atque Antiquitatibus Judæorum *ex professo* commentati sunt; illis insuper ipsis, qui libros *integros* de eisdem elaborarunt. Et quis exinde non facile collegerit, ab ipsis Judæis privatim, in usumque solummodo suum, confectam fuisse, non *Ptolemæorum* publico mandato, non cura & auspiciis *Demetrii Phalerei*, non ut collocaretur in publica Bibliotheca? Asserit *Origenes* ante Christum natum nullam extitisse apud Scriptores Ethnicos *Mosis* mentionem: [a] *Nunc Moysi nomen auditur, quod prius Judæa tantum claudebatur angustiis. Neque enim Græcorum quispiam meminit ejus: neque in ulla gentilium literarum historia de illo seu cæteris scriptum aliquid inveuimus. Statim ut Jesus radiavit in mundo, eduxit secum Legem & Prophetas.* Quod quamvis non prorsus verum sit, exinde tamen apparet quam paucis Gentilibus res Judæorum ante Christi adventum fuerunt cognitæ.

[a] Homil. 1. in Cant.

Sribit *Pseudo-Aristeas* Ptolemæum Regem, accepta à *Demetrio* Legis Interpretatione, religiosa veneratione eam prosecutum fuisse, *jussisseque magnam curam haberi librorum istorum, eosque religiose custodiri*: μεγάλην ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι τῶν βιβλίων, καὶ συντηρεῖν ἁγνῶς· nimirum, ut ait *Josephus*, ne corrumperentur. Ait *Georgius Homædides*, Arabs, in Chronico inedito, Ptolemæum Regem Interpretationem reposuisse in æde Dei sui *sigillo addito*. Num hoc in causa fuit quod Gentilibus doctis usque adeo fuerit ignota? Apage nugas! Vanissima sunt ista commenta: neque credi potest majorem curam voluminum *Mosaicorum* habendam fuisse, quam aliorum bonorum librorum. Neque porro defuerunt Judæis ipsis exemplaria, quæ sibi comparassent & legissent Gentiles literati, si Regis & Demetrii cura operaque commendata ipsis fuissent.

5. Non omiserim, hoc loco, *Alexandrum Severum*, Romanorum Imp. in Oratione quadam apud *Encolpii* Historiam illius Vitæ, testimonium suum perhibere, Ptolemæi Philadelphi jussu confectam fuisse Versionem. *Quis* (inquit) *regnum suum tanta tranquillitate tantaque divitiarum affluentia conservavit quam Solomon rex Hebræorum? Qui, ut reperitur in Hebræorum historiis Ptolemæi Philadelphi regis jussu Græce translatis, philosophus tantus fuit, ut de rebus omnibus cum naturalibus tum supernaturalibus differuerit.* At quis *Encolpius* iste, apud quem oratio hæc extat? Historia ejus, quam citamus, prorsus ignota est viris literatis, neque multis inter nostrates, quorum lingua sola habetur, nota, forsan uni tantum aut alteri. Ex Græco vero in sermonem *Anglicanum* translata est (si ipsi titulo fides) à *Thoma Elyoto* Medico, & edita anno 1549. Sed non est cur doleant viri eruditi lingua solum *Anglicana* Historiam istam extare. Quamvis enim ex *Lampridio* appareat extitisse olim Historiam Vitæ *Alexandri Severi* ab *Encolpio* scriptam, tamen fidem dederim, non illius hanc esse, sed ab aliquo Christiano ejus nomini suppositam. Neque Orationes quæ in ea multæ habentur, ex Codice Græco conversæ sunt, sed ab ipso (crede mihi) *Elyoto* compositæ. Scio ego hominis ingenium, & orationes confingendi morem, ex aliis ejus scriptis. Imo totum librum ab ipso *Elyoto* compositum fuisse, mihi ego facile persuadeo, quamvis prætendat à nobili quodam *Neapolitano* exemplar Græcum se mutuo accepisse. De Historia hac plene nos alibi. In præsenti dixisse sufficerit, non esse cur de hoc *Alexandri Severi* testimonio solliciti simus, quamvis demus hæc verba illius revera fuisse. Nam in ista traditione vulgarem Christianorum famam secutus fuisse credendus est.

6. *Josephus*

6. *Josephus Gorionides* (ut memini me [a] alibi monuisse) agnoscit Versionem jussu Regis confectam fuisse, sed quæ alii *Demetrio Phalereo* adscribunt, ille ipsi *Aristeæ* & *Andreæ* attribuit. *Ptolemaus* (inquit) *præcepit duobus principibus suis, quorum nomina erant Aristeas & Andreas, ut congregarent libros multos. Collectis autem plurimis voluminibus scriptis Medorum, atque aliorum populorum linguis, dixit Rex ad eos, quot habetis libros? &c.* Alii Rabbinorum, quamvis tradant *Regis* mandato factam fuisse Translationem, autumarunt tamen non causa Bibliothecæ id factum fuisse, sed ut Rex haberet occasionem Judæos divexandi. Josippus: *Ptolemæo descripta fuit Lex Mosaica in lingua Græca, quo scil. causam haberet, & occasionem quæreret contra Israel. Quæsivit namque ex eorum Lege occasionem ut eos exueret à Religione. Sæpe enim tribulaverunt me à juventute, dicat nunc Israel.* In eandem sententiam [b] Liber *De Regibus Templi Secundi*, Auctor [c] *Additamentorum Talmudicorum*, & *Salomon Jarchi*. Hi tradunt Ptolemæum irridendæ & traducendæ Legis occasionem quæsivisse. Quæ omnia nihil aliud plane sunt quam fabula *Aristeana* fabulosior facta.

[a] Dissert. contra Arist.

[b] Cit. à Serario Prolegom. Bibliac. cap. 17. Q. 7.

[c] Citati à Morino Exercit. Bibl. l. 1. Exer. VIII. c. 3.

7. Concedit *Jos. Scaliger* in [d] *Animadversionibus Eusebianis*, Ptolemæi Philadelphi jussu, quamvis non cura *Demetrii Phalerei*, confectam fuisse Interpretationem: sed sententiam is postea mutavit, & in *Epistola* XIV. ad *Seguinum* sic statuit; à Rege Philadelpho prohibitos fuisse Judæos Alexandrinos lingua sua Hebraica uti, hinc coactos fuisse Scripturas in linguam Græcam transfundere, & quia Rex iste eam ipsis necessitatem imposuerat, ideo illi, quasi jussu ipsius confecta esset, attributam fuisse Versionem. Sed præstat summi Viri verba audire. *De* LXX. (inquit) *Interpretibus scito fabulam à Judæis confictam, à Ptolemæo accersitos, in unum locum conjectos, & non omnium, qui in unum locum convenissent, & Capita contulissent, sed singulorum separatorum, qui Divinitus in eandem sententiam conspirassent, eam Interpretationem fuisse. Quid ergo? Cum coegissent eos Ptolemæi Græce contractus scribere & annos à Ptolemæo Philadelpho putare, attribuerunt eam Interpretationem ei Regi, qui eis eam necessitatem græcissandi imposuisset. Sed si hoc verum erat, oporteret reliquas paraphrases Chaldaicam, Persicam, Arabicam, quibus hodie utuntur quodam Rege jubente scriptas fuisse, quod & putare ineptum est. Igitur* LXX. *Interpretum paraphrasis Græca est, non auctore Philadelpho, sed Judæorum suadente utilitate conscripta, qui parum Hebraice sciebant, Græce autem loqui & scribere ab ipsis Regibus cogebantur.* Errat itaque [e] *Salmasius*, cum negat hanc sententiam fuisse *Scaligeri*, vel alicujus alius Viri docti. *Dubitavit* (inquit) *Heinsius, utrum Ptolemæi auspiciis, an ab iis qui præsentis necessitatis rationem habebant, translata in Græcum essent Biblia. Et hanc posteriorem sententiam Scaligero affingit, & cum aliis ei commune esse dicit, maximo mendacio. Nemo enim doctorum sensit aut scripsit, neque ex veteribus, neque ex recentioribus, Versionem Bibliorum, quæ τοῖς* LXX. *tribuitur, ab ipsis Judæis eo fine fuisse elaboratam, ut in Synagogis loco Ebraicæ Scripturæ, quam non intelligebant, legi posset.* Contra ipsam hanc opinionem hæc subjicit *Salmasius*: *Cur post aliquot secula à remigratione ex Babylone transacta, Judæi de Versione Græca facienda demum agitarunt? Cur non prius eam dederunt? Cur non statim post reductionem è Captivitate? An Ptolemæi temporibus lingua Ebraica Judæis minus erat familiaris quam antea, & Græca magis nota?* Immo certe; quis dubitat? Quam absurde, & absque ullo judicio, hæc Vir doctissimus? *Cur non statim post reductionem è Captivitate?* In promptu est causa: Quia tunc inter *Græcos* non vixerunt; neque linguam Græcam habuere vernaculam. At urget idem ulterius: *Cur Judæi Græce intelligentes Versionem Græcam habere voluerunt, cum de Chaldaica habenda solliciti*

[d] Num. 1734.

[e] Fun. linguæ Hellen.

citi non fuerint Chaldaice ſcientes? Neque Arabicam ſibi procurare ſtuduerint in Arabia nati, aut Perſicam in Perſide morantes? In tam infinito Judæorum numero, qui Orientales tot regiones incoluerunt, cum habitu tum lingua inter ſe differentes, nulline extitere, quorum intereſſet alia magis lingua quam Græca expreſſas habere ac legere in Synagoga Scripturas? Hoc oppido quam mirandum, nec omnino credendum, præ amore ſcil. Græcæ linguæ, etiam qui aliam melius ſcirent, quam & à pueris didiciſſent, Græcam tamen, quam minus intelligebant, prætuliſſe. At dicimus nos, ab illis Judæis, qui inter Græcos vivebant, & Græce potiſſimum intelligebant, fuiſſe procuratam Verſionem Græcam. Quid fecerint illi, qui in Orientalibus regionibus vivebant, ubi lingua Græca non fuit vernacula, viderint alii. Inter Judæos Alexandrinos extitiſſe Verſionem Græcam, certo ſcimus. Et ab ipſis Judæis in uſum ſuum, potius quam Regis juſſu, fuiſſe eam confectam, evincunt ea quæ attulimus, argumenta. Et ſic etiam tandem Verſionem *Chaldaicam* procurabant ſibi, qui *Chaldaice*, non Græce, ſciebant.

CAP. IV.

Auctores Verſionis librorum ſaltem plurimorum, fuiſſe Alexandrinos. *Dialectus ejus* Alexandrina. §. 4. *Hinc in* Pentateucho, *Siclum exprimi per* Didrachmum. 5. *pro* Epha *poni* Οἰφὶ. 6. Thummim *verti* Ἀλήθειαν. 7. *Joſephi nomen Ægyptiacum ſcribi* Ψονθομφανήχ. 8. Chabratham *explicari per* Hippodromum. 9. κόνδυ *poni pro* poculo 10. *librum primum inſcribi* Γένεσις. 11. *hinc numerum* Angelorum Dei *apud Deut.* 12. *hinc* ἄχι. *vocem* Ægyptiacam, *occurrere apud* Geneſin *&* Eſaiam. 17. 18. *Hinc apud* Amoſum, Rephan *poni pro* Ciun. 13. *apud* Eſaiam *memorari* Artabam *menſuram.* 14. *apud Jobum* papyrum *poni pro* junco. 16. *apud* Eſaiam *pro potu inebriante* zythum. 19. *Hinc in* Pſalmis *haberi phraſin* Ægyptiacam. 20. *Danielis Apocrypha conſcripta fuiſſe à Judæo Alexandrino.* 15. *Eſtheræ Interpretem fuiſſe ex eadem urbe* 22. *Judæorum quorundam veterum execratio Verſionis Pentateuchi.* 24. *Eorundem & aliorum teſtimonia de Interpretibus quod Alexandrini fuerint* 25. *De Græca Verſione traditio Samaritanum.* 28. *De Doctoribus* Tiberienſibus *fabula.* 29.

NON multum refert, juſſu Regis, an ſponte à Judæis, confecta fuerit Tranſlatio. Id vero permagni intereſt, utrum Legis exemplar Hebraicum & Interpretes ipſi (uti ſcribunt *Pſeudo Ariſteas* & illius ſequaces) Hieroſolymis acciti fuerint, & ab ipſo Pontifice maximo Alexandriam miſſi. Hoc ut falſum prorſus rejicio; neque vereor fidenter aſſerere, ſive Regis ipſius juſſu, ſive ſponte à Judæis, Interpretatio facta fuerit, à Judæis *Alexandrinis* fuiſſe factam. Quam illud incredibile, quam abſurdum Hieroſolyma Regem miſiſſe, ut Legis exemplar & Interpretes impetraret! Quaſi vero inter tot Judæorum millia, qui tunc temporis Alexandriæ vixerunt, nullum fuerit exemplar Legis reperiendum, nulli qui eam Græce interpretari potuerunt! Quam illud ridiculum, quod tradit *Pſeudo-Ariſteas*, Demetrio Phal. dicente *Judæorum Leges dignas eſſe quæ deſcribantur, & in Bibliothecam reponantur, ſed interpretatione indigere*; reſpondiſſe Regem, *ſe ſcripturum ad ſummum Judæorum Pontificem, ut* Legis exemplar, & qui eam interpretarentur, Hieroſolymis ad ſe mitterentur. Quid? Nonne ſcivit Rex Ptolemæus in urbe ſua Alexandria floruiſſe ingentem Judæorum multitudinem? Potuitne pro conceſſo illud habere & ſine inquiſitione, nullum Legis exemplar, neminem qui Hebraice ſimul Græceque calluerit, inter illos extitiſſe? Certe ſi voluiſſet ut in Græcam linguam traducerentur, ſuaque in Bibliotheca collocarentur, libri Judæorum,

dæorum, nihil aliud ipsi in mentem venisset, quam ut alicui Judæo Alexandriæ tunc degenti, vel eorum pluribus, demandaretur provincia ista.

2. Si credimus S. *Justino Martyri*, non eodem tempore accersiti sunt Interpretes quo petitum est Legis Volumen, sed primo Legis Volumen petitum & advectum est, & postea per alios Legatos acciti sunt Interpretes. Ptolemæus ([a] inquit) cum Bibliothecam institueret, de Prophetis Judæorum certior factus, ad Herodem Regem misit, copiam sibi fieri librorum Propheticorum petens. *Ac Rex quidem Herodes illos, qua diximus, Hebraica lingua conscriptos, ad eum misit. Verum cum Ægyptiis incognita essent, quæ scripta erant, denuo legatione missa illum rogavit, ut ad se, qui libros eos in Græcum transferrent sermonem, homines mitteret.* Καὶ ὁ μὲν βασιλεὺς Ἡρώδης τῇ προειρημένῃ Ἑβραΐδι αὐτῶν φωνῇ γεγραμμένας διεπέμψατο· ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἦν γνώριμα τὰ ἐν αὐταῖς γεγραμμένα τοῖς Αἰγυπτίοις, πάλιν αὐτὸν ἠξίωσε πέμψας τοὺς μεταβαλοῦντας αὐτὰς εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν ἀνθρώπους ἀποστεῖλαι. Ita [b] S. *Augustinus: Ptolemæus* (inquit) *qui est appellatus Philadelphus petivit ab Eleazaro tunc Pontifice, dari sibi scripturas, quas profecto audiverat fama prædicante Divinas: & ideo concupiverat habere in Bibliotheca, quam nobilissimam fecerat. Has ei cum idem Pontifex misisset Hebræas: post etiam ille Interpretes postulavit, & dati sunt ei* LXXII. *de singulis duodecim tribubus seni homines, linguæ utriusque doctissimi, Hebrææ scil. ac Græcæ.* Arabicus Scriptor ineditus, qui *Medicorum* conscripsit Vitas. [c] *Est apud Græcos historia, historia nempe Legis translatæ Græcis, tempore Philadelphi Regis, qui Judæos, postquam audivisset, esse apud eos libros cælitus super linguas Prophetarum delapsos, donis plurimis ornavit. Præter cætera vero Regis munera, duæ erant mensæ aureæ, margaritis obductæ, quibus elegantius nihil. Rex cum eos de libris, qui in manibus eorum essent, rogasset, iisque indicasset gratum sibi fore, si & ipse illorum haberet exemplar, obtinuit, ut omnes libros, quos possederunt, Legem viz. Prophetas & reliqua, in foliis argenteis, literis aureis scripserint, prout ex Eusebio Cæsariensi refert Rahedus: cumque hic codex ad ipsum deferretur, benignissime illum excepit, & quia non intellexit, quid eo contineretur, misit aliquem ad ipsos, qui diceret, Quæ utilitas ex thesauro abscondito, qui nusquam apparet? aut ex fonte obturato, cujus non conspicuæ aquæ? Quapropter ablegarunt ad ipsum 72. viros ex omnibus tribubus, ex unaquaque nempe senos &c.* Eandem fabulam habes in illa Historiola *Aristeæ* afficta, quam legit [d] *B. Epiphanius*, apud quem ex illa in medium proferuntur Epistolæ duæ ad Pontificem scriptæ. Ex ea nonnulla Lectori ob oculos ponere me non pigebit, sed Latine. *Hierosolymis* (ait *Demetrius Phal.* regi) *& in Judæa divini quidam extant Prophetarum libri qui de Deo ac mundi procreatione disserunt: multaque communem ad utilitatem continent. Quocirca si Majestati tuæ, Princeps, ita videtur; scribe ad Hierosolymitanos legis Doctores, ut suos ad te libros mittant, qui in Bibliotheca tua collocentur. His auditis, Ptolemæus literas hoc argumento dedit. Ptolemæus Rex Judæis, qui Hierosolymis habitant, Salutem. De constituenda Bibliotheca cogitans, ingentem librorum vim ex omni regione conflatam in eam contuli. Quare cum apud vos Prophetarum quosdam libros extare compererim, qui de Deo ac mundi fabricatione scripti sunt, hos ego cum aliis consecrare magnopere cupio. Quæ mihi ad vos scribendi causa fuit, ut illos ad me libros mittere velitis. &c. His literis ac muneribus Hierosolyma perlatis, utrumque Judæi perjucunde ac libenter acceperunt. Mox sine ulla cunctatione libros illos Hebraicis literis aureis conscriptos ad Regem mittunt.* ———*Quibus acceptis Ptolemæus cum Hebraice scriptos codices legere non posset, secundo ad eos scribere coactus est, & Interpretes petere, qui ex Hebræo libros illos in Græcum sermonem converterent. Summa Epistolæ hæc fuit. Ptolemæus*

Rex

[a] Apolog. 2. pag. 72.

[b] De Civ. XVIII. 42.

[c] Apud Hottingerum Thesaur. Philol. p. 347.

[d] De Mens. & Pond. cap. 9. 10. 11.

Rex pietatis magistris, qui Hierosolymis habitant, S. P. D. Occulti thesauri, & obsignati fontis quænam esse potest utilitas? Hoc ego de his libris, quos ad me misistis, usurpare jure posse videor. Nam cum scriptas in his literas legere nequeamus, nulli esse nobis usui & emolumento possunt. Quocirca etiam atque etiam à vobis peto, ut ad nos illorum interpretes mittere velitis, Hebraicæ Græcæque linguæ peritissimos. Historiam hanc, quæ in manus *Epiphanio* venit, *Aristeæ* nomine conficta, recentiorem fuisse illa, quæ hodie superest, quamque legerunt *Josephus*, & *Eusebius*, nos alibi ostendimus: & magis absurda sunt ea quæ tradit hic recentior *Pseudo-Aristeas*, quam illa quæ habet antiquior iste de libris & Interpretibus simul accersitis.

Finxerunt recentiores Græculi apud *Matthæum Cigalam*, Ptolemæum primò misisse ad Hebræos ad libros eorum impetrandos; rescripsisse Judæos, per execrationes Prophetarum sibi non licere libros suos Gentilibus communicare; propterea Regem Epistolam secundam iracundia minisque plenam ad eos scripsisse. Qua eos deterritos, misisse confestim ad eum libros. Deinde tertio Regem scripsisse ad Interpretes obtinendos.

3. Illud vero magis credibile, quod habet recentior iste *Pseudo-Aristeas Epiphanianus* de remissis ex Ægypto Judæis captivis diu antequam Rex Ptolemæus S. Scripturarum libros & Interpretes Hierosolymis acciverit. Hoc docet apud eum in Epistola priore Ptolemæus: *Nam quod ego* (inquit) *non curiositate ductus, neque malo animo, sed honoris illis habendi studio, ac pro mea erga vos fiducia & amicitia ad ea postulanda descenderim, ex mea in vos benevolentia si recordari volueritis, conjecturam facere potestis. Meministis enim opinor, cives vestros ac populares quamplurimos, qui bello capti, & in Ægyptum, hanc nostram patriam, deportati fuerant, non liberasse modo me, sed & viatico instructos ac perhumaniter habitos cum omni officiorum genere liberos dimisisse; adeo ut & qui ex iis saucii erant diligenter curarem, & nudis vestimenta dividerem.* Sed hoc verum esse non potuit, si, ut supra statuimus, ipso regni *Philadelphi* initio ante mortem *Ptolemæi Lagi* confecta esset Translatio. Et si ante confectam Versionem remissi sunt in patriam Judæi captivi; cum tamen Alexandriæ permansit Judæorum magna multitudo, quam ibi collocaverat Alexander M. civitate eis donata, incredibile prorsus esset Regem Hierosolyma missurum fuisse, ut Legis Codicem & Interpretes inde obtineret. Non desunt inter Arabes, qui tradunt, Ptolemæum Regem Translationem Bibliorum fecisse (per Judæos Alexandrinos) antequam Seniores LXX. Hierosolymis accerseret, & eos accersivisse, non ut ipsi Versionem aliam conficerent, sed ut istam quam fieri jusserat, corrigerent & limarent. Ad quam traditionem confirmandam *Eusebium Cæsariensem* citant, sed perperam, ut solent. Auctor Arabicus [a] *Vitarum Medicorum* MS[tus], post relatam historiam Interpretum LXX. *Refert autem* (inquit) *Eusebius Cæsariensis Regem istum jam libros sacros transtulisse, antequam Judæi appellerent, eosque verterent: quia vero animi pendebat, quem successum Versio ista fuisset sortita, petiisse ab iis ut corrigeretur.*

[a] Ap. Hottingeri Thes. Philolog. p. 347.

Præter rei ipsius absurditatem & incredibilitatem, suppetunt nobis argumenta alia, quibus facile evincitur, Versionem factam fuisse a Judæis *Alexandrinis*, non ab *Hierosolymitanis* Alexandriam accersitis.

4. Hoc liquet in primis ex Versionis Dialecto, quam *Alexandrinam* esse, testimonio est Lexicon Græcum Lutetiæ editum à *Mich. Vascosano* anno 1532. cum hoc titulo: Τῶν ὀνομάτων Ἀττικῶν συλλογή, ἐκλεγεῖσα ἀπὸ τῆς τεχνολογίας τῶν εἰκόνων τοῦ Φιλοστράτου· ἣν ἐξέδοτο ὁ σοφώτατος Κύριος Μανουὴλ ὁ Μοσχόπουλος, καὶ ἀπὸ τῶν βιβλίων τῶν ποιητῶν. συνετέθη δὲ ἐνταῦθα κατὰ στοιχεῖον.

In

In isto Lexico hæc verba reperiuntur: Τὸ καθὰ οἱ Ἀττικοὶ χρῶνται, τὸ δὲ καθὼς οὐδέποτε. ἀλλ' ἡ τῶν Ἀλεξανδρέων διάλεκτος, καθ' ἣν ἡ θεία γραφὴ γέγραπται. *Attici dicunt* καθὰ, *nunquam* καθὼς. *Hoc vero est dialecti Alexandrinorum, qua scripta est divina Scriptura.*

5. Alexandrinos eos fuisse satis liquet ex eo quod *Siclum* Hebraicum exprimere soleant per *Didrachmum*, ut faciunt plerumque in *Pentateucho*, & in [a] *Josbua*, ac [b] *Neemia*. Constat enim ab illis designari *Didrachmum* non commune, sive *Atticum*, sed *Alexandrinum*, ut ab aliis ante nos observatum. Testantur [c] *Josephus* & [d] *Hieronymus* Siclum æqualem fuisse *Tetradrachmo Attico*; & *Tetradrachmo Attico* æquale fuisse *Didrachmum Alexandrinum* exinde apparet, quod docet *Festus Pompeius* Talentum *Alexandrinum* duplex fuisse ad *Atticum*, & testis est *J. Pollux* Talentum quodque habuisse 6000 *Drachmas* ejus loci proprias, cujus Talentum esset. *Aquila* Interpres, qui *Alexandrinus* non erat, pro *Siclo* non *Didrachmum*, sed *Tetradrachmum*, ponit.

a VII. 21.
b VII. 21.
c Antiq. III. 9.
d In Ezech. cap. IV.

6. Hinc quoque mensuram איפה *Ephah* non exprimunt more Hebræorum, sed, ut vocem pronunciabant *Ægyptii*, οἰφί. Ita passim *Levit.* V. 11. VI. 20. *Num.* V. 15. XXV. 5. *Ruth* II. 17. *Ezech.* XLV. 13. οἰφὶ vero fuisse *Ægyptiorum* mensuram testatur nobis *Hesychius*: οἰφὶν, (l. οἰφὶ) μέτρον τι τετραχοινικὸν Αἰγύπτιον. Et apud hodiernos *Coptitas* inter nomina mensurarum retinetur vocabulum οἰφί. Rationem quare οἰφὶ scripserunt Interpretes non vidit B. *Hieronymus*, Com. in *Ezech.* XLV. sic scribens: *Epha, quæ in Græco sermone corrupte dicitur* ὕφι (l. οἰφι) *ad mensuram pertinet variarum frugum.* Versionis Græcæ lectionem ipse alibi sequitur, non *Epha*, sed *Ephi* [e] mensuram hanc nuncupans, nempe cum in *Versione* sua, tum in Commentariis. Sic quoque passim scribitur in Latina veteri versione ex Græco facta. Idem alibi [f] Hieronymus: *mensuræ, quæ apud Hebræos dicitur* איפה, *crebroque à* LXX. *in* οἰφὶ *vertitur.* Eucherius Lugdunensis: [g] *Ephi, sive Opha, modii tres. Ephi idem mensuræ habet in aridis, quod in liquidis batus.*

e Ezech. 45 46. sæpius. & in Ef. c. 5. & Quæst. Heb. in Reg.
f Com. in Zac. cap. 5.
g Nom. Heb. interp.

7. Jubet Deus *Exod.* XXVIII. 29, 30. *Portabit Aaron nomina filiorum Israel in pectorali judicii super pectus suum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum. Pones autem in pectorali judicii Urim & Thummim, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper.* Vocem *Thummim* in hoc textu, & alibi [h] quoties occurrit, Interpretes *Pentateuchi*, non *Perfectionem*, quæ vera est ejus significatio, sed ἀλήθειαν *Veritatem* exponunt. Quærisne qua de causa? Ea patet ex *Æliano*, (quod alii etiam observarunt, inter quos clariss. [i] *Spencerus*:) δικασταὶ (inquit Ælianus) τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν· ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας. ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων, καὶ ἀφειδέστατον. εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα Ἀλήθεια. *Judices apud Ægyptios iidem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes. In his princeps erat sententiæ, maximus natu, & in omnes statuendi jus habebat. Eum omnium hominum esse justissimum & qui minime parceret cuiquam, oportebat; qui circa collum imaginem ex sapphiro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur Veritas.* [k] Diodorus Sic: ἐπεὶ δὲ συνέλθοιεν οἱ τριάκοντα, ἐπέκρινον ἐξ ἑαυτῶν ἕνα τὸν ἄριστον, καὶ τοῦτον μὲν ἀρχιδικαστὴν καθίστανον· ——— ἐφόρει δὲ οὗτος περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζῴδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον Ἀλήθειαν. τῶν δ' ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὴν τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαστὴς προσθεῖτο. *Congressi hi* XXX *judices unum ex ipsorum numero, & quidem optimum, præsidem judiciorum crearunt.* ——— *Gestabat is in collo ex aurea catena dependens è lapillis pretiosissimis simulacrum, cui Veritas nomen. Hoc à judiciorum principe assumptum disceptandi lites auspicium erat.* Vides, quam conveniat Pontificis

h Levit. VIII. 8. Deut. XXXIII. 8.
i De Urim & Thummim c. 4. §. 12.
k Lib. 1. p. 68.

tificis Judaici *Thummim* cum imagine illa, quam, à judicis summi pectore dependentem, *Veritatem* Ægyptii vocabant. Neque potest dubitari, quin ideo imaginem, *Thummim* i. e. *Perfectionem* ab Hebræis appellatam, *Veritatem* nominaverint Interpretes, quia illo nomine similis ista apud Ægyptios donata est. Et vel hinc conspicuum redditur, Interpretes illos non advenas seu hospites *Hierosolymitanos* fuisse, sed *Ægyptios*, & Ægyptiorum Ethnicorum mores & ritus perspectos habuisse.

8. *Josephi* nomen *Ægyptiacum*, quod *Gen.* XLI. 45. scribitur צפנת פענח (hoc est, ex *Masoretarum* punctatione, *Tsaphnath Paaneah* vel *Paaneach*, ex B. Hieronymi [a] lectione *Saphanatphaneth*, vel [b] *Zaphanath Phaanecha*, vel [c] *Zaphanetphane*.) Interpretes mutarunt in Ψονθομφανήχ. Licet ferant literæ Hebraicæ ut פענח per φανήχ exprimatur, tamen à צפנת formari non potest τὸ ψονθομ. Dicendum itaque, vel Interpretes nomen paululum immutasse, vel aliter lectum fuisse in Codice Hebraico quo illi usi sunt, quam legitur in hodiernis. Si mutabant, quare mutabant? Hanc causam existimo fuisse. In Ægypto habitantes, & linguæ Ægyptiacæ periti, sciebant hoc nomen in Hebræo non scriptum fuisse juxta usum & consuetudinem Ægyptiorum suorum temporum: hinc vocem paululum mutare & ad usum præsentium temporum formare & reducere consultum illis videbatur. *Josephus* quamvis in historiis Hebraicum maxime Textum, non Græcam Interpretationem secutus sit, in hoc tamen Nomine, ut in aliis passim, Interpretationem sequitur. καὶ προσηγόρευσεν αὐτὸν Ψονθομφάνηχον, ἀπιδὼν αὐτοῦ πρὸς τὸ παράδοξον τῆς συνέσεως. σημαίνει γὰρ τὸ ὄνομα, κρυπτῶν εὑρετήν. *Et illum* (Rex) *cognominavit Psonthomphanechum ob incredibilem prudentiam, quod occultorum inventorem significat.* Ψονθομφανήχ esse genuinam Versionis Græcæ lectionem patet cum ex consensu exemplarium omnium, tum ex [d] *Philone* Judæo, tum etiam ex istis [e] *Theodoreti*: Τίνα ἑρμηνείαν ἔχει τὸ Ψονθομφανήχ; Vitiose legitur apud *Suidam*, Ψανθομφάνιχος: apud *Chronicon* vulgo dictum *Alexandrinum* Ψονθομφαγχθή· ubi minus recte dicitur hoc nomen Mosi inditum fuisse *ab Ægyptiis*. [f] B. Hieronymus ait LXX. scripsisse Ψομθομφανήχ· sed idem [g] alibi monet, Latine (ex Græco) vulgo scriptum fuisse *Sontonphanee*. Legendum, ni fallor, *Sontomphanee*.

9. Legitur apud *Gen.* XLVIII. 7. ἀπέθανε Ῥαχὴλ ἡ μήτηρ σου ἐν γῇ Χαναάν, ἐγγίζοντός μου κατὰ τὸν ἱππόδρομον Χαβραθὰ τῆς γῆς τοῦ ἐλθεῖν Ἐφραθά· καὶ κατώρυξα αὐτὴν ἐν τῇ ὁδῷ τοῦ ἱπποδρόμου· αὕτη ἐστὶ Βηθλεέμ. Quam veram & antiquam lectionem esse confirmat [h] *Hieronymus*, & Versio Latina vetus è Græco facta, ab eo citata: "Verbum (inquit) Hebraicum כברת "*chibrath*, ubi Jacob loquitur ad Joseph; *Ego autem cum venirem de Me-* "*sopotamia Syriæ, mortua est mater tua Rachel in terra Chanaan, in via* "*Hippodromi, ut venirem Ephrata*; nescio quid volentes, Hippodromum "LXX. Interpr. transtulerunt: & statim ibi, ubi in Hebræo dicitur: "*Et sepelierunt eam in via Ephrata, hæc est Bethlehem*; rursum LXX. pro "Ephrata posuerunt *Hippodromum*: cum utique si Chabratha Hippo- "dromus sit, Ephrata Hippodromus esse non possit. Quid Interpres sibi voluit *Hippodromi* mentione, qui non occurrit in Hebræo, optime exponit, post *Bonfrerium*, [i] *Joannes D'espieresius*. Probat is ex compluribus Rabbinis τὸ כִּבְרַת seu Χαβραθὰ, esse spatium terræ sive mensuram longitudinis æqualem milliari Judæorum, & itineri Sabbathino, ut proinde sit pedum 3000, cubitorum 2000, passuum minorum 1000, majorum 500, stadiorum 5. & recte monet hic addi τὸν ἱππόδρομον, tanquam mensuram longitudinis τοῦ *Chibrath* seu *Chabratha* æqualem, ut sensus sit: Cum accederem Ephrata, & distarem circiter Hippodromi intervallum, quod parallelum est & æquale mensuræ Hebræorum, quæ ab illis *Chabratha* seu *Chibrath* dicitur. Quorsum hæc? *Hippodromi*

[a] Com. in Dan. cap. 1.
[b] Quæst. in Gen.
[c] De locis Heb.
[d] De Nominum mutatione.
[e] Quæst. 110.
[f] Quæst. in Gen.
[g] De locis Heb.
[h] Quæst. sive Trad. Heb. in Gen.
[i] De LXX. Interpr. Disp. 3. Dub. 5.

dromi mentionem non fecisset Interpres, nisi ipse *Alexandriæ* vixisset. Respectum scilicet habuit ad *Hippodromum* Alexandriæ (extructum à Ptolemæo Lagi) cujus mentio apud plures Scriptores, *Maccab.* III. 4., [a] *Epiphanium*, [b] *Ibn Batric*; & cujus spectaculis Cives *Alexandrinos* mirifice gavisos fuisse, auctor est [c] *Dio Prusæensis*. Sane *Hierosolymitanis* ignotos plane fuisse temporibus illis *Hippodromos*, verisimile admodum videtur. Quamvis enim ex [d] *Josepho* appareat fuisse *Hippodromum* Hierosolymis Herodis Regis tempore; credibile tamen videtur ex Historia *Maccabæorum* II. 4. ludos istos *Græcanicos* in Judæa institutos fuisse post ætatem *Ptol. Philadelphi*, nimirum vel ab ipso *Herode*, vel inter ista Græcorum exercitia, quæ instituisse perhibetur *Jason* Pontifex.

a De Mens. & Pond. cap. 12.
b Annal p.299.
c Orat. 32. ad Alexandrinos.
d De Bell. I. 21.

10. Κόνδυ, quod legitur *Gen.* XLIV. 2. 12. 16. 17. in historia Josephi, & rursus apud Esaiam LI. 17. & *scyphum* seu *poculum* significat; fuit poculi genus *Persicum*, sed *Ægyptiis* quoque in usu; ut exinde facile colligitur, quod *Nicomachus* in libro *De Festis Ægyptiorum* istius meminerit. [e] *Athenæus*: Νικόμαχος ἐκ πρώτῳ περὶ ἑορτῶν Αἰγυπτίων φησί· τὸ δὲ κόνδυ ἐστὶ μὲν Περσικόν. *Nicomachus libro primo de Festis Ægyptiorum ait: Condy vero est vox Persica.* Hinc ab Alexandrinis *Geneseos* & *Esaiæ* Interpretibus usurpatum fuisse vix quisquam dubitaverit.

e Lib. XI. c. 7.

11. Interpretes denique *Pentateuchi* fuisse *Alexandrinos*, ulterius confirmatur vel ex titulo libri *Geneseos*. Petitus est iste ex *Alexandrinorum Ægyptiaca* Philosophia, ut ex eo colligere licet quod apud *Jamblichum* in Philosophiæ *Ægyptiacæ* expositione Græcanica, pro κτίσις passim usurpetur γένεσις. Hunc librum certe non Γένεσιν, sed Κτίσιν, quod proprie denotat Titulus *Hebraicus*, inscripsissent Interpretes *Hierosolymitani*. Quam observationem acceptam grati referimus Amico cuidam perquam erudito, cujus jubet modestia singularis, ut nomen ipsius hic reticeamus. *Ægyptios* autem dixisse κόσμου non κτίσιν, sed γένεσιν, deque ea perpetuo disputasse, meminit *Ptolemæi* Græcus Enarrator: περιττῶς εἰώθασι λέγειν γένεσιν Αἰγύπτιοι κόσμου. *Ægyptii solent affatim de mundi generatione differere.*

12. Huc porro adjici possit locus iste *Deuteronomii* XXXII. 8. ubi Hebræus habet: *Quando dividebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum FILIORUM ISRAEL.* Græcus: κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ. *juxta numerum ANGELORUM DEI.* Utrum Interpres in suo exemplari Hebræo pro ישראל, tribus literis deficientibus legit אל, an ipse, tanquam *Alexandrinus*, vocem ipsam mutavit, in gratiam *Ægyptiorum*, qui terrarum orbem in gentes LXXII. dividebant, illisque *Angelos*, sive Numina, totidem præfuisse existimabant, judicent alii. Talem autem fuisse Ægyptiis opinionem (à quibus eam mutuati sunt Judæi) ostendetur in Capite sequente §. 2.

13. Legitur apud *Amosum* Prophetam V. 26. Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεφαν, τοὺς τύπους αὐτῶν οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς. Pro Ῥεφὰν exemplar *Romanum* habet Ῥαιφαν, *Complutense* Ῥομφᾶ, illud quo usus est B. *Hieronymus* Ῥαιφφαν, Translatio vetus Latina ex Græca confecta, [f] *Rephphan*, teste in locum *Hieronymo*: Stephanus Protomartyr *Act.* VII. 43. juxta Codices vulgares Ῥεφαν, *Alexandrinum* Ῥαιφαν, alios Ῥεμφάν. Hebræus legit כיון *Ciun*, quæ vox *Saturnum* significat; *Persæ* enim & *Arabes* Saturnum كيوان *Ciwan* appellant: & sic nominatur apud Persam anonymum *De Siglis Arabum & Persarum Astronomicis*. Apud *Syros* dicitur כאון *Cævan*. Pro כיון, quod in Hebræo est, [g] *Is. Vossius*, aliique [h] viri docti substituunt ריון quod Ῥαιφαν sonat, & existimant illud ejusdem generis Idolum fuisse ac *Moloch*, appellatumque fuisse à radice רוה, quia nempe sanguine humano inebriaretur. E contra

f In lib. tamen de locis Hebr. dicitur *Rephan*.
g De LXX. Translatione cap 23.
h Vide Lud. Capel. ad Act. VII 43.

tra *Drusio* placet apud Græcam Versionem *Amosi*, & in *Actis* scribi debere Κεφὰν, ut conveniat cum Heb. כִּיּוּן quod *Chevan* ille pronunciat. Male utrique. Agnoscit eruditissimus [a] *Seldenus* se omnino nescire quare Ρεφὰν pro *Ciun* substituerint Interpretes. Sed ratio mihi in promptu est. *Ciun* enim, sive *Saturnus*, appellatus est apud *Ægyptios Rephan*, ut patet ex *Coptica Tabula Planetarum* apud [b] *Prodromum Coptum*. Et hinc conficitur *Amosi* quoque Interpretem ex Ægypto fuisse, & illius regionis vernaculam linguam intellexisse. Non enim nomen Ægyptiacum, *Rephan*, sed vel *Ciun* suum, vel Græcorum Κρόνον, posuissent *Hierosolymitani*.

14. Ex eadem regione fuisse Interpretem *Esaiæ*, colligi potest ex cap. 5. v. 10. ubi mentio *artabæ* mensuræ, tanquam Græcis vulgo cognitæ & receptæ: quæ genus tamen fuit mensuræ non *Græcorum*, sed *Ægyptiorum*; à quibus in usum vulgarem apud *Alexandrinos* recepta est. Hebræus habet: *Et sementis chomer faciet Ephah.* Lat. Vulg. *triginta modii sementis facient modios tres.* Græcus: καὶ ὁ σπείρων ἀρτάβας ἕξ, ποιήσει μέτρα τρία. Fuisse autem *artabam* mensuram non *Græcanicam*, sed *Ægyptiacam* sive *Alexandrinam*, multi nobis testatum faciunt. *Hieronymus* ad locum: *Qui Hebraice dicitur* הוֹמֶר LXX. *verterunt* ἀρτάβας ἕξ, *quæ mensura Ægyptiaca est, & facit modios viginti.* [c] Eucherius Lugdunensis: *Artabæ, in Esaia, Ægyptiorum mensuræ, quæ tres faciunt modios* X. Aristophanis [d] *Scholiastes*, & ex eo *Suidas*: Ἀχάνη μέτρον ἐστὶ Περσικὸν, ὥσπερ ἡ ἀρτάβη παρὰ Αἰγυπτίοις. *Q. Rhemnius Palæmon* libello *De Pond & Mens.*

Est etiam terris quas advena Nilus inundat,
Artaba, cui superat modii pars tertia post tres.

De ea tanquam *Alexandrina* loquitur [e] *Polybius*: ἐπηγγείλατο δὲ καὶ Πτολεμαῖος αὐτοῖς ἀργυρίου τάλαντα τριακόσια, καὶ σίτου μυριάδας ἀρταβῶν ἑκατόν. *Promisit & Ptolemæus eisdem argenti trecenta talenta: frumenti* artabarum *decies centena millia.* Sic [f] Memnon Heracleotes: *Ptolemæus Rex Ægypti* ἔπεμψε τοῖς Ἡρακλεώταις ἀρτάβας πυροῦ πεντακοσίας *Heracliensibus* IↃ *artabas tritici misit.* Ita Rex Alexandriæ *Ptolemæus Euergetes*, ejus cognominis secundus, in *libro* VIII. *Commentariorum* apud [g] *Athenæum*, de *tryblio*, Cyrenæorum mensura, verba faciens, quantum ea contineret exponit per *artabas*: τοῦτο δέ ἐστι κεραμεοῦν ἀγγεῖον, ἐπιδεχόμενον ὡς εἴκοσιν ἀρτάβας *vas vero hoc est fictile, quod artabas circiter* 20. *capit.* Non nescio fuisse quoque *Artabam* Persarum sive Medorum mensuram. Mensura *Medica* dicitur *Hesychio*, & *Suidæ* in Ἀρτάβη; *Persica* [h] Herodoto, & Eustathio [i] *in Odysseam*; *Persica* & *Ægyptiaca* apud Aristophanis *Scholia*, paulo ante verba superius allata: τὸ ψευδαρτάβαν ἐποίησε παρὰ τὴν ἀρτάβην τὸ μέτρον· Περσικὸν ἦν καὶ Αἰγύπτιον τὸ ὄνομα. Distinguit [k] *Polyænus* inter *artabam Medicam* (sive *Persicam*) & aliam, scil. *Ægyptiacam*, his verbis: ἡ δὲ ἀρτάβη ἡ Μηδικὴ μέδιμνος ἐστὶν Ἀττικός. *Artaba Medica modium Atticum conficit.* At vero nulli Græcorum præter *Alexandrinos* hac voce utebantur tanquam Græca, quod facit *Esaiæ* Interpres, ubi neque de rebus *Persicis*, neque de *Ægyptiacis*, sermo habetur. *Jac. Golius* in *Lexico Arabico* ait *Artab* esse mensuram *Ægyptiorum* & *SYRORUM*: sed certum est, vel errasse *Golium*, vel *Syros* tantum *recentiores* intelligendos esse. Monet enim [l] *Epiphanius*, ipse *Syrus*, *fuisse Artabam Ægyptiorum propriam vocem.* Ἀρτάβη, τοῦτο τὸ μέτρον παρ' Αἰγυπτίοις ἐκλήθη.

15. Ex ejusdem vocis usu conficitur *Danielis* Apocrypha (saltem de *Bel* & *Dracone* narratiunculam) à Judæo aliquo *Alexandrino* vel primo conscripta fuisse, vel ex lingua Chaldaica in Græcam conversa. Καὶ ἦν εἴδωλον τοῖς Βαβυλωνίοις ᾧ ὄνομα Βὴλ, καὶ ἐδαπανῶντο εἰς αὐτὸν ἑκάστης ἡμέρας σεμιδάλεως ἀρτάβαι δώδεκα. *Erat autem Idolum Babylonis, cui nomen Bel: & impendebatur in eo per singulos dies similæ* artabæ *duodecim.* An in ipso Chaldaico

[a] De Diis Syris lib. 2. cap. 14.
[b] Cap. 5. p. 147.
[c] Nom. Heb. interp.
[d] Ad Acharn. p. 376.
[e] Lib. 5.
[f] Apud Photium Cod. 224. cap. 26.
[g] Lib. 12. p. 549.
[h] Lib. 1. c. 192.
[i] Pag. 680.
[k] Lib. 4. c. 32.
[l] De Mens. & Pond. c. 24.

Chaldaico occurrit vox *artaba*? Hoc fieri potuit. Cum enim *Babylone* tunc regnavit Cyrus *Persa*, & ante illum ibidem regnaverat Astyages *Medus*, mensura ista apud *Babylonios* in usu esse potuit. Cæterum verius esse, ab Alexandrino quodam Hellenista conscriptam & confictam fuisse historiolam istam *Belis & Draconis*, inde satis apparet, quod *Historiam Susannæ*, quæ partem aliam constituit *apocryphi Danielis*, ab Hellenista aliquo confictam fuisse liquidissime ac certissime constat: nimirum ex istis, quibus luditur, [a] vocibus, σχῖνον, σχίσει· πρῖνον, πρίσει. [a] V. 55. 59.

16. גֹּמֶא quod *juncum* in genere significat apud *Job.* VIII. 11. Interpres, tanquam *Ægyptius*, *papyrum* reddit, quia apud Ægyptios *papyrus* erat planta notissima. μὴ θάλλει πάπυρος ἄνευ ὕδατος; *nunquid viret papyrus sine aqua?* Sic quoque *Esaiæ* Interpres, Capite XIX. (quod *onus Ægypti* continet) סוּף vertit *papyrum.* καὶ ξηρανθήσεται πᾶσα συναγωγὴ ὕδατος, καὶ ἐν παντὶ ἕλει καλάμου καὶ παπύρου. *Et arescet omnis congregatio aquæ, etiam in omni palude calami & papyri.* Hieronymus ad locum: *Calamus quoque & juncus nimia siccitate arescent. Pro junco, papyrum* LXX. *transtulerunt, de quo charta fit.* Papyri nomen fuisse Ægyptiacum, plantamque ipsam pene peculiarem eis fuisse, res est compertissima. *Ovidius* XV. Metamorph.

Perque papyriferi septemflua flumina Nili.

Lucanus IV. —— *Cum tenet omnia Nilus*
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

De ea tanquam Ægyptiaca meminerunt quoque [b] *Theophrastus*, [c] *Dioscorides*, *Apuleius*, [e] *Æschyli* Græcus enarrator: [f] Solinum adde: *Æthiopes & Atlanticæ gentes, Nigri flumine dividuntur, quam partem putant Nili. Sic papyro viret, sic calamo prætexitur, animalia eadem edit, iisdem temporibus exundat. &c.* De *Pharsis papyris* meminerunt *Præcepta Metrica de Medicina*, quæ *Q. Sereni Samonici* titulo prænotantur.

[b] Hist. Plant. IV. 9.
[c] I. 115.
[e] Ad Ixind[illegible].
[f] Cap. 33.

Apertissime [g] Plinius: *Prius tamen quam digrediamur ab Ægypto, & papyri natura dicetur, cum chartæ usu maxime humanitas vitæ constet & memoria. Et hanc Alexandri M. victoria repertam, auctor est M. Varro, condita in Ægypto Alexandria. Antea non fuisse chartarum usum.* —— —— *Mox æmulatione circa bibliothecas regum Ptolemæi & Eumenis, supprimente chartas Ptolemæo, idem Varro membranas Pergami tradidit repertas.* Addit, *papyrum nasci in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant.* Unde facile perspicitur quare in locis citatis *papyrum* Interpretes posuerint. Subjungit quidem Plinius: *Nascitur & in Syria, circa quem odoratus ille calamus lacum. Neque aliis usus est, quam inde funibus rex Antigonus in navalibus rebus, nondum sparto communicato. Nuper & in Euphrate nascens circa Babylonem papyrum intellectum est eundem usum habere chartæ. Et tamen adhuc malunt Parthi vestibus literas intexere.* At minus nota & communis apud *Syros* fuit hæc planta; nec credendum est ab eis *papyrum* appellatam fuisse, sed alio aliquo nomine ipsis peculiari. Viro magno in [h] *Solinianis* placet, apud *Græcos* & *Romanos* non solum *papyrum Ægyptiam*, sed & ipsum τὸ φλοῦν i. e. *scirpum* vulgarem, eo nomine fuisse donatum, ab *Alexandrinis* scil. accepto; ut quando loquuntur de candelis ex *papyro* factis, & de usu *papyri* in corporibus defunctorum cremandis. Sic *Martialis*:

[g] XIII. 11.
[h] Pag. 1003.

Fartus papyro dum tibi torus crescit.

Paulinus:

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Antipatri Epigramma:

Λαμπάδα κηροχίτωνα κρόνε τυφήρεα λύχνον
Σχοίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ.

Glossæ: *Scirpus*, φλοῦς, πάπυρος. Aliæ: πάπυρος *scirpus*. Non multum hæc morarer, cum Poetæ metri causa voce illa improprie uti potuis-
[a] Lib. 5. p. 226. sent, nisi ipsum quoque [a] *Strabonem* de *papyro* in Italia nascente sic audirem loquentem: *Prope hæc est etiam Perusia. Ad ubertatem soli conducunt etiam lacus, magni ii ac multi, quippe & navigantur, & multum piscium & palustrium avium producunt,* τύφη τε καὶ πάπυρος ἀνθήλη τε πολλὴ, *tum typhi, papyri, & paniculæ lucernariæ copia fluminibus Romam devehitur, quos lacus isti in Tiberim emittunt.* Cum *papyri* in Italia nascentis non meminit *Plinius*, videatur *Strabonem* per *papyrum* nihil aliud intelligere quam *scirpum*. Hæc Lectoris judicio derelinquo, & utrum verisimile sit, vocem πάπυρος pro *scirpo* seu *junco* apud Græcos vulgò usurpatam fuisse quo tempore *Jobi* & *Esaiæ* versiones confectæ sunt, illius erit prudentiæ judicare. Mihi satis est, omnia ingenue protulisse, nec quicquam Lectorem, quod fieri solet, celasse.

17. In eodem *Esaiæ* XIX. 7. commate, nomen aliud ponit Interpres, quod purum putum *Ægyptiacum* est, neque unquam in linguam Græcorum receptum fuit. Hebræus habet: *gramina juxta rivum à fonte istius, & omnis sementis rivi arescet, propulsabitur, & non erit.* Græc. Καὶ τὸ ἄχι τὸ χλωρὸν πᾶν τῷ κύκλῳ τοῦ ποταμοῦ, καὶ πᾶν τὸ σπειρόμενον διὰ τοῦ ποταμοῦ ξηρανθήσεται ἀνεμόφθορον. *Et Achi viride omne, quod in circuitu fluminis: & omne quod seminatur circa fluvium, arescet in vento corruptum.* Quid Ἄχι istoc (τὸ χλωρὸν) quod pro עָרוֹת ponit Interpres? B. *Hieronymum* audi sis. *Addiderunt*, inquit, LXX. *de suo* ἄχει χλωρὸν, *quod in Hebraico non habetur. Cumque ab eruditis quærerem, quid hic sermo significaret: audivi ab* Ægyptiis *hoc nomine lingua eorum omne quod in palude virens nascitur*
[b] XL. 16. *appellari.* Occurrit idem vocabulum in [b] *Ecclesiastici* Græca versione,
[c] Codex Alex. Ἄχι. quæ facta est in *Ægypto*, postquam Auctor diu ibi versatus fuisset: [c] Ἄχει ἐπὶ παντὸς ὕδατος καὶ χείλους ποταμοῦ πρὸ παντὸς χόρτου ἐκτιλήσεται. *Achi super omnem aquam, & oram fluminis, ante omne fœnum evelletur.*

18. Occurrit rursus idem, apud *Gen.* XLI. 2. ubi de septem bovibus à *Pharaone* rege Ægypti in somnio visis. καὶ ἐβόσκοντο ἐν τῷ Ἄχει. Ibidem commate 18. καὶ ἐνέμοντο ἐν τῷ Ἄχει. Versio vetus Itala: *Et pascebantur in Achi.* In Hebraico אחו *achu* legitur, quod idem est nomen, ab *Ægyptiis* mutuatum, pauloque mutatum. Ægyptiacum hoc nomen Ægyptio Interpreti non visum est Græce transferre, quia Græcis *Alexandrinis* satis notum ac familiare fuit. Neque illud exprimere placuit sicut in ipso Hebræo corrupte legebatur, sed sicut proferebant *Ægyptii.* Fuisse vocem Ægyptiacam nondum didicerat laudatus *Hieronymus*, cum in *Quæstionibus Heb.* in Gen. de ea sic scribebat: *Bis in Genesi scriptum est Achi: & neque Græcus sermo est nec Latinus. Sed & Hebræus ipse corruptus est: dicitur enim in* אחו Ahu, *hoc est, in palude. Sed quia vau litera apud Hebræos, & jod similes sunt, & tantum magnitudine differunt, pro* Ahu, Achi LXX. *Interpretes transtulerunt, & secundum consuetudinem suam ad exprimendam duplicem aspirationem,* ח *Hebrææ literæ,* χ *Græcam literam copulaverunt.* Scribitur quoque אחו, non אחי,
[d] VIII. 11. apud [d] *Jobum*, à cujus Interprete vertitur βούτομον. Ad normam Græcanicam declinatur apud *Scholion* in *Gen.* & explicatur *plantarium tenue & herbosum*: Ἄχος ἐστὶ τὸ λεπτὸν καὶ βοτανῶδες φυτάριον. Ab alio exponitur ἕλος. Pro ἐν τῷ Ἄχει, in aliquibus exemplaribus legitur ἐν τῇ ὄχθῃ: quod ideo ex ἄχει nonnemo effinxit, quia quid sit illud non intellexit. Neque
[e] Vita Josephi. illud me movet, quod [e] *Philo* scribens de eadem *Pharaonis* visione, habeat παρὰ ταῖς ὄχθαις νέμεσθαι. Constat enim conferenti *Philonis* narrationem cum *Geneseos* Græca versione, eum illis narrandis non uti verbis Versionis, sed ex sua memoria scribere. Concordant exemplaria *Vaticanum* & *Alexandrinum*, optima ea atque nobilissima, cum illis quæ extabant

tabant *Hieronymi* ætate, & cum illis ex quibus facta est vetustissima illa Latina Versio, quæ *Itala* vocatur, ipsi forsan *Philoni* coæva.

19. Eodem *Esaiæ* capite, quod modo citavimus, *commate* 10. Hebræus sic legit, juxta *Pagnini* versionem: *Et erunt retia ejus contrita; omnes facientes clausuram stagnorum animæ.* Lat. Vulg. *Et erunt irrigua ejus flaccentia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.* Interpres Græcus pro שֶׂכֶר, quod *clausuram* significat, legit שֵׁכָר, quod significat potum quemvis inebriantem, & ζύθον vertit. Καὶ ἔσονται οἱ ἐργαζόμενοι αὐτὰ ἐν ὀδύνῃ, καὶ πάντες οἱ ποιοῦντες τὸ ζύθον λυπηθήσονται, καὶ τὰς ψυχὰς πονέσουσι. *Et erunt operantes ea in dolore: & omnes qui faciunt zythum, mærebunt, & animis laborabunt.* Fuit *zythus* Ægyptiorum potus ex hordeo coctus. *Hieronymus* ad locum: *Quodque sequitur: Et erunt irrigua ejus flaccentia, omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces: hoc significat, quod omnes insidiæ Ægypti piscatorum destruantur & pereant. Pro lacunis quæ fiebant ad capiendos pisces: quod nos juxta sensum Interpretati sumus, & in Hebraico & in cunctis Interpretibus in loco piscium ponuntur animæ.* —— *Notandum quod pro lacunis* LXX. ζύθον *transtulerunt: quod genus est potionis ex frugibus aquaque confectum, & vulgo in Dalmatiæ Pannoniæque provinciis gentili barbaroque sermone appellatur sabajum. Hoc maxime utuntur Ægyptii, ut non puras aquas bibentibus tribuant, sed turbidas, & commixtarum fæcium similes.* [a] Plinius: *Et frugum quidem hæc sunt in usu medico. Ex iisdem fiunt & potus, zythum in Ægypto, cælia & ceria in Hispania, cervisia & plura genera in Gallia, aliisque provinciis.* [b] Idem alibi: *Est & Occidentis populis sua ebrietas, fruge madida: pluribus modis per Gallias Hispaniasque, nominibus aliis, sed ratione eadem. Hispaniæ jam & vetustatem ferre ea genera docuerunt. Ægyptus quoque è fruge sibi potus similes excogitavit.* Columella:

Et Pelusiaci proritet pocula zythi.

[c] Galenus: εἰ γάρ τις ἐν μὲν τῇ νεότητι, τῇ τῶν Ἀλεξανδρέων χρῷτο διαίτῃ, ταρίχη τε καὶ πράσα ἐσθίων, ἐπιπίνων τε ζύθον. &c. *Si quis enim in juventute Alexandrinorum victu uteretur, salsis utens cibis, & porris, zythumque superbibens. &c.* [d] Herodotus de Ægyptiis: οἴνῳ δ' ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται· οὐ γάρ σφι εἰσὶ ἐν τῇ χώρῃ ἄμπελοι. *Vino utuntur facto ex hordeo: desunt enim in ea regione vites.* [e] Diodorus: Κατασκευάζουσι δὲ ἐκ τῶν κριθῶν Αἰγύπτιοι πόμα, λειπόμενον οὐ πολὺ τῆς περὶ τὸν οἶνον εὐωδίας, ὃ καλοῦσι ζύθον. *Conficitur Ægyptiis potus ex hordeo, quem zythum vocant, odoris & saporis jucunditate vino non multum cedens.* Auctor idem est, Osiridem Ægyptium, *totum orbem emensum, mitissimorum fructuum communicatione de vita communi bene meritum fuisse. Et si qua tellus plantam vitis non admitteret, conficiendum ex hordeo potum docuisse, vini fragrantia & efficacitate haud multo inferiorem.* Potum ex hordeo ab *Ægyptiis* primo factum fuisse, memorat [f] *Æschylis* Græcus enarrator. Inepte, ut solent, Etymologi hoc verbum, quod Ægyptiis debetur, à Græco ζέω deducunt. Illud non tacuerim, quod occurrat tamen vox ζύθος apud nonuullos Græcos Scriptores, qui vixerunt antequam Scripturæ Græcè versæ fuerunt, viz. *Theophrastum* & ipsum *Aristotelem.*

[a] Hist. Nat. XXII 25.
[b] XIV. 22.
[c] Lib. 2. in Aphorismos.
[d] II. 77.
[e] Lib. 1.
[f] In Ican[?].

20. Psal. CXXXVIII. 3. Τὴν τρίβον μου καὶ τὴν σχοῖνόν μου ἐξιχνίασας· καὶ πάσας τὰς ὁδούς μου προεῖδες. *semitam meam, & funiculum meum investigasti: & omnes vias meas prævidisti.* Quid illud τὴν σχοῖνόν μου, *funiculum meum?* Manifestus est *Ægyptismus.* Audiatur rursum magnus *Hieronymus* commentario in hæc verba [g] Joelis: *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. Pro torrente* (inquit) *spinarum,* LXX. *transtulerunt torrentem funiculorum, id est,* χειμάῤῥουν τῶν σχοίνων, *quod aut funiculum significat, aut, juxta Ægyptios, mensuram certi itineris, Psalmista dicente: Semitam meam & funiculum meum tu investigasti. In Nilo enim flumine, sive rivis ejus, solent naves funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant funiculos,*

[g] Cap. 3. v. 18.

funiculos, ut labori defessorum, recentia trahentium colla succedant. Nec mirum si unaquæque gens certa viarum spatia suis appellet nominibus, cum & Latini mille passus vocent, & Galli leucas, & Persæ parasangas, & rastas universa Germania, atque in singulis nominibus diversa mensura sit. Hæc propterea, quia verbum Hebraicum חבלים LXX. σχοίνους*, id est, funiculos transtulerunt.* Schœnum fuisse mensuram *Ægyptiorum* (errant qui dicunt
[a] II. 6. Persarum) testatur quoque [a] *Herodotus*: δύναται δὲ ὁ μὲν παρασάγγης τριήκοντα στάδια· ὁ δὲ σχοῖνος ἕκαστος, μέτρον ἐὸν Αἰγύπτιον, ἑξήκοντα στάδια. *Constat autem Parasanga tricenis, Schœnus, qui mensura est Ægyptiaca, sexagenis
[b] Lib. XVII. stadiis.* [b] Strabo de navigatione in Nilo flumine: *Nobis quidem navigantibus alia atque alia schœnorum mensura distantias indicaverunt, ut quibusdam in locis* XL. *stadiorum schœnum, ac plurium etiam faterentur. Esse autem apud Ægyptios variam schœnorum quantitatem ipse Artemidorus de-
[c] Lib. XI. clarat. &c.* [c] Idem alibi: *Parasangam Persicum alii* LX. *stadiorum esse dicunt, alii* XXX. *alii* XL. *Nos cum adverso Nilo subveheremur, alias aliis usi mensuris Schœnos numerabant ab urbe ad urbem: ita ut idem schœnorum numerus alibi longioris, alibi brevioris navigationis spacio conveniret: re ita inde ab initio tradita, & in hunc usque diem observata.*

21. *Psal.* CXXXI. 16. in Latina Vulg. legitur: *Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus saturabo panibus.* Versionis istius Auctor χήραν (*viduam*) quod vox Hebræa non patitur, male legit pro θήραν, quomodo olim habuerunt exemplaria pleraque, & omnia nunc habent. Significat autem θήρα, lingua Ægyptiorum, *far*, *frumentum*, & Hebraico ציר, quod alibi ἐπισιτισμὸς sæpe vertitur, optime respondet. Audiendus quoque hac de re *Hieronymus*, *Quæstionibus Heb. in Gen.* ubi ad verba: *Et dedit illis cibaria in via;* sic commentatur: *Verbum Zeda, quod hic omnes ore consono,* ἐπισιτισμὸν, *id est cibaria vel sitarcia interpretati sunt: in Psalterio quoque habetur. Ubi enim nostri* (Latini) *legunt, Viduam ejus benedicens benedicam: licet in plerisque codicibus pro vidua, hoc est pro* χήραν, *nonnulli legunt* θήραν: *in Hebræo habet* צידה *Zeda, id est, cibaria ejus benedicens benedicam. Porro* θήραν *venationem magis potest sonare quam fruges, tametsi moris sit Ægyptiorum* θήραν *etiam far vocare, quod nunc corrupte atheram nuncupant.* Huc spectant illa Plinii *Historiæ Nat. lib.* XXII. *capite* XXV. quod est de medicinis ex frugibus: *Est* (inquit) *in farre vermiculus teredini similis: quo cavis dentium cera incluso, cadere vitiati dicuntur, etiamsi fricentur. Olyram arincam diximus vocari. Hæc decocta fit medicamentum, quod Ægyptii Atharam* (alii *atheram* legunt) *vocant, infantibus utilissimum: sed & adultos illinunt eo. Farina ex hordeo & cruda & decocta collectiones impetusque discutit, lenit, &
[d] Gen. 25. 28. 27. 4, 5, &c. concoquit.* Non nescio tamen τὸ ציר [d] *venationem* in aliis locis significare, & pro cibariis ex venatione paratis usurpari. Illud insuper lubens confiteor, istiusmodi cibos à Græco *Geneseos* Interprete θήραν nuncupari, nimirum ubi sermo est de cibis quos *Esau* Patri suo condierit.

22. Ab aliquo *Alexandrino* translatum fuisse *Estheræ* librum, colligitur ex initio partis *Apocryphæ*, ubi mentio fit *Ptolemæi* & *Cleopatræ*, Regis & Reginæ, & Epistolæ *Phurim* à Lysimacho translatæ.

23. De Dialecto *Alexandrina*, quod eam usurparint Interpretes Bibliorum Græci, audias velim quæ habet vir doctus *Jo. Croius*, Obser-
[e] Cap. 33. vationibus in [e] N. T. *Græci* (inquit) *librorum sacrorum interpretes, Hebraistæ, Chaldaistæ, & Alexandristæ sunt vocandi. Ubique* ἑβραΐζουσιν, *ubique* χαλδαΐζουσιν, *ubique* ἀλεξανδρίζουσιν· *ubique eorum versio vocibus & phrasibus, Hebraicis, Chaldaicis, & Alexandrinis scatet. Verbum pro verbo reddunt, & voces ac phrases Hebraicas non appendunt, sed numerant. Voces quidem & verba plerumque sunt Græca, sed verborum ac vocum significatio & constructio est vel Hebraica, vel Chaldaica, vel Alexandrina.* Interjectis

aliquibus

aliquibus de vocibus Alexandrinis, subjungit: “*Apud* LXX. *Seniores,*
“*& reliquos Interpretes* (LXX. Seniores vertisse tantum *Pentateuchum*
existimavit) “innumeræ sunt hujusmodi voces. Ἐξηγηταὶ, σοφοὶ, & σο-
“φισταὶ, pro Vatibus & Magis, sunt voces Alexandrinæ. Σισόη, qua voce
“utuntur Levit. XIX. 27. & quam quidam κρώβυλον, cincinnum, vel
“nodum capillorum interpretantur, est vox Alexandrina. Ἐντομίδες,
“qua voce utuntur ibidem, & quæ incisiones significat, est vox Ale-
“xandrina. Ἄθυτον pro re profana, est vox Alexandrina: apud Græ-
“cos enim aliud prorsus significat, ut apud *Æschinem, contra Ctesiphon-*
“*tem*: ἀθύτων καὶ ἀκαλλιερήτων ὄντων τῶν ἱερῶν ἐξέπεμψε τοὺς στρατιώτας ἐπὶ τὸν πρόδη-
“λον κίνδυνον· *Sacris non litatis milites misit in certum periculum.* Et apud
“*Lysiam Orat. de Evandri probatione*: ἀλλὰ ἀνάγκη, ἐὰν αὐτὸν ἀποδοκιμάσητε,
“ἄθυτα τὰ πάτρια ἱερὰ γεγονέναι. *sed necesse est, si ipsam rejiciatis, ut sacra pa-*
“*tria litata non sint.* Apud LXX. tamen Lev. XIX. 7. usurpatur de cibo
“profano, καὶ ἀπόβλητον, *rejiciendo*, ut vertit Aquila: atque ita cibus
“ille dicitur, non ratione sacrificii, quod jam peractum erat, atque
“ideo sacra fuerunt litata; sed ratione usus, quod ea portio victimæ,
“quam Deus Levitis concesserat, si ad diem usque tertium servaretur,
“esset cibus profanus, neque eo vesci liceret. פִּגּוּל Hebraice dicitur,
“quod Græci Prophetarum Interpretes, Es. LXIV. 4. μεμολυσμένον *pollu-*
“*tum*, & Ezech. IV. 14. βέβηλον *profanum.* Tot sunt hujusmodi voces
“apud Græcos Interpretes, & tot hujusmodi loquendi rationes, ut vix
“recenseri & describi possint. Hæc *Croius*. Neque nos dubitamus quin
Alexandrinæ fuerint hæ voces. Attamen cum nulla de illis habeamus Auctorum testimonia, & certe nulla habemus, nullum inde argumentum deduci possit. Neque ausim negare, eas apud alios quoque Græcos, in *Syria* habitantes, usurpatas fuisse. *Hesychius* monet σισόη fuisse vocabulum *Phaselitarum*, quæ civitas Ciliciæ ad mare fuit; unde facile potuit Alexandrinorum civitate donari. Recte *Sopingius* ejus Annotator: *Non mirum est* LXX. *Interpretes usurpasse interdum Alexandrina, vel Cilicum Phaselitarum nomina, ipsos ex Alexandria oriundos.*

Eruditiss. [a] *Simonius*, ut probet Interpretes fuisse *Alexandrinos*, observat vocem *Abrec* Ægyptiam esse. At ubi vocem istam usurpant Interpretes? Vox ea, quod sciam, apud Interpretes nullibi occurrit, sed in ipso Textu Hebræo Gen. XLI. 43. ubi ab Interprete κήρυξ redditur. Et si reperiatur alibi in Versione, cum tamen in ipso Hebræo legitur, nullum inde argumentum deducere liceat.

24. Argumentum aliud exinde desumi potest, quod Rabbinis quibusdam antiquis eo usque execrata fuerit Translatio Græca, ut propter Legem in hanc linguam translatam jejunium solenne institutum fuisse consinxerint; & præterea caliginem per tres dies totum orbem eo tempore oppressisse fabulati fuerint. Quæ certe non fecissent, si modo credidissent ab ipsis Hierosolymitanis Alexandriam missis, & Pontificis summi auspiciis confectam Versionem fuisse. Jejunii istius mentio habetur in Judæorum *Calendariis* ad VIII. *Tebeth*, sive Decembris: *Jejunium propter translationem Legis in Græcum.* In nonnullis tenebrarum quoque triduanarum fit mentio. *Scripta est Lex Græce diebus Ptolemæi Regis. Tenebræ triduo per universum orbem.* Appendix vetus pervetusti libri *Megillat Taanit* inscripti: *Octava* [b] *Tebeth jejunium est, eo quod in ea Lex scripta est Græce in diebus Ptolemæi Regis: tenebræque venerunt super terram* 3. *diebus.* Eisdem verbis alii à doctissimo [c] *Morino* citati, *R. Jacob* auctor *Arba turim in Decretis jejuniorum* num. 580. *R. Amram Gheon* in *Ordine precum*, & *Simeon Kejara* in *Halecoth Gedoloth*. Rabbinorum aliis eo usque displicuit Græce versas fuisse Scripturas, ut factum illud Vitulo aureo Aaronis (piaculo isti gravissimo, quorundam

[a] Disquis. Crit. cap. 15.

[b] *Quinta* habet Cl. *Bernardus* in Append. *Aristeæ* editi Oxonii; ubi hunc locum citat.

[c] Exercit. VIII. cap. 3.

judicio, nunquam expiando) comparaverint. Compilator *Massechet Sopherim* cap. 1. à multis citatus. *Fuit autem dies ille* (quo Græce Lex translata est) *durus Israeli, sicut dies quo factus est Vitulus, eo quod Lex interpretari juxta omnem ipsius necessitatem, sive juxta omnia quæ requisita sunt, non potuit.* Intelligit eam satis exacte & evidenter & bene pro operis dignitate in aliam linguam transferri non potuisse. Male [a] *Lightfootus* noster hunc sensum ejus esse existimat: *quia non translata est satis caute, solerter, & subdole prout debuit Gentilibus verti.* Quo nihil violentius.

[a] Heb. & Talmud. Exerc. in 1 Cor. cap. 14. pag. 810.

Quamvis nullum fuisse *Jejunium* tale institutum, mihi facile persuadeo; illud tamen certissimum est, Rabbinos istos, qui *Jejunium* institutum fuisse finxerunt, & illos, qui fabulam de caligine triduana commenti sunt, cæteros denique omnes qui Versionem damnabant, non omnino credidisse, confectam illam fuisse Pontificis Hierosolymitani jussu & auspiciis, sed ab ipsis *Alexandrinis*.

25. Fuisse denique inter alios Rabbinos veteres traditionem de Versione facta ab ipsis Judæis *Alexandrinis*, certissime liquet. A Judæis *Alexandriæ* degentibus confectam fuisse crediderunt *Gemaristæ*, cum *Babylonii* tum *Hierosolymitani*, ut patet ex hac narratiuncula: *Dixit R. Juda, cum etiam permiserunt Magistri nostri linguam Græcam, non permiserunt nisi pro libro Legis, atque inde ortum est opus Ptolemæi Regis, quod sic traditur. Congregavit 72. seniores, & introduxit eos in 72. domunculos, sed non aperuit eis propter quid eos convocaverat. Ad unumquemque autem seorsim ingressus dixit eis; Scribite mihi Legem Mosis Magistri vestri. Dedit Deus unicuique cordi consilium, conveneruntque omnes in unam sententiam. &c.* Extat hic locus in utroque *Talmude*, Tract. *Megilla*, & apud complures citatus reperitur, [b] *Salmeronem*, [c] *Voisinium*, [d] *Masium*, *Morinum*, *Waltonum*, alios, nemine tamen (quod sciam) hoc idem observante, pro quo jam à nobis adscribitur. Notamus antem hæc verba: *Congregavit 72. seniores, & introduxit eos in 72. domunculos, sed non aperuit eis propter quid eos convocaverat*: quæ de senioribus Alexandriæ degentibus, manifestissime dicta sunt. Neque dici potest, hoc confictum fuisse à *Talmudistis* Versionis Græcæ odio, cum de ea tam honorifice loquuntur, & Divini Numinis afflatu confectam perhibent. His accedit *Armius* Chronologus, citatus in Præfatione Commentarii in Pentateuchum Arabici, qui literis Syriacis scriptus Bibliotheca *Bodleiana* asservatur. Verba Latine hæc sunt: Sic dicit *Armius Chronologus; anno undevigesimo regni Ptolemæi filii Ptolemæi Regis, mandavit, ut* convocarent *Seniores Filiorum Israelis, & ut illi secum librum Legis* in manibus *afferrent, & ut singuli eorum separatim eam transferrent, juxta quod intellectui suo dictaretur. Et Seniores* venerunt, *seque una cum divinissimo libro (coram Rege) stiterunt. &c.*

[b] Prolegom. Bibl. §. 6. p. 62.
[c] Not. in Pugionem Fidei pag. 115.
[d] Præfat. in Josuam.

26. Argumentis his adjicere licet, non videri verisimile, Judæos illos recentiores, qui libros sacros Græce transtulerunt, quales fuernnt *Aquila &c.* Interpretationem novam fuisse aggressuros, si credidissent priorem istam fuisse confectam ipsius *Pontificis Max.* Magnæque Synagogæ, auspiciis, & à Viris LXXII. à Pontifice electis.

27. Aperte satis liquet (ni fallor) ex præmissis, ab ipsis Alexandrinis, non ab Hierosolymitanis Alexandriam accersitis elaboratam fuisse Interpretationem. Nec difficile est causam assignare, qnare fingerent Hellenistæ Hierosolymis accersitos fuisse & Interpretes & Legis Volumen. Hanc nempe fabulam ideo commenti sunt, partim ut inde occasionem arriperent, novam apud Gentiles majoremque nomini suo gloriam afferendi, ea nimirum affingendo, quæ leguntur apud *Pseudo-Aristeam*, de Judæis captivis libertate donatis, muneribusque magnifi-

cis

cis à Rege Hierosolyma missis, ut Legem & qui eam interpretarentur impetraret; partim vero, ut apud Judæos *Hebraizantes* Versioni Græcæ auctoritas conciliari posset, si quod forte dubium inter illos exoriretur aut de Interpretum peritia, aut de exemplaris, quo usi sint, puritate.

28. Antequam manum tollamus, non intempestivum, puto, nec Lectori injucundum, fuerit hoc loco subjicere quæ referunt *Samaritæ* de legatione à Rege *Ptolemæo* missa cum ad ipsos tum ad Judæos, ut ab utrisque Interpretes in Ægyptum mitterentur, & de duabus Græcis Versionibus tunc factis, una per *Judæos*, altera per *Samaritas*. *Abulphetachum* audi sis in *Chronico Samaritano* inedito: *Anno M.* 4150. *annoque* 10. *Ptolemæi Philadelphi egregii literatorum fautoris, accitis Alexandriam Aarone & lectissimis Samaritarum, necnon Doctoribus Judæorum sub Eleazaro suo, ut Legem Mosaicam in Græcorum dialectum transferrent ex Hebraico, cum de monte locoque electo Templi, &* (*in Deut.* 32. 35.) *de die retributionis, aliisque in versibus Versiones istæ variarent, Rex approbavit magis Samaritarum Interpretationem, eosque splendidis muneribus donavit; imo vero Judæos ille monte benedicto Garizim Rescripto omnino arcuit. Referunt autem triduanas tenebras passum fuisse mundum, cum Judæi in Græcum Mosis libros verterent.* Sic alia quæ referunt Judæi de seipsis splendida, sibiipsis arrogare solent Samaritæ; qualia sunt ea quæ habes apud [a] *Josephum*, de Alexandro M. Hierosolyma veniente: quæ eadem narrant Samaritæ de urbe sua *Neapoli*, sive *Sichem*. Rursus audi *Abulphetachum*: *Anno Mundi* 4094. *Alexandro M. cum per Neapolin Samariæ in Ægyptum contenderet, in genua decumbenti benedixit Hezekia Pontificatus sui anno* 15. *qualem hominem habitu Sacerdotali nuper viderat Alexander de bello Persico prospera ei omnia pollicentem. Hunc ergo Antistitem & gentem Samaritarum donis magnis cumulavit Alexander, item hoc elogio: Jam certe novi Deum Vestrum Diis cunctis esse majorem.*

[a] Antiq. XI. cap. ult.

29. Non desunt, qui tradiderunt à Doctoribus *Tiberiensibus* missos fuisse ad Regem LXX. Interpretes; decepti nimirum fama Scholæ *Tiberiensis*, quæ post excidium Hierosolymorum inclaruit. Auctor Præfationis [b] Pentateuchi Arabici in Thesauro Bodleiano: *Erat autem prima Interpretatio* (Operis Origeniani) *Versio LXXII. Sapientum Hebræorum Tiberiensium, qui accersiti sunt à Ptolemæo Rege Ægypti, ut libros istos ex Hebraico in Græcum transferrent, ex Exemplari scil. isto literis aureis exarato, quod eo tempore miserunt Hebræorum doctores ad Regem istum.* Hujus Codicis meminit [c] *Jo. Hen. Hottingerus*, qui ex eo hæc citat, LXXII. *Interpretes à Ptolemæo Tiberiadem* (non *Tiberiade*) *fuisse vocatos.*

[b] Cujus partem edidit Latino doctiss. *Ed. Bernardus* ad finem Aristeæ edit. Oxon.

[c] Thes. Philolog. p. 342.

CAP. V.

Falsum esse quod vulgo creditur de Interpretum LXXII. *numero. Eos non fuisse Magistros Synedrii magni.* §. 3. *Neque constitisse Synedrium illud ex* LXXII. *sed tantum ex* LXX. *vel* LXXI. 4. *Errores varii de Interpretibus.* 5. *Judæorum veterum affectatio numerorum* LXX. *&* LXXII. *Inde ortum fuisse figmentum de Interpretum numero.* 6. *Rabbinorum veterum traditio de Interpretibus tantum* quinque *aut* tribus. 8. Zosimi *Chymici testimonium de Interprete unico.* 9. *Solennis celebratio memoriæ Versionis apud Judæos Alexandrinos, quam commemorat* Philo, *unde orta.* 10.

INTERPRETES fuisse numero LXXII. senos ex singulis tribubus, inter omnes fere antiquos, post *Pseudo-Aristeam*, convenit: solent tamen rotundi numeri causa, ut brevius ac expeditius loquamur, dici LXX. & ipsa Translatio tam hodie quam à veteribus *Septuaginta*

ginta appellari consuevit. *Quorum interpretatio ut Septuaginta vocetur jam obtinuit consuetudo: ait* [a] *B. Augustinus.* Ita judices illi Romani, observante *Lud. Vive*, qui ad hastam de rebus minoribus judicabant, *Centumviri* appellantur, quum essent centum & quinque, ex singulis tribubus terni. Sic quoque in Literis Sacris, *Gideonis* filii ex ipsius uxoribus geniti vocantur [b] LXX. quum essent [c] LXXI. Hoc cum non animadverterent nonnulli, crediderunt illos, qui Interpretes memorant LXXII. & illos, qui commemorant LXX. revera inter se discrepare atque dissentire. In his est *Gobelinus Persona*: [d] *Elegit* (inquit ille) *Eleazarus 70. vel secundum alios, 72. viros.* Hinc Arabes nonnulli finxerunt duos ex illis in itinere mortuos fuisse. Chronicon Orientale: *Ptolemæus adduxit ex Senioribus Israel 72. senes, è quibus duo mortui sunt in itinere, remanseruntque septuaginta qui interpretati sunt libros Legis & Prophetarum.* Georgius Homædides: *Rex abs Hierosolymis* LXXII. *seniores & sapientia insignes viros accersivit. Duo autem istius collegii itinere periere; reliqui vero Legem & Prophetas in Græcum transferebant ex Hebræo &c.* Inter varia illa, quibus ornari solent, elogia, nominantur LXX. *Prudentes* ab ipso *Chalcidio*, scriptore *gentili*, *Commentario* [e] *in Timæum Platonis*, ubi citat eorum Interpretationem, ut & *Aquilæ* & *Symmachi*.

a De civit. XVIII. 42.
b Jud. VIII. 30.
c Ibid. IX. 5. 56.
d Cosmodromio æt. 5. c. 13.
e Pag. 372.

2. Contendit contra S. Hieronymum *D. Augustinus* Interpretum LXX. translationem, cæterorum omnium versionibus, & ipsi *Hieronymianæ*, præferendam esse, hoc ipso nomine, quia tot fuerunt Interpretes: *Ecclesia* (inquit) [f] *Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem judicant præferendum: quia etsi non in eis unus apparuisset spiritus sine dubitatione divinus: sed inter se verba interpretationis suæ* LXX. *docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus, hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi.* Sic monet [g] B. *Chrysostomus* Interpretes LXX. cum ob alias rationes, tum *ob multitudinem fide cæteris esse digniores.* καὶ διὰ τὸν χρόνον, καὶ διὰ τὸ πλῆθος, καὶ διὰ τὴν συμφωνίαν, μᾶλλον ἂν εἶεν πιστεύεσθαι δίκαιοι. Idem argumentum urget pro eorum auctoritate [h] *Theodorus Antiochenus.* Et [i] *Photius* Patriarcha hoc profert in laudem illorum Versionis, quod eam συνεληλυθότες *simul convenientes* confecerint. Hæc solide. Neque video sane ego, qua fronte, quove judicio, eorum Interpretationi possit alia quævis præferri, si modo verum sit eos fuisse tot numero, & (ut docet *Pseudo-Aristeas*) conjunctis studiis & consiliis singula expendisse ac transtulisse. Et cum ita res sit, operæ pretium erit inquirere, utrum verisimile sit tot revera fuisse Interpretes.

f De Civit. XVIII. 43.
g Homil. 5. in Matth. ad v. 23.
h Com. ad c. 1. Sophoniæ.
i Biblioth. Cod. 277. p. 396.

Quærenti unde factum fuerit, quod Interpretum numerus iste institueretur, id tibi præclare expediet *Pseudo-Aristeas.* Tradit ille, Regi Ptolemæo suggestum fuisse ab ipso *Demetrio Phalereo*, ut viri LXXII. idque seni ex Tribubus singulis, qui Legem Græce converterent, Hierosolymis accerserentur. In Epistola ad Regem affinguntur *Demetrio* hæc verba: *Si visum fuerit tibi, Rex, scribetur ad principem Sacerdotem Hierosolymis, ut mittat ad te ex quaque tribu sex viros maxime honestate vitæ, senio, & prudentia legum suarum præstantes: ut ita ex pluribus per diligentem examinationem nacti consentientem & accuratam Interpretationem, hos libros præclare, ut & rei ipsius & tuæ voluntatis dignitas postulat, recondamus.* Ridiculum Hellenistæ commentum! Si *multos* voluisset *Demetrius*, ut eo perfectior, numerisque suis absolutior, fieret Translatio, quare non suffecerunt *viginti*, aut aliquis alius numerus? unde potuit ei in mentem venire, ut accerserentur LXXII. Qui numerus quidem à Judæis (id quod infra ostendemus) affectatus est, non vero à *Græcis*? Non nescius sum, numerum istum apud *Ægyptios* quoque in honore aliquo fuisse, scribente *Horo Apolline*, eos docuisse, [k] *terrarum orbem*

k Hieroglyph. I. 14.

orbem in LXXII. *regiones fuisse divisam*: ἑβδομήκοντα δύο χώρας τὰς ἀρχαίας φασὶ τὴν οἰκουμένης εἶναι. Hinc in *Claudii Ptolemæi*, qui Ægyptius fuit, *Tetrabiblo*, *lib.* 2. *cap.* 3. recensentur regiones LXXII. quæ sub diversis signis cœlestibus reguntur. Invenies ibi tot esse, si eas numeraveris; & in Codice quodam, quem vidi, MS^to^ subjicitur; γίνονται δὲ πᾶσαι αἱ ἄνωθεν χῶραι οβ´. Apud eos etiam celebrati fuerunt Dii quidam, seu Genii, LXXII. regionum totidem præstites. Tradit enim [a] *Jamblichus* ex illorum doctrina, regionum orbis singularum præfecturam Numini cuidam peculiari demandatam fuisse. At quis suspicabitur hac causa inductum fuisse *Demetrium Phalereum*, hominem *Græcum*, ut Regi ad Legem Judæorum vertendam tot homines accersendi auctor esset? Sapientior fuit in hac parte, licet alias inelegantior, recentior iste *Pseudo-Aristeas*, quem legit B. [b] *Epiphanius*: qui tradit Interpretum numerum, non à Rege Ptolemæo aut *Demetrio Phalereo*, sed ab ipsis Hierosolymitanis definitum fuisse; nimirum ut numerus eorum responderet numero Seniorum *Synedrii magni*, sive magnæ Synagogæ, quæ *Sanhedrin*, id est συνέδριον. vulgo appellatur. Apud istum *Pseudo-Aristeam*, in Epistola Regis ad Hierosolymorum Magistros, nihil habetur de Interpretum numero; rogantur tantum ut Interpretes Alexandriam mittere dignarentur. Ἀλλὰ καταξιώσατε ἑρμηνευτὰς ἡμῖν ἀποστεῖλαι σὺν ἀκριβῶς ἐκπεπαιδευμένους τήν τε τῶν Ἑβραίων καὶ τῶν Ἑλλήνων γλῶτταν. *Quocirca etiam atque etiam rogo, ut ad nos Interpretes mittere velitis, Hebraicæ Græcæque linguæ peritissimos.* Quibus hæc subjunguntur: τότε σὺν ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνευτὰς ἐκλεξάμενοι οἱ τῶν Ἑβραίων διδάσκαλοι ἀποστέλλουσι, κατὰ τὸν τύπον, ὃν ποτε ἐποίησε Μωϋσῆς, ἡνίκα ἀνῆλθεν εἰς τὸ ὄρος διὰ προστάγματος Κυρίου, ἀκούσας, ὅτι παράλαβε μετὰ σεαυτοῦ ἄνδρας ἑβδομήκοντα, καὶ ἀνάβηθι εἰς τὸ ὄρος. αὐτὸς δὲ διὰ τὴν πρὸς τὰς φυλὰς εἰρήνην, ἵνα μὴ ἐξ ἐνίων λάβῃ πέντε ἄνδρας, ἐξ ἄλλων ἕξ, καὶ ποιήσῃ στάσιν ἐν ταῖς φυλαῖς, διενοήθη μᾶλλον ἑβδομήκοντα δύο παραλαβεῖν, καὶ τῷ ἀριθμῷ προσθεῖναι. τῷ αὐτῷ δὲ τρόπῳ, ὡς ἔφην, καὶ τούτους ἀπέστειλαν, οἵ τινες ἡρμήνευσαν τὰς βίβλους ἐν τῇ Φαρίᾳ καλουμένῃ νήσῳ. *Post hæc Hebræorum Magistri, delectu habito*, LXXII. *Interpretes allegant, Moysis exemplum secuti, qui cum de mandato dei conscendisset in montem atque ita loquentem audisset*: Adhibe tecum LXX. viros & ascende in montem; [c] *ut pacem & concordiam inter Tribus retineret; ne si ex una quinque, ex alia sex caperet, turbas in Tribus ac dissensiones jaceret*, LXXII. *adhibere maluit, & ad numerum adjicere. Eodem itaque modo* LXXII. *tum illi miserunt, qui in Pharo insula sacros Codices explicarunt.* Institutum fuisse Interpretum numerum ad formam Synedrii magni, placuit quoque [d] *Euthymio*, his verbis: μεθερμηνεύσις πρώτη ἡ τῶν ἑβδομήκοντα, οἵ τινες Ἑβραῖοι ὄντες ἐξελέγησαν κατὰ ἀριθμὸν τῶν ὑπὸ Μωϋσέως ἐκλεχθέντων ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρων, κατὰ παράκλησιν τοῦ δηλωθέντος βασιλέως. *Translatio prima fuit* LXX. *virorum, qui Hebræi fuerunt & electi, juxta numerum* LXX. *Seniorum quos elegit Moses, Ptolemæi Regis hortatu.*

3. Constitutum fuisse eorum numerum ad imitationem Synedrii magni, non credidit *B. Hilarius*, sed illos fuisse ipsius Synedrii magni Magistros statuit & affirmat: [e] *Septuaginta* (inquit) *Seniores, secundum Moysi traditionem ad custodiendam Legis doctrinam in Synagoga manentes posteaquam illis à Rege Ptolemæo transferenda ex Hebræo in Græcum sermonem totius Legis cura mandata est: spirituali & cœlesti scientia virtutem Psalmorum intelligentes, in numerum eos atque ordinem redegerunt.* Idem rursus: [f] *Poscente Rege Ptolemæo*, LXX. *Seniores libros Veteris Testam. ex Hebræis literis in Græcas transtulerunt. Erat autem jam à Mose antea institutum in Synagoga omni* LXX. *esse Doctores. Nam idem Moses quamvis veteris Test. verba in literis condidisset: tamen separatim quædam ex occultis Legis secretiora mysteria* LXX. *Senioribus, qui doctores deinceps manerent,*

a De myst. §. 5. cap. 25.

b De Mens. & Pond. cap. XI.

c Exod. xxiv. 1. Num. xi.

d Procemio in Psalmos.

e Prologo in Psalmos.

f Com. in Psal. 2.

nerent, intimaverat. Doctrina ergo horum in posterum, quæ ab ipso scriptore Legis accepta, in hoc Seniorum & numero & officio conservata est. Hi itaque Seniores libros hos transferentes, & spiritualem secundum Mosi traditionem occultarum cognitionum scientiam adepti, ambigue lingua Hebraica dicta & varia quædam ex se nunciantia, secundum virtutes rerum certis & propriis verborum significationibus transtulerunt, doctrinæ scientia multimodam illam sermonum intelligentiam temperantes. Et ex eo fit ut qui postea transtulerunt, diversis modis interpretantes magnum Gentibus attulerint errorem: dum occultæ illius à Mose profectæ traditionis ignari, ea quæ ambigue lingua Hebraica commemorata sunt, incertis ipsi judiciis ediderunt. Sic Auctor

a Lib. 1. c. 9. apud tom. 3. Operum S. Augustini.

Operis [a] *De mirabilibus S. Scripturæ: In Discipulorum* LXXII. *præfiguratione etiam ipse spiritus Moysi in* LXX. *Seniores distribuitur: & aliis duobus qui in castris resederant, Heldad viz. & Medad, ejus spiritus prophetiæ donum condonatur. Quorum quasi hæreditarii successores, ad Ptolemæum Philadelphum Alexandriæ Regem, à Pontificibus, Eleazaro scil. & cæteris, qui eodem tempore Judæorum populo præerant,* LXX. *Sapientes, qui ex Israel stirpe descenderant, missi sunt, & scripturas antiquæ Legis in Græcum eloquium transtulerunt.*

b Enarrat. S. Lucæ c. 3.

[b] D. Anselmus, de *Cainan*, cujus meminerunt Interpretes Græci & S. Lucas, sermonem habens: *Nemo autem fidelium putet hoc in loco* LXX. *translatores errasse, sed credat indubitanter, eos quod verum esse noverant posuisse, & quod Moses minus dixerat supplesse. Neque enim Spiritus Sanctus hoc in Evangelio posuisset, nisi verum omnino esset. Nam ipsi* LXX. *Seniores à tempore Moysi magisterium in Synagoga tenebant, & de spiritu Moysi acceperant, ac Legem ex ipsius Moysi traditione didicerant: ideoque si quid ibi prætermissum esset, & suppleri posset, vel aliter interpretari noverant. Moyses vero propter aliquam causam, quæ Deo nota est, transiliit generationem Cainan.* In eadem sententia se fuisse docet *Armius* Chronologus Arabicus, cum Interpretes appellet LXX. *Seniores filiorum Israelis.* Eidem favent inter recentiores, [c] *Andradius*, [d] *Rugerius*, [e] *Middendorpius*, [f] *Gretserus*, [g] *Baronius*, [h] *Bzovius*, & è Reformatis [i] *Franciscus Junius*. Male à *Middendorpio* pro eadem citatur *Eusebius*. Hos omnes longe à veritate aberrare, etsi concederetur Interpretes fuisse revera *Hierosolymitanos*, satis esset ex reipsa conspicuum. Quid enim absurdius, quam credere, in Ægyptum missum fuisse maximum illud & pernecessarium Judaicæ gentis Concilium? Quam absurdum, metropolim gentemque totam Senatu suo maximo orbatam fuisse! Potuerunt illi, qui *Aristeam* pro scriptore genuino agnoverunt (quod omnes præter *Junium* fecerunt) ex eo edoceri, si non id quod verius est, id tamen quod minus absurdum. Certe illum nihil istiusmodi, inter cætera sua figmenta, somniasse, apparet ex his verbis, quæ affingit Eleazaro Pontifici in Epistola ad Regem: παρόντων δὲ πάντων, ἐπιλεξάμεθα ἄνδρας καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς πρεσβυτέρους ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ, οὓς καὶ ἀπεστείλαμεν ἔχοντας τὸν νόμον. *Atque in præsentia omnium,* ELEGIMUS *honestos & bonos viros seniores, sex ex singulis tribubus, quos una cum Lege misimus ad te.* Rursus: Ἐπιλέξας γὰρ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας &c. *ELEGIT ergo Eleazarus optimos & eruditione præstantes viros. &c. Aristeam*, & etiam *Origenem*, voluisse, Interpretes eosdem fuisse cum Doctoribus Synedrii magni, inde conficit *Baronius*, quod eos appellitent *Seniores*. Male omninò, & nulla argumenti specie. Sic enim appellari potuerunt ætatis ratione, non dignitatis, neque solos magistros Synedrii magni ratione dignitatis *Seniores* nominabant Judæi, sed & alios multos inferiorum ordinum Magistratus & Doctores.

c Defens. Concilii Trident. l. 4. fol. 252.
d De libris Canon. c. 38.
e Prolegom. in Aristeam c. 7.
f Defens. Bellarmini l. 2. c. 6.
g Annal. ad an. 231. to. 2. p. 384.
h Hist. Eccles. ad an. 231.
i Not. in Tertulliani Apolog. c. 18. & Animadvers. in Bellarm. Controv. 1. l. 2. c. 6.

4. Porro errare videntur, qui putant Interpretum LXXII. & Doctorum Synedrii magni eundem fuisse numerum. Constabat Synedrium magnum ex Magistris tantum 70. vel ad summum 71. Neque

illud flocci pendendum, quod habet in loco superius producto *Pseudo-Aristeas Epiphanianus*, de eo quod Moses non viros tantum 70. sicut ei præceperat Deus, sed 72. sibi adsciverit, ne Tribus aliquas offenderet. Contra illud Dei mandatum quî, quæso, ausus fuisset Moses peccare? Audiamus de numero Synagogæ suæ magnæ Rabbinos veteres. "*Synedrium magnum* (inqniunt Doctores *Misnici* in [a] *Sanhedrin*) LXXI. "*judices habuit*: *minus* XXIII. *Unde constat* LXXI. *fuisse istius Synedrii* "*judices*? *Ex eo quod dicitur*: [b] Congrega mihi LXX. viros ex senioribus Israelis. *His Moses junctus erat. En tibi* LXXI. *Attamen R. Jehuda ait*: LXX. (tantum) *fuisse*. Gemaristæ in [c] Sanhedrin: "*Dixit* Abhai ad R. Joseph: Presbyterum per tres creari undenam discimus? dici potest ex eo, Q. S. E. Et imposuit illi manus suas. *Quandoquidem Moses unus fuit, si hoc spectatur, unus sufficiet. At dices eum vice* "LXXI. *esse*: *si id attenditur*, LXXI. *requirentur. Hoc difficultatem habet.* Rursus [d] ibidem: *T. M. Et relicti sunt duo viri in castris.* Sunt qui censeant, in urna relicta (ipsorum nomina.) Nam quum Mosi ita à Deo "edictum esset; *Congrega mihi* LXX. *viros è senioribus Israelis*: cogitavit quomodo esset id effecturus. Nam, inquit, si senos ex quaque tribu legam, supererunt duo. Si V. deerunt X. Si ex illa tribu quinos "& ex alia senos, invidiam inter eas conciliabo. Quid egit? Legit senos ex singulis, dein 72. pittacia, quorum 70. inscripta voce SENIOR, duo pura erant, confusim in urnam indidit, & singulos singula "educere jussit. Cui quum obvenisset SENIOR, dixit: *Jampridem te sanctificabit Deus.* Cui pura tabella; *Deus non expetit te. Quid faciam tibi*? Constitisse Synedrium magnum, post Mosis tempora, ex Senioribus 71. nempe ex 70. præter Præfectum, qui dicebatur *Caput Scholæ* sive *Academiæ*, testantur quoque *Rambam*, sive *Maimonides*, & *R. Bechai*, citati à [e] *Buxtorffio*. Maimonidæ dicitur *Domus Judicii magni virorum* LXXI. Mihi magis probabile videtur constitisse illud tantum ex LXX. cum hoc asseruerit *R. Jehuda* vetustissimus Magister, ut discimus ex *Misna*. Sic Christus Dominus noster, in Synedrii magni imitationem, LXX. Discipulos designavit & peregre emisit. Et in imitationem ejusdem Concilii *Josephus*, cum Galilææ præfectus esset, viros sibi LXX. assumpsit, qui res istius provinciæ una cum ipso administrarent. In *Vita* sua [f] ait, eos fuisse ὅσον ἑβδομήκοντα *circiter* LXX. sed in libris [g] *Belli*, eos vocat præcise LXX. *Josephus* (inquit) τῶν μὲν γηραιῶν ἑβδομήκοντα τοὺς σωφρονεστάτους ἐπιλέξας ἐκ τοῦ ἔθνους κατέστησεν ἄρχοντας ὅλης Γαλιλαίας. LXX. *de senioribus ejus gentis prudentissimos elegit, eosque rectores totius Galilææ constituit.* Apud [h] eundem scriptum legimus; cum Hierosolymis *Zelotæ* Zachariam quendam nobilem & innocentem virum sub specie judicii damnare voluerunt, convocasse illos ex plebe *viros* LXX. & judices eos Zachariæ constituisse: quod non dubitaverim quin fecerint in imitationem Synedrii magni. Denique non videtur verisimile substitutum fuisse aliquem, super τοὺς LXX. in locum *Mosis*. Nam *Mosis* locum supplevisse videtur supremus gentis gubernator, sive *Judex* is fuerit, sive *Rex*, sive *Pontifex*. Fuerit itaque ille, quem *Caput Scholæ* vocabant, tantum primus τῶν LXX. Et eorum secundus fuit ille qui Synedrii *Pater* vocabatur. Ut breviter dicam: si in locum *Mosis* substitutus fuerit ille, qui Synedrii *Caput* seu *Princeps* appellatus est, eo connumerato constabat Synedrium ex LXXI. & primus τῶν LXX. fuit is qui dictus est Synedrii *Pater*. Sin in *Mosis* locum non alius successerit quam gentis supremus gubernator, constabat Synedrium tantum ex LXX. Fuisse eos numero LXXII. statuit, inter veteres Christianos, Auctor [i] *Recognitionum S. Clementis*, qui addit, Dominum Christum in imitationem Mosis eundem sibi discipulorum numerum elegisse. *Nos ergo*

[a] Cap. 1. § 6. Ed. Cocceii.

[b] Num. II. 16.

[c] Cap. 1. §. 14.

[d] §. 17. Num. II. 26.

[e] De Abbrev. Hebræorum voce אבר

[f] Pag. 1004.

[g] Lib. 2. c. κ'.

[h] Belli IV. ιθ'. sive v. 1.

[i] Lib. 1. c. 40.

ergo primos elegit duodecim sibi credentes, quos Apostolos nominavit. Postmodum alios LXXII. *probatissimos discipulos, ut vel hoc modo recognita imagine Moysis, crederet multitudo, quia hic est quem prædixit Moyses venturum Prophetam.* E contra Auctor libri *De mirabilibus Scripturæ*, Magistros Synedrii fuisse tantum LXX. credidit, ut patet ex loco superius citato. Discipuli Domini nostri, qui sine controversia constituti sunt ad imitationem *Synedrii*, dicuntur quidem LXXII. in aliquibus S. Scripturarum [a] codicibus, ut in Versionibus *Latina* & *Persica*, item in Græcis nonnullis exemplaribus, accedentibus etiam, præter Scriptores modo citatos, *Origene Homil.* xxvii. *in Num.* [b] *Epiphanio*, [c] *Isidoro Hispalensi*, aliis. Sed puto τὸ LXX. veriorem lectionem esse, quam exhibent exemplaria complura, & confirmant *Cyrillus*, *Geometra*, [d] *Eusebius*, & [e] *Theophanes*, necnon [f] *Tertullianus*, [g] *B. Hieronymus*, [h] *Gregorius Nyssenus*, *Theophylactus*, & ipse *Origenes Homil.* vii. *in Exod.* Non desunt inter [i] veteres, qui crediderunt electos fuisse à Domino nostro Discipulos sive LXX. sive LXXII. quia tot fuerunt in orbe terrarum regiones, ut per eos in omnes gentes Evangelium disseminaretur. Mera somnia!

a Lucæ X. 1.
b Adversf. Hær. 20. 4.
c Allegoriis in S. Script.
d In Catena, & Demonstr. Ev. III. 2.
e In Catena.
f Adversus Marcionem IV. 24.
g Epist. ad Fabiolam de 42. Mansionibus, mansf. 6.
h De Vita Mosis p. 213.

5. *Josephus Gorionides* Interpretes omnes LXXII. *Sacerdotes* fuisse autumavit & literis tradidit.

Idem scribit præcipuum inter illos fuisse *Eleazarum* illum qui martyrium postea sub *Antiocho Epiphane* passus est. *Tunc misit* (inquit) *Pontifex ad Regem* LXX. Sacerdotes, *inter quos præcipuus erat* [2] *Eleazarus, vir gravis, qui postea Antiochi temporibus probatus est & interfectus pro Domino Deo suo. Cumque venisset Eleazarus cum* LXX. Sacerdotibus *& Interpretibus in Ægyptum. &c.* Eundem *Eleazarum* designat Auctor *libri* II. *Machabæorum juxta Arabes*, qui habetur in *Bibliis Polyglottis Waltonianis*, his verbis: *Perveniente itaque Epistola Regis ad Sacerdotem, selegit* LXX. *peritos viros, eosque misit cum viro qui dicebatur Eleazarus, præstans religione, scientia atque disciplina, qui profectus est in Ægyptum. &c.* Quæ desumpta sunt ex *Gorionida*. Auctor Chronici Orientalis: *Ex horum Interpretum numero extitit Eleazarus, quem occidit Antiochus, quia noluit adorare idolum ejus.* Elmacinus in Chron. *Fuitque è numero* LXX. *Seniorum Eleazarus, quem occidit Antiochus Rex, propterea quod adorare nollet idolum ejus.* [i] Hottingerus addit, auctorem libri *Juchasin* idem alicubi referre.

i Thes. Philolog.

In Interpretum LXXII. numero reponitur ab *Anatolio*, Episcopo Laodiceno, *Aristobulus* ille, cujus nomine olim extiterunt Commentarii in libros Mosis. Sed illum alibi ostendimus diu post ætatem *Ptol. Philadelphi* vixisse. Eundem autem errorem errat *Gesnerus* in *Bibliotheca*.

Alii placet, eorum unum fuisse *Symeonem Justum*, cujus in Evangeliis mentio, quod Christum ulnis exceperit. Quem constat in vivis extitisse post initium regni *Philadelphi* annis plusquam 280. *Cedrenus* pro hac opinione citat *B. Jo. Chrysostomum*, qui putavit (ut alibi monuimus) confectam fuisse Translationem *circa annos* 100. ante Christi nativitatem. Verba *Cedreni* sunt: οὗτος ὁ θεοδόχος Συμεὼν, Ἰουδαῖος ὤν, εἷς ὑπῆρχε τῶν ό. τῶν καὶ Ἑβραϊκῶς συντεθειμένην τὴν παλαιὰν θείαν γραφὴν εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν μεταβαλόντων ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου βασιλέως Αἰγύπτου, πρὸ χρόνων τῆς Χριστοῦ παρουσίας, ὡς ὁ θεῖος Χρυσόστομος ἐν τῇ Ἑξαημέρῳ λέγει. *Is Dei receptor Symeon Judæus, unus erat de* LXX. *Interpretibus, qui Ptol. Philadelpho Ægypti regi Hebraicum vetus testamentum in Græcum transtulerant*

1 *Eusebius* & *Theophanes* Catena in Lucam, & Auctor Operis de mirabilibus S. Scrip. loco cit.

2 Eleazarus iste passus est cum annorum esset 90. Antiochi Epiphanis anno 7. i. e. annis ab initio Ptol. Philadelphi 116. Meminit Pseudo-Aristeas Eleazari Interpretis, quem dicit fuisse omnium natu maximum, & primum.

rant sermonem, ante Christi adventum: *sicut D. Chrysostomus in suo de sex diebus opere tradit.* Accedunt recentiores Græci alii. *Georgius* sive *Gregorius Pardus*, Archiepiscopus Corinthi, in Expositione *Troparii secundi Odæ quartæ Canonis Cosmæ Monachi in Occursum Domini*, nondum edita: Ὁ θεολόγος οὗτος καὶ ἅγιος Συμεὼν Ἰουδαῖος ὤν, εἷς ὑπῆρχε τῶν ἑβδομήκοντα τῶν Ἰουδαικῶς συντεθημένην τὴν παλαιὰν θείαν γραφὴν εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν μεταβαλόντων, ὡς ἐκ τοῦ Ἑξαημέρου τοῦ θείου καὶ ἱεροῦ Χρυσοστόμου γίνεσθαι τοῦτο διδασκόμεθα ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως. Nec diversa sunt quæ narrat *Damascenus Thessalonicensis* Concione 4. inedita; citante *Leone* [a] *Allatio*. Ex *Cedreno* sua *Pardus* descripsit, sed videtur existimasse, citari ab illo *Chrysostomum* de eo quod sub rege *Ptolemæo* confecta fuerit Translatio, non de eo quod S. *Symeon* unus esset ex Interpretibus. Reperitur fabella eadem apud *Matthæum Cigalam*, ubi legimus *Symeonem*, inter convivandum Interpretibus reliquis retulisse, se dum illud Prophetæ Esaiæ, de Virgine filium paritura, Græce interpretaretur, dubitasse primum utrum fieri id potuisset, postea vero credidisse. Insequenti nocte postquam hæc narrasset, dum Deum oraret ut magnum illud mysterium sibi revelaret, oraculum ei editum fuisse, ipsum non moriturum donec Deum natum, juxta Prophetæ verbum, videret. Germana sunt quæ habet *Eutychius*, sive *Saidus Batricides*, Patriarcha Alexandrinus, in *Annalibus* Arabicis: *Erat è* LXX. *istorum numero, vir quidam nomine Simeon Justus, qui Dominum nostrum Christum è Templo suscepit. Hic dum Legem & libros Prophetarum è lingua Hebraica in Græcum transferret, quotiescunque comma aliquod in quo prophetia esset de Domino Christo interpretaretur, ille corde suo non assentiens dixerat, Hoc fieri non potest: Deus ergo vitæ terminum ipsi auxit ut ad annos* 350. *viveret.* Accedunt *Batricidæ* Auctor *Chronici Orientalis*, *Elmacinus*, & *Georgius Homædides*.

a De Symeonum Scriptis pag. 3.

Inter eosdem numeratur ab *Isidoro Hispalensi Jesus Ben Syrach* senior, Auctor *Ecclesiastici*. *Isidoro* adstipulantur *Galatinus*, *Genebrardus*, alii. Et idem asseruisse perhibentur *Rabbini*.

Reperiuntur etiam inter *Rabbinos*, qui tradunt *Danielem Prophetam* ex eorum numero fuisse, si credamus *Petro Carbonario Metropagitæ* qui librum de *Veritate Hebraica* conscripsit.

Non desunt qui asseruerunt *Philonem* illum, cui tribuitur liber *Sapientia Salomonis* inscriptus, ex illis unum fuisse. Hoc se existimare profitetur in [b] *Chronico* suo *Genebrardus*, qui illum appellat *Philonem seniorem*. Quis fuerit iste *Philo* Judæus *senior*, *Genebrardus* viderit. *Philo* ille qui *Historiam Judaicam* contexuit, & *Philo senior* à *Josepho* nominatur, non fuit *Judæus*, sed *Gentilis*. Et veteres illi, qui *Philoni* tribuerunt librum *Sapientiæ*, non alium intellexerunt quam *Philonem* illum percelebrem, qui vixit post Christum natum, & cujus extant Opera. [c] Hieronymus: *Liber Sapientiæ Salomonis apud Hebræos nusquam est*, *quin & ipse Stylus Græcam eloquentiam redolet*, *& nonnulli Scriptorum veterum hanc esse Judæi Philonis affirmant.* Philonem seniorem, qui de Judæorum regibus scripsit, *Græce vertisse* librum qui inscribitur *Sapientia Salomonis*, perperam existimat [d] *Is. Vossius*.

b Pag. 284.

c Præf. in Prov.

d De LXX. Int. cap. 27.

Credidit idem [e] *Ezechielum Tragicum* unum fuisse è LXX. Interpretibus; sed hæc opinio nulla vel ratione, vel auctoritate nititur.

e Ibid.

Inter Interpretum nomina à *Pseudo-Aristea* literis consignata, reperiuntur nonnulla supra positorum, ut *Eleazarus*, *Simon*, *Jesus*, *Daniel*, *Ezechielus*; sed *Philo*, aut *Aristobulus*, inter eos reperitur nullus. In Epistola, quæ fingitur à *Damaso* Papa ad *B. Hieronymum*, sunt alia quædam Interpretum nomina diversa ab illis, quæ reperiuntur in *Pseudo-Aristeæ* Historia edita: uti memini me alibi [f] animadvertisse.

f Differt. contra Arist. c. 1. §. 12.

6. Quæ dicuntur, & vulgo creduntur, de Interpretum numero & nominibus, ea omnia ut falsa rejiciunt non pauci viri eruditi, neque ii obscuri nominis, *Scaliger*, *Heinsius*, *Gatakerus*, *Lightfootus*, *Croius*, *Maresius*, *Bootius*, alii. Existimat [a] *Heinsius* ex numero LXX. Seniorum Synedrii Magni à Mose institutorum confictum fuisse numerum LXXII. Interpretum; & fabulæ *Aristeanæ* consarcinatores numerum istum, ut paululum abirent, rotundum esse noluisse. Assentitur *Heinsio* [b] *Rivetus*, quamvis profiteatur non audere se perfracte negare quod vulgo creditur de Interpretum numero. Eandem conjecturam judicio & adprobatione sua alii confirmant.

a Aristarcho Sacro cap. 10.

b Isag. in S. Script. c. 10. §. 14.

Meram fabulam esse quod de numero Interpretum LXXII. vulgo perhibetur, haud ægre ego mihi persuadeo, cum in animo meo revolvo, quam vehementer numeris istis LXX. & LXXII. delectati fuerint Judæi, & quam multa de illis nugari fabularique soleant. Observavi sane Judæos numeros istos mire affectare, & multa de illis solere ineptire. Et videtur admodum probabile ex eadem affectatione exortum fuisse hoc figmentum. Ut Ægyptii orbem terrarum in gentes & regiones LXXII. dividebant, & earum unicuique Numen quoddam tribuebant, quod eidem peculiariter præesset; sic terram quoque Judæi distribuebant in gentes LXXII. sive LXX. & illis totidem Angelos, qui singulis peculiariter præsiderent, tribuebant, & hodie tribuunt. De illis utrisque loquitur apud [c] *Pseudo-Clementis Recognitiones* D. Petrus, ex veterum Judæorum haud dubio traditionibus. *Deus excelsus qui solus potestatem omnium tenet, in* [1] LXXII. *partes divisit totius terræ nationes, eisque principes Angelos statuit.* Cabalistæ apud [d] *Reuchlinum* enumerant nomina LXXII. *Angelorum fortium universæ terræ*, quorum ope Moses Maris Rubri aquas diviserit, & per quorum nomina *Tetragrammaton* pronunciatur à secretioris scientiæ peritis. Leguntur apud eosdem [e] excerptæ de libro Psalmorum orationes ad Deum LXXII. versibus habendæ, quorum unusquisque nomen *Tetragrammaton* cum nomine unius LXXII. Angelorum continet. De gentibus & Angelis præstitibus LXX. apud Rabbinos, tam veteres, quam recentiores, mentio crebra. Loquuntur quoque de Linguis LXX. item de *Alphabetis* LXX. *Pseudo-Uzielides*, in *Targum* Gen. XI. 5. *Dixit Dominus* LXX. *Angelis qui stabant coram eo; venite nunc & descendamus, & confundamus illic linguam eorum, ut non intelligat vir linguam proximi sui. Et manifestatus est sermo Domini contra illam civitatem, & cum eo* LXX. *Angeli, ex adverso* LXX. *populorum, & uniuscujusque linguæ populi sui; & inde scripsit manu sua, & dispersit eos inde super facies totius terræ in* LXX. *linguas.* R. Eliezer in [f] *Pirke*: *R. Simeon ait; Advocavit Sanctus benedictus* LXX. *Angelos, qui cingunt thronum gloriæ ejus, illosque affatus est: Abite, confundamus linguas illorum.* Paulo post: *Descendit Sanctus Benedictus &* LXX. *Angeli cingentes solium gloriæ ejus, atque confudit linguas* LXX. *populorum; quælibet autem gens ex* LXX. *habuit suam linguam, & scripturam, atque Angelum præfecit cuilibet genti.* De gentibus hisce & linguis LXX. mirum quas nugas & mendacia effutiverint. Fabulantur alii in navi una cum *Jona* Propheta fuisse homines ex gentibus LXX. Alii *Gabrielem* Angelum, *Josephum* ad Ægypti gubernacula admotum LXX. linguas docuisse. Juxta alios, requirebatur ut omnes Doctores Synagogæ

c Lib. 2.

d De Arte Cabalist. lib. 3.

e Vide Reuchlinum l. c. p. 884. &c.

f Cap. 24.

1 Gentes fuisse 72. statuunt quoque *Clemens Alex. Chronicon Paschale*, *Arnobius* junior in Psalmos, Christiani complures alii. Qui etiam plerumque de linguis 72. loquuntur. Alii ut *Eusebius & Theophanes*, *Catena in D. Lucam*, Gentes 70. statuunt. Futilis est conjectura *Melchioris Haiminsfeldii Goldasti*, Animadvers. in *Tyrolis Scotorum Regis Paraeneses ad Fridebrandum filium* lingua Teutonica metrice conscriptas; qui existimat opinionem de linguis 72. ortam fuisse ex numero 72. Interpretum; credentibus nonnullis, illos singularum gentium linguis Scripturas tradidisse, quia per eos Verbum Dei in universum terrarum orbem emanarit.

magnæ

magnæ, LXX. linguas callerent. Alii *Solomoni* linguarum LXX. notitiam tribuunt. Dicunt alii, S. Scripturæ unumquodque vocabulum modis LXX. exponi posse. Hinc vulgatum apud eos axioma: LXX. *facies sunt Legi*. Alii dicunt Mosem Legem conscripsisse linguis LXX. Nec de hisce modo ineptiunt fabulasque nectunt. Turrim Babylonicam quam altam (sodes) statuunt fuisse? milliaria LXX. Ita [a] *Pirke Eliefer*. Quot habuit structores? LXX. Sic alii. Eandem tradunt alii Rabbinorum, LXX. *gradus versus orientem*, & LXX. *versus occidentem habuisse*. Cum mortuus est *Rabban Gamaliel Senex*, quantum thuris super eo combussit *Onkelos Proselytus*? Libras LXX. A Deo *Esdræ* quot libri *apocryphi* dictati? Juxta librum [b] IV^tum *Esdræ* LXX. secundum [c] *Epiphanium* LXXII. Commemorat *Epiphanius* LXXII. libros *apocryphos*, quos dicit, præter libros S. Scripturæ, ab Interpretibus LXXII. fuisse translatos: Qui videntur iidem cum illis qui *Esdræ* Divinitus dictati perhibentur. Sic juxta *Cabalæos*, LXXII. sunt nomina Dei præcipua & maxime valida. Unde elicita? Ex versibus aliquot sacrarum Scripturarum, quorum unusquisque constat ex literis LXXII. Alii memorant nomen sanctum LXXII. literarum, quo dicunt factum esse mundum. *R. Israel Ben Mosis* in *Disput. Cabalistica de* [d] *Anima*, docet Animam in Cœlum ascendentem à Deo coronari LXX. coronis. In *Zohar* memoratur LXXII. species Sapientiæ esse; De distantia LXX. ulnarum ab urbibus in terminis Sabbathicis metiendis, adi *R. Obadiam de Bartenora* Com. in [e] *Mischnas Massechet Erubbin*. Hujusmodi sunt Rabbinicæ deliciæ! Eandem eorum affectationem imitantur Christiani, non modo in numero gentium & linguarum LXXII. verum etiam in aliis rebus. Hinc libellus, *Epiphanii* nomine, *de Prophetis* (ante Christum) LXXII. quorum primus numeratur *Adam*, ultimus *Baptista*. Taceo *Palmas* illas LXX. ad *Elim* quarum mentio tam frequens apud veteres Patres, quas ad Christi Discipulos LXX. tanquam typos eorum, referre solent. Easdem ad Angelos LXX. refert inter Rabbinos [f] *Racanat* Cabalista. [g] *Epiphanius* affirmat numerum LXXII. quoddam in se mysterium continere: *Artaba*, inquit, *Ægyptiorum propria vox est*, & *sextarios continet* LXXII. ἐκ πολλῆς ἢ ἀκελόσεις ἢ τῶν ὕτως συνήχθη. *Nam* LXXII. *viri turrim illam extruxerunt*, *quoque tempore in* LXXII. *linguas ex una divisi sunt*. *Unde & μέροπες nominati sunt*. Libros Veteris & Novi Testamenti LXX. (inclusis Apocryphis) numerat [h] *Cassiodorus*, quos dicit in prædictarum *palmarum numero fortasse præsagatos*. Idem [i] alibi ostendit se numerum LXXII. pro omnium perfectissimo habuisse. *Beatus* (inquit) *Augustinus secundum præfatos novem codices*, *quos Sancta meditatur Ecclesia*, *secundo libro de Doctrina Christiana*, *scripturas divinas septuaginta unius librorum calculo comprehendit*: *quibus cum sanctæ Trinitatis addideris unitatem*, *fit totius libri competens & gloriosa perfectio*. [k] Rabanus Maurus scribit Scripturæ libros esse LXXII. sic *congrue providente Spiritu S. ut tot libri essent quot nationes*, *quibus populi & gentes ad percipiendam fidei gratiam ædificarentur*. Videtur porro inter alios Orientales eandem reperiri hujusce numeri affectationem. Religiones in orbe terrarum LXXII. diversas esse statuunt *Mahumedani*. Hinc in literis ad *Elizabetham*, Reginam Angliæ, nominavit se *Amurathus*, Turcarum Imperator, *Possessorem magnæ beatitudinis cum omni altitudine gratiæ*, *super* LXXII. *Leges mundi*. Iidem inter semetipsos LXXII. sectas diversas recensent. Aiunt iidem, resurgentes in die Judicii in agmina LXX. divisum iri, & ita staturos ante Dei tribunal. Credunt Mahumedani *Moroccani*, in Paradiso singulos LXX. virginum consortio fruituros. Referunt hodierni *Persæ* in Arca Noæ fuisse homines LXXII. & (ideo) requiri, ut, qui *Meccam* peregre

[a] Cap. 14.
[b] Cap. 14. v. 46.
[c] De Pond. & Mens.
[d] Cap. 35.
[e] Ed. ex Schmidii Versione p. 142, 143.
[f] Apud Reuchlinum p. 836.
[g] De Mens. & Pond. c. 24
[h] De Institut. Div. Lit. c. 14.
[i] Ibid. c. 13.
[k] Lib. 5. de Sermonum propriet.

peregre proficiſcantur, ſint numero millia LXXII. hoc ita neceſſarium eſſe, ut, ſi plures ſint, vel pauciores, eo anno admitti non poſſint: ſi ſint pauciores, Angelos ipſos ſe illis adſociare, ut numerus fiat completus atque perfectus. Mitto, quæ tradunt iidem de *Hoſſeini Ben Ali*, è Sanctis ſuis præcipui cujuſdam, vulneribus LXXII. Illud etiam ſileo, quod, inter *Chinenſes*, *Confucius* ille percelebris Philoſophus, Diſcipulos præcipuos LXXII. habuiſſe dicitur. Obſervatu denique digniſſimum, *Helleniſtas* noſtros, qui Interpretes fuiſſe LXXII. literis prodiderunt, hoc inſuper adjicere, peractum fuiſſe Verſionis opus diebus LXXII. Unde ſatis apparet, hunc numerum ab illis fuiſſe affectatum. *Armius*, inter Arabas Chronologus, qui ſcribit librum Legis Græce converſæ, à Rege *Ptolemæo* in ſordes fuiſſe injectum, ait eundem ibi incorruptum per annos LXX. manſiſſe.

Dubitari vix poteſt quin fuerit etiam *Alexandriæ* Judæorum quoddam *Synedrium*, & omnino veriſimile eſt, conſtitutum fuiſſe illud Judæorum Alexandrinorum Synedrium ad numerum Synedrii Magni Moſaici ſive Hieroſolymitani: quamvis neget [a] *Lightfootus*, fuiſſe ullibi terrarum, ſive *Alexandria*, ſive *Babylone*, Synedrium aliud ejuſdem numeri. Confirmatur hæc conjectura ex ipſorum *Talmudicorum* traditione, qui commemorant templum quoddam Alexandriæ *Cathedrale* percelebre, in quo fuerint Cathedræ ſive ſedes ſplendidæ LXX. Si itaque verum eſſet conſtitiſſe *Synedrium Magnum* ex Magiſtris LXXII. conjectari fas eſſet, hinc ortum fuiſſe figmentum vulgare de numero LXXII. Interpretum, quod Doctorum LXX. Synedrii Alexandrini juſſu & auſpiciis, vel etiam ipſorum opera ſtudioque, confecta fuerit Translatio. Sed cum non conſtabat Synedrium Magnum ex Senioribus LXXII. ſed tantum ex LXX. vel LXXI. ut ſuperius evicimus, nihil aliud pro fundamento habuiſſe videtur vulgaris fabula, quam numeri iſtius affectationem. Non deſunt equidem qui negent extitiſſe ullum temporibus illis *Synedrium Magnum*. Illud non duraſſe poſt mortem eorum qui electi ſunt à Moſe, & tandem Pompeii tempore fuiſſe renovatum, contendunt. Hæc *Conringii* in libro *De Rep. Hebræorum* ſententia fuiſſe dicitur, nam librum ipſum non vidi.

[a] Exercit. Talmud. in Act. IX. 2.

7. Quam proni & proclives ſint homines vani in hujuſmodi figmenta, vel ex iis perſpicere licet, quæ commenti ſunt Grammatici quidam de *Homeri* Poematis; convocatos nempe fuiſſe à *Piſiſtrato*, Athenarum principe, Grammaticos LXXII. qui illis emendandis corrigendiſque operam darent. Quod confictum eſt ex iſtis, quæ vulgo jactabantur de Bibliorum Interpretibus LXXII. Hoc vero ſcriptum reperimus apud *Stephanum*, Grammaticum Græcum ineditum, unum ex enarratoribus *Dionyſii Thracis*; cujus verba proferre [b] alias, conſultius erit.

[b] Vide ad finem cap. ſeq.

8. Non deſunt præterea inter antiquos ſcriptores, qui vulgari traditioni de Interpretum numero contraria prorſus in literas retulerunt. Fuiſſe eos non LXXII. ſed tantum *quinque*, traditio erat Judæorum veterum, ut apparet ex hoc loco *Talmudis Hieroſolymitani* in *Maſſecheth Sopherim*. *Extat narratio de* quinque *Senioribus*, *qui Legem Ptolemæo Græce tranſcripſerunt. Et erat dies iſte amarus Iſraeli*, *ſicut dies quo aureus vitulus factus eſt*, *quia Lex non potuit verti ſecundum omnia quæ requiſita ſunt. Et rurſus fertur de Rege Ptolemæo*, *quod Seniores* LXXII. *una congregaverit*, *& eos in Cellulis* LXXII. *diſpoſuerit. &c.* [c] Morinus ait *certum eſſe*, Talmudicos hoſce mentione *quinque Seniorum* alludere ad *quinque* Verſiones Græcas, quas in *Octaplis* collegerat *Origenes*. At quomodo hoc *certum* eſſe poteſt? Adeo non *certum* eſt, ut neque veriſimile. Neque enim in *Origenis Octaplis* comprehenſæ ſunt ſolum Verſiones

[c] Exerc. 8. l. 1. c. 2 §. 4.

fiones *quinque*, fed *fex*; imo *feptima* quarundam Scripturæ partium, nempe *Pfalmorum*, acceffit.

Sunt inter Rabbinos pofteriores, qui quamvis non repudiant vulgarem traditionem de Senioribus LXXII. dicunt tamen Verfionem à *quinque* tantum confectam fuiffe, delegatis fcil. ex numero LXXII. Seniorum ad hoc munus. Et confectam fuiffe Verfionem à Viris tantum *quinque*, probant, non modo ex Talmudis auctoritate, verum etiam ex eo, quod una vox (ut dicunt) per *quinque* fignificata transfertur.

Huic, fi non eadem, affinis certe conjectura [a] *Jo. Leufdeni* eft, qui, ut duas traditiones de Interpretibus LXXII. & de Interpretibus 5. inter fe conciliet, conjectatur *Eleazarum* Pontificem mififfe Regi Ptolemæo ex magno *Sanhedrin* 5. Seniores, qui hanc Verfionem Græcam adornarint: Ideo vero Verfionem adfcribi LXX. Senioribus, quia ipforum auctoritate & juffu confecta fuerit.

[a] Philolog. Hebræo-mixto Differt. 1.

Exiftimat quoque [b] *Simonius* Verfionem factam fuiffe à *quinque* quibufdam Viris (fed Alexandrinis) juxta id quod tradunt Talmudici, & ideo vocatam fuiffe LXX. Seniorum, quia Synedrii M. auctoritate facta & comprobata fit. *Quia* (inquit) *res erat magni momenti, illud Synedrii Magni auctoritate fufceptum ac comprobatum fuiffe verifimile eft, unde poftea factum eft, ut tranflatio illa nomen* LXXII. *Seniorum, feu Synedrii Magni Senatorum, tulerit: fæpius enim qui vulgo putantur illius architecti, Senes, quafi dixeris Senatores, appellantur. Qua ratione locus Talmudis, alioqui explicatu difficilis, in quo Græca tranflatio opus duntaxat quinque Seniorum appellatur, facili negotio cum vulgata de* LXXII. *Interpretibus fententia conciliabitur. Ex eadem Synagogæ magnæ Affefforum auctoritate huic Verfioni acceffit authentia apud Judæos omnes, præfertim Helleniftas.* Sed ex nomine *Seniorum* nullo modo duci poteft argumentum. Et fatis conftat, illos qui Verfionem, LXX*viralem*, five LXX *Seniorum*, vocant, fabulam Arifteanam fuiffe fecutos. Nec videtur ea nomen *Septuaginta* obtinuiffe, nifi poftquam in lucem prodiere aliorum Verfiones, ut ab illis diftinguerentur. Subdit *Simonius*, forte apud Helleniftas invaluiffe primum falfam opinionem de eo quod Synagogæ magnæ auctoritate facta fuit Verfio, & inde poftea exortum fuiffe figmentum Arifteanum.

[b] Difquif. Crit. cap. 15.

[c] *Serarius* auctor eft, in quibufdam Judæorum libris numerari Interpretes duntaxat *tres*: fed falli illum exiftimo.

[c] Proleg. Bibliac. cap. 17.

9. Affirmat [d] *Waltonus* Chriftianos *omnes tradere, Interpretes fuiffe* LXXII. *nec unum à nato Chrifto, per quindecim fecula repertum fuiffe, qui de hoc dubitavit: nec ullum proferri poffe teftimonium in contrarium, vel ex Judaicis, vel ex Chriftianis Scriptoribus, inter omnes qui de hac Verfione mentionem fecerint, tanto temporis intervallo, unico excepto Talmudico præcitato.* Non mirum eft, fi de numero Interpretum tantus fuerit inter veteres confenfus, cum eorum nemini fuboluerit impoftura *Pfeudo-Ariftea*, cujus nititur auctoritate communis & recepta fententia. Et cum nunc appareat illum impoftorem fuiffe, non opus eft ullo teftimonio veterum ut tanquam falfa rejiciatur opinio hactenus recepta. Cæterum fallitur vir eruditiffimus. Teftimonium aliud habemus quod vulgari fententiæ contradicit. Hoc eft *Zofimi* rerum *Chymicarum* fcriptoris antiqui & *Ægyptii*, qui in libris nondum vulgatis ait Codicem Hebræum in linguam Græcam (ut etiam in vulgarem *Ægyptiacam*) non à multis, fed ab *uno* Interprete, traductum fuiffe. Hoc de eo teftatur *Reinefius*, qui libros illius MS^{tos} evolverat.

[d] Prolegom. 9. §. 7.

10. Silentio non prætereundum, quod refert *Philo Judæus* de folenni celebritate Judæorum Alexandrinorum in memoriam confectæ Interpretationis renovari folita. Illam confectam fuiffe in infula *Pharo* auctores funt *Pfeudo-Ariftea*, & ejus affeclæ, *Philo*, *Jofephus*, *Juftinus M.*

Clemens Alex. Cyrillus Hierosol. Epiphanius, Syncellus, Abul-pharajius, alii. *Syncellus* ait locum istum electum fuisse utpote εὐκρασίαν *beatissimum temperie aeris*: quia fuit *secessus* (ait Philo) *quietissimus, ubi animus solis Legibus posset intendere.* Addit, *nullum locum intra urbis mœnia placuisse Interpretibus, utpote refertæ omnigenis animalibus, nec à morbis puræ & cadaveribus, sed magis etiam suspectæ propter impuros mores civium.* Subjicit, in insula hac Pharo celebratam fuisse singulis annis Versionis adornatæ memoriam, neque solum à Judæis, verum etiam ab *aliis multis*. Verba ejus huc transferre non gravatus sum: Διὸ καὶ μέχρι νῦν ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἑορτὴ καὶ πανήγυρις ἄγεται κατὰ τὴν Φάρον νῆσον, εἰς ἣν οὐκ Ἰουδαῖοι μόνον, ἀλλὰ καὶ παμπληθεῖς ἕτεροι διαπλέουσι, τό τε χωρίον σεμνυνοῦντες, ἐν ᾧ πρῶτον τὸ τῆς ἑρμηνείας ἐξέλαμψε, καὶ παλαιᾶς ἕνεκα εὐεργεσίας ἀεὶ νεαζούσης εὐχαριστήσοντες τῷ Θεῷ. μετὰ δὲ τὰς εὐχὰς καὶ τὰς εὐχαριστίας, οἱ μὲν πηξάμενοι σκηνὰς ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ, οἱ δ' ἐπὶ τῆς αἰγιαλίτιδος ψάμμου κατακλίναντες ἐν ὑπαίθρῳ, μετ' οἰκείων καὶ φίλων ἑστιῶνται πολυτελεστέραν τῆς ἐν βασιλείοις κατασκευῆς τότε τὴν ἀκτὴν νομίζοντες. οὕτω μὲν οἱ νόμοι ζηλωτοὶ καὶ περιμάχητοι πᾶσιν ἰδιώταις τε καὶ ἡγεμόσιν ἐπιδείκνυνται, καὶ ταῦτ' ἐκ πολλῶν χρόνων τοῦ ἔθνους οὐκ εὐτυχοῦντος. *Quamobrem hodieque solennis celebritas renovatur in Pharo Insula, ad quam non tantum Judæi sed & alii plurimi trajiciunt, locum veneraturi in quo primum visa est hæc Interpretatio, & pro tanto beneficio quasi recente acturi Deo gratias. Post vota autem & gratiarum actiones alii tentoriis fixis in littore, alii discumbentes in ipsa arena sub divo epulantur cum amicis & domesticis, præferendo tunc littus palatiis regiis. In tantum expetendæ videntur hæ Leges privatis & magistratibus, quamvis jamdudum hæc gens utatur fortuna parum prospera; & solent res præclaræ obscurari quodammodo adversitatibus.* Hæc ut falsa rejicit clariss. [a] *Marshamus*, & existimat ille hanc celebritatem, de qua loquitur *Philo*, nihil aliud fuisse quam Festum quoddam Ægyptiorum, Deæ Isidi sacrum, & in insula [1] *Pharo* celebrari solitum, cui Judæi sese immiscuerint. Rationem hanc affert sententiæ suæ, quod dicit *Philo* eidem Festo Gentiles interfuisse, & una cum Judæis illud celebrasse. Contendit *Philonem* Judæorum hac in re idololatriam elevare prætextu Legis ibi Græce versæ: neque magis mirum esse ab omnibus diversæ Religionis hominibus *Isidem* coli in Pharo, quam *Serapidem* in Alexandria. *Serapidem* autem Alexandriæ cultum fuisse non solum à Gentilibus verum etiam ab ipsis *Judæis* atque etiam *Christianis* istorum temporum, testem advocat *Hadrianum Augustum* in [b] Epistola ad *Servianum Cos.* cujus hæc sunt verba: *Illic* (i. e. Alexandriæ) *qui Serapidem colunt, Christiani sunt: & devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille Patriarcha* (Judæorum) *quum in Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.* Paulo post: *Unus illis* (h. e. Alexandrinis) *Deus est* (Serapis.) *Hunc Christiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur & gentes.* Ex eisdem conficit [c] *Bruno* Gentiles Alexandrinos, postquam fidem Christianam amplexi sunt, *multa* retinuisse de Sacris suis *Serapicis*, & putat hæc dici ab *Hadriano* de Christianis, *ob communes nonnullos inter eos & Gentiles ritus & ceremonias indifferenter habitos.*

[a] Chron Can. pag. 148.

[b] Ap. *Vopiscum* in *Saturnino*.

[c] Tract. de Therapeutis p. 202.

Me in hac opinione non habet consentientem *Marshamus* nobilissimus: accedo potius sententiæ virorum doctissimorum *I. Casauboni* & *Salmasii*, nimirum omnino falsa esse quæ scribit hic de Judæis Christianisque *Hadrianus*, & eum deceptum fuisse falsa relatione Ægyptiorum. De Christianis quis credat talia? De Judæis quoque sunt plane incredibilia. Non negamus in insula Pharo celebratam fuisse à Judæis,

1 In *Calendario Rustico* apud *Gruterum* p. 138. mense Aprili tribuitur *Sacrum Pharia*: & in nummo apud *Tristanum* lib. 3. p. 743. *Isis Pharia*, observante *Marshamo*.

Philonis

Philonis tempore, Verſionis Græcæ memoriam. De ea re falli vix potuit *Philo*: nec videtur iſtiuſmodi mendacium in vulgus editurus fuiſſe. Negamus tamen ac pernegamus ex iſta celebritate confirmari poſſe communem opinionem & tunc apud illos, & etiamnum apud nos receptam, de Interpretum LXXII. numero, & quod Hieroſolymis à Rege accerſerentur. Utrum revera in inſula Pharo elaborata fuerit Interpretatio, necne, in incerto hoc ponitur: illud vero haud dubitamus, de aliis rebus in errorem inductos fuiſſe Judæos Alexandrinos figmentis *Pſeudo-Ariſteæ*. Quid? quod potuerunt hoc modo publicam agere lætitiam ob factam Legis interpretationem, quamvis crederent factam fuiſſe ab *Alexandrinis* Judæis in ſuum tantum uſum, & nihil unquam inaudiviſſent ex iis quæ Hiſtoria *Pſeudo-Ariſteæ* fabulatur. Si ab aliis revera præter Judæos, uti ſcribit *Philo*, celebrata fuit memoria Interpretationis, non cenſendum eſt illos fuiſſe *Gentiles*, ſed *Chriſtianos*. Verum in hac parte puto vel erraſſe *Philonem*, vel paulo licentius rem repræſentare. Ut breviter dicam: totius rei originem hanc exiſtimo fuiſſe. Conſtat moris fuiſſe antiquorum ad maris littora ſub dio ſe recreare, ibique voluptatis gratia cœnitare epularique: quod facere etiamnum ſolent Græci hodierni. Hujus priſcæ conſuetudinis mentionem habemus apud *Quintilianum*, *Inſtit. Orat.* VII. 3. ubi fictæ controverſiæ exemplum hoc proponitur: *Juvenes qui convivere ſolebant, conſtituerunt ut in* littore cœnarent. *Unius qui cœnæ defuerat, nomen tumulo, quem extruxerant, inſcripſerunt. Pater ejus à tranſmarina peregrinatione cum ad littus idem appuliſſet, lecto nomine ſuſpendit ſe.* De eadem audi *Philodemi* Epigramma, *Anthologiæ* libro 1. ubi ſodales ſuos dehortatur ne in littus ad epulandum aſcendant, quod heri duo ex illorum ſodalitio (fracto littore) periiſſent.

Ηδη κὰι ῥόδον ἐςὶ κὰι ἀκμάζων ἐρέβινθος,
    Καὶ καυλοὶ κράμβης, Σώσυλε, πρωτοτόμου·
Καὶ μαίνη ζαλαγεῦσα, καὶ ἀρτιπαγὴς ἁλίτυρος,
    Καὶ θριδάκων οὔλων ἀφροφυῆ πέταλα.
Ημεῖς δ᾽ οὔτ᾽ ἀκτῆς ἐπιβαίνομεν, οὔτ᾽ ἐν ἀπόψει
    Γιγνόμεθ᾽, ὡς αἰεὶ, Σώσυλε, τὸ πρότερον.
Καὶ μὴν Ἀντιγένης καὶ Βάκχιος ἐχθὲς ἔπαιζον,
    Νῦν δ᾽ αὐτοὺς θάψαι σήμερον ἐκφέρομεν.

Jam & roſa eſt, & florens cicer,
    Et caules crambæ, Soſyle, primum reciſæ:
Et Mæne herba crepitans, & nuper coagulatus caſeus,
    Et lactucæ criſpa ſpumam emittentia folia.
Nos vero neque ad littus aſcendimus, nec in edito loco
    Sumus, veluti ſemper, Soſyle, prius.
Etenim Antigenes & Bacchius heri ludebant,
    Jam vero ipſos ut ſepeliantur hodie efferimus.

Sane hoc modo ſe ſolebant reficere ac recreare Cives Alexandrini, tam Græci quam [a] Judæi, in inſulam *Pharum* tranſeuntes, atque illic in littore epulantes. Tandem editis *Pſeudo-Ariſteæ* de Legis Verſione figmentis, additoque alio de eo quod Divina inſpiratione confecta ea fuerit, cœperunt Judæi, quod primo voluptati tantum erat & ludo, in Religionem vertere. Et quia Gentiles, ſive Græci, complures admiſceri illis ſoliti fuerunt, ſibi ipſis vani perſuadebant, ſaltem aliis volebant perſuaderi, eos quoque in honorem *Verſionis* adeſſe ac epulari.

[a] Judæi partem Alexandriæ, quæ ad mare fuit, & inſulæ Pharo proxima, incolebant, ut teſtatur *Joſephus*.

Quinetiam pro comperto habemus conſuetudinem fuiſſe Judæorum, non ſolum *Alexandrinorum*, ſed & alibi terrarum urbiumque degentium,

tium, ad aquarum ripas seu littora convenire, Deum votis ibi & precibus colere, atque considere. Patet hoc vel ex ipsa historia sacra:
a Act. XVI 13. ubi de se & B. Paulo sic loquitur [a] *S. Lucas*: Commorati (inquit) sumus Philippis, quæ urbs est Macedoniæ, aliquot dies, *& die sabbati egressi sumus ex urbe ad flumen, ubi solebat esse precatio: & quum consedissemus,*
b Psal. 136. *alloquuti sumus mulieres quæ convenerant.* Huc pertinet illud [b] Psalmorum: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus cum recordaremur Sion.* Hujus moris Judæorum meminit quoque *Tertullianus lib. 1.*
c Cap. 13. *ad Nationes* [c], qui etiam Gentiles ipsos eandem inter se consuetudinem habuisse subindicare videtur. *Alii plane humanius, Solem Christianum Deum æstimant; quod innotuerit ad orientis partem facere nos precationem, vel die solis lætitiam curare. Quid vos minus facitis? Non plerique affectatione adorandi aliquando etiam cœlestia ad solis initium labra vibratis? Vos certi estis, qui etiam in laterculum septem dierum solem recepistis, & ex diebus ipsum prælegistis, quo die lavacrum subtrahatis, aut in vesperam differatis, aut otium & prandium curetis quod quidem facitis exorbitantes & ipsi à vestris ad alienas religiones. Judæi enim festi, sabbata, & cœna pura, & Judaici ritus lucernarum, & jejunia cum azymis, &* orationes littorales, *quæ utique aliena sunt à diis vestris.*

CAP. VI.

De fabula Cellularum LXXII. *Eam ortam fuisse circa initium secundi post Christum seculi. Opinionem de Interpretibus divino spiritu afflatis aliquanto antiquiorem esse, & exortam fuisse paulo ante* Philonis *ætatem. Utrique figmento repugnare quæ tradit ipse* Pseudo-Aristeas. §. 4. *&c. Illius exemplaria vetusta quibus usi sunt* Josephus *&c. cum hodiernis hac in parte convenisse.* 4. 5. 6. Tertulliani *locus male vulgo intellectus: eum non citare* Aristeam *de miraculoso Interpretum consensu.* 4. Josephum *Cellularum mentionem de industria non suppressisse, non verum esse quod contendit* Jo. Gregorius, *solere illum, librorum sacrorum miracula omittere vel extenuare.* Gregorii *hallucinatio de miraculo Nebuchadnezari à* Josepho *exposito.* 5. *Scriptores veteres qui Cellulas* LXXII. *agnoscunt.* 3. *Alios agnoscere Cellulas non* LXXII. *sed tantum* XXXVI. *in quibus per* paria *Seniores Versioni incubuerint.* Epiphanium *vulgo perperam citari pro Cellulis* LXXII. 8. Philoni *ignotum fuisse commentum de Cellulis variis.* 9. *Necnon* Syracidæ. 10. *Quam prona fuerit gens Judaica in istiusmodi figmenta. Ejusdemmodi fabulæ de Paraphrasibus Chaldaicis.* 13. Heinsii *conjectura de origine istius fabulæ improbata.* 14. *Figmentum consimile apud Grammaticos Græcos de* Homeri *Correctoribus sub* Pisistrato *in Cellulis diversis separatis, ex Cod. MS.* 14. *Hodiernos Alexandriæ cives Cellulas* LXXII. *ostentare non in insula Pharo, sed in ipsa Urbe.* 15. Armii *cujusdam traditiuncula de* LXX. *Int. in carcerem conjectis, quia à se invicem separati non consonuerint.* 16. Comestoris *&* Vincentii *error de* B. Hieronymi *sententia.* 17. *Fabulas de Interpretum prophetico afflatu, & de Cellulis diversis, ab eo rejectas fuisse.* 6. *Item à* Photio *Patr. aliisque veterum.* 18. Is. Vossii *inepta cavillatio.* 19.

DISSERUIMUS hactenus de figmentis *Aristeanis*, fuerintne ea fundamento alicui innixa, an omnis prorsus expertia. Ante annum Christi XL, nempe antequam inclaruit *Philo*, excogitata est à Judæis Alexandrinis fabula alia prioribus magis splendida de Interpretum divino adflatu. Cum ad Textum divinitus dictatum provocabant Judæi *Hebraizantes*, haud satis *Hellenistis* fecerunt ea, quæ affatim de ipsorum Versione, de Interpretum numero ac eruditione, mentitus fuerat *Pseudo-Aristeas*. Qualescunque nimirum, & quotcunque, fuerunt Interpretes, si meri homines fuerint, hallucinari & errare potuerunt: itaque ut ipsorum editio eadem qua ipsa Hebraica polleret

polleret auctoritate, & ut apud Gentiles S. Scripturis Rebusque Judaicis eo major constaret reverentia, figmentum hoc prioribus assuerunt, cœlesti & prophetico afflatu Versionem confectam fuisse. Hanc fabulam creditam fuisse à Judæis Alexandrinis quo tempore floruit *Philo*, & ab ipso inter eos *Philone*, ex libro ejus 2do [a] *De Vita Mosis* conspicuum. [a] Pag. 510.

2. Ex hoc figmento de Interpretum divina inspiratione in vulgus jam propagato, proximo post *Philonem* seculo pullulavit nova alia fabella famosa (ut fieri solet fabularum superfœtatio) de Cellulis diversis LXXII. in quibus Interpretes à se invicem separati Versionem singuli adornarint, consonantes inter se invicem, nec in uno verbo aut apice discrepantes. Cellularum harum LXXII. vestigia in insula Pharo monstrata sibi fuisse ab *Alexandrinis* (Christianos intellige vel Judæos) affirmat *Justinus Martyr*, qui vixit post *Philonem* annos circiter 100. Præmissis aliquibus de Interpretum ab Hierosolymis accersitu, addit Vir sanctissimus: [b] *Atque ut illi extra omnem turbam constituti expeditis Interpretationem absolverent, non in urbe ipsa, sed septem ab ea stadiis, ubi Pharos extructa est, pari cum Interpretibus numero domunculas extrui Rex præcepit, ut sigillatim pro se quisque interpretationem perficeret: illis quoque cura, qui operam eis dare jussi fuerant, mandata, ut omnibus quidem modis illis inservirent, à congressu autem illos mutuo prohiberent, quo exquisita interpretationis veritas ex ipsorum etiam consensu cognosci posset. Et cognito, LXX. istos viros non solum eadem sententia verum etiam eisdem esse verbis in translatione usos, ac ne una quidem dictione alium ab alio dissensisse (usque adeo eadem de eisdem omnia conscripserant) admiratione attonitus, cum divina virtute interpretationem absolutam esse credens, tum quovis honore dignos illos, ut Deo dilectos viros judicans, cum muneribus multis in patriam suam redire jussit: ac libros, ita ut par erat, exosculatus est, & Deo consecratos in Bibliotheca ibi reposuit. Hæc vobis, Viri Græci, non ut fabulam, neque ut confictam historiam renunciamus: sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus & vestigia domuncularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus: ab incolis, qui res patrias à majoribus per manus sibi traditas acceperunt, audiermus, commemoramus. &c.* ταῦτα οὐ μῦθον ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, οὐδὲ πεπλασμένας ἱστορίας ἀπαγγέλλομεν, ἀλλ' αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ γενόμενοι καὶ τὰ ἴχνη τῶν οἰκίσκων ἐν τῇ Φάρῳ ἑωρακότες ἔτι σωζόμενα, καὶ παρὰ τῶν ἐκεῖ, ὡς τὰ πάτρια παρειληφότων ἀκηκοότες, ταῦτα ἀπαγγέλλομεν. Errant [1] viri eruditi, qui *B. Justinum* ita intelligunt, quasi dixerit in ipsa *Turri* Pharo extructas fuisse has Cellulas. Eandem fabulam credulitate nimia complexi sunt, post *B. Justinum*, antiqui Patres & scriptores. *Ptolemæus* (inquit [c] *S. Irenæus*) *separatim de* LXX. *Senioribus periculum facere cupiens, cautione quidem adhibita, ne forte in uno loco constituti, communi consensu veritatem Scripturarum sua interpretatione occultarent, eos ab ipsis mutuo semovit, mandavitque ut singuli eundem Scripturæ librum interpretarentur. Atque idem ipsum in omnibus libris præstitit. Tandem vero cum coram Ptolemæo in unum convenissent, & suam quisque cum aliis conferret interpretationem, ibi & Dei gloria magnopere erat illustrata, & Scripturæ vere Divinæ propterea cognita, quod singuli Interpretes eas non solum iisdem sententiis, sed eisdem omnino verbis à principio ad finem usque expressissent: adeo ut Gentiles* [2] *qui præsto aderant Scripturas afflatu divino conversas fuisse cognoscerent.* Addit, *mirandum non esse à Deo hoc præstitum fuisse, cum in Captivitate Babylonica corruptis Scripturis, ac post 70. demum*

[b] Ad Græcos Cohort. p. 14.

[c] Adv. Hær. III. 25. & apud Eusebii Hist V. 8.

1 *Lud. Vives* in S. Aug. de Civ. XVIII. 42. *Petrus Canisius* de Maria Virgine II. 6. *Jo. Gregorius* de LXX. Interpr. Angelus Roccha Epitome Bibliothecæ Theol. pag. 9.

2 Leguntur hæc verba apud *Chronicon Alexand.* & *Nicephorum Cal.* Hist. IV. 14 ubi τὰ παρόντα ἔθνη &c. perperam sic vertitur à *Radero* & *Lango* Interprett. *adeo ut hodieque gentes omnes intelligant.*

annos regressis in patriam Judæis, Esdram Sacerdotem de tribu Levi afflatu suo Deus impulerit, ut omnes veterum Prophetarum libros denuo componeret, Legemque ministerio Mosis latam populo restitueret. [a] Clemens Alexand. ἑκάστου δ' ἐν μέρει κατ' ἰδίαν ἑκάστην ἑρμηνευόντων τὴν προφητείαν, συνῳδοῦσαι αἱ πᾶσαι ἑρμηνεῖαι συναντιβληθεῖσαι καὶ τὰς διανοίας καὶ τὰς λέξεις. &c. *Cum autem unusquisque* (LXX. *Seniorum*) *sigillatim ex sua propria interpretatus esset prophetia, conspirarunt omnes simul collatæ interpretationes & sententiis & dictionibus. Dei enim erat voluntas, quæ id ad Græcorum aures consulto comparaverat. Neque vero ab inspiratione Dei erat alienum, qui Prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tanquam Græcam efficeret prophetiam. Nam etiam in captivitate Regis Nabuchodonosor cum interiissent Scripturæ, Artaxerxis Persarum regis tempore inspiratus Esdras Levites, qui factus fuerat Sacerdos, prophetavit, omnes veteres rursus Scripturas renovans.* [b] Cyrillus Hierosol. *Cum Rex experiretur libros non esse nisi divinos, providensque ne inter se missi communicarent, in loco qui Pharus dicitur secus Alexandriam sito, singulis Interpretum suam cuique ac propriam domum tribuit, singulisque universa scripta præcepit ut interpretarentur. Ubi vero hi septuaginta duorum dierum spacio, omnium simul interpretationes complevissent in diversis ædibus, inter se nihil conferentes, in locum eundem convenerunt: & non modo sensibus, verum etiam verbis reperit consentientes. Non enim orationis facundiæ, & sapientiæ humanæ commmento negocium gerebatur, sed à Spiritu sancto divinarum scripturarum, quas Spiritus sanctus profatus erat, interpretatio conficiebatur.* [c] Philastrius Brixiensis: *Cumque suscepisset eos Ptolemæus rex Ægypti, tentare volens si esset eorum divina scriptura, quam legebant Judæi, separatim quemque jussit includi in cubiculum, nullumque videre alium, nisi solo excepto eo qui interpretem exciperet dictantem: omniumque accipiens postea interpretationem quotidie, cum consentientem in unum inveniret editionem omnium, jussit conscribi atque poni in templum.* Accedunt his [d] *Ruffinus*, [e] *Augustinus*, [f] *Isidorus Hispalensis*, [g] *Rabanus Maurus*, Auctor *Chronici Paschalis*, Chronici Græci *Eusebiani* Interpolator, [h] *Euthymius*, cum magna recentiorum caterva, [i] *Petro Comestore*, [k] *Ottone Frisingensi*, [l] *Gotfrido Viterbiensi*, [m] *Vincentio Bellovacensi*, hujusce farinæ aliis: Inter Scriptores Arabicos, Auctor *Chronici Orientalis*, [n] *Eutychius Batricides*, & [o] *Georgius Homaidius Elmacinus*. Eisdem annumerarim [p] *B. Joannem Chrysostomum*, [q] *Theodoretum*, [r] *Julianum Pomerium*, & incertum Auctorem apud *Catenam Auream in Dominicam Palmarum*, qui quamvis non diserte meminerint Cellularum diversarum, de Interpretum tamen *consensu* spiritu-que prophetico mentionem faciunt. Refert Græculus *Matthæus Cigala* in Cellulis singulis conclusos fuisse unum Interpretem, & unum *Gentilem*. Neque desunt inter ipsos *Rabbinos*, qui agnoscunt Interpretes, divini Numinis instinctu præditos fuisse, & miraculum diversarum Cellularum adserunt. Josephus Gorionides: *Cumque venisset Eleazarus cum* LXX. *Sacerdotibus & Interpretibus in Ægyptum, constituit eis Rex singulas domos, separans unum ab alio, & assignans unicuique scribas expeditos. Sacerdotes autem illi explicuerunt totam Legem & reliquos Biblicos libros, viginti sc. quatuor, quos transtulerunt* LXX. *Sacerdotes de lingua sancta in linguam Græcam, & obtulit Eleazarus scriptum eorum Regi. Tunc legit Rex uniuscujusque scriptum, ut illi transtulerant, & ecce omnium Interpretum una erat & concors expositio idemque sensus; de qua re lætatus est Rex plurimum: &c.* Liber secundus Machabæorum juxta Arabes: *Cum autem innotuisset eorum adventus Regi*, LXX. *domicilia parari, eosque ibi excipi jussit. Præcepit præterea singulis destinari scribam, qui exciperet horum librorum interpretationem Characteribus Græcis, & Græca lingua. Interdixit insuper ne quis horum septuaginta cum socio conveniret, ne conspirarent in cujusquam istorum librorum translationem. Exceperunt itaque scribæ ex singulis eorum,*

[a] Strom. lib. 1. pag. 342.
[b] Catechesi 4. pag. 37.
[c] Hær. 90.
[d] Invectiva secunda c. Hieron.
[e] Lib. 2. De consensu Evangelistarum c. 66. alibi sæpius.
[f] Orig. VI. 3. & De Offic. Eccles. l. 1.
[g] De Institut. Cleric.
[h] Præf. in Psalm.
[i] Hist Scholast.
[k] Chron II 47.
[l] Chron. parte XI.
[m] Speculo Hist. V. 17.
[n] Annal.
[o] Chronici parte 1. nondum edita.
[p] Hom. V. in Mat.
[q] Præf. in Psal.
[r] Demonstr. c. Judæos l. 3.

eorum, viginti quatuor librorum translationem. Et cum absolutæ essent translationes, illas obtulit Regi Eleazarus, easque inter se, ipso præsente contulit: quibus collatis, concordare compertæ sunt; & valde lætatus est Rex, præcepitque pecuniam plurimam dividi inter gentem. Eleazarum vero maxima cumulavit remuneratione. &c. Ab aliis Rabbinorum compluribus qui solum *Pentateuchum* Græce versum fuisse existimant, commemorantur 13. loca, quæ ab Interpretibus à se invicem separatis unanimiter & concordanter immutata fuerint. Quæ vero fuerunt ea 13. loca ostendetur in Capite subsequente. Apponemus hic loci tantum nomina Rabbinorum, qui ea simul & miraculum Cellularum diversarum memorant. Complures recenset doctiss. [a] *Morinus*; citato *Talmude Babylonico* in cap. 1. Tractatûs *Megillah*, hæc subjiciens: "Easdem differentias enumerat sed ordine "paulo immutato *Talmud Hierosolymitanum* eodem Tract. *Megillah* cap. 1. "f. 62. col. 4. Idem miraculum easdemque differentias enarrat Tractatus "*Sophrim* c. 1. qui Talmudi Babylonico inseritur. Idem præstat *Abraham* "*Levita* in libro *Cabbulæ*, ubi historiam texit regum, qui post captivitatem Judæis imperarunt: miraculum ille non tantum miratur, sed "omnes illas differentias breviter explicat. Nonnullas difficultates in"de emergentes fusius explicat *R. Aser* in additionibus ad tractatum "*Megillah*, *R. Salomon Jarchi* commentario in hunc locum Talmudis, "*R. Jacob* in lib. עין ישראל fol. 145. col. 4. & seq. omnium fusissime de "his disputat *Samuel Japhe* in libro יפה מראה fol. 198. Historiam "Interpretationis magna cum laude commemorat *Abraham Zacuth* in "libro *Juchasin* fol. 14. ubi ait Eleazarum Pontificem illum esse, qui "ab Antiocho postea crudeliter interfectus est. Octodecim Textus "ait Seniores in Lege mutasse. Sed ante hos omnes, ipsumque Tal"mud Babylonicum liber *Beresith Rabba* parascha 8. & 10. mentionem "facit mutationum quas in translatione fecerunt Seniores. Idem *Sche*"*moth Rabba* parascha 5. verum, ut liber *Juchasin*, octodecim scribit "mutationes. Liber quoque *Mekilta* omnium qui citati sunt antiquis"simus, easdem quas Talmud Babylonicum translationis istius differen"tias singulatim enumerat parascha 14. His adde *Chronicon* [b] *Templi Secundi*, & librum inscriptum *Compendium historiarum Josephi* (*Gorionidæ*) qui ex aliis præter *Gorionidem* contextus est. [c] *D'espteresius* meminit nonnullos Rabbinos memoriæ tradidisse LXX. Interpretes tantum *quatuor* loca immutasse. [d] *Genebrardus* monet *Talmudicos* scribere, eos tantum locis *duobus* ab Hebraica veritate discessisse. [e] *Ahmed Ben Edris*, Arabs ineditus, ait fateri Judæos, *congregatos esse LXX. post tempus Messiæ, ut corrumperent Legis loca 13.*

Traditionem hanc de Cellulis LXXII. amplectuntur hodie vulgo [1] *Pontificii*. Inter eos tamen non desunt, qui ut falsam eam commentitiamque rejiciunt. Ex his nonnulli, quamvis Cellulas varias non agnoscant, statuunt tamen Interpretes Numine fuisse correptos, & uno ore vertisse, ut [f] *Franc. Titelmannus*, [g] *Card. Bellarminus*, [h] *Andreas Masius*, & [i] *Antonius Possevinus*. Agnoscit ipse [k] *Erasmus* Spiritu Sancto inspiratos fuisse. Cardinalis [l] *Baronius* ait *eorum Versionem Divini potius aliquid habuisse quam humani*, & credit *eos divino spiritu afflatos & prophetice interdum locutos fuisse*: De ædiculis diversis videtur in dubio hæsisse,

a Exercit. Bibl. 8. l. 1. c. 1.
b Cit. à Drusio Observ. lib. 15. c. 17. & Not. in Levit. c. 11. v. 6.
c De LXX. Interp. Dub. 9.
d Chronogr.
e Ap. Hotting. Thes. Philolog. p. 329.
f Prologo Apologiæ pro Edit. Vulgata.
g De Verbo Dei II. 6.
h Præf. Com. ad Josuam p. 120.
i Apparatu Sacro V. *Septuaginta duo Interpretes.*
k Præf. in Annotat. N. T.
l Annal. ad an. 231. 10-2 p. 385.

1 Petrus Galatinus *De arcanis Cathol. Verit. l.* 3. Pierius Valerianus *Hieroglyph. l.* 18. Sixtus Senensis *Biblioth. l.* 8. Pet. Galesinius *De LXX. Interp. p.* 32. Jac. de Valentia *Prologi in Psalt. tract.* 6. Melchior Guilandinus *De papyro p.* 58. Alphonsus Salmeron *Prolegom.* 5. Leo Castrius *Disput. de LXX. Interp. præfixa Isaiæ commentariis.* Jac. Middendorpius *Præf in Aristeam.* Jac. Payva Andradius *Defens. Concilii Trident. l.* 4. *p.* 252. Nic. Serarius *Prolegom. Bibliac. c.* 17. *Q.* 10. Joach. Perionius *in Justini M. Parænesin.* Julius Rugerius *De libris Canonicis c.* 39. Angelus Delpas *Expos. in Symbol. p.* 152. Jo. Ferdinandus *Proœmio ad l.* 2. *Thesauri Script.* Jac. Bonfrerius *Præloq. Bibl.* 16. §. 3. Angelus Roccha *Epitome Biblioth.* p. 9. Cornelius Mussus *De divina Hist.* I. 26. Jac. Tirinus *Indice auctorum ad Commentarios suos.* Abrah. Bzovius *Hist. Eccl. ad an.* 231. Jo. Morinus *Exercitationibus* Baptista Ricciolius *Chron. Reform* III. 6. De la Hay *Prolegom.* in Biblia.

ad communem demum opinionem inclinans. *Veruntamen* (inquit) *de tam antiqua quæstione non est nostrum quid certius definire: licet tot sinceræ fidei & venerandæ antiquitatis testibus libentius assenserimus.* Alii Romanensium non *Cellulas* modo, sed & omnem Interpretum *inspirationem* negare videntur, ut [a] *Martinus Martini*, & [b] *Dionysius Petavius. Andreas* quoque *Masius*, quamvis profiteatur Spiritu Sancto instructos eos fuisse, tamen paulo [c] post innuit homines meros fuisse, adeoque errori obnoxios. Ut vulgo apud Pontificios agnoscitur traditio de Conclavibus diversis spirituque Interpretum divino, sic apud *Reformatos* repudiatur vulgo & rejicitur, ut ab *Usserio, Waltono*, Editoribus Anglicanæ Versionis, innumeris aliis doctrinæ nomine celeberrimis. Non desunt tamen inter ipsos *Protestantes*, qui Interpretes in ædiculis diversis disclusos fuisse, & dictante Numine divino transtulisse, statuunt. Nimirum hoc decrevere [d] *Hieronymus Zanchius*, & [e] *Joannes Mayerus*: & *Joannis* nostri *Gregorii* singularis Tractatus extat, sermone vernaculo conscriptus, quo istius rei fidem conatur stabilire: Qui in alio tamen [f] Tractatu, quicquid dicitur de cellulis LXX. spirituque Interpretum Prophetico, pro fabula se habere profitetur. *Jacobus* I. Rex Angliæ, & *Joannes Williams*, Episcopus (tunc) Lincolniensis, Custos Magni Sigilli (ut vocamus) in quibusdam orationibus, quas ad *Parliamentum* habuere, consensum generalem utriusque Domus *Parliamenti* compararunt *consensui* LXX. Interpretum, *qui ducti fuerint Dei spiritu.* Verum hoc Rhetorice. Innuit denique alicubi [g] *Fr. Junius* Spiritum S. τοῖς LXX. dictasse. Ait tamen idem eodem [h] fere in loco, *sibi certo certius esse, ut rivus humanus cum divino fonte, sic translationem illorum cum prototypo indigne comparari. Is. Vossius*, etsi fabulam Cellularum rejiciat, Interpretes tamen fuisse divino Spiritu ductos contendit.

a Hypotyposeon Theolog. lib. 4.
b De Doctrina Temp. IX. 17.
c Pag. 124.
d De Script. Q. 10. p. 318.
e Continuat. Historiæ à Neemia ad Christum Anglice scripta p. 104.
f De Cainane secundo.
g In Bellarm. Controv. lib. 2. c. 6. nota ult.
h Ibid. not. 9.

3. Ponimus nos in præsenti ex opinione vulgari, confectam fuisse Versionem per Interpretes LXXII. eosque à rege *Ptolemæo* Alexandriam Hierosolymis accersitos; hoc damus impræsentiarum, quamvis non concedamus; asserimus tamen, hoc dato, omnino fabulosum esse, quod credunt & perhibent tot Scriptores de Interpretum inspiratione & miraculo Cellularum. Nec mirandum est tot veteres Patres in errorem hac de re abreptos fuisse, quandoquidem (ut vulgo dici solet) *id facile credimus, quod volumus.* Ad eorum auctoritatem respondemus verbis doctissimi [i] *Masii*, quibus uti quoque placet *Usserio*: *Justinum Martyrem commonstratis nescio quibus veterum ædificiorum obscuris vestigiis, non mirum est, si potuerint Judæi* (vel à Judæis persuasi Christiani) *qui tunc Alexandriæ habitabant inducere, ut id crederet quod à suis majoribus acceptum ipsi ferebant: cum hoc ille, vel opinione saltem, non sibi modo sed omnibus hominibus persuasissimum plane esse cuperet; quippe cui adversus & Judæos & Gentes cæteras auctoritate illius Græcæ Interpretationis assiduo esset pugnandum. Porro Justini, tanti viri, testimonium deinde nostri, sive Græci sive Latini, libentissime secuti sunt: quibus eadem illa de causa utilis erat illa opinio atque existimatio tanquam vaticinationis ex divisis cellulis nata.* Ita [k] Cardinalis Bellarminus: *Quod Justino Judæi fabulam à se confictam persuaserint, & quasdam ruinas ostendentes Cellulas esse dixerint Septuaginta Interpretum, facile fieri potuit; nec minus facile ut Justino viro sancto fidem habuerint aliqui posteriores.* Nihil mirum est (inquit [l] *Woverius*) veteres Ecclesiæ Doctores tam faciles istiusmodi narrationibus sese præbuisse. *Inducere enim vel renitentes poterat ut LXX. Interpretationem miraculose proditam assererent, qua adversus Gentes & Judæos uti cogebantur.* Minus solide igitur [m] *Reuchlinus*: *Non putasset Hieronymus Cellulas illas fabulosas, si Paraneticum Justini accuratius legisset, qui se vestigia Cellularum adhuc stantia vidisse asserit.*

i Præf. in Jos.
k De Verbo Dei l. 2. c. 6.
l De Bibl. Interp. c. 2. p. 28.
m De Arte Cabal. lib. 3.

4. Illos

4. Illos autem revera in errore versari, & falsum omnino esse quod scribunt de miraculo Cellularum, argumentis luculentis compluribus clarissime demonstrari potest. Argumentum primum petitur ex ipsius *Pseudo-Aristeæ* testimonio, apud quem non modo nil habetur de hoc miraculo, verum etiam contrarium refertur. Si *Aristeas* scriptor *genuinus* fuit, uti fert vulgaris sententia, ex illius auctoritate evidentissime *demonstratur* hujus traditionis falsitas: & quamvis sit *suppositititius*, quod credimus nos & probavimus, apparet tamen illum scriptoribus illis omnibus, qui hujus miraculi meminere, longe vetustiorem fuisse, & constat ex ejus narratione, tunc cum ille historiolam suam contexuit, nil tale apud Judæos percrebuisse.

Aristeæ auctoritate ad extremas angustias acti Cellularum adsertores, quem lapidem non movent, quo se non vertunt, quid non moliuntur, ut Cellulas corruentes suffulcire ac sustentare possint? At frustra suscipitur totus iste, qui circa eas in arena, idque sine calce, extruendas versatur labor. Videamus eorum fulcra & statumina, quasque machinas adhibent domunculis collapsuris. Respondent nonnulli, *Aristeam tacite eas præteriisse potius quam aperte negasse.* Sic *Serarius* & *Rugerius. Non aperte* (inquit *Middendorpius*) *Interpretes inter transferendum contulisse scribit Aristeas, sed singula inter se differendo, id est, juxta secretiora illa mysteria secum expendendo* (credit is Interpretes LXX. fuisse LXX. Seniores Synedrii Magni) *veritatemque inquirendo, consonum quiddam edidisse: & quod tum demum perfecta, Regique oblata, & publice coram omnibus Judæis & Ægyptiis, qui tum forte aderant, lecta translatione, antequam perpetuo edicto confirmaretur, ex Regis mandato diligenter invicem contulerint, ne vel superfluum vel redundans, vel minus quam ad veram sententiam perspiciendam necessarium videretur, vel etiam perturbatum quid eorum Translatio forte contineret: & hoc cum eorum Patrum, qui LXX. Cellulas asserunt, testimoniis minime repugnat.* De sensu verborum Aristeæ haud minus ineptit *Salmeron.* "*Si verba Græca* (inquit) *Aristeæ expendantur,* "*Cellulis* LXX. *non adversantur. Nam sic ejus Græca verba Latine reddita* "*habent*: Consessum vel Synedrium faciens Demetrius in domo ædi-"ficata prope littus maris, adhortatus est viros ad faciendam interpre-"tationem. Illi autem perfecerunt singula concordantia facientes in-"ter se collationibus; & quod factum erat concordans, ut decebat, sic "& scriptum est. *Quorum verborum sensus est, quod in illa domo ædificata* "*prope maris littus, non ut una basilica omnes inhabitarent, quia id non* "*esset hospitium potentissimi Regis,* LXX. *Seniores, & primores suæ gentis* "*uno conclavi excipere, sed in una domo habente cellulas distinctas quamplu-*"*rimas. Subdit autem Aristeas* monitos fuisse viros ut aggrederentur "opus. Illi autem singula perfecere; *hoc est, quisque sigillatim interpre-*"*tatus est. Et subdit*: Concordantia facientes singuli: *id est fecerunt* "*singuli quæ concordarent inter se, non solum eisdem sententiis sed etiam ver-*"*bis.* Collationibus, *id est, dum conferrent ad se invicem interpretata. Po-*"*stremo*: Cum factum esset consentiens, & concordans ut decebat: *id* "*est, cum inventi sint fecisse translationem, quæ inter se concordaret, sic scri-*"*pta est.* Hæc *Salmeron.* Quæ omnia puræ putæ nugæ sunt, & ludibria. Neque possunt verba *Aristeæ* ulla vi vel arte ita trahi aut torqueri, quin omnino LXX. Cellulas subvertant & solo adæquent, omnique prorsus traditioni de Interpretum divino afflatu, repugnent. Hæc autem ea sunt: Συνέδριον ποιησάμενος (Δημήτριος) εἰς κατεσκευασμένον οἶκον παρὰ τὴν ἠϊόνα, διαπρεπῶς ἔχοντα, καὶ πολλῆς ἡσυχίας ἔφεδρον, παρεκάλει τοὺς ἄνδρας τὰ τῆς ἑρμηνείας ἐπιτελεῖν· παρόντων, ὅσα πρὸς τὴν χρείαν ἔδει, καλῶς. οἱ δὴ ἐπετέλουν ἕκαστα σύμφωνα ποιοῦντες πρὸς ἑαυτοὺς ταῖς ἀντιβολαῖς· τὸ δὲ ἐκ τῆς συμφωνίας γινόμενον πρεπόντως, ἀναγραφῆς οὕτως ἐτύγχανε παρὰ τοῦ Δημητρίου. *Consessum fa-*

ciens Demetrius in domo splendide extructa juxta littus, & ab omni tumultu & strepitu remota, cum ibi etiam adessent omnia quibus opus foret, hortabatur eos ad interpretationem perficiendam. Illi autem rem aggressi, singula ex collationibus ad consonantiam elaborarunt: & quod ita consonum & elaboratum erat, ut dignum esset descriptione, à Demetrio scripto excipiebatur. Ait 1. in *domo*, non in *domibus* diversis, Seniores Versioni operam dedisse. 2. Interpretes in domo ista congregatos συνέδριον constituisse. Sic proxime post verba adscripta subjungit: καὶ μέχρι μὲν ὥρας ἐνάτης τὰ τῆς συνεδρίας ἐγίνετο, *factum fuisse quotidie CONSESSUM usque ad horam nonam.* Rursus: Καθὼς δὲ προειρήκαμεν, οὕτως καθ' ἑκάστην εἰς τὸν τόπον συναγόμενοι, τὰ προκείμενον ἐπιτέλουν. *In singulos ergo dies, sicut ante diximus, CONVENIENTES in LOCUM illum rem susceptam perfecerunt.* Addit, absoluta Versione, Demetrium illam *Judæis omnibus congregatis in LOCUM illum ubi ea perfecta erat, prælegisse.* συναγαγὼν ὁ Δημήτριος τὸ πλῆθος τῶν Ἰουδαίων εἰς τὸν τόπον, οὗ καὶ τὰ τῆς ἑρμηνείας ἐτελέσθη, παρανέγνω πᾶσι. Quid? anne stantibus in diversis cellulis prælegisse *Demetrium* voluit *Aristeas*? Ex istis quæ dicit *Salmeron* de *domo una*, istiusmodi *hospitium* nisi in habitacula diversa divisum fuerit, tanto Rege indignum fuisse, credideris illum *Aristeam* vix unquam inspexisse. Docet enim *Aristeas* Seniorum *hospitium* fuisse non hic in insula *Pharo*, sed in ipsa urbe; & eos ab hospitiis suis diebus singulis in *Pharum* ad domum prædictam transiisse. 3. Cum inter omnes de vero sensu convenisset, ait ea quæ transtulerant, à *Demetrio* scripto excepta fuisse. Si in totidem cellulis separatis fuerunt Interpretes, quomodo potuit *unus Demetrius* illorum scriba esse, & eorum dictata describere? 4. Non Legis exemplaria LXXII. sed *unum* tantum juxta *Aristeam* habuerunt secum Interpretes. 5. Statuunt *Cellulistæ*, Seniores mansisse perpetuo à se invicem sejunctos donec tota interpretatio perfecta fuerit: sed docet *Aristeas* eos mutuo inter se per omne tempus versatos fuisse. *Ac quidem quotidie ad nonam usque horam in tali studio congregati erant: deinde discedebant ad curandum corpus, quibus omnia largiter suppeditabantur quæ cupiebant, & præter hoc quotidie de illis quæ Regi apparabantur, & his Dorotheus ex mandato regio subministrabat. Atque etiam quotidie bene mane veniebant in aulam, & salutato Rege redibant ad suum locum: lotisque manibus, pro communi Judæorum more, ex mari, & votis ad Deum peractis, pergebant legere, & singula interpretari. &c.* Quid clarius, quid dilucidius, quam Cellulas hæc omnino destruere atque pessundare? Porro omni inspirationi divinæ repugnat illud, quod dicitur de Interpretatione per *collationem* facta. Quod non intelligi potest, ut quidam interpretantur, de *collatione Versionis cum Hebræo* (apage ineptias!) nec de collatione inter se invicem postquam tota Translatio absoluta fuisset, ut alii locum intelligere volunt. Manifestum est Auctorem voluisse, Seniores singulis diebus, quum interpretationi operam dederint, singula inter se *contulisse*, & cum de sensu vero inter omnes convenisset, interpretationem à *Demetrio* in literas fuisse relatam.

Sed nec ipsi *Salmeroni* satisfecit explicatio sua verborum *Aristeæ*: movet itaque alium lapidem. Negat Historiam *Aristeæ* hodiernam eandem esse cum illa quæ apud veteres extabat; suffragantibus ei *Leone Castrio*, & *Jo. Gregorio*. Hanc opinionem refutavimus in Capite primo *Dissertationis de Historia Aristeana*. Alii respondent, hodiernam *Aristeæ* Historiam, quamvis eadem sit cum vetere, in hac tamen parte, quæ agit de modo conficiendi Versionem, corruptam esse. *Aristeana* autem Historiæ exemplaria, quæ extabant apud antiquos, miraculi diversarum Cellularum mentionem habuisse, probant 1. ex auctoritate [a] *S. Epiphanii*, quem dicunt de Cellulis scribentem, videri innuere, se Historiam

[a] De Pond. & Mens.

Historiam *Aristeæ* secutum fuisse. 2. ex auctoritate *R. Gedaliæ*, qui in *Shalshelet Hakabbala*, ubi LXX. Interpretum historiam per compendium tradit, idque ut ipse profitetur, ex *Aristea*, inter alia sic habet: *Et singulis diebus rex rogavit eos interpretationem quorundam difficilium dictorum, & sententiarum obscurarum, quæ omnia videre est in hoc libro* (Aristeæ) *& ad omnia tam apposite responderunt, ut ipsi optime placerent, & in admirationem sui raperent. &c.* Post hæc, inquit, conducti sunt ad insulam quandam *mille passibus ab Alexandria distantem, & eorum singulis assignatum est diversum conclave. &c.* De hoc *Gedaliæ* testimonio ait *Jo. Gregorius*, *non esse credibile eousque impudentiæ provectum eum fuisse ut hoc ex Aristea citaret si in ejus libro non comparuisset.* 3. ex *Tertulliano*, quem dicunt de mirabili Interpretum consensu *Aristeam* citare, his verbis: [a] *Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemæo à Judæis subscriptum est, septuaginta & duobus Interpretibus indultis, quos Menedemus quoque Philosophus providentiæ vindex DE SENTENTIÆ COMMUNIONE suspexit. Affirmavit hæc vobis etiam Aristæus.* Quem locum *Tertulliani* de Seniorum in interpretando *consensu* miraculoso intelligunt cum ejus Editores, *Pamelius*, *De la Barre*, *Rigaltius*, tum alii multi viri eruditi, [b] *Vives*, [c] *Bellarminus*, [d] *Baronius*, [e] *Genebrardus*, [f] *Middendorpius*, [g] *Serarius*, [h] *Salmeron*, [i] *De Loaisa*, [k] *Feu-ardentius*, [l] *Canisius*, [m] *Wierus*, [n] *Roccha*, [o] *Galesinius*, [p] *Zanchius*, & ipsi, qui rejiciunt hanc traditionem, [q] *Woverius* & [r] *Hottingerus*. Alios nil attinet recensere.

Sed frustra omnino sunt qui utuntur his argumentis. Nam 1. Historia ista, qua usus est sub nomine *Aristeæ Epiphanius*, prorsus diversa fuit (uti [s] alibi Lectorem jam sæpius commonuefecimus) ab illa quæ extabat apud antiquiores, *Josephum*, & *Eusebium*, eaque longe recentior. Neque liquet *Epiphanium*, quæ de Cellulis literis mandavit, ex suo *Aristea* hausisse. Quamvis enim in eodem libro *de Pond. & Mens.* Aristeæ historiam commemorat, cum tamen Cellularum meminit, ad famam tantum de istis [t] provocat. ὡς ἄδεται λόγος, *ut sermone vulgari fertur*. Ea denique quæ narrat *Epiphanius* de variis Cellulis non conveniunt cum istis, quæ tradunt de eisdem Scriptores supra citati. *Epiphanius* enim non Cellulas statuit 72. sed tantum 36. Qua de re in sequentibus. 2. Respondeo ad auctoritatem *R. Gedaliæ*, fuisse illum non unum ex antiquioribus Rabbinis (quod *Gregorius* videtur credidisse) sed valde recentem, novissimi scil. sæculi. Quo quidem ad exitum vergente, nempe anno 1587. suum *Shalshelet Hakabbala*, seu *Catenam Cabbalæ* edidit. Non aliis usus est ille *Aristeæ* exemplaribus, quam vulgaribus nostris quæ typis vulgata sunt. Et (pro more Scriptorum aliorum) quamvis maximam partem eorum, quæ scribit de Versione, desumpserit ex *Aristea*, in hac tamen parte vulgarem de Cellulis traditionem, utpote magis mirabilem, sequitur. Sic *R. Azarias* in Translatione Hebraica *Historiæ Aristeanæ*, cui titulum dedit, *Decus Senum*, non contentus nuda & simplici *Aristeæ* relatione, ex traditione vulgari, sub nomine tamen *Aristeæ*, refert Interpretes *separatim* Versioni vacasse. [t] *Et ecce* (inquit) *hi accinxerunt se pro virili, & modum hunc observarunt; unusquisque ex his seorsim transtulit singulas Legis partes, deinceps contulerunt inter se omnes translationes.* Quis paulo cordatior istiusmodi Rabbiniculos huc accerseret? Ridiculum! Sed solent plerique sine ullo examine, & sine ullo judicio, permagni facere omnes Auctores cujusvis sortis, qui *Hebraice* scribunt & *Rabbini* audiunt, quamvis eorum millium auctoritas ne assis forte ducenda sit. Respondeo 3^tio^ ad argumentum petitum ex loco *Tertulliani*. Quamvis tot eruditi viri locum istum intelligant de Interpretum consensu miraculoso, eos tamen à sensu illius genuino longe aberrare, audacter dixerim. Certe ad modum interpre-

a Apolog. c. 18.
b Not. in S. Aug de Civ. XVIII. 42.
c De verbo Dei II. 6.
d Annal ad an. 231. p. 386.
e Chron p. 283.
f Præf. in Arist.
g Proleg. Bibl. c. 17. Q. 10.
h Prolegom. V. p 46.
i Not. in Isidori Chron ad an. M. 4952.
k Not. in S. Irenæum III. 25.
l De Maria Deipara Virg. II. 6.
m De præstigiis dæmonum VI. 22.
n Epit. Bibl. Theol. p. 9.
o De LXX. Interp. p. 32.
p De Script. S. Q. 10.
q Syntag. de Bibliorum Interp. c. 6.
r Thes. Philolog. p. 324.
s Vide Differt. c. Hist. Aristeæ cap. 1.
t Cap. 5.

interpretandi non respexit *Tertullianus*, sed ad hunc *Aristeæ* locum: *Deinde quæsivit* (Rex) *ex proximo* (LXXII. Interpretum in Convivio) *Quis finis esset fortitudinis? Ille respondit: Si quod in rebus arduis & periculosis fuerit recte deliberatum & constitutum, id etiam ita pro animi sententia expediatur. Sed tibi, O Rex, à Deo præclare omnia perficiuntur, qui recta & salutaria habes proposita. Acclamantibus omnibus ad hæc, & applausu suam approbationem declarantibus, Rex ad Philosophos, qui non pauci aderant, dixit: Ego arbitror istos homines excellere virtute, & præ aliis esse intelligentes, qui extempore ad hujusmodi Quæstiones ita apte respondent omnes à Deo sermonis sui initium capientes. Tum MENEDEMUS Philosophus Eretriensis: Recte sane, inquit, Rex. Nam cum à DEO OMNIA GUBERNENTUR, & recte hoc statuamus, hominem esse Dei creaturam: consentaneum est, ut ii omnes sermonis sui vim & rectitudinem à Deo principaliter petant. Quibus cum Rex annuisset, verba facere desiit.* Tertullianus *Menedemum* appellat *Providentiæ vindicem*, eo quod in hoc loco dicitur declarasse, à *Deo omnia gubernari*: & cum dicit illum LXX. Interpretes *de sententiæ communione suspexisse*, hoc tantum intelligit, quod Interpretes *Menedemus* magni fecit quia de dispensatione rerum per Divinam Providentiam ipsi consenserint. Ejusdem rei ex Historia *Aristeæ* mentionem facit [1] *Josephus*, sed istius mentem vix assecutus: Θαυμάζοντος δ' αὐτοὺς, οὐ μόνον βασιλέως, ἀλλὰ καὶ Μενεδήμου τοῦ φιλοσόφου προνοίᾳ διοικεῖσθαι πάντα φήσαντος, καὶ διὰ τοῦτ' εἰκὸς καὶ τοῦ λόγου δύναμιν καὶ κάλλος εὑρῆσθαι, παύονται μὲν περὶ τούτων ἐπιζητοῦντες. *Cum vero non solum Rex eos esset admiratus, sed & Menedemus Philosophus ultro fateretur, Providentia dispensari universa,* [a] *indeque* [b] *plane eos ratiocinandi vim suam & pulchritudinem esse adeptos: finis sermonibus impositus est.*

a Hunc locum *Gelenius* non recte interpretatur.

b Ille non est sensus verborum ipsius Aristeæ.

5. Quam falsa sit assertio illorum, qui Historiam *Aristeæ* hac in parte depravatam esse contendunt, vel ex ipso *Josepho*, luculentum & conspicuum redditur. Provocamus nos ad *Aristeæ* exemplaria non modo *hodierna*, sed ad illa antiquissima, quibus usus est ipse *Josephus*. Omnia habet *Josephus*, dum scribit ex historia *Aristeæ*, hodiernis nostris exemplaribus ad amussim congrua. Unum tantum Exemplar Legis deportatum fuisse in Ægyptum à LXXII. Interpretibus *Josephus* clarissime innuit, & de *una* tantum *domo*, in qua interpretationi operam dederint, mentionem facit, de afflatu aliquo divino ne γρῦ apud illum occurrit. Παραλαβὼν αὐτοὺς ὁ Δημήτριος καὶ διελθὼν τὸ ἑπταστάδιον χῶμα τῆς θαλάσσης πρὸς τὴν νῆσον, καὶ διαβὰς πρὸς τὴν γέφυραν, προελθὼν ἐπὶ τὰ βόρεια μέρη, συνέδριον ἐποιήσατο ἐν τῷ παρὰ τὴν ἠϊόνα κατεσκευασμένῳ οἴκῳ, πρὸς διάσκεψιν πραγμάτων ἠρεμίας καλῶς ἔχοντι. ἀγαγὼν οὖν αὐτοὺς ἐκεῖ παρεκάλει πάντων, ὧν ἂν δεηθεῖεν εἰς τὴν ἑρμηνείαν τῶν νόμων, παρόντων ἀκωλύτως ἐπιτελεῖν τὸ ἔργον. οἱ δ' ὡς ἐνῆν μάλιστα φιλοτίμως, φιλοπόνως τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῆ ποιούμενοι, μέχρι μὲν ὥρας ἐνάτης πρὸς τοῦτο διετέλουν ὄντες. ἔπειτα ἐπὶ τὴν τοῦ σώματος ἀπηλλάσσοντο θεραπείαν, ἀφθόνως αὐτοῖς τῶν πρὸς τὴν δίαιταν χορηγουμένων, καὶ προσέτι τοῦ Δωροθέου πολλὰ καὶ τῶν παρασκευαζομένων τῷ βασιλεῖ, προστεταχότος γὰρ, αὐτοῖς παρέχοντος. πρωῒ δὲ πρὸς τὴν αὐλὴν παραγινόμενοι καὶ τὸν Πτολεμαῖον ἀσπαζόμενοι, πάλιν ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἀπῄεσαν τόπον. καὶ τῇ θαλάσσῃ τὰς χεῖρας ἀπονιπτόμενοι καὶ καθαίροντες αὐτοὺς, οὕτως ἐπὶ τὴν τῶν νόμων ἑρμηνείαν ἐτρέποντο. μεταγραφέντος δὲ τοῦ νόμου καὶ τοῦ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ἔργου τέλος ἐν ἡμέραις ἑβδομήκοντα καὶ δυσὶ λαβόντος, συναγαγὼν ὁ Δημήτριος τοὺς Ἰουδαίους ἅπαντας εἰς τὸν τόπον ἔνθα καὶ μετεβλήθησαν οἱ νόμοι, παρόντων καὶ τῶν ἑρμηνέων ἀνέγνω τούτους. &c. *Demetrius assumptis eis* (LXXII. Interpretibus) *transivit aggerem illum septem stadiorum, & pontem qui Insulam Continenti adjungit: & progressus ad septentrionale littus, SYNEDRION constituit* (sive eos CONSIDERE fecit) *in DOMO prope littus extructa, re-*

[1] Antiq. XII. 2. memoriæ lapsu dicit ille habitum fuisse hunc sermonem post omnes Quæstiones & Respons. sed habitum fuisse post decimam Q. apud primi diei convivium docet *Aristeas*.

mota

mota à strepitu, & contemplationi rerum idonea, rogavitque ut quandoquidem ad opus jam instructi sint, ut nihil desiderent amplius, ordiantur interpretationem feliciter. Illi vero NON PARCENTES LABORI quam poterant accuratissime interpretabantur, usque horam nonam assidentes operi: reliquum deinde temporis curando corpori dabant, præter aliam copiam etiam de regi paratis cibis partes afferente Dorotheo ita ut mandatum ei fuerat. Mane autem regiam ingressi salutato rege in eundem locum ad institutum negocium se referebant: quod marinis aquis ablutis manibus prius mundati aggrediebantur. Versione autem Legis intra septuaginta duos dies absoluta, Demetrius advocatis omnibus Judæis in LOCUM UBI versa, præsentibus etiam Interpretibus perlegit Codicem. &c. In hoc loco observandum est 1. de *unica domo* mentionem haberi. 2. in ista domo *consedisse* simul Interpretes. 3. Versionem dici confectam φιλοπόνως magno cum labore & cura. 4. innui inter se mutuo versatos fuisse Seniores postquam à domo ubi Versionem elaborarunt, recessissent. 5. *in locum* ubi Versio confecta est congregatos fuisse omnes Judæos, ut eis Translatio prælegeretur. Hæc omnia *Aristeæ nostro* consona sunt; & traditioni de Cellulis LXXII. deque divino Interpretum afflatu, prorsus contraria. Eidem insuper figmento repugnat illud, quod subnectitur, Sacerdotes & seniores Interpretum & Magistratus populi, postquam Versio à *Demetrio* perlecta fuerit, volentes ut rata permaneret, nihilque ex ea permutari liceret, *jussisse, ut prius, si quis aliquid deprehenderet vel superesse Legi vel deesse, diligentius inspectum & indicatum corrigeret, quando consultum esset ut res semel approbata, rata esset in perpetuum.*

Ad hæc nonnulli [a] regerunt, ipsius *Josephi* exemplaria hodierna hoc loco corrupta esse, & antiqua ejus exemplaria Cellularum diversarum & propheticæ Interpretum inspirationis meminisse. Hoc conantur probare ex auctoritate *B. Justini Martyris*, qui (ut aiunt) de miraculo Cellularnm *Josephi* testimonium adducit. Videamus verba *Justini*. Post narrationem institutam de Interpretibus Hierosolymis accitis à Rege *Ptolemæo*, & de Cellulis LXXII. in quibus Versioni incubuerint, quarnm dicit se vestigia in insula Pharo conspexisse, hæc subjungit: [b] *ἃ καὶ παρ' ἑτέρων ἔξεστιν ὑμῖν μανθάνειν, καὶ μάλιστα παρ' αὐτῶν τῶν περὶ τούτων ἱστορησάντων σοφῶν καὶ δοκίμων ἀνδρῶν, καὶ Φίλωνός τε καὶ Ἰωσήπου, καὶ ἑτέρων πλειόνων.* Respondemus 1. non citari hoc loco *Josephum* & *Philonem* de omnibus & singulis quæ de Interpretatione præmittuntur, sed *Justini* sensum hunc esse; à *Josepho, Philone*, aliisque, historiam Interpretationis celebrari. Hoc vidit *Justini* Interpres, qui locum sic recte vertit: *Quæ ex aliis quoque (aliqua ex parte) intelligere potestis, & potissimum ex eis qui ista scriptis suis inseruerunt, sapientibus & spectatis viris, Philone & Josepho, & pluribus aliis.* Neque ipse *Philo* de Cellulis meminit, ut in illis quæ sequuntur ostensuri sumus. 2. Citantur non raro Auctores cum à SS. Patribus, tum ab aliis Scriptoribus cujusvis generis, memoriæ lapsu, de rebus quæ in illis non reperiendæ sunt. Non immoror in re quæ nemini ignota esse potest. Quamvis igitur *Josephum Cellularum* LXX. meminisse totidem verbis affirmasset [c] *Justinus*, non tamen credendum id fuisset contra fidem omnium exemplarium, quia multo magis probabile fuisset *Justinum* memoria lapsum fuisse. His addo, constare testimonio *B. Hieronymi* vetusta *Josephi* exemplaria de Cellulis LXX. omnino siluisse. *Josephum* enim contra istam traditionem testem advocat ipse [d] *Hieronymus*. Sic *Zonaras* quoque animadvertit *unius* domus mentionem apud *Josephum* fieri, non conclavium diversorum, quorum alii meminerint. Παραλαβὼν (inquit) *αὐτοὺς ὁ Δημήτριος, καὶ εἰς ἕνα οἶκον ἀπαγαγὼν ἤρεμον, ἔργου ἔχεσθαι παρεκάλει. οἱ δὲ ὡς ἐνῆν φιλοτίμως ἀκριβῆ τὴν ἑρμηνείαν ἐτίθεντο. — οὕτω μὲν τὴν ἑρμηνείαν τῶν Ἑβραϊκῶν γραφῶν γενέσθαι ἱστόρησεν ὁ Ἰώσηπος. ἕτεροι δὲ μὴ ὁμοῦ*

a Jul. Rugerius De libris Canonicis c. 39.

b Cohort. ad Græc. p. 14.

c Justinum M. memoriæ lapsu S. Scripturas sæpe perperam citare, ostendit *Capellus* Crit. Sac. p. 530.

d Præf. in Pentateuchum. Locum vide inferius.

συνελθόντας φασὶ τοὺς ἑρμηνέας, τῶν γραφῶν ποιήσασθαι τὴν παράδοσιν &c. *A Demetrio in* unam domum *omnes sunt deducti*, *hortante*, *Ut operi instarent. Hi* pro virili accuratoque studio *conversionem absolvunt.* ——— *Ac Hebraicas Scripturas hoc modo fuisse conversas*, Josephus *tradit. Alii vero auctores sunt*, *Interpretes* non uno in loco *congregatos conversioni vacasse &c.*

Ad Asylum aliud confugiunt alii, & *Josephum* dicunt mentionem miraculi Cellularum de industria suppressisse, ne *Gentilibus* id incredibile, ipseque in Historia mendacia edidisse, videretur. In his sunt *Alphonsus Salmeron* & *Joannes* noster *Gregorius*. Allegat [a] *Salmeron*, *Josephum*, quamvis in Historia Græca, quam lecturi erant *Gentiles*, mentionem istarum facere noluerit, in Historia tamen *Hebraica*, quam lecturi erant soli *Judæi*, miraculum istoc celebrare; indocte nimirum credens, Historiam *Gorionidæ*, *Josephi* nostri genuinum opus fuisse. *Gregorius* urget, solenne esse *Josepho* historiæ Judaicæ miracula vel prorsus omittere, vel extenuare, & ad fidei *Ethnicorum* normam reducere, ne illa plenius narrando eorum risum & sannas subiret: atque hoc ab eo factum esse in miraculo Maris Rubri, & de Metamorphosi Regis *Nabuchodonosori*.

[a] Proleg. VI. pag. 63.

Ad hæc respondeo 1. Si *Josephus* Cellularum miraculum omittere voluisset, id omisisset tantum & celasset, non prorsus repugnantia (quod facit) tradidisset. 2. Si Cellularum vestigia suo tempore extare credidisset, si scisset *Aristeam*, virum (ut credebatur) *Gentilem*, miraculum istud celebrasse, de sannis Ethnicorum non potuisset solicitus esse. Res fuisset per se testatissima. Et miraculum tantum, quod ipsum *Ethnicum* Scriptorem habuerit testem, & Philosophis Alexandrinis ignotum esse non potuerit, qui potuit *Josephus* celare velle? 3. Nego *Josepho* solenne esse Ethnicorum metu, ad fidem historiæ suæ comparandam, gentis suæ miracula vel omittere vel extenuare. Certe apud *Josephum*, *non indiligentem populi sui præconem*, ut [b] *Zuinglius* illum appellat, ubique occurrunt miracula, ubique deprædicatur singularis Dei erga gentem *Judaicam*, super alias omnes, benevolentia. Maris Rubri miraculum magnifice & ample [c] describit; & quamvis subjiciat mari *Pamphylio* idem accidisse ut transiret Alexander Macedo; non tamen hoc addendo voluit Maris Rubri miraculum diminuere: sed ideo mentionem istius rei adjungit, ut Gentiles persuasos haberet, Deum Opt. Max. ejusmodi miracula & posse, & velle, nonnunquam edere. Eodem plane modo *Origenes* in libris contra *Celsum*, exempla Herculis aliorumque, quos in Deos translatos fuisse credebant Gentiles, profert, ne absurda videatur Christianorum de Christo Deo & Homine fides. Οὐδὲν δὲ ἄτοπον, inquit, πρὸς Ἕλληνας καὶ Ἑλληνικαῖς ἱστορίαις χρήσασθαι, ἵνα μὴ δοκῶμεν μόνοι τῇ παραδόξῳ ἱστορίᾳ ταύτῃ χρήσασθαι. *Neque absurdum fuerit cum Græcis agentes Græcis uti historiis*, *ne videamur soli historiam mirificam adduxisse.*

[b] Præfat. in Isaiam.

[c] Antiq. II. ult.

Infelicius *Gregorio* succedit quod urget de *Nabuchodonosoro*. Illius miraculum non extenuat [d] *Josephus*, sed eodem plane modo, quo *Daniel* Propheta, rem totam enarrat, nempe Regem regno privatum *inter bestias* κατ' ἐρημίας i. e. *in solitudine* vixisse. Perabsurde arbitratus est *Gregorius*, Josephum per, κατ' ἐρημίας, nihil aliud sibi voluisse, quam Regem *private in cubiculo* vitam egisse. Itane vero? Voluitne *Josephus* inter *BESTIAS* illum in *CUBICULO* versatum fuisse? Ipsa *Josephi* verba subscripsi. Ὁρᾷ κατὰ τοὺς ὕπνους ὁ βασιλεὺς ὄψιν ἑτέραν. ὡς ἐκπεσὼν τῆς ἀρχῆς, μετὰ θηρίων ἕξει τὴν δίαιταν, καὶ διαζήσας οὕτως ἐπὶ τῆς ἐρημίας ἔτεσιν ἑπτὰ, αὖθις τὴν ἀρχὴν ἀπολήψεται. ——— Διατρίψας ἐπὶ τῆς ἐρημίας τὸν προειρημένον χρόνον οὐδενὸς τολμήσαντος ἐπιθέσθαι τοῖς πράγμασιν παρὰ τὴν ἑπταετίαν, δεηθεὶς τοῦ Θεοῦ τὴν βασιλείαν ἀπολαβεῖν πάλιν, εἰς αὐτὴν ἐπανέρχεται. *Rex inter dormiendum aliud vidit insomnium*, *quod privatus regno vitam acturus esset*

[d] Lib. 10. c. 11.

INTER

INTER BESTIAS, *& post exactum eo modo septennium*, *denuo restituendus esset in pristinum imperium.* Interjectis aliquibus subjicitur: *Cum in solitudine tempus praedictum egisset*, *nemine septennio toto audente invadere dominium*, *exorato Deo rursus in regnum suum restitutus est.* De fide sua in miraculis hisce narrandis hæc subnectit: *Nemo autem mihi vitio debet vertere*, *quod hæc ita ut in antiquis libris invenio*, *scriptis meis insero. Talibus enim criminationibus dudum occurri in initiis hujus historiæ*, *palam profitens me tantum Hebraicorum voluminum in Græcam linguam interpretem*, *nec addentem quicquam de meo*, *nec auferentem.* Cum commemorat [a] Josephus locutionem *Asini Balaami*; si *Gregorium* audiamus, non ausus fuisset istius miraculi mentionem facere, nisi comperisset apud Gentiles creditum fuisse, animalia bruta humanas voces nonnunquam protulisse. (a Lib. 4. c. 5.) Cum meminit [b] diem ipsum temporibus Joshuæ, in gratiam Israelitarum, contra naturæ leges protractum fuisse; (b Lib. 5. c. 1.) non ausus fuisset, ut contendit *Gregorius*, rem istam memorare, nisi ex illis, quæ dicuntur de noctibus *tribus*, quo tempore *Hercules* gigneretur, conjunctis, sperasset illam Gentilibus credibilem fore. Pace tua, *Gregori* doctissime; nescirene potuit *Josephus*, quæ jactantur de noctibus istis, apud omnes Gentiles sapientiores pro fabulosis habita fuisse? Cum memoriæ tradit, miraculum *solarii* regis *Ezeciæ*, speravit (ut nugari pergit *Gregorius*) rem illam Gentilibus non fore incredibilem, quia docent Mathematici ipsius Artis & Instrumentorum viribus in solariis umbram retrahi posse. Hoc, inquit *Gregorius*, demonstrat *Petrus Novius* de *Zona* quæ inter *Tropicos* constituitur; & de locis quibusvis extra Tropicos, *Clavius*. In hisce prolixus est *Gregorius*: sed labore prorsus irrito. Scivitne, precor! *Josephus* hoc fieri posse? Et si fieri posse compertum ipse habuisset, haud tamen exinde sperare potuisset, miraculum illud solarii *Ezeciæ* credibile Gentilibus redditum iri; quandoquidem *Ezeciæ* solarium situm suum non mutaverit, sed res tota facta fuerit, uti ipse refert, & nostri fatentur Mathematici, per potentiam Dei extraordinariam. Sed quid in hisce immoramur? Innumera sunt alia [1] miracula à *Josepho* passim relata. Non parce illa literis prodidit, sed affatim ac liberaliter. Mitto alia quæ cumulatim celebrat, ne Lectori nimius videar. Unum tantum aut alterum subjungam. De templo ab Herode rege extructo non parcit hæc literis mandare: [c] *Fertur toto tempore quo templum struebatur nunquam interdiu pluisse*, *noctu tantum imbribus descendentibus ne interrumperetur ædificatio*: *eaque fama quasi per manus tradita ad nos pervenit à majoribus. nec est veri absimile*, *si quis divinam providentiam respiciat.* (c Lib. 15. ad finem.) Qui hujusmodi miraculum ex fama nuda in Historiam suam referre non veritus est, quomodo is supprimere voluit miraculum *Cellularum*, ne Gentilibus videretur incredibile. Quid? quod eodem in loco ubi de Versione commentatur, & in unica domo elaboratam fuisse docet, miracula alia insignia, quæ sacris Judæorum Scripturis venerationem, profanis vero Gentilium fabellis contemptum, parerent, ex ipso *Aristea* narrat: *Theopompum* scil. *Historicum volentem ex S. Scripturis quædam suis scriptis inserere*, *mente motum fuisse diebus* 30. *& per intervalla insaniæ precibus Deum placasse*, *facile conjicientem quæ morbi causa fuerit*, *atque etiam in somniis admonitum hæc ideo pati*, *quod fuisset circa Divinas cu-*

1 De miraculis Mosis coram Pharaone exhibitis vide Antiq. II. 5. de miraculo exhibito cum tradita fuit Lex, & apparentia Sinaica, lib. 3. c. 4. de gemmis super humeros Pontificis splendentibus c. 9. de aquis amaris per Mosen dulcibus redditis. De Judæis manna cœlitus pastis: De saxo aquas emittente, eundem librum videre est. De ruina mœniorum urbis Jericho lib. 5. cap. 1. Sampsonis gesta prodigiosa deprædicantur in eodem libro, & Philistini *fere bis mille* ab eo perhibentur occisi asini maxilla. De fonte ex maxilla asini fluente, ibid. De 3. Pueris in fornace Babylonica servatis l. 10. c. 11. De Daniele in fovea leonum conservato c. 12. De manu cœlesti coram rege Balthasare scribente, ibidem. De Angelis equitibus, qui Apollonii sacrilegi in Templum intrantis mentem perculere, V. lib. ejus *De Maccabæis*.

riosior, easque voluisset proferre profanis hominibus: quare, cum à cœpto destitisset, Janam mentem ei fuisse redditam. Theodectæ etiam Poetæ, cum in quadam Tragœdia vellet aliquid è sacris admiscere, oculos glaucomate suffusos caligasse, & cum erratum agnovisset, exorato Deo, redditam aciem. Quis credat *Josephum*, qui hujusmodi miracula ex ipso *Aristea* referre non dubitaverit, Gentilium metu omisisse *Cellularum* mentionem, & contraria prorsus tradidisse?

6. Antiqua *Aristeæ* exemplaria nihil habuisse de miraculo Cellularum diversarum, aut Divinæ inspirationis, non solum ex *Josepho* apparet, verum etiam ex indiciis aliis luculentis. 1. *Eusebius Cæsariensis* in *libro* VIII. *Præpar. Evang. cap.* V. ubi multa transcribit ex narratione *Aristeæ*, quum ad locum istum devenerit ubi de ratione interpretandi sermo est, ea omnia transilit & præterit: quod nullo modo fuisset facturus, si tanto miraculo fuisset ista pars insignita. 2. De exemplaribus *Aristeæ*, quæ suo tempore extabant, hoc totidem verbis affirmat [a] *D Hieronymus. Nescio* (inquit ille) *quis primus auctor septuaginta Cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint, cum Aristeas ejusdem Ptolemæi* ὑπερασπιστῆς, *& multo post tempore Josephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos, contulisse scribant, non Prophetasse. &c.* In alio loco [b] affirmat LXX. *Cellulas vulgo sine auctore jactari.* Et alibi [c] hanc traditionem ut futilem verbis irridet: *Certe si nobis non habent fidem, legant alias editiones, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis: interrogent Hebræos non unius loci, ne eos à me redemptos jactitent, sed diversarum provinciarum, & cum errori meo vel imperitiæ cunctos viderint consonare, tunc se intelligant nimium esse prudentes, & magis cupere dormire quam discere, habitentque in* LXX. *Cellulis Alexandrini Phari: ne vela perdant de navibus, & funium detrimenta suspirent.* 3^tio B. Augustinus in multis suis opusculis mentionem faciens LXX. Cellularum, quas *Hieronymus* deriserat, non provocat ad auctoritatem *Aristeæ*, aut ullius ejus exemplaris, sed solummodo *famam* testem advocat. In lib. 2. De consensu Evangelistarum, c. 6. *Ex ipsa eorum mirabili, quæ prædicatur, consensione.* De Civ. Dei XVIII. 42. *TRADITUR, sane tam mirabilem ac stupendum planeque divinum in eorum verbis fuisse consensum, ut cum ad hoc opus separatim singuli sederint &c.* De Doctrina Christ. II. 15. LXX. *Interpretes jam per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia Spiritus S. interpretati esse* dicuntur, *ut os unum tot hominum fuerit. Qui si,* ut fertur, multique non indigni fide prædicant, *singuli cellis etiam singulis separati cum interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris: quis huic auctoritati conferre aliquid nedum præferre audeat? &c.* In Epistola ad [d] *B. Hieronymum* non audet asserere, Interpretes fuisse Prophetico spiritu afflatos, verum hoc in dubio relinquit. *Omitto enim Septuaginta, de quorum vel* consilii *vel* spiritus *majore concordia quam si unus homo esset non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis præeminentem auctoritatem in hoc munere sine controversia tribuendam existimo.*

[a] Præf. in Pentateuchum: ex qua recitantur in Apolog. 2. contra Ruffinum p. 152.
[b] Præfat. in Chron.
[c] Com. in Ezech. cap. 33.
[d] Epist. 8.

7. Credideris, his positis, ne quidem quod hiscant Cellularum adsertoribus superesse. Sed magna est vis præjudicii. Fatetur & concedit [e] *Jo. Morinus*, acerrimus *Cellularum* propugnator, de Cellulis 70. nihil unquam apud *Aristeam* extitisse, sed ejus auctoritatem, licet eam pro scriptore genuino agnoscat, non putat tanti faciendam esse, ut contra tot aliorum Auctorum testimonia, apud quenquam debeat valere. *Quid sibi* (inquit) *voluerit S. Hieronymus plurimum habet Lector quod miretur. Sæpe enim in famosissimum, & testatissimum illud miraculum invehitur. Quos Auctores sequitur? Quæ scribit, à quibus didicit? Universos Patres habet sibi contrarios, universos item Judæos, ipsique maxime adversatur ratio. Quid enim rationi magis consentaneum est, quam credere translationem*

[e] Exercit. 8. l. 1.

tionem illam maximo cum miraculo factam esse, quæ Ecclesiæ ab Apostolis, viris divinis, tradenda erat, cujus ope gentes ad fidem convertendæ erant, & Judæorum pervicacia retundenda. De hoc miraculo, inquit, siluit Aristeas, siluit Josephus: ita est, sed non siluerunt tot Patres, non siluerunt tot Judæi antiqui, imo ut historiam certissimam, & majorum traditione celebrem scriptis suis mandarunt. Duobus auctoribus mutis innumeros auctores Christianos & Judæos, forti & consona voce hoc miraculum prædicantes oppono, perpetuam insuper & nunquam interruptam Christianorum & Judæorum traditionem. —— —— *Aristææ silentium in hac causa parvi pendendum. Quando enim de nostræ fidei miraculis agitur, ethnicis historicis nulla fides adhibenda. Hoc argumentationis genus si admittatur, de universis miraculis actum est. Quis nescit eos cum de historiis Judæorum, aut Christianorum agunt, omnia miracula, eo quod vel ad ea mentem non advertant, vel quod illa irrideant, perpetuo præterire; humana vero, & historica gesta plerumque referendo perturbare, aut resecare. Hujus rei testes sunt, quotquot sunt profani Historici. Vel enim res Judæorum hoc modo narrant, vel prorsus prætermittunt.* Apparet ex istis, quæ superius posita sunt, *Aristeam* non modo miraculum hoc prætermittere, verum etiam contraria & plane repugnantia referre. Et si illud tantum prætcriisset, aliorum omnium testimonia abunde refutasset illius silentium. Male provocat *Morinus* ad aliorum Scriptorum Gentilium consuetudinem, cum appareat *Aristeam* (sive *Judæus*, sive *Gentilis* fuerit) in eo totum fuisse ut Religionis Judaicæ eorumque Legis venerationem in hominum animis excitaret, & ut Græcam Translationem quam absolutissimam fuisse orbi literario persuaderet. Eumque ex invidia Cellularum miraculum non siluisse, vel exinde apertissime liquet, quod meminerit miraculorum *Theopompi* & *Theodectii*, de quibus superius locuti fuimus.

8. De *Aristea* plus satis. Argumentum aliud quo evincitur fabulam esse quod scribunt de miraculo Cellularum, exinde peto quod statuunt alii Cellularum adsertores antiqui, fuisse Cellulas numero non LXXII. in quibus Seniores singuli Versioni separatim invigilaverint, sed tantum XXXVI. in quibus conclusi per binos, Interpretationes XXXVI. ex omni parte sibi consentaneas adornarint. *Epiphanium* in primis audi sis, in libro *De Mensuris & Ponderibus* rem fuse sic enarrantem: Ἑβδομηκονταδύο γὰρ ὄντες τὸν ἀριθμὸν, καὶ ἐν τῇ Φαρίᾳ νήσῳ, καλουμένῃ δὲ ἄνω γῇ, ἀντικρὺ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐν λ΄. καὶ ἓξ οἰκίσκοις, ζυγῇ ζυγῇ κατὰ οἰκίσκον, ἀφ' ἕωθεν ἕως ἑσπέρας συγκλειόμενοι, καὶ τὸ ἑσπέρας ἐν τριακονταὲξ σκαφιδίοις περαιούμενοι, εἰς τὸ τοῦ Πτολεμαίου Φιλαδέλφου παλάτιον, καὶ μετ' αὐτοῦ ἑστιώμενοι, καὶ κατὰ ζυγὴν ἐν κοιτῶσι τριακονταὲξ καθεύδοντες, εἰς τὸ μὴ συνδυάσαι μετ' ἀλλήλων, ἀλλ' ἀνοθεύτως ἑρμηνεῦσαι, οὕτως διετέλουν. Σὺν γὰρ τοῖς προειρημένοις τριακονταὲξ οἰκίσκοις ὁ ῥηθεὶς Πτολεμαῖος κατασκευάσας ἐν τῷ πέραν εἰς τὴν νῆσον, διπλοῦς τε αὐτοὺς ποιήσας, δύο δύο ἀνέκλεισεν, ὡς ἔφην, καὶ παῖδας δύο ὑπηρετεῖν αὐτοῖς ἅμα ἀνέκλεισεν, ὀψοποιίας ἕνεκεν, καὶ ὑπηρεσίας, μετὰ καὶ ταχυγράφων. ἀλλ' οὔτε θυρίδας τοῖς οἰκίσκοις ἐκείνοις ἐκ τῶν τοίχων ἐποίησεν, ἀλλ' ἄνωθεν ἐκ τῶν δωμάτων τὰς καλουμένας ἀναφωτίδας ἀνέῳξεν. οἱ δὲ οὕτως διάγοντες ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ἑσπέρας ὑπὸ κλεῖδα συγκεκλεισμένοι οὕτως ἡρμήνευσαν. ἑκάστῃ δὲ ζυγῇ βίβλος μία ἐπεδίδοτο· ὡς εἰπεῖν, ἡ βίβλος τῆς τοῦ κόσμου Γενέσεως μία ζυγῇ, ἡ Ἔξοδος τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τῇ ἄλλῃ ζυγῇ, Λευιτικὸν τῇ ἄλλῃ, καὶ καθεξῆς ἄλλη βίβλος τῇ ἄλλῃ. καὶ οὕτως αἱ εἰκοσιεπτὰ βίβλοι αἱ ῥηταὶ καὶ ἐνδιάθετοι, εἴκοσι δὲ καὶ δύο κατὰ τὴν τοῦ ἀλφαβήτου παρ' Ἑβραίοις στοιχείων ἀριθμούμεναι, ἡρμηνεύθησαν. *Duo enim ac septuaginta viri in Pharo insula, quæ* Terra superior *dicitur, è regione urbis Alexandrinæ, in sex & triginta cellulis, bini scilicet in singulis, à primo diluculo ad vesperam conclusi sunt. Sub vesperam porro triginta sex scaphis ad Ptolemæi Philadelphi Palatium advecti, ad ejus epulas adhibebantur. Tum in triginta sex cubiculis, bini scilicet in unoquoque dormiebant, ne capita conferre possent: sed sincere ac fideliter interpretarentur. Ptolemæus enim ille triginta sex,*

quas dixi, cellulas in illa insula condidit, easdemque duplices; (sic vulgo interpretantur) *quibus singula paria conclusi cum duobus famulis, cibi parandi ac ministrandi gratia, una cum notariis. In his cellulis nullas parietibus fenestras impressit, sed à tecto superne illas aperuit, quas* anaphotidas *nominant. Hoc illi modo à primo diluculo ad vesperam obseratis foribus inclusi sacras literas transtulerunt. Unicuique porro Interpretum pari liber attribuebatur unus. Exempli gratia, Geneseos volumen uni committebatur: Exodus alteri: Leviticus alii. Atque ita deinceps cæteri. Ita septem & viginti scripturæ ac veteris Testamenti libri, qui ad duos ac viginti pro literarum Hebraicarum numero rediguntur, Græcum in sermonem conversi sunt.* Paulo post: αὗται τοίνυν αἱ εἴκοσι καὶ ἑπτὰ βίβλοι, εἰκοσιδύο δὲ ἀριθμούμεναι μετὰ καὶ τοῦ ψαλτηρίου, καὶ τῶν ὄντων ἐν τῷ Ἱερεμίᾳ· φημὶ δὲ καὶ τῶν Θρήνων αὐτοῦ, καὶ τῶν Ἐπιστολῶν Βαρούχ, εἰ καὶ οὐ κεῖνται ἐπιστολαὶ παρ' Ἑβραίοις, ἢ μόνον ἡ τῶν Θρήνων τῷ Ἱερεμίᾳ συναφθεῖσαι, τὸν τρόπον ὃν εἴπομεν ἡρμηνεύθησαν κατὰ περίοδον ἑκάστη ζυγῇ ἑρμηνευτῶν ἐπιδιδόμεναι, καὶ ἀπὸ τῆς πρώτης ζυγῆς τῇ δευτέρᾳ, καὶ πάλιν ἀπὸ τῆς δευτέρας τῇ τρίτῃ, καὶ οὕτως παρῆλθον κελεύουσαι (corrupta dictio: an ᵃ κύκλῳ οὖσαι, vel ἐν κύκλῳ οὖσαι?) ἑκάστη τριακοντάκις ἑξάκις ἑρμηνευθεῖσαι, ὡς ᾄδεται λόγος. καὶ εἰκοσιδύο τῶν Ἀποκρύφων. Ὅτι δὲ ἐπληρώθησαν, ἐκαθέσθη ὁ βασιλεὺς ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ, καὶ τριακονταὲξ ἀναγνῶσται ἔχοντες ἑκάστης βίβλου τὰ τριακονταὲξ ἰσότυπα, ἐξ ἧς (l. καὶ εἷς) ἔχων τὴν βίβλον τῆς Ἑβραϊκῆς ἀντιγραφῆν. ἑνὸς δὲ ἀναγινώσκοντος ἀναγνώστου, καὶ τῶν ἄλλων ἐπεχόντων, οὐχ εὑρέθη διαφωνία. &c. *Igitur septem & viginti illi libri, qui viginti duo numerantur, cum Psalterio, ac cæteris qui Hieremiæ accensentur, hoc est Lamentationibus, & Epistolis Baruchi; quamvis apud Hebræos Epistolæ istæ non reperiantur, sed Lamentationes duntaxat ad Hieremiæ prophetiam attextæ: eo, quem dixi, modo per orbem in unumquodque par Interpretum distributæ sunt, puta à primo pari ad secundum, ab hoc ad tertium pervenerunt, donec sexies ac trigesies singuli Græce conversi sunt, ut fama vulgari perhibetur. Quibus viginti duo addendi sunt Apocryphi. Postremo absolutis omnibus, Rex in sublimi solio consedit: ad quem triginta sex lectores cum totidem exemplaribus adducti sunt, cum altero, qui Hebraicum archetypum tenebat. Cum igitur unus è lectoribus recitaret, cæteri diligenter attenderent, nihil varietatis est ac discriminis repertum. &c.* Rursus: *Tu vero quisquis es erudite,* (omitto Græca) *ac studiose, de tota causa statuito: apud quos veritas ipsa reperiri certius possit: utrumnam apud illos tres, Aquilam, Symmachum, & Theodotionem: qui nunquam inter se capita contulerunt; sed privatim singuli suis quisque temporibus, & locorum intervallo dissiti in eam scriptionem incubuerunt: neque plures tribus extiterunt, ac denique secum ipsi concordes esse nequiverunt: an apud Septuaginta duos illos priores, qui eodem tempore omnes vixerunt, & interpretati sunt, ac triginta sex domiciliis Regis imperio distributi* (καὶ εἰς τριακονταὲξ μέρη κατὰ πρόσταγμα βασιλέως διαιρεθεῖσι, καὶ ἄνευ τοῦ πρὸς ἀλλήλους συνδιάσαι·) *nulla inter se communicatione habita, sancti Spiritus instinctu Scripturarum interpretationem admirabili consensione sic ediderunt, ut ubicunque perspicuitatis gratia addendum aliquid esset, concorditer adjicerent, cum quæ alterius interpretatio foret penitus ignorarent: rursus vero sicubi dissimulari aliquid oporteret, ex æquo omnes rejicerent & inter se congruerent: Perinde ac si eundem in locum convenientes, communicato invicem consilio, de interpretandi ratione statuissent. &c.* Statuit *Epiphanius* varia Interpretum paria, quamvis in additis & omissis, & passim sensu, inter se congruerent, in nonnullis tamen dictionibus à se invicem discrepasse. Hinc credidit provenisse lectiones variantes antiquorum exemplarium Versionis LXXviralis. Et videtur existimasse, *Origenis* tempore extitisse, & ab eo visa & collata fuisse, exemplaria omnia 36. diversorum Parium Interpretum. En verba ejus de *Lemniscis* & *Hypolemniscis*, quæ in Hexaplis *Origenis* occurrebant hac forma ÷ —̇ Διὰ δὲ τῶν Λημνίσκων ὡσαύτως ἐδήλωσε τὴν παράθεσιν ἐκ τῶν ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευτῶν συναμφοτέρως εὑρεθεισῶν,

ᵃ Cotelerius in Script. Apost. p. 278. substituit κύκλῳ οὖσαι: sive κυκλόσε, per unamquamque (ut æque barbare loquamur) collationem.

εὑρεθεισῶν, ὡς ἐν παράνεξ ὀλίγων λέξεων τὴν δήλωσιν ἐκ ἀνομοίων ἐσῶν, ἀλλ' ὁμοίων μὲν, καὶ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἐχουσῶν. ὡς ἂν εἴποι τις ἀντὶ τοῦ ἐλάλησεν, ἐφθέγξατο, ἢ ἀντὶ τοῦ ἦλθεν, ἐλήλυθε. *Lemniscis voces aliquot insigniit Origenes, quæ in nonnullis* LXXII. *Interpretum exemplaribus repetitæ, & quidem rarius, occurrunt: quæ significatione nihil admodum discrepant; sed inter se similes sunt, & eadem potestate præditæ. Exempli causa, si quis pro* locutus est *scribat,* dixit: *vel pro* venerat, venit. Planius alibi. *Lemniscum* (inquit) *sacris codicibus adscripsit Origenes, ut quoties in* LXX. *Interpretum editione discrepantem aliquam vocem, quod raro usuvenit, repereris, quæ ad superiores non adhæreat, neque similibus conjuncta sit, ex duobus punctis intelligas unum alterumve par Interpretum vocem illam in sua interpretatione posuisse.* (γνοὺς ὅτι ὑπὸ μιᾶς ζυγῆς ἢ δύο αὕτη ἡρμηνεύθη ἡ λέξις) *Quæ quidem ambo, vel similia nominantur. Sed ut res tota planior sit ac facilior, paucis de ea disputare non pigebit. Cum igitur in Psalmo* LXX. *legeris:* Os meum annuntiabit justitiam tuam (δικαιοσύνην) annuntiabit justitias tuas (δικαιοσύνας.) *Item in* LXXI. Et honorabile nomen illius coram ipso (ἐνώπιον αὐτοῦ) *pro quo scriptum est:* Et honorabile nomen ejus in oculis ipsius (ἐν ὀφθαλμοῖς) *atque ita pluribus in locis. Ubi nihil aut mancum, aut discrepans invenies, sed unum idemque diversis vocabulis expressum, cum, alterutro sufficiente, duobus modis exprimitur. Ejusmodi loca Lemnisco notata sunt; ut appareat ab uno alterove Interpretum pari positum illud esse, repertumque vocabulum.* ταῦτα διὰ τοῦ λημνίσκον ἐσημειώθη, ὡς παρὰ μιᾶς ζυγῆς ἢ δύο ἡρμηνευμένης τι, καὶ εὑρισκομένης λέξεως. —— *Hypolemnisci hæc vis est: Quemcunque ad locum appictus est, significat ab uno Interpretum pari sic editum, ac conceptum fuisse,* (δηλοῦται ὑπὸ μιᾶς ζυγῆς ἑρμηνευτῶν ἐξενεχθεὶς ὁ λόγος) *id quod simplici puncto declaratur, & cum superioribus quibus attexitur geminum ac germanum videri.* Non desunt qui *Epiphanium* recensent inter eos Scriptores, qui agnoscunt Cellulas LXXII. & Interpretes omnes separatim vertisse: Nempe inter eos *Epiphanium* recensent [a] *Angelus Roccha,* [b] *Abrahamus Scultetus,* [c] *Jo. Ferdinandus,* [d] *Angelus Delpas,* [e] *Sixtus Senensis,* [f] *Nic. Serarius,* [g] *Jac. Middendorpius,* & [h] *Jo. Gregorius* noster. Qui quantum hallucinati fuerint, nemo est qui non videt. Ut *Epiphanium* cum superioribus reconciliare possit, magnopere contendit *Serarius*, quem sequitur *De la Hay.* Addo (inquit *Serarius*) *posse Epiphanii sententiam ad alteram adgregari, ejusque quandam veluti expositionem esse. Licet enim dicat* 36. *domunculas tantummodo fuisse: monet tamen singulas fuisse* [i] divisas, *seu* duplicatas; *ita ut in qualibet hujuscemodi domuncula duo quidem Interpretes fuerint, sed parietibus ac muris quibusdam disparati. Et confirmatur ex eo, quod addit factum id esse, ne possent συνδυάσαι, id est* congredi & combinari. *Sicque quod de naviculis ait, quibus ad Ptolemæum subinde vectabantur; similiter accipiendum, fuisse has* 36, *sed intervallis quibusdam discriminatas.* Ineptirem cum ineptiente, si in his confutandis immorarer: suffecerit adnotasse, *Epiphanium* dicere, Interpretes non modo in domunculis 36. transtulisse, & naviculis 36. in urbem advectos fuisse, verum etiam *cubiculis* 36. *dormiisse*; & passim monere, Versiones ab ipsis confectas, fuisse (non 72. sed) 36. Hæc notent velim *Serarii* asseclæ, & si istis non convincantur, furore suo fruantur. Neque monet, quod dicit *Serarius*, domunculas fuisse *duplicatas*, ne possent συνδυάσαι Interpretes. Neque certum est illum omnino voluisse, domunculas fuisse *duplicatas.* Verba enim ista, διπλοῦς τε αὐτοὺς ποιήσας, non de *domunculis*, sed de ipsis *Interpretibus* intelligi possunt, & sic verti: *Et Interpretes in paria distribuens.* Sic apud Tragœdum, διπλοῖ βασιλῆες *reges bini*, sive *par regum.* Si ad *domunculas* referenda sunt, hoc tantum sibi voluit *Epiphanius*, eas *duplices* factas fuisse ut in una parte Interpretes bini Versioni operam darent, in altera cibus aliaque necessaria à servis pararentur.

[a] Bibl. Theol. & Script. Epitoma pag. 9.
[b] Medul. Patrum parte 2. p. 343.
[c] Prooem. ad l. 2. Thesauri Script.
[d] Exposit. in Symbol. Apost. l. 5. de Art. 3. p. 152.
[e] Bibliothecæ l. 8. p. 654.
[f] Prolegom. Biblicis c. 7. Q 10.
[g] Præf. in Aristeam.
[h] De Interpret. LXX.
[i] Argumentum idem urget *Jo. Gregorius.*

rarentur. Arbitratur *Bellarminus*, memoriæ lapsu *Epiphanium* hæc narrare de domunculis tantum 36. & Interpretum totidem paribus, oblitum scil. eorum quæ de Cellulis 72. apud alios legerat. Cæterum docent res ipsæ, non ex oblivione, sed ex diversa traditione, seu potius fabula, institui hanc narrationem.

Interpretes per *Paria* in ædiculas 36. distributos fuisse in Lege publice lata [a] pronunciat quoque Imp. *Justinianus*: *Veruntamen hi* (Judæi) *qui per Græcam legunt* (Scripturas) *Septuaginta utantur traditione, quæ omnibus certior est, & præ aliis melior judicata, præcipue propter quod circa interpretationem contigit, quia & per duos divisi, & per diversa interpretantes loca, tamen unam tradiderunt omnes compositionem.* Georgius Syncellus: οἱ δὲ θεοφιλεῖς ὄντες καὶ τὰς ψυχὰς ἡνωμένοι, κατὰ συζυγίας αἱρεθέντες, ἐν ἑβδομήκοντα δύο τοῖς ὅλαις ἡμέραις, ὁμοφώνως, ἐπιπνοίᾳ θεοῦ τὴν ὅλην Ἑβραίων φωνὴν μετέφρασαν. *Illi ceu pietate in Deum eximii & ad invicem animis devincti, bini ac bini separatim diebus 72. Deo voces singulas inspirante, textum Hebraicum totum interpretati sunt.* Olympiodorus apud *Catenam in Job* à [b] *Comitolo* editam: (in *Junii* editione Græca hæc verba non reperiuntur) *Septuaginta ante Christi adventum, & seorsum omnem veterem Scripturam interpretati sunt, à Ptolemæo bini à binis sejuncti. Fuitque eorum tanta consensio, quasi uno essent ore cuncti locuti, interim nec ad gratiam, nec ad odium cujusquam Hebraica transferentes.* Hesychius, Commentator in Psalmos, *Lemniscorum* usitatorum in Hexaplis *Origenianis* eandem cum *Epiphanio* rationem reddens: [c] Τοῦτον (inquit) τὸν στίχον δύο ζυγὰς (l. ζυγαὶ) τῶν οβ. ἑρμηνευτῶν εἶπον. (forte εἶχον·) διότι προσέκειται τὸ σημεῖον τὸ διὰ τοῦ μέλανος ὁ λέγεται Λημνίσκος. διὰ μὲν τῆς κεραίας τῆς μέσης σημαίνει τὸν στίχον, διὰ δὲ τῶν δύο στιγμῶν τῆς ἐπάνωθεν καὶ τῆς ὑποκάτω τὰς δύο ζυγὰς τῶν ἑρμηνευτῶν ἠνοίξατο (legendum potius ᾐνίξατο.) *Hunc versiculum duo paria* LXXII. *Interpretum dixerunt: quare appositum est signum illud, quod atramento fit, & vocatur Lemniscus: per mediam quidem virgulam significat versiculum: per duo autem puncta, unum supra, alterum infra, indicavit duo Paria Interpretum.* Scholion in 1 Reg. XIV. 42. ταῦτα μέχρι τοῦ, καὶ κατεκληρώθη, ἐν μόνῃ κεῖται τῇ ἐκδόσει Θεοδοτίωνος. διὸ ἠστέρισται αὐτὰ ὡς ἐν μιᾷ ἢ δευτέρᾳ ζυγῇ τῶν ἑβδομήκοντα κείμενα, οὐ μὴν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ. *Hæc usque ad illud,* (& forte capitur) *in sola editione Theodotionis sunt posita: quamobrem sunt ea asterisco notata, tanquam posita in Versione unius aut duorum Parium* τῶν LXX. His addendi inter Arabes, [d] *Abulpharajius*: *Quos rex binos ædi inclusos cum in insula Pharua collocasset, singula ipsorum Paria libros divinos sigillatim omnes transferre jussit: absolutoque opere, cum collata exemplaria 36. consentire reperirentur, nec verbo nec sensu inter se discrepantia, de Versionis veritate non dubitavit.* Auctor Arabicus Vitarum Medicorum MS^tus: [e] *Quapropter ablegarunt ad ipsum 72. viros ex omnibus tribubus, ex unaquaque nempe senos, quibus Rex cum pervenissent ad ipsum, vehicula (vel domunculas vehiculis cameratis similes) fecit, ut bini semper in vehiculo diversarentur, quibus custodes, quamdiu operi vacabant, præfecit. Cumque translationem acceptam reperisset integram, contradictionis expertem, dimisit illos, & beneficiis affectos domum redire jussit.* Auctor [f] Præfationis in *Pentateuchum* Arabicum inter MSS. *Laudina* Bibliothecæ Bodleianæ: *Rex vero* LXXII. *Sapientes in ædibus distinctis, ita ut singuli in cellis bini essent, inclusit, qui libros istos (uti dixi) interpretati sunt, ita ut inter se dum conferebantur Versiones eorum, convenirent prorsus, & similes esse reperirentur sine ulla discrepantia, redundantia, vel defectu in sensu, adeoque securæ essent ab omni adjectione vel mutatione.* De Lemniscis eadem addit quæ *Epiphanius* & *Hesychius*. *Ubicunque linea Græce* ὀβελὸς *nominata particulæ alicui* (in Origenis Hexaplis) *vel verbo, vel nomini, vel sententiæ adscripta reperitur, scias ita se habere illud in omnibus* LXXII. *exemplaribus, non autem in textu Hebraico, neque in cæteris Interpretibus.*

[a] Constit. Novel. 146.

[b] Pag. 44.

[c] Apud Flavii Nobilii notas in GræcamVersionem Ps. 12.6. qui sensum verborum non intellexit.

[d] Hist. Dynast.

[e] Ap. Hotting. Thes. Philolog. p. 347.

[f] Ed. à clariss. Edw. Bernardo ad finem Aristeæ Oxonii impressi.

pretibus. Quod si quid apud duo Interpretum paria reperiatur, in quo à cæteris eorum partibus diversi abeant, ita ut cæteris aliquid addidisse videantur ipsi, hoc etiam libri textui insertum linea duobus punctis infra scil. & supra insignita notavit, ad hanc formam ÷ *quod signum Græco nomine Lemniscum appellavit, id est lineam intra duo puncta transeuntem. Atque ubicunque reperitur hujusmodi Lemniscus literæ aut verbo aut nomini aut sententiæ appositus, hinc volui indicium sumeres reperiri illud apud duo Interpretum paria, non autem occurrere vel in Textu Hebraico vel in cæteris Interpretibus. Quod si apud unum solummodo Interpretum par quid à cæteris ea in re dissenserit, atque adeo reperiatur apud illud par aliquid iis quæ habeant cæteri additum, illud pariter textui libri inseruit linea cui punctum suppositum signi loco notatum, hac forma* —̣, *quam Græce Hypolemmiscum indigitavit, id est lineam puncto supposito. Qualis sicubi reperiatur literæ, verbo, nomini, vel sententiæ adscriptus, exinde percipies reperiri illud apud par unum ex Interpretibus, cum in textu Hebræo, & cæteris Versionibus desideretur.* Hæc vidit non satis congruere cum iis quæ antea dixerat de consensu Interpretum; subjungit itaque: *Neque tamen putet aliquis, cum audierit mentionem factam verbi, vel quod ab uno pari vel duobus Interpretum partibus adhibitum, aliquam heic subesse contrarietatem, dicatque, Quomodo ergo eadem protulerint Interpretes, cum par unum aut alterum à cæteris diversa protulisse videamus, quod & de omnibus dici possit? Quia quod ad sensum & veram intentionem conveniunt eorum sermones, licet acciderit aliquando discrepantia in verbis, & repetitio, & contractio, adeo ut è verbis & interpretationibus omnium parium selectus fuerit iste sermonis tenor, qui maxime congruus & appositus videretur. Porro ut scias, Lector, licet aliqua acciderit differentia in verbis rebusque quibusdam repetendis & contrahendis, sensus esse convenientiam, his signa quædam apposuit, quibus notum tibi faceret, unde & à quo ortum duxerit ista discrepantia in verbis, sive ab uno, sive ab altero Interpretum pari fluxerit.* Alii hærent inter duas opiniones, fuerintne Cellulæ LXXII an tantum XXXVI. dubitantes. In his sunt Auctor incertus in Præfatione ad Scholia in Psalmos *S. Basilio* tributa, & *Nicetas Heracliensis*, ipse quoque sua in Psalmos Præfatione: qui uterque male pro Cellulis XXXVI. *Philonem Judæum* citant. *Nicetæ* verba sunt ista: οἱ δὲ ἐν διαφόροις οἰκίσκοις κατὰ δύο, ὥς φησιν ὁ Ἰουδαῖος Φίλων, ἢ καὶ καθ' ἕνα, ὡς ὁ θεῖος Ἰουστῖνος ἀποφαίνεται, διαιρεθέντες ἐν Φάρῳ τῆς Ἀλεξανδρείας νήσῳ, πᾶσαν τὴν ἱερὰν γραφὴν, καὶ αὐτοὺς τοὺς Ψαλμοὺς ἡρμήνευσαν. καὶ πάντες ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ ὁμοφώνησαν, οὐδὲν ἀλλήλων παρηλλαχότες, οὔτε κατὰ τὴν ἔννοιαν, οὔτε κατὰ τὴν λέξιν, &c. *Jo. Zonaræ* innotuit tantum ista fabella quæ de Interpretibus binis in conclavibus singulis disclusis loquitur: de altera illa nihil videtur inaudivisse. [a] Ait à *Josepho esse proditum, in una domo Inter-* [a] Annal. *pretes Versionis operi institisse. Alios vero auctores esse, Interpretes non uno in loco congregatos conversioni vacasse, sed binos binos fuisse distributos, & in peculiaribus conclavibus suo munere functos, finitaque interpretatione convenisse & singulorum* (Parium) *scripturam collatione facta cum cæteris, neque sententiis neque verbis discrepantem, per omnia consensisse.* Ἕτεροι δὲ μὴ ὁμοῦ συνελθόντας φασὶ τοὺς ἑρμηνεῖς τῶν γραφῶν ποιήσασθαι τὴν μετάφρασιν, ἀλλ' ἀνὰ δύο διαιρεθῆναι αὐτοὺς, καὶ ἐν ἰδιαζούσαις διαίταις ὄντας, ἐκθέσθαι τὴν ἑρμηνείαν· καὶ μετὰ τὸ πλῆρες ὁμοῦ συνελθεῖν, καὶ τὰς ἑκάστων συγγραφὰς παραβληθείσας ἀλλήλαις, εὑρεθῆναι μήτε κατὰ νοῦν, μήτε μὴν κατὰ λέξεις διαφωνούσας, ἀλλὰ συμφώνως ἐν ἅπασιν· ἡ μὲν οὖν ἑρμηνεία ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου, οὕτως ἢ ἐκείνως ἐγένετο. Ex voce ἰδιαζούσαις argumentatur *Jo. Gregorius*, loqui *Zonaram* de Cellulis 72. Sed patet *conclavia* hic dici *peculiaria*, non respectu singulorum Interpretum, sed singulorum *Parium*.

9. Argumentum *tertium* quo refellitur figmentum de variis Cellulis, peti potest ex *Philonis* testimonio, qui quamvis agnoscat cœlesti spiritu

instructos munitosque fuisse Interpretes, Cellularum tamen apud illum nec vola nec vestigium apparet, sive 72. sive 36. sed prorsus repugnantia & contraria denarrat. Unde perspicue colligitur hanc fabulam cusam fuisse post illius ætatem. Pro cellulis 36. citatur *Philo* (ut modo monuimus) à *Niceta Heracliensi*, & Auctore *Scholiorum in Psalmos Basilio M.* adscriptorum. Alii illius auctoritatem allegant pro Cellulis 72. ut [a] *Salmeron*, [b] *Galatinus*, [c] *Pamelius*, [d] *Galesinius*, [e] *Ferdinandus*, [f] *Bonfrerius*, [g] *Guilandinus*, [h] *Masius*, [i] *Morinus*. Hos omnes in errore versari facillime perspicient omnes, qui verba *Philonis* attentius perpenderint. Certe tantum abest à mentione Cellularum diversarum, sive 72. sive 36. ut non obscure subindicet Interpretes omnes *una* consedisse, idque non in aliqua omnino domo, sed *sub ipso dio*. Locum integrum Latine transcribam: *Interpretes* (inquit) *reputantes quam seria res esset Leges ex oraculis acceptas interpretari, ubi nefas sit quicquam vel demere vel apponere vel transponere, vel quocunque modo à præscripto discedere, dispiciebant de aliquo suburbano loco purissimo. Nam intra mœnia nullus locus placebat, referta omnigenis animalibus, nec à morbis pura & cadaveribus, sed magis etiam suspecta propter impuros mores Civium. Ante urbem Alexandrinam sita est Pharus Insula per oblongam & fasciæ similem cervicem accessibilis, quæ non alto mari sed stagnantibus undis alluitur, ut ne fluctus quidem, nimirum spatio medio debilitati, obstrepant. Hic locus postquam de communi sententia visus est ad præsens negotium aptissimus propter secessum quietissimum, ubi animus solis legibus posset intendere, eum sibi optaverunt ad diversorium: sumptisque in manus sacris voluminibus, tendebant eas ad cælum supplices, Deum invocando ut cæptis faveat. Exaudivit ille vota, ut si non universum genus humanum, certe maxima pars instrueretur ad bene vivendum præceptis optimis & sapientissimis. In eo secessu sedentes, nemine interveniente arbitro præter naturæ partes, terram, aquam, aerem, cælum, de quibus primum proditurí erant mysteria (nam mundi opificium est Legum exordium) tanquam numine correpti prophetabant, non alia alii, sed omnes ad verbum eadem, quasi quoptam dictante singulis invisibiliter. Et quis nescit cujusque linguæ, præsertim Græcæ, copiam, ut eadem sententia possit enuntiari modis variis, nunc has nunc illas dictiones accommodando? Id negant factum in prodendis his Legibus, sed reddita propria propriis nominibus, Græcis ad Chaldaica* (i. e. Hebraica) *exacte respondentibus, quo melius perciperetur rerum notitia. Quemadmodum enim Geometriæ Dialecticæque doctrina non admittit sermonis varietatem, sed semper eisdem utitur vocibus: eodem modo & hi convenientia rebus invenerunt nomina, quæ sola declaratura erant sensum apertissime. Id experimentis quotidianis creditum sive Chaldæus* (Hebræum intellige) *Græcam linguam, sive Græcus Chaldæam didicerit, in utraque scriptura tum Chaldaica, tum ejus interpretatione, miratur germanitatem, imo rerum verborumque consonantiam adorat, non Interpretes illos sed Initiatores appellans, quibus datum est sincerissimas Mosis cogitationes assequi spiritu purissimo.* Quibus verbis hæc maxime notamus. *In eo secessu sedentes* (seu, ut vertit interpres *Gelenius*, *in eo secessu cum* consedissent *solitarii*) *nemine interveniente arbitro præter naturæ partes, terram, aquam, AEREM, COELUM, de quibus &c.* Ex Græcis judices: Καθεζόμενοι δ' ἐν τῷ ἀποκρύφῳ, καὶ μηδενὸς παρόντος ὅτι μὴ τῶν τῆς φύσεως μερῶν, γῆς, ὕδατος, ἀέρος, οὐρανοῦ, περὶ ὧν πρώτων τῆς γενέσεως ἔμελλον ἱεροφαντήσειν· κοσμοποιΐα γὰρ ἡ τῶν Νόμων ἐστὶν ἀρχή. &c. Quid manifestius quam quod voluit *Philo* his verbis, eodem in loco consedisse Interpretes, idque sub nudo & aperto aere? Porro quid aliud nisi quod omnes simul & eodem in loco Interpretationi incubuerint, designatur verbis hisce? Καὶ τὰς ἱερὰς βίβλους λαβόντες, ἀνατείνουσιν ἅμα αὐταῖς καὶ τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν, αἰτούμενοι τὸν θεὸν μὴ διαμαρτεῖν τῆς προθέσεως. *Sumptisque in manus sacris voluminibus, tendebant eas ad Cælum supplices*

[a] Proleg. Bibl. 6. p. 63.
[b] De arcanis Cathol. Veritatis l. 1. c. 3.
[c] In Tertul. Apol. not. 269.
[d] Com. de Bibliis Græcis τῶν LXXII. p. 32.
[e] Procemio ad lib. 2. Thesauri Script.
[f] Præloq. Bibl. c. 16. §. 3.
[g] De Papyro pag. 58.
[h] Præf. in Jos.
[i] Exercit. VIII. l. 1. c. 1. p. 358.

Deum

Deum invocando ut cœptis faveat. Quinetiam *Philonem* credidisse Versionem *sub dio* confectam fuisse, non in aliqua *domo*, confirmari videtur ex istis quæ subnectit de Festo isto solenni in insula Pharo celebrari solito; consuevisse scil. Judæos illic trajicere *locum veneraturos in quo confecta est Interpretatio, & alios tentoriis in littore, alios discumbentes in ipsa arena sub dio epulatos fuisse, præferentes tunc* littus *palatiis regiis.* *Morini* verba, qui contendit *Philonem* LXXII. Cellularum miraculum asserere, hæc sunt: *Aut* (inquit) *illa concors* (de qua loquitur Philo) *non modo sententiarum, sed etiam verborum interpretatio contigit ipsis simul consultantibus, & rem discutientibus, aut ipsis seorsim translationem elaborantibus. Si prius, nullum prorsus est miraculum, nulla Prophetiæ necessitas: fit enim hoc quotidie, ut plures Judices in eandem sententiam sensu & verbis consentiant, pluresque Interpretes in eandem interpretationem, aut interpretationis correctionem hoc modo conveniant, ut Lovanienses, Genevenses & alii. Posterius igitur intellexit Philo. Deinde finge omnes rem discutientes; non omnes sane simul loquebantur: quale hoc fuisset Chaos, vocumque confusio, licet eadem omnes verba pronuntiassent? Hoc vero si concedamus, majus erit miraculum, quam in Cellulis separatis verborum & sententiarum uniformitas. At sic miraculum fuisset inordinatum, translatioque secessu & meditatione non indiguisset. Hos duos translationis faciendæ modos si abnuas, quoquo te vertas, quidquid fingas, & miraculum tolles, & verbis Philonis nunquam satisfacies.* Non sumus nos de hac re soliciti, quam *inordinatum* miraculum fuerit, si Interpretes omnes simul prophetarent. De ista re viderit ipse *Philo.* Sufficit ostendisse, eos omnes juxta *Philonem* eodem in loco consedisse, & in diversas Cellulas non fuisse separatos. Hoc certe ipsa luce magis perspicuum. Illud insuper non indignum notatu, quod, cum dicit *Philo* Interpretes dictante Numine vertisse, non provocat ad ullum de ista re Auctorem, sed solummodo ad *famam vulgarem*: SED NEGANT, ὥ φασι &c. Existimat [b] *Is. Vossius* commentum de Cellulis & consensu miro Interpretum ex verbis istis *Philonis* male intellectis ortum habuisse.

[b] De LXX. Int. cap. 5.

10. Argumentum aliud, quo refellitur Cellularum simul & Prophetici spiritus miraculum, & evincitur Interpretes, antiquiorum judicio non alios fuisse quam meros homines, videtur desumi posse ex Prologo *Ecclesiastici*, ubi dicitur Interpretationem Scripturarum, eodem modo quo aliæ Versiones solent, à textus originarii excellentia defecisse. *Hortor itaque venire vos cum benevolentia & attentiori studio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solum hæc, sed & ipsa Lex, & Prophetæ & cæteri libri,* (ὐ μικρὰν ἔχει τὴν διαφορὰν ἐν ἑαυτοῖς λεγόμενα) *non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur.*

11. Quam prona & proclivis fuerit gens Judaica in hujusmodi figmenta, vel ex iis perspicere licet quæ de *Jonathanis* Paraphrasi Chaldaica fabulati sunt. Narrant, cum Paraphrasin suam elucubraret *Jonathan*, si musca aliqua in chartam descenderit, ignem statim de cœlo descendisse, & illam combussisse, ne scribenti esset impedimento, absque ulla chartæ aut manus scribentis læsione: Omnes aves [c] quæ super scribentem volarint, confestim mortuas decidisse: Angelos è cœlis advolasse, auscultandi causa quando Paraphrasi vacabat: Palæstinæ regionem ad spatium 400. leucarum terræ motu concussam fuisse, & ex intervallo 400. leucarum exiisse vocem, dicentis: *Quis est iste, qui filiis hominum arcana mea revelat?* Cum, absolutis Prophetis, Hagiographa quoque interpretari pergeret, rursus è cœlo auditam fuisse vocem: *Sufficit tibi.* Addunt denique Apellæ nugaces, illum doctrinam suam

[c] Vide *Schikardum* in Bechin. Happ. pag. 22. *Galatinum* de arcan. relig. Christ. l. 3. *Vorstium* observ. in Ganzii Chronol. p. 280.

Paraphrasticam accepisse ab *Haggæo*, *Zacharia*, & *Malachia* Prophetis. Sic scribunt *Onkelosum* Pentateuchi Paraphrasin confecisse ex ore *R. Eliezeris* & *R. Jehosuæ*, qui ipsi à *Prophetis* acceperint.

12. Quid præbuerit occasionem Judæis Hellenistis contexendi hanc fabulam de variis Cellulis & prophetica consonantia, hoc modo exponit Vir clarif. [a] *Dan. Heinsius*: "De quibus (inquit) Interpretibus "quas non nugas, fabulas, ac nænias excogitarunt Græci! Ut non "temere ex illis pleraque miretur simul & irrideat sanctissimus doctis"simusque vir ac scriptor B. Hieronymus. Ipsam autem nominis ori"ginem ac scenæ, obiter ut detegamus, quia factum id à nemine me"minimus, locus hic nos monet, numerum Interpretum, interpretandi "rationem, tum & quæ de separatione ac consensu tanto ambitu di"cuntur, ex 24. capite 2^di^ libri Mosis ortum habuisse observavimus. "Ubi magnus Dux ille ac amicus Dei attulisse librum Fœderis dicitur, "è quo coram populo legisse quædam, quod Hellenistæ, commate ni"mirum 7mo, καὶ λαβὼν τὸ βιβλίον τῆς διαθήκης, ἀνέγνω εἰς τὰ ὦτα λαοῦ. Dein"de autem, commate nimirum 9. Moses, Aharon, aliique sed & Seniores "LXX. ascendisse ad Deum dicuntur. Ubi mox additur: *Ad prin"cipes autem filiorum Israel non misit manum suam*, quibus *nullum fuisse in"commodum*, Chaldæus, aut simile, dixit. Pro quo mirifice Helleni"stæ, καὶ τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραὴλ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς· *& electorum Israel nec "unus dissensit*: aut, ut vulgo, quæ ex iis expressa, interpretatio Latina "habet, *& electorum Israel non dissonuit neque unus*. Ex illis ergo LXX. "senioribus, LXX. seniores Interpretes. Et quia dicitur de illis, καὶ "διεφώνησεν οὐδὲ εἷς, *dissensisse ex illis neminem*, in Lege autem, sive libro "Fœderis, præcesserat quod dixi; hinc historia haud dubio de Ptole"mæo, hinc famosæ illæ scenæ, quas B. Hieronymus explodit, hinc in"ventum illud, neminem in tanto numero in exprimendis Sacris dis"sensisse. Jam autem quia אצילים, qua voce ibi utitur, etiam κεχω"ρισμένοι, sive *separati*, hinc historia de separatione, quod seorsim nem"pe ac separati, Legem aut contextum Sacrum expresserint. Hæc *Heinsius*. Quæ calculo suo approbant alii, ut [b] *Rivetus* & [c] *Weemsius*; quorum posterior conjecturam hanc perperam adscribit, non *Heinsio*, sed *Jos. Scaligero*. Suffragium suum addit [d] *Fred. Spanhemius*: *Neque vero quicquam verisimilius conjectura summi viri Dan. Heinsii qui sagacissime originem hujus fabulæ indagavit.* Conjecturam esse *admodum plausibilem, & ingenio Judaico minime insolentem*, ait [e] *Hottingerus*. Mihi omnia videntur duriora & longius petita. Et exinde facile videntur refutari, quod non eodem, sed diversis omnino temporibus, exortæ sint illæ fabulæ de Interpretum divina inspiratione, & de Cellulis diversis. Supponit præterea explicatio *Heinsiana* eodem tempore contextas fuisse has fabulas quo confictus est Interpretum numerus septuagenarius: quod falsum esse demonstratur ex Historia *Pseudo-Aristeana*. Illud porro absurdum (ignoscant verbo *Heinsiani* Manes) Judæos *Græcissantes* exinde fabulam de Cellulis variis confinxisse, quod in loco citato *vox Hebraica*, præter id quod ponitur in Græca Versione, *separatos* significet. Ex vocabuli *Hebraici* significatione, quæ in ipsorum Versione non comparuit, quomodo potuerunt Hellenistæ fabulandi ansam arripere? De origine hujus fabulæ mea hæc est sententia: Quum famam de eo quod divino afflatu confecta fuit Versio, in vulgus sparsissent, quia nihil habuerunt, quo id probari posset, si concederetur Interpretes eodem in loco consedisse, idcirco excogitarunt aliam istam fabulam de ædiculis variis, in quibus separati omnino eadem protulerint. Affirmare hæc mendaces potuerunt, &, his concessis, evidenter sequebatur, Divino Spiritu donatos fuisse Interpretes.

[a] Aristarcho Sacro l. 1. c. 10.

[b] Isag. in Sacr. Script. cap. 10. §. 11.

[c] Exerc. Divinis l. 1. p. 146.

[d] Dubia Evang. Dub. 23 § 21.

[e] Thes. Philol. p. 293.

13. Obſervavimus in ſuperioribus, ad imitationem numeri LXXII. Interpretum Græcos quoſdam Grammaticos Chriſtianos finxiſſe, Correctores quoque & Judices Poematum *Homeri* à *Piſiſtrato* convocatos, fuiſſe LXXII. & hoc figmentum extare apud *Stephanum* Grammaticum ineditum Commentario in Grammaticam *Dionyſii Thracis*. Notandum hic loci, ab eodem Grammatico addi, emendatores iſtos Homeri LXXII. à ſe invicem ſejunctos, in omnibus tamen inter ſe conveniſſe ac conſonuiſſe. *Stephani* verba, prout leguntur in Codice MS. [a] *Baroc-ciano* Bibliothecæ *Bodleianæ*, ſic ſe habent. *Piſiſtratus* (inquit) *poſt-quam omnia Homeri carmina undecunque collegerat*, τὰς ἐκάλεσεν οβ'. γραμματικοὺς ἐπιθεῖναι τὰ τοῦ Ὁμήρου ἕκαστον κατ' ἰδίαν, ὅπως ἂν δόξῃ τῷ συνθέντι καλῶς ἔχειν, ἐπὶ μισθῷ πρέποντι λογικοῖς ἀνδράσι, καὶ κριταῖς ποιημάτων, ἑκάστῳ δεδωκὼς πάντας τοὺς στίχους κατ' ἰδίαν ὅσους ἦν συναγαγών. Καὶ μετὰ τὸ ἕκαστον συνθεῖναι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, εἰς ἓν συνήγαγε πάντας τοὺς προλεχθέντας γραμματικοὺς, ὀφείλοντας ἐπιδεῖξαι αὐτῷ ἕκαστον τὴν ἰδίαν σύνθεσιν παρόντων ὁμοῦ πάντων. Οὗτοι οὖν ἀκροασάμενοι οὐ πρὸς ἔριν, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἀληθὲς, καὶ τὸ τῇ τέχνῃ ἁρμόζον, ἔκριναν πάντες κοινῇ καὶ ὁμοφρόνως ἐπικρατῆσαι τὴν σύνθεσίν τε καὶ διόρθωσιν Ἀριστάρχου καὶ Ζηνοδότου· καὶ πάλιν ἔκριναν τῶν δύο συνθέσεών τε καὶ διορθώσεων βελτίωνα τὴν Ἀριστάρχου. Ἐπειδὴ δέ τινες τῶν συναγαγόντων τοὺς Ὁμηρικοὺς στίχους πρὸς τὸν Πεισίστρατον, διὰ τὸ πλεῖονα μισθὸν λαβεῖν, καὶ ἰδίους στίχους (ὡς καὶ εἴρηται) σκεψάμενοι προσέθηκαν, καὶ ἤδη ἐν συνηθείᾳ ἐγένοντο τοῖς ἀναγινώσκουσι· οὐκ ἔλαθε τοῦτο τοὺς κριτὰς, ἀλλὰ διὰ μὲν τὴν συνήθειαν καὶ πρόληψιν ἀφῆκαν αὐτοὺς κεῖσθαι· ὀβελίσκους δὲ ἑκάστῳ τῶν ἀδοκίμων καὶ ἀλλοτρίων καὶ ἀναξίων τοῦ ποιητοῦ στίχων παρατιθέμενοι, τοῦτο αὐτὸ ἐπεδείξαντο, ὡς ἀνάξιοι εἰσὶ τοῦ Ὁμήρου. *Advocavit Grammaticos* LXXII. *quos conduxerat mercede digna viris literarum humaniorum peritis poematumque judicibus, & eos hortatus eſt, ut ſinguli ſeorſum prout cuique viſum fuerit Homeri verſus ordinarent & componerent, tradito ſingulis ſeorſum exemplari verſuum omnium quos habuit collectos. Et poſtquam Grammatici prædicti ex ſententia propria eos ſinguli compoſuiſſent, in unum omnes convocavit, ut omnibus ſimul præſentibus exhiberetur ſibi ſingulorum compoſitio. Hi igitur compoſitiones ſuas recitantes, non in contentionem, ſed ſtudio veritatis cum arte conjuncto, judicarunt omnes unanimi conſenſu, præſtantiſſimas fuiſſe compoſitiones & correctiones* [b] *Ariſtarchi & Zenodoti: & rurſus judicarunt harum duarum compoſitionum & correctionum meliorem fuiſſe illam Ariſtarchi. Quandoquidem vero eorum qui verſus Homericos ad Piſiſtratum comportaverunt ut acciperent majus præmium ſuos etiam verſus (ut dicitur) immiſcuerant, qui jam uſu vulgari recepti legentibus fuerunt; hoc quidem non latuit judices; veruntamen quia uſu jam fuerant recepti, permiſerunt iſtos inter genuinos locum habere: ſed horum qui repudiati ſunt ut aſcititii & Poeta indigni, unicuique obeliſcum appoſuerunt. Et per hoc Piſiſtrato demonſtrati ſunt tanquam Poeta indigni.* Eadem ad verbum reperi in alio Codice MS. [c] inter miſcella quædam Grammaticalia, ſine *Stephani* Grammatici nomine, ſed ex eo manifeſto deſcripta.

[a] Num. 116. fol. 33. b.

[b] Vixerunt hi aliquot ſeculis poſt ætatem Piſiſtrati.

[c] MS. Baroc. 57. p. 191. in quo pro Ζηνοδότου male legitur Ζηνοδώρου.

14. Non omiſerim quod legitur in *Ægypti Statu præſenti* à *Vanſlebio* conſcripto, de Cellulis LXXII. in urbe Alexandria ad hunc uſque diem extare creditis. Ut *S. Juſtino M.* oſtentabant Alexandrini earum veſtigia in inſula Pharo, ita nunc in ipſa urbe ædificium quoddam monſtrant, quod credunt LXXII. Interpretum Hoſpitium fuiſſe, & dicunt uſque hodie in eo extare Conclavia LXXII. diverſa, in quibus ſejuncti Verſionem ſinguli afflatu Divini Numinis abſolverint. Ibi *Moſcham* nunc Turcæ fecerunt, quam appellant *Giama il Garbie* ſive *Moſcham Levanti*, advenisque Chriſtianis pretio oſtendunt. Nominatur ab aliquibus *Moſcha* τῶν *Septuaginta*. Eadem vanitate in honorem urbis ſuæ fabulati ſunt *Alexandrini Ariſtotelem* Philoſophiam ea in urbe publice docuiſſe, & poſtea ædificia quædam, tanquam *Scholas* illius, oſtentare ſolebant.

ſolebant. *Benjamin Tutelenſis* in Itinerario: *Extra urbem Ariſtotelis præceptoris Alexandri ſchola eſt: ubi pulchra & magna ſtructura, marmoreis columnis inter ſcholas collocatis. Nam viginti ferme ſcholæ viſuntur: quia eo ex toto mundo confluebant, quo Ariſtotelis Philoſophi ſapientiam addiſcerent.*

15. Illud porro adjecerim, non deeſſe qui literis prodiderunt, Interpretes à ſe invicem diſcretos, non quidem conſonuiſſe, qnod tradit fabula vulgaris, ſed alia atque alia poſuiſſe, ideoque in carcerem & vincula à Rege fuiſſe conjectos. Audi narratiunculam *Armii* (ſive *Hermis*) Chronologi, citati in Præfatione Commentarii Arabici in Pentateuchum, qui extat literis Syriacis in Theſauro *Bodleiano*; cujus verba, partim jam alibi protulimus, prout à *Jo. Gregorio* ſunt citata, hic plenius ea deſcribemus, ſicut Latine mihi in Palatio Archiepiſcopali *Lambethano* commoranti perhumaniter miſſa ſunt à *Thoma Hydio* doctiſſimo Protobibliothecario, Linguarumque Orientalium Profeſſore: [1] *Dixit Armius* (ارميوس) *Chronologus*; *Anno 19. Ptolemæi filii Ptolemæi Regis, præcepit congregare ſeniores filiorum Iſraelis, ut ad eum afferrent librum Legis, & ut unuſquiſque eorum offerret ei quantum illuſtraverat de ſenſu ejus. Adduxerunt itaque dictos Seniores, & una cum eis librum Legis venerabilis, ad Regem, qui ſingulis præcepit ut pro eo interpretarentur Librum Legis. Fuit autem diverſitas in eo quod interpretati ſunt Seniores. Tum præcepit ut dicti Seniores in carceres & vincula mitterentur: & accipiens librum Legis, eundem jecit in foveam, & ſuper eum injecit Ignem & cineres per ſeptem dies. Tum poſthæc præcepit ut afferentes ſordes urbis eas injicerent in eandem foveam ubi erat liber Legis: adeo ut fovea impleta fuit uſque ad ſummum. Perſtitit Lex ſub hiſce quiſquiliis in fovea* LXX. *annis*: *nec tamen corruptus fuit, neque ex eo* deficiebat vel una litera. *Anno* 21. *Regis* افيانوطوس *Aſiyanoti* (ſive *Ephiyanoti*, intellige *Epiphanem*) *eduxerunt librum Legis ex fovea, nec ex eo deficiebat vel una litera.*

[a] Hiſt. Scholaſt. 16. [a] *Petrus Comeſtor* ait S. *Hieronymum videri velle*, LXX. *Seniores interpretationes ſex dierum in ſabbato protuliſſe, ex omnibus tunc conſtantes unam. Nec mirum hoc* (inquit) *cum Eſdras Legem quam per ſeipſum reparaverat, poſtea cum vetere Scriptura quæ apud Samaritanos erat, correxit.* Eadem habes apud *Vincentium Bellovacenſem* [b] in *Speculo Hiſtoriali*. Ingenti errore. Hujuſmodi enim aliquid ne unquam ſomnianti Hieronymo in mentem venit. Sed Interpretes credidit eodem in loco Verſioni ſimul omnes vacaſſe, & conjuncto niſu operam dediſſe.

[b] Lib. 5. c. 7

17. Subjungere hic loci potuiſſem Scriptores complures veteres, quorum alii citari ſolent pro fabula Cellularum diverſarum, cum tamen illarum apud eos nulla ſit mentio; alii ſatis clare ſubindicant ſe iſti commento fidem non adhibuiſſe; alii Verſioni τῶν LXX. Interpretationes aliorum præferebant; alii illam erroris arguunt: Sed plene hæc tractantur in *Hiſtoria* noſtra *Scholaſtica Hebraici Textus &c.* Hoc loco apponam tantum *Photii Patr.* verba, qui LXX. Seniores in eodem loco conjunctiſque conſiliis Verſionem adornaſſe luculente tradit: [c] τῆς θείας καὶ παλαιᾶς γραφῆς, ἣν οἱ ἑβδομήκοντα συνεληλυθότες ἐκδεδώκασι μετάφρασιν *divini ac veteris Teſtamenti Verſionem, quam* LXX. *Interpretes* ſimul convenientes *ediderunt.*

[c] Bibl. Cod. 177. p. 395.

18. Concludetur hoc caput *Iſaaci Voſſii* inepta cavillatione, qui ad illud quod aſſerit B. *Hieronymus*, LXX. Seniores non *Prophetas* fuiſſe ſed *Interpretes*; [2] reſpondet, multiſque probat, *Interpretes* omnes *Prophetas* appellari poſſe; ſic vocatos fuiſſe apud Græcos & Ægyptios *Interpretes* Oraculorum, & προφητεύειν idem eſſe quod *interpretari.* Quæ cum

1 Partem hujus fragmenti habes apud Jo. Gregorium de LXX. Int. p. 19. & pars ejuſdem ſuperius citata eſt.

2 Reſp. ad Simonium p. 5. 6. 7. vide Reſp ad iteratas Simonii Object. p. 384. & Reſp. ad tertias Simonii Object. p. 81.

lego

lego apud Virum clarissimum, judicium in illo & prudentiam requiro. Quid enim hoc est nisi pueriliter (mitiori verbo uti non possum) & sine judicio cavillari? Quid hoc ad rem facit? Si per *Prophetas* non aliud quam *Interpretes* intelligat *Vossius*, Bibliorum Interpretes Græcos *Prophetas* appellet per B. *Hieronymum* & nos licet.

CAP. VII.

Quæritur utrum totum V. T. an tantum Pentateuchus *ab Interpretibus* LXX. *dictis translatus fuerit.* Pentateuchum *solum ab illis translatum fuisse evincitur testimoniis ipsius* Pseudo-Aristeæ §. 2. Josephi 3. Philonis 4. Aristobuli 5. *Rabbinorum antiquorum.* 6. 7. *Quibus accedere B.* Hieronymum *aliosque veterum.* 9. Lex *pro toto T. V. nonnunquam poni, ut* Evangelium *pro toto T. N. id vero apud Judæos veteres insolitum fuisse. Eorum divisio Scripturæ vet. in* Legem, Prophetas & Hagiographa. §. 2. *Loca* 13. *quæ fingunt Rabbini ab Interpretibus immutata fuisse.* 6. *Christianos, qui crediderunt totum V. T. translatum fuisse, facillime decipi potuisse.* 8. Pentateuchus *solus Ptolemæorum primum temporibus in Synagogis legi solitus.* 10. *Ab aliis libris Scripturæ separatim haberi consuevit* 11. *Nonnullos credidisse multos alios libros præter* Canonicos *à* LXX *fuisse conversos.* 12.

SI daremus Interpretes, qui vocantur LXXII. revera totidem fuisse; si præterea daremus eos dictante Spiritu Divino interpretatos fuisse; non multum tamen daremus fautoribus Editionis Græcæ, si ab illis tantum *Mosis Pentateuchus*, non totum V. T. fuerit translatum. Sequitur nunc ut de hac re inquiramus, fueritne hæc Interpretatio totius V. T. an tantum *Pentateuchi*.

Pentateuchum tantum *Mosaicum*, non totum V. T. ab istis Interpretibus translatum fuisse, asserimus nos, cum viris eruditissimis, [a] *Usserio*, [b] *Bootio*, [c] *Croio*, [d] *Schikhardo*, [e] *Salmasio*, [f] *Lightfooto*, [g] *Marshamo*, [h] *Mariana* Jesuita, [i] *Simonio*, & aliis. *Salmasius* ait *inter omnes fere constare nihil ab illis translatum fuisse præter Pentateuchum.*

a Syntag. de LXX. Intt.
b Ep. de Verit. Heb. adv. Capel. §. 26. & 29.
c Observ. in N. T. c. 30.
d Bechin. Happerusch. p. 38.
e Cit. ab Hotting.
f Horis Heb. ad Acta Apost.
g Chron. can. p. 147.
h Schol. ad 1. Sam. c. 21. v. 1.
i Hist. Crit. T. V.

2. Argumentum primum nobis suppeditat Historia *Pseudo-Aristeæ*, quæ de *Legis* tantum interpretatione instituitur. Respondent [a] illi, qui contrariæ sententiæ favent, per *Legem* Aristeam, aliosque qui meminerint translationis *Legis*, designare non solum Mosis *Pentateuchum*, sed totum V. T. volumen. Totum V. T. appellari *Legem* observant apud *Joannis Evang.* X. 34. ubi locus *Psalmistæ*, Εγὼ εἶπα θεοὶ ἐςε scriptus esse dicitur ἐν τῷ Νόμῳ. item ibid. XV. 25. ubi ὅτι ἐμίσησάν με δωρεὰν, quæ verba sunt *Psalmi* XXXIV. ἐν τῷ Νόμῳ scripta esse dicuntur. Sic 1 Cor. XIV. 21. locus *Esaiæ*, ab Apostolo ἐν Νόμῳ scriptus esse dicitur. Addo ego, in gratiam Adversariorum, eodem modo apud veteres Christianos pro toto N. T. *Evangelium* nonnunquam poni, ut apud *Constitut. Apostol.* I. 5. & *Origenem* Præf. *Comment. in D. Joannem.* Ita apud *Nyssenum* in lib. *ad Theophilum c. Apollinarem*, [k] pro *Epistola Joannis* citatur *Evangelium.* καθὼς φησι τὸ εὐαγγέλιον, ὅλον τότε τὸν κόσμον ἐν τῷ πονηρῷ κεῖσθαι. *Theodorus Balsamo*, in Epistola [l] *De Rhasophoris*, *Evangelicum dictum* vocat quod *Epistolæ* I. [m] *ad Corinthios* est: καὶ τὸ εὐαγγελικὸν ῥῆμα τὸ λέγον· παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. Huc adjice, S. *Hilarium* [n] scripturas quas dicit ab Intt. LXX. in linguam Græcam transfusas fuisse, appellare *scripturas Legis*: quem tamen apparet voluisse, non *Legem* solum *Mosaicam*,

k Pag. 263.
l Cap. 13.
m VII. 13.
n In Psalm. 118

a *Bellarm* de Verbo Dei II. 6. *Baronius* Annal. ad an. 231. *Zanchius* De Script. S. Q. 10. *Galesinius* de LXX. Intt. p 41. *Salmeron* Proleg. 6. p. 62. *Feuardentius* in Iren. III. 25. *Voisinius* Procem. in Raimundi Mart. Pug. Fidei. *Simsonius* Proparasc. in Chron. *Morinus* l. 1. Exercit. 8. c. 2. *Hottingerus* Thes. Philol. *Hen. Valesius* in Euseb. Histor. V. 9. *Patr. Junius* Not. in B. Clementis Ep. ad Corinth. *Is. Vossius* Resp. ad Object. Simonii p. 11.

sed

ſed totam Scripturam veterem, in illorum Verſione comprehenſam fuiſ-
a Præfat. Explan. in Pſalm. ſe. Idem [a] alibi monet *in XXII. libros Legem Veteris Teſt. deputari.*
b Præf. in Reg. B. Hieronymus: [b] *Ita ſunt veteris Legis libri viginti duo.* Rurſus: *ac per hoc eſſe priſcæ Legis libros viginti quatuor.* Iſidorus Hiſpalenſis: [c] *Eſ-*
c Orig. VI. 3. *dras cuncta Legis ac Prophetarum volumina, quæ fuerunt à gentibus corrupta, correxit, totumque V. T. in viginti duos libros conſtituit, ut tot libri eſſent in Lege, quot & literæ habebantur.* Said Ibn Batrik, Patr. Alex. in Præfatione Annalium Arabicorum: *Conſtitui ſuccinctè & ſummatim tradere ea quæ è* Lege *&* Evangelio, *aliiſque libris veteribus & novis collecta complexus ſum libro hoc meo.*

Ad hæc reſpondeo: 1. Cœpiſſe *Legem* pro toto Inſtrumento Veteri uſurpari non ante *Evangelium* promulgatum. Poſtquam hoc prædicatum eſt, & *Legi* oppoſitum, totum V. T. à Chriſto & Apoſtolis *Lex* aliquando appellatum eſt, quia totum ad *Legem* pertinebat, non ad *Evangelium.* Neque apud Judæos veteres hoc fieri conſuevit. In aliis locis T. Novi à reliquis partibus Scripturæ veteris, ex recepto Judæorum more, *Lex* diſtinguitur: ut *Matt.* XI. 13. πάντες οἱ Προφῆται καὶ ὁ Νόμος. XXII. 40. ὁ Νόμος καὶ οἱ Προφῆται. *Luc.* XXIV. 44. πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ Νόμῳ Μωσέως καὶ Προφήταις καὶ Ψαλμοῖς. *Act.* XIII. 15. μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ Νόμου καὶ Προφητῶν. XXVIII. 23. ἀπό τε τοῦ Νόμου Μωσέως καὶ τῶν προφητῶν.
d Lib. 1. c. 5. Ita apud Chriſtianos ætatum ſequiorum. *Conſtitutiones Apoſtolicæ* [d] dictæ, eodem loco ubi pro toto N. T. *Evangelium* ponitur: εἰ δὲ μὴ καθεζόμενος ἔνδον ἀναγίνωσκε τὸν Νόμον, τὰς Βασιλείας, τοὺς Προφήτας. Ψάλλε τοὺς ὕμνους Δαβίδ· διέρχου ἐπιμελῶς τὸ Εὐαγγέλιον τὸ τούτων συμπλήρωμα. *Sin minus intus ſedens Legem perlege, libros Regum, Prophetas; pſalle Hymnos Davidi-*
e Strom. 1. *cos; horumque complementum Evangelium diligenter percurre.* [e] Clemens
f Catecheſ. IV. p. 37. Alex. τὰς γραφάς, τάς τε τοῦ Νόμου, καὶ τὰς Προφητικάς. [f] Cyrillus Hieroſol. τοῦ Νόμου μὲν γάρ εἰσιν αἱ Μωσέως πρῶται πέντε βίβλοι, Γένεσις, &c. *Legis enim*
g Lib. 2. c. 29. *primi Moſis 5. libri ſunt, Geneſis &c.* [g] Sulpicius Severus: *Sacra etiam Legis & Prophetarum volumina igni cremata.* Ita alii plerique, & ipſi Arabes. *Ben-arrahebus*, (ſic nomino Auctorem *Chronici Orientalis*:) *Libri*
h Ap. Hotting. *Legis ac Prophetarum.* Sic etiam *Elmacinus*, [h] in parte priori Chronici nondum edita. Hebræos priſcos per *Thora*, hoc eſt *Legem*, deſignaſſe
i Præf. Regum. tantum libros *Moſaicos*, obſervavit B. Hieronymus. [i] *Hi ſunt 5. libri*
k Orig. VI 1. *Moſis, quos proprie* תורה *Thora, id eſt Legem appellant.* [k] Iſidorus Hiſpalenſis: *Hi ſunt 5. libri Moyſi, quos Hebræi Thorat vocant, Latini Legem appellant. Proprie autem Lex dicitur quæ per Moyſen data eſt.* Idem aſſe-
l De Inſtitut. Cleric. III. 7. ritur à [l] *Rabano Mauro*: ſed is *Iſidorum* præeuntem habuit, ut *Hieronymum Iſidorus.* Certe tantum abeſt ut Judæi vetuſti per *Legem* conſueverint intelligere totum V. T. ut notiſſima ſit atque receptiſſima apud eos diſtinctio Librorum Biblicorum in *Legem, Prophetas,* & *Hagiographa.* Auctor idem *Hieronymus*, poſtquam dixiſſet 5. libros Moſis apud Hebræos *Thora* i. e. *Legem* vocatos fuiſſe, addit: *Secundum Prophetarum ordinem faciunt, & incipiunt à Jeſu F. Nave:* ——— *Tertius ordo Hagiogra-*
m Præf. in Dan. *pha poſſidet. Et primus liber incipit a Job. &c.* [m] Alibi. *Illud admoneo, non haberi Danielem apud Hebræos inter Prophetas, ſed inter eos qui Hagiographa conſcripſerunt. In tres ſiquidem partes omnis ab eis Scriptura dividitur; in Legem, in Prophetas, & in Hagiographa.* Iſidorum, alioſque, qui ab *Hieronymo* ſua mutuo acceperunt, miſſos facio. Reperitur eadem librorum ſacrorum diviſio paſſim apud *Talmudicos.* Gemariſtæ in *Sanedrin*, c. XI. §. 2. "Rogarunt Sadducæi R. Gamalielem, undenam probaret Deum "mortuos reſuſcitaturum. Is reſpondit; ex Lege, ex Prophetis, & ex
n Deut. XXXI. 16. "Hagiographis. At hi non acquieverunt. Ex Lege: Q. D. [n] *Et dixit* "*Dominus Moſi: Ecce tu cubans cum patribus tuis & ſurgens.* Replicarunt "iſti: Annon hoc ita exaudiendum: *Et ſurgens populus hic ſcortabitur?*

Ex

"Ex Prophetis: Q. S. E. [a] *Vivent mortui tui, resurgent cadavera mea*; [a] Es. XXVI. 19.
"*expergiscimini & cantate, habitantes pulverem. Nam ros olerum ros tuus*
"*est.* At forte id pertinet ad mortuos, quos Ezechiel vivificavit. Ex
"Hagiographis: Q. S. E. [b] *Et palatum tuum sicut vinum optimum manans* [b] Cant. VII. 9.
"*amico meo in rectitudine: quod facit loqui labia dormientium.* Iterum
§. 59. *Quinetiam canna meruit in usum calami, quo Lex, Propheta, & Hagiographa describantur.* Iidem in *Maccoth* cap. 2. §. 4. "Raf Huna refert verba R. Eleasaris: ex Lege, Prophetis & Hagiographis ostendi "potest; quod qua via homo ambulare velit, in eam deducatur, Q. D. "[c] *Non ibis cum ipsis.* Et mox: *Surge, ito cum ipsis.* Ex Prophetis: [c] Num. 22. 12. 20.
"[d] *Ego Dominus Deus tuus, docens te ad frugem bonam; qui te ducit in via,* [d] Es. 48. 17.
"*in quam te dederis.* Ex Hagiographis: [e] *Sane irrisoribus irridet, & hu-* [e] Prov. 3. 34.
"*milibus dat gratiam.* Ejusdem divisionis meminerunt alibi, ubi de *Jonathanis* Paraphrasi sermonem habent, loco infra producendo. Liber [f] *Schilte Haggaborim* inscriptus: *Quod attinet ad Cantica seu Carmina, quæ habentur in Lege, Prophetis & Hagiographis, hactenus non perfecte potui assequi eorum mensuras, & requisita necessaria.* R. Israel F. Mosis in *Disput. Cabalisticis de Anima*, cap. XXXV. *In hoc opere nihil aliud intendi quam colligere expositiones Bibliorum sacrorum in Legem, Prophetas, & Hagiographa.* [g] *Lightfootus* monet Judæos libros V. T. acrostice sic scribere tribus literis אנך vel תנך, singulis literis verbum designantibus, & singulis verbis partem aliquam sacri voluminis. א vel ת denotante *Aorajetha*, vel *Torah*, *Legem*: נ *Nebhiim*, *Prophetas*: כ *Cethubhim*, *Hagiographa*. Existimat idem vir doctus hanc librorum sacrorum distributionem designari ab ipso Christo, cum dicit; [h] *Omnia quæ scripta sunt in Lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me*: per *Psalmos* scil. eum intelligere *Hagiographa*, & ita illa appellare quia hujus partis primum locum tenebant *Psalmi*; Quod fieri quidem solet in hodiernis Judæorum Exemplaribus, quamvis in illis, quæ vidit *Hieronymus*, *Hagiographorum* primus fuerit *Job*. Arbitratur [i] *Beda* ad eandem divisionem respexisse Spiritum Sanctum apud *Genesin*: *Tria Canistra super Caput ejus &c. quid aliud* (inquit) *significant nisi tripartita ipsi populo concessa divinæ Legis eloquia, Legem viz. & Prophetas, & Hagiographa.* Rationem reddit in *More Nevochim* [k] *Maimonides* quare *Kethubhim*, quæ Græce dicuntur *Hagiographa*, sic nominantur, nempe *quia Kethubhim, hoc est* scripta *sunt per Spiritum sanctum.* De variis Prophetiæ generibus eundem adi. His addatur illud Josephi Gorionidæ: *Totam Legem, & reliquos Biblicos libros.* Auctor Orationis Panegyricæ in Maccabæos, quisquis is fuerit, Judæus tamen: *Ille nos docuit Legem & Prophetas*; τ̀ νόμον ϰ̀ τοὺς προφήτας. Non desunt inter Judæos novissimi seculi, qui apud Magistros veteres pro toto V. T. usurpari nonnunquam *Legem* contendunt. [l] *Gedalias* in *Catena Cabbalæ*: *Inquirere* (inquit) *nunc convenit, an translatio ista fuerit tantum 5. librorum Legis, an totius Scripturæ? Circa hoc nescio, in quam partem sit propendendum. Neque enim quicquam certi hic invenio: sunt enim rationes in utramque partem. Sæpe quidem deprehenditur apud Sapientes nostros F. M. Legem significare totam Scripturam, sæpe etiam significare solum Pentateuchum. Ex mente tamen Aristeæ hujus, Josephi, Philonis Judæi, & sapientis cujusdam magni ex Christianis* (Hieronymum intelligit) *liquet, quod Pentateuchum solum transtulerint.* Azarias in Imre binah: *Conveniens nunc est quæstionem istam explicare, scil. an interpretati fuerint Legem Mosis solam, ut probabile est ex verbis Sapientum F. M. quorum mentio facta est, an vero Scripturam totam. Deprehenditur manifesta dissensio inter auctores quos commemoravimus. Qui enim percurrerit omnia verba Aristeæ supradicti, ut simpliciter sonare videntur, inducet in cor suum quod perpetuo loquitur de interpretatione Legis solius. Verum quidem est quod ex una parte,*

[f] Ap. Append. libri Cosri pag. 430.
[g] Miscel. c. 44.
[h] Luc. ult. 44.
[i] Lib. 3. Com. in Gen.
[k] Lib. 2. c. 45.
[l] Ap. Hottingeri Thes. Philolog. p. 313.

& juxta intentionem quæ refertur, ad hæc pertrahi possunt, ut nomine Legis intelligatur significari universa Scriptura sacra. Præsertim vero cum consideratur causa quæ moverit Ptolemæum, ut quæreret interpretationem Legis Mosis, quæ pariter movit eum, ut quæreret interpretationem omnium Prophetarum & Hagiographorum, ut scil. extolleret, & perficeret cum iis Bibliothecam suam ne ullus liber in ea deesset. Præterea apud Sapientes nostros F. M. multi loci reperiuntur in quibus nomen Legis complectitur etiam Prophetas & Hagiographa. At quinam sunt hi *multi loci*? Esse aliquos tum credam, cum eos mihi aliquis ostenderit. *Non contentus fuit Azarias* (inquiunt *Morinus* & *Hottingerus*) *dixisse, antiquos Rabbinos nomine Legis universam Scripturam sæpe intelligere, id exemplis docet*: Age, exempla videamus. [1] *In Talmude* (inquit) *hoc est Tractatu Sanhedrin, cap.* XI. *mortuorum resurrectionem ex Es.* LV. 8. *& Psalm.* LXXXIV. 5. *demonstrant, deinde Inferunt. Hinc resurrectio mortuorum ex* LEGE *probata est.* Ex isto exemplo, non exemplo, quod profert *Azarias*, plane nullum reperiri apud veteres Rabbinos, colligo. Tantum etenim abest ut illo in loco universam Scripturam per *Legem* intelligant *Gemaristæ*, ut *Legem* ibi à cæteris libris disertissimis verbis distinxerint. Denotatur idem iste locus cujus partem modo descripsimus ex Tract. *Sanhedrin* c.XI.§.2. ubi post verba jam posita, hæc proxime sequuntur: "At forte, aiebant "illi, labia motitando motitabuntur profecto. quod R. Johannes de no- "mine R. Simsonis fil. Jehozadaci dictitabat: Cujus nomine sententia "in hoc seculo prolata fuerit, ejus se labra vibrant in sepulchro. Q. D. "*Loqui facit labia dormientium.* Usque dum produceret ipsis istum ver- "sum: [a] *Quam juravit Dominus patribus vestris se daturum illis.* Non *vo-* "*bis*: sed, *illis.* (sequuntur verba ab *Azaria* notata) *Hinc resurrectio* "*mortuorum ex Lege probata est.* Alii dicunt ex hoc versu: [b] *Vos autem,* "*qui adhæsistis Domino Deo vestro, vivitis cuncti hoc die.* Quid, *hoc die* "*omnes vos superstites*? Etiam in seculum futurum omnes vos superstites eritis. Respectum habent verba ista non ad omnes citationes quæ præcedunt, sed tantum ad versum proxime ante citatum ex *Deuteronomio.* Addit *Hottingerus* exempla plura afferri ab *Azaria* ex *Maimonide*: ejusdem, uti suspicor, farinæ: nec Rabbinis quidem *antiquis* accenseri debet *Maimonides.* Judæos vetustissimos, qui *Græce* libros ediderunt, per Νόμον designasse tantum *Legem Mosaicam*, evidentissime ex istis apparebit quæ inferius sumus disputaturi de *Josepho*, *Philone*, & *Aristobulo.* Subjiciam hic loci unum tantum aut alterum exemplum. Primum ex *Philone*, de *Therapeutis*: [c] ἀλλὰ Νόμους καὶ λόγια θεσπισθέντα διὰ Προφητῶν, καὶ ὕμνους, καὶ τὰ ἄλλα οἷς ἐπιστήμη καὶ εὐσέβεια συναύξονται καὶ τελειοῦνται. *Sed* Legem *tantum* (in monasteriis habent) *&* Prophetarum *oracula divinitus prodita,* Psalmosque, *& quædam alia pietatis scientiæque promovendæ utilia.* Alterum ex Siracidæ Prologo in *Ecclesiasticum*: αὐτὸς ὁ Νόμος, καὶ αἱ Προφητεῖαι, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων. *ipsa Lex, & Prophetiæ, cæterique libri.* *Alexander* denique *Polyhistor* de *Moso* muliere (pro *Mose*) verba faciens, ait, ἧς ἐστι σύγγραμμα ὁ παρ' Ἑβραίοις Νόμος, *illius id scriptum fuisse quod apud Hebræos* LEX *dicitur.*

a Deut. 11. 21.

b Deut. 4. 4.

c De Vita Contemplat. p. 691.

2. Esto vero: Demus apud *Judæos* veteres *Legem* nonnunquam significare universum V. T. At concedent Adversarii vocem illam non vulgo & proprie, sed improprie & rarius, pro toto usurpatam fuisse. Noluisset itaque *Aristeas*, dum historiam contexit Versionis, solius *Legis* mentionem toties facere, libris aliis nuspiam memoratis, si de aliis etiam libris intelligi voluisset.

3. Judæorum libros, quos Græce tradit conversos, non Νόμον modo

1 Idem locus in testimonium adducitur à *Leusdeno* Philol. Hebræo-mix. Dissert. 3. qui omnia fere, quæ habet de Versione Græca, ex *Hottingero* desumpsit.

appellat,

appellat, verum etiam Νομοθεσίαν *Legislationem*, (sic vocem hic reddere liceat:) quæ vox ad Mosis *Pentateuchum* perpetuo restringitur, nec ab ipsis *Christianis* pro toto T. V. unquam usurpatur. *Sunt quidem* (inquit) *& hæc digna quæ tibi exponam, licet persuasum habeam magis invitare nos ad gravitatem & mores componendos illorum hominum, qui secundum sanctam* νομοθεσίαν *degunt. ——— Vide ne sit absurdum te, Rex, redargui ex rebus ipsis. Nam cum ad omnes Judæos pertineat illa* νομοθεσία, *quam cupimus non solum describere, sed & interpretari. &c. ——— Legis Judæorum libri cum paucis quibusdam aliis desunt. Rectum autem fuerit & hos libros accurate elaboratos extare inter tuos* διὰ τὸ καὶ φιλοσοφώτερον εἶναι, καὶ ἀκέραιον τὴν νομοθεσίαν ταύτην, ὡς ἂν θείαν· *quia hæc* Legislatio *& sapientior & sanctior est aliis, ut quæ divina est. ——— Interpretes quidem ingressos cum muneribus missis, & variis pellibus in quibus* ἡ Νομοθεσία *aureis literis lingua Judæorum perscripta erat. &c. Prælecta Interpretatione Rex ad Demetrium dixit: Quare tam excellentis operis nullus historiographorum aut poetarum aggressus sit mentionem facere? Ille inquit: Quia ista* νομοθεσία *est sacrosancta & divinitus lata.* De Νομοθεσία, audi, quæso, *Epiphanium*: [a] Πέντε μὲν Νομικάς, Γένεσιν &c. a De Mens. & Pond. c. IV.
αὕτη ἡ Πεντάτευχος καὶ ἡ Νομοθεσία. *Quinque libri ad Legem pertinent, Genesis &c. Hi dicuntur Pentateuchus, &* Νομοθεσία. *Epiphanio* accedit *Joannes Damascenus* [b] *Libri Legales 5. sunt: Genesis &c. Hic primus quinquernio* b De Fide Orthod. IV. 18.
est, qui etiam Νομοθεσία *dicitur.*

4. Per *Leges* illas, quas dicit fuisse translatas, ait *Remp. Judæorum administratam fuisse.* τῶν προειρημένων βιβλίων, καὶ τῶν κατ' αὐτὰ πεπολιτευμένων καὶ πολιτευομένων ἀνδρῶν. *librorum prædictorum, & virorum illorum qui secundum eos administrarunt & administrant Rempublicam.*

5. *Pentateuchum* tantum ab illo designari, vel ex iis clarissime perspicitur, quæ disputat de rebus in Lege Mosaica comprehensis. Postquam narrasset Interpretes à Pontifice M. designatos fuisse, inducit Pontificem ex Lege Mosaica multa sibi explicantem, ut quæ ibi injunguntur de cibo, & potu, animalibusque impuris & victimis. De ullis rebus in aliis Scripturæ libris contentis Pontificem sermocinantem non inducit. *Nunc pauca quædam* (inquit) *ex illis quæ Pontifex nobis interrogantibus explicuit, dignum fuerit commemorare, præsertim cum existimemus multis videri, nonnulla in* Lege (ἐν τῇ Νομοθεσίᾳ) *temere comprehensa, ut illa quæ de cibo & potu, & animalibus illis quæ habentur impura, sunt tradita. Interrogantibus ergo nobis, quare cum sint unius creatione omnia condita, alia ad esum impura habeantur, nonnulla etiam ad tactum. Hæc enim & alia multa videri superstitiose tradita esse in* Lege. (δεισιδαιμόνως γὰρ τὰ πλεῖστα τὴν νομοθεσίαν ἔχειν) *Ad hæc ipse ita cœpit loqui. &c.* Inter verba Pontifici affícta hæc leguntur: *Sicque in tota* Lege *sua* (διὰ πάσης νομοθεσίας) *LEGISLATOR noster Dei majestatem & potentiam illustravit. —— Hæc ergo singula diligenter contemplatus, utpote sapiens & à Deo omnium rerum cognitione instructus LEGISLATOR noster. ——— Ex quibus unum & alterum, exempli causa cursim exponam, ne in has abjectas & leves de MOSE cogitationes incidas, quasi ipse pro muribus, mustelis, & similibus tantopere sollicitus talia legibus suis ordinarit.* Post alia consimilia, sic demum disputationem Auctor concludit: *Atque hæc fuerunt tractata in collocutione, memoratu (ut ego puto) digna: quæ tibi, Philocrates, propter studium tuum singulare, de* Legis *sanctitate & naturali instituto volui exponere.*

6. Ut omnis tollatur dubitatio, si quæ jam restat, addo denique, referre *Aristeam* Ptolemæum Regem, cum, absoluta translatione, *ipsi omnia essent prælecta, valde admiratum fuisse LEGISLATORIS mentem.* προσανεγνώσθη δὲ αὐτῷ πάντα, καὶ λίαν ἐξεθαύμασε τὴν τοῦ νομοθέτου διάνοιαν. *Legislatoris?* Quomodo, obsecro! quomodo hoc intelligi potest de aliis præter *Mosaicos* libris? Et ne quis suspicetur in antiquissimis

Aristea exemplaribus hæc non comparuisse, habentur eadem ex Aristea descripta apud [a] *Josephum* & [b] *Eusebium*. *Legislator* simpliciter audire solebat *Moses*. Sic apud *Josephum* de [c] *Essenis*: σέβας δὲ μέγιστον παρ' αὐτοῖς μετὰ τὸν θεὸν, τὸ ὄνομα τοῦ Νομοθέτου. *Veneratio apud eos post Deum maxima* Legislatoris *est*. Apud *Philonem* sæpius.

[a] Antiq. 12. 2. [b] Præp. Evang. VIII. 5. [c] Belli II. 12.

His adjici posset, si confirmatione opus esset, non toti Scripturæ veteri, sed parti tantum, competere illud quod tradit *Aristeas* de Versione intra dies 72. finita. Tantillum enim temporis spatium Scripturæ toti vertendæ, idque ab Interpretibus singula inter se differentibus, non attribuisset. *Hæc temporis mensura* (inquit [d] eruditissimus Usserius) *authoris sententiam de Mosaica Lege non de tota vetere Scriptura accipiendam esse satis indicat*. Gul. Schikhardus: [e] *Nam ab αὐτόπτῃ Aristea, 72. diebus hoc pensum absolvisse memorantur, quo tam angusto aliquot diecularum spatio, Amanuensis illorum Græcus, Demetrius, vix saltem descripsisset, nedum illi præmeditate vertissent totum V. T. cujus 72. pars, quæ uni diei crederet, non certe minor evadit 14. prioribus Geneseos capitibus, expedito Scribæ sat negotii facessuris*. Eisdem calculum suum adhibent alii. Et *Jo. D'Espieresius*, quamvis sibimet persuadere *voluerit* universum V. T. à LXX. translatum fuisse, fateri tamen cogitur hoc argumento, *Aristeam* scribere de *Pentateuchi* tantum translatione. Quare eo refugit ut dicat, libros reliquos ab eisdem Interpretibus *postea* versos fuisse. *Moraliter* ([f] inquit) *impossibile est, imo & physice, ut immania illa sacræ Scripturæ volumina, tantillo tempore, duorum nempe mensium cum dimidio, scripserint, nedum conferentes & disputantes transtulerint ex Hebræo in Græcum*. Eandem sententiam cum *D'Espieresio* de libris cæteris alio tempore à LXX. conversis, & ob hanc eandem rationem, complexi sunt alii ante aliquot retro secula. [g] *Petri Comestoris* verba: *Consummaverunt opus 72. diebus: unde quibusdam visum est quod non transtulerunt tunc nisi Pentateuchum. Postea vero, vel postquam redirent, vel post aliqui ex eis ad Regem redeuntes, transtulerunt Psalmos & Prophetas*. Recurrentibus ad miraculi effugium *Comestori*, *Bellarmino*, & *Gretsero*, facile respondetur, non ut miraculum, aut rem mirandam, sed *simpliciter* hoc ab *Aristea* denarrari. συνέτυχε δὲ οὕτως, ὥστε ἐν ἡμέραις οβ΄. τελειωθῆναι τὰ τῆς μεταγραφῆς· οἱονεὶ κατὰ πρόθεσιν ἵνα τοῦ τοιούτου γεγενημένου. *Et quidem ita accidit, ut illa interpretatio eorum perficeretur diebus 72. perinde ac si data opera hoc ab illis factum fuisset*. Neque aliter memoratur à *Josepho*: μεταγραφέντος δὲ τοῦ Νόμου, καὶ τοῦ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ἔργου τέλος ἐν ἡμέραις οβ΄. λαβόντος. *Versione Legis intra 72. dies absoluta, Demetrius advocatis omnibus Judæis &c.* Hinc patet quantum erraverit *Abrahamus* [h] *Scultetus*, cum alios præter Pentateuchum libros conversos fuisse, ex eo conficit, quod *si tam pauca fuissent translata, nullum locum haberet quod aliqui de incredibili celeritate Versionis commemorant*. Secutus est, opinor, *Scultetus Galesinium*, qui sine ullo auctore dicit, *70. dierum spatio tam ingens opus cum summo omnium stupore confectum fuisse*.

[d] De LXX. Int. pag. 5. [e] Bechin Happeruſch p. 38. [f] De Versione LXX. Interpr. Disp. 1. Dub. 7. [g] Hist. Scholast. [h] Medul. Patrum parte 2. p. 344.

Si vera & genuina sit Historia *Aristeana*, ex dictis clarissime *demonstratur*, non totum V. T. sed tantum *Pentateuchum*, ab hisce Interpretibus fuisse translatum: & si sit supposititia (quod putamus nos ac asserimus) illud saltem exinde evincitur, nullam fuisse apud Judæos vetustissimos (quo tempore Auctor vixerit) traditionem de *tota Scriptura* sub *Ptolemæo Philadelpho* translata, sed tantum de *Pentateucho*.

3. Argumentum 2[dum] peto ex auctoritate & testimonio *Josephi*, qui *Antiquitatum* XII. 2. narrationem de Interpretatione describens ex *Aristea*, de reliquis libris silentium altissimum agit, & *Legis* solummodo mentionem facit, & libros translatos appellat non modo Νόμον, sed & Νομοθεσίαν, & insuper Νόμους, quo nomine nusquam donatur totum V. T.

Auctorem etiam librorum translatorum, *Legislatorem* (ut superius diximus) cum *Aristea* nominat. *Cum hoc agamus ut Judæorum* Leges (Νόμοι) *non transcribantur tantum verumetiam vertantur.* —— *Quandoquidem Deus qui suum gubernat imperium*, Leges *eis sancivit.* —— *Scire te velim inter libros eos, quos adhuc desideramus, esse Judæorum* Legislationis *libros*, τὰ τῶν Ἰουδαίων Νομοθεσίας βιβλία. *Sapientiorem & sinceriorem* Legislationem (νομοθεσίαν) *continent utpote divinitus proditam.* —— *Et cum vehementer cuperet Rex congredi cum* LXX. *Senioribus, qui Hierosolymis ad interpretandas* Leges (ἐπὶ τὴν ἑρμηνείαν τῶν Νόμων) *venerant.* —— *Ut vero Senes illi venerunt cum muneribus à Pontifice missis, & cum membranis quæ* Leges (σὺν Νόμους) *aureis literis inscriptas continebant.* —— *Gratias se illis habere dixit Rex qui venerant, sed majores etiam ei qui miserit, sed longe maximas Deo cujus* Leges *attulerint.* —— *Demetrius eos rogavit, ut quandoquidem ad interpretationem* Legum *jam ita instructi essent, ut nihil desiderent, opus aggrederentur.* —— *Ablutis manibus prius mundati singulis diebus ad* Legum *interpretationem se recipiebant. Versione autem* Legis *intra 72. dies absoluta Demetrius advocatis omnibus Judæis in locum ubi versæ fuerant* Leges, *præsentibus etiam Interpretibus*, eas *perlegit. Concio vero approbavit Seniores qui* Legem *interpretati sunt.* —— *Rex vero maximam percepit voluptatem dum sibi* Leges *legerentur, non sine admiratione sapientiæ* [1] *LEGISLATORIS: cæpitque conferre cum Demetrio, rogans qui factum sit ut* τῆς Νομοθεσίας *tam admirandæ nec Historicus ullus nec Poeta mentionem fecerit. Tum Demetrius respondit, neminem ausum has* Leges *attingere utpote divinas ac venerandas.* Ad hæc accedunt *Josephi* disertissima verba in *Antiquitatum Proœmio*, negantis alios libros præter *Legem* (*Mosaicam*) ab Intt. LXX. fuisse translatos. οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφὴν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ Νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν πρὸς τὴν Ἀλεξάνδρειαν. *Neque enim totam Scripturam occupavit ille* (Ptol. Philadelphus) *sed Legem solam ei tradiderunt Interpretes, qui ob hoc Alexandriam missi fuerant.*

Hinc liquet falli doctiss. [a] *Hen. Valesium*, qui *Josephum* intellexisse totum V. T. conversum fuisse, arguit ex his verbis, quæ habentur *Libro 2. contra Ap.* Ἐπιθυμήσας ἐγένετο τοὺς γνῶναι σὺν ἡμετέρους νόμους, καὶ τοῖς τῶν ἱερῶν γραφῶν βίβλοις ἐντυχεῖν. ἔπεμψε γοῦν ἀξιῶν ἄνδρας ἀποστελῆναι σὺν ἑρμηνεύσοντας αὐτῷ τὸν Νόμον. *Desideravit Ptol. Philadelphus cognoscere nostras Leges, & sacrarum scripturarum libros concupivit: misitque rogans destinari viros qui sibi Legem interpretarentur.* Designat ibi Josephus *scripturas* sacras non universas, sed *Mosaicas illas quæ Leges continebant.* Fatetur [b] alibi ipse *Valesius, Josephum*, & etiam *Aristeam*, de interpretatione *Pentateuchi* solius intelligendos esse.

[a] Annot. in Euseb. Hist. V. 9.

[b] Epist. ad Usserium p. 307.

Fallitur quoque [c] *Is. Vossius*, cum *Josephum* loqui de totius V. T. versione ex eo probat, quod *Demetrium Phal.* inducit Regi dicentem, *narratum sibi fuisse, MULTOS esse apud Judæos libros, qui leges eorum scriptas contineant, dignos cognitu & bibliotheca regia.* Demetrium, tanquam in rebus Judæorum hospitem, hæc ab aliis audita dicentem inducit *Josephus*. Taceo *quinque* annos, *multos* etiam dici apud *Joannem Patr. Hierosol.* Vita *Joannis Damasceni*. *Nam etiam Samius ille Pythagoras discipulis suis qui Philosophiæ mysteriis ab ipso imbuebantur*, multorum *annorum silentium indicebat.* Illud quoque sileo *Lucæ Evangelistæ*, qui dicit ante se *multos* (ii 4 forsan vel 5 fuerint) Evangelii Historias conscripsisse.

[c] Resp. ad Object. Simonii pag. 11.

Gravissime omnium hallucinatur [d] *Hottingerus*, qui *Josephum* per *Legem* solere intelligere integrum V. T. volumen, ex eo probare nititur, quod agens de Judæorum libris, qui in Synagogis legi consueverant,

[d] Thes. Philol. pag. 316.

1 Sic *Zonaras* in Annal. Josephi narrationem repetens, *perfecta* (inquit) *Versione & recitata*, *Rex τὴν δύναμιν τοῦ Νομοθέτου καὶ τὴν σοφίαν ὑπερεθαύμασε.*

libros Legis eos appellet, *cum tamen* (inquit *Hottingerus*) *ex Evangelica constet historia non in synagogis modo legi solitum Pentateuchum, sed & Prophetas. Josephi* verba, sunt vero ea in libro 2. contra [a] *Apionem*, huc afferam: *Noster LEGISLATOR* (ὁ ἡμέτερος νομοθέτης) *nec exercitationes morum omisit*, *neque* Leges *sermone reliquit incomptas.* —— *Non ignorantibus pœnam posuit, sed optimam & necessariam correctionum monstravit Legem. Quapropter non semel audire, nec secundo vel sæpius: sed in unaquaque septimana, alia opera relinquentes, ad* Legis *auditionem congregari præcepit universos, eamque perfecte condiscere, quod alii omnes* Legislatores *præcipere neglexerunt. &c.* Quis, nisi Hypsea aut Tiresia cœcior, non videt per Νόμον hic intelligi tantum *Legem Mosaicam?* Nec omnino repugnant hæc historiæ Evangelicæ, quæ docet etiam *Prophetas* in Synagogis legi solitos fuisse.

4. Testimonium 3tium *Philonis* est, idque æque luculentum. Fatetur [b] *Sixtus Senensis*, *Josephum* tradere *Pentateuchum duntaxat* à LXX. conversum fuisse: sed *testatur*, inquit, *Philo omne V. T. ab eis translatum.* Sic [c] Laurentius de la Barre: *Notandum* (inquit) *quod Philo dicat omne V. T. à 72. Interpretibus translatum. Josephus vero duntaxat Pentateuchum. Sed Philoni tanquam potiori accedit Patrum & Ecclesiæ consensus.* [d] Augustinus Steuchus Eugubinus: *Licet & Josephus eos tantummodo Pentateuchum transtulisse affirmet. Cui opponimus alterum eruditissimum Hebræum, nempe Philonem, qui honorificam habuit de his Interpretibus mentionem, & eos totius Legis ac Prophetarum contextum, in Græcam linguam vertisse commemorat.* [e] Feu-ardentius: *Philo hujus rei diligentissimus indagator, diserte testatur universum V. T. quod apud Judæos 22. libris servabatur, ab his in linguam Græcam translatum fuisse.* Concedit etiam [f] *Wowerius*, *Josephum* & *Aristeam* Pentateuchum tantum intelligere cum de Versione verba faciunt, sed *Philonem* affirmat de tota Scriptura sermonem habere. Pro eadem opinione citatur *Philo* ab [g] *Angelo Delpate.* Et asserunt [h] *Bonfrerius*, & [i] *Morinus*, *Philonem* per *Legem*, ubi loquitur de Interpretibus LXX. omnem Scripturam intelligere. Mireris quibus oculis *Philonem* hi inspexerint, si omnino inspexerint. Certe eum, ubi tractat de Græca Versione, scil. in *libro 2. De Vita Mosis*, loqui tantum de *Lege Mosaica*, res est adeo clara & perspicua, ut non mediocriter mirari subeat, potuisse unquam quemvis usque adeo cœcutire ut illud non perspiceret. Accipe ipsius verba, prolixiora licet, huc tamen, ut res extra omne dubium Lectori ponatur, adducenda. Librum suum 2dum *De Vita Mosis* sic exorditur: *Superiore libro diximus de nativitate ac educatione* Mosis, *deque eruditione ac principatu.* —— *In hoc libro attexentur quæ deinceps de actis ejus dicenda sunt.* Aliquibus interjectis, sic procedit: *Facultati legislatoriæ quatuor hæc sunt conjunctissima, charitas erga proximos, justitia, amor virtutum, & vitiorum odium.* —— *Hæc vel singula magnum est alicui contingere: mirandum vero si universa unus possit consequi: quod in solo* Mose *licet cernere, eminentibus in eo manifestis cunctarum modo virtutum indiciis, præsertim in ejus* Legibus. *Id verum esse sciunt qui legunt* sacros illius libros, *qui non poterant nisi à tali viro conscribi, idque ex Dei sententia. Hæ* Leges *posteris sunt traditæ ut res pretiosissima, referentes imaginem animæ propheticæ, indubiis nobis exprimentem has ipsas virtutes quas dixi necessarias. Quod autem Hic fuerit præstantissimus Legislatorum, qui unquam extiterunt vel apud Græcos vel apud Barbaros,* Leges *item optimæ sint & divinæ, in quibus nihil desiderari possit, hoc argumento colligitur certissimo.* —— *Res certe non caret miraculo per tot secula mansisse* Leges *easdem incolumes. illud tamen magis etiam mireris: non solum Judæos sed & aliarum gentium pene omnium homines præsertim virtutis rationem habentium, imbutos esse harum veneratione.* —— *Quod autem* Legislationis *sanctitas* (τὸ τῆς Νομοθεσίας ἱεροπρεπὲς) *non solis Judæis*,

[a] Pag. 1072.
[b] Biblioth. lib. 8.
[c] In Tertull. Apolog. c. 19.
[d] Ad Num. 1.
[e] In Iren. III. 25.
[f] De Bibl. Interpret. cap. 9. pag. 72. 75.
[g] Exposit. in Symb. Apost. lib. 5.
[h] Præloq. Biblicis c. 16.
[i] Exercit. Bibl. VIII. cap. 2.

Judæis, verum etiam aliis omnibus gentibus sit admiranda & venerabilis, manifeste apparet, tum ex his quæ modo diximus, tum ex iis quæ dicentur in sequentibus. Leges *antiquitus scriptæ sunt lingua Chaldaica* (sic vocat Hebraïcam) *manseruntque longo tempore in ea, quamvis earum pulchritudo non est intellecta externis hominibus. postquam autem ex quotidiano earum usu etiam ad alienos sensus quidam permanavit, simul gloriosa quoque fama ubique terrarum increbuit. —— Extiterunt qui indigne ferrent* has Leges *parti tantum humani generis innotuisse, nempe solis Barbaris, Græcas gentes nullum earum gustum cepisse, dederuntque operam ut* hæ *verterentur* (πρὸς ἑρμηνείαν τὴν τούτων ἐτράποντο.) *Id opus, quia magnum erat & reip. utilissimum, non privatis hominibus obvenit, nec medriocribus istis principibus & regulis, sed Regi omnium longe celebratissimo. Ptolemæus fuit is Philadelphus cognomine. —— Hic talis cum esset captus nostræ* Legislationis (τῆς Νομοθεσίας ἡμῶν) *amore ac desiderio, in Græcam linguam è Chaldaica transferendam curavit. —— Interpretes reputantes quam seria res esset* Leges *ex oraculo acceptas interpretari, —— dispiciebant de aliquo secessu suburbano purissimo. —— Hic locus postquam de communi sententia visus est ad præsens negotium aptissimus propter secessum quietissimum, ubi animus solis* Legibus *posset intendere, eum sibi optaverunt ad diversorium: sumptisque in manus sacris libris, tendebant eas ad cœlum supplices, Deum invocando ut cœptis faveat.* Addit Interpretes prophetico spiritu vertisse, nec in dictionibus à se invicem discrepasse: ὅπερ ἐπὶ ταύτης τῆς Νομοθεσίας οὔ φασι συμβῆναι· *Id negant factum in* hac Legislatione *interpretanda.* Deinde subnectit: *Hi convenientia rebus invenerunt nomina, quæ sola declaratura erant sensum apertissime. Id experimentis quotidianis creditum, sive Chaldæus Græcam linguam sive Græcus Chaldæam didicerit, in utraque scriptura cum Chaldaica tum ex interpretatione miratur germanitatem, imo rerum verborumque consonantiam adorat, non interpretes illos, sed initiatores & prophetas appellans, quibus datum est sincerissimas MOSIS cogitationes assequi spiritu purissimo.* οἷς ἐξεγένετο συνδραμεῖν λογισμοῖς εἰλικρινέσι τῷ Μωσέως καθαρωτάτῳ πνεύματι. Cum Versionis hujus memoriam in insula Pharo quotannis celebrari solitam fuisse dixisset, hæc denique subjungit: *In tantum expetendæ videntur hæ* Leges *omnibus privatis & magistratibus, quamvis jamdudum hæc gens utatur fortuna parum prospera; & solent res præclaræ obscurari quodammodo adversitatibus. Quod si fortuna melior affulserit, videtur non mediocrem accessionem allatura. Puto enim plerosque relictis & ablegatis patriis* Legibus *transituros ad* harum *solarum observationem. Nam cum fælicitate gentis* Leges *exortæ denuo, cæteras obscurabunt, sicut Sol minora sidera. Sufficiunt hæc quæ dicta sunt in laudem* Legislatoris: *ampliorem vero laudem in se continent* hi sanctissimi libri, *quo jam revertemur, ad declarandam virtutem sui SCRIPTORIS.* ἀπόχρη μὲν οὖν καὶ τὰ λεχθέντα πολὺς ἔπαινος εἶναι τοῦ Νομοθέτου· πλείων δ' ἐστὶν ἕτερος, ὃν αὐταὶ περιέχουσιν αἱ ἱερώταται βίβλοι, πρὸς ἃς ἤδη τρεπτέον, εἰς τὴν ἔνδειξιν τῆς τοῦ συγγράψαντος ἀρετῆς. Quæ leguntur apud *Philonem* usque ad finem libri, omnia sunt de rebus in libris *Mosaicis* contentis. De aliis libris Scripturæ nulla omnino mentio. Eant nunc, & ostendant, si possint, *Philonem* voluisse totum V. T. fuisse translatum. Nihil opus est ut hoc loco repetamus quod superius observavimus, *Philonem* alibi *Prophetarum oracula*, & *Psalmos*, à *Lege* aperte distinguere.

5. Testis 4[tus] nobis prodeat *Aristobulus Judæus*, cujus nomine extiterunt olim Commentarii in *Legem Mosaicam* ad *Ptolemæum* Regem scripti. Hunc concedunt Adversarii floruisse sub *Ptolemæo Philometore*. Esto. Quo antiquior ille, eo fide dignior nobis hac in causa testis erit. Fragmentum ex ejus Commentariis descriptum apud *Eusebium Præp. Evang.* XIII. 12. [a] in hanc sententiam concipitur. *Satis constat* Legislationem *nostram* (τὴν καθ' ἡμᾶς Νομοθεσίαν) *secutum esse Platonem, & singula earum capita*

[a] Habetur pars ejusdem apud Clementem Alex. Strom. l. 1. p. 342.

capita diligenter ac studiose perlegisse. Nam etiam ante Demetrium illum Phalereum, adeoque ante Alexandri & Persarum imperium, [1] *ea jam omnia Græce ab aliis conversa fuerant, quibus illa Hebræorum popularium nostrorum ex Ægypto migratio, tum eorum series, quæ cælitus ipsis evenere, promissæ regionis occupatio, & universæ* Legislationis (τῆς ὅλης νομοθεσίας) *expositio continetur: nemini ut dubium esse possit, quin suos in libros laudatus inde Philosophus pleraque derivarit. Fuit enim is lectionis plurimæ, quemadmodum & Pythagoras, qui è nostris selecta quoque permulta suis illis decretis inseruit. Facta autem est integra interpretatio omnium quæ in* Lege *continentur* (ἡ δ' ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ Νόμου πάντων) *sub Rege cognominato Philadelpho, proavo tuo,* [2] *aggrediente illo Versionem majore (quam fecerunt illi priores) studio & magnificentia, & Demetrio Phalereo totum negotium moderante. —— Divinam quippe vocem accipere nos sic oportet, non ut sermonem aliquem conceptis inclusum expressumque verbis, sed ut operum ipsorum molitionem. Quo plane sensu in* Legislatione (διὰ τῆς Νομοθεσίας) *creationem mundi universam* Moses *Dei vocem appellavit. Nam de singulis operibus ita pronunciat; Dixitque Deus & factum est. Id quod ego Pythagoram, Socratem, ac Platonem, cum nostra omnia curiose rimati essent, omnino secutos existimo, cum sese Dei vocem exaudire dicerent, in illa universi molitione, quæ tam accurate à Deo perfecta, sui semper similis integraque persisteret, contemplatione defixos.* Aristobuli testimonium profert [a] *Frassenius*, ut probet totas Scripturas à LXX. fuisse translatas, illudque opponit *Josephi* testimonio, quem loqui tantum de *Pentateucho* agnoscit. Et profitetur [b] *Is. Vossius* se olim hunc locum *Aristobuli* de *Lege* tantum *Mosaica* sub *Ptol. Philadelpho* translata intellexisse, nunc vero, judicio maturiore, se ita Auctorem intelligere ut sensus ejus sit hujusmodi, Ante quidem Ptolemæorum tempora extitisse *Pentateuchi* Versionem, postea vero sub *Ptol. Philadelpho* factam fuisse totius Scripturæ interpretationem. Certe rectius *juvenis* quam *senex* hujus loci sensum vidit *Vossius*, utpote tunc minus cœcutiens præjudicio. Et in libro quem edidit *de* LXX. *Interpretibus* anno 1661. aperte libereque fatetur, *Legem cum absolute ponitur*, *SEMPER Legem Mosis significare. Aristobuli* mens hæcce est: Extitisse antiquitus, diu ante Ptolemæorum ætatem, Græcam quandam Versionem *Legis*, qua usi fuerint veteres Philosophi; illam vero quæ sub *Philadelpho* confecta est, *totam* fuisse novam, majoreque cura & studio elaboratam. *Aristobulum* per τὰ διὰ τοῦ Νόμου, *ea quæ in Lege continentur*, intellexisse tantum scripta *Mosaica*, apparet non modo ex istis quæ superius jam dicta sunt de communi acceptione τοῦ Νόμου apud veteres Judæos, verum etiam ex alio ipsius fragmento, quod extat apud *Eusebium*, citati Operis VIII. 10. *Sed quoniam* (inquit) *cum propositis quæstionibus satis à nobis factum esset, succlamasti, O Rex, deinceps ipse quoque; quorsum tandem* Lex *nostra* (διὰ τοῦ Νόμου τοῦ παρ' ἡμῖν) *manus, brachia, vultum, pedes, ambulationem Divino Numini attribuat: hanc præterea juverit superioribus disputationem adjungere, quæ cum iis nullo modo pugnet. —— Solet enim* Moses, Legislator noster, (ὁ Νομοθέτης ἡμῶν Μωσῆς) *animi sensa multis modis exprimere. —— Qui si minus aut rem tetigero, aut aliis fidem fecero; maxime velim, uti ne hanc in* Legislatorem, *sed in me duntaxat imperitiæ culpam derives. —— Quem in sensum utique* Moses *in* Legislatione *loquitur.* Ἐπισημαίνεται δὲ τοῦτο καὶ διὰ τῆς Νομοθεσίας ἡμῶν λέγων ὁ Μωσῆς οὕτως. —— *Recte igitur omnino* Legislator *hanc vocem ad aliquam majestatis significationem transtulit. —— Deus quo tempore* Leges *sanciebat eo tum in mentem* Legis

[a] Disquis. Bibl.

[b] Resp. ad Simonii Crit. Sac.

1 Talem fuisse versionem finxerunt Judæi, ut probabile videretur antiquos Philosophos Græcos ex sacris libris sua desumpsisse.

2 Προσενεγκαμένου μείζονα φιλοτιμίαν quorum verborum sensum non assecutus est Interpres, cum vertit: *qui omnes hoc in genere studio & magnificentia superavit.*

scriptura

ſcriptura (διὰ τῆς γραφῆς τοῦ Νόμου) *deſcendiſſe fertur, ut omnibus divinum opus illuceſcat. —— Montem enim, quoniam Deus eo deſcenderat, paſſim arſiſſe* Legiſlator *commemorat*. In ipſo operis ſui titulo *Ariſtobulum* vocabulum Νόμος ad *Moſaicam Legem* reſtrinxiſſe ſubindicat alibi [a] *Euſebius*; ubi dicitur illum Ptolemæo Regi τὴν τῶν ἱερῶν Νόμων προσφωνεῖν ἑρμηνείαν, *divinarum Legum expoſitionem inſcripſiſſe*. Ita dicitur apud [b] *Clementem Alex.* in hoc Opere probaſſe Philoſophiam Peripateticam cum ex *Lege Moſis*, tum ex *aliis Prophetis* deſcendiſſe. ἐκ τε τοῦ κατὰ Μωσέως Νόμου, καὶ τῶν ἄλλων ἠρτῆσθαι Προφητῶν. [c] *Hottingerus*, ut probet omnem Scripturam vet. à LXX. verſam fuiſſe, ait *Euſebium Præp. Evang. libr.* 3. ex *Ariſtobuli* libro ad Regem Ptolemæum, aperte diſertiſſimiſque verbis ſic ſcribere: *Nos omnes ſcire ante Demetrii Phalerei tempora, imo Perſarum imperium, 5 Moſis libros, parum quidem commode in Græcam linguam verſos fuiſſe*; totam *vero* Scripturam *noſtram ſacram Demetrii Phalerei opera & Philadelphi Regis juſſu recte tranſlatam.* Quæ verba nuſquam apud *Euſebium* extant, ſed ex loco ſupra poſito perperam concepta ſunt.

a Præp. Evang. VII. 13.

b Strom. lib. 5. pag. 594.

c Theſ. Philolog. pag. 312.

6. Judæorum Doctoribus qui lingua Græcorum ſua conſignarunt, accedunt Magiſtri veteres *Rabbinici*. Cum loquuntur hi de Græca Verſione ſub Ptolemæo Rege elucubrata, de *Lege* ſola loquuntur, reliquorum librorum mentionem nuſquam facientes. Hinc quoque per *Legem* Scripturam totam intellexerunt? Sic reſpondent [d] *Voiſinius*, & [e] *Morinus*, aliique. At falſum hoc eſſe evidenter apparet, cum ex iis quæ ſupra diſputavimus de Rabbinorum antiquorum diviſione Scripturæ in *Legem*, *Prophetas*, & *Hagiographa*, tum ex ipſis eorum verbis, & traditiuncularum circumſtantiis.

d Procem. in Pug. Fidei.

e Exercit. p. 364. §. 6.

Talmud Babylonicum in Tract. Megilla: *Magiſtri noſtri non permiſerunt ut ſacri libri verterentur niſi in Græcum. Et traditio eſt, uti dicit R. Judah, quod cum permiſerunt* Legem *in Græcum conſcribi, permiſerunt id tantum libro* Legis: *atque inde ortum eſt opus Ptolemai Regis.* Multa ſtrenue nugatur, ſeque miſere torquet *Morinus*, ut à pondere hujus teſtimonii caput ſuum ſubducat. Sed ipſo jubare meridiano clarius elucet, *Talmudicorum* mentem hanc eſſe, *Legem* ſolam *Moſaicam*, non cæteros libros Scripturæ, Ptolemæi Regis opera verſam fuiſſe.

Talmudici Hieroſolymitani in *Maſſecheth Sopherim*, narrant *Regem Ptolemæum, convocatis* LXXII. *Senioribus, & in diverſis cellulis diſpoſitis, ad ſingulos ingreſſum, dixiſſe eis, Scribite mihi Legem MOSIS MAGISTRI veſtri. Dedit Deus conſilium in corde uniuſcujuſque illorum, convenientibuſque ſententiis eorum in unam ſententiam ſcripſerunt ei* Legem *ſeparatim, reſque tredecim in ea mutarunt, quæ ſunt iſta &c.* Quid ad hæc reſpondet *Morinus*? *Si ſeparatim* (inquit) *& ab aliis libris diviſim, Legem obtulerunt Ptolemæo, manifeſtum eſt reliquos libros tranſtuliſſe.* O ingenium! O acumen! Videre noluit *Morinus* (& quis cœcior illo, qui videre non vult?) hic dici Ptolemæum Senioribus præcepiſſe ut *Legem MOSIS Magiſtri ſui* interpretarentur. Cum dicitur Seniores *ei ſcripſiſſe Legem ſeparatim*, nihil aliud intelligitur quam illos eam ſcripſiſſe, ſeu vertiſſe, à ſe invicem *ſeparatos*.

Ex Talmude *Babylonico*, citato titulo *Megilla*, proferuntur omnino eadem, niſi quod deſit iſta clauſula; *ſcripſerunt ei Legem ſeparatim.* Illic etiam perhibetur Regem Seniores juſſiſſe *Legem MOSIS Magiſtri ſui deſcribere.*

Hebræorum Chronicon *Seder Olam Zuta* inſcriptum, ex *Genebrardi* verſione. *Anno* 140. *Græciæ mortuus eſt Hanania, ſucceſſit Barachia, cujus diebus fuit Tolmai* (Ptolemæus) *qui ſcripſit* Pentateuchum *Græce.*

Hiſtoria inſcripta *Joſippus*, ſive Joſephi Epitome: *Ptolemæus, cui deſcripta Lex MOSAICA in lingua Græca.*

Doctores Talmudicos, cæterosque Rabbinos veteres, intellexisse tantum scripta *Mosaica* à LXX. translata fuisse, abunde ex eo confirmatur, quod 13. ista loca, quæ fingunt ab illis in interpretatione immutata fuisse, omnia sunt *Pentateuchi*. Complures illi Rabbini veteres, qui loca hæc 13. commemorant, in Capite superiore recensiti sunt: hic loca ipsa describam, una cum *Glossis* ex *Josephi* (qui dicitur) *Epitomatore*. Eadem habes, sed absque *Glossis*, & cum aliquibus discrepantiis, ex *Talmudis Hierosolymitani* tractatu *Megilla*, apud alios, & ipsum [a] *Morinum*. *Et concordaverunt* (inquit Compendium) *singuli in sententia, cum tamen mutarunt 13. loca*: "*quod sine miraculo factum non est, quod sic omnes in* "*unam convenerunt sententiam, ac si unus tantum scripsisset. Sunt autem hi* "*13. illi loci. Primus.* [b] Deus creavit in principio, *non sc. præponendo* "*vocem ullam nomini Dei, & etiam propterea quod in lingua Græca, id quod* "*agit præponitur: quod autem efficitur, postponitur: ne sc. audiretur quasi* "*ipsum Bereschith esset Creator, & Elohim esset creatura. Secundus.* [c] Faciam hominem in imagine & similitudine: *ne audiretur quasi aliquis qui* "*consilium iniret cum aliis. Tertius.* [d] Et perfecit Deus in sexto, & "quievit in die septimo: *ne videretur quasi fecisset in die septimo aliquid,* "*consummassetque in eo operationem. Quartus*: [e] Age descendam & con- "fundam ibi labium ipsorum. *Ne sc. viderentur ex loquutione plures esse.* "*Quintus*: [f] Et risit Sara cum propinquis suis loquendo: *ne scil. subsannaret Rex & diceret, quis ostendit nobis id quod fuit intra ipsam? Sextus*: "[g] Quoniam in furore suo occiderunt bovem, & in voluntate sua ru- "perunt præsepe: *ne subsannaret Rex, diceretque, Quid commercii est viro* "*cum bove? Septimus*: [h] Et accepit Moses uxorem suam & filios impo- "suitque eos super id quod portare potest hominem: *ne illuderet Rex* "*Mosi magistro nostro quod ascendisset asinum: Et ne diceret, quomodo por-* "*taret asinus unam mulierem & duos filios? non fuit istud nisi propter pauper-* "*tatem & despectionem. Octavus*: [i] Et mansio filiorum Israel qua sede- "runt in Ægypto & in reliquis terris triginta anni & quadringenti anni: "*qui tamen in Ægypto non sederunt nisi ducentis decem annis. Et hoc est* "*quod indicavit eis Jacob pater eorum: Descendite (quod signat ducentis de-* "*cem) illuc. Porro computatio quadringentorum triginta annorum, est ab anno* "*nativitatis Isaaci, qui fuit ipsi Abraham semen sanctum. Nonus*: [k] Et ad "parvos filiorum Israel non misit manum suam: *quasi diceret, quin-* "*etiam ad parvulos eorum non misit manum suam: ne sc. diceret, Magnates* "*evaserunt, sed pueri filiorum Israel non evaserunt. Decimus*: [l] Nullum "desiderabile ab eis accepi: *ne sc. diceret, Asinum non tulit, sed munus* "*unum accepit. Undecimus*: [m] Quæ divisit Dominus Deus tuus ut lu- "ceant omnibus populis: *ne diceret: Ecce divisit Dominus sanctus & bene-* "*dictus ea omnibus populis, deditque eis licentiam ut colant ea. Duodecimus*: "[n] Ivit & coluit Deos alienos quos non præcepi colere: *ne diceret: Jam* "*vocasti eos ad extraneum cultum Deorum. Decimus tertius*: [o] Leporem "ipsum vocaverunt parvulum [1] pedibus: *Eo quod uxor ipsius Regis, Le-* "*poris* ארנבת *haberet nomen,* [2] *ne ipsa diceret, Illudunt mihi Judæi. Veni* "*& vide, tot fuerunt qui acquieverunt legibus Græcorum, & ipsi renuerunt.*

a Pag 354.
b Gen. 1. 1.
c Gen. 1. 26. *faciam*, pro *faciemus*
d Gen. 2. 2. *in sexto*, pro *in septimo*.
e Gen. 11. 7. *descendam*, pro *descendamus*.
f Gen. 18. 12. *propinquis*, pro *intra se*.
g Gen. 39. 6. *præsepe*, pro *bovem*.
h Exod. 4. 20. *id quod portare potest hominem*, pro *asinum*.
i Exod. 12. 40.
k Exod. 24. 5. *parvos*, pro *magnates*.
l Num. 16. 15. *desiderabile*, pro *asinum*.
m Deut. 4. 19.
n Deut. 17. 3.
o Deut. 14. 7. & Levit. 11. 6.

1 Emendationem hujus loci vide, si modo tanti sit, apud Drusium Observ. lib. 15. cap. 17. & in Levit. c. 11. v. 6.

2 Talmud: *Scripserunt etiam ei* parvum pedibus: *non enim scripserunt ei* leporem, *eo quod uxor Ptolemæi vocabatur* Lepus, *ne dicerent, irrident me Judæi, ideo posuerunt nomen uxoris meæ in Lege.* Hottingerus *Thes. Philolog.* p. 329. de hisce locis hæc habet: Alii loco 13. uxorem, alii matrem Ptolemæi *Arnebtam* appellatam volunt, tertii plane omittunt. Rursus alii locum 9. ita legunt: *Et habitarunt in Ægypto, & aliis terris &c.* Alii: *In Ægypto, & in terra Canaan.* Meminit etiam hujus loci *Aben Esra* Com. ad Exod. 12. & *R. Lipm.* p. 34. Sed quid nodum quærimus in scirpo? Reperiantur licet, ut monet *R. Azarias*, in hodierna Græca translatione ex 13. illis locis mutatis quatuor, Gen. VII. 2. Exod IV. 20. Num XVI 15. Exod. XII. 40. (Qui locus palmarius est, & eodem modo in Codice Samaritico reperitur) aliter quam Veritas Hebræa admittat, non mysteriis, aut insulsis illis, quas pertendunt Rabbini rationibus, sed Interpretum potius libertati, aliisque causis verisimilioribus dandum est.

Unus

Unus omnium Hebræorum, quos ego quidem noverim, *Josephus Gorionides* de omnibus libris Scripturæ ab Intt. LXX. translatis meminit. *Sacerdotes autem illi explicuerunt totam Legem & reliquos Biblicos libros, viginti scil. quatuor, quos transtulerunt* LXX. *Sacerdotes de lingua sancta in linguam Græcam.* Cæterum ista; *& reliquos Biblicos libros &c.* ab ipso Auctore non scripta fuisse, sed ab aliquo alio recentiore interpolata, & Auctorem revera voluisse tantum 5. libros *Mosis* translatos fuisse, colligas licet non modo ex ejus *Epitomatore*, qui *Legem Mosaicam* diserte nominat, verum etiam ex alia parte ipsius narratiunculæ, ubi refert in regia Bibliotheca repositos jam fuisse libros *quinque minus mille*, & *Legem* versam fuisse ut impleretur numerus *millenarius*. *Hic præcepit duobus principibus suis, quorum nomina erant Aristæus & Andreas, ut congregarent libros multos. Collectis autem plurimis voluminibus scriptis Medorum atque aliorum populorum linguis, dixit Rex ad eos, quot habetis libros? Responderunt ei, nongentos & nonaginta quinque, ut ascendant ad millenarium numerum. Ad quem dixit Aristæus, Obsecro, Domine, ne attendas quod frustra laboravimus pro libris istis, in quibus nulla est utilitas: quare si Regi bonum videtur, scribat ad Pontificem Hierosolymitanum, ut ille ad te mittat sapientes, qui in illa sunt urbe, callentes linguam Græcam, qui tibi explicent* Legem *suam. Illa enim scriptas habet res sanctas, & omnes alii libri non habent nisi vanitatem.* Ex hisce saltem liquet, Scriptorem illum, quem secutus est *Gorionides*, locutum fuisse tantum de libris *Mosaicis*, & verba prædicta incogitanter à *Gorionida*, neque quid scripserit rite satis perpendente, adnexa fuisse. Illum sequitur in errore de totius Scripturæ translatione Liber inscriptus *Secundus Machabæorum juxta Arabes*, cujus capita 16. priora hunc titulum habent: *Secundus Machabæorum ex Hebræorum translatione*; & ex Historia *Gorionidæ* manifesto desumpta sunt.

Rabbinos veteres agnovisse tantum 5. libros *Mosaicos* à LXX. translatos fuisse, testatur quoque *D. Hieronymus.* Hoc *tradere Hebræos* dicit in [a] *Comment. in Michæam.* Et [b] *Comment. in Ezech.* affirmat *omnem scholam Judæorum* idem *asserere.*

[a] Cap. 1.
[b] Cap. 5.

Profert *Morinus R. Gedaliæ* de *Catena Cabbalæ* & ex *R. Azariæ* de *Imre Binah*, verba, ut probet hujus *constantem fuisse sententiam*, totum V. T. à LXX. fuisse translatum; alterum dubitasse utrum totum volumen an tantum Pentateuchus ab illis conversus fuerit. Quamvis parum intersit quid isti Judaiculi ætatis novissimæ senserint, ut tamen Lector perspiciat qua fide *Morinus* in citandis Auctoribus uteretur, non pigebit huc adducere quæ habet de illis *Simeon de Muis* in Appendice *Assertionis Veritatis Hebraicæ.* "Quod dixi (inquit) suspicari me non integrum "à Morino citatum Azariam, haud me fefellit, qui Morini sensum & "animum jamdudum pulchre callebam. Tantum enim abest, ut Azariæ constans sit, sicuti affirmat Morinus, de universis sacris libris ab "Sept. Interpretibus Græcum in sermonem conversis sententia, ut con-"trarium prorsus ab eo statuatur. ——— Postquam enim Azarias scri-"psit esse cur credatur Ptolemæus non Legem modo, sed Prophetas "etiam & Hagiographa sibi Græce verti postulasse —— tandem sic "rem concludit ac decernit: *Nihilominus si rem ad rectæ rationis trutinam* "*expendimus, recitata Aristæi verba eo evidenter propendent, ut de sola Mosis* "*Lege intelligenda sint.* Nec hoc tantum: sed suam etiam sententiam "confirmat ex Philone Alexandrino, in libro 3. de Vita Mosis, non "longe à fine, Josepho etiam, in Præfat. ad libros Antiquitatum. Addit "præterea flocci non facere se Josephum Hebræum, qui aliud asserit, "quod haud probus ac legitimus sit. D. quoque Hieronymum, quem "interpretem Christianorum nominat, istius sententiæ laudat aucto-

 rem,

"rem, multis in locis. Enimvero hac quoque urget ratione, quod cui-"cunque palatus sapit, is necessario ex modo & stylo Versionis judicet "Pentateuchi & aliorum librorum non eundem esse interpretem: lon-"ge enim diversam esse styli rationem. Deinde hoc argumento, quia, "si verum est, quod Aristæus & Josephus tradunt, dierum 70. spatio "suum absolvisse opus Sept. Interpretes, minime dubium sit, quin, si "quid homines possint, spectetur, solam Mosis Legem illi converterint. "Ita ferme *Azarias*. Quis nunc temere credat *Morino* auctores citanti, "si tam callide novit ea, quæ non placent, rescindere? Et vero id so-"lens suo more facit. Non ita etiam dubius hæret *Gedalias*, quem ci-"tat M. ut alteri parti non videatur magis favere. Nam postquam ille "negavit sibi constare, omniane sacra volumina, an Legem solam ver-"terint LXX. remque in incerto haberi affirmavit, subjungit tamen "tandem, *Ex verbis autem Aristeæ, atque etiam Josephi, Philonis Judæi,* "*& præcipui cujusdam inter Christianos sapientis* (S. Hieronymi) *apparet* "*nisi de Pentateucho non esse illos accipiendos*: quæ verba resecuit *Morinus*. Hæc *Musius*. *Gedaliæ* locum integrum superius nos descripsimus.

[a] Biblioth. lib. 8.
[b] Præf. in Jos.
[c] Epist. ad Usserium.

7. Fatetur [a] *Sixtus Senensis* esse *omnium fere Hebræorum opinionem, quod Interpretes* LXX. *solos 5. libros Mosis Græcos reddiderint*. Et *Talmudicos* hoc aperte scriptum reliquisse, fatentur [b] *Andreas Masius*, & [c] *Hen. Valesius*. Ad eorum vero auctoritatem respondet *Masius* his verbis, quæ, utpote Viri maximi, non piget in medium proferre. "Sed quæ, "inquies, ratio induxit Talmudicos, quorum commenta Judæi omnes "nullo judicio sequuntur, &, tanquam dictata reddunt, ut solam Mosis "legem conversam fuisse scriberent? Dicam, & quidem, nisi fallor, "probabilissimum. Ipsa eos superstitio, ut sic existimarent, movit: "qua, cum semper alias gentis illius animi singulariter fuere occupati; "tum plusquam aniliter ineptire cœperunt non paucis annis ante Chri-"sti adventum; cum purior religio jam tum prope esset exoleta. Pu-"tabant enim stulti homines, ut, præter Mosis Legem, cæteri quoque "libri sacri interpretatione pervulgarentur, ne Deum quidem ipsum "fuisse passurum. Et ne ista sine auctore effingi à me existimes, di-"cam, ut potero, Latine *Talmudis* verba, quæ in מסכת מגלה, ubi de "legenda Historia Hester tractatur, capite primo, sub ipsum initium, "scripta existunt. Sunt autem ea fere hujusmodi, ut verbum è verbo ex-"primam. *Ait R. Jeremias, sive R. Hija, Abbæ F. Legem Chaldaice interpre-* "*tatus est Oncelus advena, ex ore R. Eleazaris, & R. Josuæ. Prophetas au-* "*tem convertit Chaldaice Jonathan Uzielis F. ex ore Haggæi, Zachariæ, &* "*Malachiæ. Quod cum iste faceret, movit terra Israelitarum per quadringentas* "*parasangas: auditaque est vox dicentis: Quis ille est, qui arcana mea enun-* "*tiare ausus hominibus? Jonathan autem insistens pedibus suis respondit:* "*Ego is sum, qui tua arcana patefeci hominibus: tu vero non nescis, id me* "*neque meæ, neque parentis mei, sed tuæ gloriæ causa fecisse; ne dissensiones* "*multiplicarentur in Israele. Cum porro ille etiam eos libros, qui vocantur* "כתובים, *id autem est, Hagiographa; vellet interpretari; edita rursus vox* "*est, monentis, ut se abstineret: satis enim esse. Quamobrem? Quia in Ha-* "*giographis expressus est terminus venturo Messiæ præstitutus. Sed quæ caussa* "*est, cur cum Lex interpretaretur, non moverit terra; cum autem Prophetæ,* "*moverit? Quia Legis verba aperta atque explicata sunt: at Prophetarum,* "*partim quidem explicata, alia vero signis consignata.* Hæc ille pene ad "verbum Talmud. Cæterum quod de Messiæ adventu in Hagiographis "definito dicit, id R. Salomon ejus explanator ad Danielis historiam "spectare ait. Judæi enim Danielem una cum Prophetis non annumerant. Quam *Masii* responsionem ut *optimam* adprobat *Valesius*. Sed falli doctissimum *Masium*, cum hanc rationem assignat, ex eo luculente demonstratur,

demonstratur quod scribant non modo *Talmudici* (velut existimavit *Masius*) solum *Pentateuchum* sub Ptolemæo Græce conversum fuisse, sed & ipsi illi antiquissimi Judæi *Pseudo-Aristeas*, *Aristobulus*, *Philo*, *Josephus*; quorum tres priores in ipsa urbe *Alexandria* vixerunt, & editione Græca usi sunt. Non finxerunt Talmudici *Pentateuchum* solum translatum fuisse, quia putarunt nefas fuisse libros reliquos versione pervulgare: sed ideo potius finxerunt non licitum fuisse libros reliquos in aliam linguam convertere, quia sub Ptol. Philadelpho *Pentateuchus* tantum translatus est.

8. Fatetur *Valesius* in *Epistola ad Jac. Usserium de Interpretibus* LXX. non modo *Talmudistas*, & *Josephum*, ac *Aristeam*, sed *Philonem* etiam atque *Aristobulum*, hoc attestari. Sed contra hos omnes opponit auctoritatem Scriptorum Ecclesiasticorum. *Certe* (inquit) *Aristeas*, *& post eum Aristobulus*, *Philo*, *ac Josephus Legem duntaxat ab illis conversam esse tradunt. Idem scribunt etiam Talmudistæ. Verum multo plures recensere possumus, qui non solum Legis libros, sed Propheticos etiam, & Hagiographos ab eisdem* LXX. *Græce interpretatos esse dixerunt. Inter quos est* [a] *Justinus*, [b] *Irenæus*, [c] *Clemens*, [d] *Epiphanius*, [e] *Olympiodorus*, *& reliqui fere omnes Ecclesiastici Scriptores.* Illis addi nominatim potuissent [f] *Origenes*, [g] *Eusebius*, [h] *Hilarius*, [i] *Philastrius*, [k] *Ruffinus*, [l] *Augustinus*, [m] *Cyrillus Hierosol.* [n] *Chrysostomus*, [o] *Theodoretus*, [p] *Theodorus Antiochenus*, [q] *Theodorus Heracleotes*, [r] *Isidorus Hispal.* [s] *Procopius Gazæus*, [t] *Hesychius*, [u] *Malala*, [x] *Syncellus*, [y] *Euthymius*, [z] *Cedrenus*, [1] *Michael Psellus*: inter Arabes [a] *Said Ibn Batric*, [b] *Gregorius Abulpharajius*, *Chronicon Orientale*, [c] *Elmacinus*. Quorum omnium auctoritatem tantum abest ut censeam hac in re opponendam esse Judæorum tanto consensui, ut ne uni *Pseudo-Aristeæ*, aut *Josepho*, aut *Philoni*, aut *Aristobulo*, eorum omnium conjuncta testimonia prætulerim. Unde illi (amabo) nisi à *Judæis*, de libris Biblicis sub *Ptolemæo* conversis edoceri potuerunt? Quod scite ait *Thucydides*, *Homines*, *quæ de rebus præteritis audiverunt*, *nulla prorsus examinatione adhibita à se invicem accipere*; id locum hic habet. Scriptorum horum juniores sine ullo rei examine priorum vestigiis institerunt. Et facillimum fuit eorum antiquissimis in hac re falli. Cum viderunt ante *Aquilæ Sinopensis* tempora Græce extitisse totum V. T^ti volumen, quid illis magis in proclivi, quam existimare totum fuisse ab eisdem Interpretibus translatum? Et cum ista translatio, quæ dicta est LXXviralis, & numero Interpretum & fabula Cellularum diversarum commendatissima fuit, voluerunt sibi sine ulla rei examinatione persuadere, translationem illam, quam receperat Ecclesia, quaque ipsi utebantur in disputationibus cum Judæis, fuisse totam ab illis Interpretibus confectam. Verbo: ut facile decepti sunt antiquissimi Scriptores Ecclesiastici, *Justinus*, *Irenæus* &c. de Cellularum diversarum miraculo, sic facile etiam decepti sunt de librorum translatorum numero: & errorem ad posteros de re utraque facillime transmiserunt. Quis illud mirabitur, Christianos veteres, qui Græca Versione usi sunt, ad hujusmodi errorem tam faciles se præbuisse, cum credant hodie jactitentque *Maronitæ*, suorum Bibliorum libros aliquot, nempe omnes qui tunc extiterunt, translatos fuisse tempore & jussu Regis [d] *Solomonis*, orante exoranteque *Hiramo*, Rege Tyri, ipsius amico; reliquos vero libros Veteris pariter ac Novi T. tempore *Abagari* Regis Syriæ, cura & solicitudine *Thaddæi* reliquorumque Apostolorum?

a Cohort. ad Gent. p. 13.
b Adv. Hæref. III. 25.
c Strom lib. 1. p. 342.
d Lib. de Pond. & Mens.
e Proœmio Catenæ in Job.
f in Psal. 2. v 1. ubi citat LXXviral in Psalmorum Versionem.
g Præp. Evang. VIII. 1.
h Præf. in Psal.
i De Hæref.
k Com in Joel, ubi citat LXX.
l De Doctr. Christ. IV. 7 &c.
m Catech. 5.
n Serm. 4. in Gen. c. 1. v. 8. & ap. Catenam in Psal. 119. vers. 4.
o Præf in Psal.
p In Psal. 9.
q In Psal. 2. v. 1.
r Orig. VI. 3.
s Præf. in Octateuchum.
t In Psal. 98. vers. 1.
u Chron.
x Chron.
y Præf. in Psal.
z Hist.
a Annal.
b Hist. Dynast.
c Chron.
d Vide Gabr. Sionitæ Præf. in Psalt. Syriac.

9. Vulgarem hunc errorem vidit tandem & rejecit *B. Hieronymus*, Patrum omnium Latinorum longe doctissimus. Hic, comperto *Ari-*

1 Cujus extat in Bibliotheca Vindobonensi, inter alia versibus Politicis ad Imp. Constantinum Monomachum scripta, carmen cum hoc titulo; *De Psalmorum Davidicorum compositione & usu, & de eorundem translatione ex Hebraica in linguam Græcam per 72. Interpretes.*

steam & *Josephum* de librorum tantum *Mosaicorum* translatione loqui, & eandem fuisse apud Hebræorum Magistros traditionem, non obscure subindicat in multis suis opusculis, à vulgari & recepta opinione se recedere. Quæstionum sive Traditionum Heb. in Gen. Procemio: *Accedit ad hoc quoque quod Josephus, qui LXX. Interpretum proponit historiam, quinque tantum ab eis libros Moysi translatos refert, quos nos quoque confitemur plusquam cæteros cum Hebraicis consonare.* Com. in Jer. cap. XXXI. *Utramque autem editionem ex toto posui, ut caput obscurissimum & Ecclesiæ continens Sacramenta, à LXX. sive quis alius hunc Prophetam interpretatus est, aut ignoratum aut omissum ostenderem.* In Ezech. cap. V. *Nec hoc dicimus ab illis* (LXX. Intt.) *factum, quibus vetustas auctoritatem dedit, sed per multa secula, scriptorum atque lectorum vitio depravatum. Quanquam & Aristeus, & Josephus, & omnis schola Judæorum, quinque tantum libros Moysi à* LXX. *translatos asserant.* Ibid. in cap. XVI. *Hoc in* LXX. *non habetur: qui forsitan Alexandriæ in Græcum sermonem Scripturas ex Hebraica veritate vertentes, timuerunt hoc edere: ne Regem Ægypti viderentur offendere, dum à Deo Hierusalem debitum regnum esse commemorarent: quanquam eruditi solos quinque libros Moysi ab eis interpretatos probent.* Hinc videtur confici posse, alios præter ipsum *Hieronymum*, & ante illum, viros eruditos, eandem veritatem, *Aristeæ* scil. & *Josephi Rabbinorumque* auctoritate inductos, amplexos fuisse. Rursus *Com. in Micheam*, cap. 2. *Interpretatio Septuaginta, si tamen* LXX. *est, Josephus enim scribit, & Hebræi tradunt, quinque tantum libros Moysi ab eis translatos, & Ptolemæo Regi contraditos.* Agnoscit Card. [a] *Baronius* in eo fuisse aliquando *B. Hieronymum* ut existimaret tantum libros *Mosaicos* à LXX. traductos fuisse: sed *postea*, inquit, in communem cæterorum sententiam pedibus ivit. Hoc probat ex eo *quod Prophetas interpretando, textum* LXX. *interserit, de eoque pariter disserit, &* LXX. *esse fideliter recognoscit.* Cujus responsionis vanitas ex eo facile perspicitur, quod ex ipsis ejus in *Prophetas* Commentariis tot loca à nobis producta fuerint. Neque illud ullius momenti est quod respondet *Morinus*; *locis aliis innumeris ut rem apud omnes vulgatam & confessam illum tradere & scribere totam Scripturam à* LXX. *translatam fuisse, testimoniaque ex quibuslibet libris, ut ex* LXX. *Interpretum translatione passim, vel citare, vel explicare.* Non enim necesse fuit, nec fuisset elegantiæ aut prudentiæ, quotiescunque Versionem LXX. Interpretibus tributam commemorat aut citat, Lectorem de sua opinione sive dubitatione commonere. Satis fuit aliquoties id facere. Et hoc diligens Lector observet, Commentaria in Prophetas, *Jerem.* & *Ezec.* ex quibus loca supra posita deprompta sunt, paulo ante mortem suam ab *Hieronymo* scripta fuisse. Ut quid vera & *ultima* illius fuerit sententia, vel exinde clarissime appareat. Apud [b] *Sixtum Senensem* producitur hic locus tanquam ex *Hieronymi* Commentariis Duodecim Prophetarum: *Quanquam eruditi solos quinque libros Mosis à* LXX. *translatos probent, utpote Josephus, & Hebræi, nos tamen secuti auctoritatem veterum, Irenæi, Tertulliani, Origenis, totum V. T. per* LXX. *translatum dicimus.* Qui locus sane (audacter dixerim) apud *Hieronymum* non comparet, sed ab ipso *Sixto* oscitanter confictus est, nempe ex istis verbis, quæ supra protulimus ex *Commentario in cap.* XVI. *Ezechielis*. Observat in aliis locis *Hieronymus* translationes librorum reliquorum alias propius ad Hebraicum accedere, alias longe ab eo distare, alias peritius, alias imperite fuisse confectas: & inde quoque (nec immerito) profitetur se suspicari, confectas eas fuisse à diversis Interpretibus. Qua de re suo loco.

[a] Annal. ad an. 231. tom. 2. pag. 387.

[b] Biblioth. l. 8. pag. 659.

Inter Ecclesiæ Christianæ Patres, alios extitisse, qui solos 5. libros Mosis ab Intt. LXX. translatos fuisse statuerunt, colligi possit ex *Hieronymi*

nymi Com. ad *Esaiæ* xix. ubi hæc leguntur: *In die erunt* 5. *civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan &c. Qui in adventu Christi* (inquit Hieronymus) *& Romano imperio prophetiam differunt: 5. civitates, vel Legem Domini quæ in Alexandria primum interpretata est: vel 5. Ecclesiæ ordines, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, Catechumenos sentiunt &c.*

10. Ut vulgo credant viri eruditi tam libros reliquos, quam *Mosaicos*, ab iisdem Interpretibus translatos fuisse, hoc eos præcipue movet, quod (ut dicunt) non videtur credibile cupiisse *Ptolemæum* Regem ut libri *Mosaici* soli in sua Bibliotheca reponerentur, & non etiam reliqui. Argumentum hoc urgent cum *Andrea Masio* multi alii viri literati, *Scultetus, Wowerius, Valesius, Hottingerus, &c.* Sed contra tantum Judæorum omnium antiquorum, ipsorumque *Alexandrinorum*, consensum, & testimonia disertissima, cum causa nulla assignari potest quare mentirentur, hujusmodi ratiociniis non est argumentandum. Si verum autem sit quod ipsius Regis jussu Versio ista facta fuit, dicendum est ideo Illum, Mosaicos libros, neglectis cæteris, sibi verti jussisse, quia multo celebriores erant cæteris omnibus *Mosaici*, & quia Judæorum *Leges* institutaque continebant. Hoc, inquam, dicendum, si credas *Ptolemæi* Regis jussu, aut *Demetrio Phalereo* procurante, Versionem adornatam fuisse. Verum, ut albii jam diximus, ex hoc argumento concludendum est potius, si recte sapis, omnino falsum esse quod vulgo perhibetur, *Ptolemæi* mandato, ut in Bibliotheca ipsius reconderetur, Versionem factam fuisse. Quod quidem falsum esse confirmant argumenta alia quæ in superioribus prolata sunt. Quare fingerent Judæi factam fuisse Versionem Ptolemæi Regis jussu & auspiciis, cum revera à Judæis sponte confecta sit, nemo est qui non facile videat: at vero quare confingerent tantum libros *Mosaicos* translatos fuisse, cum revera totum sacrum volumen translatum sit, & quomodo in talem errorem perduci potuerunt Judæi omnes veteres cum *Alexandrini*, tum *Hierosolymitani* & *Talmudici*, id plane eget natatore aliquo Delio, qui nobis expediat.

Si dicamus Versionem sponte à Judæis in usum popularium suorum factam fuisse, facillime causa assignari potest, quare libri tantum *Mosaici*, non tota Scriptura, verterentur. Constat enim temporibus illis in Judæorum *Synagogis* lectam fuisse solam *Legem Mosaicam*, non reliquos libros. Hoc nobis attestantur Rabbini [a] veteres; qui tradunt *Sectiones* ex *Lege* sola in Synagogis lectitari solitas fuisse usque ad *Antiochi Epiphanis* persecutionem. Eo, inquiunt, prohibente ne publice Lex recitaretur, coacti Judæi morem gerere, ne prorsus sine lectione sacra in suis Synagogis convenirent, suffecerunt alias *Sectiones* ex *Prophetis*, quas pro Lege Mosaica legerent. Sublato isto Antiocho, & tyrannide, qua oppressi fuerant, extincta, restituta lectione *Legis*, ex consuetudine quæ jam cum commodo suo magno invaluerat, retenta etiam fuit *Prophetarum* lectio. Notius est quam ut dicam, Judæos semper volumina *Mosaica* multo majoris fecisse, quam cæteras Scripturas. Et illorum effatum est, *Licere sibi libris cæteris carere, Mosaicos vero unumquemque oportere apud se habere.* Illustria sunt in hanc rem *Eliæ Levitæ* verba: *Antequam inveniretur* (inquit) *Ars Typographica, non extabant Targum Prophetarum & Hagiographorum, nisi vel unum in provincia, vel ad summum duo in universo climate. Propterea nec quisquam erat qui ea curaret. At Targum Onkelosi* (quod *Legis* est) *semper repertum est affatim. Et hoc ideo, quia nos obligati sumus, ut legamus quavis Septimana Parascham* (i. e. Sectionem) *bis, semel in Textu & semel in Targum.* In Judæorum Synagogis Sectiones *Legis* prælegi solent à viro aliquo conditionis optimæ; *Prophetarum*, tantum à *puero*, vel aliquo sortis infimæ nebulone.

[a] Apud Rivetum Isag. in Script. cap. 29. §. 23. ex Elia Levita, cujus verba quoque legere est apud *Hottinger.* Thes. Philol. p. 222.

11. Egregie

11. Egregie fallitur [a] *Womerius* cum negat libros *Mosis* ab aliis T. V. libris separatim extitisse. Habebantur libri *Mosaici* fere semper ab aliis seorsum ac separatim. Neque solebant reliqui libri in uno [1] & eodem volumine simul omnes conjungi. Continebant volumina sacra, nunc plures, nunc pauciores, nunc etiam singulares libros, pro suo cujusque animo. Reperitur hodie *Pentateuchus* seorsum ab aliis libris, Arabice, Persice, Syriace, Coptice, Hebraice quoque passim in Judæorum Synagogis & in nostris Bibliothecis. Quid? quod solus *Pentateuchus* Chaldaice olim ab *Onkeloso* editus est. Et extant aliæ duæ *Pentateuchi* solius *Paraphrases Chaldaicæ*, altera quæ dicitur *Targum Hierosolymitanum*, altera male prænotata nomine *Jonathanis Uzielidæ*, auctoris Paraphraseos librorum aliorum. Extat ab *Erpenio* editus Pentateuchus Arabicus *Judæorum Maurorum*, & alius habetur Arabice translatus in usum Judæorum per *R. Saadiam*. Hunc scribit *Erpenius* Scripturam totam Arabice transtulisse, sed solum *Pentateuchum* ab eo translatum fuisse innuunt nonnulli Rabbinorum. Non semel [b] in sacra pagina vocantur libri 5. Mosis, non *libri* Mosis, sed *liber* sive *Codex Mosis*, in numero singulari, quia uno volumine simul conjuncti, & à cæteris omnibus sejuncti sunt. In aliis locis [c] iidem *liber Legis* appellantur. Hinc Lex Mosaica dicitur *Pentateuchus*, quia 5. librorum volumen constituit.

[a] Syntag. de LXX.

[b] Ezra VI. 18. Neh. XIII. 1. S. Marc. XII. 26.

[c] Neh. VIII. 8.

12. Inter illos, qui crediderunt libros alios præter *Pentateuchum* à LXX. translatos fuisse, communior est sententia tantum libros illos qui apud *Judæos* & *Reformatos* in Catalogo *Canonico* enumerantur, ab illis fuisse conversos. Totidem verbis hoc statuit cum aliis nonnullis antiquorum *Cyrillus Hierosolymitanus*. Alii in errore ulterius progressi sunt, & libros alios multos ab illis fuisse conversos docuerunt. Opinatur *Galatinus* eos *alia quædam Spiritus S. afflatu conscripsisse, quæ ad veram librorum Biblicorum interpretationem pertinent*. In Chronico *Carionis*, à *Phil. Melancthone* aucto & exposito, dicitur eos *Mosen & Prophetas & haud dubie multa alia monumenta in Græcam linguam transtulisse*. Si credimus *Cedreno*, omnimodos *aliarum gentium* libros numero 100000. Ptolemæo Regi verterunt. ὃς καὶ τὴν μεταβολὴν τῶν θείων γραφῶν, καὶ λοιπῶν Ἑλληνικῶν, Χαλδαϊκῶν, Αἰγυπτίων, καὶ Ῥωμαϊκῶν εἰς δέκα μυριάδας ἀριθμουμένων βιβλίων, πασῶν τε ἀλλογλώσσων οὐσῶν, εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν μετεποίησε, διὰ τῶν ο΄. σοφωτάτων Ἑβραίων· ἃς καὶ ἐν ταῖς κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν βιβλιοθήκαις αὐτοῦ ἐναπέθετο. *Ptol. Philadelphus sacras literas, sed & reliquos libros gentiles, Chaldaicos, Ægyptiacos, Romanos, aliisque linguis scriptos, numero* CCCIↃↃↃ. *opera* LXX. *sapientissimorum Hebræorum, in Græcum sermonem transcripsit: eosque in sua Alexandrina bibliotheca reposuit.* Ita stolidus iste Historiarum consarcinator. *Rabbinistæ* cuidam placet, acceptam retulisse Græcos pleramque suam philosophiam LXX. Interpretibus. In libro [d] *Iggeres baale Chajim*, cum Græcus quidam de gente sua gloriaretur, eamque in omni scientiarum genere omnium perfectissimam jactaret, narratur, ei dictum fuisse ab astante quodam Exorcista: *Et unde habetis istas artes ac disciplinas, quarum mentionem facis, & de quibus gloriaris, nisi quod eas accepistis à filiis Israel, tempore* Ptolemæi? *quasdam à sapientibus Ægypti, qui eas transtulerunt in terram vestram, & postmodum illas vobis attribuistis.* Rabbiniculum alium audi, *R. Schem tobh ben Joseph, ben Phalkera*: [e] Ejus hæc sunt verba: *Omnino existimo, ipsaque est veritas, Philosophos antiquos accepisse Philosophiam à Schemo, Hebero, Abrahamo, & reliquis patribus nostris; inprimis autem à Salomone, ad cujus sapientiam audiendam confluxerunt ex omnibus 4. mundi plagis. Tunc scil. quisque quod vel ex ipso, vel sub ejus nomine audivit, in lingua sua consignavit, sicut hodie moris est*

[d] Ap. Buxtorff. not. in Cosri pag. 29.

[e] Ap. eundem pag. 32.

1 Eusebius V. Constantini IV. 36. ait Constantinum jussisse exemplaria 50. Scripturæ Sacræ ad usum Ecclesiarum in membranis exarari.

inter

inter omnes populos, ut artes ac disciplinas ex aliis linguis in suam transferant. Sic fecerunt olim Græci, qui omnes libros Philosophicos in linguam suam transtulerunt. Et de Ptolemæo *memoratur, quod ad Sacerdotes Hierosolymitonos miserit, ut in linguam suam ipsi transferrent libros* artium ac disciplinarum *quos haberent. Et ipse Salomo conscripsit libros Physicos & Theologicos; qui vero per exilia perierunt.* Scriptum legimus apud [a] *Epiphanium*, Interpretes LXXII. præter libros S. Scripturæ transtulisse alios quosdam Apocryphos ad numerum LXXII. Καὶ ἀμιλλητὶ χρυσοῖς γράμμασιν Ἑβραϊκοῖς τὰς βίβλους μεταγραψάμενοι τὰς ἤδη μοι προταγμένας, ἀπέστειλαν κβ'. μὲν τὰς ἐνδιαθέτους, ἑβδομηκονταδύο δὲ τὰς ἀποκρύφους. *Mox sine ulla cunctatione libros illos, quos paulo ante commemoravi, Hebraicis literis aureis conscriptos ad Regem mittunt: hoc est V. T. 22. & apocryphos 72.* Paulo [b] ante, hos libros dixerat fuisse 22. Καὶ εἰκοσιδύο τῶν Ἀποκρύφων. Illud ego doctissimo [c] *Cotelerio* haud assentior, ex loco hoc alterum corrigendum esse, siquidem memorentur in [d] *Esdræ libro* IV. libri quidam Apocryphi LXX. qui ab *Esdra* fuerint, dictante divino Numine, conscripti. Hos mihi (ut alibi jam dixi) videtur admodum probabile ab *Epiphanio* designari, etsi nunquam revera extiterint. Existimat [e] *Genebrardus* inter libros apocryphos ab *Epiphanio* commemoratos, *fuisse libros Tobiæ, Baruch, Judith, & similes, qui in nostris Bibliis Græcis & Latinis hodie reperiuntur; & inde eos ad nos pervenisse.* [f] Cassiodorus libros apocryphos *Tobiam, Judith, Maccabæorum, Sapientiam, & Ecclesiasticum*, inter libros à LXX. translatos annumerat, quamvis libri *Maccabæorum* post Interpretum horum tempora contexti sint, ne quid dicam de *Ecclesiastico*. *Tertia* (inquit) *Scripturæ divisio est inter alias in Codice grandiore, litera clariore conscripto, qui habet quaterniones nonaginta quinque: in quo* LXX. *Interpretum translatio Veteris T. in libris quadraginta quatuor continetur.* In his 44. libris comprehendisse *Cassiodorum* Apocryphos prædictos, apparet ex librorum recensione quæ proxime hæc verba præcedit: neque aliter possunt 44. numerari. Scripsitne hoc ex incogitantia, an totius voluminis à parte potiori denominatione deducta? Sic *Origenes* in *Epistola ad Africanum* innuere videtur historias *Susannæ, Belis*, & *Draconis* à LXX. conversas fuisse, quia eas quoque complexa sunt volumina Bibliorum Græca in quibus Versio LXX viralis dicta continebatur. [g] Τὰ δὲ παρ' ἡμῖν ἀντίγραφα, ὧν καὶ τὰς λέξεις ἐξεθέμην· τὸ μὲν ἦν κατὰ τοὺς ο', τὸ δὲ ἕτερον κατὰ Θεοδοτίωνα· καὶ ὥσπερ παρ' ἀμφοτέροις ἔκειτο τὸ περὶ τὴν Σωσάνναν, ὡς σὺ φῂς, πλάσμα, καὶ αἱ τελευταῖαι ἐν τῷ Δανιὴλ περικοπαί. *Sed nostra exemplaria, quorum etiam voces exposui, alterum erat juxta Theodotionem: & sicut apud* utrosque *positum reperiebatur Susannæ, quod dicis, figmentum, una cum ultimis in Daniele sectionibus.* Idem in decimo *Stromatum* suorum libro postquam loca quædam protulisset ex *Susanna* fabula, addito demum alio quodam, hæc verba subdit: *Quem locum* (inquit) *de* LXX. *editione nunc posui.* Quo dicto ostendit, uti recte observat [h] *Hieronymus*, cætera se non juxta LXX. disseruisse. Et exinde quoque colligitur, fabulæ istius exemplar, quod in voluminibus LXX-viralibus ferebatur, à *Theodotioneo* aliquantulum discrepasse. Innuit tamen *Hieronymus*, Danielis Apocrypha, nempe *Susannæ* & *Belis* historias, in voluminibus, quæ dicebantur LXXviralia, antiquitus non extitisse; sed tantum in *Theodotioneis*. Ad Dan. XII. *Hucusque Danielem in Hebræo volumine legimus: cætera quæ sequuntur usque in finem libri, de Theodotionis editione translata sunt.* Ad Jer. I. *Quod quidem & in Daniele juxta Theodotionem scriptum est, ut ab arboribus* σχίνε *&* πρίνε, *ilice viz. & lentisco, scissio atque sertatio adulteris Presbyteris decernatur.* Inter hujus ævi scriptores, [i] *Jac. Palmerius librum* 3. *Maccabæorum apud* LXX. *Interpretes* citat. Nugator *Viterbiensis*, in illis suis quisquiliis, quas Aucto-

[a] De Mens. & Pond. c. 10.
[b] Cap. 5.
[c] Not. in Constitut. Apost. p. 278.
[d] Cap 14. v. 46. Hos libros fuisse Cabalisticos existimat Mirandulæ Comes. Eum vide Apol. p. 82.
[e] Chronogr. lib 3. ad an. M. 3837.
[f] Instit. Div. cap. 14.
[g] Pag. 222. ed. Wetstenii.
[h] Com. in Dan. XIII.
[i] Observ. in Polybium.

rum priscorum nominibus ornavit, ait *Metasthenem Persam Historicum in Annalium indiciis dicere, ex Græcis eos solos se persequuturum, qui Annales Græcorum sequuti sunt*, LXX. seniores Interpretes, *usque ad Ptolemæum* & Asmonaim, *inde Romanos*. Fingunt denique Græculi recentiores inter libros à LXX. conversos extitisse *Danielis* librum *Visionum*. Qua de re sequentia ex Codice MS. Bibliothecæ Regiæ Parisinæ exscripsit clarissimus *Ducangius*, Notis in *Zonaræ Annales*: [a] Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος ὁ βασιλεὺς Αἰγύπτου ὑπῆρχε βασιλεύσας ἔτη λη΄. Ἐν τῇ αὐτοῦ βασιλείᾳ, τοὺς Ἑβραίους καταδουλωσάμενος, εἰς τὴν Ἑλληνίδα μεταβαλεῖν ἠνάγκαζε φωνὴν ἐκ τῆς Ἑβραΐδος πάσας τὰς θείας γραφὰς, καὶ ποιοῦντες τὴν ἑρμηνείαν ἄνδρες ο΄. ἐν σοφίᾳ παρὰ τοῖς Ἑβραίοις ἐπαιρόμενοι. Ἐν τούτοις ἅπασιν ἦν καὶ ἡ βίβλος ἡ δὲ Δανιὴλ τοῦ Προφήτου ὁράσεων, ὑπάρχουσα βίβλος θαυμαστὴ καὶ ἔγκριτος τὰ ἐπερχόμενα ἀναγγέλλουσα μέχρι τῆς συντελείας τοῦ κόσμου κατὰ τύχην τῶν συμβαινόντων αἰθερίων τεράτων. &c. *Ptolemæus Philadelphus Rex Ægypti regnavit annis* 38. *Hic Hebræis ditioni suæ subjectis coegit illos in linguam Græcam ex Hebræa transferre omnes sacras Scripturas. Illi vero qui interpretationem confecerunt viri* LXX. *apud Hebræos sapientiæ nomine claruerunt. In horum librorum numero extitit quoque liber Visionum Daniel, qui liber est admirabilis & eximius, eventura indicans usque ad finem mundi ex prodigiis quæ in æthere contingunt.*

a Pag. 12.

CAP. VIII.

Librum Joshuæ *translatum fuisse post mortem* Ptolemæi Lagi, *demonstratur ex voce* γαισὸς, *quam ostenditur in linguam Græcam non receptam fuisse nisi aliquot annis post illius mortem.* Gæsum *fuisse* Gallorum *jaculum.* §. 2. 3. *Eos qui* Ibericum *faciunt, non adversari illis qui* Gallicum *fuisse perhibent.* Gallos *quoque apud veteres* Iberas *dictos fuisse.* 4. Gallorum *in* Græciam *&* Asiam *irruptiones contigisse post* Ptolemæi Lagi *mortem* 5. Polyænum, *qui meminit* Gallorum *in Græcia sive Asia militantium temporibus* Antigoni *&* Eumenis *successorum Alexandri M. confundere* Antigonum Primum *cum* Antigono Gonata, *&* Eumenem *illum cum* Eumene *Bithyniæ rege.* 6. Bocharti *error.* 7.

OSTENDIMUS in Capite 2[do] hujus libri verisimile esse, Versionem hanc (quam vocant) LXXviralem factam fuisse quo tempore simul regnarunt *Ptolemæus Lagi* & *Philadelphus*. Et necesse quidem est ut hoc statuant, qui credunt factam fuisse *Demetrii Phalerei* auspiciis, siquidem ille statim post mortem *Ptolemæi Lagi* in exilium à *Philadelpho* missus fuerit, & in custodia obierit. Si isto temporis intervallo factam fuisse Versionem concedatur, ex voce γαισὸς, quæ occurrit apud librum *Joshuæ* VIII. 18. confirmari potest, omnes libros Scripturæ Veteris non fuisse ab illis Interpretibus translatos, sed tantum *Pentateuchum*. Nam apparet ex illo vocabulo librum *Joshuæ* translatum fuisse saltem aliquot annis post *Ptolemæi Lagi* mortem. Textus sic habet: Καὶ εἶπε Κύριος πρὸς Ἰησοῦν, ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου ἐν τῷ γαισῷ, τῷ ἐν τῇ χειρί σου ἐπὶ τὴν πόλιν. *Extende gæsum, qui est in manu tua versus urbem.* Rursus: Καὶ ἐξέτεινεν Ἰησοῦς τὴν χεῖρα [καὶ] τὸν γαισὸν ἐπὶ τὴν πόλιν. Occurrit idem apud *Judith* IX. 9. ἤλπισαν ἐν ἀσπίδι καὶ γαισῷ καὶ τόξῳ καὶ σφενδόνῃ.

Ut clarius procedat hæc disputatio, ostendemus primo τὸ γαισὸς vocem *Gallicam* fuisse; deinde *Gallorum* in Græciam orientemque expeditiones contigisse post mortem *Ptolemæi Lagi*. De hisce mihi animus est accuratius disserere. Neque nescius sum tamen, lectori morosiori, ne dicam & prudentiori, longiorem me esse visurum. Sed indulgeatur mihi aliquantulum. Illi integrum erit transilire quod lubet, & ad alia,

alia, quæ magis arriserint, properare. Neque tamen in ullis prolixior immorabor nisi quæ ad rem strictius faciant, & objectionibus præcludendis inserviant.

2. Fuit *Gæsum* vel [1] *Gæsus* Gallorum [2] *jaculum*, & ab illis Græcos, ut etiam Romanos, vocabulum hoc accepisse, res est testatissima atque apertissima. Per *Prolepsin* Græcis vetustissimis tribuuntur *Gæsa* apud *Statium*, *Thebaidos* IV.

Hæc manus Adrastum numero ter mille secuti,
Exultant pars gesa manu, pars robora flammis
Indurata diu.

Achil. II.

Quo Macetæ sua gesa citent.

Eâdem licentia Poetica tribuitur *Pœnis* apud *Silium*, lib. 2.

——— *Omnia Pœnum*
Armenti vigilem patrio de more sequuntur,
Gesaque, latratorque Cydon &c.

B. Augustinum ad locum *Josbuæ* citatum audi: [a] *Quid dicat* geson *non facile intelligitur, hoc Interpres Symmachus scutum appellasse perhibetur. Septuaginta autem Interpretes secundum quos ista tractamus, qui posuerunt* geson, *miror si in Græca lingua hastam vel lanceam* Gallicanam *intelligi voluerunt: ea quippe dicuntur* gesa. Nonius: [b] *Gesa, tela Galliarum.* Producit is *Varronem* de Gallis hæc scribentem: *Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gesis essent.* Servius ad Æneid. VII. *Pilum proprie est hasta Romana: ut gessa Gallorum; sarissæ Macedonum.* Cæsar *Belli Gallici* III. *Hostes ex omnibus partibus, signo dato, decurrere; lapides gæsaque in vallum conjicere.* Hinc apud *Virgilium* appellantur *gesa alpina.* De Gallis hæc verba, libro VIII.

a Locutionis de Joshue l. 7. pag. 58.

b Cap. 18.

——— *Duo quisque Alpina coruscant*
Gesa manu, scutis protecti corpora longis.

1 De vocabuli istius Orthographia parum convenit: γαισὸς, γαῖσος, γαισὸς, γαῖσον. Apud Latinos, *gæsum*, *gæssum*, *gesum*, *gesium*.

2 *Servius* ad VIII. *Æneidos* ait *Gæsum* fuisse *hastam virilem*: & *hastam vel lanceam* fuisse monet B. *Augustinus* in Josh. lib. 7. Sed fuisse *jaculi* genus quoddam fidem faciunt Scriptores idonei. *Telum* interpretantur *Nonius* c. 18. & *Lactantius Statii* Enarrator ad *Theb.* l. 4. v. 64. Quæ interpretatio confirmatur *Varronis* auctoritate apud *Nonium* citati. Sic βέλος redditur ab Interprete Græco *Commentariorum Cæsaris de bello Gall.* III. 4. Glossæ vett. *Gesa*, ἀκόντια ὅπλα. *Polluci* VII. 32. est δόρυ ὁλοσίδηρον. *Hesychio* & *Diogeniano* Lexicographis, ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον. *Eusebius Emissenus* ad locum Joshuæ cit. δόρυ αὐτὸ λέγει ἐν ᾧ τὸ βασίλεια τῆς Γαὶ ἐκρέμασεν ἐπὶ ξύλου διδύμου. ὁ δὲ λεξικογράφος Διογενιανὸς ἐμβόλιον εἶναι ὁλοσίδηρον. ἄλλοι δὲ κόντον. *Eustathius* in *Il.* β'. γαῖσος ἢ γαῖσον (l. γαισὸς ἢ γαισὸν) δόρυ ὁλοσίδηρον παρὰ Παυσανίᾳ (Lexicographum puta istius nominis) ἢ ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον. *Etymologus*: Γαισὸς ἐμβόλιον σιδηροῦν τριήρων. [οἱ] δὲ τὴν φωνὴν πεποιῆσθαι ἀπὸ τῶν ἀκοντίων ἃ οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν ὑσσούς. *Phavorinus* habet καλοῦσι νοσσούς· *Appianus* de *Bello Gall.* καλοῦσι νοσσούς· sed ὑσσοὺς legendum esse patet ex eodem *Etymologo* V. ὑσσὸς, *Polybio* & *Plutarcho* in *Mario*. Quæ alia leguntur apud *Phavorinum*, corrigantur ex *Etymologico*, unde sunt. *Suidas*: Γαῖσον ἢ γαισός. κοντός. εἶδος ἀμυντηρίου, οἷον δόρατος. Idem: Γαῖσοι. οἱ Ῥωμαῖοι πήξαντες τοὺς γαισοὺς καὶ τὰς περικεφαλαίας τύπτοντες ἐπιβάντες, φαλαγγίαν παρείχοντο τοῖς ἐκ διαστήματος, ὡς μένοντες ἐπὶ τῷ λόφῳ. ἐπὶ δὲ ὅπλον ἢ κοντὸς, μακρόθεν κινητόν· Κεῖται ἔχοντα ἐν τοῖς Γαισοῖς. *Grave jaculum* fuisse testatur *Festus*. Errant tamen qui dicunt fuisse *totum ex ferro*. *Varro*, *Virgilius*, *Claudianus*, & *Livius* IX. 36. in una manu *duo gesa* gestari meminerunt. Docet insuper *Livius* VIII. 8. onum militem *hasta* simul *gæsisque* armari. *Gæsorum* descriptionem plenam habes apud *Polybium* VI. 21. ubi militis Romani describens armaturam, πρὸς δὲ τούτοις, inquit, ὑσσοὶ δύο, καὶ περικεφαλαία χαλκῆ, καὶ προκνημίς. τῶν δὲ ὑσσῶν εἰσὶν οἱ μὲν παχεῖς, οἱ δὲ λεπτοί, &c. *Accedunt jacula duo, & galea ærea, & ocrea. Sunt è jaculis quædam crassa, quædam tenuia: è solidioribus, quæ rotunda sunt, palmare habent diametrum; quæ quadrata, latus palmare: tenuia, sibynis mediocribus sunt similia: atque hæc gestant cum jam dictis. Istorum omnium hastale tria fere cubita longum est: aptatur singulis telum ferreum, hamatum, paris longitudinis cum ipsis lignis: cujus nexum usionemque adeo firmant valide, ad media usque ligna religantes, & crebris fibulis configentes, ut non ante nexus inter utendum laxetur, quam ferrum frangatur; etsi crassum in fundo, & qua parte ligno committitur, digitum unum cum dimidio. usque adeo magna cautione prospiciunt huic adnexioni.* Quid proprie significet vox כידון, quam γαισὸν reddit Interpres *Josbua*, inter eruditos discrepat. *Clypeum* ponunt *Symmachus* & *Lat. Vulg.* & illam propriam esse significationem existimant *Grotius*, *Masius*, alii. Auctor *Ecclesiastici*, ubi citat hunc Joshuæ locum, *viz.* cap. 46. v. 3. ῥομφαίαν reddit, hoc est, *gladium*. Quæ Drusio placet interpretatio. *Hastam* habent *Angli*, *Pagninus*, & Interpretum Græcorum unus, teste *Procopio Gazæo*. *Munsterus*, *Vatablus*, cum universa Judæorum Synagoga, intelligunt hastam illam cui adhæret vexillum. Interpretum Græcorum alius, uti *Procopius* monet, *scipionem* transtulit, alii vero *jaculum ferreum*. Sic denique in *Glossario Hebræorum Nominum propriorum* exponitur *jaculum*.

Propertius lib. IV. de Virdomaro Gallorum rege:

Virdomari: genus hic Rheno jactabat ab ipso
Nobilis erectis fundere gæsa rotis.

Claudianus, lib. II. in Eutropium:

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens,
Illis ante vagus, tandem regionibus hæsit,
Gæsaque deposuit, Graio jam mitis amictu.

Idem, lib. II. in Stilichonem

Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque gæsa tenens.

[a] De Gentium Migrationibus lib. 6. p. 148. Vide eundem lib. 5. p. 120. 121. 123.
[b] Lib. 5.

Addo, apud [a] *Wolfgangum Lazium* ex saxo antiquo iconem exhiberi Galli Carni gæsa duo in manu gestantis.

Polybius ubi describit Gallorum cum Romanis bella, de illorum armis missilibus mentionem nullam facit. Nec istorum meminit [b] *Diodorus Siculus*, ubi de Gallorum armis tractat. Meminit *Diodorus* gladiorum tantum, & *hastarum*, quas dicit eos *lanceas* appellare. προβάλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι, πηχυαίας τῷ μήκει, τὸ σίδηρον, καὶ ἔτι μείζω τῷ ἐπιθήματι ἐχούσας· πλάτει δὲ βραχὺ λειπούσας. *Hastas præ se ferunt, quas illi lanceas dicunt, quarum cuspis ferrea longitudine cubitum æquat, vel etiam superat: Latitudo a gemino palmo non multum abest.* Quomodo igitur potuerunt *Gæsa* esse arma *Gallorum*? Sed *jacula*, sive arma *missilia*, apud illos in usu fuisse, apparet non modo ex testimoniis quæ jamjam protulimus, verum etiam ex aliis multis. [c] *Livius* ait *P. Decium Gallorum telis interfectum fuisse.* Paulo post: *Galli velut alienata mente, vana incassum jactare tela.* Strabo: [d] ὁ ὁπλισμὸς σύμμετρος τοῖς τῶν σωμάτων μεγέθεσι· μάχαιρα μακρὰ παρηρτημένη παρὰ τὸ δεξιὸν πλευρὸν, καὶ θυρεὸς μακρὸς, καὶ λόγχαι κατὰ λόγον, καὶ μερεις (substituunt μάδαρις vel μάταρις) πάλτου τι εἶδος· χρῶνται δὲ καὶ τόξοις ἔνιοι, καὶ σφενδόναις. ἔστι δέ τι καὶ γρόσφῳ ἐοικὸς ξύλον, ἐκ χειρὸς, οὐκ ἐξ ἀγκύλης ἀφιέμενον, τηλεβολώτερον καὶ βέλους, ᾧ μάλιστα καὶ πρὸς τὰς τῶν ὀρνέων χρῶνται θήρας. *Armatura Gallis pro corporum proportione, gladius longus ad dextrum dependens latus, scutum longum, hastæ pro proportione, & meris tragulæ genus: nonnulli etiam arcubus utuntur & fundis: habent & lignum pili forma* (hoc *gæsum* est) *quod non amento, sed è manu torquetur, longius quoque quam sagitta: quo etiam potissimum utuntur in aucupio.* [e] *Appianus* refert C. Sulpitium Dictatorem in prœlio contra *Gallos* ordinando, jussisse, ut primores manipuli emissis pilis subsiderent, ἵνα μὴ κατ' αὐτῶν ἐνεχθείη τὰ δόρατα· *ut eluderent tela hostium ex adverso venientium.* Ibidem, τὰ δόρατα Gallorum & Romanorum, quæ eadem his temporibus fuerunt, sic describit: Τὰ δὲ δόρατα ἦν οὐκ ἐοικότα ἀκόντια, ἃ Ῥωμαῖοι καλοῦσι ὑσσούς· (l. καλοῦσιν ὑσσούς) ξύλου τετραγώνου, τὸ ἥμισυ, καὶ τὸ ἄλλο, σιδήρου τετραγώνου, καὶ τοῦδε μαλακοῦ, χωρὶς γε τῆς αἰχμῆς. *Fuerunt autem tela dissimilia isti quod* (*Græce*) ἄκων *dicitur: Romani hyssos vocant: constabat eorum unum dimidium ex ligno quadrangulo, alterum ex ferro item quadrangulo, cætera molli præter cuspidem.* Crediderim vocem ὑσσὸς à gregariis Romanorum militibus ex Gallica *gæssus* corruptam fuisse. Sic ὕννος & ἰννὸς, & Latinum *hinnus*, à γίννος derivantur, & pro κυφὸς dicitur ὑφός.

[c] Lib. 10. c. 28.
[d] Lib. 4.
[e] Compendio libri de Bell. Gall.
[f] Geogr. l. 5.
[g] Lib 4. c. 13.
[h] Vita Marcelli.
[i] Lib. 2. c. 22. &c. ubi tamen [illegible] in sua editione reposuit *Gæsatæ*.
[k] Apud. Etymolog.
[l] V. Γάζα.
[m] Ibid.
[n] Lib. 2. c. 22.
[o] In Marcello: ἢ μετεπέμπετο Γαλατῶν τοὺς μισθοῦ στρατευομένους, οἱ Γεσάται καλοῦνται. lege οἱ Γαισάται, ut paulo post.

Celebratur apud Auctores veteres fortissimus quidam *Galliæ* populus *Gæsatæ* nominatus, expeditionibus in Italiam & bellis contra Romanos gestis clarissimus. Nominantur apud [f] Strabonem & [g] Orosium *Gæsatæ*, apud [h] Plutarchum *Geßatæ*, apud [i] Polybium *Gæzatæ*; Etymologo, Eustathio, & [k] Euphorioni *Gæzetæ* sunt, Stephano [l] Byzantino *Gazetæ*, [m] Polyhistori *Gazatæ*. [n] *Polybius* affirmat sic dictos fuisse quia soliti sunt *mercede* militare, & vocabulum proprie *mercenarios* significare. Ita quoque, post *Polybium*, *Orosius*. Et solitos fuisse *mercenaria* stipendia mereri testatur etiam [o] *Plutarchus*. Hinc monet *Hesychius* vocem γαισὸς

juxta

juxta nonnullos μισθὸν *significare.* Suſpicari quis poſſit, hinc deceptum fuiſſe *Polybium* quod apud *Italos* vox γαισὸς *mercenarium* ſignificaret. γαῖσος παρὰ Ἰταλιώταις καὶ Ταραντίνοις, ὁ μίσθιος. [a] *Euſtathius.* Ἰταλιῶται καὶ Ταραντῖνοι, γαισὸν τὸν μισθὸν λέγουσι. *Etymologus.* γαῖσον, τὸν μισθὸν λέγουσι. *Phavorinus.* Hoc tamen aſſerere non auſim, cum moneat [b] *Camdenus* noſter, apud *Cambro-Britannos*, quorum lingua multa habet communia cum antiqua Gallica, vocabulum *Gueſin* ſignificare *ſervum mercenarium.* Utcunque hoc ſit: mihi placet opinio [c] *Xilandri*, [d] *Ortelii*, & [e] *Cluverii*, *Gæſatos* ſic dictos fuiſſe, non quia *mercenarii* fuerunt, ſed quia maxime apud illos invaluerit *gæſorum* uſus. Appellantur *gæſa Alpina* (ut oſtendimus) apud *Virgilium*; & in *Alpibus*, & prope *Alpes* ad fluvium *Rhodanum*, habitaſſe Gallos iſtos qui nomine *Gæſatorum* inſigniti ſunt, vel ex ipſo [f] *Polybio* apparet. Grammatici Græci ridicule, ut ſolent, nomen hoc deducunt περὶ τὴν γαῖαν ζητεῖν, quia, patria ſua relicta, *terram*, quam incolerent, *quæſiverint.* Ita *Etymologus* & *Euſtathius.* *Stephanus Byzantinus* videtur nomen à γάζα derivaſſe, quia divites habebantur & χρυσοφοροῦντες. Doctior his, ſed non verior, quamvis aliis nonnullis placeat, eſt *Bocharti* [g] conjectura, nominatos ſic fuiſſe ab Heb. גיס *gaias*, quod ſignificat *exercitum*, & *Syriace* in *plurali* eſt גיסין *gaiſin* in *fœm.* גיסתא *gaiſata.*

a In Iliad. 2.
b In Britannia.
c Not. in Plut.
d Theſ. Geogr.
e De Germania antiqua lib. 1. Pag. 298.
f Lib. 2. c. 28. 34.
g De Phœnicum Coloniis, in Chanaan lib. 1. cap. 42. Pag. 742.

Hinc etiam viri *fortes* apud Gallos dicti ſunt *gæſi*, id eſt tales qui ſtrenue *gæſum* jaculabantur. *Servius* ubi dicit *gæſa* fuiſſe *haſtas viriles*, addit: *Nam etiam viros fortes Galli gæſos vocant.* Bochartus corrigit *gæſatos*: ſed nihil mutandum. *Heſychius*, & ex eo *Phavorinus*: γαιὸς, μακροκέντης, ἢ κοντὸς λαμβάνων. An γαισὸς ibi legendum? Ab ejuſdem jaculi uſu ortam fuiſſe vocem *gue*, ſive *guay* (ſive [1] *gay*) quæ *alacrem* & *ſtrenuum* denotat, exiſtimat [h] *Franc. Hotmanus*

h Not. in Cæſaris Com.

Non celandum eſt, *Jul. Polluci gæſum* non *Gallicum* ſed *Lybicum* eſſe. Δορύξας, δόρυ ὁλοσίδηρον· καλεῖται δὲ γαισὸς, καὶ ἔστι Λιβυκόν. Memoriæ hoc ſuæ, an librarii vitio? Scribendum eſſe Κελτικὸν pronunciat *Cluverius.*

4. [i] Athenæo *Ibericum* eſt: nempe dicit [2] ab *Iberis* iſtius uſum *Romanos* didiciſſe. Ἔλαβον δὲ καὶ παρὰ Τυρρηνῶν τὴν σταδίαν μάχην φαλαγγηδὸν ἐπιόντων. καὶ παρὰ Σαυνιτῶν δὲ ἔμαθον θυρεοῦ χρῆσιν, παρὰ δὲ Ἰβήρων, γαισῶν. *Tyrrheni eos docuere acie per phalangum turmas inſtructa pugnare, Samnites ſcuto ſe protegere, Iberi gæſis dimicare.* Accedit [k] *Procopius Gazæus*: *Lingua* (inquit) *Iberica acontium, quod Romani gæſum vocant.* Tranſpone verba & lege: *Lingua Iberica gæſum, quod* [l] *Romani acontium vocant.* Nonne hi contradicunt illis, qui *Gallicum* fuiſſe perhibent? Videntur, ſed videntur tantum. *Iberia* enim apud antiquos non ſolum pro *Hiſpania* ſumitur, ſed & totam *Galliam* reperitur aliquando comprehendere. Hinc *Nonno* in [m] *Dionyſiacis*, Rhenus fluvius dicitur *Ibericus.* Ῥῆνος Ἰβήρ. *Scylax Chariandenus* totum illud terrarum ſpatium, quod *Liguriam* inter & Columnas Herculeas eſt, *Iberiam* indigitat, ipſoſque *Ligures* Ἴβηρας μιγάδας vocat. *Herodorus* Hiſtoriæ, quam *de Hercule* conſignavit, lib. 10. apud *Stephani Byzantini* fragmenta, & apud *Conſtantinum Porphyrog. De Adminiſtrat. Imperii cap.* 23. ubi eadem extant ex *Stephano* tranſcripta, ſed fœde depravata: *Gens* (inquit) *hæc Iberica, quam dico maritima trajecti habitare, quamvis una gens ſit, diverſis tamen nominibus ſecundum tribus diſtincta eſt. Primum quidem, qui ultimi verſus occaſum habitant, Cynetes appellantur. Ab his verſus aquilonem tendenti, occurrunt Gletes, deinde Tarteſſii, deinde Elbyſinii, deinde Maſtieni, tum Calpiani, denique etiam Rhodanus*: ἔπειτα δὲ ἤδη ὁ Ῥόδανος. [n] *Strabo*: Ἐπεὶ καὶ Ἰβηρίαν ὑπὸ μὲν τῶν προ-

i Lib. 6. prope finem.
k Com. in Joſh.
l Græci recentiores *Romanos* ſe vocabant.
m Lib. 23. v. 93.
n Lib. 3. p. 166.

1 Uiderint illi, quibus placent hujuſmodi minutiæ, annon potius a Græco γαῖον vox iſta deſcenderit. *Etymologicum*: γαῖον, ἱλαρὸς, γαυριῶν, τερπόμενος.

2 Nec ab *Hiſpanis* nec à *Romanis* vocem γαισὸν accipere potuerunt *Græci*, niſi diu poſt mortem *Ptolemæi Lagi.*

πέραν καλοῦνται πᾶσαν τὴν ἔξω τοῦ Ροδανοῦ, καὶ τοῦ ἰσθμοῦ τοῦ ὑπὸ τῶν Γαλατικῶν κόλπων σφιγγομένην. οἱ δὲ νῦν, ὅριον αὐτῆς τίθενται τὴν Πυρήνην &c. *Sane cum antiquitus Iberiæ nomine intellectum fuerit quicquid est extra Rhodanum & Isthmum qui à Gallicis coarctatur sinubus: nunc eam Pyrena terminant.* *Marcianus Heracleotes*, sive potius *Scymnus Chius*, in *Periegesi*, ait Phocenses in *Iberiam* venientes *Massiliam* condidisse. *Æschylus Eridanum* fluvium, quem eundem fuisse cum *Rhodano* credidit, in *Iberia* collocavit. *Plinius* Hist. Nat. XXXVII. 2. *Nam quod Æschylus in Iberia, hoc est in Hispania* (fallitur hic *Plinius*) *Eridanum esse dixit, eundemque appellari Rhodanum &c.* Plutarchus denique in *Marcello*, Gallos istos, qui sub Alpibus in Italia positi sunt, *Iberas* appellat. οἱ δὲ τὴν ὑπαλπείαν νεμόμενοι τῆς Ἰταλίας Ἴβηρες, Κελτικὸν ἔθνος, μεγάλοι καὶ καθ᾽ ἑαυτοὺς ὄντες. &c. *Iberes, qui regionem Italiæ subalpinam incolebant, gens Gallica, per se pollens, milites ex cæteris Gallis mercenaria stipendia merentes, qui Gæsatæ appellantur exciverunt.* Apud [a] *Chronicon Alexandrinum* (quod vulgo dicitur) ipsa vox *Hispania* sive Σπανία pro *Gallia* ponitur: *Josephus* (inquit) *refert ob Herodiadem regno excidisse Herodem, illumque cum ea relegatum,* Λουγδοῦνον τῆς Σπανίας πόλιν οἰκεῖν καταδικασθέντα, *Lugdunum Hispaniæ urbem incoluisse.* Verum hoc memoriæ lapsui tribuendum est, cum [b] *Josephus* non Σπανίας, sed Γαλλίας, scripserit. —— His porro addi possit, quod Romani ab *Hispanis* Gæsi usum accepisse non poterant, cum nimirum apud eos multo ante invaluerat hujus Teli usus quam ulla illis cum Hispanis bella intercessissent. Hoc liquet testimonio *Livii*, qui tempore belli *Latini Manliani* in usu fuisse Romanos *gæsum*, disertissime testatur. [c] *Manipulus leves vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. leves autem qui hastam tantum gæsaque gererent vocabantur.* Gestum est hoc bellum diu *ante* prima bella *Hispanica*, sed *post* prima *Gallica*. [d] *Appianus* quoque clarissime innuit, *Romanos* & *Gallos* eisdem jaculis usos fuisse in illo bello *Gallico* quod duce *C. Sulpitio Dictatore* gestum est, quod ipsum etiam fuit ante *Hispanica* prima. [e] *De la Cerda* videtur credidisse *gæsum* fuisse origine *Romanum* sive *Latinum*, à verbo *gesto* inepte nomen deducens.

a Edit. Rader. pag. 514. Du Fresn. 217.
b Ant. XVIII. 9.
c Lib. 8. c. 8.
d De Bell. Gal. ubi meminit τῶν ἀκροβολισμῶν utriusque exercitus & quæ fuerint τοῖς διαλόγοις describit.
e Not. in Virgil.

Ut *gæsi* usum à Gallis didicerunt Romani, ita etiam *Etrusci*. Apud hos fuisse in usu, apparet ex *Livii* libro IX[f]. ubi de duobus Romanis in sylvam *Ciminiam* penetrantibus, & *Etruscos* se simulantibus, hæc scribit: *Iere pastorali habitu, agrestibus telis, falcibus gæsisque binis armati. Sed neque commercium linguæ nec vestis armorumve habitus sic eos texit, quam quod abhorrebat à fide, quenquam externum Ciminios saltus intraturum.* Gallis Cisalpinis Etrusci contermini fuerunt. Et de bellis inter eos flagrantibus apud [g] *Plinium* & [h] *Strabonem* mentionem factam habemus.

f Cap. 36.
g Hist. Nat. III. 14.
h Lib. 5. p. 220.

5. His de *Gæsi* origine sic positis, proximum fuerit, ut quo tempore in linguam Græcorum receptum sit, ostendamus. Ut illud à *Gallis*, post eorum in Italiam irruptionem, & bella cum illis gesta, mutuati sunt *Romani*; sic etiam illud ab eisdem acceperunt *Græci* post eorum in Græciam Asiamque expeditiones. Quo tempore autem contigerit hæc Gallorum in Græcorum regiones irruptio, & quando inceperit *Gallogræcorum* in Asia gens (nempe hæc contigisse post obitum *Ptolemæi Lagi*) jam proximo loco demonstrabimus.

Gallorum ex Europa *in Asiam transmissionem* libris 13. complexus est *Demetrius Byzantius*, uti docet *D. Laertius*. Sed opere isto nos privavit tempus edax librorum. Inter illos qui hodie supersunt, de variis *Gallorum* in Græciam, & Græciam versus, expeditionibus luculentissime omnium scribit in Phocicis [i] *Pausanias*. Prima fuit, uti ille tradit, tantum usque ad *Thraciam*; unde numero suorum diffidentes,

i 643. &c.

in

in patriam ſtatim ſine ullo prælio reverſi ſunt. ὑπερόριον μὲν οἱ Κελτοὶ στρατείαν πρώτην ὑπὸ ἡγεμόνι ἐποιήσαντο Καμβαύλῃ. προελθόντες δὲ ἄχρι τῆς Θρᾴκης, τὸ πρόσω τῆς πορείας οὐκ ἀπεθάρρησαν, καταγνόντες αὑτῶν, ὅτι ὀλίγοι τε ἦσαν, καὶ οὐκ ἀξιόμαχοι κατ' ἀριθμὸν Ἕλλησιν. *Expeditionem primam Galli extra ſuos fines Cambaule duce ſuſceperunt. Hi ad Thraciam uſque progreſſi, ulterius proficiſci non ſunt auſi: quia copias ſuas paucas, nec tanto eſſe numero animadvertebant, quæ æquo cum Græcis Marte poßent confligere.* [a] *Seneca*, & [b] *Plinius* meminerunt *Caßandrum*, regem Macedoniæ, *Gallos in Hæmo obſediße, eoſque valli gratia ſylvas cecidiſſe.* Contigit illud hac prima expeditione. Nempe ad *Hæmum* montem progreſſi, non auſi cum Caſſandro prœlium conſerere, ſibi vallum ex ſylvis deciſis ibi conficiebant, & inde domum elabebantur. Secunda expeditione, ut docet *Pauſanias*, tripartito agmine ferebantur, *Cerethrius* cum ſuis in *Thracas* & *Triballos*; *Brennus* & *Acichorius* in *Pannoniam*; *Bolgius* in *Macedonas* & *Illyrios*. Hic cum *Ptolemæo Ceranno*, Macedonum rege, ſigna contulit, eumque vicit, cepit, & necavit. *Sed cum neque tunc Galli auſi eſſent ad Græcos armis laceſſendos ulterius progredi, brevi intra fines ſuos rediere.* Tertiæ expeditionis duces fuere *Brennus* & *Acichorius*. Hi Oraculum *Delphicum* invaſerunt, &, prœliis pluribus attriti, ad *Sperchion* demum [1] *omnes deleti ſunt, ut ne unus quidem ſalvus domum redierit.* Quo anno hoc contigerit, ignorare nos non ſinit *Pauſanias*. [c] Ἐγένετο δὲ ἡ τῶν Κελτῶν στρατεία τε ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, καὶ ἡ ἀπώλεια, Ἀναξικράτους Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, ἣν Λάδας Αἰγιεὺς ἐνίκα στάδιον. *Gallorum hæc in Græciam irruptio pariter & ſtrages facta eſt, ſummum Athenis magiſtratum gerente Anaxicrate, anno altero Olympiadis centeſimæ & viceſimæ quintæ, qua de ſtadio vicit Ladas Ægienſis.* Addit, *proximo anno* in *Aſiam* Gallos tranſiſſe. Τῷ δὲ ἔτει τῷ ἐφεξῆς, Δημοκλέους Ἀθήνησιν ἄρχοντος, οἱ δὲ αὖθις ἐς τὴν Ἀσίαν διαβαίνουσιν οἱ Κελτοί. *Inſequenti vero anno, Democle Athenis eundem honorem gerente, deinceps in Aſiam Galli tranſmiſere.* Ptolemæum Ceraunum primum oinnium Græcorum cum Gallis pugnam commiſiſſe, ut aperte hic innuit, ita in [d] *Atticis* diſcrte affirmat: ἐς ὃ Γαλάταις πρῶτος ὧν ἴσμεν βασιλέων αὐτὸς τάξασθαι πολεμίοις, ἀναιρεῖται ὑπὸ τῶν βαρβάρων. *Deinde primus ex omnibus, quos ipſi novimus, regibus acie cum Gallis congredi auſus* Ptol. Ceraunus, *ab illis interfectus eſt.* Idem patet ex relationibus *Trogi* & *Memnonis Heracleotæ*.

Poſt narrationem de [e] *Ptol. Ceranno*, quod nimirum Seleuco interfecto Macedoniæ regno potitus fuerit, de Gallorum in Græciam incurſionibus hæc habet ex *Trogo Juſtinus*. Ait [f] Gallos in alias regiones ſeſe effundentes, partem irrupiſſe in Italiam, ubi Romam ceperunt; partem penetraſſe Illyricos ſinus, & in Pannonia conſediſſe. Ibi domitis Pannoniis, *per multos annos* cum finitimis varia bella geſſiſſe. Hortante deinde ſucceſſu, diviſis agminibus, alios ſub Brenno Græciam, alios Macedoniam, duce Belgio, petiviſſe. *Tantuſque terror Gallici nominis erat, ut etiam Reges non laceſſiti, ultro pacem ingenti pecunia mercarentur. Solus rex Macedoniæ Ptolemæus, adventum Gallorum intrepidus audivit.* Trucidato Ptolemæo regnavit in Macedonia [g] *Meleager* menſes 2. poſt illum *Antipater* diebus 45. deinde *Soſthenes*. Hic, auctore *Juſtino*, Gallorum exercitum compeſcuit, & à finibus Macedoniæ depulit. Hoc audito, *Brennus*, cujus exercitus in Græciam ſe effuderat, ipſe in Macedoniam irrumpit, Soſthenemque acie profligat. Inde *Delphos* iter vertit, ubi ſtratus eſt ipſius exercitus, & totus poſtea penitus deletus, ut *nemo vel ad memoriam tantæ cladis ſupereſſet.* Refert *Juſtinus* [h] alibi, exercitum Brenni non totum interiiſſe, ſed partem in *Aſiam* tranſiſſe. *Galli* (inquit) *bello adverſus Delphos infeliciter geſto, amiſſo Brenno duce, pars*

a Nat. Quæſt. lib. 3. cap. 11.
b Hiſt. Nat. XXXI. 4.
c Pag. 655.
d Pag. 15. juxta Edit. Xylandri.
e Lib. 17. c. 2. lib. 24. c. 2. 3.
f Lib. 24. c. 4.
g Euſebius in Chron. lib. 2. & Dexippus ap. illum l. 1. p. 58.
h Lib. 32. c. 3.

1 In Atticis pag. 7. 8. innuit *Pauſanias* eoſdem Gallos qui templum Delphicum invaſerant in Aſiam tranſvectos fuiſſe. Vide *Polybium* lib. 4. cap. 46.

in

in Asiam, pars in Thraciam extorres fugerant. Inde (ex Thracia scil.) *per eadem vestigia qua venerant, antiquam patriam repetivisse. Ex his manus quædam in confluente Danubii & Sabi consedit, Scordiscosque se appellari voluit, &c.* Ait [a] in Asiam *invocatos fuisse à Bithyniæ rege* (Nicomede) *& regnum cum eo parta victoria divisisse; eamque regionem Gallogræciam cognominasse*. Meminit [b] idem, regnante in Macedonia *Antigono Gonata* (regnum is iniit [c] triennio post mortem *Ptolemæi Cerauni*) Gallos, qui à *Brenno*, cum in Græciam proficisceretur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, peditum 15000. equitum 3000. armavisse, & in Macedoniam usque ad mare penetrasse: ibi armis Macedonum tanta cæde affectos fuisse, ut pacem cum Antigono sancire coacti fuerint.

a Lib. 25. c. 2.
b Lib. 25. c. 1.
c Diodorus Sic. cit. à Dexippo apud Eusebii Chron. lib. 1. pag. 58.

Memnon Heracleotes, postquam commemorasset *Ptol. Ceraunum* Seleuco in regno Macedoniæ successisse, subnectit: [d] καὶ πολλὰ δὲ παράνομα ἐν δυσὶ διαπραξάμενος ἔτεσι, Γαλατικοῦ μέρους τῆς πατρίδος διαναστάντος διὰ λιμὸν, καὶ Μακεδονίαν διαλαβόντος, καὶ εἰς μάχην αὐτῷ συνάψαντος, ἀξίως τῆς ὠμότητος καταστρέφει τὸν βίον. *Cumque plurima contra Deum hominumque leges intra biennium perpetrasset, accidit ut pars quædam Gallorum, fame ex patria migrare coacta, Macedoniam invaderet: cum illis prælio conserto dignum crudelitate sua exitum invenit.* Addit, *Antigonum Gonatam* Macedoniæ regnum occupasse; bellum inter illum & *Antiochum Seleuci F.* moveri; inter Antiochum quoque & *Nicomedem* Bithyniæ regem: deinde subjicit: [e] *Postquam vero Galli ad Byzantium delati, maximam ditionis partem depopularentur, fracti bello Byzantini, sociorum auxilia deplorant, & quisque pro virium modo suppeditat. Nec longum in medio spatium, cum Nicomedes Gallis, qui incursatis adhuc Byzantinorum finibus, tametsi sæpenumero in Asiam trajicere conati, toties ab incepto desistere, adversantibus Byzantinis, coacti essent, certis tamen conditionibus transitum conciliavit.* Conditionum harum formulam adtexit *Memnon*, monetque horum Gallorum principes fuisse *Leonorium* & *Lutarium*.

d Apud Photii Bibl. Cod. 224. cap. 15.
e Cap. 20.

De eorum in Græciam irruptione & in Asiam transitu, in hanc sententiam [f] *Livius*: Ait Gallos, *Brenno* duce, ad [g] Dardanos pervenisse, ibi secessione facta à Brenno, viginti millia hominum sub *Leonorio* & *Lutario* in Thraciam iter avertisse; hos Byzantium pervenisse, & *aliquamdiu* oram Propontidis vectigalem habendo, regionis ejus urbes obtinuisse. Cupientes inde in Asiam transire, ad Hellespontum descendisse. Ibi cum aliquantisper commorati fuissent, orta inter regulos seditione *Leonorium* Byzantium cum majore parte hominum repetisse, *Lutarium* cum suis in Asiam trajecisse. *Haud ita multo post* Leonorium, *adjuvante Nicomede Bithyniæ rege, à Byzantio transmisisse.* In Asiam eo appellente, in unum rursus coiverunt, & auxilia Nicomedi dederunt.

f Lib. 38. c. 16.
g Gallos in regionem *Dardanorum* pervenisse post Brenni apud Delphos cladem, docet *Diodorus Siculus* Excerpt.

Post *Brenni* [h] cladem in Asiam Gallos trajecisse, inter omnes Historicos perspicue convenit. Et ex eo apertissime liquet, factum hoc fuisse non nisi aliquot annis post mortem *Ptolemæi Lagi*. Et in annum quidem *septimum*, vel ad minimum *sextum*, post ejus mortem incidit annus 3. Olymp. 125[a], quo diserte asserit *Pausanias* in Asiam illos immigrasse. Contigisse hoc annis aliquot post mortem *Ptolemæi Lagi*, vel exinde apparet quod tempore *Nicomedis* regis Bithyniæ factum fuerit, ut testantur *Justinus*, *Memnon*, *Livius*, suffragante etiam [i] *Constantino Porphyrogenneto*. Nam aliquot annis post illius mortem regnare cœpit *Nicomedes*. Hoc exinde demonstratur, quod tradit [k] *Memnon*, Zipœten Nicomedis patrem *Antiocho rege Seleuci F. bello superiorem evasisse*. Constat enim Antiochum Seleuci F. regnare cœpisse *duobus* ad minimum annis post mortem *Ptolemæi Lagi*. Idem confirmatur ex eo quod annos 47. [l] regnaverit *Zipœtes*; cujus tamen Pater, postquam [m] *Alexander Macedo*

h Ita quoque Scriptor vetus apud *Suidam* V. Γαλάται.
i De Themat. l. 6.
k Cap. 21.
l Memnon ibid.
m Ibid.

Macedo in Persas expeditionem susceperat, in vivis fuit & Bithyniæ regnum administravit.

Dubitari certe non potest quin post Gallorum in Asiam trajectum, cum per totum Orientem celebrata sunt illorum arma, & Regum Græcorum exercitibus immisceri soliti fuerunt, usurpari cœpit vox *Gallica* γαισὸς à Græcis *Orientalibus* & *Ægyptiis*, tanquam vox Græca; ut usurpatur ab Interprete *Josbuæ*. Quanta gloria fuerit armorum in Asia Gallicorum, & quanta ambitione Græcorum Orientalium Principes soliti fuerint exercitus eorum mercenarios conducere, discere est ex hisce *Justini* verbis: [a] *Gallorum ea tempestate tantæ fecunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique neque reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt: neque pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerunt. Tantus terror Gallici nominis; & armorum invicta felicitas erat, ut aliter neque majestatem suam tutari, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur.* Audiatur de eisdem *Livius*: [b] *Profecti Galli ex Bithynia in Asiam processerunt. non plus ex viginti millibus hominum quam decem armata erant: tamen tantum terroris omnibus, quæ cis Taurum incolunt, gentibus injecerunt; ut quas adissent, quasque non adissent, pariter ultimæ propinquis imperio parerent. &c.* Inter illos Reges qui copiis eorum mercenariis utebantur, fuit ipse *Ptolemæus Philadelphus*. Scribit [c] *Pausanias* eum quatuor ferme millia Gallorum conducta habuisse: quos cum comperisset de Ægypto occupanda consilia inire, eos in desertam insulam per Nilum deduxit; quo in loco ad unum omnes, cum mutuis confossi vulneribus, tum fame enecti, periere. Eorundem meminit *Callimachus*, *Hymno in Delum*, ubi Apollinem inducit prædicentem, fore ut pars Gallorum apud Delphos, in Ægypto alii, Ptolemæo Philadelpho regnante, interirent. Ab his Gallis quos conduxerat Ptol. Philadelphus, omnino verisimile est *Alexandrinos* vocem γαισὸν accepisse, ut alii eandem acceperint ab istis Gallis qui apud ipsos fuerint versati. Quis neget hoc esse admodum probabile? Constat tamen hanc manum Gallorum in Ægyptum non deductam fuisse nisi annis multis post mortem *Ptolemæi Lagi*. *Pausanias* ait eos conductos fuisse cum contra *Magam* regem Cyrenarum fratrem suum uterinum expeditionem suscepit Philadelphus. ἡνίκα παρεσκευάζετο ἐπιόντα ἀμύνεσθαι Μάγαν, ξένους ἐπηγάγετο καὶ ἄλλους, καὶ Γαλάτας ἐς τετρακισχιλίους. *Cum ad sustinendum Magæ impetum, & alios mercenarios milites, & Gallorum quatuor ferme millia conducta haberet.* Quo tempore hoc bellum inter *Philadelphum* & *Magam* gestum fuerit, colligitur ex istis *Justini*: [d] *Igitur Alexander* (Pyrrhi F.) *cum exul ad Acarnanas confugisset, non minore Epirotarum desiderio, quam sociorum auxilio in regnum restituitur. Per idem tempus rex Cyrenarum Magas decedit: qui ante infirmitatem, Beronicen, unicam filiam, ad finienda cum Ptolemæo fratre certamina, filio ejus despponderat. Sed post mortem Regis, mater virginis Arsinoe, ut invita se contractum matrimonium solveretur, misit qui ad nuptias virginis, regnumque Cyrenarum Demetrium fratrem regis Antigoni à Macedonia arcesserent: qui & ipse ex filia Ptolemæi procreatus erat.* Facile fuerit historiæ & chronologiæ peritis ex his evincere, gestum fuisse hoc bellum, adeoque *Gallos* in Ægyptum deductos fuisse, circa annum post mortem Ptolemæi Lagi vicesimum.

De aliis Gallis in Ægyptum ante hos deductis, nihil uspiam Auctorum occurrit: & hos fuisse omnium primos satis clare subindicat *Callimachi Scholiastes*: Βρέννος ὁ τῶν Γαλλῶν βασιλεὺς, συναγαγὼν σὺν Κελτοὺς, ἦλθεν ἐπὶ Πυθῶνα βουλόμενος τοῦ θεοῦ τὰ χρήματα διαρπάσαι. πλησίον δὲ γενομένων, ὁ Ἀπόλλων χαλάζῃ χρησάμενος, ἀπώλεσε σὺν πλείους αὐτῶν. ὀλίγων οὖν περιλειφθέντων, Ἀντίγονός τις φίλος τοῦ Φιλαδέλφου Πτολεμαίου, προξενεῖ αὐτοὺς αὐτῷ ὥστε ἐπὶ μισθῷ. καὶ γὰρ ἐχρῆζεν ὁ Πτολεμαῖος τούτου στρατεύματος. &c. *Brennus Gallorum rex,*

[a] Lib. 25. c. 2.

[b] Lib. 38. c. 16.

[c] Atticis p. 12.

[d] Lib. 26. c. 3.

congregatis Celtis, Delphos venit, Dei opes direpturus. Ubi autem appropinquarunt, Apollo grandine demissa complures eorum interemit. Paucis igitur relictis Antigonus quidam amicus Ptolemæi Philadelphi, mercede illos ei conducit. hoc enim exercitu Ptolemæus opus habuit. &c.

Si quis se duriorem præbuerit, & contenderit, Græcos *Orientales* & *Alexandrinos*, vocem γαισὸς accepisse, non ab ipsis *Gallis*, sed ab illis Græcis qui eorum armis, antequam in Asiam transmigrarent, vexati & victi fuerant: si dicat *gæsi* nomen per omnes Græcorum regiones propagatum fuisse statim post primum illud prœlium percelebre quo interfectus est *Ptol. Ceraunus*: hoc, inquam, si quis contendat, nihil tamen efficiet. Constat enim contigisse etiam illud prœlium, quod omnium primum fuit, post mortem *Ptolemæi Lagi*, tribus scil. vel etiam 4. annis. Hoc facile probatur. 1° Ptolemæum Lagi mortuum fuisse antequam ipse *Seleucus* (cui successit *Ceraunus*) Macedoniæ regnum Lysimacho victo obtinuit, testatur [a] *Trogi compendium*, his verbis: *Utrique* (Lysimacho & Seleuco) *animi juveniles erant, imperiique cupiditatem insatiabilem gerebant. Quippe cum orbem terrarum* duo soli *tenerent, angustiis sibimet inclusi videbantur.* Paulo post. *Lætus tanta victoria Seleucus, & quod majus victoria putabat,* solum se *de cohorte Alexandri remansisse; victoremque victorum extitisse, non humanum esse opus, sed divinum munus gloriatur.* 2do Testatur [b] *Dexippus* Seleucum regnasse annis 32. postquam Rex (sive Dominus) Syriæ à Ptolemæo Lagi renunciatus fuisset; quod factum est anno post mortem Alexandri M. *duodecimo, Diodoro Sic.* auctore. Vixit itaque Seleucus post mortem Alexandri M. annis non minus 43. Hinc sequitur illum *Ptolemæo Lagi* supervixisse annis minimum *tribus*. Et ex eo colligitur, *Ptol. Ceraunum* ad regnum Macedoniæ pervenisse non nisi annis 3. post patris sui, *Ptolemæi Lagi*, mortem. Hisce convenit, quod supputat *Eusebius*, *Lysimachum* regnum Macedoniæ tenuisse annis 2. post mortem *Ptolemæi Lagi*. Vixit enim Seleucus post interfectum [c] Lysimachum mensibus 7. *Appianus* Seleuco post mortem *Alexandri* annos tantum 42. [d] attribuit: si hæc sit verior computatio, apparebit tamen vel exinde, *Ptol. Ceraunum* regno Macedoniæ potitum fuisse annis 2. post mortem patris sui. Quamdiu regnaverit antequam prœlium cum Gallis iniit & occisus est, certo non constat. *Memnon* ei annos 2. tribuit, *Dexippus* annum 1. cum mensibus 5. *Eusebius* menses 9.

[a] Lib. 17. c. 1.

[b] Apud Euseb. Chron. lib. 1. pag. 58.

[c] Justin. XVII. 2.

[d] De Bell. Syris p. 208.

6. Reperiuntur nonnulla apud *Polyænum*, quæ hoc in loco præteriri non debent, ne quis ab eo de his rebus in errorem forte inducatur. Innuit is temporibus *Antigoni Primi*, qui obiit diu ante mortem *Ptolemæi Lagi*, extitisse in Græcia exercitum *Gallorum* stipendiarium, quo is aliquando in bello usus fuerit. Locus est *Stratagematum libro* IV. Ἀντίγονος μισθοφόρους ἐμισθώσατο Γαλάτας, ὧν Βιδήριος ἦρχε, συνθέμενος ἑκάστῳ δώσειν χρυσοῦν Μακεδονικὸν, ὅμηρα δοὺς τοῦ μισθοῦ ἄνδρας καὶ παῖδας τῶν εὐγενῶν. ἡ μάχη πρὸς Ἀντίπατρον[1] ἐγένετο. οἱ Γαλάται τὸν μισθὸν ἀπῄτουν. Ἀντίγονος ἑκάστῳ θυρεοφόρῳ τὸν μισθὸν ἀπεδίδου. οἱ Γαλάται καὶ τοῖς ἀόπλοις καὶ ταῖς γυναιξὶ, καὶ τοῖς παισὶν ἀπῄτουν· τοῦτο γὰρ εἶναι τῶν Γαλατῶν ἑκάστῳ. &c. *Antigonus mercenarios milites Gallos certo stipendio conduxit, quibus Biderius præerat, promittens unicuique Macedonicum aureum se numeraturum, datis de stipendio vadibus viris ac pueris nobilissimis. Pugna adversus [1] Antipatrum facta est. Qua facta, Galli salarium repetebant. Antigonus singulis scutigeris mercedem persolvit. Galli etiam inermibus & mulieribus ac liberis stipendia flagitare. Hoc enim esse unicuique Gallo. &c.* Ex Stratagematis præcedentibus & sequentibus apparet *Polyænum* hæc tribuere *Antigono Primo*. Sed confundit *Antigonum Pri-*

1 Vulteii Codex habuit ἡ μάχη πρὸς Ἀντίγονον ἐγένετο. Si altera sit vera, intelligitur *Antipater* præfectus Asiæ, *Antigono Gonatæ* coævus, cujus meminit *Livius* XXXVIII. 16. cum eo egisse Gallos de transitu in Asiam, sed copiam transeundi ab eo obtinere non potuisse.

mum

mum cum illius nepote *Antigono* secundo, cognominato *Gonata*. Quem legimus etiam apud [a] *Trogi compendium*, *mercenariam Gallorum manum* conduxisse. Ibidem legitur, [b] bellum postea inter illum & *Gallos* exarsisse: quod omnino credibile est ex eo ortum fuisse, quod Antigonus (ut docet hic *Polyænus*) mercedes, quas Galli expectabant, eis numerare recusaverit, & illos vades suos remittere stratagemate coegerit. *Polyænus* tantum *Stratagematum* curiosus fuit, non in exquirendis *Personis*, & homines diversos ejusdem nominis inter se confundere solet. Sic rursus eodem Capite [c] eosdem *Antigonos* inter se confundit, nempe in illo Stratagemate quo dicit Antigonum usum fuisse in Athenis capiendis. Hoc tribuit *Antigono Primo*, cui constat competere non posse: & fuisse *Antigoni Gonatæ*, ex [d] *Pausania* facile colligitur. Eodem libro IV. cum commemorat Seleucum *è prælio quod adversus* barbaros *commiserat*, *armigeri habitu fugæ se mandasse*; Seleuco Primo hoc adscribit, cum fuerit is Seleucus Secundus cogn. *Callinicus*. Neque alia fuit hæc pugna quam illa quam ipse alibi commemorat cum [e] *Gallis* à *Callinico* consertam fuisse. De eadem consulantur *Athenæus* XIII. 7. & *Justinus* XXVII. 2. Inter stratagemata quæ attribuit [f] *Dionysio* Tyranno *seniori*, nonnulla sunt quæ manifeste ad *Dionysium juniorem* pertinent, ut illa quæ sunt de *Dione*. Et in libro VIII. [g] Scipioni Primo adscribit quoddam Apophthegma, qnod fuit *junioris*, ut testatur [h] *Plutarchus*. Observavit hoc ante nos *Is. Casaubonus*, qui ad locum sic recte: *Non semel in Polyæno attentus lector observabit, ejusdem nominis personas ab eo confundi.*

[a] Lib. 25. c. 3.
[b] Lib. 26. c. 2.
[c] 5. 20.
[d] Lacon. p. 169.
[e] Lib. 8. p. 644.
[f] Lib. 5.
[g] Pag. 568.
[h] Apophth.

Eundem errat errorem in [i] primo illorum Stratagematnm quæ adscribit *Eumeni*, præclaro illi, qui nnus fuerat ex Alexandri M. Ducibus, & obiit annis plusquam 30. ante mortem *Ptolemæi Lagi*. Hnnc refert contra *Gallos* bellum gessisse. Εὐμένης ὑπὸ Γαλατῶν ἐδιώκετο, τοῦ σώματος ἀῤῥώστως ἔχων κομιζόμενος ἐν φορείῳ &c. *Eumenes Gallos persequentes fugiebat, imbecilla corporis valetudine præditus & in lectica decumbens. &c.* Quo confundit illum cum *Eumene* Bithyniæ rege, qui coætaneus fuit *Ptol. Euergetæ*, nepoti *Ptolemæi Lagi*. Trogi Breviator: *Interea Rex Bithyniæ Eumenes, sparsis consumptisque fratribus bello intestinæ discordiæ, quasi vacantem Asiæ possessionem invasurus, victorem Antiochum* [k] *Gallosque aggreditur.*

[i] Lib. 4.
[k] Hieracem, Seleuci Callinici fratrem.

7. De tempore irruptionis Gallorum in Græciam regionesque Orientales hæc dicta sunto. Vox autem γαισὸς per omnes Græcorum regiones ab illis propagata, & in linguam Græcam cooptata, à *Syris* etiam, qui vixerunt sub Græcorum ditione, civitate sua donata est. Hinc apud *Jonathanis Paraphrasin Chald.* 2 *Sam.* XVIII. 14. dicitur *Joab* in manu sua accepisse tria גִּסְּסִין *gisesin*, id est *tria tela*, quibus cor Absalomi transfixerit. [l] *Bochartum* eruditissimum, qni videtur existimasse nomen illud fuisse origine Orientale & *Gallos* illnd *Phœnicibus* acceptum retu se, mire fugit ratio. Quis nnquam veterum observavit, fuisse *gæsum Syrorum* telum, ut observant fuisse *Gallorum*? Certe innnmeræ sunt aliæ voces quas à Græcis mntuati sunt *Syri* & *Rabbini*, qnibusque scatent *Targumim*: & librum de illis peculiarem reliquit *David Cohen de Lara*. Poterant *Syri* ab ipsis etiam *Gallis* hoc vocabulum accipere. *Seleucum Callinicum*, Syriæ regem, contra *Gallos* bellum gessisse, & ab illis superatum fuisse, jam supra observatum fuit. [m] *Livius* monet ipsos *Syriæ reges non abnuisse stipendium Gallis dare*. Idem meminit *Antiochum M.* ab illis *pulsum fuisse*. Docet denique [n] *Polyænus* temporibus *Antiochi Dei* extitisse Antiochiæ manum *Gallorum* conductitiam.

[l] De Phœnicum Coloniis lib. 1. cap. 42.
[m] Lib. 38. c. 16.
[n] Lib. 8. p. 619.

CAP. IX.

Quo tempore libri reliqui præter Pentateuchum *conversi fuerint. Libros* Propheticos, *cum* Esthera *& aliquibus aliis, versos fuisse sub* Ptol. Philometore. *Qua occasione.* §. 1. Jesum F. Syrach, *Ecclesiastici Interpretem, qui meminit Versionis Græcæ librorum* Propheticorum *&c. non vixisse sub* Ptol. Euergete *seniore*, Philadelphi F. *ut vulgo creditur, sed sub* Euergete *posteriore*, Philometoris *successore.* 4. *Librum* Judicum *videri translatum fuisse post Christi &* Philonis *tempora.* 5. *Versionem* Jobi *eosdem non habuisse auctores cum librorum cæterorum translationibus, argumento peculiari ostenditur.* 6. *Interpretationem* Josuæ *vix factam fuisse nisi post regnum* Ptol. Euergetæ *junioris.* 7. Franc. Junii, Usserii, Lightfooti, *aliorumque recentiorum, sententiæ rejectæ.* 10. 11. 12. 14. Vossius *refutatus.* 13.

DE istis fortassis aliquanto latius. Ad alia pergimus. Animadvertimus supra *Ptolemæorum priorum* temporibus in Synagogis Judæorum libros tantum *Mosaicos* legi solitos fuisse; & hoc in causa fuisse, quod regnantibus simul *Ptolemæo Lagi* & *Philadelpho* libri soli *Mosaici* in linguam Græcam fuerint translati. Ostendimus *Prophetas* tum demum in Synagogis legi incepisse, cum *Antiochus Epiphanes*, à Judæis appellatus *Impius*, lectitari pro more *Legem* vetuisset. Regnare cœpit in Syria *Antiochus* iste anno circiter 5. *Ptol. Philometoris* (qui quartus fuit in Ptolemæorum serie à *Philadelpho*) & obiit anno ejusdem 17mo. Hinc facile fuerit conjectura colligere quo circiter tempore *Prophetarum* libri in Græcorum sermonem traducti fuerint. Judæorum nimirum *Hierosolymitanorum*, qui libros jam *Prophetarum* in Templo suo, & Synagogis, legere consueverant, exemplum amplecti *Alexandrinis* visum est, & ideo *Prophetarum* interpretationi operam dederunt, gravibus quibusdam (ut videtur) & doctis viris ad munus illud delegatis, ut antea fecerant eorum majores de *Pentateucho*. Translatos extitisse *Prophetarum* libros, cum aliquibus aliis, intra paucos annos post mortem *Philometoris*, certissimum est.

Contigisse *Prophetarum* interpretationem, regnante *Ptol. Philometore*, colligitur non modo ex rei ipsius probabilitate, verum etiam ex aliis indiciis luculentis.

1. Proclives admodum fuisse temporibus istis Judæos *Alexandrinos* ad æmulationem *Hierosolymitanorum*, apparet ex *Templo*, quod in Præfectura *Heliopolitana* in *Hierosolymitani* imitationem tunc condiderunt, & ex novo Pontificatu, quem ibi instituerunt, una cum Sacerdotibus, & Levitis, & Sacrificiis, aliisque ritibus. Hæc facta fuisse regnante *Philometore* apud [a] *Josephum* legimus; *Oniæ* scil. cujusdam opera, qui primus fuit in Ægypto Pontifex Max. Hoc Templo extructo, eisdemque cum *Hierosolymitanis* institutis cæremoniis, eandem insuper consuetudinem *Prophetarum* publice legendorum, quæ *Hierosolymis* jam invaluerat, *Onias* Pontifex instituisse videtur, ut omnia essent *Hierosolymitanorum* moribus conformia. Neque illud hic prætermittendum, quod memoriæ tradidit *Josephus*, Templum hoc in Ægypto ab *Onia* ædificatum, cæremoniasque ad illud spectantes institutas fuisse, ut *Judæos Hierosolymis in Ægyptum pelliceret.* Quod eo facilius fieri potuit, quo plures eorum consuetudines in Ægypto stabilierit.

[a] Antiq. XIII. 6. & de Bello Jud. VII. 30.

2. Ad *Ptol. Philometoris* tempora, nempe ad annum Græcorum 140. qui incidit in illius annum VIII. conjicitur interpretatio Græca *Pentateuchi* ab Auctore Chronici Hebraici *Seder Olam Zuta*: quod ideo fecisse

ciſſe videatur Auctor iſte, quia de libris aliquot ſacris ſub illis temporibus in linguam Græcam converſis aliquid inaudiverat.

3. Hinc quoque veriſimile videatur deceptum fuiſſe *Anatolium* Epiſcopum *Laodicenum*, cum dicit *Ariſtobulum*, auctorem *Commentariorum in libros Moſis*, unum fuiſſe ex *Interpretibus* LXX. *Ariſtobuli Judæi*, qui Ptolemæo *Philometoris* fratri præceptor fuerit, mentio habetur in *Epiſtola* illa quæ initio *libri* II. *Maccabæorum* extat; quem eundem fuiſſe cum Auctore prædictorum *Commentariorum* exiſtimarunt Viri eruditi, ut *Clemens Alexandrinus* & *Euſebius*. Floruiſſe revera temporibus iſtis Alexandriæ *Ariſtobulum* quendam Judæum eruditum, cujus nomine ſaltem *Commentarii* iſti editi ſunt, dubitari non poteſt; & hunc credibile videatur partem aliquam V. T. in Græcum ſermonem traduxiſſe. Hinc illum unum fuiſſe LXX. Interpretum credidiſſe videtur *Anatolius*.

4. Quod vulgo tribuunt *Eleazaro* Judæorum Pontifici, idem [a] alii veterum adſcribunt Pontifici *Oniæ*, Eleazari fratri; nempe ejus juſſu & auſpiciis factam fuiſſe Verſionem LXXviralem. *Chronicon* vulgo dictum *Alexandrinum*: Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος τοὺς κατ' Αἴγυπτον αἰχμαλώτους Ἰουδαίους ὑπὸ Πτολεμαίου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ γενομένους ἐλευθέρους ἀνῆκεν, ἀναθέματά τε βασιλικὰ ἐν Ἱεροσολύμοις Ὀνίᾳ Σίμωνι τῷ ἀρχιερεῖ ἀδελφῷ Ἐλεαζάρου διαπεμψάμενος τὰς Ἰουδαίων γραφὰς ἐκ τῆς Ἑβραίων φωνῆς εἰς Ἑλλάδα μεταβληθῆναι ἐσπούδασεν &c. *Ptol. Philadelphus captivos in Ægypto Judæos, qui ſub patre fuerunt, liberos dimiſit, regiaque donaria Hieroſolymam Oniæ Simoni ſummo Pontifici Eleazari fratri miſit, & Judæorum ſacras literas ex Hebræo in Græcum transferri idioma curavit, &c.* Anne inde hic error pullulavit, quod de libris aliquot Scripturæ, *Oniæ*, Judæorum in Ægypto habitantium Pontificis, cura & auſpiciis, tranſlatis, fama olim increbuerit? In hæc certe tempora mirifice omnia conſpirant.

[a] Vide ſupra c. 1. ſ. 2. Not. marg.

5. Viderint alii utrum idem in cauſa fuerit quod *Jo. Chryſoſtomus* ſcribit Græcam Verſionem τῶν LXX. confectam fuiſſe *annis* 100. *vel etiam eo amplius* ante Chriſtum natum. Num ideo ſpatium tantillum aſſignavit, quia de Verſione aliqua circa hoc tempus elucubrata nonnihil acceperat? Mihi potius mera videtur hallucinatio. Scio enim quam proclives ſint in hujuſmodi errores Patres illi ſanctiſſimi. Obiit autem *Philometor* annis ante Chriſtum 143.

6. *Eſtheræ* denique librum tranſlatum fuiſſe regnante *Ptol. Philometore*, colligi poteſt, obſervante clariſſimo [b] *Uſſerio*, ex hiſtorica illa nota ad calcem libri appoſita: Ἔτους τετάρτου βασιλεύοντος Πτολεμαίου καὶ Κλεοπάτρας, εἰσήνεγκε Δοσίθεος, ὃς ἔφη εἶναι ἱερεὺς καὶ Λευίτης, καὶ Πτολεμαῖος ὁ υἱὸς αὐτοῦ, τὴν προκειμένην ἐπιστολὴν τῶν Φρουραὶ (MS. Alex. Φρουραία) ἣν ἔφασαν εἶναι, καὶ ἡρμηνευκέναι Λυσίμαχον Πτολεμαίου τὸν ἐν Ἱερουσαλήμ. Id eſt (ut in *Hieronymi* verſione legitur:) *Anno quarto regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, attulerunt Doſitheus, qui ſe Sacerdotem Levitici generis referebat, & Ptolemæus filius ejus hanc Epiſtolam Phrurim; quam dixerunt interpretatum eſſe Lyſimachum Ptolemæi filium in Jeruſalem.* Quo loco non alium intelligi quam *Philometorem* illum *Ptolemæum*, ex his verbis [c] *Joſephi* conſpicuum eſt: Ὁ δὲ Φιλομήτωρ Πτολεμαῖος καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Κλεοπάτρα τὴν βασιλείαν ὅλην τὴν ἑαυτῶν Ἰουδαίοις ἐπίστευσαν, καὶ στρατηγοὶ πάσης τῆς δυνάμεως ἦσαν Ὀνίας καὶ Δοσίθεος Ἰουδαῖοι. *Philometor Ptolemæus & ejus uxor Cleopatra totam* (Ægypti) *regionem Judæorum fidei commiſerunt: & copiarum omnium duces fuerunt Onias* (Pontifex prædictus) *& Doſitheus Judæi.* Cleopatram *Philometoris* conjugem, quæ & ſoror ejus fuit, una cum illo non modo regium titulum, verumetiam auctoritatem, obtinuiſſe, & utriuſque nominibus omnia fuiſſe geſta, & ſignata, docet idem [d] alibi *Joſephus*. Regnavit quidem eadem *Cleopatra* non ſolum una cum *Ptol. Philometore*, ſed &, eo mortuo, una cum altero fratre ſuo, *Ptol. Phyſcone*, cui etiam matri-

[b] De LXX. Interp. p. 22.

[c] Lib. 2. contra Ap.

[d] Antiq. XIII. 6.

monio conjuncta est. Attamen in verbis ex *Esthera* editione Græca productis, non hunc, sed illum, intelligi, ex *Dositbei* mentione, quod illo regnante in Ægyptum venerit, clarissime elucescit: & scripta etiam fuisse illa superstite adhuc *Philometore*, exinde apertissime liquet, quod commemoratur simpliciter *Ptolemæus* sine adjectione cognominis.

2. Florente admodum in Ægypto his temporibus Judaicarum rerum statu, & libris *Propheticis* edicto Magistrorum publico in usum Templi *Heliopolitani*, & Synagogarum Alexandrinarum, Græce translatis; librorum reliquorum, si non omnium, quorundam saltem, interpretationi sponte (sic sentio) manus admoverunt homines quidam privati, docti indoctique. Hinc in primis hoc tempore Græce prodiit liber *Estheræ*, quo nullus post *Mosaicos* charior Judæis & acceptatior fuit, ut apparet ex isto Rabbinorum effato: *Omnes libros Propheticos & Hagiographos abolitum iri diebus Messiæ, excepto libro Esther, quem æque stabilem esse atque Pentateuchum.*

Cum dicimus autem libros *Prophetarum* Antiochi Epiphanis tempore in Synagogis *Palæstinorum* legi cœpisse, & eosdem ab *Alexandrinis* paulo post in linguam Græcam translatos fuisse ut in ipsorum quoque Synagogis & Templo *Heliopolitano* legerentur; non intelligimus omnes illos libros, qui apud Judæos recentiores in ordine *Prophetarum* numerari consueverunt, *Hagiographis* oppositi; sed tantum illos qui proprie sunt *Prophetici*, quales sunt *Esaiæ*, *Jeremiæ*, *Ezechielis*, & 12. *Prophetarum Minorum*. Librorum Biblicorum distributionem in *Legem*, *Propheticos*, & *Kethubhim* sive *Hagiographos*, esse ultimæ antiquitatis haud dubito: id vero minime credo, libros *Josbuæ*, *Judicum*, *Samuelis* & *Regum*, in ordinem *Prophetarum* à Judæis vetustissimis relatos fuisse, ut factum est ætate *B. Hieronymi*, & à Judæis recentioribus. Ineptissime hoc fieri videtur; neque inter Rabbinos de *Prophetis* & *Hagiographis* satis convenit: nam librum *Ruth*, qui inter *Prophetas* numerabatur vivente [a] *Hieronymo*, *Maimonides* refert inter [b] *Hagiographos*. *Hinc* (inquit) *in ordinandis Scripturis Sanctis nullam differentiam fecerunt inter Proverbia, Ecclesiasten, Danielem, Psalmos, Ruth, & Estherem, quia omnes isti libri per Spiritum Sanctum scripti sunt.* Sic quoque hodierni. Et meminit ipse *Hieronymus*, *nonnullos Ruth inter* [1] *Hagiographa scriptitasse*.

[a] Præf. in Reg.
[b] More Nevochim parte 2. cap. 45.

Ex eodem apparet libellum *Cinoth*, sive *Lamentationum*, à nonnullis in numero *Prophetarum*, ab aliis in classe *Hagiographorum* supputatum fuisse. Per *Kethubhim* sive *Hagiographa*, intelligi debent, & sine controversia à Judæis antiquissimis intellecti fuerunt, omnes illi libri præter *Legem* Mosaicam qui *per Spiritum S. scripti sunt* non tamen fuerunt *Prophetici*. *Epiphanius* in libro *de Mens. & Pond.* ubi Biblia dividit in partes 4. sc. in *Pentateuchum*, *libros versu conscriptos*, *Hagiographa* sive Γραφεῖα, & *Prophetas*; per *Prophetas* intelligit illos quos proprie sic dicimus; per *Hagiographa*, libros *Josbuæ*, *Judicum*, *Ruth*, *Paralipomenon*, [2] *Samuelis* & [3] *Regum*. Εἶτα ἄλλη πεντάτευχος τὰ καλούμενα Γραφεῖα, παρά τισι ἢ Ἁγιόγραφα λεγόμενα, ἅ τινα ἐστὶν οὕτως· Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ βίβλος, Κριτῶν μετὰ τῆς Ῥούθ, Παραλειπομένων πρώτη μετὰ τῆς δευτέρας, Βασιλειῶν πρώτη μετὰ τῆς τετάρτης. *Deinde alius pentateuchus, quæ γραφεῖα dicuntur, à nonnullis Hagiographa, hæc vero sunt: liber Jesu F. Naue, Judicum liber cum Ruth, Paralipomenon primus cum secundo, Regnorum quatuor.*

1 *Apud Hebræos liber Judith inter Hagiographa legitur*; ait Hieronymus Præfat. in Judith. Idem Præf. in Tobiam: *Librum Tobiæ Hebræi de catalogo divinarum Scripturarum secantes, his quæ Hagiographa memorant, mancipantes.* Vetustus librariorum error. Utroque loco pro *Hagiographa* legendum *Apocrypha*, ut recte monet *Præf. in Bibl.* una cum Glossis, Com. Lirani &c. edit. *Alia litera habet* Apocrypha, *quod melius est*; inquit *Glossa Ordinar.* in *Expos. Prologorum Hieronymi.*

2 Libri Regnorum a Prophetis aperte distinguuntur apud Constit. Apost. lib. 1. c. 5. & 6.

3 Ita Jo. Damascenus ex Epiphanio.

Idem

Idem alibi, viz. de [a] *Nazaræorum hæresi*, per *Hagiographa* sive γραφεῖα intelligit nobiscum omnes libros præter *Pentateuchum* & *Prophetas proprie sic dictos* : Παρ' αὐτοῖς γὰρ πᾶς ὁ Νόμος, καὶ οἱ Προφῆται, καὶ τὰ Γραφεῖα λεγόμενα, φημὶ δὲ τὰ στιχήρη, καὶ αἱ Βασιλεῖαι, καὶ Παραλειπόμενα, καὶ Αἰσθὴρ, καὶ τἄλλα πάντα, ἑβραϊκῶς ἀναγινώσκεται. *Leguntur apud illos universa Lex, & Prophetæ, & Hagiographa, hoc est, libri illi qui versibus distincti sunt, & Regina, & Paralipomena, Esther, cæteraque omnia. Danielem* è numero *Prophetarum* ejiciunt Rabbini, & olim ejecerunt *Maimonidis* & *Hieronymi* ætate. *Hinc unanimi consensu* (inquit [b] *Maimonides*) *retulit Gens nostra librum Danielis inter libros Hagiographos, non vero inter Prophetas.* Sed frivolis rationibus hoc faciunt. Illius tamen libellum inter illos *Propetas*, quos publice legerunt Antiochi Epiphanis tempore Judæi Palæstini, & postea Alexandrini, non annumero, his duobus argumentis: 1. Quia in Judæorum hodiernorum Synagogis legi non solet, neque in eorum *Calendario*, quod continet ordinem *Sectionum* per totum annum legendarum, memoratur, quamvis legant *Sectionem* ex ipsis Apocryphis *Machabæorum* libris, ut in *Festo Dedicationis*. Nec videntur Judæi recentiores *Danielis* librum in publicis lectionibus omissuri fuisse, si à prima lectionis Prophetarum origine in Synagogis legi consuevisset. 2. Quia Versio illius usque adeo imperite & ab Hebræo dissonanter expressa est, ut ab Ecclesia primitiva rejecta fuerit. graviter etiam de ea conquerente *B. Hieronymo*. Repugnare itaque videtur, confectam fuisse ab aliquo, quem ejusmodi provincia Synagogæ Alexandrinæ Doctores dignati fuerint. Hunc igitur illis accensuerim, quia à quibusdam hominibus privatis, vel his temporibus, vel postea translati fuerint.

[a] Advers. Hær. lib 1. Hær. 29. cap. 7.

[b] loco cit.

3. Si cui placeat libros omnes Scripturæ vet. ab *Alexandrinis* non translatos fuisse, sed aliquos translatos fuisse à Judæis aliarum regionum, *Palæstinis* puta, aut *Antiochenis*, in usum suorum popularium, is me adversarium non habebit. Quamvis enim non modo *Pentateuchum*, sed & librorum aliorum majorem partem ab *Alexandrinis* conversam fuisse fidenter asseruerim, non negaverim tamen fieri potuisse ut libri *aliqui* in aliis locis interpretes nanciscerentur. *Antiochum Epiphanem* jussisse, ut solo sermone Græco uterentur Judæi Palæstini, testatur Auctor *Excerptorum Chonologicorum Latino-barbarorum.* Sic enim intelligendus est barbarus iste cum dicit: *Quo tempore Antiochus Syrorum rex Judæos expugnans Græca locutione cogebat.* Quæ res per se est admodum probabilis, quandoquidem constet, vehementer hoc egisse *Antiochum* ut eos Græcorum ritus & mores amplecti cogeret. A verisimilitudine igitur minime abhorrere videatur, temporibus hisce translatos fuisse libros aliquot ab ipsis *Palæstinis*. Neque illud forsan hic loci indignum observatu, (quod alibi jam monuimus) numerari à nonnullis inter Interpretes LXX. *Eleazarum* illum præclarum, qui Antiochi hujus persecutione martyrium subiit. *Lysimachum* illum *Hierosolymitanum* qui Epistolam *Phrurim* paulo post initium regni *Ptol. Philometoris* interpretatus est (ut in Græcis *Esthera* legitur) suspicari quis possit partes alias aliquas Scripturæ in Græcum convertisse. A *Syro* aliquo translatum fuisse librum *Ecclesiastis*, exinde probabile redditur, quod vocabuli cujusdam significationem non ex lingua *Hebraica*, sed ex *Syriaca* ponit. Cap. 1. commate 14. dicitur: καὶ ἰδοὺ τὰ πάντα ματαιότης καὶ προαίρεσις πνεύματος· Ad quæ verba B.Hieronymus sic commentatur: רעות *Aquila & Theodotio* νομὴν, *Symmachus* βόσκησιν *transtulerunt.* LXX. *autem Interpretes non Hebræum sermonem expressere, sed Syrum, dicentes* προαίρεσιν. *Sive ergo* νόμη, *sive* βόσκησις, *à pastione vocabulum est.* προαίρεσις *autem melius voluntatem quam præsumptionem sonat.* Sed potuit forsan Interpres *Alexandrinus*, cum Syris, qui in Ægypto, & præsertim Alexandriæ, ingenti multitudine

vixerunt,

vixerunt, versatus, sermonem eorum, pro *Hebræo*, hoc in loco imprudens exprimere. *Usque hodie*, inquit [a] Hieronymus, *permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor; qui per totum mundum lucri cupiditate, discurrunt.* Et quantum, quamque familiare fuerit commercium inter *Syros* & *Ægyptios*, vel ex eo apparet quod lingua *Chananæorum* magna ex parte eadem fuerit cum *Ægyptia*. *Hieronymus* idem, Commentariis suis in [b] Esaiam: *Non possumus loqui lingua Hebræa, sed lingua Chananitide, quæ inter Ægyptiam & Hebræam media est, & Hebrææ magna ex parte confinis.* Cumque tanta fuerit linguæ *Syriacæ Ægyptiæque* affinitas, quidni suspicemur vocem רעיון fuisse etiam apud *Ægyptios* in usu, & eandem habuisse apud eos, quam apud *Syros*, significationem, ob eamque rationem ab Interprete *Ægyptio* sic fuisse translatam? Sed hac de re judicent alii.

4. Contra hæc quæ diximus de *Propheticis* aliisque libris *Ptol. Philometoris* tempore translatis, objici potest in *Ecclesiastici* Procemio, cujus Auctor vixisse creditur sub *Ptol. Euergete Philadelphi F.* mentionem fieri Versionis Græcæ non modo *Legis*, sed & *Prophetarum*, atque *aliorum*. οὐ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς Ἑβραϊστὶ λεγόμενα, καὶ ὅταν μεταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν. οὐ μόνον δὲ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ Νόμος, καὶ αἱ προφητεῖαι, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων οὐ μικρὰν ἔχει τὴν διαφορὰν ἐν ἑαυτοῖς λεγόμενα. *Non enim eandem vim habent hæc in seipsis Hebraice dicta, atque ad alteram translata linguam. Non solum autem hæc, sed & ipsa Lex, & prophetiæ, & cæteri libri non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur.* Ad hanc objectionem respondeo, falsum esse, quod vulgo creditur, floruisse *Jesum F. Syrach* juniorem, Interpretem *Ecclesiastici*, sub *Ptol. Euergete Philadelphi F.* & nullius hac in re momenti esse vetustiorum quorundam, *Eusebii*, *Chronici Alex. Cedreni*, *Isidori Hisp.* & *Bedæ*, auctoritatem: quibus ansam erroris præbuerunt hæc *Proœmii* verba: ἐν γὰρ τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ τοῦ Εὐεργέτου βασιλέως παραγενηθεὶς εἰς Αἴγυπτον &c. *Nam in octavo & trigesimo anno sub Ptolemæo Euergete rege perveniens in Ægyptum.* Dicimus cum *Usserio*, *Grotio*, & *Valesio*, intelligi hoc loco non *Euergetem* seniorem *Philadelphidem*, sed *Euergetem* posteriorem, *Philometoris* fratrem & successorem, qui *Physcon* quoque cognominatus est. De hac re plene, at breviter, ut possumus, differemus.

A qua Epocha ducendus sit annus iste 38. quo dicit *Siracides* in Ægyptum se venisse, viros multos eruditos mire exercuit torsitque. Alii [c] putant intelligere Siracidem annum ætatis suæ 38. alii [d] annum 38. postquam liber ab Avo suo fuisset absolutus: alii [e] annum 38. à soluta per *Philadelphum* Judæorum captivitate, cujus mentio apud *Aristeam*. [f] alii annum 38. *post adventum ipsius in Ægyptum* designari existimant: Ab initio *Philadelphi* hunc annum arcessit *Jos. Scaliger, lib. 4. de Emend. Temp.* [g] intelligens annum 38. istius æræ, quam in honorem *Philadelphi*, ab ipsius regni initio, instituit *Dionysius Mathematicus*, adeo ut in Ægyptum devenerit Siracides anno 38. post initium *Philadelphi*, & primo *Euergetæ* ejus Filii. Et hanc eandem æram existimat *Scaliger* [h] Judæos Alexandrinos coactos fuisse à *Philadelpho* in contractibus usurpare, ut etiam contractus suos Græce conscribere. Commentum illud *Scaligeri* sequitur [i] *Simsonius*, & *Calvisius* illud *admirandam revelationem* appellat. Quo tamen nihil falsius. Nam 1. annus *Dionysii* 38us ante mortem *Philadelphi*, adeoque ante initium *Euergetæ* ejus Filii, completus est, ut exinde patet quod testatur *Josephus Philadelphum* in regno *superasse* annos 38. & ad 39^{m} pertigisse. 2. Annus *Dionysianus*, *cælestis* tantum fuit, & *Astronomis* solis in usu, non *civilis*, ut apparet ex nominibus mensium, Αἰγῶν, Ταυρῶν, Ὑδρῶν, Διδυμῶν, Παρθενῶν, Σκορπιῶν, Λεοντῶν, &c. De anno hoc tanquam *politico* nemo usquam meminit; & fatetur ipse [k] *Scaliger*

se

[a] Com. in Ez. Cap. 27.

[b] Ad cap. 19.

[c] Genebrardus Chron. Drusius Hœschelius.

[d] Bertramus Lucubrat. Franktal. c. 5.

[e] Torniellus Annal. A. M. 3898.

[f] Petavius de Doctr. temporum IV. 16.

[g] Pag. 268.

[h] Vide supra cap. 3. ad finem.

[i] Et Jo. Behm. in Chronol. pag. 97.

[k] Lib. 5. de Emend. Temp. pag. 434.

ſe rationibus eo adductum fore ut *cæleſtem* ſolummodo eſſe crederet, *niſi SIRACIDEM eo uſum videret.* Neque ipſe huic opinioni tam mordicus hærebat, quin aliam in eodem Opere [a] ſententiam proponeret, viz. ut intelligatur *Siracides* de anno 38. *Jobelei* 25 [i]. Et hanc quidem poſteriorem conjecturam ſuam, tum in [b] *Animadv. Euſebianis*, tum in [c] *Canonibus Iſagogicis* conſtanter & indubitanter complectitur, repudiata penitus ablegataque altera. Ad hanc autem confirmandam duos Textus Scripturæ parallelos producit, ubi annos *Hebdomadis* ſive *Jobelei* ſine adjectione aliqua uſurpant: alterum *Jeremiæ* XXVIII. 1. *Et accidit hoc anno, principio Sedekiæ regis Judæ, quarto anno, quinto menſe:* alterum Ezekielis XXIX. 17. *Et factum eſt in ſeptimo & vigeſimo anno, una menſis primi.* In hiſce locis annos *Jobelei* capiendos eſſe contendit, & ex verbis *Siracidæ* conficit computationem per *Jobelea* apud Judæos ſub ſecundo etiam Templo in uſu fuiſſe. Annum vero 38^m^ Jobelei 25^ti^ ſupputat incidiſſe in annum *Euergetæ primi* 9^m^. Si demus *Scaligero* à Siracide deſignari annos *Jobelei*, id tamen nihil officit quominus intelligatur *Euergetes* II. Nam ſi annus 38. *Jobelei* 25^ti^ ſit annus 9. *Euergetæ* I. *Jobelei* 26^ti^ annus 38. incidet in 5^m^ *Euergetæ* II. numeratis ſcil. annis Euergetæ I. 26. *Philopatori* 17. Epiphani 24. Philometori 35. & ſingulis Jobeleis 49.

a Ibid.

b Ad ann. 1785.

c Lib. 3. p. 295.

Ad hujuſmodi conjecturas recurrere coacti ſunt viri eruditi, quia verba Siracidæ de *Euergete* I. intellexerunt, quem conſtat regnaſſe non annos 38. ſed tantum 26. Non deſunt tamen qui verba ejus exponunt *de anno* 38. *regni Euergetæ.* Sic *Vatablus*, & *Genevenſes*, cum *Franc. Junio*, qui omnium Chronologorum computa ex iſtis corrigenda eſſe perabſurde pronunciat. Si Siracidem intelligamus de *Euergete* II. difficultas omnis tollitur, & de anno *illius regni* 38vo explicari optime poteſt. Quamvis enim poſt mortem *Philometoris* fratris ſui regnaverit *Euergetes* II. tantum annos 29. quot illi vulgo tribuuntur à Chronologis; cum tamen in vivis ipſe fuit, ſolebant anni 24. noviſſimi *Philometoris*, illius regno attribui; adeo ut in totum attribuerentur ei anni 53. Poſtquam annos 11. regnaverat *Philometor*, ipſe illi in regni conſortium additus fuerat: juſſit itaque, defuncto *Philometore*, regni ſui annos numerari, non ab illius morte, ſed ab ipſo illo tempore quo una cum illo regnare ipſe cœperat. Auctor *Porphyrius* in fragmento *de Ptolemæis*. Ne alicui id ſcrupulum moveat, quod dicit Siracides, *anno* 38. ἐπὶ τοῦ Εὐεργέτου. monendum Lectorem duxi eandem phraſin reperiri 1 *Maccab.* XIV. 27. καὶ τοῦτο ἔτος τρίτον ἐπὶ Σίμωνος ἀρχιερέως· quod intelligi non poteſt niſi de *anno* 3. *Simonis Pontificis.* Sic in *Codicis Theodoſiani* Prologo; *Anianus vir ſpectabilis ex præceptione Alarici R. hunc Codicem* — *anno* XXII. *eo regnante edidi atque ſubſcripſi.* id eſt anno illius regni XXII.

Librum *Eccleſiaſtici* primo conſcriptum fuiſſe quo tempore regnavit *Euergetes* I. vel etiam poſt ejus mortem, ex eo conficitur quod in c. 50. laudatur *Simon* Pontifex M. quem eundem fuiſſe cum [1] *Simone Juſto* filio *Oniæ Ben-Jaddai* recte decreverunt judicii ſanioris Scriptores. Pontificatum hic iniit anno *Ptolemæi Lagi* 15. & obiit ejuſdem an. 37. & tamen celebratur ab Auctore *Eccleſ.* tanquam vir longe ipſo antiquior, inter viros præclaros ævorum ſuperiorum, quos ipſe nunquam viderat. Scio *Grotium* alioſque ſuſpicari encomium hoc additum fuiſſe à Siracide *nepote*, qui librum Græce interpretatus eſt. Et Siracidem illum, cum librum Græce tranſtulit, nonnulla de ſuo addidiſſe, ſive inſeruiſſe, autumarunt plerique vet. *B. Athanaſius*, ſeu quiſquis ſit auctor *Synopſis S. Scripturæ*, ait librum *Eccleſ.* à Jeſu Siracide Avo *relictum fuiſſe ſuo filio Sirach*,

1 *Euſebius* & illius ſequaces, *Rabanus*, *Lyranus*, *Sigonius*, intelligunt Simonem, Simonis Juſti nepotem, qui Pontificatum iniit circa annum Euergetis I. 15^m^, & obiit circa annum Philopatoris 13.

hunc eundem reliquisse Jesu suo filio: quem scripta ista in unum eumque per omnia continuum ordinem digesta, sub suo, Patris, & Avi, nomine edidisse, & Sapientiam vocasse. Hæc & reliqua verba *Athanasii*, cum paucis quibusdam variis lectionibus, à *Vatablo* & *Drusio* Ecclesiastici libro præfixa sunt sub titulo *Præfationis incerti Auctoris.* In *Drusii* editione dicitur Avum filio reliquisse librum suum σχεδὸν ἤ συνειλεγμένον *propemodum* (non absolute) *perfectum.* [a] Eusebius *Nepotem* vocat τ̃ τ̃ καλεμένην πανάρετον σοφίαν συντάξαντα· quasi librum ipse composuisset. Sic illum dicunt [b] *Isidorus Hisp.* & [c] *Beda, Sapientiæ librum composuisse.* Auctor *Chronici Alexandrini* & *Cedrenus* τ̃ συγγράψαντα dicunt. Sed illum aliquid de suo addidisse, *Proœmio* ipsius omnino repugnat, in quo de se loquitur solummodo tanquam Interprete, neque aliud vel à se vel à Patre suo vel adtextum fuisse vel interpolatum significat. Testatur etiam [d] *B. Hieronymus* se librum Ecclesiastici *Hebraice* scriptum, & *Parabolas* inscriptum vidisse; neque meminit ullius in exemplari Hebraico defectus. In Proœmio dicit Interpres, in Ægyptum se venientem, invenisse illic ἐ μικρᾶς παιδείας ἀφόμοιον. Hoc multos fefellit viros eruditos. *Vulgatus Lat.* vertit: *Inveni ibi libros relictos, non parvæ neque contemnendæ doctrinæ.* Suspicatur [e] *Jo. de Driedo*, illum *ex diversis libris inventis apud Ægyptios, ibidem relictis à Judæorum populo, transtulisse sententias in unum hoc volumen.* Ab hac opinione non multum abit *Ben. Buntingus*, qui statuit illum ex variis libris, quos in Bibliotheca Philadelphi repererit, collegisse doctrinas, quas libro Ecclesiastici inseruerit. Existimat *Cornelius à Lapide* intelligere illum, in Ægypto se invenisse exemplar Græcæ Bibliorum Versionis, quod in Bibliotheca Alexandrina latuerit. Pro ἀφόμοιον legendum est ἀφορμὴν, quod habent exemplaria nonnulla; & Auctoris sensus hic est: In Ægyptum se venientem, fælicem ibi *opportunitatem* bonis literis & linguæ Græcæ scientia semet imbuendi nactum fuisse, ideoque se ad librum hunc interpretandum accinxisse.

Non intelligi in Proœmio *Ptol. Euergetem juniorem* exinde probat [f] *Bonaventura Cornelius Bertramus*, quod, ut dicit, non videtur verisimile Siracidem *illum Euergetem simpliciter nominaturum fuisse, qui posterior esset, & magis de nomine Physconis quam de Euergetæ agnomine notus, præsertim cum etiam Soter cognominaretur.* Sed facile *Bertramo* adhibetur responsio, *Ptol. Euergetem juniorem*, qui & *Physcon* cognominatus est, apud multos alios Scriptores *Ptol. Euergetem* simpliciter appellari, ut apud [g] *Athenæum*, [h] *Justinum*, [i] *Livium*, *Tertullianum*, *S. Basilium Seleuciensem*, Auctorem *Chronici Alexandrini*, *Eustathium*, *Abulpharajium* Arabem, &, qui illum *Philologum* simul & *Euergetem*, non vero *Physconem* vocant, *Epiphanium* & Anonymum *Latino-barbarum*: ne memorem *Eusebium*, & illius sectatores, *Adonem*, *Marianum*, *Bedam*, qui *Physconem* ab eo diversum fuisse Regem arbitrati sunt. Certe multo sæpius *Euergetes* quam *Physcon* appellatur. Et quid mirandum, si Regem illum, sub cujus auspiciis vixerit & scripserit Siracides, maluerit nominare *Euergetem*, quo nomine se voluit is appellari, quam *Physconem*, quod opprobrii vocabulum fuit? Mitto, falli rursus *Bertramum*, cum dicit illum *Soterem* etiam cognominatum fuisse. Fuit illud non ejus, sed filii ejus, cognomen. Hæc de ætate *Siracidarum.*

5. Ubi dicit *Ecclesiastici* Interpres, cum *Legem*, tum *Prophetias*, tum *alios* etiam libros Græce conversos Hebraico Textui majestate & elegantia cedere, non necesse videtur ut per *alios* intelligamus *alios omnes* libros Scripturæ, quasi *omnes* tunc Græce extitisse voluisset: sed per *alios* tantum designare potuit *cæteros illos qui jam translati sunt.* Suspicari sane licet non modo post ætatem *Ptol. Philometoris*, & fratris ejus *Ptol. Euergetæ junioris*, verum etiam post tempora Servatoris nostri remansisse

[a] Demonst. Evang. l. 8 p. 393. & in Chron.
[b] Chron. ad an. M. 4978. & Orig. VI. 2.
[c] Lib. de 6. æt. Mundi. & lib. de Temporibus cap. 21.
[d] Præf. ad libros Solomonis.
[e] De Catalogo S. Script. fol. 12.
[f] Lucubrat. Franktall.
[g] Lib. 2. ad finem.
[h] Prologo libri 34.
[i] Epitoma libri 49.

remansisse libros nonnullos nondum Græce editos, & totius voluminis Biblici interpretationem non absolutam fuisse, nisi inter *Philonis Judæi* & *Aquilæ Sinopensis* tempora.

Josephus videtur credidisse nullos libros *Historicos* præter *Pentateuchum*, vel saltem non omnes, tunc cum ipse *Antiquitates* suas *Judaicas* conscripsit, Græca lingua extitisse. Locus est in *Antiquitatum* Prooemio, ubi dicit se ad Opus illud aggrediendum *non leviter permotum fuisse hac cogitatione quod &* (inquit) *majores olim nostri exteris sua benigne communicarunt, & Græcorum nonnulli vehementi res nostras cognoscendi studio flagraverunt.* Interjecta narratione de Legis Versione facta sub *Philadelpho* & *Eleazaro* Pontifice, subjungit: κἀμαυτῷ δὲ πρέπειν ἐνόμισα, τὸ μὲν ἀρχιερέως μιμήσασθαι τὸ μεγαλόψυχον, τῷ δὲ βασιλεῖ πολλοὺς ὁμοίους ὑπολαβεῖν καὶ νῦν εἶναι φιλομαθεῖς. οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφήν, ἀλλ᾽ αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ Νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν πρὸς τὴν Ἀλεξάνδρειαν. *Proinde mihi quoque convenire duxi, ut & Pontificis nostri imitarer magnanimitatem: & hodie quoque Regis illius multos persimiles putarem, duntaxat quod ad discendi cupiditatem attinet. Neque enim totam Scripturam occupavit ille, sed Legem solam ei tradiderunt Interpretes, qui ob hoc Alexandriam missi fuerant.* Cum dicit duxisse se sibi convenire ut Pontificis imitaretur magnanimitatem &c. *quia* non tota Scriptura sed tantum Lex ab Interpretibus illis fuerit translata; quid aliud intelligit quam nondum lingua Græcorum extitisse omnes Historiarum libros? Ait ibidem se universas suæ gentis Antiquitates *ex Hebraicis literis traducere, ut res insignes cognituque dignas in obscuro latere non ferens, narrationem earum in communem utilitatem proferret.*

Libros aliquot *Historicos* præter Pentateuchum ante ejus ætatem Græce editos fuisse, negari non potest. De libro *Estheræ* sub *Ptol. Philometore* translato superius locuti sumus. Et libros *Samuelis* Græce versos fuisse ante *Philonis* tempora, apparet ex hoc loco ab [a] eo citato ex *Annæ* [a] De Nominum Mutatione p. 826.
matris Samuelis Cantico: [b] στεῖρα ἔτεκεν ἑπτά· ἡ δὲ πολλὴ ἐν τέκνοις ἠσθένησεν. [b] 1 Sam. 2.

At vero librum *Judicum* ætate *Philonis* nondum Græce editum fuisse, videtur colligi posse vel ex libro ejus [c] *De confusione linguarum.* Fuit [c] Pag 339.
Philo Hellenista Alexandrinus, & Græcam Scripturarum reliquarum Versionem, quotiescunque citat Scripturas, secutus fuisse cognoscitur: videtur tamen non librum *Judicum* Græcum, sed Hebraicum, legisse. Locus ex libro *Judicum* ab eo citatus, hic est: ὤμοσε Γεδεὼν τοῖς ἀνδράσι Φανουήλ, λέγων, ἐν τῷ με ἐπιστρέφειν μετ᾽ εἰρήνης τὸν πύργον τοῦτον κατασκάψαι· id est, ad verbum: *Juravit Gedeon hominibus Phanuel, dicens; In revertendo me in pace, turrim hanc diruam.* Hebraicus textus sic se habet, verbatim [d] fere: *Dixit* (Gedeon) *hominibus* [1] *Phanuel* (legunt hodierni *Penuel* [d] Cap. 8. v. 9.
פְּנוּאֵל) *In revertendo me, diruam turrim hanc.* Versio Græca sic habet juxta exemplar *Vaticanum*: Εἶπε Γεδεὼν πρὸς ἄνδρας Φανουήλ, ἐν ἐπιστροφῇ μου μετ᾽ εἰρήνης κατασκάψω τὸν πύργον τοῦτον. *Dixit Gedeon ad homines Phanuel; In reditu meo cum pace, diruam turrim hanc.* Ad *Philoniana* tamen propius accedit Codex *Aldinus*: Εἶπεν Γεδεὼν τοῖς ἀνδράσι Φανουήλ, ἐν τῷ ἐπιστρέφειν με μετ᾽ εἰρήνης κατασκάψω τὸν πύργον τοῦτον. *Philonem*, cum hunc locum citavit, non Græcam Versionem, sed Hebraicum textum secutum fuisse, colligo, non modo ex eo quod pro εἶπε ponit ὤμοσε, sed præcipue ex titulo quem libro citato indidit. Non enim Librum *Judicum*, quomodo inscribitur apud omnia Versionis Græcæ exemplaria, & apud omnes Patres, sed librum *Judiciorum* vocat: Ἐν τῇ τῶν Κριμάτων ἀναγεγραμμένῃ βίβλῳ· *in libro qui Judiciorum inscribitur.* Pro שֹׁפְטִים *Sophetim*, quod legit Auctor Versionis Græcæ & hodie nos legimus, *Philo* lege-

1 Philo ibidem: ὅτι δὲ ὡς μὲν Ἑβραῖοι λέγουσι Φανουήλ, ὡς δὲ ἡμεῖς ἀποστροφὴ θεοῦ. *est autem ut Hebræi loquuntur, Phanuel, ut vero nos Græce,* ἀπ. i. e. *aversio Dei.*

bat שׁפטים quod *judicia* significat, iisdem Consonantibus diversis Vocalibus animatis.

6. Profitetur *Phil. Codurcus* se credere librum *Jobi* eosdem non habuisse Interpretes cum aliis partibus Scripturæ. Et hoc quidem verum esse, evincitur ex verbis illis quæ ad calcem libri subnectuntur: οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου. *translatus est hic ex libro Syriaco*: hoc est, *Hebraico*, ut recte explicat *Julianus Halicarnassensis*. Si liber *Jobi* una cum cæteris libris Scripturæ translatus fuisset, hoc monitum absurdum esset & ridiculum. Transcriptor Versionis Arabicæ, quæ ex Græca facta est, ea verba putabat fuisse Interpretis Arabici: *Completa est* (inquit) *excelso Deo favente. Commemoravit autem auctor exemplaris, è quo hoc descriptum est, hunc librum à Syriaco sermone in Arabicum versum fuisse.* De ætate Græcæ hujus libri Versionis hoc tantum certum est, *Philonis* temporibus vetustiorem esse, à quo citatur in libro [a] *De Nominum mutatione.*

[a] Pag. 814.

7. Librum *Josbuæ* translatum fuisse annis aliquot post mortem *Ptolemæi Lagi*, adeoque post versum *Pentateuchum*, demonstravimus in Capite præcedente ex voce γαισὸς. Et ex voce eadem probabiliter colligi posse videtur librum illum translatum fuisse, non solum *annis*, sed & *ætatibus*, aliquot, post *Ptolemæi Lagi* mortem: translatum scil. non prius fuisse quam ita in linguam Græcam recepta fuisset vox γαισὸς, ut *Gallorum* eam fuisse vulgo nesciretur. Non enim verisimile est Interpretem *Josbuæ* vocem illam usurpaturum fuisse, si Teli Gallis proprii nomen esse cognovisset. Non immerito miratur *B. Augustinus* voluisse Josbuæ Interpretes vocabulum *Gallicum* usurpare. Sed causa procul omni dubio hæc fuit, quod temporibus illis vixerint quando vox illa, non *Gallica*, sed *vere Græca* vulgo haberetur. Si verum sit quod affirmat [b] *Cornelius à Lapide*, Interpretem *Ecclesiastici* Versionis Græcæ librorum sacrorum verba sequi solere; vel exinde confici possit factam fuisse *Josbuæ* Versionem post regnum *Ptol. Euergetæ posterioris*. *Siracidem* enim non secutum fuisse Versionis *Josbuæ* verba, ex eo liquidissime patet quod eundem locum recitans, non γαισὸν dicit, sed ῥομφαίαν. [c] ὡς ἐδοξάσθη ἐν τῷ ἐπᾶραι χεῖρας αὐτοῦ, καὶ ἐν τῷ ἐκτεῖναι ῥομφαίαν ἐπὶ πόλεις.

[b] Com. in Prologum Ecclesiastici.

[c] Cap. 46. v. 3.

8. *Psalmorum* Versio citatur à [d] *Philone*, & in sacris Evangelii scriptis: ut de illa nullum sit dubium quominus ante Christum natum confecta fuerit.

[d] Lib. de Agricultura p. 152. & de Plantatione Noæ p. 170.

9. De hisce hactenus, ut potuimus, diximus. In eadem fere nobiscum sententia videtur fuisse [e] *Jo. Croius*, cujus hoc decretum est; LXX. (quos vocant) Interpretes quinque duntaxat Mosis libros vertisse: *Prophetarum* libros loco proximo versos fuisse: & *post horum versionem in Hagiographis vertendis laborasse imperitos quosdam Judæos Alexandrinos.* Hæcque dicit se alibi multis argumentis fuse probare demonstrareque.

[e] Observ. in N. T. p. 224.

10. [f] *Franc. Junius* Versionem LXXviralem, quæ sub Philadelpho adornata fuerit, statuit tantum *Pentateuchum* comprehendisse; sed aliam fuisse Versionem LXXviralem totius T. V. factam sub Ptolemæorum Regum *ultimo*, *Cleopatræ* reginæ fratre minore, & *Herode* rege Judæorum; missis ab *Herode* Interpretibus LXXII. in Ægyptum *Ptolemæi* istius postulato, qui bibliothecam Alexandrinam, C. Cæsaris bello combustam, renovare cupierit. Atque hanc editionem fuisse existimat quæ postea κοινὴ appellari consueverit. Miranda profecto conjectura! At quo tandem argumento nixa? Non alio certe quam lapsu μνημονικῷ *B. Justini M.* qui historiam referens LXX. Interpretum, pro *Eleazaro* Pontifice, ad quem Ptolemæus miserit, *Herodem* Regem perperam substituit. Sic statuit quoque *Sam. Petitus*, *Prophetarum* libros tum primum ex Hebraico conversos fuisse, cum *Herodes* Rex Interpre-

[f] Animadv. in Bellarm. Controv. I. l. 2. c. 5. & 6.

tes

tes ad *Ptolemæum* miserit. Quod facile refellitur ex Prologo *Ecclesiastici*.

11. De eadem *Justini M.* hallucinatione minus recte judicium tulit *Usserius* noster, cujus opinio de Græca Versione hæc est: [a] LXX. Seniores sub *Ptol. Philadelpho* Hierosolymis accersitos vertisse tantum *Pentateuchum*, eorum vero Versionem ad Textus Hebraici veritatem exactissime expressam fuisse, & in Philadelphi Bibliotheca repositam. Postea sub *Philometore* Judæum quendam Alexandrinum, ut Gentium curiositati, Judaica sacra penitius intelligere desiderantium, aliquo modo satisfaceret, universum V. T. tum *Pentateuchum* rursus, tum cæteros libros, ex Hebræo in Græcum transtulisse. Hanc Versionem à textu Hebraico maxime discrepasse; magis tamen in Pentateucho quam in reliquis partibus cum Hebraico convenisse, (ut observat *Hieronymus* in Pentateucho Græco majorem quam in reliquis libris cum Hebraicis consonantiam repertam fuisse) quia plurimum auctor adjutus fuerat Pentateuchi Versione LXXvirali quam in Bibliotheca Ptolemaica consuluerit. *Celeberrimam* quidem fuisse Versionem LXXviralem, hanc vero *communissimam* fuisse, & priori isti succrescentem, tandem in locum & nomen ejus successisse: &, quia fuerit totius sacri voluminis, primum in Templo, quod condiderat *Onias*, *Heliopolitano* prælegi consuevisse, Sacerdotibus & Levitis, qui profani Templi ministerio se addicere nihil sunt veriti, de Versionis veritate non admodum laborantibus. Hinc à reliquis omnibus, qui inter Græcos erant, Judæis acceptam fuisse, & in Synagogis legi solitam. A Judæis Hellenistis Græcos inter eos habitantes, ab Apostolis conversos ad fidem Christianam, eandem accepisse: atque à Græcis deinde Latinos. Incensa Bibliotheca *Ptolemaica* tempore belli Alexandrini à C. Cæsare gesti, Versionis Pentateuchi LXXviralis primitivum exemplar periisse, extitisse tamen aliquot exemplaria in privatorum quorundam [b] manibus; inter alios *Philonem* Versionem illam legisse, & admirandam illius cum textu originali consonantiam deprædicare. *Philonem* tamen non illam, quam adeo laudat, sed *secundam* istam, quæ communior fuerit, in Operibus solere citare. Bibliotheca nova Alexandriæ à *Cleopatra* condita, in ea repositum fuisse exemplar Versionis hujus posterioris, ab aliquo Hebraicæ linguæ perito recognitum & pluribus in locis emendatum: ibique per aliquot secula usque ad ætatem *Jo. Chrysostomi* conservatum fuisse. Et exinde *Origenem* Versionem illam habuisse & in *Heptaplis* inseruisse, quæ incorrupta LXX. Interpretum Versio tunc habebatur, à κοινῇ sive *vulgata* ob majorem puritatem distincta. Addit *Usserius*, exemplar illud quod in Bibliotheca *Cleopatrina* reconditum est, ad Bibliothecam illam ornandam missum fuisse ab *Herode*, rege Judæorum, una cum exemplari Hebraico: atque illud erroris ansam *Justino M.* præbuisse. [c] *Ad Bibliothecam* (inquit) *Cleopatræ ornandam Herodes Judæorum rex libros sacros Instrumenti veteris Hebraica lingua conscriptos misit, ac Græcam eorundem, quæ Hellenistis in Syria & Palæstina tum in usu erat, interpretationem, ab aliquibus Hebraicæ linguæ peritis (ut videtur) recognitam & pluribus in locis emendatam, quantum ex Justini M. secunda pro Christianis Apologia colligere licet, mira quadam* ἀβλεψίᾳ *Ptolemæi Philadelphi & Cleopatræ Bibliothecarum historiam commiscentis.* Hæc *Usserius*. Cui illud ego minime concesserim, *Pentateuchum* de novo sub *Ptol. Philometore* translatum fuisse, aut *Justinum M.* ulla alia de causa, quam mero memoriæ lapsu *Herodem* Regem pro *Eleazaro* Pontifice posuisse. Errore haud dissimili *Ptolemæum* illum, cujus auspiciis confecta perhibetur Versio, *Tiberio Cæsari* coævum faciunt Rabbinorum nonnulli. R. Gedalias in Schal. Kabb. [d] *Dicunt quidam Chronologi, quod secta Pharisæorum cœperit diebus Tiberii Cæsaris & Ptolemæi Ægyptii, cujus auspiciis Lex à* LXX. *translata.* Si vero *Justino* errandi

a Syntagm. de Edit. LXX. Interp. c. 1. p. 9. & cap. 3.

b Pag 25.

c Pag. 30.

d Apud Hottinger. Thes. Philolog.

occasionem præbuerit factum aliquod *Herodis*, existimarim illum hinc deceptum fuisse, quod audivisset curasse & jussisse *Herodem* ut Scripturæ pars aliqua nondum Græce translata verteretur. Hic vero monendus est Lector conjecturam esse Viri doctissimi, mihique amicissimi, *Joannis Ernesti Grabii*, scripsisse *Justinum* non τότε βασιλεύοντα Ἡρώδη, sed τότε βασιλεύοντι ἱερεῖ, quippe Eleazarus ad quem Ptolemæus misisse dicitur, & summus Judæorum sacerdos & Rex simul erat, uti docet *Philo Judæus de Vita Mosis* (quem ipsum in *Parænesi* hanc in rem laudat *Justinus*) ita scribens: *Legatos confestim misit* πρὸς τὸν τῆς Ἰουδαίας ἀρχιερέα καὶ βασιλέα. ὁ γὰρ αὐτὸς ἦν, *ad Judæorum Pontificem & Regem: idem enim tunc erat.* Et penes Pontifices summam fuisse tunc temporis auctoritatem testatur quoque *Josephus Antiq.* XI. 4. Scriba itaque quispiam Reipub. Judaicæ minus gnarus, legens, τότε βασιλεύοντι ἱερεῖ, hoc tanquam proprium Regis nomen accepit, & quod nullum tale occurreret, vocem contractam vel corruptam suspicatus esse videtur, ideo haud absimilem, nempe Ἡρώδη, reposuit, & paulo post pro βασιλεύων ἱερεὺς, βασιλεὺς Ἡρώδης. Hæc *Grabius*, in Adnotationibus ad *Justini* Opuscula quædam *Oxonii* nuper edita. Vide sis *Justini* verba, supra in Capite 1. §. 12. adducta.

Usserii sententiam, fundamento certe nulli innixam, probare videtur *Ant. Hulsius* in scripto contra *Is. Vossium*. Majori cum judicio eam refutavit *Hen. Valesius*, in Epistola ad illum *de Versione* LXX. *Interpretum* ex professo conscripta. Sed eam in nonnullis haud recte intellexit.
a De LXX. Int. Fallitur etiam aliquantulum de *Usserii* sententia [a] *Is. Vossius*; magis ve-
b Chronol. ro [b] *Rob. Baillius*.

12. Monuimus in *Capite* VII. §. 6. arbitrari nonnullos, LXX. (quos dicimus) Interpretes primo *Pentateuchum*, & postea reliquos libros Græce reddidisse, scil. vel antequam ex Ægypto discederent (quod Historiæ *Aristeanæ* evidentissime repugnat) vel postquam in Ægyptum re-
c Chron. p. 282. verterentur. Sic existimat [c] *Genebrardus*, eos jussu regis *Philadelphi* Pentateuchum duntaxat vertisse, reliqua vero per se ac sua sponte antequam discederent. Sic quoque *Is. Vossius* in scripto *de Translatione* LXX. Intt. cap. VII. *Credo* (inquit) LXX. *Interpretes cum primum in Ægyptum vocati advenere extremis Ptolemæi Lagi temporibus nihil nisi libros Mosis transtulisse, idque spatio* LXXII. *dierum. Verum istos Interpretes, si non omnes, saltem complures postea quoque Ægyptum petiisse, & quidem sæpius, ex Aristea & Josepho satis colligi potest. Docent illi Ptolemæum discedentes in Judæam Interpretes rogasse ut sæpius ad se redirent, sese illos habiturum pro amicis. Quin & in literis ad Eleazarum datis scripsisse, ne impediret, si qui istorum Interpretum posthac ipsum adire vellent. Delectari se talium virorum colloquiis & familiaritate, ac malle se opes suas his impendere, quam rebus vanis. Non itaque verisimile, sed verum est, nisi fallor, eosdem Interpretes qui Pentateuchum verterunt, illos ipsos tum æquitate rei, tum liberalitate Ptolemæi pellectos cæteros quoque sacræ Scripturæ libros Græce vertisse, maxime cum unanimi omnium Patrum consensu universam S. Scripturam verterint Interpretes illi. Sed tamen recte Josephus solos Mosis libros à* LXX. *Interpretibus versos fuisse scribit: cætera quippe sacra volumina, quamvis ab eisdem interpretibus translata fuere, quia tamen non ab omnibus simul, sed seorsim à singulis aut paucis simul conscripta sunt, non recte* LXX. *Interpretum esse dicuntur. Quanta itaque differentia est inter sententiam ab uno aut duobus pronunciatam, ac aliam ab universo latam senatu, tantum discrepat Pentateuchi Versio à toto Interpretum scripta collegio, à versione reliquorum S. Scripturæ librorum, quos sigillatim unus aut pauci transtulere interpretes. Cum itaque dispar Pentateuchi à cæteris S. libris sit ratio, nequaquam mirum debet videri, si in posterioribus, Psalmis dico, Prophetis, aliisque Hagiographis, longe liberius grassati sint Judæi, ac in Mosaicis scriptis, in quibus*

bus quod auctoritate maxima, ac insuper anathemate in corruptores essent munita, nunquam ausi sunt aliquid depravare. —— Quamvis autem longe minus tribuendum sit auctoritati sequentium S. Scripturæ librorum, quos aut pauci, aut singulares transtulere Interpretes, quam versioni Pentateuchi: attamen —— ne dubitandum esse arbitror quin unus ex istis interpretibus, pluris sit faciendus, quam universæ hodiernæ Judæorum Synagogæ, junctis etiam Aquila, Symmacho, Theodotione, & omnibus Paraphrastis. Hæc ille. Cujusmodi conjecturis meris, vel somniis potius, nihil habeo, præter silentinm, quod opponam. Mutavit vero postea sententiam *Vossius*, & totum volumen Biblicum ab eisdem eodem tempore Senioribus fuisse translatum, in scriptis posterioribus statuit. —— Eodem utitur effugio *Hen. Valesius*, qui suspicatur Interpretes LXX. duas emisisse Versionis Græcæ editiones, priorem tantum *Pentateuchi*, posteriorem vero totius Instrumenti V. Non audet tamen negare quin reliqui libri à Judæis aliis Alexandrinis converterentur. Postquam dixisset *Gregorium Turonensem* duas librorum Historiæ Ecclesiasticæ editiones exornasse, quarum prior contiuebat tantum libros 6. posterior 10. & editionis prioris vidisse se exemplaria duo venerandæ vetustatis; *Pari ratione* (inquit) *fieri potuit, ut* LXX. *Seniores in prima quidem editione solos Mosis libros interpretati sint: in altera autem editione vel ipsi, vel alii Alexandrini Judæi, Propheticos & Hagiographos libros in Græcum sermonem perinde transtulerint.* De libris *Propheticis*, quod ante ætatem *Ptol. Philometoris* Græce lecti fuerint, hæc subjicit: *Mihi certe nullo modo videtur verisimile, Judæos à Philadelphi temporibus usque ad* 4. *annum Ptol Philometoris, Græca Prophetarum interpretatione caruisse. Nam à Philadelphi temporibus Judæos Alexandrinos non aliter quam Græce libros sacros in Synagogis suis legisse, pro certo habeo.* Ignorabat Vir doctus ante regnum *Ptol. Philometoris* solos libros *Mosaicos* in Judæorum Synagogis prælegi consuevisse.

13. *Is. Vossius*, qui (*ut diximus*) sententiam suam tandem mutavit, & omnes Bibliorum libros eodem tempore à LXX. fuisse translatos, statuit; in Præfatione *Responsionis ad Objectiones Theologi Leidensis*, argumentum insigne & plane mirandum profert. Ait *Demetrium* illum qui edidit Historiam *de Judæorum Regibus*, & à nonnullis nominatur *Demetrius Phalereus*, eundem revera fuisse cum *Demetrio Phalereo* percelebri illo, qui Versionis negotio præfuisse dicitur, & statim post mortem Ptolemæi Lagi à Philadelpho in exilium missus est. Absurdum vero putat existimare laborem Historiæ istius conscribendæ ab illo potuisse suscipi antequam Græce extarent libri S. Scripturæ Historici. Eodem argumento utitur in *Respons. ad Simonii Criticam sacram.* Concedimus nos *Vossio Demetrium* illum Historicum Pentateuchi Versionem Græcam fuisse secutum. At illum in omnibus Historiæ suæ partibus eadem usum fuisse, unde pateat? Si qui libri Scripturarum Historici nondum erant Græce traducti, quid obstat quominus Judæorum quorundam ope usum fuisse credamus, ut verbi gratia, in libro *Judicum*? Hoc adeo non *absurdum* est *existimare*, ut omnino verisimile sit, &, ni fallor, verum. Atqui unde probatur *Demetrium* illum Historicum, eundem fuisse cum *Demetrio Phal.* præclaro illo? Eo longe fuisse juniorem ex eo manifestum est, quod Historiam suam ad regnum *Ptolemæi quarti* perduxerit, ut testatur *Clemens Alex.* in *Stromatum* libro 1. ubi refert ab eo supputatos fuisse *annos* DLXXIII. *& novem menses, ex quo* 10. *tribus adductæ fuerunt captivæ ex Samaria, usque ad* PTOLEMÆUM QUARTUM, ἕως Πτολεμαίου τετάρτου. Sed *sunt hæc verba*, inquit Vossius, *ipsius Demetrii & notant annum quartum ex quo regnare cœpit Philadelphus, quo nempe anno ista scripsit. Regnavit enim Philadelphus quatuor fere annis antequam moreretur Pater ejus.* Hæc ille, sed errore gravissimo. Neque enim plusquam annis duobus

duobus ante mortem Patris sui regnavit Philadelphus; neque possunt verba illa ἕως Πτολεμαίου τετάρτου, in eo loco verti, *usque ad annum quartum Ptolemæi*. Nec ullius *Historiæ Judaicæ* meminit *Laertius* in Catalogo operum *Demetrii Phalerei* illius clari. Verbo: Conjectura hæc nihili est, & prorsus spernenda. De *Demetrio* isto Historico vide quæ diximus ad finem Capitis IX. libri 1. Locum istum *Clementis Alexandrini* de *Ptolemæo quarto* recte alibi intellexit ipse *Vossius*, Castigat: ad Objecta Hornii: *Demetrius, qui historiam suam de Regibus Judæorum perduxit ad initium Ptol. Philopatoris*.

[a] Heb. & Talmud. Exerc. in 1 Cor. c. 7. 8.

14. Dubitare videtur [a] *Lightfootus* noster, utrum ipsum omnino Pentateuchum Græce verterint illi qui vocantur LXX. Interpretes. Suspicatur illos exemplar tantum Hebraicum *Ptol. Philadelpho* descripsisse. Atque hoc sensisse Talmudicos probare nititur ex 13. illis locis, quæ dicunt illos in Lege immutasse; ex eo scil. quod in ipsis vocibus Hebraicis factas fuisse mutationes videntur innuere. At vanissima & futilissima est ista sententia. De interpretatione Legis in linguam Græcam, non de Codicis Hebræi transcriptione, manifesto loquuntur Talmudici.

[b] Cap. XI.

Idem de Græca *Pentateuchi* Versione sub *Philadelpho* facta, (si revera, inquit, fuerit Versio) sic credere se profitetur: [b] Habitante in Ægypto ingenti Judæorum multitudine, voluisse Regem eorum Leges & Instituta perspecta & explorata habere, utrum satis cum regni sui pace securitateque consisterent, & ideo Legem in Græcorum sermonem converti præcepisse. Provinciam hanc demandatam fuisse *Senioribus* 5, & ab illis absolutam Versionem, ne forte fraudulenter & mala fide conficeretur, traditam fuisse in manus LXXII. *Seniorum* aliorum, ut ab illis ad examen revocaretur. De interpretatione librorum reliquorum sic statuit: Dispersis longe lateque per regiones varias Judæis, ne forte suspicarentur Principes Ethnici, sub quorum ditione vivebant, in eorum voluminibus sacris contenta fuisse quædam, quæ status civilis paci repugnarent, *Synedrium Magnum Hierosolymitanum* libros reliquos omnes Græce transtulisse. Hoc negotium eo libentius *Synedrii M.* Magistros in se suscepisse, ne forte ab aliis diversis in lucem darentur Versiones *minus caute* elaboratæ, & mysteria sacra Gentilibus nimium pandentes. Parum eos curâsse ut vere & sincere interpretatio perficeretur, huic uni rei providentes, ne gentis suæ gloria læderetur, & mysteria nimis proderentur. Profitetur denique se existimare, inter varia illa Versionis Græcæ exemplaria, quæ circumferuntur, non illa esse magis genuina, quæ propius ad veritatem Hebraicam accedunt, sed illa in quibus maxime conspiciuntur hujusmodi *cautiones*. Conjecturas hasce *Lightfooti* eruditissimi, Lectoris judicio permitto, calculo suo (ni fallor) vix eas approbaturi. In Operum ejus Latina editione, quæ prodiit *Franekeræ* 1699. ad calcem Voluminis 2. habentur, inter alia antea inedita, Λείψανα *de rebus ad* LXX. *Versionem spectantibus*. Quæ desumpta sunt ex libro quem molitus est, sed imperfectum moriens reliquit, hoc titulo: *Disquisitio modesta de* LXX. *Interpretum Versione Græca*.

CAP.

CAP. X.

Ab eisdem Interpretibus, conjunctis studiis, non factam fuisse Versionem, sed Librorum diversorum, & partium etiam diversarum ejusdem libri, diversos fuisse Interpretes; nec judicio unquam reliquorum submissas fuisse singulorum Interpretum Versiones; demonstratur ex diversa & prorsus contraria in quamplurimis locis interpretandi ratione. Hoc verum esse non solum de Libris cæteris, sed etiam de ipsis Mosaicis.

IN celebri nostra Versione *Anglicana*, auspiciis Regis *Jacobi* I. facta, in qua plurimi per totum regnum delecti Viri doctissimi sudarunt, tale quid observatum fuit. Primo inter se regulas quasdam observandas in Versione formârunt: dein tota Biblia in partes diviserunt, tot pro unaquaque parte designatis, qui etiam inter se pensum suum subdiviserunt; certisque temporibus, quod à singulis paratum erat, reliquorum judicio submiserunt: donec tandem totum opus omnium calculis approbatum, omnium nomine in lucem prodiit. Eodem modo existimat clarissimus [a] *Waltonus* (cujus usi fuimus verbis) elaboratam fuisse Bibliorum Versionem LXXviralem. De traditione ista *Aristeana*, qua proditur Versionem 72. dierum spatio absolutam fuisse, ne exinde concludatur fuisse illam tantum *Pentateuchi*, sic argumentatur: "Potuerunt (inquit) tot viri Hebraice & Græce doctissimi (qui enim recentiores ignorantiam linguarum eis exprobrant, propriam inscitiam produnt) 72. diebus hoc opus perficere, idque fine miraculo. Nam primo maxime probabile est, cum ad hoc munus delecti essent, antequam è patria discederent, inter se convenisse; & de modo, quo tantum opus confici posset, inter se deliberâsse; unumquemque etiam se diligenter præparâsse, tum codices conferendo, tum partem quandam Scripturæ transferendo, & loca difficilia annotando; observationes etiam suas in schedas conjecisse, quas secum attulerunt, quo citius & fælicius opus absolverent. Deinde cum Alexandriæ convenissent, haud probabile est, omnes simul in unaquaque sectione vel libro vertendo laborasse: (quanta enim hinc confusio orta esset, si omnes simul loquerentur?) sed totum opus inter se partitos fuisse; aliis hanc partem, aliis illam assignando: cumque singuli pensum suum, vel partem aliquam confecissent, statis horis, vel diebus, inter se convenisse, ubi singulorum elucubrationes reliquorum judicio submissæ: & si dubium aliquod occurrebat, communi consilio explicatum, omnibusque mature perpensis ac discussis, quod ab uno vel pluribus primo confectum fuerat, communi omnium suffragio approbatum, pro totius Conventus versione receptum, & evulgatum fuit. In hac conjectura habeo Viros doctos consentientes. *Bonfrerius* Præloq.c.16.§.6. agnoscit, *Non esse verisimile, omnes simul eodem tempore & momento easdem Scripturæ sententias esse interpretatos*. Et *Serarius* Proleg. Q. 10. in Aristeæ verba, quod *omnes in una Basilica inter se conferebant, &c.* hæc habet, *In una Basilica suas Versiones recte dicuntur contulisse, sed non eo tempore quo fiebant; verum postea cum factæ jam essent: ut significant Aristeas & Josephus*. Hinc etiam oriri potuit styli illa diversitas in quibusdam libris, cum aliis magis cum Hebræo conveniant, quod de Pentateucho observat Hieronymus, & de Jeremia (dixisset *Ezechielem*) Rever. Usserius: in aliis liberius à verbis discedunt. Hinc etiam fortasse ortum illud de *Cellulis*, quia singuli diversis Cellulis vel cubiculis partem aliquam Scripturæ primo verterunt, quam postea re-

[a] Proleg. IX. §. 10.

" liquis in una Basilica congregatis communicarunt: ubi post disceptationem, quod omnibus probatum erat, communi calculo ratum fuit. " Unde non tantum probabile, sed necessarium erat, singulos cellam vel " cubiculum peculiare habuisse, ubi Versioni vacarent, præter domum " communem, in qua omnes convenirent. Hujusmodi ordinem in hoc " opere conficiendo eos observasse mihi verisimile videtur; & vix ali" ter fieri potuisse." Laudo Viri reverendissimi hac de re judicium, non laudo diligentiam. *Aristeam* enim, quem ille pro Scriptore genuino agnoscit, voluisse, Interpretes omnes eodem semper in loco, conjunctisque studiis, Versioni operam dedisse, tam certum est atque perspicuum, ut nihil possit ultra. Et prope infinita sunt in ipsa Translatione, quæ non modo huic *Aristeæ* traditioni, sed & ipsius *Waltoni* conjecturæ evidentissime repugnant.

2. Fingemus in præsenti juxta opinionem vulgarem, non modo Interpretes fuisse LXXII. & à Rege *Ptolemæo* convocatos ad hoc opus fuisse, verum etiam totas Scripturas ab illis fuisse conversas; quamvis hoc falsissimum esse satis superque demonstraverimus. Quæ Capite hoc additurі sumus, evincent, Interpretes, quicunque ii fuerint, neque omnes eodem in loco conjunctisque consiliis vacasse Interpretationi, neque singulos unquam Versiones suas peculiares, reliquorum judicio subjecisse. Ostendemus librorum variorum, variarumque etiam partium ejusdem libri, diversos omnino fuisse Interpretes; & librorum variorum, variarumque partium ejusdem libri, Versiones usque adeo à se invicem discrepare, ut omnino repugnet Interpretes varios, quæ singuli transtulerint, inter se unquam communicasse, ut communi omnium suffragio submitterentur. Atque hinc perspicuum erit, quod, quamvis non ab *uno* solo, ut existimavit [a] *Scaliger*, facta esset Translatio tota, tota tamen istius auctoritas ab *unius* tantum Interpretis dependebit auctoritate.

[a] Epist. 14.

3. Non eosdem fuisse Versionum librorum omnium vel *Auctores* vel *Correctores*, vel ex istis apparet quæ Viri eruditi decreverunt de præstantia Versionis Librorum *Mosaicorum* cum reliquis comparatorum. [b] *B. Hieronymi* verba: *Josephus, qui LXX. Interpretum proponit historiam, quinque tantum ab eis libros Moysi translatos refert, quos nos quoque confitemur plusquam cæteros cum Hebraicis consonare.* De erroribus librorum maxime cæterorum illustre est, & dignum quod latius describatur, doctissimi *Masii* testimonium. Qui de tabula LXX. Cellularum agens, sic scribit: [c] *Si ratione adversus auctoritatem, in rebus præsertim longa vetustate obliteratis, pugnare fas est: nequaquam destitutus firmissimo præsidio videri poterit Hieronymus. Nam præter Mosis Legem, si reliquos libros spectes; usque adeo perversa est, plurimis in locis, ea Interpretatio, quæ LXXII. illis Senioribus adscribitur; ut verisimile videri nequeat, Viros LXXII. primarios, quales misisse Ptolemæo Pontificem est proditum, tam ineptos fuisse, tamque imperitos, & ab interpretandi munere imparatos, atque omnino absurdos, ut sic halucinarentur. Neque enim in verbis solum maximi errores, tamquam ex paragrammate Nati, apparent; dum alia sæpe pro aliis interpretantur: verum etiam non raro in bene longis verborum circumscriptionibus. Neque vero ego jam, quos dico errores, de ea scriptura judico, quæ nunc est in Hebraicis Codicibus: ne mihi aut novos librariorum interductus, aut mendas, aut denique Judæorum interpunctiones; atque vocalium, accentuumque, ut vocantur, appositiones, quas* בעלי המסרת *fecisse dicuntur: aut etiam, quod quidam facere non dubitant, quibus ego sane nondum assentior, istorum sceleratam perfidiam opponas, quasi de industria ipsi mutarint multa in librorum Hebraicorum scriptura. Ipsæ illæ quæ tractantur res, sæpe verborum atque orationum, quibus illi Interpretes usi dicuntur, absurdam discrepantiam*

[b] Proœm. Quæst. Heb. in Gen.

[c] Præf. in Gr. Ed. Joshuæ.

satis

satis planam faciunt: immo ea non raro etiam dilucido vestigia apparent, quæ secuti illi in errores sunt delati. Jam vero quis illud credat, Viros septuaginta duos, diversis inclusos conclavibus, iisdem prorsus erroribus omnes implicari; aut, quod non absurdum modo, sed etiam nefas dictu est, non ut Interpretes, sed ut sacros Vates, afflatu cælesti aliena ab rebus ipsis dicere potuisse? Verum enimvero, utut ista sunt; quid ego sentiam, si quis me roget; non dissimulabo, mihi Interpretationem istam, cum eam lego, multis in locis ineptissimam, & tantis viris plane indignissimam videri. at in nonnullis rursus divinam, & à Vatibus potius quam Interpretibus dictatam. Et quia hisce difficultatibus non solum in cæteris libris (quanquam fatendum est multo plures in iis esse errores, atque etiam turbulentiores confusioresque) verum etiam in Mosis Pentateucho, ut vocamus, afficior: &c. Paulo post: *Sed superest id quod pro Hieronymo*, qui novam Versionem adornavit, *dicebatur, de maximis erroribus, qui passim in ista Interpretatione apparent. Hoc enim cum non solum singulares istas ædiculas subvertat, verum plane contra omnem opinionem, non modo de 72. primariis viris, sed de quovis uno bono interprete pugnet, aut prorsus refelli, aut certe dilui atque excusari debet. Et refelli quidem non patitur clarissima veritatis lux. &c.* Cum alia loca tam bene, alia tam male conversa fuerint, quid illud ostendit, nisi quod ab Interpretibus omnino diversis, & sine ulla communi calculo & suffragio, translatio facta fuerit?

4. Inter libros reliquos præter *Pentateuchum*, cæteris præstare, & ad Hebraicum propius accedere, Versionem *Ezekielis*, testatur *Hieronymus*, & ex eo argumentum pro Interpretum diversitate, non immerito, ducit. [a] *Sed & vulgata Ezekielis editio non multum distat ab Hebraico. Unde satis miror quid causæ extiterit, ut, si eosdem in universis libris habemus Interpretes, in aliis eadem, in aliis diversa transtulerint.* Affirmat [b] *Usserius Auctorem editionis Græcæ* LXX. *Seniorum titulo evulgatæ, in Ezechiele ostendisse quod in veetendo posset, in reliquis libris quid vellet facere.* [a] Præf. in Vers. Ezek. [b] Epist. ad Capellum p. 215.

5. *Danielis* Versio, quæ LXXviralis titulo insignitur, præ reliquis libris omnibus, tot erroribus scatebat, ut plane ab *Ecclesia* repudiata fuerit, suffecta in locum istius *Theodotionea*. Audi rursus [c] *Hieronymum*, summum Virum: *Danielem Prophetam, juxta* LXX. *Interpretes, Domini Salvatoris Ecclesia non legunt, utentes Theodotionis editione; & hoc cur acciderit, nescio. Sive quia sermo Chaldaicus est, & quibusdam proprietatibus à nostro eloquio discrepat, noluerunt* LXX. *Interpretes easdem linguæ lineas in translatione servare*; sive sub nomine eorum ab alio, nescio quo, non satis Chaldæam linguam sciente, editus est liber; *sive aliud quid causa extiterit, ignerans: Hoc unum affirmare possum, quod multum à veritate discordet, & recto judicio repudiatus est.* [c] Præf. in Vers. Dan.

6. *Hugo Broughtonus*, Vir Hebraicæ linguæ Græcæque peritissimus, in Epistola ad Nobiles Angliæ de translatione Scripturarum ex Hebraico in Anglicum sermonem, in hanc sententiam loquitur: *Transtulerunt singuli diversas partes*, 14. *circiter Capita, prout nunc distinguuntur; vel forte unus aliquis librum aliquem parvum absolverit. Exemplaria, quibus usi sunt, caruerunt Accentibus & Vocalibus; sine quibus admodum difficile est veritatem in omnibus attingere. Et hac de causa errores prope infinitos commiserunt. Non omnes æque periti erant. Interpretes Mosis fuerunt disertissimi: Ille tamen qui interpretatus est verba quæ Caino locutus est Deus, vel de industria mentem suam occultavit, vel in Hebraicis infans fuit. Qui Historias interpretati sunt, disertissimi quoque fuerunt: necnon ii qui Proverbia & Psalmos verterunt. Qui Græce Jobum transtulit, Poetarum lector fuit, neque singula stricte converti, sed ut omnia fierent Græcis familiaria, curavit. Ecclesiasta Interpres infantior fuit in Hebraico, quam in Græco: Amosi, optimus: Ezekielis, perquam doctus. Non omnes omnia vertisse apparet ex eo-*

rum ſtyli diverſitate, & ex eo quod eadem in aliis locis fœliciter, in aliis infœliciſſime converterint. Sæpe potius contrahunt, quam transferunt, ut in Eſthere, & paſſim in Prophetis. In myſteriis & phraſibus duris provincias ſuas optime exornarunt. At mentes ſuas magnopere occultarunt, præſertim in mundi ætate ab Adamo ad Abrahamum. Profitetur [a] *Jo. Scharpius*, aſſentiri ſe illis, qui unumquemque τῶν LXX. portionem ſuam 14. circiter Capitum habuiſſe, ex ſtyli varietate, aliiſque circumſtantiis colligunt. Idcirco autem Capita circiter 14. Interpretibus ſingulis aſſignant, quia Capita prima 14 *Geneſeos* conficiunt partem totius ſacri voluminis circiter LXXII[dam].

[a] Symphonia Proph.& Apoſt. p. 274.

7. Audiendus denique *Huldrichus Zuinglius* Præfatione in Eſaiam: *Relinquitur* (inquit) *quod ſolum veriſimile eſt, ſeorſim & per partes quemque, non jam totum librum (ſunt enim quidam & longiores & difficiliores, quam ut tam brevi tempore (72. dierum) poſſint ab uno aliquo, etiam doctiſſimo, recte verti) ſed pro magnitudine, aut ratione materiæ ſuum demenſum interpretatos eſſe, & perfecto univerſo opere, in unum conſarcinaviſſe Codicem. Et hinc mendacibus ſciolis impoſturæ materiam quæſitam, quod quiſque ſeorſim tranſtulerit. Sed non cuncta Biblia, ut iſti vaniſſime fingunt, verum quiſque ſuam partem, quæ inter dividendum vel ſorte vel conſilio ei obvenerat. Cujus ſententiæ argumentum eſt, quod eædem voces, dictiones, figuræ & locutiones, non tantum in diverſis libris, ſed in eiſdem nonnunquam diverſimode tranſlatæ ſunt. Ubi nemo unus potuiſſet ſibi ita excidere, ut non meminiſſet quomodo prius eundem ſermonem aut ſenſum reddidiſſet. Quanto minus ſi omnes ſimul communibus opera & ſententia vertiſſent? Adde, quod quidam fœliciſſime interpretando, facile probaverunt mundo quantum antecelluerint eos, qui indocte provinciam iſtam geſſerunt. Nactus eſt Iſaias Interpretem ſeſe indignum. Sed jam longius eſſet per ſingulos libros oſtendere, quam erudite, aut minus traducti ſint.* Idem *Zuinglius* Præf. Com. in Gen. *Verſionem ſive Septuaginta, ſive ſeptem millium Interpretum* nuncupat.

8. Non profero tantum aliorum teſtimonia & judicia. Res ipſas adduco. Innumera ſane in Græca Verſione obſervavimus, quæ nullo modo fieri potuiſſent, ſi, vel omnes ſimul Interpretes conjuncta opera Verſionem elucubraſſent, vel ſinguli, quæ ipſi tranſtulerint, communi reliquorum ſubmiſiſſent judicio. Eædem voces Hebraicæ in locis diverſis omnino diverſe expreſſa ſunt: Eadem Virorum, Gentium & Locorum *propria Nomina* diverſis *Vocalibus* leguntur animata: In aliis locis ut *indeclinabilia* ponuntur: in aliis eadem Græca terminatione declinantur: in aliis locis deſcribuntur ipſa nomina Locorum & Gentium *Hebraica*, in aliis pro eiſdem ponuntur *Græca*: *Animalium*, *Arborum*, *Lapidum pretioſorum*, aliarumque rerum *Naturalium*, item *Menſurarum* ac *Ponderum* nomina, diverſe & plane repugnanter in locis diverſis convertuntur. Exempla complura proferemus, & ob oculos ponemus: quæ, niſi maxime fallor, (quod fateor quidem eſſe frequentiſſimum) erunt ſatis vel contumaciæ cuivis retundendæ.

Virorum Nomina propria Hebraica, quæ eadem in locis diverſis, diverſis Vocalibus *ab Interpretibus donata ſunt, vel alio aliquo modo diſcrepanter expreſſa.*

9. אדניה *Adonijah*: Ἀδωνία, [b] 1 *Chr.* Ἀδανία, [c] *Neh.* Ἀδωνίας, [d] 1 *Reg.* & [e] 2 *Chron.* Pro Ἀδωνία υἱὸς Ἀγγὶθ, quod legitur apud 1 *Chr.* Interpres [f] 2 *Sam.* habet Ὀρνία υἱὸς Ἀγγίθ. Legit is in Hebr. ר pro ד, quod certe non feciſſet, ſi idem fuiſſet Interpres, ut neque diverſe Conſonantes Vocalibus animaſſet.

10. אחיה *Abijah*: Ἀχία, [g] 1 *Reg.* [h] 1 & [i] 2 *Chr.* Αἰα, [k] *Neh.*

11. אחשורוש: (*Abaſuerus* ſive *Abaſueros*) Ἀσσύηρος, [l] *Ezr.* [m] *Dan.* ſed *Eſth.*

[b] 3: 2. [c] 10: 16. [d] 1: 5, 25. [e] 17: 8. [f] 3: 4. [g] 12:15. 15: 27. [h] 11: 36. [i] 9: 29. 10: 15. [k] 10: 26. [l] 4: 6. [m] 9: 1.

Esth. passim Αρταξέρξης; observante etiam *Hieronymo* in Chron. *Euseb.*

12. אסא *Asa*: Ασὰ, [a] 1 *Reg.* [b] 2 *Chr.* Οσσὰ, [c] 1 *Chr.*

13. אלידע *Eliada*: Ελιαδα, [d] 1 & [e] 2 *Chr.* Ελιδαὶ, [f] 2 *Sam.*

14. אליהו *Elihu*, id est, *Elijah*: Ηλιὰ passim 1 & 2 *Reg.* 2 *Chron.* Ηλίας, [g] *Mal.*

15. אסר־חדן *Esarhaddon*: Ασορδὰν, [h] 2 *Reg.* Ασαραδὰν, (vel ut Cod. Alex. Ασαραδδων) [i] *Ezr.*

16. אויל־מרדך *Evil-Merodach*: Ευιαλμαρωδεκ, [k] 2 *Reg.* Οὐλαμμαράδαχ, [l] *Jer* juxta Cod. Alex. Romanus corrupte Οὐλαμμαδάχαρ, litt. transpositis.

17. גדליהו *Gedaliahu*, i. e. *Gedalias*: Γοδολίας, [m] 2 *Reg.* [*] 1 *Chr.* Γαδαλία, [n] *Ezr.* ubi legitur in Heb. גדליה, quod idem est nomen.

18. גרשון *Gershon*, Levi filius: Γηρσὼν, [o] *Gen.* [p] *Ex.* Intt. [q] *Num.* [r] *Jos.* & [s] 1 *Chr.* pro ר legebant ד, & Γεδσὼν eundem nominant.

19. גוג *Gog*: Γὼγ, [t] *Ezec.* Γὼγ, [u] 1 *Chr.*

20. חנון *Hanun*: Ανανὶ, [x] *Neh.* Αννὼν, [y] 2 *Sam.*

21. חבב *Hobab*, socer Mosis: Οβαβ, [z] *Num.* Ιωβαβ, [a] *Jud.*

22. הושע *Hoshea*: Ωσὴ, [b] 1 *Chr.* Ωσηὲ, [c] 2 *Reg.* [d] *Neh.*

23. חור *Hur*: Ὢρ, [e] *Ex.* [f] 1 *Chr.* Οὒρ, [g] *Num.* [h] *Jos.* [i] *Neh.*

24. יפנה *Jephuneh*: Ιεφοννὴ, [k] *Num.* Ιεφινὰ, [m] 1 *Chr.*

25. מיכה *Micah*: Μιχὰ, [n] 1 *Chr.* Μιχαίας, [o] *Jud.* [p] 2 *Chr.* [q] *Mic.*

26. נעמן *Naaman*: Νοεμαν, [r] *Gen.* [s] *Num.* Ναιμαν, [t] 2 *Reg.*

27. עילם *Elam*: Ελὰμ, [u] *Gen.* [x] *Es.* Αιλὰμ, [y] 1 *Chron.* [z] *Ezr.* [a] *Jer.* [b] *Ezec.* [c] *Dan.*

28. עבדיה *Obadiah*: Αβαδία, [d] *Ezr.* Αβδιας vel Αβδία, [e] 1 *Reg.* [f] 1 & [g] 2 *Chr.* [h] *Neh.* Οβδιας, [i] *Obad.*

29. עבד־אדם *Obededom*, nomen viri in cujus domo aliquantisper mansit Arca Dei: Αβδεδὸμ, 1 *Chr.* XV. 18. 25. XVI. 5. 38. XXVI. 4. 8. 15. sed ejusdem libri XIII. 13. 14. & [k] 2 *Sam.* Interpretes legisse videntur עבד־ארא apud illos enim legitur Αβεδδαρά.

30. עזא *Uzza*: Οζὰ, [l] 2 *Sam.* [m] 2 *Reg.* 1 *Chr.* VI. 29. XIII. 7. 9. Αζὰ, *ibid.* VIII. 7. Οζί, [n] *Neh.* Αζὼ, [o] *Ezr.*

31. פשחור *Pashur*: Φασχοὺρ, [p] 1 *Chron.* [q] *Jer.* Φασοὺρ vel Φασσοὺρ, [r] *Ezr.* [s] *Neh.* *Hieron.* Comment. in *Jer.* cap. XX. *Pro Pashur*, LXX. *transtulerunt Phaschor, &c.*

32. פלטיה *Pelatiah*: Φαλτία vel Φαλαιτία, [t] 1 *Chron.* Φαλτία, [u] *Neh.* Φαλτίας, [x] *Ezec.* teste etiam [y] *Hieronymo.*

33. פרעה *Pharaoh*: Φαραὼ, *Gen. Exod.* 1 & 2 *Reg. Neh. Psal. Cant. Ezec. Es.* XXX. 2. 3. sed βασιλεὺς *Es.* XIX. 11.

34. צדוק *Zadok*: Σαδὼκ, [z] 2 *Sam.* [a] 1 & [b] 2 *Reg.* [c] 1 & [d] 2 *Chr.* Σαδδοὺκ, [e] *Ezr.* [f] *Neh.* [g] *Ezec.*

35. צפניא *Zephaniah*: Σαφανία, [h] 1 *Chr.* Σοφονίας, [i] 2 *Reg.* [k] *Soph.*

36. רם *Ram.* Ραμ, [l] *Job.* Αρὰμ, [m] *Ruth.* [n] 1 *Chr.*

37. רצין *Rezin*: Ραασσὼν, [o] 2 *Reg.* Ραασὼν, [p] *Neh.* Ρασὼν, [q] *Ezr.* (legerunt Interpretes isti רצון) Ρασὶν vel Ραασὶν, [r] *Es.* passim.

38. שמה *Shammah*: Σαμα vel Σαμμὰ, [s] 1 *Sam.* Σομὲ, [t] *Gen.* [u] 1 *Chr.* Σαμαία, [x] 2 *Sam.*

39. Alia missa facio, quæ, una tantum literula discrepantia, facilius librariis adscribi posse videantur: qualia sunt, גמר *Gomer*: Γομὲρ, [y] *Ezec.* [z] *Hos.* Γαμὲρ, [a] *Gen.* [b] 1 *Chr.* אחאב *Ahab*, 1 & 2 *Reg.* 1 & 2 *Chr.* & *Mic.* passim Αχαάβ. sed apud [c] *Jer.* Αχιάβ. Et similia.

a 15: 14. b 15: 17. 16: 2. &c. c 9: 16. d 3: 9. e 17: 17. f 5: 16. g 4: 5. h 19: 37. i 4: 2. k 25: 27. l 52: 31. * 25: 24. m 25: 3, 9. n 10: 18. o 46: 11. p 6: 16. q 3: 17, 18, 21, 25. 4: 22, &c. 7: 7. r 21: 6. s 6: 1, 16. 23: 6. sed Cod. Alex. ibi Γηρσὼν. t 38: 2, 18. u 5: 4. x 2: 13. y 10: 1, 2, 3. z 11: 29. a 4: 11. b 27: 20. c 15: 30. 17: 1. 18: 10. d 10: 23. e 17: 10, 12. 24: 14. 31: 2. 35: 30. f 2: 19. 4: 1. g 31: 8. h 13: 21. i 3: 9 ubi pro υἱὸς Σαρ. lege υἱὸς Οὒρ. k 13: 6. m 7: 38. n 5: 5. 8: 34, 35. 9: 15 40, 41. o 17: 9, 12. 18: 2, 31. p 34: 20. q 1: 1. r 46: 21. s 26: 40. t 5: 1, 20, 27. u 10: 22. 14: 2. x 11: 11. 21: 2. 22: 6. y 8: 24. z 2: 7. a 25: 35. b 32: 24. c 8: 2. d 8: 9. e 18: 3, 4, 7. f 3: 21. 7: 3. 12: 9. g 17: 7. h 10: 5. i 1: 1. ubi Cod. Alex. Αβδίας. k 6: 10, 11, 12.

l 6: 3, 8. m 21: 18, 26. n 7: 51. o 2: 49. p 9: 12. q 20: 1, 3. 21: 1. r 2: 38. s 10: 3. 11: 12. Ibidem 7: 12. (& 11: 12. juxta Cod. Alex. Φασσὺρ, sed corrupte ex Φασσοὺρ. t 3: 21. 4: 42. u 10: 22. x 11: 13. y Ep. 142. ad Damasum. z 8: 17. (ubi Cod. Alex. Σαδδοὺχ) 15: 35. 20. 25. a 1: 8, &c. 2: 35. b 15: 33. c 6: 8. 12: 28. d 27: 1. 31: 10. e 7: 2. f 3: 29. 11: 11. sed ibidem 3: 4. 13: 13. Σαδδὼκ. 10: 21. Σαδδοὺκ. g 40: 46. 43: 19. 44: 15. 48: 11. h 6: 36. i 25: 18. k 1: 1. l 32: 2. m 4: 19. n 2: 9, 10, &c. o 15: 37. 16: 5, 6, 9. p 7: 5. ubi Cod. Alex. Ρασὶν. q 2: 48. r 1: 8 8: 6. s 16: 9. 17: 13. t 36: 13, 17. u 1: 37. x 23: 11. y 38: 6. z 1: 3. a 10: 2. b 1: 5, 6. c 29: 21, 22.

Deorum *sive* Idolorum *nomina ex eisdem Hebraicis in variis locis diversimode expressa.*

40. בעל *Baal*: Βάαλ, *Jud.* 1 & 2 *Reg.* 1 *Chr. Jer. Hos.* XI. 8, 16. *Soph.* Alibi scribitur Βεελ, ut in Nominibus, בעל־חמון (*Baal-Hamon*) Βεελαμών, [a] *Cant.* בעל־פעור (*Baal-Peor*) Βεελφεγὼρ, [b] *Num.* [c] *Deut.* [d] *Psal. Hos.* IX. 10. בעל־צפון (*Baal-Zephon*) Βεελσεπφὼν, [e] *Ex,* [f] *Num.* בעל־פרצים (*Baal-Perazim*) apud [g] 1 *Chr.* scribitur Βαὰλ-φαρασίν. [h] Hieron. *Belum Sidonii & Phœnices appellant* בעל: *eadem enim inter* ב *&* ל *literas consonantes,* y *vocalis litera ponitur, quæ juxta linguæ istius proprietatem nunc Beel, nunc Baal legitur.* Vix tamen verisimile videtur Interpretes eosdem nunc *Beel*, nunc *Baal* fuisse lecturos.

a 8: 11.
b 25: 3, 5.
c 4: 3.
d 106: 28.
e 14: 2.
f 33: 7.
g 14: 11.
h Comm. in Hos. c. 12.

41. Apud 1 *Chr.* XIV. 11. sic scriptum legimus: Καὶ ἀνέβη εἰς Βαὰλ-φαρασὶν, καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς ἐκεῖ Δαυίδ. καὶ εἶπε Δαυίδ, Διέκοψεν ὁ Θεὸς τοὺς ἐχθρούς μου ἐν χειρί μου, ὡς διακοπὴν ὕδατος· διὰ τοῦτο ἐκάλεσαν τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου Διακοπὴ φαρασίν. Pro Διακοπὴ, legendum est Βαάλ· διακοπὴ enim idem significat cum φαρασὶν, & in locum τοῦ Βαὰλ ex margine irrepsit. Ab Interprete autem 2 *Sam.* V. 20. ubi eadem refertur historia, nominatur locus iste, non Βαὰλ-φαρασὶν, sed Επάνω διακοπῶν, quæ vocum istarum significatio est. Καὶ ἦλθε Δαυὶδ ἐκ τῶν Επάνω διακοπῶν, καὶ ἔκοψε τοὺς ἀλλοφύλους ἐκεῖ· καὶ εἶπε Δαυίδ, Διέκοψε Κύριος τοὺς ἐχθροὺς ἀλλοφύλους ἐνώπιον ἐμοῦ, ὡς διακόπτεται ὕδατα· διὰ τοῦτο ἐκλήθη τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου, Επάνω διακοπῶν.

42. בעלים *Baalim*, i.e. *Idola*: Βααλεὶμ, [i] *Hos.* Βααλὶμ, [k] *Jud.* [l] 1 *Sam.* εἴδωλα, [m] 2 *Chr.* [n] *Jer.*

43. בית־פעור Masoretis *Beth-Peor*, i.e. *Domus Peor*: Βαιθφογὼρ, [o] *Jos.* Οἶκος Φογὼρ, [p] *Deut.*

44. עשתרות *Ashtaroth*: Ἀσταρὼθ, [q] *Deut.* 1 *Sam.* VII. 3. & [r] 1 *Chr.* sed [s] 1 *Reg.* Ἀστάρτη. Apud *Jud.* X. 6. ταῖς Ἀσταρὼθ· sed *ibid.* II. 13. ταῖς Ἀστάρταις. Apud 1 *Sam.* XII. 10. vertitur ἄλση (*luci*) καὶ ἐδουλεύσαμεν τοῖς Βααλὶμ καὶ τοῖς ἄλσεσιν. *Ibid.* XXXI. 10. בית־עשתרות, quod significat *domum Ashtaroth*, redditur τὸ Ἀσταρτεῖον.

45. מלך Μολὸχ, [t] *Amos.* [u] 2 *Reg.* βασιλεὺς, [x] 1 *Reg.* [y] *Soph.* ἄρχων, [z] *Lev.* quam veram & antiquam lectionem esse, *Scholiastes* docet: τὸ Εβραϊκὸν Μολὸχ ἔχει, καὶ οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ τοῦτο τεθείκασιν. *Hebraicum habet Moloch, & cæteri Intt. idem posuerunt.* Sic quoque [a] *Theodoretus.* τὸ מלכם, quod significat *Moloch eorum*, quodque vertit Interpres *Soph.* βασιλέα αὐτῶν· Intt. [b] *Sam.* & [c] 1 *Chr.* & in Græcum vertunt & Hebraicum simul retinent: * Μολχὸμ τοῦ βασιλέως αὐτῶν. Apud *Sophoniam* τὸ *Melchom* in *Regem* versum fuisse, animadvertit [d] *Hieronymus*, confirmatque Versio vetus Lat. è Græco facta.

i 2: 13, 16, 17.
k 8: 33.
l 7: 4.
m 17: 3.
n 9: 14.
o 13: 20. ubi Cod. Alex. Βιθφ.
p 3: 29. 4: 46. 34: 6.
q 1: 4.
r 6: 71. ubi corrupte Ασηρώθ.
s 11: 7, 33.
t 5: 26.
u 23: 10.
x 11: 7, 33.
y 1: 5.
z 18: 21. 20: 2, 3, 4.
a Quæst. 25. in Lev.
b 12: 30.
c 20: 2.
d Comment. in Soph. 1.
* Sed deest Μολχὸμ in Codd. nonnullis.

Exempla Nominum propriorum locorum, gentium, *&c. quæ in variis locis cum diversis Punctis lecta sunt, vel omnino diverse translata sunt, in aliis, positis Nominibus ipsis Hebr. in aliis, Græcis. &c.*

46. אמרי *Amori, Amoræus*: Ἀμοῤῥὶ, [e] *Ezr.* Ἀμοῤῥαῖος, alibi passim, *Gen. Ex. Deut. Jos. Jud.* 1. & 2 *Sam.* 2 *Chr. Neh.*

47. אדום *Edom*, pro regione sumptum: Ἐδὼμ, [f] *Ex.* [g] *Jud.* 2 *Chr.* XXI. 9, 10. *Es.* LXIII. 1. [h] *Dan.* Ἰδουμαία, [i] 2 *Sam.* [k] 1 *Reg.* [l] 1 *Chr.* [m] *Psal. Es.* XI. 14. XXXIV. 56. [n] *Ezec.* [o] *Amos.* [p] *Joel.* [q] *Mal.* Sic sumptum pro populo, vertitur Ἰδουμαῖοι, [r] *Deut.* 2 *Chr.* XXV. 20. [s] *Psal.* [t] Hieron. Com. in Ezech. *Et hoc sciendum, quod in Heb. nunquam scribatur Idumæa, sed semper Edom, quem Idumæam expressit Græca translatio.* Idem in Hos. *Thabor* LXX. Ἰταβύριον *transtulerunt, hanc habentes consuetudinem, ut Hebræa nomina Græco sermone declinent, sicut Edom, hoc est Esau & Seir, semper* (in hoc tamen fallitur) *interpretantur.*

e 9: 1.
f 15: 15.
g 5: 4.
h 11: 41.
i 8: 14.
k Cap. 11.
l 18: 13.
m 60: 10, 12.
n 25: 12. 35: 15. 36: 5.
o 1: 6, 9. 2: 1.
p 3: 19.
q 1: 4.
r 23: 7.
s 82: 7.
t Cap. 25.

48.

48. אופר *Ophir*: Οὐφεὶρ, [a] *Gen.* 1 *Chr.* I. 23. Corrupte Σεφεὶρ, *ibid.* XXIX. 4. Σεφὶρ, 2 *Chr.* IX. 10. [b] *Es.* σωφὶρ, [c] *Job.* אופירה *in Ophir*: εἰς Ωφιρὰ, [d] 1 *Reg.* 2 *Chr.* VIII. 18. sic enim substituendum pro εἰς Σωφιρὰ. In veteri tamen Vers. *Es.* XXIV. legitur *Suphir.*

49. און (Masoretis *Aven*) Ων, [e] *Hos.* [f] *Amos.* Ηλιούπολις, [g] *Ezech.* monente etiam Hieronymo *de locis Heb.*

50. בית־און *Bethaven*, (i. e. *Domus Aven*, vel *Domus On*:) Βηθαὺν, [h] *Jos.* Οἶκος Ων, [i] *Hos.* ubi Hieron. *Et ne ascendas in Bethaven — pro qua miror cur* LXX. *domum ὢν interpretati sunt, nisi forte errore consueto pro* ו *litera media quæ* א & נ *literis ex utraque parte vallatur*, י *quæ sola differt magnitudine putaverunt.* Hieronymi pace, sine ulla literulæ mutatione potest ὢν non male legi. At Βηθαὺν & οἶκος Ων Interpres idem non posuisset.

51. אכזיב *Achzib*: Εχοζὸβ, [k] *Jos.* sed apud [l] *Mich.* ubi in Heb. legitur *domus Achzib*, οἶκους ματαίους Interpres reddit.

52. אפק *Aphec*: Αφὲκ, [m] 2 *Reg.* אפקה *Aphecah*, i. e. *in Aphec*, Interpres [n] 1 *Reg.* vertit εἰς Αφεκὰ, affixum ה, tanquam partem Nominis exprimens. Eundem errorem superius errant Intt. 1 *Reg.* & 2 *Chr.* in אופירה *Ophirah.*

53. ארם־נהרים *Aram Neharaim*, i. e. *Syria fluminum*: Μεσοποταμία, [o] *Gen.* [p] *Deut.* Συρία ποταμῶν, [q] *Jud.*

54. אררט *Ararat*: Αραράτ, [r] *Gen.* Αραρὰθ, [s] 2 *Reg.* Αραβία, [t] *Es.*

55. אשור *Asshur*, Assyrii: Ασσοὺρ, [u] *Num.* [x] 1 *Chr.* [y] *Ezr.* [z] *Psal.* *Jer.* II. 36. [a] *Thren.* *Ezec.* XVI. 28. XXVII. 23. XXXII. 22. *Hos.* XIV. 3. *Mic.* V. 5, 6. Ασσύριοι, [b] *Gen.* [c] 2 *Reg.* [d] *Es.* *Jer.* II. 18. *Ezec.* XXIII. 5, 7, 9, 12. XXXI. 3. *Hos.* V. 13. VIII. 9. IX. 3. X. 6. XI. 5. XII. 2. *Mic.* VII. 12. [e] *Soph.* [f] *Zech.*

56. בשן *Bashan*: Βασὰν, *Num.* *Deut.* *Jos.* 1 & 2 *Reg.* 1 *Chron.* *Neh.* *Psal.* *Es.* II. 13. [g] *Jer.* Γαλιλαία, *Es.* XXXIII. 9. teste etiam *Hieron.* in locum.

57. באר־שבע *Beersheba*: Βηρσαβεὲ, [h] *Jos.* [i] 1 & [k] 2 *Sam.* [l] 1 *Reg.* [m] 1 & [n] 2 *Chr.* *Amos.* VIII. Φρέαρ τοῦ ὅρκου, *Amos.* V. quæ [*] nominis interpretatio est. Hieron. in Amos. V. *Simul animadvertendum quod* LXX. *Intt. in præsenti loco nomen Bersabeæ interpretati sunt dicentes*, τὸ Φρέαρ τοῦ ὅρκου, *i. e. puteum juramenti*, & *in posterioribus* (cap. 8.) *ipsum nomen posuerunt*, *Vivit Deus tuus Dan*, & *vivit via Bersabeæ.* Lectionum harum confirmatur veritas ex antiqua Versione Lat. ex Græco facta, quæ extat apud *Hieronymi* Commentaria. Vertitur quoque Φρέαρ τοῦ ὅρκου apud [o] *Gen.* confirmante [p] *Justino M.*

58. בית־אל *Bethel*, (*Locus Dei*:) Βαιθὴλ, *Genes.* XXXV. 1, 3, 15. *Jud.* 1 *Sam.* 1 & 2 *Reg.* *Ezr.* *Neh.* *Amos.* Τόπος Θεοῦ, *Gen.* XXXI. 13.

59. *Gen.* XXVIII. 19. sic legit. *Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luz vocabatur*, אולם לוז שם &c. τὸ אולם Interpres ridicule putavit partem nominis urbis fuisse: καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον pro eo quod vertit Aquila: πρότερον Λοὺζ ὄνομα τῇ πόλει. Interpretis oscitantiam castigat B. *Hieronymus* in *Tradit.* "Et vocavit Jacob nomen loci "illius Bethel, & Ulam Luz erat nomen civitatis prius. *Ab eo quod su-* "*pra dixerat*, Quam terribilis est locus iste, non est hic nisi domus Dei, "& hæc porta cœli; *nunc loco nomen imponit*: & *vocavit illum Bethel, i. e.* "*domum Dei*: *qui locus vocabatur ante Luza, quod interpretatur nux sive* "*amygdalum. Unde ridicule quidam verbum Hebraicum* Ulam, *nomen esse* "*urbis putant, cum* Ulam *interpretetur prius* [q]." A Pagnino redditur *utique.* Ab Interpretibus locorum aliorum *Geneseos* dicitur urbs Λουζά. XXXV. 6. ἦλθε δὲ Ιακὼβ εἰς Λοῦζα, ἥ ἐστιν ἐν γῇ Χαναὰν, ἥ ἐστι Βαιθήλ. XLVIII. 3. ὁ Θεός μου ὤφθη μοι ἐν Λουζᾶ ἐν γῇ Χαναάν. Ita apud [r] *Jud.* τὸ δὲ ὄνομα τῆς πόλεως Βαιθὴλ ἦν ἔμπροσθεν Λουζά.

60. בית־שמש *Bethshemesh*, (*Locus*, sive *Urbs Solis*) Βαιθσαμὺς, *Jos.*

XIX.

[a] 10: 29. [b] 13: 12. [c] 22. 24. 28: 16. [d] 9. 28.
[e] 10: 8. [f] 1: 5. [g] 30: 17.
[h] 7: 2. juxta Alex. Corrupte Rom. Βαιθὴλ. [i] 4: 15. 5: 8. 10: 5.
[k] 19: 29. [l] 1: 14.
[m] 13: 17. [n] 20: 30.
[o] 24: 10. [p] 23: 4. [q] 8: 10. [r] 8: 4. [s] 19: 37. [t] 37: 38. [u] 24: 24. sed ibidem 22. Ασσουριμ. [x] 1: 17. [y] 4: 2. [z] 83: 8. [a] 5: 6. [b] 25: 18. [c] 15: 29. 17: 6, &c. [d] 7: 18. 10: 5, &c. [e] 2: 13. [f] 10: 10. [g] Sic a Barnino apud *Amos.* *Mic.* *Nah.* *Zech.*
[h] 19: 2. [i] 9: 20 [k] 3: 10. 17: 11, &c. [l] 19: 3. [m] 25: 2. [n] 30: 5. [*] Vide *Gen.* 26: 33. [o] 28: 10. [p] Cont. Tryphonem p. 281.
[q] Vide eundem Hieron. de locis Hebr. in *Bethel.* [r] 1: 23.

XIX. [z] 22. XXI. 16. *Jud.* 1 *Sam.* 1 & 2 *Reg.* 2 *Chr.* Πόλις ἡλίε, *Jof.* XV. 10.

61. בצרה *Bozra*: Βοσόρρα, [b] *Gen.* [c] 1 *Chr.* Βόσορ, [d] *Ef.*

62. גלגל *Gilgal*: Γαλγαλ, [e] *Jud.* 1 *Sam.* XV. 33. *Hof.* IX. 15. [f] *Mic.* Γαλγαλὰ, [g] *Jof.* 1 *Sam.* VII. 16. *Hof.* IV. 15. [h] *Amof.*

63. גי בני הנם *Vallis filii Hinnom*: [i] 2 *Reg.* & *Jer.* VII. 32. redditur φάραγξ υἱοῦ Εννὸμ, sed *Jer.* XIX. 6. πολυάνδριον υἱοῦ Εννόμ. Apud [k] 2 *Chr.* sine interpretatione ponuntur ipsa Hebraica: γε Βενεννόμ.

64. חמת *Hamath*: Αιμὰθ, *Num.* XIII. 2. 2 *Reg.* XIV. 25, 28. XVII. 24. XVIII. 34. XXV. 21. 2 *Chr.* VII. 8. Εμὰθ, *Num.* XXXIV. 8. [l] *Jof.* 2 *Reg.* XXIII. 33. *Ef.* XXXVI. 19. XXXVII. 13. Ημὰθ, [m] 2 *Sam.* [n] 1 *Reg.* [o] 1 *Chron.* 2 *Chr.* VIII. 4. [p] *Ezec.* [q] *Zach.* Perexigui hæc sunt momenti: illud vero permagni, quod vertitur Αραβία apud *Ef.* X. 9. XI. 11. לבוא חמת i.e. (usque ad) *ingrediendum Hamath*: Interpres [r] *Judicum* pro uno nomine proprio oscitanter sumpsit: (ἕως) Λαβωεμάθ.

65. חרמון *Hermon*: Ερμὼν, *Pf.* LXXXIX. 12. [s] *Cant.* (sic חרמונים Ερμωνιεὶμ, *Pfal.* XLII. 6.) Αερμὼν, [t] *Jof.* & *Pfal.* CXXXIII. 3. quomodo lectum ibi fuisse etiam *Origenis* ætate, apparet ex illius [u] in locum *Commentario.*

66. חתי *Hitti*, Hethæus: Χετταῖος, *Gen. Ex. Deut. Jof. Jud.* III. 5. 1 & 2 *Sam.* 1 & 2 *Reg.* 2 *Chr. Neh. Ezec.* Εθι, [x] *Ezr.* Χεττὶ, [y] 1 *Chr.* ubi Οὐρίας ὁ Χεττὶ is dicitur qui apud [z] 2 *Sam.* Οὐρίας ὁ Χετταῖος passim appellatur. Sic חתים *Hittim* vertitur Χεττιείμ (pro Χετταίοι) apud *Jud.* I. 26. juxta *Codicem Alex.* Vaticanus minus recte Χεττιν.

67. יבוסי *Jebusi*, Jebusæus: Ιεβουσὶ, [a] *Ezr.* Ιεβουσαῖος, alibi passim, *Gen. Ex. Jof. Jud.* 2 *Sam.* 1 *Chr. Neh. Zach.*

68. כנעני *Chenaani*, Chananæus: Χαναανὶ, [b] *Ezr.* Χαναναῖος, [c] *Gen. Jof. Jud. Neh. Obad. Zach.*

69. כרתי *Cherethi*: Χερεθὶ, [d] 2 *Sam.* [e] 1 *Chr.* Κρῆτες (*Cretenses*) [f] *Soph.* & *Ezech.* Consulendus *Hieronymus* in *Ezech.* XXV. & in *Soph.* II.

70. כפתרים *Caphthorim*: Καφθοριείμ, [g] *Gen.* (sic *Cod. Alex.* Romanus minus vere Γαφθοριειμ) Καππαδόκες, [h] *Deut.* Exemplum hoc ante nos observaverat doctiss. [i] *Lightfootus*, qui ex eo recte concludit *Geneseos* & *Deuteronomii* diversos fuisse Interpretes.

71. כרמל *Carmel*: Χερμὲλ, [k] *Jof.* Κάρμηλος, [l] 1 *Sam.* 2 *Reg.* XIX. 23. [m] *Cant.* [n] *Ef.* [o] *Am.* [p] *Mic.* [q] *Nah.* ὄρος τὸ Καρμήλιον, [r] 1 *Reg.* 2 *Reg.* II. 25. IV. 24.

72. כתים *Chittim*: Κετιείμ, [s] *Ezec.* Κιτιαῖοι, [t] *Num. Ef.* XXIII. 1. Κιτιεῖς, [u] *ibid.* XXIII. 12. Κίτιοι, [x] 1 *Chr.* [y] *Dan.*

73. מאבי *Moabi*: Μωαβὶ, [z] *Ezr.* Μωαβίτης, [a] *Gen.* [b] *Deut.* [c] 1 *Chr.* [d] *Neh.*

74. מדינים *Midianitæ*: Μαδιανίται, *Num.* XXXIII. 12. Μαδιηναῖοι, [e] *Gen.* & *Num.* XXV. 15.

75. מחנים *Mahanaim*: Μαναΐμ, [f] 2 *Sam.* Μααναΐμ, [g] 1 *Reg.* [h] 1 *Chr.*

76. מצפה *Mizpah*: Μασφὰ, [i] 2 *Chron.* [k] *Neh.* Μασσηφὰ, *Jud.* XI. 11. XX. 1. XXI. 5. [l] 1 *Sam.* [m] 2 *Reg.* σκοπιὰ, (quæ nominis Hebr. significatio est) *Jud.* X. 17. [n] *Hof.*

77. מצרי *Mizeri*, Ægyptius: Μεσρὲ, [o] *Ezr.* Αἰγύπτιος, *Gen. Ex. Levit. Deut.* 1 & 2 *Sam.* 1 *Chr.*

78. *Aquæ* מריבה *Meribah*: apud [p] *Num.* [q] *Deut.* [r] *Pfal.* & *Ezec.* XVII. 7. vertitur ὕδωρ Αντιλογίας. Sed *Ezec.* XLVII. 19. ipsum verbum Hebr. ponitur μαριμὼθ, l. Μαριβὼθ, מריבות in numero Plurali: quomodo lectum fuisse in Græca *Ezechielis* Versione monet ipse [f] *Hieronymus.*

79. משך *Meshech*: ut nomen gentis redditur Μοσὸχ. *Ezec.* XXXII. 26. XXXVIII. 2, 3. XXXIX. 1. sed Interpres *Capitis* XXVII. 13. ignorasse videtur fuisse hoc gentis nomen; τὰ παρατείνοντα vertens: ἡ Ελλὰς, καὶ ἡ σύμπασα, καὶ τὰ παρατείνοντα.

80. Eodem loco vox תובל vertitur σύμπασα, quæ tamen ut nomen gentis in omnibus aliis locis redditur Θοβὲλ.

81.

a 38. corrupte Βαιθθαμί.
b 36. 33.
c 1: 44.
d 34: 6. 63: 1.
e 2: 1.
f 6: 5. g 5: 9.
h 4 4. 5: 5.
i 13: 10.
k 28: 3.
l 13: 5. sed Cod. Alex. Αιμὰθ.
m 8: 9.
n 8: 65.
o 18: 3.
p 47: 20. ib. 16. vitiose Ημαθει.
q 9: 2.
r 3: 3. s 4: 8.
t 13: 11.
u Ap. Caten. in Psal.
x 9: 1.
y 11: 41.
z 3: 6. 12: 9, 23, 39.
a 9: 1. b 9: 1.
c Num. 21: 1. ὁ Χαναανὶς, ubi Cod. Alexand. ὁ Χαναναῖος. ib. paulo post: τ̄ Χαναανὶ, ubi Cod. Alex. τ̄ Χαναναῖ.
d 8: 18. 20: 13.
e 18: 17.
f 2: 5.
g 10: 14.
h 1: 23.
i Horis Hebr. in Act. VIII. 14.
k 15: 55.
l 15: 12. 15: 2.
m 7: 5.
n 35: 2.
o 1: 1. 9: 3.
p 7: 14.
q 1: 4.
r 30: 14.
s 27: 6.
t 24: 24.
u Cod. Alex. Κιτιείμ.
x 1: 7.
y 11: 30.
z 9: 1.
a 19: 37.
b 2: 9. 23: 3.
c 11: 46.
d 13: 1.
e 37: 28, 36.
f 11: 8. ib. 17: 24. 19: 32. minus recte Μαναΐμ.
g 4: 14.
h 6: 80.
i 16: 6.
k 37: 15, 19.
l 7: 5.
m 25: 13.
n 5: 1. o 9: 1.
p 20. 13. 27: 14.
q 32: 51. 33: 8.
r 81: 7.
f De loc. Heb.

81. Eodem modo τὸ משך ab Interprete *Psalmi* juxta Græcos CXIX, pro Μοσὸχ, vertitur ἐμακρύνθη.

82. נבו *Nebo*: Ναβὼ, *Es.* XLVI. 1. Ναβαὺ, [a] *Num.* [b] *Deut.* [c] 1 *Chron.* *Es.* XV. 2. Ναβὺ, [d] *Ezr.*

83. סין *Sin*: Σὶν, [e] *Ex.* [f] *Num.* Σαῒν (urbem Ægyptiacam intellige) *Ezec.* XXXV. 15. Συήνη, ibid. 16. duas diversas Ægypti urbes eisdem Consonantibus apud Hebræos exprimi putavit Interpres.

84. סכות *Succoth*: Σοκχὼθ, *Ex. Num. Jud.* 1 *Reg.* 2 *Chr.* Σοκχωθὶ, [g] *Jos.* Apud [h] *Psalmos* pro *Valle Succoth*, vertitur ἡ κοιλὰς τῶν σκηνῶν, quæ nominis *Succoth* significatio est.

85. In עי, quod urbis nomen est, literam ע, ut pronunciationis difficillimæ, alii omittunt, alii per γ, ut in aliis quoque nominibus frequenter, exprimunt. Ab Intt. [i] *Jos.* & [k] *Jer.* dicitur Γαὶ vel Γαῒ, ab Int. [l] *Neb.* Αἰ. Interpres [m] *Gen.* articulum emphaticum ה pro parte ipsius nominis accepit, τὸ העי reddens Αγγαί. Apud [n] *Ezr.* legitur Αἰά. τὸ Αγγαὶ vel Αγαι apud *Gen.* genuinam esse lectionem fidem facit [o] Hieronymus: *Agai* (inquit) *vix parvæ ruinæ resident.* —— *& sciendum, quod in Hebræo g literam non habet, sed vocatur Ai: scriberturque per elementum, quod apud eos dicitur ע ain.*

86. עמק־עכור *Emek-Achor*, i. e. *vallis Achor*: Εμεκαχὼρ [p] *Jos.* Φάραγξ Αχὼρ, [q] *Es.* κοιλὰς Αχὼρ, [r] *Hos.*

87. עמני *Ammoni*: Αμμωνὶ, [s] *Ezr.* Αμμανίτης, [t] *Gen.* [u] *Deut.* [x] *Neh.*

88. עברי *Hebræus*: Εβραῖος passim redditur apud alios libros & in ipsa *Gen* XXXIX. 14. XLIII. 32. sed *ibid.* XIV. 13. pro Hebraica ponitur vox Græca περάτης. Απήγγειλεν Αβρὰμ τῷ περάτῃ, *nuncupavit Abramo transitori.* Quam veterem esse lectionem, patet ex *Acacii*, *Diodori*, *Theodoreti*, & ipsius *Origenis* Scholiis. Et hinc in antiqua Latina Versione, quæ ex Græca facta est, legebatur: *Nunciavit Abraham transfluviali.* Ad quem locum B. [y] *Augustinus Transfluvialem Abraham appellatum, etiam Græca exemplaria satis indicant.*

89. פרזי *Perzi*: Φερεζὶ, [z] *Ezr.* Φερεζαῖος, *Gen. Ex. Deut. Jos. Jud.* 2 *Chr. Neh.*

90. Illud insuper notandum, apud *Ezram* in loco cit. non solum describi ipsa nomina gentium Hebraica sine Græca terminatione, verum etiam τὸ ה emphaticum, quod in Hebræo nominibus præfigitur, tanquam nominum ipsorum primam syllabam oscitanter exprimi. ὁ Εθὶ, ὁ Φερεζὶ, ὁ Ιεβουσὶ, ὁ Αμμωνὶ, ὁ Μωαβὶ, καὶ ὁ Μοσερὶ, καὶ ὁ Αμοῤῥὶ. Ubi ὁ, quod nominibus præmittitur, non *Articulum* esse, sed debere cum nominibus conjungi, Ὁεθὶ, Ὁφερεζὶ, &c. exinde facile apparet, quod non sunt *Recti* Casûs ista nomina, sed *Dativi*. Οὐκ ἐχωρίσθη ὁ λαὸς Ισραὴλ καὶ οἱ ἱερεῖς καὶ οἱ Λευῖται ἀπὸ λαῶν τῶν γαιῶν ἐν μακρύμμασιν αὐτῶν, τῷ Χαναναὶ, ὁ Εθὶ, ὁ Φερεζὶ, &c. Hebræa sic se habent: כנעני החתי הפרזי היבוסי העמני המאבי המצרי האמרי.

91. פלשתים *Philistim*, Philistini sive Palæstini: Φυλιστιεὶμ, [a] *Gen.* [b] *Ex.* [c] *Jos.* ἀλλόφυλοι (*extranei*) [d] *Jud.* [e] 1 & [f] 2 *Sam.* [g] 2 *Reg.* [h] 2 *Chron.* [i] *Psal.* *Es.* II. 6. XI. 4. [k] *Ezec.* [l] *Am.* [m] *Soph.* [n] *Zach.* Apud *Es.* IX. 12. ubi in Heb. dicitur: *Syria ab Oriente & Philistini ab Occidente*: in Gr. legitur: Συρίαν ἀφ' ἡλίου ἀνατολῶν καὶ τοὺς Ελληνας ἀφ' ἡλίου δυσμῶν. Fallitur [o] *Hieronymus*, cum dicit, *semper*, apud LXX. pro Philistim positos fuisse ἀλλοφύλους.

92. Apud [p] 1 *Sam.* cum fugisset David ad Abimelech, ab eo interrogatus quare solus esset, respondet, se servis suis condixisse *in locum* פלני אלמני *obscuri ignoti*: h. e. *in illum & illum locum.* Græcus habet: ἐν τῷ τόπῳ τῷ λεγομένῳ Θεοῦ πίστις Φελλανὶ Μαεμωνί. Exemplar *Alex.* Φελμωνὶ Αλμωνί. Lege juxta *Complutense*: ἐν τόπῳ λεγομένῳ Φελανὶ (vel Φελλανὶ) Αλμωνί. In *Aldino* quoque desunt Θεοῦ πίστις. *Joannes Mariana*, [q] Jesuita, ex

[a] 32: 3, 42. [b] 32: 49. 34: 1. [c] 5: 8. [d] 2: 29. 10: 43. [e] 16: 1. 17: 1. [f] 33: 12. [g] 13: 27. [h] 60: 6. 108: 7. [i] 7: 2, 4, 5. 8. 1, 2, &c. 9: 3. 10: 1. [k] 49: 3. [l] 7: 32. [m] 12: 8. 13: 3. [n] 2: 28. [o] De loc. Heb. [p] 7: 26. [q] 65: 10. [r] 2: 15. [s] 9: 1. [t] 19: 38. [u] 23: 3. [x] 13: 1. [y] Quæst. super Gen. 29. [z] 9: 1.

[a] 21: 33. 26: 14, 15, 18. [b] 13: 17. 15: 14. [c] 13: 2. [d] 3: 3, 31. 10: 11. 14: 4, &c. Ib. 10: 6, 7, 11. 13: 1. leg. Φυλιστιεὶμ. sed in aliis locis Codex Alex. habet ἀλλόφυλοι. [e] 4: 1. 5: 9, &c. [f] 5: 17, &c. [g] 8: 2. [h] 21: 16, &c. [i] 60. 8, &c. [k] 16: 27. 25: 16. [l] 1: 8, &c. [m] 2: 5. [n] 9: 6. [o] Com. in Amos 1. [p] 21: 2. [q] Scholiis in locum.

ex hoc loco ait confirmari LXX. Interpretes (quos vocat) *Pentateuchum* duntaxat, non reliquos libros convertisse. Quomodo enim (inquit) sumpsissent viri illi eruditi vocabula ista pro loci *nomine proprio*? Aliter accipiuntur ab Interprete [a] *Ruth*: *Ascendit ergo Booz ad portam; cumque vidisset propinquum præterire, dixit ad eum: Declina & sede hic,* פלני אלמני you, such a one, ut *Anglice* dicimus. Vulg. Lat. *vocans eum nomine suo.* Græcus: Ἐκκλίνας κάθισον ὧδε κρύφιε· *declinans sede hic, abscondite.* Ab Interprete [b] *Danielis*, ubi duæ hæ voces contrahuntur in unam פלמני, retinetur vox Hebraica: *Et dixit unus Sanctus* ALTERI CUIDAM. Græc. καὶ εἶπεν εἷς ἅγιος τῷ φελμουνί. Quam veram & antiquam lectionem esse, constat ex Comment. *Eudoxii*, & *Theodoreti*. Sic *Hieronymus*: *Pro altero nescio quo, quod Symmachus interpretatus est,* τινί ποτε, *quem nos secuti sumus: Aquila, Theodotio, & LXX.* φελμουνὶ *ipsum verbum Hebraicum posuerunt.*

93. צר *Sor*, Tyrus: Σὸρ, *Ez.* XXVI. 2,3,4,7,15. XXVII. 2,3,8,32. sed Τύρος *ibid.* XXVIII. 2,12. XXIX. 18,20. ut & passim apud alios libros, *Jos.* 2 *Sam.* 1 *Reg.* 1 *Chr.* *Ps.* *Es.* *Joel.* *Am.* *Zach.* In Græca *Ezechielis* Versione juxta LXX. lectum fuisse Σὸρ pro Τύρος, observavit suo tempore [c] *Hieronymus*.

94. קיר *Kir*, nomen urbis Moabitarum: Κυρήνη, [d] 2 *Reg.* juxta Codicem *Alex.* (*Romanus* hoc loco mancus est.) Apud [e] *Es.* vertitur τὸ τεῖχος (τῆς Μωαβίτιδος.)

95. In loco 2 *Reg.* citato, traditur Assyriorum Regem Damasci incolas captivos abduxisse ad *Kir*: Interpres *Amosi* 1. 5. ubi prædicitur hæc illorum captivitas, nescivisse videtur fuisse *Kir* nomen proprium loci, & ἐπίκλητος vertit. Καὶ αἰχμαλωτευθήσεται λαὸς Συρίας ἐπίκλητος. *Ibid.* IX. 7. ubi prædictio habetur de eorundem ex captivitate reditu, redditur βόθρος. Καὶ τοὺς Σύρους ἀνήγαγον ἐκ βόθρου.

96. קרית־יערים *Kiriath-jearim*: Καριαθιαρείμ, *Jos.* XVIII. 14. [f] 1 *Sam.* [g] *Jer.* πόλις ιαρείμ, *Jos.* IX. 17. XV. 9,10,60. & [h] 1 *Chr.* (*Kiriath* Hebraice, πόλις est.) Apud 1 *Chr.* dicitur David Arcam adduxisse ἐκ πόλεως ιαρείμ· sed 2 *Chr.* ἐκ πόλεως Καριαθιαρείμ, quo loco servatur simul vox Hebraica & vertitur.

97. הרמה *Ramah*: Ῥαμὰ, [i] *Jos.* [k] *Jud.* [l] 1 *Reg.* [m] 2 *Chron.* [n] *Ezr.* Ῥαμμὰ, [o] *Ezec.* Interpres *Neh.* articulum ipsum tanquam partem vocabuli exprimit, quod in aliis nominibus oscitanter fieri monuimus, הרמא vertens Αραμά.

98. ראמת בגלעד *Ramoth in Gilead*: Ῥαμὼθ ἐν Γαλαὰδ, [p] *Deut.* [q] *Jos.* ראמת גלעד, Ρεμμὰθ Γαλαὰδ, [r] 1 *Reg.* Ρεμμὼθ Γαλ. [s] 2 *Reg.* Ῥαμμὼθ Γαλ. [t] 1 *Chr.* Ῥαμὼθ Γαλ. 2 *Chr.* XVIII. 11,14. *Ibid.* 3. Ῥαμὼθ τῆς Γαλααδίτιδος.

99. בעמק רפאים *In valle Rephaim*: ἐν τῇ κοιλάδι τῶν Τιτάνων, [u] 2 *Sam.* ἐν τῇ κοιλάδι τῶν γιγάντων, [x] 1 *Chron.* ἐν φάραγγι στερεᾷ, (id est *in valle dura*) [y] *Es.* teste etiam *Hieronymo*. Idem [z] alibi: *In Regum volumine* רפאים *Hebræum, Græci Titanas transtulerunt.*

100. שנער *Shinar*: Σενναάρ vel Σεννααρ, [a] *Gen.* [b] *Dan.* Αἰθιοπία, [c] *Es.* Βαβυλὼν, [d] *Zach.* Hieron. ad Zach v. *In terra Sennaar, pro quo LXX. transtulerunt, in terra Babylonis.* Sic legitur in Latina veteri Versione, quam è Græco factam legebat Ecclesia primitiva.

101. שטים *Shittim*: Σαττείν, [e] *Num.* Σαττίν, [f] *Jos.* σχοῖνοι, [g] *Mich.* ἀπὸ τῶν σχοίνων ἕως τοῦ Γαλγάλ. Ita [h] *Joel.* καὶ ποτιεῖ τὸν χειμάῤῥουν τῶν σχοίνων.

102. תרשיש *Tarshish*: Θαρσὶς, [i] 1 *Reg.* [k] 1 & [l] 2 *Chr.* [m] *Ps.* *Es.* LX. 9. LXVI. 19. [n] *Jer.* *Ezech.* I. 16. [o] *Jon.* Καρχηδὼν (*Carthago*) *Es.* XXIII. 1,6,10. *Ezec.* XXVII. 12. XXXVIII. 13. Θάλασσα, *Es.* II. 16. Apud *Jonam*, *Psalmos*, & *Ezec.* I. 16. lectum fuisse Θαρσὶς (sive Θαρσεὶς) commemorat [p] *Gregorius Nyss.* De *Jona* & *Psalmis*, testis [q] quoque est *Hieronymus*. Testatur idem, [r] in *Esaia* II. versum fuisse *mare*, XXIII. *Carthaginem*, LXVI. *Tharsis*:

Carthaginem

a 4: 1.
b 8: 13.
c Explan. Psalmi 44. ad Principium Virg.
d 16: 9.
e 15: 1.
f 7: 1.
g 32: 20.
h 13: 5.
i 18: 25.
k 4: 5. 19: 13.
l 15: 17.
m 16: 1,5.
n 2: 26.
o 27: 22.
p 4: 43.
q 20: 8. 21: 38.
r 22: 3,4,6,12.
s 8: 28. 9: 1,14. quo loco postremo Cod. Alex. Ῥαμώθ.
t 6: 80. sed Cod. Alex. Ῥαμώθ.
u 5: 18.
x 11: 15. 14: 9.
y 17: 5.
z Comm. in Amos V.
a 10: 10. 11: 2. 14: 1.
b 1: 2.
c 11: 11.
d 12: 13.
e 25: 1.
f 2: 1. 3: 1.
g 6: 5.
h 3: 18.
i 10: 22.
k 1: 7.
l 9: 21.
m 72: 10.
n 10: 9.
o 1: 3. 4: 2.
p Homil. 14. in Cant. Forte ap. Ezec. I. 16. intelligitur *lapis carbunculus*. Vide infra § 107.
q Comm. in Dan. X.
r Com. in loca.

Carthaginem etiam apud *Ezech.* translatum fuisse animadvertit: [a] *Tharsis, unde aurum afferebatur Salomoni: hanc putat Josephus Tarsum urbem esse Ciliciæ. Porro juxta Ezech. Proph. Carthago sentitur: Siquidem in eo loco, ubi secundum* LXX. *Interp. legimus Carthaginem, in Hebr. habemus Tharsis scriptum.*

a De loc. Heb. Vide ejusdem Com. in Es. 23.

103. חפת *Tophet*, nomen loci vilissimi, Jerusalem vicini, in valle *filii Hinnom*, Ταφεθ redditur [b] 2 *Reg.* καὶ ἐμίανε τὸ Ταφεθ τὸ ἐν Φάραγγι υἱοῦ Ἐννόμ. Ita *Jer.* VII. 31, 32. τοῦ Ταφεθ, ὅς ἐστιν ἐν Φάραγγι υἱοῦ Ἐννόμ. At *Ibid.* XIX. 6. vertitur Διάπτωσις (*ruina*:) Διάπτωσις ἢ πολυάνδριον υἱοῦ Ἐννόμ. Rursus *Ibid.* 14. καὶ ἦλθεν Ἱερεμίας ἀπὸ τῆς Διαπτώσεως. In eodem Capite *commate* 12. vertitur ἡ (γῆ) διαπίπτουσα. & iterum *commate seq.* pro *loco Tophet* dicitur ὁ τόπος ὁ διαπίπτων. *Miror* inquit [c] *Hieronymus, quid sibi voluerint* LXX. *pro* חפת διάπτωσιν, *i. e. ruinam ponere, & pro valle,* πολυάνδριον.

b 23: 10.
c Com. in Jer. cap. 19.

Animalium *nomina alio atque alio modo in diversis locis translata.*

104. כְּפִיר, quod *leonem juvenem* significat, & ita intelligitur ab Intt. librorum multorum reliquorum, ab Int. [d] *Jobi* δράκων redditur.

105. כַּר, κριὸς (*aries*) [e] *Ps.* ἀρὴν (*agnus*) [f] *Deut.* ubi ab *ariete* manifeste distinguitur: ἀρνῶν καὶ κριῶν. sic quoque apud [g] 2 *Reg.* ἑκατὸν χιλιάδας ἀρνῶν, καὶ ἑκατὸν χιλιάδας κριῶν ἀπὸ πόκων. Apud [h] *Es.* τράγος est, i. e. *hircus*, & ab *agno* distinguitur: τράγων καὶ ἀμνῶν. Apud [i] *Ezec.* vertitur μόσχος (*vitulus*) & distinguitur apertissime cum ab *ariete*, tum ab *hirco*: κριὰς καὶ μόσχους καὶ τράγους. [k] *Amosi* Interpreti ἔριφος (*hædus*) est, & à *vitulo* distinguitur: ἐρίφους ἐκ ποιμνίων καὶ μοσχάρια.

d 4: 10. 38: 39.
e 64: 14.
f 32: 14.
g 3: 4.
h 36 6.
i 39: 18.
k 6: 4.

106. תְּאוֹ *bos sylvestris*: Ὄρυξ (*oryx*) [l] *Deut.* σευτλίον (*beta*) quod *herbæ* cujusdam nomen est, [m] *Es.*

l 14: 5.
m 51: 20.

107. תַּנִּין κῆτος (*cete*) [n] *Gen.* δράκων, [o] *Ex.* [p] *Deut.* *Job.* VIII. 12. *Ps.* LXXIV. 14. LXXXIX. 13. CXLVIII. 7. *Es.* XXVII. 1. *Jer.* IX. 11. [q] *Thren.* [r] *Ezec.* [s] *Mic.* σειρὴν (*siren*) *Job.* XXX. 29. *Es.* XXXIV. 13. XLIII. 20. στρουθὸς (*passer*) *Jerem.* X. 22. ἐχῖνος (*erinaceus*) *Es.* XIII. 22. ὄρνις (*avis*) *Es.* XXXV. 7. κάκωσις (*afflictio*) *Psal.* XLIII. 20. συκῆ (*ficus*) [t] *Neh.*

n 1: 21.
o 7: 9 10: 12.
p 32: 33.
q 4: 3.
r 29: 3. 32: 2.
s 1: 8.
t 2: 13.

108. צֶפַע serpentis quoddam genus: κεράστης (*cerastes*) [u] *Prov.* ἀσπὶς (*aspis*) *Es.* LIX. 5. ἔκγονον ἀσπίδων (*genimen aspidum*) *ibid.* XI. 8. XIV. 29.

u 23: 33.

109. שַׁחַל, λέων, [x] *Job.* ἀσπὶς, [y] *Psal.* ἐπ' ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιβήσῃ, καὶ καταπατήσεις λέοντα καὶ δράκοντα. Interpreti [z] *Hos.* πανθὴρ est: ὡς πανθὴρ καὶ ὡς λέων. Ubi Hieron. *Pro leæna quod Hebraice* שחל LXX. *interpretati sunt pantherem.* Sic *panther* legitur in antiqua Versione è Græco facta.

x 10: 16. 28: 8.
y 90: 13.
z 5: 14. 13: 7.

110. אַרְנֶבֶת, apud *Lev.* XI. ubi enumerantur animalia immunda, vertitur χοιρογρύλλιος (*chærogryllus*) & à *lepore* distinguitur: καὶ τὸν κάμηλον — καὶ τὸν δασύποδα — καὶ τὸν χοιρογρύλλιον, — καὶ τὸν ὗν. sed apud *Deut.* XIV. ubi eadem animalia recensentur, redditur δασύπους (lepus) & à *chærogryllo* distinguitur: τὸν κάμηλον, καὶ δασύποδα, καὶ χοιρογρύλλιον. &c.

111. דַּיָּה ἴκτινος (*milvus*) [a] *Deut.* ἔλαφος (*cervus*) [b] *Es.*

112. אַיָּה γὺψ (*vultur*) [c] *Deut.* [d] *Job.* sed apud [e] *Lev.* ἴκτινος (*milvus*) est, & à *vulture* distinguitur: καὶ τὸν γύπα, καὶ τὸν ἴκτινον.

113. תִּנְשֶׁמֶת avis quædam species: πορφυρίων (*porphyrio*) *Lev.* XI. 18. ἀσπάλαξ (*talpa*) *ibid.* 30. [f] Apud *Deut.* vertitur ἱέραξ (*accipiter*) & à *porphyrione* evidenter distinguitur.

a 14: 13.
b 34: 15.
c 14: 13.
d 28 7.
e 11:
f 14: 16.

114. יַעֲנָה γλαῦξ (*noctua*) [g] *Lev.* [h] *Deut.* στρουθὸς (*passer* vel *struthio*) [i] *Job.* [k] *Es.*

115. שָׁלָךְ καταράκτης (*mergulus*) [l] *Lev.* νυκτικόραξ (*nycticorax*) [m] *Deut.*

116. שָׁלָף κόραξ (*corvus*) *Lev.* ἐρωδιὸς (*herodio*) *Deut.*

g 11:
h 14:
i 30: 29.
k 43. 20. 34: 13.
l 11:
m 14:

Conradus Kircherus in *Concordantiis* suis nomina avium commemoratarum ap. *Lev.* XI. & *Deu.* XIV. minus accurate contulisse videtur: ut fallitur etiam nonnunquam in nominibus aliis.

117. נֵץ ἱέραξ, *Lev.* κύκνος, *Deut.*

118. כּוֹס νυκτικόραξ, *Lev. Psal.* ἶβις, *Deut.* Apud *Psalmos* verti νυκτικόραξ, monet quoque [a] *Hieronymus.*

119. חֲסִידָה ἐρωδιὸς, *Lev. Ps.* πελεκᾶν, *Deut.* Apud *Psal.* ἐρωδιὸς verti observat quoque idem [b] *Hieron.* & confirmat Versio Lat. vetus, quæ ex Græca facta est. Apud [c] *Zach.* vertitur ἔποψ, i. e. *upupa,* quomodo habet vetus versio Latina. *Hieron.* in locum: *Et habebant alas juxta Heb.* חסידה *quod Aquila, Symmachus, Theodotio* ἐρωδιὸν, *i. e. Herodionem, soli* LXX. ἔποπα, *id est, upupam transtulerunt.*

120. דּוּכִיפַת ἔποψ (*upupa*) *Lev.* πορφυρίων (*porphyrio*) *Deut.*

121. קָאַת πελεκᾶν, *Lev.* ἔποψ, *Deut.* ὄρνεον, [d] *Es.* χαμαιλέων, [e] *Soph.*

122. יַנְשׁוּף ἶβις, *Lev.* [f] *Es.* καταῤῥάκτης, *Deut.*

123. קֹרֵא νυκτικόραξ, [g] 1 *Sam.* πέρδιξ, [h] *Jer.*

124. נֵצָה πτερὸν (*ala*) [i] *Lev.* ὄνυξ (*unguis*) [k] *Ezec.* ἀετὸς ὁ μεγαλοπτέρυγος, πλήρης ὀνύχων *aquila magnarum alarum, plena unguium.* Apud [l] *Job* sine interpretatione ponitur vox Heb. νεσσα.

Exempla nominum Arborum *ac* Plantarum.

125. אֵלָה τερέβινθος (*terebinthus*) [m] *Gen.* [n] *Jos.* [o] *Jud.* [p] *Es.* δρῦς (*quercus*) [q] 1 *Sam.* [r] 1 *Chron.* δένδρον σύσκιον (*arbor umbrosa*) [s] *Ezec.* ita δένδρον συσκιάζον, [t] *Hos.*

126. אַלּוֹן δρῦς (*quercus*) [u] *Genes.* [p] *Deut.* [q] 1 *Sam.* [r] *Amos.* sic βάλανος (*quercus*) alibi apud [s] *Gen.* [t] *Jud.* [u] *Es.* sed ἐλάτη (*abies*) [x] *Ezec.*

127. אֶרֶז κέδρος (*cedrus*) passim apud *Lev. Num. Jud.* 2 *Sam.* 1 & 2 *Reg.* 1 & 2 *Chr. Ezr. Ps. Cant. Es. Jer. Ezec.* XVII. 3, 22, 23. *Am. Soph. Zach.* sed κυπάρισσος (*cupressus*) apud [y] *Job,* & *Ezech.* XXVII. 5. (ubi בְּרוֹשׁ redditur κέδρος) 24. XXXI. 3, 8.

128. בְּרוֹשׁ κέδρος, *Ezec.* XXVII. 5. 2 *Chr.* III. 5. πεύκη (*abies*) [z] 1 *Reg.* κυπάρισσος, [a] 2 *Reg. Es.* XXXVII. 24. LV. 13. [b] LX. 13. ξύλον Λιβάνου (*lignum Libani*) *Es.* XIV. 8. ἄρκευθος (*juniperus*) 2 *Chr.* II. 8. [c] *Hos.* πίτυς (*pinus*) *Ezec.* XXXI. 8.

129. שִׁטָּה nomen arboris cujusdam imputrescibilis, redditur ἄσηπτον ([d] *imputrescibile*) passim apud *Ex.* sed apud [e] *Es.* vertitur πύξος ([f] *buxus.*)

130. שַׁיִת ἄκανθα (*vepris*) *Es.* V. 6. VII. 23, 24, 25. χόρτος (*fœnum*) *ibid.* X. 17.

131. עֵץ שֶׁמֶן ξύλον κυπαρίσσινον (*lignum cupressinum*) [g] *Neh.* ξύλον ἀρκεύθινον (*lignum juniperinum*) [h] 1 *Reg.*

132. שׂרק ἕλιξ (hederæ species) [i] *Gen.* Apud [k] *Es.* describitur ipsum verbum Heb. σωρὴκ, & ἄμπελος vertitur: καὶ ἐφύτευσα ἄμπελον σωρήκ· *& plantavi vineam sorec.* Quam antiquam esse lectionem apparet ex [l] *Hieronymo,* [m] *Eusebio Emisseno,* & S. *Basilio.*

133. תְּאַשּׁוּר κέδρος *Es.* LX. 3. sed *ibidem* XLI. 19. à *Cedro* luculente distinguitur.

134. ברקנים quod significat *tribulos,* quid esset non intellexit Interpres [n] *Jud.* qui ipsum verbum Hebraicum βαρκηνὶμ ponit.

135. שקד κάρυον (*nux*) Jer. ἀμύγδαλον (*amygdalus*) Eccl. Hieronymus ad Eccl. XII. *Sciendum quod ubi nunc* LXX. *Intt. posuerunt* τὸ ἀμύγδαλον, *ipsum verbum sit* שקד *soced, quod in Hieremiæ principio est, sed ibi in nucem versum est, hic in amygdalum.*

Nominum lapidum pretiosorum, *aliarumque rerum* naturalium, *exempla.*

136. כרכר ἴασπις, [o] *Es.* Apud [p] *Ezec.* habetur ipsum nomen Hebraicum χορχόρ.

137. בָּרֶקֶת σμάραγδος, [q] *Ex.* ὀνύχιος, [r] *Ezec.*

138. תרשיש χρυσόλιθος, [s] *Ex.* λίθος ἄνθραξ (*lapis carbunculus*) *Ezec.* X. 9.

sic

a Epist. 135. ad Sun. & Fret.
b Ibid.
c Cap. 5.
d 34: 11.
e 2: 14.
f 34: 11.
g 26: 20.
h 17: 11.
i 1: 16.
k 17: 3.
l 39: 13.
m 35: 4.
n 24: 26.
o 6: 11. Cod. Alex. δρῦς.
p 1: 30. 6: 13.
q 17: 19. 18: 9, 10.
r 10: 12.
s 6: 13.
t 4: 13.
u 13: 18. 14: 13. 18: 1.
p 11: 30.
q 10: 3.
r 2: 9.
s 25: 8.
t 9: 6.
u 2: 13.
x 27: 6.
y 40: 12.
z 5: 10. 9: 11.
a 19: 23.
b Ubi תִּדְהָר vertitur πεύκη.
c 14: 9.
d B. Hieron. Com. in Joel. cap. 3.
e 41: 19.
f Vide Hieron. in Es. 41.
g 8: 17.
h 6: 31.
i 49: 11.
k 5: 2.
l Com. in Es. aliisque locis variis.
m Homil.
n 8: 7, 16.
o 54: 12.
p 27: 16.
q 28: 17.
r 28: 13.
s 28: 20 & 39: (Græc. 36:) 10.

fic ἀνθραξ, *ibid.* XXVIII. 13. fed *ibidem* rurfus I. 16. poni videatur ipfa vox Heb. θαρσ ις. Vide tamen fupra §. 102.

139. פז χρυσίον (*aurum*) *Job.* [b] *Cant.* [c] *Thren.* χρυσίον ἄπυρον (*aurum obryzum*) [d] *Ef.* Apud *Pfal.* CXIX. 126. ab *auro* diftinguitur, & τοπάζιον (*topazium*) vertitur: ὑπὲρ χρυσίον καὶ τοπάζιον. Apud *Pfal.* XXI. 4. & [e] *Prov.* redditur λίθος τίμιος (*lapis pretiofus*) ὑπὲρ χρυσίον καὶ λίθον τίμιον.

140. גביש quod fignificat *Unionem*, quid effet nefciebat Int. [f] *Jobi*, à quo exprimitur ipfa vox Heb. γαβίς.

141. ראמות *coralia*: μετέωρα, [g] *Job.* ῥαμὼθ, [h] *Ezec.* quod ipfum Heb. vocabulum eft.

142. מר σμύρνα (*myrrha*) [i] *Ex.* [k] *Efth.* [l] *Pfal. Cant.* III. 6. IV. 6. V. 1, 5, 13. στακτή (*aloes*) *Cant.* I. 12. Apud *Pfal.* à στακτή manifefte diftinguitur: σμύρνα, καὶ στακτὴ, καὶ κασία.

143. הלוות στακτὴ, [m] *Pfal.* fed [n] *Cant.* Interpres ipfam vocem Hebr. ἀλὼθ pofuit.

144. מן *Man*, i. e. manna: μὰν, [o] *Exod.* μάννα, [p] *Num.* [q] *Deut.* [r] *Jof.* [f] *Neh.* [t] *Pfal.*

145. כימה nomen ftellæ cujufdam: Ἀρκτοῦρος, *Job.* IX. 9. Πλειὰς, *ibid.* XXXVIII. 31.

146. כסיל ftellæ alius nomen: Ἕσπερος, *Job.* IX. 9. Ὠρίων, *ibid.* XXXVIII. 31. & [u] *Ef.*

Exempla nominum Menfurarum *ac* Ponderum.

147. שקל σίκλος (*ficlus*) *Ex.* XXX. 24. [x] XXXVIII. 24. *Lev.* V. 15. * *Num.* [z] *Deut.* [a] 1 & [b] 2 *Sam.* [c] 2 *Reg.* [d] 1 & [e] 2 *Chron.* [f] *Ezec.* δίδραχμον (*didrachma*) [g] *Gen.* *Ex.* XXI. 32. XXX. 13, 15. *Lev.* XXVII. 3, 4, 5, 6, 7, 16, 25. [i] *Jof.* [i] *Neh.*

148. איפה *Ephah*: οἰφὶ, [k] *Levit.* [l] *Num.* [m] *Jud.* [n] *Ruth.* [o] 1 *Sam.* τρία μέτρα, (* *tres menfuræ*) [p] *Exod.* [q] *Ef.* Apud *Ef.* verti τρία μέτρα, obfervat quoque *Hieronymus*, Com. in locum.

149. עמר *Omer* vel *Gomer*: Γομὸρ, [r] *Ex.* [f] *Ezech.* [t] *Hof.* ἀρτάβαι ἕξ, (*artabæ fex*) [u] *Ef.* δράγμα (*manipulus*) [x] *Lev.* [y] *Deut.* [z] *Ruth.* [a] *Mic.* ψωμὸς (*buccella*) [b] *Job.* Apud *Ef.* verti ἀρτάβας ἕξ animadvertit B. [c] *Hieronymus*: & apud *Mich.* δράγμα veram effe lectionem demonftrat Latina vetufta verfio è Græco facta, ubi vertitur *manipulus*.

150. בת χοῦς (*Choa*, *congius*) [d] 1 *Reg.* μετρητὴ (*metreta*) [e] 2 *Chr.* κεράμιον (*amphora*) [f] *Ef.* χοῖνιξ (*chænix*) *Ezec.* XLV. 10, 11. Ibidem 14. κοτύλη (*cotyla*:) fed *chænicem* & *cotylam* eandem menfuram fuiffe exiftimavit Interpres, ut patet ex locis cit.

151. סאה μέτρον, (τρία μέτρα σεμιδάλεως) [g] *Gen.* [h] 2 *Reg.* μετρητὴ (*metreta*) [i] 1 *Reg.* οἰφὶ, [k] 1 *Sam.*

152. נבל ἀσκὸς (*uter*) 1 *Sam.* X. 3. (ἕνα ἀσκὸν οἴνου) [l] *Jer.* ἀγγεῖον (*vas*) 1 *Sam.* XXV. 18. (δύο ἀγγεῖα οἴνου) [m] *Ef.* [n] *Thren.* Apud 1 *Sam.* I. 24. & etiam ap. [o] 2 *Sam.* occurrit ipfa vox Heb. νέβελ οἴνου. Sic quoque ap. [p] *Hof.* advertente ipfo *Hieronymo*, & Latina Verfione è Græco facta, confirmante: *Et gomor hordei & nebel vini.*

153. הין *Hin*: Εἶν, [q] *Ex.* [r] *Ezec.* ἶν, *Lev.* XXIII. 13. [f] *Num.* χοῦς (*congius*) *Lev.* XIX. 35. Menfuram *Hin* tanquam pofitam in Græca Verfione commemorat [t] *Origenes*.

154. כברת ארץ *Chibrat terræ*: *Gen.* XXXV. 16. *redditur* Χαβραθὰ, fed *ibid.* XLVIII. 7. ubi eadem repetitur narratio, Χαβραθὰ τῆς γῆς, & exponi-

a 28: 17.
b 5: 15.
c 4: 2.
d 13: 18.
e 8: 19.
f 28: 18.
g 28: 18.
h 27: 16.
i 30: 23.
k 2: 12.
l 45: 10.
m 45: 10.
n 4: 14.
o 16: 33, 35.
p 11: 6, 7, 9.
q 8: 3, 16.
r 5: 12.
f 9: 20.
t 78: 24.
u 13: 10.
x Græc. XXXIX.
z 22: 12.
a 9: 9. 17: 5, 7.
b 14: 26. 21: 16. 24: 24.
c 7: 1. 16: 18.
15: 20.
d 21: 25.
e 3: 9
f 4: 10. 45: 12.
g 23: 15, 16.
h 7: 21.
i 5: 15. 10: 32.
k 5: 11. 6: 20.
l 5: 15. 28: 5.
m 6: 19.
n 11: 17.
o 1: 24. 17: 17.
p 16: 36.
q 5: 10.
r 16: 16, 18, 22, 32, 33, 36.
f 45: 11. 13: 14.
t 3: 2.
u 5: 10.
x 23: 10, 11, 12, 15.
y 24: 19.
z 2: 7, 15.
a 4: 12.
b 24: 10.
c Com. in c. 5.
d 7: 38.
e 4: 5.
f 5: 10.
g 18: 16.
h 7: 1, 16, 18.
i 18: 32.
k 25: 18.
l 13: 12.
m 30: 14.
n 4: 2.
o 16: 1.
p 3: 3.
q 29: 40. 30: 24.
r 4: 11. 45: 24. 46: 5, 7, 11, 14.
f 15: 4, 5, 6, 7, 9, 10. 28: 5, 7, 14.
t Homil. I. in Cant.

* 3: 47, 50. 7: 13, &c. 18: 16. 31: 52. Καὶ λήψῃ πέντε σίκλους κατὰ κεφαλὴν κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον, λήψῃ. 3: 47. Τὸ δίδραχμον ibi procul omni dubio ex gloffis irrepfit. leg. κατὰ τὸν σίκλον τὸν ἅγ. ut ibid. 50.

* Cum vertitur μέτρον apud *Deut.* 25: 15. *Prov.* 20: 10. *Ezec.* 45: 10. *Am.* 8: 5. *Zach* 5: 6, 8. ufurpatur pro *menfura* in genere.

Apud *Ezec.* 45: 13. ubi bis in eodem commate occurrit, vertitur & μέτρον & οἰφὶ. fed non eft dubium quin alterutrum ex margine irrepferit.

tur τὸ χαβραθὰ per ἱππόδρομον. Apud [a] 2 *Reg.* scribitur δεβραθὰ τῆς γῆς. Legit forsan iste Interpres ר pro כ.

His adjicienda sunt vocabula quædam alia, aliter atque aliter in diversis locis translata.

155. תרפים *Teraphim*: Θεραφὶν, [b] *Jud.* 1 *Sam.* xv. 23. [c] 2 *Sam.* εἴδωλα (*idola*) [d] *Gen.* κενοτάφια (*varia simulachra*) 1 *Sam.* xix. 13, 16. γλυπτὰ (*sculptilia*) [e] *Ezec.* δῆλοι (*manifestationes* sive *visiones*) [f] *Hos.* οἱ ἀποφθεγγόμενοι (*loquentes* futura) [g] *Zach.* δῆλοι apud *Hos.* & ἀποφθεγγόμενοι apud *Zach.* genuinam esse lectionem, apparet vel ex Latina Versione antiqua apud *Hieronymi* Commentaria.

156. אורים *Urim*: Δήλωσις (*manifestatio*) [h] *Ex.* [i] *Lev.* δῆλοι (*visiones*) [k] *Num.* [l] *Deut.* [m] 1 *Sam.* φωτίζοντες (*illuminantes*) [n] *Ezr.* Sic apud [o] *Neh.* pro, *donec staret sacerdos cum Urim & Thummim*, dicitur: ἕως ἀναστῇ ἱερεὺς φωτίσων.

157. תמים *Thummim*: τέλειοι (*perfecti*) [p] *Ezr.* ἀλήθεια (*veritas*) [q] *Ex.* [r] *Lev.* [s] *Deut.* ubi verba perperam transposita: Δότε Λευὶ δήλους αὐτοῦ, καὶ ἀλήθειαν αὐτοῦ· pro ἀλήθειαν αὐτοῦ καὶ δήλους αὐτοῦ.

158. אפד *Ephod*: Εφωδ, [t] *Jud.* Εφουδ, [u] 1 *Sam.* ἐπωμὶς (*superhumerale*) [x] *Ex.* [y] *Lev.* στολὴ (*stola*) [z] 2 *Sam.* [a] 1 *Chron.* ἱερατεία (*sacerdotium*) [b] *Hos.* Hanc vocem diversis modis exprimi animadvertit [c] *Hieronymus.* *Ubicunque in* LXX. *Intt. hoc est, in Codicibus nostris* ἐπωμὶς, *id est, superhumerale legitur, & in Heb. scriptum est* Ephod. *Quod quare alibi interpretari voluerint, & alibi ininterpretatum reliquerint, non est mei judicis: cum hoc ipsum in pluribus fecerint: ut quæ alibi aliter atque aliter expresserant, novissime translationis varietate lassati, ipsa Hebræa verba posuerint.* Apud *Hoseam* verti ἱερατείαν observat idem. [d] Sic ex Græco vertitur *sacerdotium* in antiqua Latina Versione *Itala* nominata. Monet alibi, [e] in *Exodo* & *Lev.* à LXX. ἐπωμίδα dici.

159. דביר *adytum, templi pars interior*: ναὸς (*templum*) [f] *Psal.* Apud [g] 1 *Reg.* & [h] 2 *Chr.* ponitur vox ipsa Heb. δαβὶρ vel δαβείρ.

160. *Deus* sive *Dominus* צבאות *Sabaoth*, id est, *Exercituum*: Θεὸς sive Κύριος Σαβαὼθ, [i] 1 *Sam.* & apud *Es.* sexcenties. Θεὸς, sive Κύριος, παντοκράτωρ, [k] 2 *Sam.* [l] 1 *Chron.* [m] *Jer.* [n] *Hos.* [o] *Am.* [p] *Mic.* [q] *Nah.* [r] *Hab.* [s] *Soph.* [t] *Agg.* [u] *Zach.* [x] *Mal.* ὁ Θεὸς ὁ ἅγιος, *Es.* xiv. 27. Hieron. Com. in Zach. *Dominus exercituum, pro quo in Heb. positum est* יהוה צבאות, *quod interdum* LXX. *omnipotentem, interdum virtutum, transtulerunt.*

161. פסח πάσχα passim apud *Exod. Num. Deut. Jos.* 2 *Reg. Es. Ezec.* sed apud [y] 2 *Chr.* ubique Φασέκ. Hinc argumentatur [z] *Ger. Vossius*, Versionem Græcam *Chronicorum*, quam nunc habemus, non eandem esse cum illa quæ dicta est LXXviralis. Existimat eam esse *Theodotionis*, quia monet [a] *Theodoretus*, *Theodotionem* pro πάσχα scripsisse Φασέκ. Recte hariolatus fuisset Vir magnus, si ex eo confecisset Versionem, quam vocant LXXviralem à diversis omnino Interpretibus elucubratam fuisse, quod alia tot exempla clarissime demonstrant.

162. נתינים *Nethinim*: Ναθινιμ, [b] *Ezr.* [c] *Neh.* δεδομένοι (*dediti*) [d] 1 *Chr.* οἱ ἱερεῖς, οἱ Λευῖται, καὶ οἱ δεδομένοι.

163. תאו ἀπάντησις (*occursus*) [e] 2 *Chr.* εἰς ἀπάντησιν τῶν παρατρεχόντων. At apud [f] 1 *Reg.* habetur ipsa vox Heb. εἰς τὸ Θεὲ τῶν παρατρεχόντων. Sic quoque apud [g] *Ezec.* observante ipso [h] *Hieronymo.*

164. כידון γαισὸν (*jaculum*) [i] *Jos.* sic ζιβύνη (*jaculum*) [k] *Jer.* sed ἀσπὶς (*clypeus*) [l] 1 *Sam.*

165. כתנת χιτὼν (*tunica*) *Gen. Exod. Lev.* 2 *Sam. Job. Cant.* Sic στολὴ

a 5:19. b 17:5. 18:14, 18. c 23:24. d 31:19. 34:35. e 21:21. f 3:4. g 10:2. h 28:30. i 8:8. k 27:21. l 33:8. m 28:6. n 2:63. o 7:65. p 2:63. q 28:30. r 8:8. s 33:8. t 8:27. 17:5. 18:14. u 2:18, 28. 14:3. 22:18. 23:9. 30:7. x 25:7. 28:4, 6, 8, 12, 15. 29:5. 35:9, 25. y 8:8. ἐπωμὶς quoque apud 1 Sam. 21:9. juxta Codicem Alex. In Rom. vox deest. z 6:14. a 15:27. b 3:4. c Epist. 130. ad Marcellam. d Ibid. e Com. in Hos. cap. IV. f 28:2. g 6.5, 16, 19, 20. h 3:16. 4:20. 5:7, 9. i 1:3, 11. 15:2. 17:45. k 5:10, &c. l 11:9, &c. m 3:19, &c. n 12:5. o 3:13 &c. p 4:4. q 2:13. r 2:13. s 2:10. t 1:2, &c. u Sæpius. Ibi tamen 13:2. legitur Κύριος Σαβαὼθ, sed Σαβαὼθ deest in Cod Alex. x 1:4, &c. y 30:15, 18. 35:1, 6, 7, 8, 9, 13, 17, 19. z De Arte Gram l. 3. sive de Analog. l. 1. c 20. a Quæst. in Exod. ad c. 12. b 2:43, 58. 7:7, 24. 8:20. c 3:26. 7:60. 10:28. d 9:2. e 12:11. f 14:28. g 40:7, 8, &c. h Comment. in Ezec. cap. 40. sæpius. i 8:18. k 6:23. l 17:45.

(*toga*)

(*toga*) [a] *Es.* sed apud [b] *Neh.* legitur χωθωνὼθ vel χοθωνὼθ, quod ipsum vocabulum Heb. est. καὶ χωθωνὼθ τῶν ἱερέων τριάκοντα. rursus: καὶ χωθωνὼθ τῶν ἱερέων ἑξηκονταεπτά. Ita etiam apud [c] *Ezr.* juxta Exemplar *Vat.* sed Codex *Alex.* ibi χιτῶνας habet.

166. קָרִים νότος (*notus*) [d] *Exod.* [e] *Psal. Ezec.* XXVII. 26. καύσων (*urens*) [f] *Job.* [g] *Jer. Ezec.* XVII. 10. XIX. 12. [h] *Hos.* [i] *Jon.* Intelligitur *ventus urens*, qui quidem *orientalis* est, ut ex *Itinerariorum* Commentariis discimus. Appellatur apud Orientales *Samiel*, ex *Sam*, vocabulo *Arabico*, quod significat *venenum*, & *iel*, quod lingua *Turcica* significat *ventum*. De isto Hieronymus ad Ezec. XXVII. *Austro flante, qui significantius* קרים *Græce* καύσων *interpretatur: quem nos in ventum urentem transferre possumus.*

167. כנור κιθάρα (*cithara*) *Gen.* XXXI. 27. 2 *Chr.* XI. 11. [k] *Job. Ps.* XXIII. 2. XLIII. 4. LVII. 9. LXX. 22. XCII. 4. XCVIII. 6. CVIII. 2. CXLVII. 7. CL. 3. & apud [l] *Es.* ψαλτήριον (*psalterium*) *Genes.* IV. 21. *Psal.* XLIX. 4. LXXXI. 2. CXLIX. 3. *Ezec.* Et ne quis forte suspicetur à Græcis Interpretibus *citharam* & *psalterium* pro eodem instrumento musico sumpta fuisse, manifeste ea distinguuntur apud *Gen.* IV. 2. οὗτος ἦν ὁ καταδείξας ψαλτήριον καὶ κιθάραν. sic *Ps.* LXXXI. 2. ψαλτήριον τερπνὸν μετὰ κιθάρας· [m] aliisque multis locis. Apud [n] 1 & [o] 2 *Sam.* [p] 1 *Reg.* [q] 1 *Chr.* 2 *Chr.* V. 12. XX. 29. & [r] *Neh.* neque κιθάρα neque ψαλτήριον vertitur, sed servatur ipsa vox Heb. κινύρα.

168. נבל nomen alius instrumenti musici: κιθάρα, *Ps.* LXXXI. 2. ψαλτήριον, *Psal.* XXXIII. 2. LVII. 9. XCII. 4. CVIII. 2. CXLIV. 9. CL. 3. [s] 1 *Chr.* [t] *Neh.* [u] *Es.* ψαλμὸς, *Psal.* LXXI. 22. (*instrumentum* נבל σκεύος ψαλμοῦ.) Apud [x] 1 & [y] 2 *Sam.* [z] 1 *Reg.* [a] 1 & [b] 2 *Chron.* legitur νάβλα, quod est ipsum nomen Hebraicum.

169. אמן *Amen*: Ἀμὴν, [c] 1 *Chron.* [d] *Neh.* Γένοιτο (*fiat*) [e] *Num.* [f] *Deut.* [g] 1 *Reg.* [h] *Psal.* Apud Psalmos verti γένοιτο monet ipse [i] *Hieronymus.*

170. שטן apud 1 *Reg.* [k] XI. non vertitur, sed ponitur ipsa vox Hebraica, σατάν· καὶ ἤγειρε κύριος σατὰν τῷ Σαλωμὼν τὸν Ἀδέρ. Quam veram vetustamque lectionem esse confirmat S. [l] *Basilius*, & [m] *Theodoretus*. Sed ejusdem libri capite 5. ἐπίβουλος (*adversarius*) vertitur: καὶ νῦν ἀνέπαυσε κύριος ὁ Θεός μου ἐμοὶ κυκλόθεν (inquit Solomon) οὐκ ἔστιν ἐπίβουλος. Vertitur etiam ἐπίβουλος [n] 1 & [o] 2 *Sam.* Sed 1 *Chron. Job. Psal.* & *Zach.* διάβολος redditur.

171. בד λίνεος (*lineus*) vertitur [p] *Exod.* & *Levit.* sed apud [q] *Dan.* ponitur in plurali ipsum verbum Hebraicum, βαδδίν· Ἀνὴρ ἐνδεδυμένος βαδδίν. Interpres [r] 1 *Sam.* ipsam vocem Hebraicam posuit, sed eam male legit, βαρ pro βαδ, ד & ר literarum similitudine deceptus: περιεζωσμένος ἐφοὺδ βάρ. Hanc lectionem omnes libri veterum exhibuerunt, & *bar* legebatur in antiqua Latina Versione. [s] Hieronymus: *Hebraicæ literæ* ר & ד, *hoc est, d & r similes sunt, & parvo tantum apice distinguuntur. Ex quo evenit, ut idem verbum diverse legentes, aliter atque aliter transferant. Intelligentiæ gratia unum demus exemplum: Et vestitus, inquit, erat Samuel* אפוד בר, *indumento lineo,* בר *enim linum appellatur, unde &* ברים *lina dicuntur, pro quo in Hebraico, Græco, Latinoque sermone male quidam legunt* ephod bar. *Siquidem* בר *aut filius appellatur, aut frumenti manipulus, aut electus, aut* ἔλος, *id est crispus. Quod ibi errore interpretationis accidit, etiam hic factum deprehendimus. &c.* Idem alibi; nempe in Epist. ad *Marcellam*: *Quæras forsitan, si ephod Sacerdotale sit pallium: quare in quibusdam locis addatur* bar. *Audiens* bar, *risum tenere non possum. Nam cum apud Hebræos dicatur* bad, *ipsos quoque* LXX. *Intt. sic transtulisse manifestum est: ut pro* bad bar *scriberetur, error obtinuit. — — Qua specie vir quoque ille, qui Danieli monstratur, indutus est: Et extuli oculos meos, & vidi, & ecce vir unus vestitus est baddim: quo plurali numero vestes lineæ nuncupantur.* Cum dicit hoc loco Hieronymus *Interpretes*

vertisse

[a] 22: 21.
[b] 7. 70, 72.
[c] 2. 69.
[d] 10:13 14:21.
[e] 78: 26.
[f] 27: 21.
[g] 18: 17.
[h] 12: 1. 13: 15.
[i] 4. 8.
[k] 21:12. 30:31.
[l] 5: 12. 16: 11. 23: 16. 24. 8. 30: 32.
[m] Psal. 33: 2. 57: 9. 92: 4. 108. 2. 150: 3. & El. 5: 12.
[n] 10: 5, 16. 16: 23.
[o] 6 5.
[p] 10. 12.
[q] 13: 8.
[r] 12: 27.
[s] 13: 8. 15: 16.
[t] 12: 27.
[u] 5: 12.
[x] 10: 5.
[y] 6: 5.
[z] 10: 12.
[a] 13: 8. 15: 21, 28. 16: 25. 25: 1, 6.
[b] 5: 12. 9: 11. 20: 29. 29: 25.
[c] 16. 36.
[d] 5: 13. 8: 6.
[e] 5: 22.
[f] 27: 15, &c.
[g] 1: 36.
[h] 41:13. 72:19. 89: 52. 106: 48.
[i] Epist. 139. ad Cypr.
[k] Vers. 14.
[l] Hom. Quod Deus non sit auctor mali, pag. 433.
[m] Quæst. in 3 Reg.
[n] 29: 4.
[o] 19: 22.
[p] 28: 42.
[q] 10:5. 12: 6, 7.
[r] 2: 18.
[s] Comment. in Zach. c. 12.

vertiſſe βαδ, plus æquo illis indulget, nam illos ipſos βαρ ſcripſiſſe,
res ipſa docet. Quod Editio Romana βαδ habeat, Editoribus tribuo.
Codex Alexandrinus, βαρ.

a 68. 15. 172. שכר οἶνος (*vinum*) [a] *Pſ.* [b] *Prov.* μέθυσμα (*inebriamentum*) [c] 1 *Sam.*
b 31: 4. [d] *Mich.* Apud [e] *Levit.* [f] *Num.* [g] *Deut.* *Iſaiam* v. 11, 22. XXIV. 9. XXVIII. 7.
c 1: 15. XXIX. 9. verbum ipſum Heb. exprimitur, σίκερα. Ejuſdem *Iſaiæ* XIX. 10.
d 2: 11. (ubi legit Interpres שֵׂכֶר vel שֵׂכָר, pro שֶׂכֶר) ζύθος vertitur, poſito pro
e 10: 9. re Ægyptia Ægyptio vocabulo. Vide ſupra cap. IV. §. 18.
f 6: 3. 28: 7.
g 14: 26. 29: 6.
h 18: 12. 173. גיא מלח κοιλὰς τῶν ἁλῶν (*vallis ſalinarum*) [h] 1 & [i] 2 *Chron.* Φά-
i 25: 11. ραγξ τ͂ ἁλῶν (quod idem ſignificat) [k] *Pſal.* Apud libros [l] *Reg.* ſervantur
k 59: 1. voces Heb. Commentarium in *Pſ.* quod extat inter Hieronymi Opera:
l 14. 7. *In Regnorum libris pro Valle Salinarum* LXX. *Intt. ipſa Hebræa verba po-*
ſuerunt ge malah.

m 73: 5. 174. סבך δρυμὸς (*ſylva*) [m] *Pſal.* δάσος (*denſitas*) [n] *Eſ.* ſed apud [o] *Gen.*
n 9: 18. φυτὸν σαβὲκ, quod ipſum verbum Heb. eſt: *Et ecce aries unus, qui tene-*
o 22: 13. *batur* ἐν φυτῷ σαβὲκ. Quam veram lectionem eſſe confirmant [p] multi
p Vide Nobilii not. in locum. Veterum.

175. מטה *Gen.* XLVII. 31. ῥάβδος *virga*: καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ
ἄκρον τ͂ ῥάβδȣ αὐτȣ͂. Sed paulo poſt XLVIII. 2. ubi de eodem *Iſraele* ſermo
q Quæſt. in Gen. eſt, vertitur κλίνη, *lectus*: ἐκάθισεν ἐπὶ τὴν κλίνην. [q] Hieron. *Cauſam cur*
LXX. *Intt. idem verbum aliter & aliter ediderint*, *neſcio*: *hoc unum au-*
dacter dico, quod ipſum verbum מטה, *quod hic in lectulum tranſtulerunt:*
ſupra ubi diximus, adoraſſe Jacob, virgam potius quam lectulum nominaverunt.

176. Ejuſdem denique *Pſalmi*, qui bis in Volumine ſacro occurrit,
r Pſal. 17. nempe in libro [r] *Pſalmorum*, & 2 *Sam.* XXII. diverſas omnino tranſlatio-
nes eſſe, certiſſimum eſt. Sufficiat principium, ubi eadem ſunt He-
braica, ex utroque loco protuliſſe. Apud 2 *Sam.* Κύριε, πέτρα μȣ, καὶ
ὀχύρωμά μȣ, ἢ ἐξαιρȣ́μενός με ἐμοί. Ὁ Θεός μȣ, φύλαξ μȣ ἔςαι μοι, πεποιθὼς
ἔσομαι ἐπ' αὐτῷ. In *Pſalterio*: Κύριος ςερέωμά μȣ, ἢ καταφυγή μȣ, ἢ ῥύςης μȣ·
ὁ Θεός μȣ, βοηθός μȣ, ἐλπιῶ ἐπ' αὐτόν.

177. Eundem calamum non tranſtuliſſe librum *Deut.* qui tranſtulit
ſ Hor. Heb. in *Gen.* & *Exod.* ex eo probat [ſ] *Lightfootus*, quod in Verſione [t] *Deut.* dicitur,
Acta Apoſt. Animas LXX. ex familia Jacobi Ægyptum ingreſſas fuiſſe: in tranſla-
VIII. 14. tione [u] *Gen.* & [x] *Ex.* ſtatuuntur LXXV. quot habet quoque B. *Lucas.* At
t 10: 22. vero non ſatis liquet lectionem iſtam apud Verſionem *Deut.* veram ac
u 46: 27. genuinam eſſe. Quamvis enim moneat B. [y] *Hieronymus*, ſicut obſer-
x 1: 5. vat *Lightfootus*, in Græca verſione *Deut.* memorari, *intraſſe Ægyptum* LXX.
y Quæſt. Heb. in Gen. *tantum*: in aliis tamen exemplaribus, eiſdemque perantiquis, quale eſt
z De aliis teſtatur Nobilius Schol. in locum. [z] *Alexandrinum* noſtrum, ut apud *Gen.* & *Ex.* ſic quoque in *Deut.* legi-
tur ἑβδομήκοντα πέντε. Nec ullius diſcrepantiæ meminit B. *Auguſtinus*,
vel in *Quæſt. ſuper Deut.* x. vel in aliis locis, ubi de numero eorum, qui
in Ægyptum deſcenderunt, agit, viz. *Quæſt. in Gen.* cap. XLVI. & *de Civ.*
Dei XVI. 40.

178. *Andreas Maſius*, ut excuſet maximos illos errores, quos fatetur
paſſim in Græca Verſione apparere, ait *D. Hieronymum diſerte teſtari*,
ſua memoria tot pene fuiſſe Interpretationis illius exemplaria, quot codices:
& unumquemlibet pro ſuo arbitrio vel addidiſſe vel ſubtraxiſſe, quod ei viſum
fuiſſet. Eſt ergo (inquit) *exiſtimandum, multiplices illos, & ſæpe etiam*
abſurdiſſimos errores, nequaquam illorum virorum LXXII. *eſſe; ſed eorum*
partem maximam, imperitorum hominum temerariæ audaciæ; multos etiam
librariorum culpæ atque inertiæ imputari debere. Siccine etiam excuſabunt
alii varietates haſce, quæ à nobis notatæ ſunt, exemplarium diverſitati,
librariorumque incuriæ & audaciæ eas imputando? Apage ſis hæc ef-
fugia! Ut non inficias iverim, nonnullas ex his varietatibus, præſer-
tim in *Virorum* nominibus propriis, aſcribi poſſe Librariorum vel in-
diligentiæ,

diligentiæ, vel ex margine in Textum glossemata quædam ingerentium audaciæ; ita nullus sane dubito, quin omnis æquus rerum æstimator, *Interpretibus* ipsis partem longe majorem earum attributurus sit. In insigni vero errore versatur doctissimus *Masius*, cum *Hieronymi* profert testimonium, *memoria sua tot pene fuisse Interpretationis Græcæ* LXX*viralis exemplaria, quot codices: & unumquemlibet pro suo arbitrio, vel addidisse, vel subtraxisse, quod ei visum fuisset.* Hæc loquitur *Hieronymus*, non de *Græca* Interpretatione, sed diserte de *Latina*. Verba ejus in *Præfatione ad Josuam*, qui locus à *Masio* citatur, sunt ista: *Maxime cum apud* Latinos *tot sint exemplaria, quot codices, & unusquisque pro arbitrio suo, vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est.* Illud quoque Lectorem admoneo, varietates istas interpretationum, quæ à nobis congestæ sunt, depromptas esse ex exemplaribus duobus totius terrarum orbis optimis, nobilissimis, ac longe vetustissimis, *Romano* ac *Alexandrino*, inter se collatis & consentientibus, prout leguntur in Bibliis *Waltonianis*. Neque illud tacuerim, *B. Hieronymum*, cujus testimonio lectiones plerasque confirmavimus (confirmaturi & plures, si opus fuisset) in codicibus Græcis optimis consulendis curiosissimum fuisse, & usum aliquando fuisse ipsius *Origenis* correctissimo exemplari, quod in Bibliotheca *Cæsariensi* repositum est.

Finem his, & libro, imponam, si prius addidero, ex exemplis illis, quæ habentur in *Sectionibus* 18. 23. 47. 55. 58. 59. 70. 74. 88. 107. 110. 112. 113. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 144. 147. 148. 149. 153. 154. 156. 167. 175. perspicue colligi posse, non libros modo reliquos, sed & ipsam *Legem Mosaicam* à diversis Interpretibus, & sine ullo communi totius operis examine, translatam fuisse. Quod quidem vel exinde satis confirmatur, quod reperiuntur tot & tantæ hallucinationes, non modo in libris cæteris, verum etiam, fatente *Masio*, in ipsis *Mosaicis*. Doctiores quidem Interpretes nactus est *Moses*, sed qui ipsi quoque fœlicius Spartam suam ornassent, si vel omnes conjunctim, quotcunque fuerint, Versioni operam dedissent, vel singuli cæterorum pensa ad examen revocassent.

LIBER III.

HISTORIA SCHOLASTICA

HEBRAICI TEXTUS,

VERSIONUMQUE GRÆCÆ

ET LATINÆ VULGATÆ,

Qua oftenditur, Qualis fuerit fingulorum auctoritas per omnia retro fecula.

PARS I.

In qua tractatur De opinionibus & praxi Judæorum, Scriptorum facrorum Teftamenti Novi, & Ecclefiæ Græcæ.

CAP. I.

De opinionibus & praxi Judæorum.

Traditionem de Jejunio Hierofolymis inftituto ob Legem Græce converfam, fabulofam effe, contra Scaligerum. 1. *Apud* Hierofolymitanos *Scripturarum maxime* Hebraicarum *viguiffe ufum.* Jofephum *non fuiffe Hebraice ignarum, fed textum Heb. potiffimum fecutum fuiffe, contra* Bochartum. *&c.* 2. Hellenistas *Verfionem* Græcam *in Synagogis lectitaffe, contra* Lightfootum. Philo Judæus *an linguæ Heb. expers.* Scaligeri *error de Judæis* Igrikin. Salmafii *de* Hellenistis *errores varii. Item* Croii. Moynæi *hallucinatio. Judæi quando primum Verfionem Græcam tanquam erroneam damnare cœperint.* 4. *&c.* Aquilæ *Verfio à Judæis maxime recepta. De δευτερώσεσι five Traditionibus* Mifnicis. 5. Simonii *fententia improbata.* 6. *necnon* Voffii. 7. *Judæorum recentiorum de Verfionibus Græca & Lat. Vulg. fententiæ.* 8.

[a] De LXX. Int. c. 1.

CUM *omnes Judæi* (inquit [a] If. Voffius) *qui ante Chriftum, aut everfas Jerofolymas vixere, Ariſteas inquam, Eupolemus, Philo, & Jofephus; omnes præterea omnium locorum & temporum Chriftiani ufque ad noftram fere ætatem: ipfi denique Evangeliftæ & Apoftoli veritatem tranflationis* LXX. *agnoverint; mirifice mihi animati videntur, qui* LXX. *Interpretibus, omnibufque antiquis Judæis, hodiernos opponunt Rabbinos: qui unum Hieronymum cum univerfa committunt Ecclefia: qui paucos nefcio quos feculi noftri homunciones, Chriftianos quidem, fed nimium* Ῥαββινομανεῖς, *ipfis Apoftolis & Evangeliftis præferendos effe contendunt.*

[b] Cap. 30.

Rurfus: [b] *Sola hæc Verfio fincera eft & ἀναμάρτητος, approbata à vetuftiffimis Judæis, ab Evangeliftis & Apoftolis, & ab univerfa primitiva Chrifti Ecclefia. —— Firma & illibata maneat* LXX. *virorum interpretatio, abrogatifque*

gatifque

gatisque temerariis præsentis seculi judiciis fruatur in posterum ea prærogativa, quam & Apostoli & universa antiqua Ecclesia ac ipsi quoque antiquiores Judæi æternum sancivere. Hæc Vossius in libello *De translatione* LXX. *Interpretum* inscripto. In Responſ. ad Christ. Schotanum: *vel unum* (inquit) *in tota Græca Ecclesia ab Apostolicis temporibus usque ad hanc nostram ætatem nominet, qui ad Codicem Hebraicum confugerit, quique non firmissime Græcæ adhæserit translationi, eorumque non probarit calculum. Sed nec Latinorum quidem aliquis primis quatuor seculis de eo dubitavit. Ne ipse Hieronymus, quantumvis æquo addictior sui seculi Judæis, ausus fuit improbare Chronologiam* LXX. *Interpretum.* —— *E Græcis ne unus quidem repertus fuit qui non improbarit Hebraici Codicis lectionem. Ant. Hulsio*, postulanti ut ostenderet vel unum in tota veteri Ecclesia qui relicto Codice Hebræo ad LXX. Interpretum Versionem recurrendum censuerit, sic respondet: *Adeone fatuus sim, ut omnium Ecclesiarum omniumque Patrum pertexam catalogum, cum omnes unam duntaxat* LXX. *Intt. versionem agnoverint & adprobaverint?* Eodem opusculo contra *Hulsium* edito, asserit *omnes quotquot sunt Patres, si unum exceperis Hieronymum, Versionem* LXX. *Intt. tanquam unicam sequi cynosuram. Nunquam ad Hebræa exemplaria provocare.*

Consimilia habet *Jo. Morinus*: *Patres ad unum omnes translationem istam authenticam, sanctam, & divinam esse asserere*, ait in [a] Opere *Exercitationum*. [b] Ibidem affirmat Scripturas LXX. Interpretum *solas per universum orbem Canonicas habitas fuisse.* Præfatione in LXX. Versionem: *Neque tantum Ecclesia Christiana ea fovente & obstetricante nata est; sed tenella facta, nullo alio verbi divini lacte quam ex hac translatione expresso potata & educata est, nullo alio cibo sustentata adolevit, brachiaque per universum orbem porrexit.* Ibid. *Omnes sancti Patres, quotquot fuerunt, (si unum excipias Hieronymum, qui hac de re varie aliquando sentire videtur)* LXX. *Interpretum Versionem sanctam, propheticam, canonicam, divinam, atque omni ex parte ἰσότιμον crediderunt: nihil in ea abundare, nihil deficere, nihil additum, nihil expunctum, aut ab Hebræo textu diversum, quod mirabili & prophetico Spiritus S. impulsu & ἐνθουσιασμῷ dictatum non fuerit, ubique & privatim, & publice prædicaverunt. Hæc fuit Ecclesiæ Christianæ fides, hæc Apostolica traditio, hæc Patrum omnium Græcorum & Latinorum sententia.* Sic in *Diatribe Elenctica de sinceritate Hebræi Græcique textus* cap. 12. ait *Patrum ne unum quidem esse qui Versionem illam divinam & authenticam non affirmet.*

[a] Lib. 1. Exercit. III. c. 4. § 1.
[b] Exerc. 4. c. 1.

En quanta hi cum fiducia, quantique Viri! Quis sanum, qui contra tam rapidum auctoritatis flumen natare velit, crederet? Atqui moris nostri est, non temere quibusvis pronas aures accommodare, & usu satis longo didicimus, in rebus majoris momenti solis oculis hisce fidere, non dictis utcunque audacibus aut magnificis aliorum. Creberrime sane sum ego expertus, quam levis sit hominum multorum, cætera licet doctorum, magnique nominis, auctoritas. Ut veritas tandem pateat, utque quanti habebantur apud Veteres, & *Hebraicus* textus, & Versio LXXviralis, & *Latina* etiam *Vulgata*, extra omnem dubitandi aleam ponatur, eorum singulorum historiam diligenti studio, nec minori fide, per omnia secula deduxi. In ea autem pertexenda, ostendo

1. Qualis fuerit auctoritas Textus *Hebraici* Versionisque *Græcæ* apud *Judæos* veteres, cum *Hebraizantes*, tum *Hellenistas*.
2. Quænam fuit de illis sententia *Apostolorum* & *Evangelistarum*.
3. Qualis praxis & opinio fuerit Ecclesiæ Christianæ ab ævo Apostolico ad hæc usque tempora. Et hic inquirimus primo de Ecclesia *Græca*, inde de *Latina*.

Ne quid vero desiderare quis possit in hoc opere, passim quoque suis locis indicatur, quid de *Græci* textus *Testamenti Novi*, Latinæque ejusdem interpretationis auctoritate statuerint decreveriutque Scriptores *Latini*.

1. De *Judæis* primo inquirendum est. Antiqniores Judæos *Hellenistas*, id est, eos qui in Græcis civitatibus degentes, linguam Græcam vernaculam habuerunt, & Græca Versione Scripturarum usi sunt, existimasse Versionem Græcam *Legis Mosaicæ*, fide & peritia maxima absolutam fuisse, nec à Textu Hebraico ulla in re discrepasse, colligitur ex illis quæ de ea fabulatur *Pseudo-Aristeas*. Eos tamen partes primas detulisse Textui Hebraico, & credidisse Versionem tum Legis Mosaicæ, tum librorum reliquorum, ad illius dignitatem non assurrexisse, sed elegantia ei cessisse, patet ex *Ecclesiastici* Procemio, ubi Interpres seipsum inde excusat, quod *& ipsa Lex, & Prophetæ, & cæteri libri*, cum Textu Hebraico comparati, ***non parvam habeant differentiam.*** Circa tempus Incarnationis Christi, vel paulo ante, inter Judæos *Alexandrinos* invalescere cœpit opinio, de eo quod Lex Mosaica divini Spiritus afflatu in Græcum conversa sit. Et incunte seculo post Christum natum *secundo* fabellam novam texuerunt iidem Judæi *Alexandrini* de LXXII. *Cellulis*, in quibus *Lex Mosaica* à totidem Viris separatim, & tamen concorditer, fuerit translata[a].

Apud multos etiam ex Judæis *Hebraizantibus* increbuit non modo fabula *Aristeana* de Versione facta ab Interpretibus LXXII. à Pontifice Hierosolymis Alexandriam missis, sed & altera ista recentior de Cellulis LXXII. & multi etiam *Hebraizantium* Propheticum eis Spiritum attribuunt. [c] *Abrahamus Bzovius* asserit *constare* Versionem Græcam à Judæis *ad diversarum Synagogarum principes missam, atque ab omnibus æque probatam receptamque fuisse.* Sed hoc apud veteres nusquam reperies. Apud alios aliæ & prorsus pugnantes invaluerunt traditiones, in quibus est illa de caligine triduana [d] nniverso orbi immissa, Jejunioque solenni [e] instituto, ob Legem Græce conversam. Et sunt inter illos, qui factum illud piaculo *Vituli aurei* comparare non dubitant. Ob hanc Versionem, si *Jos. Scaligero* credimus, inter Judæos *Hebraizantes* & *Hellenistas* exarsere semper magnæ simnltates ac lites. Ipsum audi ad Num. Eusebianum MDCCXXXIV. "Qui hanc admirantur (inquit) tanquam "verissimam, sciant hanc Translationem Alexandrinam adeo Judæis "Hierosolymitanis execratam fuisse, ut solenne jejunium & angariam "instituerint VIII. die Tebeth, propter Legem in profauum sermonem "converſam, & ex illa, ut ipsi putant, Alexandrinorum audacia tridui "tenebras per universum orbem incubuisse fabnlentur. ——Propter "hanc Interpretationem nunquam inter Hebræos & Hellenistas bene "convenit. Et sane, quamvis quidam ex utroque Judæorum genere "nomen Christo dedissent, & ex illo Christianæ charitatis vinculo eo-"rum animos coalescere, simultates veteres sopiri oportuerat, tamen "fieri non potuit, quin inter Ἑλληνιστὰς & Hebræos secundum priscam "consuetudinem dissentiones orirentur. Actorum VI. 1. Qui locus vul-"go pessime intellectus. Nam ἑλληνίζειν est Græca lingua uti. Et in-"de omnis Judæus, qui à sinistris dextrorsum legit, in Talmud vo-"catur הקורא גפטית ἀναγινώσκων Αἰγυπτιστὶ, legens Ægyptiace, hoc est, "ut Glossa habet, למפרע ἀνάπαλιν, præpostero ordine, ut Græcienses "& Ἑλληνισταὶ Judæi, qui Græce tantum legebant, non etiam Hebraice. "Hoc etiam aliter dicebatur נתרליים. Et qni, ut Græci, scribit, is di-"citur נתרלי. Hi enim Judæi sola Biblia Græca in Synagogis legebant "per totam Ægyptum, Græciam, & Italiam. Et vix in mille Judæis "unus reperiebatur, qui Hebraice legeret. ——Ἑλληνισταὶ ergo iu N. T.

"multum

a Vide supra l. 2. c. 6. §. 1.

b Vide supra l. 2. c. 6. §. 2.

c Annal. an. D. 231.

d Vide ibid. c. 4 §. 23.

e Vide ibid.

"multum differunt ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων. Ἕλληνες sunt pagani, Ἑλληνισταὶ Judæi "Græcis Bibliis in Synagogis utentes. —Porro Ἑλληνισταὶ, quamvis ter "quotannis in tribus solennibus, quæ Hebræi חַגִּים, ipsi vero μεγάλας "ἡμέρας vocabant, aut ibant Hierosolyma, aut eo mittebant, & nulla "alia re ab Hierosolymitanis differebant, præterquam solo sermone, "quo utebantur in Synagogis, tamen magno in odio Hebræis erant "tum propter hanc τὴν διάφορον Ἑλληνίδα, quam Hebræi, ut diximus, "קְרִיאָה לְמַפְרֵעַ *lectionem retrorsam* vocant, tum etiam propter Templum "ab Onia quondam in Heliopolitana Præfectura constructum. Ita-"que quum amplissimam Synagogam Hierosolymis haberent, quoti-"die aut jurgia, aut verbera, aut cædes inter utrumque genus Judæo-"rum exoriebantur. In fine Capitis II. Megillah, in Postilla, ex ver-"bis R. Juda narratur R. Eleazarum filium Sadok Synagogam Alexan-"drinorum, id est Hellenistarum, quæ erat Hierosolymis, invasisse, "& in eam effudisse quicquid libido & splendida bilis suggessisset. Tem-"pore Benjamin Tutelensis Alexandriæ erant duo genera Judæorum, "Babelaim & Igrikin, id est Babyloniorum, & Græcorum: quæ pro-"fecto est differentia Hebræorum & Hellenistarum, quamvis hodie ἐξ "Ἑλληνίζοντ, quos, ut dixi, certissimum est olim, & per totam Ægyptum, "& Europam, sola Biblia Græca in Synagogis legere solitos." Hucusque *Scaliger*. Cui ego illud minime assentior, fuisse revera *Jejunium* tale institutum, aut fuisse inter Judæos illorum temporum simultates tantas ob Legem in aliam linguam translatam, cum *Josephus* Historicus, ipse Judæus *Hierosolymitanus*, Vir magnus atque eruditus, idemque *Sacerdos*, de Græca Versione, totoque interpretandi negotio, ex *Aristea* tam magnifice loquitur. Et ignotum fuisse *Jejunium* illud omnibus istis Judæis *Hebraizantibus*, quos alibi ostendimus Propheticum & Divinum afflatum Interpretibus tribuere, conspicuum est. Quinetiam ipsa *Gemara Babylonica* recentius fuisse, apparet ex illis quæ scribunt *Gemaristæ* in loco, qui à multis citatur ex Tractatu *Megilla* cap. 1. §. 8. de *R. Symeone Gamalielis F.* æquali ipsius *Josephi*, & ab eo in *Vita* commemorato, quod Scripturas *Græce*, licet non in aliis linguis, describi atque legi, fas esse concesserit. *In eo quidem differunt sacra Biblia à Phylacteriis & schedulis januæ, quod illa omni quidem charactere dialectoque scribi liceat; hæc autem literis duntaxat Assyriacis exarantur. Veruntamen in ea fuit sententia Raban Symeon filius Gamalielis, sacram Scripturam literis duntaxat Græcis describi prælegique fas esse, non exoticis linguis.* Addunt Doctores *Gemarici* hoc decretum *Symeonis Gamalielidæ* de *Pentateucho* solo valere, non de reliquis libris: nempe quia sub Ptolemæo Pentateuchum solum (id quod res erat) translatum fuisse existimabant. Sic in utroque *Talmude*, cum *Hierosolymitano* tum *Babylonico*, Tract. *Megilla*, legitur *R. Judam dixisse, cum etiam permiserunt Magistri nostri linguam Græcam, non permiserunt nisi pro libro Legis, atque inde ortum est opus Ptolemæi Regis. &c.* Neque alii modo complures *Rabbini*, sive Judæi *Hebraizantes*, Propheticum Spiritum Interpretibus ascribunt, sed & ipsi *Talmudici*. Adde, quod [a] *Maimonides*, Jejunia gentis suæ enarrans, istud, de quo loquimur, totamque illius historiam præterit, licet nonnullorum aliorum causas fabulosas, & evidentissimis historiis contrarias eodem loco persequatur. Quod antem in hodiernis Judæorum *Calendariis* fiat mentio istiusmodi *Jejunii*, id nullius plane ponderis est. Nam etiam de *Festo* quodam in eisdem Calendariis legimus, cui nihil fundamento erat præter mendacium quoddam perridiculum. Ad XXVI. *Sivan*, sive *Maii*: *Festum, Ægyptii coram Alexandro causa cadunt.* Cujus Festi rationem hanc assignant Rabbini: Hac die (inquiunt) apud Alexandrum M. conquesti sunt Ægyptii contra Judæos, illorum

[a] Morinus l. 1. Exerc. 8. c. 3.

illorum olim majores, quo tempore de Ægypto exierint, majores suos ingenti copia gemmarum, auri, & argenti spoliasse. Supplicant ergo ut omnia jam rependere cogerentur Judæi: Alexandro, ut litem componeret, Judæorum quosdam ad dicendam causam evocante, causantur ii contra Ægyptios, se paratos esse rerum omnium, quas auferre dicebantur, pretium restituere, si modo sibi penderent Ægyptii quod debebant pro servitio à Judæis sexies centum mille per annos 400. præstito. Hoc responsum tam aptum & appositum visum esse, ut tergum illico dare & à tribunali aufugere consultum ducerent Ægyptii, & à Rege statim Judæi absolverentur. In memoriam (inquiunt) hujus rei Festum antedictum institutum est.

Nec eorum moramur auctoritatem, qui orationem sive preces annuas pro illo Jejunii die composuerunt, inque Judæorum Euchologiis inseruerunt: in qua oratione angustia Judaici spiritus propter Legem Græce translatam describitur, ut videre est in libro, cui tit. *Farina ex frumento tosto*, à Morino citato.

Rabbinis solenne est, uti recte observat [a] *Morinus*, cum eorum unus magnæ auctoritatis aliquid deliravit, delirium mox amplecti, & mordicus tueri. Hinc ut istud figmentum de Jejunio instituto vulgo creditur apud Judæos, sic nuperi quidam eorum Rabbini [b] frustra & inaniter laborant ut istius rei rationem reddant. *Videtur mihi*, inquit Azarias in Imre Binah, *omnibus consideratis horum alterum esse dicendum. Aut quod ipsi Sapientes delecti ad profectionem istam indixerunt jejunium & festum universæ Congregationi, ut fecit Esther, cum profecta est ad Regem; fecit quoque Philo Alexandrinus, cum profectus est orator pro populo suo apud C. Cæsarem, propter idolum, ut manifestum est ex libro ejus. Et propterea dicitur, quod tenebræ tunc operuerunt faciem Judæorum timentium, scil. ne pudore confunderentur legati eorum, peccatique & infamiæ rei deprehenderentur. Aut dicendum est quod timebant ne justitia & misericordia, quam in hoc præstabat Ptolemæus, similis esset ei de qua loquuntur Sapientes nostri in Cantico Canticorum magno, quæ facta est peccatum Israeli: Sicut etiam dixerunt quarta Sectione Sanhedrin, cum explicant hæc verba, & obtulit eum in holocaustum, fuitque indignatio &c.* Luctus igitur & jejunii ratio fuit, ne Judæis male verteretur hoc Ptolemæi studium; vel ut Deus hoc Ptolemæi, Sapientumque Judæorum consilium prosperaret. *Gedalias* in Catena Cabbalæ: *Videtur mihi, quod hoc vult dicere tractatus Sophrim* (ubi Jejunii tenebrarumque mentio) *quod propter vehementiam timoris Judæorum jejunia fecerunt & orationes, & obscurata est facies eorum, sicut fuerunt in diebus Haman.* Cæterum hujus rei rationem certo sibi non constare ait. Alii [c] conjecturam tertiam promunt, Auctor *Additamentorum Talmudicorum*, & *Salomon Jarki*, Ptolemæum scil. irridendæ ac traducendæ Legis occasionem quæsivisse: reformidasse præterea Judæos Hæreticorum odium, qui recens ab iis sese separaverant, Samaritanis se conjunxerant, templumque sibi in monte Garizim ædificaverant. Ne igitur istis de causis sinistri aliquid iis accideret, dies istos lugubres duxisse, atque ab eo tempore octavum diem mensis Tebeth jejunio consecratum esse.

2. Apud Judæos *Hierosolymitanos* Scripturarum maxime *Hebraicarum* viguit usus. Hinc *Flav. Josephus*, etsi in aliquibus Versionem Græcam sequi videatur, ex textu tamen potissimum *Hebræo Antiquitatum* suarum opus contexuit. Scio non deesse, qui statuunt illum *Antiquitates* suas composuisse prorsus ex Græca Versione, & Hebraicæ linguæ plane imperitum fuisse. *Quis minus quam Josephus Judæorum Hebraice doctus? Quis Græce magis?* inquit [d] Salmasius. *Josephum sequi Græcam Versionem palam est*, ait [e] *Bochartus*. [f] *Lud. Capellus* affirmat illum *in lingua Hebraica infantem*

[a] Exercit. 8. lib. 1. c. 3.
[b] Apud Morinum ibid.
[c] Ibid.
[d] De lib. Hellenist.
[e] Phaleg II. 13.
[f] Criticæ Defens.

infantem plane fuisse, si modo quid omnino Hebraice scivisse dicendus est. Rectius [a] *R. Abarbinel*, cum dicit illum *SÆPIUS sequi numerum annorum alicujus ætatis juxta errores Interpretum* LXX. *eorumque confusiones. Josephus Romanorum* (inquit *R. Azarias*, hoc titulo distinguens [b] cum à *Josepho Gorionide* Hebræo) *lib.* 10. *c.* 11. *cum enumerat omnes annos mundi, in iis qui fuerunt ab Adamo usque ad Noachum, sequitur Versionem* LXX. *quæ tunc vulgo recepta erat in populis, scribit quomodo anni ejus* (Templi) *fuerint* 470. *Libro autem* 20. *c.* 8. *videtur accuratius expendere, cum supputat illos* 466½. Paulo post: *Non autem accingam lumbos meos ut curram post calculum Josippi memorati, atque examinem æram illius, eo minus quod videam Sapientes Christianorum ab eo discedere. Neque enim longius petierit quis ejus apologiam, si placuerit dicere quod iste error provenerit ab Interpretibus libri.* Falli autem omnino illos qui *Josephum Hebraice* nescivisse, & ex Græca Versione ubique scripsisse existimant, ipsiusmet testimonio luculentissimo constat. Afferit enim non semel, se Historiam *Antiquitatum* ex ipso *Hebræo* confecisse, seque *Hebraicæ* Scripturæ esse tantum *Interpretem.* Antiquitatum Procemio: Ταύτην δὲ τὴν ἐνεστῶσαν ἐγκεχείρισμαι πραγματείαν, νομίζων ἅπασι φανεῖσθαι τοῖς Ἕλλησιν ἀξίαν σπουδῆς. μέλλει γὰρ περιέξειν ἅπασαν τὴν παρ' ἡμῖν ἀρχαιολογίαν, καὶ τὴν διάταξιν τοῦ πολιτεύματος ἐκ τῶν Ἑβραϊκῶν μεθηρμηνευμένην γραμμάτων. *Præsens vero opus aggressus sum, ratus Græcis omnibus cognitu non injucundum fore. Complectetur enim universam nostræ gentis antiquitatem, formamque reipub. ex* Hebraicis *literis translatam.* Subdit, se *vires animumque resumpsisse, simul hac quoque reputatione non leviter permotum, quod & (inquit) Majores olim nostri exteris sua benigne communicaverunt, & Græcorum nonnulli vehementi res nostras cognoscendi studio flagraverunt.* Et postquam addidisset *Legem* Ptol. Philadelphi petitione & auspiciis, cum consensu Eleazari Pontificis, in Græcum conversam fuisse, subnectit: *Proinde mihi quoque convenire duxi, ut & Pontificis nostri imitarer magnanimitatem: & hodie quoque Regis illius multos persimiles putarem, duntaxat quod ad discendi cupiditatem attinet. Neque enim totam Scripturam occupavit, sed Legem solam ei tradiderunt Interpretes, qui ob hoc Alexandriam missi fuerant.* Lib. 10. cap. 11. *Nemo* (inquit) *mihi vitio debet vertere, quod hæc* (de *Nabuchodonosoro*) *ita ut in antiquis libris invenio, scriptis meis infero. Talibus enim criminationibus dudum occurri in initiis hujus Historiæ, palam profitens me tantum Hebraicorum voluminum in Græcam linguam interpretem: & quæ illic continentur bona fide relaturum me promisi, nec addentem quicquam de meo, nec auferentem etiam.* Contra Apionem lib. 1. Τὴν μὲν γὰρ Ἀρχαιολογίαν, ὥσπερ ἔφην, ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων μεθηρμήνευκα, γεγονὼς ἱερεὺς ἐκ γένους, καὶ μετεσχηκὼς τῆς φιλοσοφίας τῆς ἐν ἐκείνοις γράμμασι. *Antiquitatis namque libros (sicut dixi) ex voluminibus sacris interpretatus sum, cum essem genere Sacerdos, & participarem illarum sapientiam literarum.* Antiquitatum fine, indicat se *Græcam* Linguam post *Hebræam* addidicisse: *Pari diligentia Regum quoque res ordine tradidimus, & status reip. monarcharumque potentiam, per omnia secuti auctoritatem sacrorum voluminum, ita ut à principio sumus polliciti. ausimque addere, quod nemo alius scriptor Judæus, externusve potuisset hoc argumentum tanta fide Græcis hominibus prodere. Ego enim tribulum meorum confessione disciplinas patrias egregie calleo: Græcanicarum quoque literarum studio me dedi, Grammaticæ non imperitus, quamvis exquisitam pronunciandi rationem assequi per patriam consuetudinem non licuit. Nostri enim homines non suspiciunt eos, qui multas perdidicerunt linguas, quod studium profanum apud eos habetur, & servis commune cum ingenuis. Solos autem sapientes suo suffragio pronunciant, qui Legis & sacrarum literarum tantam assecuti sunt peritiam, ut eas etiam interpretari valeant. Qua in re cum multi collocarint operam, vix uni successit atque alteri, quibus mox dignum*

[a] Comment. in Dan. ap Vorstii not. in *Ganzium.*

[b] Cap 35. libri *Meor Enajim* quod pene integrum habetur ap *Vorstii* not. in *Ganzium.*

gnum præmium contigit. Ἐγὼ γὰρ ὁμολογούμενος παρὰ τῶν ὁμοεθνῶν πλεῖστον αὐτῶν κατὰ τὴν ἐπιχώριον παιδείαν διαφέρειν, καὶ τῶν Ἑλληνικῶν δὲ γραμμάτων ἐσπούδασα μετασχεῖν, τὴν γραμματικὴν ἐμπειρίαν ἀναλαβών, τὴν δὲ περὶ τὴν προφορὰν ἀκρίβειαν, πάτριος ἐκώλυσεν συνήθεια. &c, Quinetiam in Procemio *Belli Judaici* ait se Historiam istam prius *lingua patria*, hoc est *Hebraica* sive *Syro-Chaldaica* edidisse. προὐθέμην ἐγὼ τοῖς κατὰ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν, Ἑλλάδι γλώσσῃ μεταβαλὼν ἃ τοῖς ἄνω βαρβάροις τῇ πατρίῳ συντάξας ἀνέπεμψα πρότερον, ἀφηγήσασθαι. *Idcirco statui, quæ retro barbaris antea misi, patria lingua digesta, Græce nunc his, qui Romano imperio reguntur, exponere.* In *Antiquitatibus* illum secutum fuisse ipsum textum maxime *Hebraicum*, res ipsa docet. Hinc enim (ut alia multa missa faciamus) in Ægypti plagis [a] pro σκνίπες, vermiculis quibusdam ligna erodentibus, quos ponunt Interpretes Græci, cum *Artapano*, *Ezechiele* Trogœdo, Versioneque Latina vulgata, quæ *scinephes* habet; [b] *Josephus* ait in φθεῖρας, *pediculos*, conversum fuisse pulverem: nimirum vocem כנים aliter ac illi, sed *Anglis* nostris consonanter, vertens. Non deest tamen, ubi Versionem sequitur etiam ab Hebræo discrepantem: Nam Rex Judæorum *Amon*, *Manassis* successor, qui à LXX. dicitur Ἀμώς, ab eo quoque Ἀμώσης nominatur. *quod quis non miretur*, ait *Scaliger* ad *Euseb.* num. MCCCLX. At solet quidem in Nominibus propriis Versionem sequi. Hinc ei *Josephi* nomen Ægyptiacum Ψονθομφανήχ. De *Josepho*, quod Hebraice non nesciit, vide plura apud *Is. Vossium Castigat. ad scriptum G. Hornii de ætat. Mundi* cap. 3. *Auctario Effug.* 20. *Epist. ad And. Colvium*: & *Respons. ad Ant. Hulsium* cap. 20.

[a] Exod. VIII. 17, 18.

[b] L. 2. c. 14. § 3.

Cum dicit *Josephus* se ex *Voluminibus sacris*, quæ scribit, *interpretatum fuisse*, UTPOTE *Sacerdotem*, *&c.* non obscure subindicat *Sacerdotes Hierosolymitanos* literarum *Hebraicarum* generaliter gnaros fuisse, Voluminibusque *Hebraicis* exercitatos: quamvis admodum pauci, *vix unus & alter*, uti ait, extiterint, qui ea, cum laude, interpretari valuerint.

3. Negant nonnulli Judæos *Hellenistas* (quos vocamus) Versionem Græcam in Synagogis prælegisse. Errore manifesto. Hoc patet enim,

1°. Ex *Tertulliani* testimonio, cujus verba hæc sunt: [c] *Sed quo plenius & impressius tam ipsum* (Deum) *quam dispositiones ejus & voluntates adiremus, instrumentum adjecit literaturæ* (scil. S. Scripturam) *si quis velit de Deo inquirere, & inquisito invenire, & invento credere, & credito deservire. Viros enim justitia & innocentia dignos Deum nosse & ostendere, à primordio in seculum emisit Spiritu divino inundatos, quo prædicarent Deum unicum esse. —— Quos diximus prædicatores Prophetæ de officio præfandi vocantur: voces eorum itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris literarum manent, nec istæ nunc latent. Ptolemæorum eruditissimus, quem Philadelphum supernominant, & omnis literaturæ sagacissimus, cum studio Bibliothecarum Pisistratum, opinor, æmularetur, inter cætera memoriarum, quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, ex suggestu Demetrii Phalerei Grammaticorum probatissimi, cui præfecturam mandaverat, libros à Judæis quoque postulavit, proprias atque vernaculas literas, quas soli habebant: ex ipsis enim & ad ipsos semper Prophetæ peroraverant, sc. ad domesticam Dei gentem ex patrum gratia. Hebræi retro qui nunc Judæi. Igitur & literæ Hebrææ, & eloquium. Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemæo à Judæis subscriptum est, septuaginta & duobus Interpretibus indultis, quos Menedemus quoque Philosophus providentiæ vindex de sententiæ communione suspexit. Affirmavit hæc vobis etiam Aristæus: ita Græcum stilum ex aperto monumenta reliquit. Hodie apud Serapeum, Ptolemæi bibliotheca cum ipsis Hebraicis literis exhibentur. Sed* ET JUDÆI PALAM LECTITANT. *vectigalis libertas. vulgo aditur sabbatis omnibus. qui adierit, inveniet Deum. qui etiam studuerit intelligere, cogetur & credere. Primam*

[c] Apol. c. 18.

mam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat. Haud sine rationis specie dubitant eruditorum nonnulli, utrum *Græcam Versionem* in Synagogis Judæorum lectitatam fuisse voluerit his verbis *Tertullianus*; sed cum verba attentius ad examen revoco, in eorum eo sententiam, qui de ipsa Græca Versione Tertullianum intelligunt. Hunc illius sensum esse, elicio ex verbis istis: *nec istæ nunc latent. — Sed ne notitia vacaret &c. qui adierit, inveniet Deum.* De *adeundis* Scripturis Judæorum *Hebraicis*, apud *Græcos* & *Romanos* vix verba fecisset *Tertullianus*, cum Scripturas nisi translatas non potuerint illi *adire*. Verborum istorum; *hodie apud Serapeum, Ptolemæi bibliothecæ cum ipsis Hebraicis literis exhibentur*, hunc sensum esse puto; *in bibliotheca Ptolemæi, quæ apud Serapeum est, asservantur* [1] *Scripturæ Judaicæ ab Interpretibus* LXXII. *conversæ.*

2°. Ex auctoritate S. *Justini Martyris*. Is Græcorum sapientum scripta vetustissima, libris Mosis recentiora fuisse demonstrans hoc argumento, quod composita sunt literis Græcis quæ à Cadmo post Mosis tempora, in Græciam allatæ sunt, ostendit Mosis & Prophetarum libros non literis Græcis compositos fuisse, sed ex lingua Hebraica in Græcam fuisse sub Ptolemæo conversos, subjungitque, [a] εἰ δέ τις φάσκοι τῶν προχείρως ἀντιλέγειν εἰθισμένων, μὴ ἡμῖν τὰς βίβλους ταύτας, ἀλλὰ Ἰουδαίοις προσήκειν, διὰ τὸ ἔτι καὶ νῦν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν σώζεσθαι, καὶ μάτην ἡμᾶς ἐκ τούτων φάσκειν τὴν θεοσέβειαν μεμαθηκέναι λέγοι, γνώτω ἀπ' αὐτῶν τῶν ἐν ταῖς βίβλοις γεγραμμένων, ὅτι οὐκ αὐτοῖς, ἀλλὰ ἡμῖν ἡ ἐκ τούτων διαφέρει διδασκαλία. τὸ δὲ παρ' Ἰουδαίοις ἔτι καὶ νῦν τὰς τῇ ἡμετέρᾳ θεοσεβείᾳ διαφερούσας σώζεσθαι βίβλους, θείας προνοίας ἔργον ὑπὲρ ἡμῶν γέγονεν. ἵνα γὰρ μὴ ἐκ τῆς ἐκκλησίας προκομίζοντες, πρόφασιν ῥᾳδιουργίας τοῖς βουλομένοις βλασφημεῖν ἡμᾶς παράσχωμεν, ἀπὸ τῆς τῶν Ἰουδαίων συναγωγῆς ταύτας ἀξιοῦμεν προκομίζεσθαι, ἵνα ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔτι παρ' αὐτοῖς σωζομένων βιβλίων, ὡς ἡμῖν τὰ πρὸς διδασκαλίαν ὑπὸ τῶν ἁγίων ἀνδρῶν γραφέντα δίκαια σαφῶς καὶ φανερῶς προσήκει, φανῇ. *At si quis eorum qui temere contradicere consueverunt, nobis objiciat, non nostros hos esse, sed Judæorum libros, eo quod ad hoc usque tempus in Synagogis eorum asserventur: & per vanitatem nos jactare religionem ex eis hausisse dicat, is scire debet, ex rebus ipsis quæ in libros hosce sunt relatæ, non ad Judæos, verum ad nos Christianos doctrinam eorum pertinere. Nam quod etiam nunc apud Judæos pietatis nostræ libri asservantur, divinæ id de nobis opus est Providentiæ. Ne enim ex Ecclesia eos proferentes, occasionem quasi suppositi à nobis aut corrupti sint, maledictis nos incessere volentibus præbeamus, ex illorum Synagoga producimus, ut ex ipsis huc usque apud eos conservatis libris ad nos nostramque doctrinam à sanctis viris edita jura liquido & manifesto pertinere appareat.* Quamvis ex hoc loco non satis evidenter id quod asserimus apparet, quia dici hæc omnia potuerunt de Scripturis Judæorum *Hebraicis*; qui tamen attentius expenderit ista verba: *Ne enim ex Ecclesia eos proferentes occasionem quasi à nobis corrupti sint &c.* haud ægre concedet, voluisse *Justinum* in Judæorum *Synagogis* ipsa Græca Exemplaria lecta fuisse. In alio loco apertius loqui videtur. [b] καὶ τούτων οἱ ἐν Ἰουδαίοις κατὰ καιροὺς γενόμενοι βασιλεῖς, τὰς προφητείας ὡς ἐλέχθησαν ὅτε προεφητεύοντο, τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν Ἑβραΐδι φωνῇ ἐν βιβλίοις ὑπ' αὐτῶν τῶν προφητῶν συντεταγμένας κτώμενοι, περιεῖπον. ὅτε δὲ Πτολεμαῖος ὁ Αἰγυπτίων βασιλεὺς βιβλιοθήκην κατεσκεύαζε, καὶ τὰ πάντων ἀνθρώπων συγγράμματα συνάγειν ἐπειράθη, πυθόμενος καὶ περὶ τῶν προφητειῶν τούτων, προσέπεμψε τῷ τῶν Ἰουδαίων τότε βασιλεύοντι Ἡρώδῃ, ἀξιῶν διαπεμφθῆναι αὐτῷ τὰς βίβλους τῶν προφητειῶν. καὶ ὁ μὲν βασιλεὺς Ἡρώδης τῇ προειρημένῃ Ἑβραΐδι αὐτῶν φωνῇ γεγραμμένας διεπέμψατο. ἐπειδὴ καὶ οὐκ ἦν γνώριμα τὰ ἐν αὐταῖς γεγραμμένα τοῖς Αἰγυπτίοις, πάλιν αὐτὸν ἠξίωσε πέμψας τοὺς μεταβαλοῦντας εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν ἀνθρώπους ἀπο-

[a] Ad Græcos Cohort. p. 14.

[b] Apolog. 2. pag. 72.

1 *Literæ* pro *scriptis* apud Ciceronem ad Attic. Quod meis omnibus literis in Pompeiana laude esset perstrictus; id est, meis omnibus scriptis. Et *Hebraica* pro *Judaicis*, ut *Hebrææ terra* pro *terra Judæorum* apud Tacitum.

σεῖλαι. καὶ τούτου γενομένου, ἔμειναν αἱ βίβλοι καὶ παρ' Αἰγυπτίοις μέχρι τοῦ δεῦρο, καὶ πανταχοῦ παρὰ πᾶσίν εἰσιν Ἰουδαίοις· οἱ καὶ ἀναγινώσκοντες οὐ συνιᾶσι τὰ εἰρημένα, ἀλλ' ἐχθροὺς ἡμᾶς καὶ πολεμίους ἡγοῦνται. *Atque horum* (Prophetarum) *vaticinia qui temporibus suis in Judæa fuere Reges, ita ut cum ederentur promulgata, & vernacula Hebræorum voce in libris per ipsos Prophetas compositis perscripta sunt, conservarunt. Cum autem Ptolemæus, Ægyptiorum Rex bibliothecam institueret, & hominum omnium scripta comportare conaretur, de prophetiis hisce quoque certior factus, ad Herodem Judæorum Regem* (de hoc errore alibi diximus) *misit, copiam sibi fieri Propheticorum librorum petens. Ac Rex quidem Herodes illos, qua diximus, Hebraica lingua conscriptos, ad eum missos fecit. Verum cum Ægyptiis incognita essent, quæ scripta erant, denuo legatione missa illum rogavit, ut ad se qui libros eos in Græcum transferrent sermonem, homines mitteret.* ATQUE HOC SIC FACTO, LIBRI APUD ÆGYPTIOS PERMANSERE AD HODIERNUM USQUE DIEM. SUNT ETIAM APUD OMNES UBIQUE JUDÆOS, *qui eos legentes non intelligunt: sed pro inimicis nos & hostibus*

a P. 297, 298. *habent.* In [a] *Dialogo cum Tryphone Judæo* apertiora alia & magis lucu-lenta leguntur verba. Judæis illic objicit *Justinus*, ὅτι πολλὰς γραφὰς τέλεον περιεῖλον ἀπὸ τῶν ἐξηγήσεων τῶν γεγενημένων ὑπὸ τῶν παρὰ Πτολεμαίῳ γεγενημένων πρεσβυτέρων &c. *multos & integros prorsus locos Scripturarum, ex translatione eorum, qui cum Ptolemæo fuere, Seniorum sustulisse, in quibus clare hunc ipsum crucifixum, Deum & hominem esse, eumque in cruce pendere & mori prænunciatum esse ostenditur.* Rogante Tryphone quænam ea sint loca, respondit, ἀπὸ μὲν οὖν τῶν ἐξηγήσεων ὧν ἐξηγήσατο Ἔσδρας εἰς τὸν νόμον τὸν περὶ τοῦ πάσχα, τὴν ἐξήγησιν ταύτην ἀφείλοντο· καὶ εἶπεν Ἔσδρας τῷ λαῷ· τοῦτο τὸ πάσχα ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ ἡ καταφυγὴ ἡμῶν· καὶ ἐὰν διανοηθῆτε, καὶ ἀναβῇ ὑμῶν ἐπὶ τὴν καρδίαν, ὅτι μέλλομεν αὐτὸν ταπεινοῦν ἐν σημείῳ, καὶ μετὰ ταῦτα ἐλπίσωμεν ἐπ' αὐτόν, οὐ μὴ ἐρημωθῇ ὁ τόπος οὗτος εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον, λέγει ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων. ἐὰν δὲ μὴ πιστεύσητε αὐτῷ, μηδὲ εἰσακούσητε τοῦ κηρύγματος αὐτοῦ, ἔσεσθε ἐπίχαρμα τοῖς ἔθνεσι. Καὶ ἀπὸ τῶν διὰ Ἱερεμίου λεχθέντων, ταῦτα περιέκοψαν· ἐγὼ ὡς ἀρνίον φερόμενον τοῦ θύεσθαι· ἐπ' ἐμὲ ἐλογίζοντο λογισμὸν λέγοντες, δεῦτε ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ, καὶ ἐκτρίψωμεν αὐτὸν ἐκ γῆς ζώντων, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ οὐ μὴ μνησθῇ οὐκέτι. Καὶ ἐπειδὴ αὕτη ἡ περικοπὴ ἡ ἐκ τῶν λόγων τοῦ Ἱερεμίου ἔτι ἐστὶν ἐγγεγραμμένη ἔν τισιν ἀντιγράφοις τῶν ἐν συναγωγαῖς Ἰουδαίων· πρὸ γὰρ ὀλίγου χρόνου ταῦτα ἐξέκοψαν. &c. i. e. "Ex verbis quæ Esdras de lege & constitutione Paschæ "commemoravit, hunc locum abstulerunt: *Et dixit Esdras populo: Hoc "pascha Salvator noster & Perfugium nostrum. Ac si in animum induxeri-"tis, & in cor vestrum ascenderit, quod humiliaturi eum simus in signo, & po-"stea speraturi in eum: non desolabitur locus iste in omne tempus; dicit "Deus virtutum. Sin in eum non credideritis, neque audieritis annunciatio-"nem ejus, deridiculum eritis gentibus.* Et ex Jeremiæ dictis hæc reddide-"runt: *Ego ut agnus, qui ad sacrificandum abducitur. Super me cogitarunt "cogitationem, dicentes: venite mittamus lignum in panem ejus, & extera-"mus eum è terra viventium, & nomen ejus ne memoretur amplius.* Et "quia resectio ista ex Jeremia adhuc in quibusdam Exemplaribus, QUÆ "IN JUDÆORUM ASSERVANTUR SYNAGOGIS, scripta reperi-"tur: non enim ita diu est, cum hæc verba reciderunt: quandoqui-"dem ex dictis quoque hujusmodi probari potest, Judæos consilium "iniisse de ipso Christo, decreto, ut eum in cruce suspensum occide-"rent, facto: atque idem ipse, quemadmodum est ab Esaia etiam *va-"ticinio præmonstratum, indicatur, tanquam ovis ad occisionem abduci, at-"que hic quoque velut agnus innocens designatur: pendentes animi ad maledi-"cendum descendunt.*" *Esdræ* locum quem designat *Justinus*, citat quoque (sed ut videtur, ex *Justino*) *Lactantius De vera Sap.* IV. 18. ubi *Croius*, in *Notis*, profitetur se existimare locum totum fuisse ab ipso

Justino

Justino pia fraude confictum, cum neque in *Hebræo* reperitur, neque ab *Origene*, *Eusebio*, vel *Hieronymo* memoratur tanquam in Codicibus ullis Græcis inventus. A *Justino* fuisse confictum, id non facile credo: sed ab alio quodam pia fraude insertum fuisse in aliquibus Exemplaribus Græcis omnino videtur.

Addunt nonnulli locum ex [a] *Gemara Hierosf. R. Levi ivit Cæsaream, audiensque illos legentes lectionem* שמע (*Audi Israel &c.*) *in lingua Græca, eos impedire voluit. Id animadvertens R. Jose succensuit, dicens: Qui non potest legere Hebraice, num omnino non leget? Imo, leget quacunque lingua quam intelligit ac novit, ac sic officio suo satisfecerit.* Hæc illic. Ergo etiam Græce sacra legere in Synagogis suis permissum, quod à multis negatur; inquit [b] *Buxtorffius* Pater, consentientibus aliis multis magni nominis viris, inter quos [c] *Salmasius*, [d] *Grotius*, & [e] *Heinsius*. At asserit [f] *Lightfootus*, ibi loqui *Gemaricos*, non de *legenda* in *Synagogis* Lege, sed de recitandis inscriptionibus *Phylacteriorum*, ex quibus prima fuit שמע ישראל *Audi Israel.* Et vocem קורין, qua utitur *Gemara*, non solum *legentes*, sed & *recitantes* significare ostendit. Cum dicit Vir doctus recitationem *Shemæ*, eandem fuisse cum recitatione Sectionum *Phylacteriorum*, haud satis accurate loquitur, cum *Shema* fuit tantum una ex 4 formulis *Phylacteriorum*; sed neganti, intelligi lectionem Synagogarum publicam, omnino assentior. Non aliud enim erat τὸ שמע *Shema*, quam formula quædam ex *Deut.* vi. 4, 5, 6, 7, 8, 9. xi. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21. & ex *Num.* xv. 37, 38, 39, 40, 41. quotidie vesperi ac mane recitari solita, continens confessionem fidei de Deo unice colendo, à prima, qua incepit, voce sic dicta. De cujus recitatione hæc in *Misna* leguntur, Tract. *de Benedictionibus* cap. 1. *A quo tempore recitant* Shemam *vesperi? ex quo admittuntur Sacerdotes ad primitias comedendas, ad finem usque vigiliæ primæ. Verba R. Eliezeris: at Sapientes dicunt, usque ad mediam noctem. Rabban Gamaliel ait, usque dum ascenderit columna auroræ. Casus. Redeuntes filii ejus à domo convivii dixerunt, nondum recitavimus* Shemam: *quibus ille; si nondum ascenderit columna auroræ, tenemini ad recitandum &c. — A quo tempore recitant* Shemam *mane? ex quo dignoscat quis cæruleum ab albo &c. — Sammæani dicunt, vesperi omnes reclinati recitant, mane vero stantes, quia dicitur* (Deut. vi. 7. xi. 19.) Quando cubueris & quando surrexeris. *At Hillelæi dicunt, unusquisque recitat prout se habuerit, quia dicitur* (ibid.) Cum incesseris per viam. *— Inquit R. Tarphon, cum in itinere essem, reclinavi me ad recitandum ex Sammæanorum sententia, & periclitatus sum à latronibus &c.* Rursus cap. 3. *Si cui mortuus quis è suis coram ipso jacet, immunis habetur à recitatione* Shemæ, *à precatione, & à Phylacteriis. — Fœminæ, & servi, & minores immunes sunt à recitatione* Shemæ, *& Phylacteriis, tenentur autem ad precandum &c.* Consule *Maimonidis* & *Bartenoræ* Commentaria, cum *Guisii* nostri ac *Surenhusii* Annotationibus.

Cum dicit vero *Lightfootus*, ut testimoniorum *Justini Martyris* & *Tertulliani* vim evadat, solitos fuisse Judæos Græcæ Versionis exemplaria in Synagogis suis recondere, ut si quid unquam dubii Gentilibus, quorum in ditione degebant, oboriretur de Legis & Religionis ipsorum puritate, nempe si qua forsan suspicio esset, non tutum fuisse reip. permittere Cultores ejusmodi Religionis in urbibus suis habitare, in promptu esset Scripturarum Exemplar, quod Gentiles ipsi legere possent: cum dicit, inquam, *Tertullianum* & *Justinum* hoc sibi voluisse, non lecta fuisse in Synagogis Græca Exemplaria, sed tantum in Synagogis ad istum finem fuisse asservata; illum minime audio. Id nimis precarium est, nullo prorsus fundamento nixum, neque convenit cum *Tertulliani* & *Justini* verbis. Male insuper urget *Lightfootus*, si concedatur tem-

[a] Sotah c. 7.
[b] Thesauro Rabbinico voce אלינסתין.
[c] De Ling. Hellenist.
[d] Addend. ad Hor. in 1 Cor. 14. c. 10.
[e] De Ling. Hellenist.
[f] Ad Act. VI. 1.

poribus Tertulliani & Severi Imp. lectam fuisse in Synagogis Versionem Græcam, ex eo tamen non concludendum esse, temporibus etiam Apostolorum in Synagogis lectam fuisse. At quidni id inferamus? Si temporibus Apostolorum nihil præter Hebraicas Scripturas à Judæis Hellenistis in Synagogis lectum fuisset, quæ causa esse potuit, quamobrem Severi & Tertulliani temporibus, omissis Hebraicis Codicibus, in Synagogas reciperentur Græci? Respondet *Lightfootus* Severum Imp. severissime, pro nomine, erga gentem Judæorum, undecunque terrarum dispersam, se gessisse, eisque non permisisse, nisi soluto vectigalis pretio, *Sabbata* celebrare; inde factum fuisse ut Romæ, non electione, sed coacti, Græcam Versionem in Synagogis legerint, si omnino legebant. At quid si non licuit Judæis nisi pretio vectigalis redempta Sabbata celebrare? Quid eos invitos cogit, ut *Græca*, non *Hebraica* volumina in Synagogis legerent? Num de lingua qua in sacris peragendis legerent Judæi, solicitus fuit Severus Imperator? Cum eis concessum est, ut Sabbata celebrarent, dubitari non potest, quin eis quoque concessum sit quæcunque voluerint Legis volumina in Synagogis usurpare.

Sed mittamus hæc omnia. Diu ante *Severi* Imp. tempora floruit *B. Justinus*, intra annos à Christi Ascensione circiter 100. qui docet apertissime, non solum eo tempore quo ipse scribebat, sed & *paulo*, & *diu* ante lecta fuisse in Hellenistarum Synagogis volumina *Græca*.

Quantum denique apud Judæos, speciatim *Alexandrinos*, Christi Apostolorumque temporibus invaluerat usus Versionis Græcæ, luculenter apparet ex operibus *Philonis* Judæi *Alexandrini*, magni nominis, ejusdemque *Sacerdotis*, in quibus passim reperiuntur loca è Græca Versione verbatim desumpta: inter alia est textus ille, Gen. IV. 8. qui cum *Hebræo* minus convenit. Redundat enim, nec in *Hebræo* leguntur ista: διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον.

Et ejusdem *Philonis* exemplo apparet apud Judæos *Alexandrinos*, vel primi & Sacerdotalis ordinis, pene exolevisse temporibus istis linguam *Hebræam*, si modo id verum sit, quod magno consensu statuunt eruditi, istius linguæ valde imperitum & pene expertem fuisse *Philonem*. *Judæi qui Alexandriæ degebant* (inquit [a] *Jo. Croius*) *Hebraice non loquebantur, sed Græce, & plerique eorum Hebraice nesciebant, ut Philonis testatur exemplum. In rebus patriis eum hospitem fuisse*, affirmat idem. *Vide Philonem* (inquit *Scaliger*) *quam infans est in Hebræis? quam ridiculus? Quem certissimum est nescivisse Hebraice.* Idem ad Seguinum: [b] *Fuit Philo Hebraismi imperitissimus. Atque adeo, ut tirunculi Christianorum, nedum Judæorum, possint eam in partes vocare. Tu miraberis, ego non miror. Ejusmodi enim erant Alexandrini Judæi, & reliqui* Ἑλληνισταί. Sic aliis idem in locis. *Certo constat* (inquit [c] *Jo. Wowerius*) *Philonem Hebrææ linguæ ignarum fuisse.* Lud. Capellus: [d] *Philo in lingua Hebraica infans plane fuit, si modo quid omnino Hebraice scivisse dicendus est, adeo frequenter, turpissime in originationibus Hebraicis & explicatione vocabulorum Hebraicorum, hallucinatur & impingit, ut cæcus in tenebris.* [e] Morinus: *Philo linguæ Heb. & Chaldaicæ plane erat ignarus, ut unicuique istarum linguarum mediocriter perito facile constat ex Nominum Heb. interpretatione, circa quam philosophatur, ut passim videre est in ejus opusculis, sed frequentius in libello de Nominum mutatione. Ita enim aliquando ridicule de iis differit, ut Hebraice & Chaldaice analphabetarius merito judicari possit.* Istarum linguarum *imperitissimum fuisse*, asserit [f] *Fr. Junius*, *idque clamare omnia ipsius scripta.* Ante omnes [g] *Steuchus Eugubinus* dixerat, videri illum *Hebraicas literas ignorasse, & Codices Hebræos non legisse.* His accedunt [h] *Usserius*, [i] *Salmasius*, [k] *Grotius*, *Heinsius*, cum multis aliis. Illum literis Hebraicis vix mediocriter

[a] Observ. in N. T.
[b] Epist. 13.
[c] De Bibl. Int. c. 1.
[d] Criticæ defens.
[e] Exercit. Bibl. 8. c. 4. §. 8.
[f] Controv. Bellarm. II. 6.
[g] In Gen. 1.
[h] Epistol. ad Capellum.
[i] De ling. Hell.
[k] In Act. Apost. VI. 1.

mediocriter tinctum fuisse, nemo illis non facile concedet. Vereor tamen ne ei minus æqui sint illi, qui peritiam ejus ex libro *de Nominibus Heb.* æstimant. Quod opus constat gravissime passum fuisse ab imperitis interpolatoribus: & testatur [a] *B. Hieronymus, tam dissona inter se exemplaria*, etiam suo tempore *reperta fuisse, & sic confusum ordinem*, ut cum illud e Græco in Latinum convertere sit aggressus, melius judicaverit novum opus elaborare. Neque illis calculum adjicio, qui Hebraicarum literarum *prorsus ignarum* fuisse illum, neque Biblia Hebraica inspexisse unquam, existimant. Illum, librum *Judicum Hebraice* legisse, jam [b] alibi fuit à nobis observatum: & in libro *de Nominum mutatione* primum illud *Josbuæ* nomen, de quo Num. XIII. 17. non legit juxta Græcam Versionem Αὐσῆ, sed ex ipso Hebræo, אושע Ωσηέ. τὸ Αὐσῆ vero genuinam esse Versionis Græcæ lectionem, & res ipsa docet, cum satis convenit Vocabulo Hebræo punctis suis destituto; & omnium [c] Veterum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum Versionem *Italam* sequentium, auctoritas.

[a] Præfat. de Nom. Heb.

[b] Vide supra l. 2. c. 9. §. 5.

[c] Cit. à Cotelerio in S. Barn. Epist. p. 64. Ed. poster.

Quamvis linguæ *Hebraicæ* non penitus ignarus erat *Philo*, *Syriacæ* tamen se prorsus expertem fuisse, ipse docet libello in *Flaccum*, his verbis: εἶτ' ἐκ περιεστῶτος ἐν κύκλῳ πλῆθος, ἐξήχει βοή τις ἄτοπος, Μάριν ἀποκαλούντων· οὕτως δέ φασιν τὸν Κύριον ὀνομάζεσθαι παρὰ Σύροις. *Post hæc acclamatum est à circumstantibus, magna voce Marim appellantibus, quod nomen* DICUNT *Syris significare Dominum.* Id insuper notandum, quod linguam *Hebræam* appellat Philo *Chaldaicam*; & *Hebræos*, *Chaldæos*. Vide locum infra adductum §. IV.

Quod dicit *Scaliger* in loco superius adducto, de Judæis *Babelaim* & *Igrikin*, hoc est. ut ille interpretatur, *Babyloniis* & *Græcis*, sive *Hebraizantibus* & *Hellenistis*, in urbe *Alexandria*, *Benjaminis Tutelensis* ætate, degentibus, de eo vereor ne fallatur Vir summus. Dixisset non *Alexandria*, sed *Cairo*; de *Cairo* enim loquitur *Tutelensis*, quam *Mitsraim* vocat, & ab *Alexandria* aperte distinguit. Neque *Igrikin* habet Codex vulgatus, sed *Irbakijin* עירחקיין. Neque hos diversos à *Babyloniis* facit, sed omnino eosdem, & utrosque à *Syris* sive Palæstinis Judæis distinguit. Locus integer, ex Versione *Constantini l'Empereur* sic se habet: *Hinc ad Mitsraim quatridui iter est: quæ urbs magna in Nili ripa, duo ferme Judæorum habet millia. Hic duæ Synagogæ: una eorum qui in Israelitica regione nati sunt, quæ est Syrorum Synagoga; altera Babyloniorum, sive Synagoga Irbakijim; quæ in sectionibus & tractatibus legis eundem morem non servant. quia Babylonii singulis septimanis singulas sectiones legere consueverunt, quemadmodum in totis Hispaniis fieri solet; adeoque Legem singulis annis absolvunt: at in Israelitica nati hunc morem non servant; sed singulas sectiones in tres tractatus dispescentes, Legem triennio demum absolvunt. Inter eos receptum & constitutum, ut in legalis festivitatis, similiterque Legislationis solennitate congregentur omnes & simul precentur. Utrisque ut summus princeps præest D. Nathanael consessus caput, omniumque Ægypti cætuum, ut magistros & lectores creet, antistes.*

Salmasius in libris quos contra *Heinsium* de *Hellenistis* & *Lingua Hellenistica* conscripsit, in quibus parum, me judice, dignitati atque existimationi suæ consuluit, contradicendi potius libidine, quam veritate ductus, contendit illos, qui in *Act. Apostolorum* appellantur *Hellenistæ*, non fuisse genere Judæos; sed vel *Proselytas*, vel ex Proselytis ubique terrarum Græcarum dispersis ortos. De *Proselytis*, & illis qui ex Proselytis orti sunt, id est, de *Hellenistis* hoc sensu sumptis, concedit quod Græcam Versionem in Synagogis, cum alibi scil. gentium, tum etiam *Hierosolymis*, legebant; sed omnes qui genere Judæi erant, ubicunque locorum degebant, & quacunque lingua vernacula utebantur,

 Scripturis

Scripturis nullis præter *Hebraicas*, in Synagogis usos fuisse, asserit. [a] *Nos efflictim* (inquit) *negamus, Israelitas ullos unquam extitisse, qui Græca Bibliorum lectione uterentur in Synagogis. Non alia mens, aliud propositum, alius mos fuit antiquorum Judæorum atque hodiernorum. Nulli hodie Judæi toto orbe dispersi alia lingua legunt Scripturam quam Ebraica. Arabica haud minus nunc late patet quam olim Græca. Potentissima imperiorum ditiones in Oriente ac Occidente latissime fusa ea lingua utuntur. Judæorum numerus pæne infinitus per omnes Orientis partes usque ad ultimam Indiam abundat, & sub illis præcipue imperiis ubi Arabica in usu est. Haud pauciores nunc reperire est Judæos qui Arabice sciant, quam olim erant qui Græce. Immo plures multo esse dixerim hoc tempore & aliquot retro seculis extitisse Arabice gnaros, quam Græce dum lingua Græca viguit. Habent Legem Arabice versam ante quingentos & amplius annos à quodam celebri Magistro, Saadia Gaone. Arabica Religio longe magis affinis est Judaicæ, utpote quæ inde plura traxerit, quam ex Græca antiqua, ex qua fere nihil habet. Quod est præcipuum in Judaismo, circumcisionem habent, unum Deum colunt, Idololatriæ maxime inimica est, & sic* Ἑλληνισμῷ *imprimis contraria. Et cum hæc ita sint, Judæi nusquam hoc tempore, in illis locis, in quibus pollet sermo Arabicus, eumque ipsi jam pro naturali habent, & ubi maximus eorum est numerus, Arabica lingua Legem legunt in suis Synagogis. Et tamen plures causæ sunt quæ Judæos hodiernos invitare possent ad lectionis Arabicæ usum, quam antiquos ad Græcæ. Nunc igitur audacter concludemus, & vere, nullum eruditorum, vel infimorum, vel mediexumorum, vel summorum, tam STULTUM fore, quin clarissime ex his quæ dicta sunt liquere statuat, tum* Ἑλληνιστὰς *origine Judæos non fuisse, tum Græcæ lectionis usum ex* LXX. *Interpretibus fuisse in nullis Israelitarum Synagogis haud sane magis quam Syriacæ, Arabicæ, aut Persicæ. In quas linguas conversam habuisse Legem Judæos constat. Certe & Pentateuchum tribus illis versum Judæi Constantinopolitani edendum curaverunt cum Commentariis Salomonis Jarchi.* Hæc ingenti, ut vides, cum confidentia Vir magnus; sed non minori errore. Certe ego *stultus ex infimis eruditorum non statuo liquere* quod dicit, sed, pace ejus, prorsus contrarium. Quod enim ad argumentum ejus attinet, eodem jure potuisset probare nec *Proselytos* ipsos fuisse permissos aliis præter *Hebraicos* codicibus in Synagogis uti, quia nulli alii Codices nunc dierum usurpantur. Et omnes illos *Judæos*, qui dicuntur à *Tertulliano*, *Justino*, & aliis, Scripturas Græcas in Synagogis legisse, fuisse *Proselytos* aut *Proselytorum* filios ac nepotes Judaizantes, omnino precario dicitur, estque perquam improbabile. Fatetur alibi [b] *Salmasius potuisse fieri, ut Judæi Alexandrini, gratificantes Ægypti Regibus ac suis, à quibus procurata illa Versio Græcanica fuerit, illam in Synagogis suis habuerint*: at quem in finem? non ut ipsa ibi prælegeretur, sed ut *lectam Scripturam Hebraicam ex ea interpretarentur*.

Quæ differit *Salmasius* tam prolixe contra linguam *Hellenisticam*, mera cavillamenta mihi omnia videntur, etsi faveat quoque illius sententiæ [c] *Is. Vossius*; & scite dicit *Simonius*, *de umbra asini disputantem de nomine tantum litigasse*. Per *linguam Hellenisticam* intelligunt Eruditi linguam istam qua Judæi *Hellenistici* utebantur, non vere classica illa, sed multis Hebraismis ac Syriasmis commixta; & talem fuisse eorum sermonem certissimum est. Sed de eo disputare non est hujus nostri instituti. *Hellenistas*, quorum mentio in *Actis Apostolorum*, fuisse non *genere Judæos* lingua Græca utentes vernacula, sed tantum *Proselytos*, vel ab iis descendisse, exinde conficit *Salmasius*, quod Act. xi. 19, 20. ab *Hellenistis Judæi* videntur distingui: *Cæterum qui dispersi fuerant ex afflictione orta ob Stephanum, transierunt usque in Phœniciam, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes sermonem Dei nisi solis JUDÆIS. Erant autem quidam*

[a] Pag. 96, 97.

[b] Offilegio linguæ Hellenist.

[c] De Orac. Sibyl. c. 16. Resp. ad Simonii objecta p. 16. Resp. ad iteratas Simonii Object. p. 390.

quidam Cyprii & Cyrenenses, qui ingressi Antiochiam, locuti sunt HELLENISTIS, evangelizantes Dominum Jesum. Sed mihi (ut aliorum prætercam opiniones) videtur vel B. Lucam vocem Ἑλληνιστὰς latiori sensu hoc in loco usurpasse, pro ἑλληνίζοντι non *lingua* modo, sed & *religione*; vel potius pro Ἑλληνιστὰς scribendum esse Ἕλληνας· quod etiam eruditissimo *Grotio* placere video. Nam de *Græcis* sive *Gentilibus* sermonem haberi omnino videtur, cum ex ipso loco, tum ex iis quæ sequuntur; præsertim cum prædicatio illa *Cypriorum* & *Cyrenensium* contigerit post baptizatum *Cornelium*, cujus exemplo animati videntur illi ad Christum etiam *Gentibus* prædicandum. Omnino enim fallitur *Salmasius*, cum dicit *certum esse, & ex ipsa narratione perspici, Cornelium* nondum fuisse baptizatum. Neque desunt Codices MSS. qui eo in loco non Ἑλληνιστὰς, sed Ἕλληνας habeant. Sic habet nimirum (observante *Grotio*) Codex noster *Alexandrinus*, auctoritate nulli secundus. Et non modo *Latinus*, *Arabs*, & *Æthiops* legunt *Græcos* sive *Gentiles* (quod etiam in reliquis locis, ubi occurrit τὸ Ἑλληνιστὰς, perperam faciunt) sed & ipse *Syrus*; qui tamen in cæteris illis locis non *Græcos* ponit, ut illic, sed vel *Græcos discipulos*, ut cap. VI. 1. vel *Judæos qui sciebant* [a] *Græce*, ut cap. IX. 29. [a] Ionice ut Syri loquuntur.

Hellenistæ vocabantur vel *Judæi*, vel *Proselyti*, qui lingua *Græca* vernacula utebantur, & Scripturas Græcas in Synagogis legebant; vel etiam *Christiani* ex ejusmodi *Judæis* aut *Proselytis* facti. Et extitisse *Hellenistas* qui non fuerint *Proselyti*, vel ex eo colligitur, quod D. Lucas, postquam recensuisset alios *6. Diaconos* ex *Hellenistarum* corpore delectos; subjungit septimum, *Nicolaum*, fuisse *Proselytum*; sat aperte innuens cæteros tales non fuisse. *Et elegerunt Stephanum, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum PROSELYTUM Antiochensem.*

Afferit alibi [b] *Salmasius*, Judæos ubicunque gentium sparsi forent, semper duas linguas, ut nunc, sic & olim didicisse, Hebraicam ab antiquo patriam, & illius loci propriam, quam habuere natalem. *Facessat ergo* (inquit) *ridicula & falsa opinio, quæ statuit, omnes Judæos exules, fuisse Hellenistas, & Græca lingua usos esse in sacris.* At cujus ista est opinio? Effingit sibi (ni fallor) Vir doctus adversarium, quem debellet. Quis unquam dixit Judæos in Orientalibus regionibus exules, ubi lingua Græca non erat in usu, fuisse *Hellenistas*, & Græce sacra legisse? At Judæos exules duas semper linguas, Hebraicam & vernaculam calluisse, hinc probat *Salmasius*, quod *Aquila*, qui ex Ponti provincia fuit, post LXX. Interpretes Versionem Scripturæ sacræ edidit: quo argumento (inquit) evincitur, etiam Ponticos Judæos Hebraice scivisse non minus quam Græce. Argumentum certe futilissimum. Hebraice scivit *Aquila*, ergo & cæteri Judæi Pontici? Porro vero ex *Epiphanio* addiscere potuisset, *Hierosolymis* Aquilam (licet natu Ponticum) degisse, Christianum ibi factum, professionem hanc postea ejurasse, ac inter Judæorum proselytos adscriptum, ac circumcisum fuisse. *Inde totum se Hebraicis literis ediscendis vehementi cum animi contentione tradidisse.* [b] Offilegio linguæ Hell.

Alexandrinorum Judæorum maximam partem scivisse Hebraice, ex eo conficit idem vir doctus, quod *Scaliger* adnotavit in Epistola ad *Seguinum*, Alexandrinos nimirum Judæos, reliquosque qui in Ægypto vivebant, coactos fuisse omnes contractus suos Græce concipere. Ergo antea (inquit) Hebraice eos concipiebant. At loquitur tantum ex conjectura [c] *Scaliger*, neque de illis quorum majores jam diu Alexandriæ & in Ægypto vixerant, sed de ipsis primis illis, Ptolemæis *Lagidæ* & *Philadelpho* coævis, quos putat ea arte ad linguam Græcam addiscendam compulsos fuisse, unde demum cum Hebraice parum scirent, Scripturas in linguam Græcam incertus quidam (ut dicit ille) interpretabatur. [c] Vide locum supra l. 2. c. 3. ad finem.

De

De Textus Hebræi & Versionis Græcæ apud Judæos usu, hæc statuit Vir haud indoctus, [a] *Jo. Crous*: "*Christus* (inquit) in Synagoga "Nazarethensi Oraculum Esaiæ, non Græce, sed Hebraice legit. "Quem legit Librum, *Volumen* erat, ut & Liber Legis, qui in Synagogis legebatur. מגילה, *Volumen* Hebræi vocant. Id patet è verbis, "quibus [b] *Lucas* utitur: dicit enim Christum, ut legeret, ἀναπτύξαι τὸ "βιβλίον, *explicuisse librum*, sive, ut habet Editio Vulgata, *revolvisse*; καὶ "πτύξας, postquam è more duos legisset versiculos, *complicuisse*, sive, secundum Editionem Vulgatam, *plicuisse*. Quod dici non potest de Libris, qui foliis distincti sunt, ut hodie fit, sed dicitur proprie de *Voluminibus*, quæ circumvolvebantur. Idem mos observatus Hierosolymis. Libri Legis & Prophetarum Hebraice legebantur. Eorum lectionem audiebant, non solum Judæi Hebraizantes, sed etiam Hellenistæ. Hebræi non habebant Synagogas suas separatas à Synagogis Hellenistarum. Id nos docent verba Lucæ Act. cap. VI. modo "recte perpendantur. Si enim Judæorum (Hebraizantium) Synagogæ ab Hellenistarum Synagogis separatæ fuissent, nulla inter eos intercessisset contentio de Viduarum delectu ad quotidianum ministerium: quoniam Judæi separatim Viduas suas elegissent, & constituissent ad illud charitatis quotidianum munus: Hellenistæ vero separatim quoque suas elegissent. atque hac ratione nulla inter eos "orta fuisset contentio, nullaque Hellenistæ laborassent invidia. Sed "cum in eandem convenirent omnes, sive Judæi (Hebraizantes) sive "Hellenistæ, Synagogam, atque ibi viduæ quæ pauperum curam haberent, communi suffragio & consensu essent eligendæ, hinc factum "est, ut Judæi (Hebraizantes) qui plures erant, nullam Viduarum, "quæ ex Hellenistarum essent grege, rationem haberent, & Hellenistæ quererentur, viduas suas à Judæis (Hebraizantibus) despectas "fuisse. Judæi ergo (Hebraizantes) qui erant Hierosolymis, aut in "reliquis Judææ urbibus, in eandem Synagogam cum Hellenistis conveniebant. Hellenistæ, qui habitabant Alexandriæ, Antiochiæ, Ephesi, Corinthi, Philippis, Colossis, & in reliquis urbibus Asiæ, Europæ, aut Arabiæ, in eandem cum Judæis (Hebraizantibus) cogebantur Synagogam. Si Scriptura sacra Hebraice legeretur, ea audiebatur ab Hellenistis & Judæis (Hebraizantibus.) Si vero legeretur Græce, *eam Judæi (Hebraizantes) cum Hellenistis audiebant & intelligebant.* Hæc *Crous*. Sed errat, cum putat *Hellenistas* illos, quorum mentio fit Act. VI. 1. fuisse *Judæos*, cum fuerint non amplius *Judæi*, sed discipuli Christiani; & *Hebræi*, qui ibidem commemorantur, fuerunt illi qui ex *Judæis Hebraizantibus* ad Christianam fidem accesserant. Neque sermo illic habetur de ministerio *Synagogarum*, sed *Ecclesiæ*. Neque placet argumentum, quo utitur Vir doctissimus, ex *Voluminum* usu deductum. Quod tamen à *Buxtorfio* etiam in *Institut. Epist.* affertur. Non enim apparet Judæos *Hebraizantes* solos, non etiam *Hellenistas*, istiusmodi voluminibus Legem exarasse: apud *Græcos* enim & *Romanos* usurpata olim fuisse ejusdemmodi *Volumina*, res est apertissima. Hinc toties apud Latinos *Volumen* pro *Libro*. Hinc etiam [c] σκάπος, κανὼν, τόμος, κόρταξ, synonymæ voces, quæ cum proprie *ramum* vel *baculum* significent, per similitudinem etiam *volumen* chartarum denotant.

Castiganda hic loci oscitantia *Stephani Moinæi*, de sensu cujusdam loci Libri Apocryphi, cui titulus *Quarto Esdræ*, à vetusto quodam Judæo compositi: *Et apertum est os meum* ([d] inquit Pseudo-Esdras) *& non est clausum amplius. Altissimus dedit intellectum quinque viris, & scripserunt quæ dicebantur excessiones noctis, quas non sciebant. Nocte autem manducabant panem, ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti sunt*

[a] Observat. in N.T. cap. 31. p. 237. 238.

[b] C. IV. v. 20.

[c] Vide *Salmasium ad Vopisci Firmum*, ubi fuse de re Chartaria.

[d] Cap 14. v. 41 &c.

sunt autem per 40. dies libri ducenti quatuor. Et factum est cum complevissent 40. dies, locutus est Altissimus, dicens: Priora quæ scripsisti in palam pone, & legant digni & indigni: novissimos autem 70. conservabis, ut tradas eas sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Et feci sic. Designari hic libros *scientiæ Cabbalæ*, qui extant hodiernum apud Judæos, existimavit *Picus Mirandula*. Ei contra it [a] *Moinæus. Meo vero* (inquit) *judicio pessime accepit Mirandula locum Esdræ, cap. 14. ubi habemus mentionem librorum 70, qui fuerint Thesaurus omnis scientiæ. Aliud volunt meo judicio verba Auctoris Apocryphi. Non loquitur de 70 Libris, quasi 70 fontibus, unde omne genus scientiæ hauriri posset. Sed de Libris* τῶν LXX. *Interpretum, seu de Versione Græca V. T.* à LXX. *Interpretibus apud Ægyptios adornata, & quæ nascente Ecclesia Christiana apud ipsos Judæos erat in usu maximo, & valde commendabatur. Ergo Pseudo-Esdras, illam etiam commendatam cupit. Non vero Libros Cabbalisticos, & Mysteriis plenos, ut voluit Picus, & post illum alii Commentatores. De istis Cabbalisticis Traditionibus nihil in isto loco, & elogia quæ ibi libris* τῶν LXX. *tribuuntur, sunt laudes Sacro Codici debitæ, & quæ aliis literis & paginis jure non possent ascribi.* Quam facile est adversus solem cæcutire! Sane clarius nihil esse potest, [b] quam quod non designantur libri τῶν LXX. sed *libri* LXX. (qualescunque ii fuerint) ex numero scil. illorum 204. quorum statim antea facta est mentio.

[a] Observ. ad S. Barnabæ Epist. pag. 838.

[b] Ex verbis citatis id satis apparet: confer præterea cum illis v. 26.

4. Non videtur fuisse de ullis discrepantiis, in Legis textu *Hebraico* & *Græco* repertis, Controversiam ullam, sive inter *Judæos & Christianos*, sive inter Judæos *Hebraizantes* & *Hellenistas*, ante initium circiter seculi 2di post Christum natum. Fuisse nullam quo tempore floruit *Philo*, conficitur ex his ejus verbis: [c] σαφεστάτη δὲ τούτε πίστις· ἐάν τε Χαλδαῖοι τὴν Ἑλληνικὴν γλῶτταν, ἐάν τε Ἕλληνες τὴν Χαλδαίων ἀναδιδαχθῶσι, καὶ ἀμφοτέραις ταῖς γραφαῖς ἐντύχωσι, τῇ τε Χαλδαϊκῇ καὶ τῇ διερμηνευθείσῃ, καθάπερ ἀδελφάς, μᾶλλον δ᾽ ὡς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἔν τε τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς ὀνόμασι τεθήπασι καὶ προσκυνοῦσιν, οὐχ ἑρμηνεῖς ἐκείνους, ἀλλ᾽ ἱεροφάντας προσαγορεύοντες, οἷς ἐξεγένετο συνδραμεῖν λογισμοῖς εἰλικρινέσι τῷ Μωσέως καθαρωτάτῳ πνεύματι. *Hoc certissime constat*: (sc. Interpretes omnia exacte vertisse) *Sive Chaldæus* (i. e. Hebræus) *Græcam linguam, sive Græcus Chaldæam didicerit, in utraque Scriptura tum Chaldaica* (i. e. Hebraica) *tum ejus interpretatione MIRATUR germanitatem, imo rerum verborumque consonantiam ADORAT, non Interpretes illos sed Initiatores & Prophetas appellans, quibus datum est sincerissimas Mosis cogitationes assequi spiritu purissimo.* Quibus verbis non modo indicat seipsum credidisse concordia fuisse omnia, sed & innuit id ab omnibus concessum fuisse. Extitisse insuper controversiam nullam quo tempore *Antiquitates* suas *Judaicas* scripsit *Fl. Josephus*, (absolutæ eæ fuerunt A. Christi 93. aut 94.) exinde colligitur quod in *Antiquitatibus* tam magnifice is de Græca versione loquitur, neque innuit illam, postquam primo confecta est, corruptam aut maculatam unquam fuisse, aut illos ita credidisse. De sola versione Legis Mosaicæ manifesto loquuntur *Philo* & *Josephus*: Sed neque ullam fuisse controversiam inter Judæos & Christianos de discrepantiis in textu Hebraico & Versione reliquorum S. Scripturæ librorum, ante inchoatum circiter seculum 2dum, conficitur ex istis quæ scribit *S. Justinus Martyr*, sc. *non diu* fuisse ante id tempus, quo ipse scripsit, cum verba quædam Prophetæ Jeremiæ de Christo, ex Græcæ Versionis Exemplaribus, quæ in Judæorum Synagogis asservata sunt, expuncta fuerunt, & ad id usque tempus nonnulla Judæorum exemplaria verba ista agnovisse. πρὸ γὰρ ὀλίγου χρόνου ταῦτα ἐξέκοψαν. *ante tempus enim exiguum hæc verba reciderunt.*

[c] L. 2. de Vita Mosis p. 510.

Sed quamvis ante initium seculi 2di Editio Græca pro vera, & ab Hebræa minime discordi, habita fuit ab omnibus cum Christianis tum

etiam Judæis, *Hellenisticis* simul & *Hebraizontibus*; post inchoatum tamen id seculum cœperunt ipsi Judæi Hellenistici Versionis Græcæ auctoritatem in dubium vocare, tanquam non satis veræ, & Textui Hebræo minus consonæ. Neque difficile est conjectari quid causæ fuerit quod de Versionis auctoritate controversiam & litem movere tunc cœperint. Nempe hæc causa erat, quod soliti sunt Christiani ex Græca Versione S. Scripturæ testimonia contra Judæos depromere & proferre: necesse itaque habuerunt Judæi à Græca Versione ad Hebraicum textum provocare, & ut Christianorum argumenta evitarent, Hebraica aliter explicare ac vertere. Coacti hac ratione Textum Hebræum & Græcam Versionem inter se conferre, invenerunt præterea nonnulla quæ in Græco legebantur sed in Hebraicis desiderabantur, & alia quæ Textui Hebræo plane repugnabant. Ob hanc rationem inter eos vilescere & in contemptum venire cœpit Interpretatio Græca; quæ in hac redundabant, recidebant; quæ Hebræo repugnabant, mutabant; & tandem eam è manibus suis, in usum receptis Versionibus quibusdam novis, abjiciebant. Quod Judæis Hellenisticis pro minùs authentica haberi tandem cœpit (post initium seculi 2[di]) Interpretatio antiqua Græca, apparet

1° Ex Justini Martyris verbis quæ supra citavimus, in quibus contra Judæos Hellenisticos objicit sanctissimus Pater quod reciderant *ex exemplaribus Versionis* LXX. *Interpretum multa loca in quibus prædictum est Christum esse & Deum & hominem, eumque in cruce pendere & mori debere*; locum scil. ex Esdra & alium ex Jeremia, quæ supra ponuntur,

[a] Dialogo cum Tryphone Judæo p. 298. cum aliis quæ hic sequuntur: Καὶ ἀπὸ τῶν λόγων (addit [a] S. Justinus) τοῦ αὐτοῦ Ἱερεμίου ὁμοίως ταῦτα περιέκοψαν· ἐμνήσθη δὲ Κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ Ἰσραὴλ τῶν νεκρῶν αὐτοῦ τῶν κεκοιμημένων εἰς γῆν χώματος, καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ. καὶ ἀπὸ τοῦ ἐνενηκοστοῦ πέμπτου ψαλμοῦ τῶν διὰ Δαβὶδ λεχθέντων λόγων, λέξεις βραχείας ἀφείλοντο ταύτας· ἀπὸ τοῦ ξύλου, ἀφῆκαν, εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν. Ex Jeremiæ similiter dictis ista resecuerunt: "*Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israele, qui obdormie*-"*runt in terra aggeris* (*in tumulis scil. & sepulchris*:) *& descendit ad eos*, "*ut evangelizaret, & læto eis significaret nuncio salutare suum.* Ex Psalmo "nonagesimo quinto, quem David cecinit, perpauca hæc abstulerunt; "*A ligno.* Cum enim ad verbum ita fuisset dictum: *Dicite in genti*-"*bus, Dominus regnavit à ligno*: reliquerunt, *Dicite in gentibus, Domi*-

[b] Pag. 299. "*nus regnavit.*" Ad hæc quæ allegat adversus Judæos [b] *Justinus*, respondet *Trypho*: *An pro eo atque ais, in Scripturis aliquid detraxerint aut depravarint Principes populi, Deus scire potest: videtur autem hoc incredibile.* Καὶ ὁ Τρύφων, εἰ μὲν, ὡς ἔφης, εἶπε, περιγεγράφασί τι ἀπὸ τῶν γραφῶν οἱ ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, Θεὸς δύναται ἐπίστασθαι. ἄπιστον δὲ ἔοικε καὶ τοιοῦτον. At omnia ista loca præter hunc Jeremiæ: *Ego ut agnus, qui ad sacrificandum abducitur &c.* (quem ait in aliquibus Judæorum exemplaribus etiamnum repertum fuisse) ab *omnibus Judæis* pro infititiis habita fuisse Justinus antea dixerat.

[c] Pag. 297. [c] ἃς ἐπειδὴ ἠρνεῖσθαι πάντας τοὺς ἀπὸ τοῦ γένους ὑμῶν ἐπίσταμαι, τὰς τοιαύτας ζητήσεις οὐ προσβάλλω· ἀλλ' ἐπὶ τὰς ἐκ τῶν ὁμολογουμένων ἔτι παρ' ὑμῖν, τὰς ζητήσεις ποιεῖν ἔρχομαι. καὶ γὰρ ὅσας ὑμῖν ἀνήνεγκα, πάσας γνωρίζετε, πλὴν ὅτι περὶ τῆς λέξεως τῆς, Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, ἀντείπατε, λέγοντες εἰρῆσθαι, ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ λήψεται. *Quæ loca, quia omnes negare, qui gentis vestræ sunt, compertum habeo, disputationibus hujusmodi mentem non adhibeo: verum ex iis Scripturis, quæ pro confessis adhuc apud vos habentur, testimonia quæstionibus vel movendis vel solvendis, peto, & quascunque apud vos protuli, eas agnoscitis, excepto, quod de dictione oraculi istius*, Ecce virgo in utero concipiet, *contradixistis, dictum esse asserentes*, Ecce juvencula in utero concipiet. De eo quod Judæi (Hellenistici) Versioni LXX. Interpretum fidem

non

non adhibuerint, & quod ipsi aliter Scripturas interpretati fuerint, audi aliis verbis disertissimis Justinum: [a] ἀλλ' οὐχὶ τοῖς διδασκάλοις ὑμῶν πεί- a Pag. 297.
θομαι, μὴ συντεθειμένοις καλῶς ἐξηγεῖσθαι τὰ ὑπὸ αὐτῶν παρὰ Πτολεμαίῳ τῷ Αἰγυπτίων γενομένῳ βασιλεῖ ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρων· ἀλλ' αὐτοὶ ἐξηγεῖσθαι πειρῶνται &c. *Verum enim vero Magistris vestris fidem non habeo, qui non assentiuntur bene interpretationem à Septuaginta, qui apud Ptolemæum Ægyptiorum regem fuere, Senioribus esse institutam: sed ipsi interpretari & exponere Scripturas contendunt.* Rursus: [b] οὐχὶ καὶ τούτῳ δυσωπήσω ὑμᾶς μὴ πείθεσθαι b Pag. 294.
τοῖς διδασκάλοις ὑμῶν, οἵτινες τολμῶσι λέγειν, τὴν ἐξήγησιν ἣν ἐξηγήσαντο οἱ ἑβδομήκοντα ὑμῶν πρεσβύτεροι παρὰ Πτολεμαίῳ τῷ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖ γενόμενοι, μὴ εἶναι ἔν τισιν ἀληθῆ; ἃ γὰρ ἂν διαφέρηδην ἐν ταῖς γραφαῖς φαίνονται ἐλέγχοντα αὐτῶν τὴν ἀνόητον καὶ φίλαυτον γνώμην, ταῦτα τολμῶσι λέγειν μὴ οὕτω γεγράφθαι. *An & hac in re vobis persuadebo, quo minus magistris vestris credatis, qui asseverare audent, Interpretationem, quam interpretati sunt* LXXII. *vestri Seniores, cum apud Ptolemæum Ægypti Regem essent, in quibusdam locis minus esse veram? Quæ namque in sacris literis videntur insipientem suique amantem sententiam eorum carpere, ea non ita scripta esse dicere audent.* In alio loco: c Pag. 310.
[c] ὑμεῖς δὲ καὶ ἐν τούτοις παραγράφειν τὰς ἐξηγήσεις ἃς ἐξηγήσαντο οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν παρὰ Πτολεμαίῳ τῷ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖ γενομένῳ, τολμᾶτε. λέγοντες μὴ ἔχειν τὴν γραφὴν, ὡς ἐκεῖνοι ἐξηγήσαντο, ἀλλ' ἰδοὺ, φησὶν, ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ ἕξει. *Vos autem in his quoque adulterare translationes Seniorum vestrorum, qui apud Regem Ægypti Ptolemæum fuere, audetis: allegantes, non habere Scripturam sicut illi verterunt; sed, Ecce juvencula in utero concipiet.* Sic habere S. Scripturas, non ut verterunt LXXII. Interpretes, affirmaverat antea ipse *Trypho*: [d] Καὶ d Pag. 291.
ὁ Τρύφων ἀπεκρίνατο, ἡ γραφὴ οὐκ ἔχει· ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται· ἀλλ' ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ λήψεται. &c. "Et Trypho respondit: Scriptura non "habet, *Ecce Virgo in utero concipiet & pariet filium*, sed, *Ecce juvencula* "*in utero concipiet. &c.* De alio textu aliter ac apud LXX. Interpretes à Judæis exposito, mentionem alibi facit Justinus, ubi & de locis à Judæis elisis: [e] δυνατὸν δὲ ἦν μοι, ἔφην, ὦ ἄνδρες, μάχεσθαι πρὸς ὑμᾶς περὶ τῆς e Pag. 348.
λέξεως, ἣν ὑμεῖς ἐξηγεῖσθε, λέγοντες εἰρῆσθαι, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. ἐπειδὴ οὐχ οὕτως ἐξηγήσαντο οἱ ἑβδομήκοντα, ἀλλ', ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται. ἐπειδὴ δὲ τὰ ἀκόλουθα μηνύει ὅτι περὶ Χριστοῦ εἴρηται (οὕτω γὰρ ἔχουσι, καὶ αὐτὸς ἔσται προσδοκία ἐθνῶν) οὐ περὶ τοῦ λεξειδίου συζητῆσαι ὑμῖν ἔρχομαι, ὅνπερ τρόπον οὐδὲ ἀπὸ τῶν μὴ ὁμολογουμένων ὑφ' ὑμῶν γραφῶν, ὧν καὶ ἀνιστόρησα, ἀπὸ λόγων Ἱερεμίου τοῦ Προφήτου, καὶ Ἔσδρα, καὶ Δαβὶδ, τὴν ἀπόδειξιν τὴν περὶ τοῦ Χριστοῦ ποιήσασθαι ἐσπούδασα, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ὁμολογουμένων μέχρι νῦν ὑφ' ὑμῶν· ἃ εἰ συνενοήκεισαν οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν, εὖ ἴστε ὅτι ἀφανῆ ἐπεποιήκεισαν, ὡς καὶ τὰ περὶ τὸν θάνατον Ἡσαΐου, ὃν πρίονι ξυλίνῳ ἐπρίσατε. *Poteram autem, O viri, inquam, adversus vos decertare de loquutione, quam vos interpretando profertis, dictum esse asseverantes*; Donec veniant quæ reposita sunt ei. *Nam Septuaginta illi non ita verterunt; sed,* donec veniat cui repositum est. *Quoniam vero consequentia, de Christo dicta esse verba ea, indicant: sic namque habent*; Et ipse erit expectatio gentium: *non disputabo vobiscum de dictiuncula, ita nimirum ut neque ex eis Scripturæ, quam allegans recitavi, locis, quos ipsi non agnoscitis, ex scriptis viz. Hieremiæ Prophetæ, Esdræ, & Davidis recisis, argumenta & probationes de Christo adducere studui; sed ex dictis, quæ hucusque recepta fatemini: quæ si intellexissent Magistri vestri, credite illos ea expuncturos fuisse, sicuti quoque in eis, quæ de cæde Esaiæ scripta erant, fecerunt.*

5. Inter *Hellenistas* à quibus reprobata est Versio LXXviralis, præ aliis emicuit *Aquila Sinopensis*, qui Vetus Testamentum de novo in Græcum vertendum suscepit circa annum Chr. cxxx. Post quem eandem telam texuerunt alii. Versionem *Aquilæ*, derelicta LXXvirali, amplecti statim (ut ex *Justini Dialogo cum Tryphone* palam est) cœperunt *Hellenistæ*, eandemque præcipue, tanquam propius ad Hebræa accedentem,

cedentem, per aliquot secula sunt secuti. Judæos maxime Versionem *Aquilæ* secutos fuisse testatur *Philastrius* Hæresi post Chr. 90. *Sunt Heretici, qui sicuti Judæi, LXXII. sanctorum sapientissimorumque Virorum interpretationem respuentes, Aquilæ cujusdam hominis unius Pontici, qui post annos multos interpretatus est, ædificationem suscipiunt. ——Is veluti plus, à quibusdam Judæis maxime, intellexisse laudatur, cum de Patre & Filio, non sicuti illi priores de Lege, dictaverit. —— Unde Judæi non Septuaginta duorum interpretationes habent, —sed illius Aquilæ. Anastasius Sinaita* in ὁδηγῷ cap. 6. ait *Aquilam Judæis Editionem ad perniciem reliquisse*, ἔκδοσιν πρὸς ἀπώλειαν Ἰουδαίοις καταλείψας. Rursus, οἱ Ἰουδαίων παῖδες, πάσας τὰς Μωσαϊκὰς καὶ προφητικὰς ἐκδόσεις ἀφέντες, τῇ ὑπὸ τοῦ Ἀκύλα παραδόσει, καὶ πλάνῃ στοιχοῦσιν. *Judæi omnibus Mosaicis & Propheticis scriptis missis, falsa ab Aquila traditione nituntur. Origenes* Epist. ad Africanum: οὗτω γὰρ Ἀκύλας δουλεύων τῇ Ἑβραϊκῇ λέξει ἐκδέδωκεν εἰπών· φιλοτιμότερον πεπιστευμένος παρὰ Ἰουδαίοις ἡρμηνευκέναι τὴν γραφὴν, ᾧ μάλιστα εἰώθασιν οἱ ἀγνοοῦντες τὴν Ἑβραίων διάλεκτον χρῆσθαι· ὡς πάντων μᾶλλον ἐπιτετευγμένῳ. *Sic enim Aquila, Hebraicæ dictioni serviens edidit. Quem Judæi honorifice præ aliis credunt interpretatum esse Scripturam; cujus versioni maxime assueti sunt ii, qui Hebræa dialecto ipsi uti nesciunt, tanquam is omnium maxime sensum assecutus fuerit.* Hinc Editio ejus secunda, *Editio Hebræorum quæ* κατ' ἀκρίβειαν *legitur*, nuncupatur ab *Hieronymo Com. in Dan. cap.* 1. & à [a] *Justino Martyre* dicitur interpretatio Aquilæ, *Hebræorum* ἐξήγησις.

Apud ipsos *Talmudicos* citatur nonnunquam *Aquilæ* Versio, in neutro vero unquam *Talmudorum* LXXviralis, teste [b] *Lightfooto*, Viro in illis Voluminibus, si quis alius, versatissimo. Conabantur tandem Hebræorum Magistri Judæos omnes ad Scripturæ *Hebraicæ* lectionem reducere, *Græcas* omnes Versiones, & ipsius etiam *Aquilæ*, censuris quibusdam & anathematismis prohibentes, eosque ad suas Synagogas, ubi prælegebantur expositiones & traditiones *Misnicæ*, compellentes. Huc spectat illud R. *Aseris* in *Megilla*: *Quemadmodum fieri non potest, ut Sol retrorsum oriatur ab occidente ad orientem, sic retrorsum non legunt lectionem Legis.* Cui rei, utpote quæ apud Judæos ingentes diu tumultus excitaverat, Religionique quoque Christianæ nocitura fuit, anno æræ Christianæ 551. obviam ivit *Justinianus* Imp. edita contra Judæos *Novella*, qua sancivit, licere Judæis, quotcunque vellent, vel LXX. vel *Aquilæ* Versione in Synagogis uti, vel alia quapiam vernacula pro locorum ubi vivebant ratione; prohibuitque *Hebraizantibus* in Synagogis suis *Talmudica* prælegere. *Photius* Nomocanone XII. 3. observat *Constitutionem* v. *tit.* III. *Novellarum permittere Judæis, ut in Synagogis suis Græce aliisque linguis pro locorum ratione Scripturas legerent: idque secundum* LXX. *& Aquilæ interpretationem. Qui vero hanc lectionem prohiberet, publicatis bonis exterminandum fuisse.* ἡ δὲ ε'. διατ. τοῦ γ'. τιτ. τῶν νεαρῶν ἐπιτρέπει τοῖς Ἰουδαίοις ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν καὶ Ἑλληνιστὶ καὶ ταῖς ἄλλαις διαλέκτοις πρὸς τοὺς τόπους τὰς γραφὰς ἀναγινώσκειν κατὰ τὴν τῶν ἑβδομήκοντα καὶ τοῦ Ἀκύλου παράδοσιν. ὁ δὲ τὴν τοιαύτην κωλύων ἀνάγνωσιν, δημεύεται, καὶ ἐξορίζεται. Ita *Constit. Eccles. Collectio. lib.* III. *tit.* 3. *Edicto* 5. Ὥστε ἄδειαν εἶναι τοῖς βουλομένοις Ἑβραίοις ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, διὰ τῆς Ἑλληνικῆς φωνῆς, καὶ τῆς Ἰταλικῆς, ἢ καὶ διὰ τῆς τῶν ἄλλων γλώττης συμμεταβαλλομένης τοῖς τόποις, ἀναγινώσκειν τὰς ἱερὰς γραφάς· ὥστε νοεῖν τοὺς συνερχομένους τὴν ἀκρόασιν κατὰ τὴν τῶν ἑβδομήκοντα, καὶ τὴν Ἀκύλου παράδοσιν, καὶ ὥστε τὴν παρ' Ἑβραίοις λεγομένην δευτέρωσιν, ὡς μὴ ταῖς ἱεραῖς συνειλημμένην βίβλοις, κωλυθῆναι τελείως. *Ut licitum sit Hebræis, siquidem velint, in Synagogis suis vel Græca, vel Itala, vel aliorum populorum lingua, cum locis ipsis mutanda, legere Scripturas sacras: ut qui conveniunt intelligant lectionem secundum* LXX. *& Aquilæ editionem, & ita ut omnino prohibita sit ea quæ ab Hebræis secundaria Lex dicitur, ut quæ sacris non sit*

comprehensa

[a] Dial. cum Tryph. p. 360.

[b] Exercit. Heb. & Talmud. in 1 Cor. c. 9.

comprehensa libris. Videtur his verbis, & ab ipso *Photio*, subindicari, legendas fuisse à Judæis Scripturas in omnibus linguis vernaculis juxta Versionem vel LXX. vel *Aquilæ*, quod ego *Novellæ* sensum esse non autumo. Per Legem istam licuit Judæis Versione quacunque *vernacula* uti; & iis qui linguam *Græcam* vernaculam habuerunt, commendatur præ aliis Editio LXXviralis, non tamen prohibentur uti Versionibus aliis Græcis quibuscunque; speciatim vero una cum LXXvirali memoratur *Aquilæ* interpretatio, tanquam iis permissa, quia illa tunc, non aliis, uti & consueverant, & cupiverunt. Edictum ipsum non gravabor Lectori ob oculos ponere, ex versione vetere, sed hominis quidem semidocti: *Novel.* CXLVI.

Necessarium quidem erat Hebraos sacros audientes libros non solis literis adhærere, sed ad reconditas eis prophetias respicere, per quas magnum Deum & Salvatorem generis humani Jesum Christum adnunciant. Sed etiam si insensatis semetipsos interpretationibus tradentes à recta usque nunc aberraverunt gloria (δόξης, sententia) *tamen certare ad invicem discentes ipsos, non sustinuimus sine judicio eis relinquere tumultum. Per has enim ipsorum, quæ nobis addacta sunt* ϖεριλαλούντων *dicimus* (l. didicimus) *quod quidem solum habentes Hebraicam vocem, & ipsa uti in sacrorum librorum lectione volunt, nec Græcam tradere dignantur, & multum dudum tempus hoc pro ad invicem commoventur. Nos igitur hujusmodi discentes meliores judicavimus esse & Græcam vocem sacrorum librorum lectionem tradere volentes, & vocem omnem simpliciter, quam locus aptiorem, & magis cognitam audientibus faciet.*

Sancimus igitur licentiam esse volentibus Hebrais per Synagogas suas, in quocunque Hebræi omnino loco sunt, per Græcam vocem sacros libros legere convenientibus, vel etiam patria forte (*Italica hac dicimus*) *lingua, vel etiam aliorum simpliciter, una scil. cum locis etiam lingua commutata, & per ipsorum lectionem, per quam clara sunt quæ dicuntur, convenientibus omnibus deinceps, & secundum hæc vivere, & conversari. neque fiduciam esse his, qui apud eos sunt expositoribus, solam Hebraicam tradentibus, malignari hanc, quemadmodum voluerint, multorum ignorantia suam ipsorum abscondentes malam consuetudinem. Veruntamen hi, qui per Græcam legunt, Septuagintà utantur traditione, quæ omnibus certior est, & præ aliis melior judicata, præcipue propter quod circa interpretationem contigit, quia & per duos divisi, & per diversa interpretantes loca, tamen unam tradiderunt omnes compositionem.*

Ad hæc vero quis non horum Virorum & illud admiretur, quia multo antiquiores salutari apparitione magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi constituti, tamen illam futuram, tanquam videntes, sacrorum librorum traditionem fecerunt, tanquam prophetiæ gratia circumfulgente eos? Et hac quidem utuntur præcipue omnes. Sed non tamen tanquam eis residuas excludere sanciverimus interpretationes, licentiam damus & Aquilæ uti, etsi alienæ tribus ille, & non competentem in aliquibus sermonibus habet cum Septuaginta interpretatione dissonantiam. Eam vero quæ ab eis dicitur Secunda editio, *interdicimus omnimode, utpote sacris non conjuncta libris, neque desuper traditam de Prophetis, sed inventionem constitutam virorum ex sola loquentium terra, & divinum in ipsis habentium nihil. Et ipsas ergo sacras voces legunt, Codices ipsos respuentes* (ἀναπτύσσοντες, aperientes) *sed non abscondentes quidem quæ per eos dicta sunt: exterioribus vero traditis sine scriptis, vanæ vocis utentes, ad simpliciorum per ipsos excogitatis perditionem. Ut hac data à nobis licentia, neque damnis aliquibus subjiciantur omnino, qui Græcam vocem & alias tradunt, neque ab alio quovis prohibeantur.*

Neque licentiam habebunt hi, qui ab eis majores omnibus [a] Archipheretic æ, *aut Presbyteri forsitan, vel Magistri appellantur, perinæis* (ϖεριοίαις animadversionibus, censuris) *aliquibus, aut anathematismis hoc prohibere, nisi velint propter hoc castigari corporis pœnis, & insuper privationem fa-*

[a] Sive *Archipheretica*: de qua voce adeundus Morinus lib. 2. Exercit. c. 2. de Heb. Græcique text. sincer §. 9

cultatum nolentes sustinere: meliora vero, & Deo amabiliora volentibus nobis, & jubentibus. &c.

Quid significaret τὸ, προσκλύσεων, ignoravit Interpres, atque ipse etiam Annotator *Cujacius*, qui *additiones* vertit. Ea voce significat Imperator se ex *libellis supplicibus* Judæorum Hellenistarum didicisse, quantas turbas excitaverat lectionis Græcæ prohibitio: δι' αὐτῶν γὰρ τῶν προσενηνεγμένων ἡμῖν προσκλύσεων ἐμάθομεν. &c. Eodem sensu προσήρχεσθαι τῇ βουλῇ apud *Demosthenem*, & προσίεχεσθαι τῷ βήματι apud *Chrysostomum* frequenter.

Per *Secundam Editionem*, quam ponit Interpres, *Aquilæ Editionem posteriorem* intelligi putant [a] *Jo. Weemsius*, & [b] *Is. Vossius*. Cui sententiæ res ipsa reclamat, &, quicquid dicit *Vossius*, res est apertissima, Interpretem Latinum verba ista, τὴν παρ' αὐτοῖς λεγομένην δευτέρωσιν, perperam reddidisse. Erant δευτερώσεις proprie Traditiones *Rabbinicæ*, sive *Misnicæ*, sic dictæ, ut nonnullis placet, quia post Scripturam, *secundas* eis tribuebant; vel potius quia eas tanquam *Legem secundam* observabant: aliis, tanquam *secundæ expositiones*. Unde & δευτερωταὶ vocabantur Hebræorum Doctores. In [c] *Forma accipiendi Judæum ad Christianam fidem accedentem*, anathematizat is καὶ τὰς δευτερώσεις καὶ τοὺς δευτερωτάς. *Procopius* in Esaiam: δύο δὲ τείχη τῆς κατὰ Θεὸν πολιτείας, ἥ τε παλαιὰ καὶ καινὴ Διαθήκη, ὧν οὐδετέρας οἱ τῶν πρεσβυτέρων μετέχουσι παραδόσεις, ἐφ' αἷς οἱ Δευτερωταὶ λεγόμενοι παρ' ἐκείνοις ἀλαζονεύονται. B. *Hieronymus* Com. in Hab. cap. 2. *Audivi Liddæ quendam de Hebræis, qui sapiens apud illos & δευτερωτὴς vocabatur, narrantem hujusmodi fabulam &c.* In Es. cap. 10. *Nobis autem videtur contra judices tribus Judæ & Hierusalem, scribas viz. & δευτερωτὰς, sermo propheticus conclamare, quod adversum Legem Dei iniquas scripserint Leges: & traditionibus suis subverterint judicii veritatem.* Ibidem cap. 8. *Sammai igitur & Hillel non multo prius quam Dominus nasceretur, orti sunt in Judæa, quorum prior dissipator interpretatur, sequens prophanus; eo quod per traditiones & δευτερώσεις suas Legis præcepta dissipaverint atque maculaverint.* In Matth. cap. 22. *Duæ hæreses erant in Judæis, una Pharisæorum, altera Sadducæorum. Pharisæi traditionum & observationum, quas illi δευτερώσεις vocant, justitiam præferebant; Sadducæi autem &c.* Idem Epistola ad *Algasiam* Quæst. 10. *Quantæ traditiones Pharisæorum sint, quas hodie vocant δευτερώσεις, & quam aniles fabulæ, evolvere nequeo. Neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere. Dicam tamen unum in ignominiam gentis inimicæ.* Iterum ibid. *Videntur igitur observationes Judaicæ apud imperitos, & vilem plebeculam, imaginem habere rationis, humanæque sapientiæ. Unde & Doctores eorum σοφοὶ, hoc est, Sapientes vocantur. Et si quando certis diebus traditiones suas exponunt, discipulis suis solent dicere οἱ σοφοὶ δευτερώσεις (l. δευτεροῦσιν) id est Sapientes docent Traditiones.* Epist. 143. ad *Damasum* P. ait Judæos *in iis, quas vocabant δευτερώσεις, universam sententiam posuisse.* Δευτερώσεων meminit idem *Hieronymus* in *Es.* c. 3, 58, 59. in *Ezech.* 36. in *Hos.* 3. Augustinus contra Adversarium Legis & Prophetarum l. 2. c. 1. *Nescit habere præter Scripturas legitimas & Propheticas, Judæos quasdam traditiones suas, quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quam δευτέρωσιν vocant. Ubi etiam dicere audent & credere Deum primo homini duas creasse mulieres ex quibus texunt genealogias, vere sicut ait Apostolus infinitas, &c.* *Olympiodorus* Com. in Eccles. XII. τὰς τῶν Ἰουδαίων δευτερώσεις τὰς ἀπεράντους καὶ μυθικάς· ἑρμηνεύειν γὰρ σχηματιζόμενοι τὰς γραφὰς, εἰς μύθους καὶ γενεαλογίας ἐξετράπησαν, καὶ παραδόσεις τινὰς οὐ κατὰ τὸ τοῦ νομοθέτου βούλημα. Quæ sic vertit Interpres: *Recentia Judæorum volumina ac secundaria, quæ infinita prope sunt, fabulisque conferta. Dum enim Scripturas novis quibusdam figuris interpretari student, in ridiculas fabulas & genealogias conversi sunt,*

[a] Christ. Synag. cap. 5.
[b] Resp. ad iteratas Simonii Object. p. 351. & Resp. ad tertias Simonii Resp. p. 84.
[c] Ed. à Coteletio not. in Clementis Recog. lib. 1.

sunt, traditionesque ediderunt à sententia Scriptoris longissime aberrantes. Epiphanius adv. Hær. lib. 1. c. 15. δευτερώσεις δὲ παρ' αὐτοῖς τέσσαρες ἦσαν. μία μὲν εἰς ὄνομα Μωυσέως τοῦ προφήτου. δευτέρα δὲ εἰς τὸν διδάσκαλον αὐτῶν Ἀκιβὰν οὕτω καλούμενον, ἢ Βαρακιβᾶν. ἄλλη δὲ εἰς τὸν Ἀνδὰν, ἢ Ἀνναν, τὸν καὶ Ἰούδαν. ἑτέρα δὲ εἰς τοὺς υἱοὺς Ἀσαμωναίου. Ἐκ τούτων τῶν τεσσάρων δευτερώσεων, ὅσαι παρ' αὐτοῖς νενόμισται εἶναι σοφίαι, ἀσοφίας δὲ τὰ πλεῖστα, αὐχεῖται καὶ ἄδεται, καὶ ἐν τάξει προκειμένης διδασκαλίας βοᾶται τε καὶ φημίζεται. *Quatuor apud eosdem Traditionum, quas* δευτερώσεις *vocabant, fuere genera. Primum Mosis Prophetæ nomine est inscriptum. Secundum Akibæ cuidam Magistro, vel Barakibæ tribuunt. Tertium Andani, vel Annani, qui & Judas dicitur. Quarti Assamonæi filios auctores jactitant. Quatuor ex hisce fontibus manarunt ea, quæ apud illos inani quadam opinione sapientiæ constituta, cum sint inepta pleraque, prædicantur nihilominus; ac tanquam ab excellenti disciplina profecta summa ostentatione celebrantur.* Rursus Hær. 33. n. 9. *Legem asseris trifariam esse divisam, ut partim à Deo, partim à Moyse, partim a Senioribus manarit. De Senioribus porro cur ita sentias, nihil ut apparet, afferre potes in Scripturis expressum. Nusquam enim in Lege tradita illa à Senioribus decreta memorantur.* αἱ γὰρ παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων, δευτερώσεις παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις λέγονται. εἰσὶ δὲ αὗται τέσσαρες. μία μὲν, ἡ εἰς ὄνομα Μωϋσέως φερομένη· δευτέρα δὲ ἡ τοῦ καλουμένου Ῥαββὶ Ἀκιβά· τρίτη, Ἀδδά, ἤτοι Ἰούδα· τετάρτη, τῶν υἱῶν Ἀσαμωναίου. *Nam Seniorum Traditiones* Δευτερώσεις *à Judæis vocantur. Quatuor autem illarum sunt genera. Primum est, quod sub Mosis nomine circumferunt; Secundum est, quod Rabbi Akibæ tribuunt. Tertium Addæ, sive Judæ. Quartum ad Asamonæi filios refertur.* Idem in Resp. ad Epist. Acacii & Pauli: Ἰουδαίων αἱρέσεις ἑπτά. Γραμματεῖς, οἵτινες νομικοὶ μὲν ἦσαν, καὶ δευτερωταὶ παραδόσεων τῶν παρ' αὐτοῖς πρεσβυτέρων τῇ περιττοτέρᾳ ἐθελοθρησκείᾳ ἔθη φυλάττοντες, ἃ οὐ διὰ τοῦ Νόμου μεμαθήκασιν, ἀλλ' ἑαυτοῖς ἐτύπωσαν σεβάσματα δικαιώματος τῆς νομοθεσίας. *Judæorum sectæ numero* VII. *ac primo Scribæ, legis periti & traditionum, quas a majoribus acceperant observatores fuere (unde* δευτερωταὶ *vocantur) ac ritus omnes superstitiosius cæteris, diligentiusque tenuerunt: quos non è Lege didicerant, sed sibimetipsis, tanquam justitiæ Legis singulares cultus ac cæremonias indixerant.* Sunt qui Legis Mosaicæ partem, quæ ad ritus & sacrificia pertinet, δευτέρωσιν appellant. Auctor Constitut. Apost. l. 6. πλὴν καὶ τὸν Νόμον ἀναγινώσκων, τῶν ἐν αὐτῷ ἐπεισάκτων ἀπέχου εἰ καὶ μὴ πάντων, ἀλλά τινων, τῶν τῆς δευτερώσεως· &c. *Sed & dum Legem lectitas, abstine ab iis, quæ in ea sunt ascita; & si non ab omnibus, à quibusdam tamen, quæ ad* Δευτέρωσιν *pertinent: quæ tantummodo historicæ cognitionis caussa lege, ut agnoscas, laudesque Deum, quod te talibus tantisque vinculis liberarit.* Ibid. II. 5. jubetur Episcopus, ut dum Scripturas interpretatur, *ante omnia sit divisor probus, qui Legem &* Δευτέρωσιν *sciat distinguere;* (νόμον καὶ δευτέρωσιν διαιρῶν) *& quid sit Lex fidelium, quid vero infidelium vinculum, demonstrare.* Rursus VI. 22. *Fuitque ipse Legislator* (Christus) *plenitudo Legis; non sublata Lege naturali, sed abolitis iis, quæ per Deuterosin adscita erant* (τὰ διὰ τῆς δευτερώσεως ἐπείσακτα,) *tametsi non omnibus.* Ad hunc locum videtur *Photius* adlusisse in Epistola 50. (non ad *Pharisæorum* sive *Rabbinorum* Deuteroses, quod existimat *Montacutius*) Legem δευτερώσεως opponens *Legi priori*, atque ita nominis rationem explicans his verbis: εἰ δέ τις καὶ τοῦτο λέγοι, τὸν μὲν ἐν τῷ γράμματι νόμον λελυκέναι τὸν Κύριον, πεπληρωκέναι δὲ τὸν ἐν πνεύματι, οὐδὲν τῶν ἀπεικότων ἐρεῖ. τὸ δὲ λέγειν, ὅτι τὸν μὲν τῆς δευτερώσεως νόμον ἔλυσε, τὸν δὲ τῆς πρώτης νομοθεσίας ἐπλήρωσε ληρούντων ἐστίν. *Si quis asserat Dominum dissolvisse Legis literam, implevisse autem spiritualem Legem, non abludit à vero. At affirmare quod Legem* δευτερώσεως *dissolvit, primo autem sancitam Legem implevit, delirantis est sententia.* Nec desunt qui pro *Deuterosibus* dicant *Deuteronomium* Sic *Photius* idem in *Bibliotheca*, dum de *Constitutionibus Apostolicis* judicat, respiciendo

respiciendo ad loca, quæ adduximus, eas reprehendit, *ὅτι κατὰ τοῦ Δευτερονομίου ὕβρεις τινὰς ἐπιφέρησιν·* *quod contra* Deuteronomium *criminationes quasdam adducant*: ubi perperam à *Blondello* in *Pseudo-Isidoro* substitui *κατὰ τοῦ δευτέρου νόμου*, animadvertit *Cotelerius*. Sic B. *Anselmus* ad Matth. XXII. 23. exscribens interpretationem B. *Hieronymi*, *δευτερώσεις* mutat in *δευτερονόμιον*. Et *Maximus* in Scholiis ad Epistolam 9. *Dionysii*, Judaicas Deuteroses & traditiones per nomen *Deuteronomii* exprimit: *ὅπερ ἡ μὲν γραφὴ οὐ λέγει, οἱ δὲ Ἑβραῖοι ἐν τῷ δευτερονομίῳ ἔχουσιν.* [a] *Is. Vossius* existimat (sed paucos certe paulo cordatiores consentientes sibi habiturus) *Hieronymi* ætate nullum, præter sacros, librum *Hebraicum* extitisse; Græce omnes Judæos scripsisse, adeoque ipsas quoque *δευτερώσεις* seu traditiones, Græco ab illis concinnatas fuisse sermone: Primum librum Hebraice conscriptum fuisse *Misnam*, idque tempore *Justiniani* aut non multum postea, cujus rei causam fuisse, quod cum hujus Imperatoris edicto cautum esset ne Judæi in Synagogis legerent *δευτερώσεις*, seu librum traditionum, illi ut edictum eluderent, scriptum hoc in Hebræum converterint sermonem. Ad hoc exclamat, nec immerito, Simonius, *Risum teneatis amici?* Non ridet vero ille, ut innuit in Responsione sua [b] *Vossius*, quod dixerit *Vossius δευτερώσεων seu traditionum pleraque monumenta quibus usi fuere Judæi jam à temporibus Christi & diu antea, usque ad tempus quo Hebraice scribere cœperunt; Græco fuisse concinnata sermone*: sed quod dixerit eos nihil ante *Misnam* Hebraice conscriptum habuisse, & librum istum primo Græce conscriptum Hebraice transtulisse ut edictum Justiniani eluderent. Aliorum [c] opinio est, ad *Græcam* quandam translationem *Misnæ*, quæ in Synagogis legi solita fuerit, alludere *Justinianum*. Judaicarum traditionum librum, *Testamento Novo mole æqualem*, quæ non alia fuerit quam *Misna* hodierna, se vidisse testatur *B. Hieronymus*, citante doctissimo [d] *Edv. Bernardo*: quo vero in loco id dicat *Hieronymus*, mihi quidem incompertum, & vereor ne fallatur Vir summus. De *Misnæ* autem *Gemaræque* origine videre est *Maimonidem* in Præfatione *Seder Zeraim* latissime disserentem. Collectorem primum *Misnæ* fuisse *Judam*, qui & *Rabbenu Hakkadosh* nominatur, decimum tertium in Scholæ successione à *Simeone Justo*, ex eo intelligimus. *Elias Thesbites* radice *Thana*: *Sapientes Mischnah, Thanaim vocantur, quorum primus fuit Schimeon Justus, & postremus Rabbi noster Hakadosch. Post illos inceperunt Amoraim, quorum primus omnium fuit Rabba, & postremi Rabbena, & Rab Asche, qui composuit* [e] *Talmud.* Adi *Morinum* Exercit. Bibl. 6. lib. 2. c. 2.

6. [f] *Simonius*, post Salmasium, existimat non modo Versionem Græcam, sed & contextum Heb. ab ipsis *Hellenistis* in Synagogis legi solitum fuisse; cui contextûs Heb. lectioni additam fuisse explicationis causa lectionem Græcæ interpretationis, eodem scil. modo quo illi qui Chaldaicam linguam habuere vernaculam textum Heb. prius legebant, & deinde exponebant paraphrasi Chaldaica. Hinc quoque factum fuisse ut Græca illa LXX. interpretatio quibusdam in locis minus accurate verba contextus Heb exprimat, quia scil. illius concinnatores Paraphrastarum potius quam Interpretum, locis præsertim obscurioribus, munus obierunt. Id autem affirmat aperte significari verbis illis Constitutionis Justiniani præcitatæ, (juxta aliam translationem:) *Didicimus quosdam solam habentes vocem Hebræam etiam ipsa uti velle in sacrorum librorum lectione, alii vero Græcam quoque editionem assumendam esse arbitrantur, & jamdudum hac de re inter se disputant. Nos igitur his auditis meliores judicavimus eos esse, qui Græcam quoque Versionem volunt assumere.* Mihi verba ista diligenter expendenti haud satis clare apparet id quod in illis vidit Vir doctus. Cum dicitur enim *Græcam*

QUOQUE

a De Orac. Sibyl. c. 16.

b Ad iteratas Simonii Object. p. 350.

c Ed. Bernardi Præf. in *Guisii Misnam*.

d Ibid.

e Apud Morinum Exerc. I. lib. 1. c. 6.

f Hist. Crit. l. 2. c. 17 & Disquis. Crit. c. 16. & Hist Crit. T. N. c. 27.

QUOQUE *lectionem* assumendam esse, illud QUOQUE hoc sensu intelligi potest, ut dicatur, *non modo licere textum Heb. legere, sed quoque licere Versionem legere.* Et cum non solam Versionem LXX. verum etiam *Aquilanam*, in Synagogis legi prohibebant Judæorum Magistri, uti docet illa *Constitutio*, verisimilius videatur in Synagogis illis lectam fuisse Versionem absque textu Heb. Et inde fuit, ni fallor, quod credidit *Philo* Pentateuchi Versionem cum Hebræo exactissime convenisse, quod cum sine Hebræo in Synagogis *Alexandrinis* solebat lectitari Versio, nec solebat cum Hebræo conferri, differentiæ illæ diu latuerunt & incognitæ fuerunt. Statuit ipse *Simonius* Philonem ideo latuisse varietates istas, quia nunquam Versionem cum textu Hebræo contulerat. At quomodo latere potuissent illæ, si in Hellenistarum Synagogis una cum Versione prælegerentur Hebræa? Cum dicitur Judæos hodiernos *Arabicos* Scripturas legere in Synagogis Arabice, *Persicos* Persice, *Casenses* Turcice, in confesso est tantum intelligi debere Expositiones sive Paraphrases, quas eorum Doctores in *Scholis* habent, non Legis lectionem strictius sic dictam. Confunduntur enim nonnunquam vocabula *Synagoga* & *Schola*: & usui *Scholarum*, quas *Bet midras*, *domum Expositionis*, vocant, *Synagogis* vulgo adjunctarum, inserviunt ipsæ *Synagogæ*, ubi *Scholas* à *Synagogis* distinctas non habent. Attamen quod hodie Scriptura tantum *Hebraice* lectione solenni legitur, credo inde evenisse, quod decreto isti Magistrorum, de quo loquitur *Novella Justinianea*, universi tandem obtemperarint moremque gesserint. Quod *Salmasii* auctoritate sententiam suam, de eo quod in omnibus Judæorum Synagogis legebantur Codices *Hebrai*, fulcire conatur *Simonius*, id in Viro pereruditos minime laudo. Unde id *Salmasio* notum? Erat id *opinio tantum*, uti recte reponit *Vossius*, *quæ nec uno quidem adstrui possit testimonio.*

7. At si concidit sententia *Simonii*, à vero longe alienior est ista *Vossii*, existimantis, [a] *omnes Judæos promiscue usos fuisse lingua Græca, tam in Synagogis quam alibi, & Scripturas Hebraice fuisse lectas in nullis Synagogis tempore Apostolorum, aut etiam duobus aut tribus seculis postea.* Quæ opinio est hominis in sui defensionem, & contra textum Heb. per fas aut nefas nihil non molituri. Statuit autem linguam *Græcam* etiam ipsis *Hierosolymitis* fuisse *vernaculam*. Quæ opinio plene refutatur à *Simonio* Hist. Crit. T. N. cap. 6.

8. Versionem LXXviralem à Judæis suorum temporum non fuisse probatam meminit S. *Hieronymus* cum alibi passim Commentariorum, tum Præfatione in Psalmos ad *Sophronium*: *Quia igitur nunc cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti, volensque te illudere, per sermones pene singulos asserebat non ita haberi in Hebræo, ut tu de* LXX. *Interpretibus opponebas*: *studiosissime postulasti, ut post Aquilam & Symmachum & Theodotionem, novam editionem Latino sermone transferrem.* B. Augustinus de Civ. Dei XVIII. 43. ait *Judæos fateri Hieronymi Versionem esse veracem*, LXX. *vero Interpretes in multis errasse contendere.* *Ruffinus* in *Invectiva* meminit Judæos secutos fuisse *maxime* Versiones cæteras. Testatur *Origenes*, *solitos fuisse Judæos ridere credentes ex Gentibus, tanquam eos, qui quæ vera & genuina sint apud ipsos scripta, ignorarent*; Epist. ad Afric. ὁ καταφρονήσωσιν, μηδ᾽ ὡς ἔθος αὐτοῖς, γελάσωσι τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν πιστεύοντας, ὡς τ᾽ ἀληθῆ παρ᾽ αὐτοῖς ἀναγεγραμμένα ἀγνοοῦντας. Inter Rabbinos recentiores, quotquot Græcam Versionem ab Hebræis exemplaribus abire, compertum habuerunt, Versionem ii omnes, aut tanquam imperitius elaboratam, aut tanquam corruptam, damnabant. *Abarbinel errores Interpretum eorumque confusiones* in annis statuendis perstringit. *Azariæ* [b] sententia est, libros sacros post Captivitatem

[a] Epist. ad Schotanum.

[b] Apud Morinum diatr. Elench. & Exerc. VIII. l. 1. c. 4.

vitatem Babylonicam duplices fuisse, correctos & incorrectos; correctos in manibus Sanhedrin & Sacerdotum fuisse, incorrectos in manibus populi Judaici & Samaritani. Cujus rei, inquit, ratio fuit, quod libri sacri in Captivitate Babylonica corrupti fuerunt; eorum autem Esdras unum correxit, & in pristinum statum restituit, quem Sanhedrin & Sacerdotibus conservandum tradidit, è quo Sacerdotes & populi Principes, suos describebant: reliquos autem libros plebi legendos reliquit, qui postea Chaldaice longe ante Onkelon translati sunt, eo quod dialectus illa post Captivitatem Babyl. Judæis esset vernacula. Ex ista autem Chaldaica Versione facta ex libris incorrectis, existimat Græcam LXX-viralem fuisse confectam, idque hoc argumento: *En affero* (inquit) *tibi adhuc ex libris publicis Christianorum, argumentum evidens* LXX. *non vertisse ex exemplari quod correxit Esdras in lingua sancta, sed tantum ex Chaldaico publicato tunc & vitiato promiscuæ plebeculæ. Est autem istud: Cum eorum Apostoli & Evangelistæ, qui Judæi erant, & in terra Israelis vivebant, commemorant aliquem versum, non est dubium quin illum efferant lingua tunc apud illos consueta, quæ erat Chaldaica, non autem lingua Græca propter Versionem* LXX. *Græcis factam. Quid enim iis & ipsi, sive consideres loquentes, sive eos qui audiebant. Præterea quod attinet ad id quod dicitur Actorum* 2. *quod Salvator eorum Apostolis suis concessit gratiam intelligendi omnes linguas populorum ad quos proficiscerentur, ex quo confitentur quod Judæis loquebantur lingua ipsis usitata, non autem lingua extranea. Insuper si inquiras in versus qui differunt à libris sacris, quos facile reperies in indice excuso post Biblia, atque etiam è regione, videbis varietatem eorum eandem omnino esse quæ deprehenditur in interpretatione Græca. Quod si ita est, tibi argumento est* LXX. *vertisse ex ipsis Chaldaicis.* Argumentum aliud exinde ducit, quod *Philo* linguam, ex qua Versionem suam fecerint LXX. *Chaldaicam* appellat. Aliud exinde, quod *Aristeas, Philo, & Josephus,* scribunt Versionem Græcam cum libris illis e quibus expressa est, exactissime convenisse; unde concludit libros illos fuisse *Chaldaicos,* non *Hebræos* correctos, Versionem istam *Chaldaicam,* eandem fuisse cum hodierna Samaritana arbitratur.

Contendit idem *Azarias,* Hebraici textus & Versionis Græcæ differentias, si modo ex Hebraico exemplari ea facta fuisset, non Judæis, sed ipsis Gentilibus Alexandrinis adscribendas esse. Alexandrinos & Judæos sibi invicem infestos fuisse, ex *Philone* & *Josepho* ostendit. Solenne præterea fuisse Alexandrinis libros corrumpere, *Origenianorum* librorum exemplo probat, quos, inquit, ab iis corruptos fuisse demonstrat Joannes Picus Mirandulanus in Apologia pro Origene. Deinde ex Juliani Imp. lib. 4. qui refert Alexandrinos naturali quadam inclinatione mendaces esse & impudentes. Differentiarum istarum causam, his non contentus, Bibliothecæ Alex. incendio adscribit, quo αὐτόγραφον fuerit consumptum. Denique ad punctorum absentiam recurrit, qua contigerit Interpretes traditioni non innitentes offendere sæpe & hallucinari.

[a] Ap. eundem ibid. §. 1. *Gedalias* in [a] *Catena Cabalæ,* Azariam secutus, istarum differentiarum tres reddit rationes. Ait Ægyptios Judæorum odio Legem Græce conversam transcribendo falsasse, atque hinc errores in cæteros codices irrepsisse; nec Ægyptios tantum gentiles intelligit, sed ipsos Christianos; siquidem dicit [b] *à Nazarenis Versionem istam misere corruptam fuisse, supposita etiam narratione fabulosa nomine Aristeæ.* Secundam differentiarum causam in incendium Bibliothecæ Alexandrinæ derivat. Tertio monet nonnullos asserere LXX. è lingua Heb. sacros libros non transtulisse, sed Chaldaica.

[b] Ap. Vorstium not. in Ganzium.

De Judæorum sententia, plura quædam dicturi sumus in libro ultimo; hic tantum paucis subjiciam, quid de Versione Latina Vulgata ii senserint

ſerint atque decreverint. Verſionem *Hieronymianam* ſeu Latinam Vulg. quanti æſtimaverint Judæi ſeculi XII. nos docet *Guibertus* Abbas *Novigentinus*, qui eo ſeculo ineunte claruit, Tract. contra Judæos c. 3. *Negatis adhuc Virginem? agnoſcite ejuſdem Iſaiæ Prophetæ illud: Ecce Virgo &c. Sed vos dicitis, quia halma nomen Heb. apud vos non Virginem, ſed adoleſcentulam ſignificet: & adoleſcentula plane poteſt eſſe non Virgo. At Hieronymus, quem vos ſcientiſſimum teſtari conſuevistis interpretem, & quo veſtrum quidam mecum diſceptaturus perhibuit, quod in confligendo nullatenus exorbitare de ejus tranſlationibus vellet. &c.* A R. *Joſeph Albo*, *citante Waltono* vocatur Hieronymus *ſapiens Tranſlator*, ab *Aben Ezra* ad Pſal. 3. *Interpres præputiatorum*; à *Kimchi* ad Pſ. 110. *Interpres* abſolute. Sic etiam nuncupatur à R. *Azaria*, Magiſtro nupero modo citato, *Interpres Chriſtianorum*, κατ' ἐξοχὴν.

Sed ſua ætate h. e. circa an. 1530. ſolitos fuiſſe Judæos eam plane contemnere, tanquam vel minus perite elaboratam, aut corruptam, teſtatur *Steuchus Eugubinus*. Ab *Elia* tamen *Levita*, qui Romæ eadem ætate literas Heb. docuit, dicitur *doctus Hieronymus*.

CAP. II.

Utrum Apoſtoli & Evangeliſtæ textum Heb. an Græcam Verſionem potiſſimum ſint ſecuti. Agnoſcitur & oſtenditur eos nonnunquam ſequi Verſionem Græcam etiam ab Hebræo deflectentem. 35. &c. *De Cainane juniore.* 60. *Sed alia multa loca, in quibus ab Hebræo diſceſſiſſe creduntur, Hebræo revera ſaltem ſenſu conſonare oſtenditur.* 37. &c. *Et alia non pauca proferuntur teſtimonia, in quibus, non Græcam Verſionem, ſed Hebræum ipſum ſecuti ſunt.* 2. &c. *B.* Hieronymi *hac de re inconſtantia.* 34. 36. *Loca in quibus juxta* Capellum *Scriptores Novi Teſt. Verſionem etiam errantem ſequuntur, ad examen revocata.* 70. &c. *Pſalmos* 1. & 2. *apud Hebræos veteres pro uno habitos fuiſſe.* 32. *De Pſalterii quintuplici diviſione.* 55. *Opinio* Danæi &c. 80.

IN laudem Verſionis Græcæ allegat *Olympiodorus*, ſive quis alius apud [a] *Comitoli* Catenam Græcorum Patrum in Job, *ſanctos Patres*, Scripturarum veterum *librum ab Apoſtolis ex ea accepiſſe*. Et, apud *Catenam Græcam in Prophetas*, ſcribit [b] *Theodorus Antioch. Apoſtolos illa uſos fuiſſe, univerſiſque nationibus integram tradidiſſe.* [c] B. Irenæus, Epiſcopus Lugdunenſis, affirmat *Apoſtolos conſonare* LXX. *Seniorum interpretationi, & interpretationem conſonare Apoſtolorum traditioni. Petrum, & Joannem, & Matthæum, & Paulum, & reliquos deinceps, & horum ſectatores, Prophetica omnia ita annunciaviſſe quemadmodum ea continet. &c.* Quæ verba ita intelligunt *Bellarminus*, *Baronius*, *Waltonus*, alii, ac ſi dixiſſet omnia quotquot ex V.T. ab Apoſtolis & Evangeliſtis proferuntur teſtimonia, ex Græca Verſione petita eſſe. Sed qui integrum locum [d] accuratius expenderit, is perfacile videbit, non loqui ſanctiſſimum Patrem de teſtimoniis ex V. T. ab Apoſtolis & Evangeliſtis deſcriptis, ſed hoc tantum ſibi voluiſſe, Apoſtolorum prædicationem adventus Chriſti concordare cum Prophetarum prædictionibus, quæ in Græca editione habentur. Ingenti cum fiducia (ut ſolet) aſſeverat [e] *Iſ. Voſſius*, *Chriſtum & Apoſtolos eadem verba & eoſdem quos* LXX. *Interpretes* UBIQUE *expreſſiſſe ſenſus.*

[a] Pag. 43.
[b] Cit. à Lorino ad Acta Apoſt. VII. 14.
[c] III. 25.
[d] Locum integrum vide inferius prolatum, c. 3. §. 8.
[e] De Orac. Sibyl. c. 14.

2. Alii rectius ſtatuunt Apoſtolos & Evangeliſtas in illis locis, ubi à ſe invicem diſſentiunt *Hebraicus* Textus & *Græca* Interpretatio, *Hebræum* nonnunquam ſequi, aliquando etiam *Græcum*. *B. Auguſtinus* Epiſt. ad Hieron. *Neque parvum pondus habet illa* (Interp.) *quæ ſic meruit diffamari, & qua uſos Apoſtolos, non ſolum res ipſa indicat, ſed etiam te atteſtatum eſſe memini.* Idem tamen De Civ. Dei XVIII. 44. *Longitudinem* (inquit) *fugio ut non hæc per multa demonſtrem, in quibus ab Hebraica veritate putantur* LXX. *Interpretes diſcrepare, & bene intellecti inveniuntur*

tur esse concordes. Unde etiam ego pro meo modulo vestigia sequens Apostolorum, quia & ipsi ex utrisque, id est, ex Hebræis, & ex LXX. *testimonia prophetica posuerunt, utraque auctoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina est.* Et esse ubi, derelicta Versione, ad Hebræum textum discedant, agnoscit ipse [a] *Morinus*: *Aperi modo Novi T. volumen, deinde LXX. Interpretum Biblia, simul & Hebraica: quod primum occurrerit, periclitare, & cum Græco & Hebraico textu compara, statimque ipsissima verba in LXX. translatione quæ in Apostolico textu deprehendes. Si quæ à Græco textu paululum variant, ab Hebraico immaniter variabunt. Excipienda tantum sunt tria, aut quatuor, quæ ex æquo à textu Græco & Hebraico aberrant, totidem de quibus neuter textus mentionem facit. Ex innumeris unicum superest, aut alterum fortasse, quod revera cum Hebræo textu convenit, non cum Græco, eo quod dictionem Hebræam cum una literula abundante legerunt.*

[a] Lib. 1. Exercit. 3. c. 3. §. 3. Edit. in 4°.

3. Ulterius progreditur B. *Hieronymus*, & non modo asserit Scriptores sacros ex *Hebræo* interdum testimonia desumpsisse, verumetiam ubicunque ab Hebræo Græca Versio recedit, Hebræum illos sequi, multis locis vehementer contendit. Christum Dominum ex Hebræo quædam, quæ in Græca Versione non habentur, recitâsse animadvertit Præf. in Paralip. ad Chromatium. *Christus Dominus noster, utriusque Testamenti conditor, in Evangelio secundum Joannem: Qui credit, inquit, in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Utique scriptum est, quod Salvator scriptum esse testatur. Ubi scriptum est?* LXX. *non habent: Apocrypha nescit Ecclesia. Ad Hebræos igitur revertendum est, unde & Dominus loquitur, & Discipuli exempla præsumunt.* Apolog. II. adversus Ruff. ad finem: "*Dominus* atque Salvator ubicunque veteris scri-" pturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponit exempla, ut est illud: "*Qui credit in me, sicut Scriptura dicit, flumina de ventre ejus fluent aquæ* "*vivæ.* Et in ipsa cruce אלי אלי למה עזבתני *Eli Eli lamma asabthani,* "quod interpretatur: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* non "ut à LXX. positum est: *Deus Deus meus, respice in me, quare me de-* "*reliquisti?* Et multa his similia. Quærunt Viri eruditi quo ex loco ver-"ba illa, *Flumina de ventre ejus &c.* deprompserit Salvator." *Hieronymus* alibi monet, ex *Proverbiis* juxta Heb. fuisse deprompta. Quo ex loco Proverbiorum? Designat procul dubio cap. XVIII. 4. ubi tamen haud propius ad verba à Christo prolata accedit textus Hebr. quam Translatio. Heb. juxta Pagninum; *Aquæ profundæ verba oris viri; torrens scaturiens vena sapientiæ.* Juxta Lat. vulg. *Aqua profunda verba ex ore viri; & torrens redundans fons sapientiæ.* Græc. ὕδωρ βαθὺ λόγος ἐν καρδίᾳ ἀνδρὸς, ποταμὸς δὲ ἀναπηδύει καὶ πηγὴ ζωῆς. *Aqua profunda sermo in corde viri; flumen autem scaturit & fons vitæ.* Male tamen dicit [b] *Morinus* Versionem Græcam à verbis Christi *multo propius abesse. Hieronymo* ego facile assentior, ex Hebræo Dominum hæc protulisse, & sensum potius quam verba exprimere voluisse. Aliorum conjecturas, quæ mihi minus probabiles videntur, legere est in *Erasmi*, *Grotii*, *Capellique* Annotationibus ad *Joan.* VII. 28.

[b] Lib. 1. Exercit. 3. c. 5. §. 4.

"Christus ipse (inquit [c] *Jo. Despieresius*) Joannis X. 35. Scripturam S. "hoc est textum Heb. V. T. authenticum declarat, cum ait: *Nonne* "*scriptum est in Lege vestra,* i. e. in Scriptura S. nempe Psal. 81. 6. *Quia* "*ego dixi, Dii estis? Si illos Scriptura dixit Deos, ad quos sermo Dei* "*factus est, & non potest solvi scriptura,* i. e. & quod scriptum est, non "potest non esse verum, ita Hilarius: vel non potest falsitatis argui, "ita Glossa Interlinearis: vel non potest dici, quod Scriptura conti-"neat falsum, ita Lyranus: vel & non potest Scriptura rejici ut "falsa, ita Tyrinus: & hæc omnia quid aliud volunt, quam Scri-

[c] De textu Heb. Disp. 3. dub. 1.

"pturam

"pturam S. esse authenticam; ergo Christus ore suo sacrosancto af-
"firmat, & declarat textum Heb. Scripturæ esse authenticum, & ideo
"tanta reverentia ferebatur erga Scripturam S. ut non fuerit dedigna-
"tus, *Luca* IV. 16. Synagogam frequentare, ut Scripturam divinam au-
"diret, & prælegeret: *Et intravit, secundum consuetudinem suam, die Sab-
"bati in Synagogam, & surrexit,* utique pro reverentia S. Scripturæ, *le-
"gere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum invenit
"locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me &c.* ex quo loco pro-
"bavit se esse Messiam: *Non aspernatus est* (inquit Ambrosius) *Lectoris
"officium, ut quos miraculis non converterat, auctoritate Scripturæ corrigeret,*
"indicans majorem fuisse auctoritatem Scripturæ S. apud Judæos, quam
"miraculorum, ut non mirum sit, quod Joan. V. 39. Christus Dominus
"Judæos remittat ad Scripturam S. veluti ad regulam Veritatis: *Scru-
"tamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ
"sunt quæ testimonium perhibent de me.* An Judæos ablegat ad Scriptu-
"ram apocrypham, & auctoritatis incertæ? nemo id mihi persuaserit,
"nec ulli cordato persuaderi debet.

4. De Apostolis ac Evangelistis frequentissime inculcat Hieronymus Præfat. Versionis libri Josuæ: *Quod si vetus eis tantum interpretatio placet. ——Unde in N. T. probare poterunt assumpta testimonia, quæ in libris veteribus non habentur?* De optimo genere interpretandi ad Pammachium: *Jure Septuaginta editio obtinuit in Ecclesiis, vel quia prima est, & ante Christi facta adventum, vel quia ab Apostolis, in quibus tamen ab Hebraico non discrepat, usurpata.* Procemio Quæstionum Heb. in Genes. *Sed & Evangelistæ, & Dominus quoque noster atque Salvator, necnon & Paulus Apostolus, multa quasi de veteri T. proferunt, quæ in nostris Codicibus non habentur. Super quibus in suis locis plenius disseremus. Ex quo perspicuum est, illa magis vera esse exemplaria, quæ cum Novi T. auctoritate concordant.* Apologia 2. adv. Ruf. superius citata: *Apostolici viri Scripturis utuntur Hebraicis: ipsos Apostolos & Evangelistas* (& Dominum Salvatorem) *hoc fecisse perspicuum est. ——Nec hoc dicimus, quod* LXX. *Interpretes suggillemus, sed quod Apostolorum & Christi major sit auctoritas, & ubicunque* LXX. *ab Hebræo non discordant, ibi Apostolos de interpretatione eorum exempla sumpsisse: ubi vero discrepant, id posuisse in Græco, quod apud Hebræos didicerant. Sicut ergo ego ostendo multa in Novo T. posita de veteribus libris, quæ in* LXX. *non habentur, & hæc scripta in Hebraico doceo: sic accusator ostendat aliquid scriptum esse in Novo T. de* LXX. *Interpretibus, quod in Hebraico non habeatur, & finita contentio est.* Procemio in decimum quintum Commentariorum Esaiæ: *Crebro, Eustochium, dixisse me novi, Apostolos & Evangelistas ubicunque de veteri instrumento ponunt testimonia, si inter Hebraicum &* LXX. *nulla diversitas sit, vel suis vel* LXX. *Interpretum verbis uti solitos. Sin autem aliter in Hebraico, aliter in veteri editione sensus est: Hebraicum magis quam* LXX. *Interpretes sequi. Denique ut nos multa ostendimus posuisse eos ex Hebræo, quæ in* LXX. *non habentur, sic æmuli nostri doceant assumpta aliqua de* LXX. *testimonia, quæ non sunt in Hebræorum libris, & finita contentio est.* Exempla plura alibi profert, quæ sequuntur.

5. Mat. II. 15. *Ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam,* ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου· *Ex Ægypto vocavi filium* MEUM. Sic Heb. Hos. XI. 1. LXX. habent *filios* EJUS. ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ. Pro בניו quod legerunt Interpretes, Evangelista legit בני. *Hieronymus* Com. in Mat. *Respondeant qui Hebræorum voluminum denegant veritatem, ubi hoc in* LXX. *legatur Interpretibus. Quod cum non invenerint, nos eis dicemus in Osee Propheta scriptum, sicut & exemplaria probare possunt quæ nuper edidimus.* In Hos. VI. *Pro eo quod nos diximus: Ex Ægypto*

vocavi filium meum: LXX. *transtulerunt*, *Ex Ægypto vocavi filios ejus*: *quod in Hebraico non habetur*, *nullique dubium est Matthæum de hoc loco sumpsisse testimonium juxta Hebraicam veritatem. Ergo qui detrahunt nostræ translationi, videant scripturam de qua Evangelista hoc testimonium sumpserit, & interpretatus est in Domino Salvatore*, *quando de Ægypto reductus est in terram Israel*, *& cum invenire non quiverint*, *desinant rugare frontem*, *adducere supercilium*, *crispare nares*, *digitis concrepare*. Eundem locum urget cum alibi sæpius, tum in Epist. ad Pammachium *De opt. gen. interpretandi*. Græci Commentatores antiqui existimarunt Evangelistam respexisse verba illa *Balaami*, Num. XXIII. 22. Θεὸς ὁ ἐξαγαγὼν αὐτὸν ἐξ Αἰγύπτου· sive illa Num. XXIV. 8. Θεὸς ὡδήγησεν αὐτὸν ἐξ Αἰγύπτου. *Theodorus Heracl.* Catena Græca in Mat. Ἐν τῇ βίβλῳ τῶν Ἀριθμῶν γέγραπται, Θεὸς ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσεν αὐτόν. De loco priori loquitur ipse *Hieronymus* in Matt. hæc subjiciens post illa quæ supra descripsimus: *Possumus autem locum istum & aliter consolari propter contentiosos*, *quorum consuetudinem Paulus Apostolus habere se denegat & Ecclesiam Christi*, *& testimonium proferimus ex Numeris*, *dicente Balaam*: *Deus ex Ægypto vocavit eum*, *gloria ejus sicut unicornis*. Ex loco Numerorum posteriori desumpsisse, quæ citat, *Matthæum*, affirmat [a] *Is. Vossius*: Qui alibi [b] tamen fatetur ea ex *Hosea* fuisse desumpta: Sed τὰ τέκνα ibi pro τὸ τέκνον, librarii vitio irrepsisse statuit; neque tamen esse inverisimile, Judæos locum illum in Græco corrupisse. Probabilius esse Matthæum ex *Hosea* ea descripsisse agnoscit [c] *Simonius*, cujus tamen opinio est, LXX. eodem modo vertisse quo citantur apud *Matthæum*, eorumque Versionem à glossis commentatorum postea fuisse corruptam. Existimat, à nonnullis mutatam fuisse, qui crediderint, transferendo τέκνα αὐτοῦ (tanquam si in Heb. legeretur בניו non בני) sensum fore clariorem, quia id quod sequitur in plurali numero ponitur. Ea mihi conjectura vix placet. Et ex Scholio Codicis Card. *Barbarini* constat illam fuisse lectionem editionis Hexaplaris ab Origene adornatæ. Ubi hoc exhibetur *Hexapli* Specimen.

[a] De Orac. Sibyl. cap. 13. & contra Hullium p. 115.
[b] De LXX. Int. cap. 24.
[c] Hist. N. T. cap. 20.

	Aquila.	Symmachus.	LXX.	Theodotion.
Χι νερ Ισραὴλ &c.	Α. Ὅτι παῖς Ισραὴλ, καὶ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἀπὸ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.	Σ. Ὅτι παῖς Ισραὴλ καὶ ἠγαπημένος, ἐξ Αἰγύπτου κέκληται υἱός μου.	Οἱ ό. Διότι νήπιος Ισραὴλ, ἐγὼ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ.	Θ. Ὅτι νήπιος Ισραὴλ, ἐκάλεσα υἱόν μου.

Τούτῳ ἐχρήσατο ὁ Ματθαῖος ὡς οὕτως ἔχοντος δηλονότι τοῦ Ἑβραϊκοῦ, ὡς καὶ ὁ α΄. ἡρμήνευσεν. *Hoc usus est Matthæus*, *utpote quod textus Heb. habeat*, *quod etiam Aquila vertit*.

6. *Matt.* II. 23. Ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται. *Habitavit in urbe quæ dicitur Nazareth*, *ut impleretur quod dictum est per Prophetas*, *Fore ut NAZARENUS vocaretur*. Ex Es. XI. 1. ut creditur, ubi נצר legitur in Hebræo. In Græco: Καὶ ἄνθος ἐκ τῆς ῥίζης ἀναβήσεται. *Et FLOS de radice ascendet*. Hieron. De Opt. gen. interp. *In eo loco ubi nos legimus atque transtulimus*, *Exiet virga de radice Jesse*, *& FLOS de radice ejus ascendet*. *In Hebræo*, *juxta linguæ illius* ἰδίωμα, *ita scriptum est*: *Exiet virga de radice Jesse*, *&* Nazaræus *de radice ejus crescet*. Frequenter ab eo ingeritur inculcaturque hoc exemplum. Commentario tamen in *Matt.* de eo videtur hæsitasse. *Si fixum de Scripturis posuisset exemplum*, *nunquam diceret quod dictum est per Prophetas*, *sed simpliciter*, *quod dictum est per Prophetam*, *nunc autem pluraliter Prophetas vocans*, *ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse*, *sed sensum*. *Nazaræus* sanctus *interpretatur*. Sanctum *autem Dominum futurum*, *omnis Scriptura commemorat*. *Possumus & aliter dicere*, *quod*

quod etiam eisdem verbis juxta Heb. veritatem in Esaia scriptum sit: Exiet virga de radice Jesse, & Nazaræus de radice ejus conscendet. Com. in Es. xi. *Illud quod in Evangelio Matthæi omnes quærunt Ecclesiastici, & non inveniunt ubi scriptum sit, Quoniam Nazaræus vocabitur, eruditi Hebræorum de hoc loco assumptum putant. Sed sciendum quod hic* נצר *per* צ *literam scribatur: cujus proprietatem & sonum inter Z & S. Latinus sermo non exprimit. —— Porro Nazaræi, quos* LXX. *sanctificatos; Symmachus separatos transtulerunt, per* ז *semper scribuntur elementum.* Videantur *Grotius* & *Erasmus* ad locum; & *Morinus* lib. 1. Exercit. 3. cap. 4. §. 3. Mihi videtur vix aliter posse intelligi Evangelistam, quam ut dicamus illum τὸ נצר in loco citato, vel נזרי, quod alibi occurrit de Christo usurpatum, pro nomine *gentilitio* sumpsisse. *Chrysostomus*, quia hunc locum in Græca Versione reperire non potuit, existimat adductum ex aliquo Voluminum sacrorum, quæ perierunt. Eandem sententiam amplectitur *Theophylactus*.

7 *Mat.* IV. 16. *Et relicta Nazareth, venit & habitavit in Capernaum urbe maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim, ut impleretur quod dictum est per Esaiam Proph. dicentem:* Γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Νεφθαλεὶμ ὁδὸν θαλάσσης πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν. Ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει, εἶδε φῶς μέγα, καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς. *Terra Zabulon & terra Nephthalim* (ad) *viam maris secus Jordanem, Galilæa gentium. Populus positus in tenebris vidit lucem magnam; & positis in regione & umbra mortis, lux exorta est.* Verba sunt Esaiæ IX. 1. ubi LXX. (τοῦτο πρῶτον πίε· ταχὺ ποίει) χώρα Ζαβουλὼν, ἡ γῆ Νεφθαλεὶμ, καὶ οἱ λοιποὶ τὴν παραλίαν, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν· Ὁ λαὸς ὁ πορευόμενος ἐν σκότει, ἴδετε φῶς μέγα· οἱ κατοικοῦντες ἐν χώρᾳ σκιᾷ θανάτου, φῶς λάμψει ἐφ᾽ ὑμᾶς. (*Hoc primum bibe, velociter fac*) *regio Zabulon, terra Nephthalim, & reliqui qui juxta mare estis trans Jordanem Galilææ gentium: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: qui habitatis in regione & umbra mortis, lux orietur vobis.* Sic Versio Latina vetus. Hebræus, juxta Hieronymi Versionem, sic se habet: (*Primo tempore alleviata est*) *terra Zabulon & terra Neptalim, & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Hieronymus ad locum: *Duplicem posuimus editionem, quia vulgatum est testimonium, & usurpatum ab Evangelista Matthæo: ut vel diversitas interpretationis, vel similitudo noscatur. Ac primum notandum, quod testimonium hoc Evangelista Matthæus non juxta* LXX. *sed juxta Hebræos posuerit.* Et hoc verum esse perspicuum est ex vocibus, ἴδετε & ὑμᾶς. Apparet enim Interpretes legisse רְאוּ, Matthæum vero mutato puncto רָאוּ.

8. Matth. XII. 18. &c. *Jesus autem sciens, secessit inde: & secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes, & præcepit eis, ne manifestum eum facerent, ut impleretur quod dictum est per Esaiam Proph. dicentem:* Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα· ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου· θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ᾽ αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ· οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ. κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν. καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι. *Ecce puer meus, quem elegi; dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet quisquam in plateis vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium: & in nomine ejus gentes sperabunt.* Ex Es. XLII. 1. ubi versio Græca: Ἰακὼβ ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ· Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου, ἔδωκα τὸ πνεῦμά μου ἐπ᾽ αὐτὸν, κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἐξοίσει. οὐ κεκράξεται, οὐδὲ ἀνήσει, οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἔξω ἡ φωνὴ αὐτοῦ.

κάλαμον

κάλαμον τεθλασμένον οὐ συντρίψει, καὶ λίνον καπνιζόμενον οὐ σβέσει, ἀλλὰ εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν. ἀναλάμψει, καὶ οὐ θραυσθήσεται, ἕως ἂν θῇ ἐπὶ τῆς γῆς κρίσιν, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσιν. Vetus Versio Lat. *Jacob puer meus, suscipiam eum. Israel electus meus, suscepit eum anima mea. Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque dimittet, neque audietur foris vox ejus. Arundinem confractam non conteret, & linum fumigans non extinguet, sed in veritate proferet judicium. Splendebit & non quassabitur, donec ponat super terram judicium.* Hebræus secundum Hieronymi versionem: *Ecce puer meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, neque audietur foris vox ejus. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. In veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus Insulæ expectabunt.* Hieronymus noster in Epistola ad Algasiam: *Ex quo apparet, Matthæum Evangelistam non veteris interpretationis auctoritate constrictum, dimisisse Hebraicam; sed quasi Hebræum ex Hebræis, & in lege Domini doctissimum, ea gentibus protulisse, quæ in Hebræo legerat. Si enim sic accipiendum est, ut* LXX. *Interpretes ediderunt*: Jacob puer meus, suscipiam eum: Israel, electus meus, suscepit eum anima mea; *quomodo in Jesu intelligimus esse completum, quod de Jacob & Israel scriptum est? Quod B. Matthæum non solum in hoc testimonio, sed etiam in alio loco fecisse legimus*: Ex Ægypto vocavi filium meum; *pro quo* LXX. *transtulerunt*; Ex Ægypto vocavit filios suos; *quod utique nisi sequamur Hebraicam veritatem, ad Dominum Salvatorem non pertinere, manifestum est. Sequitur enim*: Ipsi autem immolabant Baalim. *Quod autem de assumpto testimonio in Evangelio minus est*: splendebit & non quassabitur, donec ponat super terram judicium: *videtur mihi accidisse primi scriptoris errore, qui legens superiorem sententiam in verbo* judicii *esse finitam, putavit inferioris sententiæ ultimum verbum esse* judicium: *& pauca verba, quæ in medio, hoc est, inter* judicium *&* judicium *fuerant prætermisit. Rursumque quod apud Hebræos legitur*: Et in lege ejus sperabunt insulæ: *Matthæus sensum potius quam verba interpretans, pro* lege *&* insulis *nomen posuit &* gentes. *Et hoc non solum in præsenti loco, sed ubicunque de veteri instrumento Evangelistæ & Apostoli testimonia protulerunt, diligentius observandum est, non eos verba sequutos, sed sensum: & ubi* LXX. *ab Hebraico discrepant, Hebræum sensum suis expressisse sermonibus.* Eusebius Demonstr. Evang. XI. Τήρει δὲ ἐπιμελῶς τίνα τρόπον ὁ Ματθαῖος εἰπών, Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα, ὁ ἀγαπητός μου, ἐν ᾧ εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου· οὔτε τοῦ Ἰακὼβ οὔτε τοῦ Ἰσραὴλ ἐμνήσθη. οὐ γὰρ εἶπεν Ἰακὼβ ὁ παῖς μου, Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, ἀορίστως δ' ἐξήνεγκεν εἰπών, Ἰδοὺ ὁ παῖς μου καὶ ὁ ἀγαπητός μου. Ὅθεν ὡς μηδὲ ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ τῆς προφητείας κειμένης, παρὰ μὲν τοῖς Ἑβδομήκοντα ὠβέλισται τὸ τοῦ Ἰακὼβ καὶ τὸ τοῦ Ἰσραὴλ ὄνομα. καὶ παρὰ τοῖς λοιποῖς δὴ ἑρμηνευταῖς παρασεσιώπηται, ἐπεὶ μηδ' ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ φέρεται. ὅθεν εἰκότως οὐδὲ παρὰ τῷ Εὐαγγελιστῇ εἴρηται Ἑβραίῳ ὄντι, καὶ ἀκολούθως τῇ Ἑβραίων γραφῇ τὴν προφητείαν ἐκθεμένῳ. *Animadverte diligenter quonam modo Matthæus, ubi dixit: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus in quo complacuit anima mea: neque Jacob, neque Israel nominaverit: non enim dixit; Jacob, puer meus, Israel, electus meus, sed indefinite enunciavit, dicens; Ecce puer meus, & electus meus. Quocirca, quasi in Hebraico ea Prophetia non sit, apud ipsos quidem* LXX. *obelisco signatum est nomen Jacob atque Israel: apud reliquos autem Interpretes silentio præteritum, propterea quod ne in Hebraico quidem feratur. Proinde etiam Evangelista merito id prætermisit, quippe qui & Hebræus esset, & in Prophetiæ positione Hebraicos libros sequeretur.*

9. Meminit alibi *Hieronymus*, vidisse se Evangelii B. Matthæi exemplar

plar Hebraicum, in eoque omnia juxta textum Heb. invenisse prolata. Catalogo Scriptorum Ecclesf. *Matthæus, qui & Levi, ex publicano Apostolus primus in Judæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi Hebraicis literis verbisque composuit, quod quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissime confecit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Beræa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animadvertendum, quod ubicunque Evangelista, sive ex persona sua, sive ex persona Domini Salvatoris, veteris Scripturæ testimoniis utitur, non sequatur* LXX. *translatorum auctoritatem, sed Hebraicam, è quibus illa duo sunt: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et quoniam Nazaræus vocabitur. Hebraicum* hoc Matthæi Evangelium usque adeo probavit Apostolus *Bartholomæus*, ut in *Indiam* illud secum apportarit, illisque, quos illic ad fidem Christianam allexit, tradiderit. Et apud illos in usu idem permansit usque ad tempora *Pantæni. Euseb. Hist.* V. 10.

10. Joan. XIX. 37. *Et rursus alia Scriptura dicit*, Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν· *Intuebuntur quem transfixerunt.* Ex Zach. XII. 10. ubi LXX. Ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο. Versio vetus: *Aspicient ad me pro eo quod insultaverunt.* Hieronymus in Zach. ad locum: *Hebraicæ literæ* ד *&* ר, *hoc est d & r, similes sunt, & parvo tantum apice distinguuntur. Ex quo evenit ut idem verbum diverse legentes, aliter atque aliter transferant. Intelligentiæ gratia unum demus exemplum: Et vestitus, inquit, erat Samuel* אפוד בר *id est, indumento lineo,* בר *enim linum appellatur, unde &* ברים *lina dicuntur, pro quo in Hebraico, Græco, Latinoque sermone male quidam legunt ephod bar. Siquidem* בר *aut filius appellatur, aut frumenti manipulus, aut electus, aut* ἔλος, *id est crispus. Quod ibi errore interpretationis accidit, etiam hic factum deprehendimus. Si enim legatur* רקדו ἐξεκέντησαν, *id est compunxerunt, sive confixerunt accipitur. Sin autem contrario ordine literis commutatis* רקדו ὠρχήσαντο, *id est saltaverunt intelligitur, & ob similitudinem literarum error est natus. Joannes autem Evangelista, qui de pectore Domini hausit sapientiam, Hebræus ex Hebræis, quem Salvator amabat plurimum, non magnopere curavit quid Græcæ literæ continerent, sed verbum interpretatus è verbo est, ut in Hebræo legerat; & tempore Dominicæ passionis dixit esse completum. Quod si quis non recipit, det testimonium, de quo sanctarum Scripturarum loco Joannes ista protulerit, & cum non repererit, cogetur ingratis suscipere veritatem.* In Es. VI. *Matthæus autem & Joannes, quorum alter Hebræo, alter Græco sermone Evangelia texuerunt: testimonia de Hebraico proferunt, ut est illud: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et, Quoniam Nazaræus vocabitur. Et, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et, videbunt in quem compunxerunt, & cætera his similia.* Præf. Esdræ & Nehemiæ: *Si quis autem* LXX. *vobis opposuerit Interpretes, — mittite eum ad Evangelia, in quibus multa ponuntur quasi de Veteri T. quæ apud* LXX. *Interpretes non habentur, velut illud, Quoniam Nazaræus vocabitur: Et, Ex Ægypto vocavi filium meum: Et, Videbunt in quem compunxerunt, multaque alia quæ latiori operi reservamus: & quærite ab eo, ubi scripta sint. Cumque proferre non potuerit, vos legite de his exemplaribus, quæ nuper à nobis edita, maledicorum quotidie linguis confodiuntur.* Eandem in aliis quoque locis inculcat instantiam. Scholion vetus: ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο] οὕτω μὲν οἱ ό. ὁ δὲ Θεοδοτίων ἐποίησεν, Καὶ ἐπιβλέψονται πρός με ὃν ἐξεκέντησαν. σημειωσόμεθα δὲ ὅτι ἐπί τινων οἱ Ἀπόστολοι τὸ Ἑβραϊκὸν, καὶ οὐ τὸ ἐν τῇ κοινῇ τεθείκασιν. *Pro eo quod insultaverunt*] *sic quidem* LXX. *sed Theodotion ita reddidit: Aspicient ad me quem compunxerunt. Notavimus vero, quod in nonnullis Hebraicum Apostoli, & non quod in communi est editione posuerint.*

Non me fugit existimare [a] *Heinsium* veram lectionem τῶν LXX. eandem

[a] Aristarcho II. 15.

dem esse cum illa, quam exhibet Evangelista: & ita quidem habetur in codice vetusto Card. *Barberini*, inque textu [a] *Theodoreti*. Eidem sententiæ suffragantur *Morinus*, *Vossius*, & [b] *Simonius*. Mihi vero credibilius videtur, ex *Evangelio* emendatam fuisse in istis exemplaribus Versionem Græcam, quam reliqua omnia tam vetusta quam recentiora fuisse depravata; præsertim cum eadem lectio, *pro eo quod insultaverunt*, habita fuit etiam in vetere Versione, quam è Græca factam recepit Ecclesia Latina, ut apparet ex Versionis illius exemplari, quod exhibent Commentarii Hieronymi; maxime vero cum ex unius literulæ in Hebræo transpositione oriretur lectionis diversitas. Inde enim apparet Interpretibus ipsis diversitatem esse referendam. Et hinc in editione *Aldina*, & in *Basileensibus*, quæ ex ea expressæ sunt, ut etiam, monente *Nobilio*, in Codd. nonnullis MSS. reperitur utraque interpretatio: ϰ̀ ἐπιϐλέψονται πρός με εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο. Librario priora illa ex Evangelio insereute, & tanquam potiora in priori loco describente. Neque illud me movet, quod *Justinus* quoque *Martyr*, cum multis aliis, inter Græcos, & inter Latinos *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Lactantius*, ex *Zacharia* locum hunc citantes, lectionem exhibeant Evangelicam. Hanc enim procul dubio posuerunt, non quia repererunt in suis *Zachariæ* exemplaribus, sed quia Versionem apud *Evangelistam* repertam, & omnibus notam, LXXvirali prætulerunt. Ex eo quod in aliquibus Codicibus reperitur utraque interpretatio, eruditissimus [c] *Morinus* miras nectit ineptias: *Fortasse* (inquit) *quum in codicibus Hebræis duplex esset lectio*, LXX. *qui* θεόπνευστοι *erant*, *utramque conjunxerunt*, *utramque veram fore Deo dictante prævidentes.* Nugamentum hominis, effugium qualecunque per fas nefasque quærentis! Illud insuper vanum, quod subinnuit idem *Morinus*, dissidium non rebus sed tantum verbis inesse, pro hac re adducens ipsius *Hieronymi* auctoritatem, qui in Tract. *de Opt. Gen. interpretandi*, enarrato hoc loco, subdit, *sermonum varietatem spiritus unitate concordare.* Quicquid senserit *Hieronymus*, cum ista scriberet, à se invicem sensu discrepare has interpretationes, vel exinde perspicitur, quod LXXviralis nullo modo ad Evangelistæ propositum facit, qui dicit Christi latus à quodam ex militibus lancea transfixum fuisse, *ut Scriptura impleretur*, quæ dicit: *Intuebuntur quem transfixerunt.* An æque dicere potuit, transfixum fuisse Christo latus, ut impleretur illud, *Aspicient ad me pro eo quod insultaverunt.* Quid hoc ad lateris transfixionem? [d] *Vossium* si audiamus, in exemplaria Gr. *posterioris ævi* lectio ista, ἐξωρχήσαντο, à *Judæis* invecta est. *Nihil attinet vero scire*, ait ille, *utrum casu* רקדו *pro* דקרו *legerint*, *an vero Judæi malitia locum mutilarint*, *ut vaticinium obliterarent*; *sed neque hoc jam quæremus*, *utrum ex Aquilæ*, *an vero ex Jerechuntina Versione error hic promanarit.* Opinatur *Hieronymum primum fuisse*, *qui dixerit* LXX. κατωρχήσαντο *transtulisse*, *quia nempe sic in vitioso & interpolato suo codice reperit.* Quæ futilis est assertio, cum eadem lectio fuerit etiam in antiquissima illa Versione Latina, saltem ante Hieronymi tempora; & loquitur de ea Hieronymus tanquam de re indubitata. Sic lectum fuisse in editione etiam *Hexaplari*, non dubito. Cyrilli Alex. exemplar habuit, εἰς ὃν κατωρχήσαντο. Aliam [e] alibi conjecturam init *Vossius*, sed æque futilem, nempe lectionem illam fuisse tantum editionis *Luciani*.

11. Alius locus est *S. Pauli*, quem Hebraici textus minime ignarum fuisse observavit nobis Commentator Græcus in [f] Psalmos. Rom. IX. 33. καθὼς γέγραπται, Ἰδοὺ, τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος, ϰ̀ πέτραν σκανδάλου· καὶ πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ καταισχυνθήσεται. *Quemadmodum scriptum est*, *Ecce*, *statuo in Sion lapidem ad quem impingetur*, *& petram offendiculi*: *& quisquis credit in eum*, *non pudefiet.* Ex Es. VIII. 14. ubi LXX. ϰ̀ οὐχ ὡς λίθου

[a] Memoria, ni fallor, labitur *Usserius* cum dicit idem haberi in Codice Alexandrino Syntag. de LXX. Int. p. 28.
[b] Hist. Crit. cap. 21.
[c] Lib. 1. Exerc. 3. c. 5. §. 10.
[d] De Int. LXX. cap. 24.
[e] Contra Hulsium p. 113.
[f] Catena in Ps. XXXIX. 7.

λίθῳ προσκόμματι (συναντήσεσθε) οὐδὲ ὡς πέτρας πτώματι. Sic in veteri Versione Lat. *Et non ut lapidi offensionis (occurretis) neque ut petræ ruinæ.* Animadvertit *Hieronymus* Hebræo consentire S. Paulum, necnon Petrum. De opt. gen. interp. *In Epistola ad Romanos Apostolus Paulus ad exemplum de Esaia sumens: Ecce (inquit) ponam in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: discordat à translatione veteri: & tamen cum Hebraica veritate concordat. In* LXX. *enim contrarius sensus est. Non ut lapidi offensionis occurretis, neque ut petræ ruinæ: cum Apostolus quoque Petrus Hebræis Pauloque consentiens ita posuerit: Incredulis autem lapis offensionis & petra scandali.*

12. Ibid. X. 15. ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά. Ex Es. LII. 7. ubi Heb. juxta Hieron. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum.* LXX. ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά. Illa, ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, quæ cum Heb. & Evangelistæ lectione non satis conveniunt, quicquid contendit *Vossius*, genuinam esse lectionem τῶν ό. commonstrant omnia exemplaria, agnoscitque *Procopius*. Sic habet etiam vetus Versio Lat. *Sicut hora super montes, sic pedes evangelizantis bona.* Ad quem locum Hieronymus: *Hoc quod* LXX. *transtulerunt* ὡς ὥρα, *id est, sicut hora super montes: sicut pedes evangelizantis auditum pacis, & reliqua. Paulus sequens sensum Hebraicæ veritatis, ponit in Epistola ad Romanos —* ὥρα *autem, id est hora, juxta* LXX. *juxta ambiguitatem sermonis Græci aut tempus significat, aut pulchritudinem &c.* Cappellus monet LXX. legisse הִנֵּנִי בְמֹרָה נָאווּ & vocem נָאווּ accepisse pro נָוִי quod *decorem* ὥραν significat. Hebræus hodiernus habet מַה־נָּאווּ. *Vossius* alibi, cum priorem suam conjecturam tueri non potuerit, ad aliud effugium se recepit. Ait [a] nempe Apostolum forte non ex Esaia verba illa desumpsisse, sed ex his *Nahum: Quia veloces ecce in montibus sunt pedes evangelizantis & annuntiantis pacem.*

[a] Contra Hulsium p. 116.

13. 1 Cor. II. 9. *Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.* Hieronymum rursus audiamus loquentem in tract. *De opt. gen. interpretandi*: "*Solent in hoc loco apocryphorum quidam deliramenta sectari & dicere, quod de Apocalypsi Heliæ, testimonium sumptum sit: cum in Esaia* "(LXIV. 4.) *juxta Hebraicum ita legatur*: A seculo non audierunt, nec "auribus perceperunt. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præpa"rasti expectantibus te. *Hoc* LXX. *multo aliter transtulerunt*: A se"culo non audivimus, neque oculi nostri viderunt Deum absque te: & "opera tua vera, & facies expectantibus te misericordiam. *Intelligimus* "*unde sumptum sit testimonium: & tamen Apostolus non verbum expressit è* "*verbo, sed* παραφραστικῶς *eundem sensum aliis sermonibus indicavit.*" In Es. LXIV. *Paraphrasin hujus testimonii, quasi Hebræus ex Hebræis assumit Apostolus Paulus de authenticis libris in Epistola quam scribit ad Corinthios: non verbum ex verbo reddens, quod facere omnino contemnit: sed sensuum exprimens veritatem, quibus utitur ad id quod voluerit roborandum. Unde Apocryphorum deliramenta conticeant, quæ ex occasione hujus testimonii ingeruntur Ecclesiis Christi, de quibus vere dici potest, quod sedeat Diabolus in insidiis cum divitibus in Apocryphis, ut interficiat innocentem. &c.* Præfat. in Paralip. ad Chromatium: *Cur me* (i. e. meam versionem ex Hebræo factam) *non suscipiant Latini mei, qui inviolata editione veteri, ita novam condidi, ut laborem meum Hebræis, & quod his majus est, Apostolis auctoribus comprobem? Scripsi nuper librum De optimo genere interpretandi, ostendens illa de Evangelio, Ex Ægypto vocavi filium meum: Et, Quoniam Nazaræus vocabitur: Et, Videbunt in quem compunxerunt: Et illud Apostoli;*

Quæ oculus non vidit &c. cæteraque his similia, in Hebræorum libris inveniri. Certe Apostoli & Evangelistæ, LXX. *Interpretes noverant, & unde eis hæc, quæ in* LXX. *Interpretibus non habentur?* Rursus in Præfatione Pentateuchi: *In Evangelistis & Apostolis multa de Veteri T. legimus, quæ in nostris Codicibus non habentur: ut est illud: Ex Ægypto &c. Et, Quoniam Nazaræus &c. Et, Quæ nec oculus vidit &c. & multa alia, quæ proprium σύνταγμα desiderant. Interrogemus ergo eos, ubi hæc scripta sint, & cum dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus. Primum testimonium est in Osee; secundum in Esaia; tertium in Zacharia; quartum in Proverbiis; quintum æque in Esaia. Quod multi ignorantes, Apocryphorum deliramenta sectantur, & Hiberas nænias libris authenticis præferunt.* Cum meminit quosdam ad libros Apocryphos confugisse, *Origenem* maxime perstringit, cujus in Commentariis in *Mat.* hæc sunt verba: *Si autem hæc dicens aliquis, existimat, se offendere, videat ne alibi in secretis* (sive Apocryphis) *Jeremiæ hoc prophetetur: sciens, quoniam Apostolus Scripturas quasdam secretorum profert. Sicut dicit alicubi: Quod oculus non vidit, nec auris audivit. In nullo enim regulari* (i. e. Canonico) *libro hoc positum invenitur, nisi in secretis* (Apocryphis) *Eliæ Prophetæ.* Negat contra Hieronymum *Morinus*, hoc in loco satis liquere ex Hebræo scripsisse Apostolum, Hebræique cujusdam hodierni hanc apponit translationem: *Et à seculo non audierunt, non attenderunt: Oculus non vidit Deum præter te; faciet expectanti ipsum.*

14. I Cor. XIV. 21. Ἐν τῷ Νόμῳ γέγραπται ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ, καὶ οὐδ᾽ οὕτως εἰσακούσονταί μου, λέγει Κύριος. *In Lege scriptum est, Per diversæ linguæ homines, & alia labra loquar populo huic: & ita quoque me non audient, dicit Dominus.* Hæc verba ex Es. XXVIII. juxta Heb. petita existimat *Hieronymus, Comment. in Esaiam*, & in *Epist. ad Algasiam Quæst.* VIII. Hebræa sunt: *In loquela labii, & in lingua altera loquetur ad populum istum, cui dixit: Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium: & noluerunt audire.* Græca: Διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας, ὅτι λαλήσουσι τῷ λαῷ τούτῳ. &c. *propter irrisionem labiorum, propter linguam alteram, qua loquentur populo huic, dicentes eis: Hæc est requies esurienti, & hæc contritio, & noluerunt audire.*

15. Observat alibi *Hieronymus*, Scriptores Evangelicos in aliis locis nec exacte cum Hebræo, nec cum Græca versione in citatis testimoniis consonare: & exinde quoque argumentum ducit, eos secutos fuisse non Translationem, sed Textum originalem: sensum scil. reddentes non verba. Ad Es. XXIX. *Hoc testimonio abusus est* (sic frequenter, pro, usus est) *Dominus contra Pharisæos in Evangelio Matthæi dicens: Quare & vos præteritis mandatum Dei propter traditiones vestras? Et iterum: Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Esaias, dicens; Populus iste labiis me honorat, cor autem ejus longe est à me. Frustra autem colunt me docentes doctrinas & præcepta hominum. In quo notare debemus illud, quod plerumque admonuimus, Evangelistas & Apostolos non verbum interpretatos esse de verbo, nec* LXX. *Interpretum auctoritatem secutos, quorum editio illo jam tempore legebatur, sed quasi Hebræos & instructos in lege, absque damno sensuum suis usos esse sermonibus.* Ad Jer. XXXI. *Nec juxta Heb. nec juxta* LXX. *Matthæus sumpsit testimonium. Legimus enim in eo post descriptionem infantium necis: Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Proph. dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel flentis filios suos, & noluit consolari quia non sunt. Ex quo perspicuum est, Evangelistas & Apostolos, nequaquam ex Hebræo interpretationem alicujus secutos, sed quasi Hebræos ex Hebræis quod legebant Hebraice, suis sermonibus expressisse.* Ad Malach. III. *Hoc interpretatus est Dominus in Evangelio de Joanne*
a Mat. XI. 10. *Baptista dicens: Iste est de quo scriptum est: a Ecce ego mittam Angelum meum*

meum ante faciem tuam, & præparabit viam tuam coram me. Nec eisdem usus est verbis, quæ LXX. *Interpretes transtulerunt. —— Sed & Evangelistæ vaticinium Prophetarum super Joanne interpretati sunt, cumque in sensu consentiant, in verbis discrepant, pro eo enim quod* LXX. *transtulerunt: Rectas facite semitas Dei nostri: Marcus Lucasque dixerunt: Rectas facite semitas ejus: Joannes autem, Dirigite, ait, viam Domini. Ex quo perspicuum est, Apostolos & Evangelistas, & ipsum Dominum Salvatorem, non* LXX. *Interpretum auctoritatem sequi, qua Hebrææ linguæ habentes scientiam non indigent, sed ex Hebræo transferre quod legerint, non curantes de syllabis punctisque verborum, dummodo sententiarum veritas transferatur.*

16. Textum illum de *ploratu Rachelis*, de quo loquitur *Hieronymus*, ex Hebræo citatum fuisse demonstrat [a] *Lud. Cappellus.* Matth. II. 18. φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκούσθη, θρῆνος, καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς πολὺς, Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσί. Ex Jer. XXXI. (Græcis XXXVIII.) 15. ubi Interpres Græcus juxta Codicem Rom. φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκούσθη θρήνου, καὶ κλαυθμοῦ, καὶ ὀδυρμοῦ· Ῥαχὴλ ἀποκλαιομένη οὐκ ἤθελε παύσασθαι ἐπὶ τοῖς υἱοῖς αὐτῆς, ὅτι οὐκ εἰσίν. Quia legitur hic παύσασθαι, non παρακληθῆναι, concludit *Cappellus* Evangelistam ex ipso Heb. scripsisse, textumque aliter atque LXX. legisse: nempe LXX. legisse לְהִנּוּחַ, Evangelistam, ut nunc est in Heb. לְהִנָּחֵם. Conjectura certe admodum probabilis. Licet vix dubitari possit quin in vocibus illis, θρῆνος, καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς, ipsos LXX. secutus fuerit Matthæus, seu ille qui Matthæum ex Hebræo Græce vertit. In aliis quidem exemplaribus, non παύσασθαι, sed παρακληθῆναι legitur, ut in *Alexandrino*, *Aldino*, & *Complutensi*, atque etiam in Versione Arabica, quæ ex Græca facta est. *Complutense* sic locum integrum exhibet: φωνὴ ἐν Ῥα. ἠκ. θρῆνος καὶ κλ. καὶ ὀδ. Ῥαχὴλ ἀποκλαιομένη ἐπὶ υἱοὺς αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι &c. Ald. ἀποκλαιομένη ἐπὶ τῶν υἱῶν αὐτῆς ἤθελησεν παραχ. Alex. Ῥαχὴλ ἀποκλαιομένης ἐπὶ τῶν υἱῶν αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελεν παρακ. Sed videtur in ista exemplaria irrepsisse παρακληθῆναι ex Evangelio, siquidem editioni Romanæ consentiat Latina vetus, apud Hieronymum: *Vox in Rhama audita est, lamentatio & fletus & luctus Rachel plorantis filios suos & noluit CONQUIESCERE, quia non sunt.*

Simonius, cujus est sententia, Apostolos & Evangelistas omnes qui Græce scripserunt, ut & Græcum Matthæi Interpretem, Versionem Græcam passim secutos fuisse, eaque loca quæ cum Hebræo, non cum Græca Versione, conveniunt, corrupta esse; (non tamen [b] inde peti posse argumentum contra textus Heb. auctoritatem; siquidem, ut contendit, non alia de causa Versionem illi secuti sunt, quam quod vulgo recepta fuit, ex pia συγκαταβάσει·) is, inquam, ut suam sententiam tueri possit, [c] fingit Judæos Hellenistas habuisse Dictionaria quædam Græce scripta, in quibus notarint varias vocum Heb. significationes: inde varias significationes ad marginem Novi T. notatas, in textum tandem irrepsisse. Sic in loco, de quo nunc loquimur, ex ejusmodi *Dictionariis* ad marginem notatum fuisse παύσασθαι, quod tandem in locum τοῦ παρακληθῆναι à Librario fuisse substitutum. At vero cum nulli certo fundamento innititur hypothesis ista de Hellenistarum Dictionariis, sed mere excogitata est alius hypothesis defendendæ gratia, facile rejicitur. Et cum παύσασθαι legerit ipse Interpres Latinus vetus, liquet illam lectionem apud LXX. temporibus etiam Apostolicis fuisse æqualem.

17. Hucusque autem exempla ab *Hieronymo* allata. Alia quædam, iu quibus textum Heb. non Græcam Versionem secuti sint Scriptores Apostolici, observavit nobis [d] *Cappellus*, Versionis alias adsertor præcipuus; de nonnullis tamen eorum in errore versatus.

18. Ibid. VIII. 17. αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν.

[a] Crit. Sac. l. 2. c. 1.

[b] Hist. Crit. T. N. c. 20.

[c] Ibid.

[d] Crit. Sac. l. 2. c. 1.

Ex Heb. Ef. LIII. 4. *Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* LXX. longe aliter verbis, & ſenſu paulo remotius ab Hebræo: τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται.

19. Ibid. IX. 13. ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν· ex Oſe. VI. 6. ubi Heb. *Miſericordiam volui, non ſacrificium.* LXX. ἔλεος θέλω ἢ θυσίαν. In hoc exemplo labitur *Cappellus*, Romanæ editioni ſolum innixus. Alii enim Codices, ut *Alexandrinus* Card. Barbarini, aliique melioris notæ, pro ἢ habent καὶ οὐ. & ſic quoque habetur in vetuſta Lat. Verſione apud Hieron.

20. Marc. XIV. 27. πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα. ex Zach. XIII. 7. ubi Heb. *Percute paſtorem, & diſpergentur oves.* LXX. πατάξατε τοὺς ποιμένας, καὶ ἐκσπάσατε τὰ πρόβατα. *Percutite paſtores, & avellite oves.* In hoc quoque exemplo à codice Romano in errorem inductus eſt Vir doctus. Nam Codex Alex. habet πάταξον τὸν ποιμένα καὶ διασκορπισθήσονται τὰ πρόβατα. *Cyrilli* textus, διασκορπισθήσεται. Cum illis convenit editio Aldina. Codex Barbarini habet διασκορπισθήτω. Sed & cum Græcis his conſentit antiqua Verſio Lat. *Percute paſtorem, & diſpergentur oves.*

21. Fallitur quoque in ſequenti loco ex Act. XV. 17. adducto. Ait illic legi, λέγει ὁ Κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα, juxta Heb. Amoſ. IX. 12. in LXX. vero, ὁ ποιῶν πάντα ταῦτα. At vero in aliquibus etiam T. Novi Codicibus habetur ὁ ποιῶν ταῦτα πάντα, & in Alexandrino τῶν ό. exemplari omittitur πάντα.

22. Rom. IX. 17. εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ· ex Exod. IX. 16. ubi LXX. ἕνεκεν τούτου διετηρήθης ἵνα ἐνδείξωμαι &c. *& propter hoc conſervatus es.* Heb. ad lectionem Evangeliſtæ propius; *feci te ſtare*, vel *ſubſiſtere.* Etſi in ſequentibus LXX. ſequitur Apoſtolus, in illo tamen verbo eorum
a De LXX. Intt. cap. 24. Verſionem ex Heb. emendare placuit. Reſpondet [a] *Voſſius*, pro διετηρήθης apud LXX. legendum eſſe διεγέρθης. Verum hoc eſt nodum ſecare, non ſolvere, cum in διετηρήθης conſentiaut exemplaria omnia.

23. Rom. XII. 19. (cum Heb. X. 30.) ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω· *Mihi vindicta, ego retribuam.* Ex Deut. XXXII. 35. ubi Heb. *Mihi eſt vindicta, & retributio in tempore.* LXX. ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω· *in die vindictæ retribuam.* Arbitratur *Cappellus* pro לִי נָקָם, legiſſe eos לְיוֹם נָקָם. Eademque habetur lectio in Codice Samaritico. Sed Apoſtolum aliter legiſſe conſtat. *Jacobus Cappellus*, Ludovici F. in Annotationibus in Epiſt. ad Heb. hæc habet: *Hic merito diſceſſit Apoſtolus à Verſione* LXX*virali, ut quæ nobis hic præſtantiſſimum eripiat documentum vertendo,* ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω. *Unde duo licet colligere.* 1. *Cum Verſionem hanc ſequuntur Apoſtoli, ſequuntur eam non ut inculpatam, non ut θεόπνευστον, (alioqui ſemper eam ſequerentur) ſed ut receptam.* 2. *Cum hæc Verſio tribuitur* LXX*viris, error eſt pridem receptus, vel* σχῆμα λέξεως. *Nam ſi vere proprieque loqui velimus, non eſt dicendum,* LXX. ſic vertunt, *ſed*, ſic vertit Interpres LXXviralis, *h. e. is qui librum, qui locum hunc Græca lingua donavit nomine Synedrii* LXX*viralis, ab eo miſſus ad Philadelphum. Non unus quidem ad Philadelphum miſſus eſt, ſed quinque, ſi Talmudi credimus: At quocunque tandem numero miſſi fuerint, partiti ſunt operas inter ſe, quod vel ex hoc loco patet. Nam ſi* LXX. *diverſi interpretes in ſuis* LXX. *Codicibus legiſſent hic* ליום, *ac eam ob cauſam vertiſſent* ἐν ἡμέρᾳ, *potuiſſetne lectionis illius memoria ſic aboleri ut hodie nullum ejus veſtigium uſquam appareat? Eſt igitur mendum unius codicis, error unius Interpretis, qui locum hunc Synedrii* LXX*viralis nomine vertit: cui noſtrum eſt apponere non Apoſtoli tantum auctoritatem fidemve codicis quo uſus eſt Apoſtolus, ſed & fidem reliquorum omnium codicum Heb. quibus utuntur, quibus quocunque tandem ſeculo ſunt uſi, ſive Chriſtiani ſive Judæi omnes. Idem dicendum de ſimilibus diſſenſionibus inter Græcam & Heb.*

Heb. editiones, ut Psal. 22. 1. *Hos.* 11. 2. *Zach.* 12. 10. *& infra v.* 37, 38. *& alibi. Editio Græca præfert testimonium unius, non* LXX. *codicum Heb. vel errorem non* LXX. *Interpretum, sed unius. &c.*

24. Ibid. XVI. 20. ὁ θεὸς συντρίψει τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν. In quibus alluditur ad Gen. III. 15. ubi Heb. *Ipse conteret tibi caput.* Græc. αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν. Atqui hoc in loco verisimile est LXX. scripsisse non τηρήσει *observabit*, sed vel τειρήσει *conteret*, quod quidam Codices habent, vel τρήσει *perforabit.* Vide [a] *Vossium*, & [b] *Lud. Cappellum.*

[a] De LXX. Int. cap. 11.
[b] Crit. Sac. l. 2. c. 1.

25. 1 Cor. XV. 54. κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος· *absorpta est mors in victoriam*, sive *in sempiternum*, ex Es. XXV. 8. Heb. *Absorbuit mortem in sempiternum.* LXX. κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας· *devoravit mors prævalens*, sensu minus commodo, nec satis conveniente cum antecedentibus & consequentibus. Observat *Cappellus* Apostolum legisse בֻּלַּע, in *Puhal*, non autem בִּלַּע in *Pihel*, quomodo hodie legitur secundum Masoretharum punctationem. Contendit *Vossius* LXX. olim habuisse sicut legitur apud Evangelistam; idque probat ex eo, quod sic quoque positum fuisse olim in Versione *Theodotionis* ex *Procopio* constet. Theodotionem vero ubique fere secutum fuisse LXX. ipsorumque etiam verba servasse, ac nisi rarissime ab illis discessisse: Casu vero illum sic vertisse, aut credere hominem Judæum verbis ex Apostolo petitis voluisse interpolare Versionem suam, id perquam (ait) fuerit ridiculum. Addit, ipsum vocabulum νῖκος satis id declarare; quod apud alios præter LXX. Interpretes se non invenire. Quod vocem istam non alibi quam in Bibliis invenerit *Vossius*, id non mirandum; cum tam pauci nobis supersint earum regionum temporumque scriptores. Nec dubium est quin in illis regionibus illisque temporibus vulgari usu fuerit recepta. Atque hinc eadem quoque usus est Aquila Interpres, qui locum sic vertit: καταποντιεῖ τὸν θάνατον εἰς νῖκος. Quod ad *Theodotionem* attinet; fuit ille non *Judæus* origine, sed primo Christianus, unde facile potuit citationem Apostoli in memoria tenere, & ut veram ponere. Lectionem vero istam, κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, genuinum esse LXX. interpretamentum, demonstrat consensus editionum & exemplarium universorum, textus etiam *Procopiani*, & antiquæ Versionis Lat. ubi legitur, *devoravit mors prævalens.* Rursus errat Vossius cum dicit lectionem hanc *vel à Symmacho, vel ab aliis Judæis fuisse confictam*: Symmachus enim longe aliter interpretatus est, his scil. verbis, ut ex *Procopio* intelligimus: καταποθῆναι ποιήσει τὸν θάνατον εἰς τέλος· *absorberi faciet mortem in finem.* Monet alibi [c] idem *Vossius* non constare utrum Apostolus ad Esaiæ verba respexerit, illum potius repræsentare Hoseæ quædam quam Esaiæ verba: forte etiam ex utroque ea desumpsisse. Hoseæ verba juxta LXX. sunt ista cap. 13, 14. ἐκ χειρὸς ᾅδου ῥύσομαι, καὶ ἐκ θανάτου λυτρώσομαι αὐτούς. ποῦ ἡ δίκη σου θάνατε &c.

[c] Contra Hulsium p. 119.

26. *Atque hæc pauca sunt* (inquit *Cappellus*) *in quibus observare licuit Scriptores Novi T. reliquisse* LXX. *Int. translationem, ut Hebræo textui adhærerent, quod certo consilio videtur ab iis factum, idque non modo quia in locis nonnullis sensus, qui ex Hebræo exsurgit commodior est eo qui oritur ex translatione* LXX. *Int. verum etiam vel maxime ne si perpetuo verbatim &* κατὰ πόδα *translationem illam secuti essent, viderentur illam fecisse authenticam, hominesque in eam adducerentur opinionem, non licere cuiquam ab ea vel latum pilum recedere. Quare quemadmodum eam* ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *secuti sunt, ita etiam interdum ubi minus commoda est, ne viderentur eam contemnere atque damnare Translationem, quæ sola in Ecclesia jam ab aliquot seculis non sine fructu obtinebat; utque calumniandi ansam eriperent, quasi nova à se conficta translatione totum V. T. immutare vellent, ut novam suam doctrinam inde confirmarent, voluerunt* (*idque consultum erat*) *eam interdum deserere,*

&

& Hebræum qui tum obtinebat inter Judæos textum sequi, etiam ubi sensu non discrepat à LXX. Interpretibus, ne illam translationem solam authenticam facere viderentur, sed & isti textui auctoritatem aliquam conciliarent, & quam habere debebat illi conservarent.

27. Locum alium observat idem *Annotatis in Epist. ad Rom.* III. 5. *μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν.* Allusio (inquit) videtur esse ad locum Psalmi VII. 11. qui secundum LXX. sic habet, ὁ Θεὸς κριτὴς δίκαιος, καὶ μὴ ἐπάγων ὀργὴν καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν. — Apostolus, qui hic de ira Dei & justo ejus judicio in impios agit, apposite & eleganter objectionem, quam ipse sibi fecerat, solvit ipsis quasi Psaltis verbis, Μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπάγων (vel ἐπιφέρων) τὴν ὀργήν; nam hæc interrogatio vim habet negandi. Verba ergo ista, ἐπάγων τὴν ὀργὴν habet & accepit ex LXX. sensum autem loci ab Hebræo textu. Legit nempe in eo אֵל, quomodo hodie legitur, non vero אַל, uti LXX. legerunt. Hæc ille.

a De LXX. Int. c. 3.

28. Alia quædam loca observavit [a] *Usserius*, in quibus est ille Mat. XXI. 5. ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου· *super asinum & pullum jumenti.* ex Zach. IX. 9. ubi Græce est: ἐπὶ ὑποζύγιον καὶ πῶλον νέον· & in Latina veteri Versione: *super subjugalem & pullum novum*: Consentientibus etiam omnibus Græcis Codicibus.

29. Rom. XI. 4. *κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ.* ex 3 Reg. XIX. 18. ubi LXX. *καταλείψεις ἐν Ἰσραὴλ ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν, πάντα γόνατα ἃ οὐκ ὤκλασαν γόνυ τῷ Βάαλ.* Heb. *Derelinquam in Israel septem millia, omnia genua quæ non curvaverunt se ipsi Baal.* Cæterum hoc in loco pro *καταλείψεις* apud LXX. legendum est *καταλείψω*, ex Codice *Complutensi*, quod propius accedit ad textum Hebr. quam lectio ipsius Evangelistæ.

30. His positis exemplis, cum aliis nonnullis ex iis, quæ supra in medium allata sunt; subjungit *Usserius*: *Quod obiter hic observare fuerit operæ pretium, ne quis Apostolorum illam indulgentiam, qui Judæorum Hellenistarum & Gentium nuper ad fidem conversarum captui se accommodantes, ab illis recepta Scriptura Græca etiam ipsi uti non recusarunt, ita interpretaretur, ac si illam plane authenticam fuisse judicassent; ita ut nulla ratione liceret ab illa discedere, neque eam, ubi res requirebat, ex fontium Hebraicorum fide corrigere.* [b] Chamierus: *Quia scripserunt Græce Apostoli, facile usi sunt ea editione, quæ tum sola Græcis erat cognita: non ut eam redderent authenticam: sed ut accommodarent se iis, quos instruendos susceperant.* Paulo post, prolatis nonnullis exemplis, in quibus lectionem secuti sint Hebraicam; *His omnibus*, (addit) *& aliis multis locis discessum est à Græca editione. Itaque certum est, hoc facto Ecclesiam esse admonitam, ut illa sic utatur, ut tamen non dubitet exigere ad Hebraicam originem: id est, ne censeat esse authenticam.* And. Rivetus: *Negamus sequi authenticam esse editionem, qua aliquando, non semper usi sunt Apostoli, qua in nonnullis etiam discrepantibus, sed extra fidei jacturam, usi sunt Apostolici Viri, sed per indulgentiam, & ut se accommodarent, quantum fieri posset, receptæ quidem communiter Versioni, sed non ex omni parte perfectæ.* [c] Frid. Spanhemius ait eos secutos fuisse LXX. *quando id fieri poterat salva dictorum propheticorum substantia, tum ut libertatem suam ostenderent, tum ne in re levi, & adiaphora malis cavillorum, infirmis scandali occasionem ullam præberent.* Juxta [d] Sixtum Senensem quamvis Apostoli & Apostolici Viri *non modo* LXX. *editionem non contempserunt, sed ubique eam prædicarunt, & ex ea prima fidei Christianæ fundamenta jecerunt,* sciebant tamen eam *in multis redundare, & in multis deficere.* Sed ad alia procedamus exempla.

b Panstrat. l. 13. c. 2. §. 7.

c Dub. Evang.

d Bibl. l. 8.

31. Alia quædam exempla his cunctis addi possunt. Mat. II. 6. *Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleema terra Juda, nequaquam minima es* (οὐδαμῶς ἐλαχίστη) *inter duces Judæ. &c.* Heb. Mich. V. 2. *Et tu*

tu Bethlehem Ephrata PARVULUS es in millibus Judæ. Sic vulgo intelligitur. Græca: σὺ βηθλεέμ οἶκος Ἐφραθὰ, ὀλιγοςὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. Versio vetusta è Græco facta, apud *Hieron.* habet: *Et tu Bethlehem domus Ephrata NEQUAQUAM MINIMA es ut sis in millibus Juda.* Sic μὴ ὀλιγοςὸς legitur in textu *Theodoreti*, & in Cod. Card. *Barberini*; ubi tamen ad oram apponitur ὀλιγοςὸς, absque μή. [a] Cyprianus: *Et tu Bethleem domus Ephrata NON EXIGUA es, ut constituaris in millibus Juda.* Puto tamen editionis Græcæ germanam lectionem esse ὀλιγοςὸς, & μὴ, *NON* & *NEQUAQUAM*, ex Evangelio addita fuisse. Deest enim μὴ in aliis omnibus, quod sciam, exemplaribus Græcis, *Aldino*, *Complutensi*, *Romano*, *Alexandrino*, ut & apud *Eusebium lib.* 2. *& 7. Demonstr. Evang.* quin & Hieronymus in Tract. *De opt. gen. interpretandi*, in Græca Versione lectum fuisse, *modicus es*, disertissime, plusque semel, testatur. Hujus loci, prout ab Evangelista citatur, ab Hebræo discrepantia vexatus nimis, angustiisque magnis constrictus *Hieronymus*, errorem & memoriæ lapsum divinis Scriptoribus objicere non est veritus. Com. in Mich. *Quod testimonium nec Hebraico, nec* LXX. *Interpretibus convenire, me quoque tacente perspicuum est, & arbitror Matthæum volentem arguere Scribarum & Sacerdotum erga divinæ Scripturæ lectionem negligentiam, sic etiam posuisse, ut ab eis dictum est. Sunt autem qui asserant, in omnibus pene testimoniis quæ de Veteri T. sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, & interdum sensus quoque ipse diversus sit, vel Apostolis vel Evangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus quæ nonnunquam fallitur. Exponamus ergo Hebraicum. &c.* Contra *Hieronymum* objicit *Ruffinus*, solere illum, quæ ipse senserit paradoxa, aliis nescio quibus, quos non nominat, attribuere, non audentem ea pro suis divulgare: qua in re *Ruffino* prorsus assentior; idemque in hoc loco fieri haud addubito. [1] At vero non fuit cur memoriæ lapsum Evangelistæ hoc nomine impingeret *Hieronymus*. Est error non Evangelistæ, sed ipsius *Hieronymi*. τὸ צעיר enim non modo *parvum*, sed & *magnum* significat: id quod ostendit *Pocockius* magnus in *Notis Miscell. in Portam Mosis, cap.* 2. *& Commentario in Michæam.* Eum omnino consule. Eandem itaque vocem Hebraicam Interpretes Græci reddiderunt *parvum* sive *minimum*, Evangelista *magnum*, sive *nequaquam minimum.*

Alii existimant Matthæum sine punctis ita legisse: צעיר לו היות, id est, *minima non es.* Quæ verba ex punctatione Masoretharum, & unius literæ ו transpositione ita hodie perperam legi צָעִיר לִהְיוֹת, id est, *minima ad existendum*; literam, inquam, ו particulæ negativæ לו adimentes, & sequenti verbo mediam inserentes. לו enim non raro poni pro לא, ut 1 Sam. II. 16. & XX. 2. idque Syrorum more qui pro לא scribunt לִו: היות autem simplici Jod in medio interdum legi, ut Pagninus adnotat in היה. Ita 2 Sam. xv. 33. x. 11. *Capellus*, qui hunc locum adducit inter eos, in quibus Scriptores sacri Hebræum deserentes Versioni Græcæ adhærent, putat LXX. pro צָעִיר לִהְיוֹת *parvulus es*, legisse צָעִיר לֹא הָיִיתָ *parva non es.* Alii, ut *Drusius* & *Grotius*, verba Evangelistæ, ut cum Hebræo reconcilientur, legunt cum interrogatione, quæ negationi tantundem valeat, hoc modo: *Tune Bethlehem, minima sis in censu familiarum tribus Judæ? Imo vero ex te originem sumpturus est Messias.*

Eodem autem textu legitur in Heb. hodierno & apud LXX. *in millibus Judæ.* Matthæus vero habet, *inter duces Judæ*: legens nempe in Heb.

[a] Lib. 2. Testim.

1 Sanius tamen in Epist. *De opt. gen. interpret.* De Joanne Evangelista: *Arguunt Apostolum falsitatis, quod nec cum Hebraico, nec cum* LXX. *congruat translatoribus: &, quod his majus est, erret in nomine: pro Zacharia quippe Hieremiam posuit. Sed absit hoc de pedissequo Christi dicere: cui curæ fuit non verba & syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere.* Vide quæ habet ibid. de loco Matthæi citato.

non אלפי *mille*, quod legerunt olim LXX. & nos nunc legimus, sed אלופי, i. e. *duces*, seu *principes*.

Textum illum non ex Græca Versione desumptum fuisse statuit ipse
a Hist. Crit. N.T. c. 22. [a] *Simonius*, neque tamen ex ipso Hebræo ab Evangelista desumptum fuisse existimat, sed potius illum tanquam Historicum posuisse ipsissima verba quæ Regi Herodi responderunt Rabbini, eosque recitasse Scripturæ verba juxta Scribarum glossas & expositiones, non exacte ut in sacro Michæ textu legebantur. Atque hoc ex eo confirmari putat, quod apud Evangelistam pro, *Et tu Bethlehem Ephrata*, sive ut est in LXX. *Bethlehem domus Ephrata*, ponuntur hæc verba, quæ eo tempore magis nota sunt, *Et tu Bethlehem in terra Judæ*.

32. Ephes. IV. 8. διὸ λέγει, Ἀναβὰς εἰς ὕψος, ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις· *Quapropter dicit, Cum ascendisset in sublime, captivam duxit captivitatem, & DEDIT dona hominibus*: ex Psal. LXVIII. 19. ubi Græca: ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν· ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώπῳ· *Cum ascendisses in sublime, captivam duxisti captivitatem, & ACCEPISTI dona in homine*. Hebraicum verbum לקח, juxta significa-
b Vide Pocock. in Porta Mosis pag. 24. tuum istius [b] varietatem, contrario prorsus sensu verterunt Evangelista & Interpretes. Sic in *Syriaca* Versione antiqua, quæ ex fonte Heb. manavit, habetur, *Et DEDISTI dona hominibus*.

33. In plerisque voluminibus Hebraicis, quæ extabant apud veteres, Psalmi *primus* & *secundus*, conjuncti habebantur, unumque constituebant: eaque creditur secutus fuisse S. *Paulus*, cum in Concione *Act.* XIII. 33. verba illa, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, citaret ex *Psalmo primo*: sic enim legebatur in Codicibus veteribus, non *secundo*, quod postea ideo substitutum est, quia in omnibus exemplaribus Versionis Græcæ in *secundo* Psalmo reperta sunt. Audiamus B. *Hilarium*, luculentissimum hujus rei testimonium perhibentem; Com. in Psal. II. *Plures nostrum ambiguos facit Apostolica auctoritas, utrum Psalmum hunc cohærentem primo, & veluti primi extremum putent esse: an vero subjacentem & secundum potius connumerent. Namque in Actis Apostolorum* primum *hunc haberi atque esse, sub oratione B. Pauli ita docemur: Nosque vobis evangelizamus eam quæ ad patres facta est repromissio: hanc Deus explevit filiis vestris suscitans Dominum nostrum Jesum, sicut in Psalmo* primo *scriptum est: Filius meus es tu &c. Ob hanc ergo Apostolicam auctoritatem errore scribentium fieri creditur, ut in ordine* secundus *Psalmus iste numeretur, cum* primus *esse ipso Doctore gentium testante noscatur.* Interjectis aliquibus: *Beatus ergo* (addit) *Apostolus Paulus secundum professionem suam Hebræus ex Hebræis, etiam secundum Hebraicam cognitionem & fidem, Psalmum hunc* primum *esse dixit, Translatorum distinctione non usus: cui maximum hoc prædicandi ad Synagogæ principes studium erat, ut Dominum nostrum Jesum Christum Dei filium, natum, passum, resurgentem, regnare in æternum, ex doctrina Legis ostenderet. Tenuit itaque hunc modum, ut Hebræus ipse, & Hebræis prædicans Hebræorum consuetudine uteretur.* In Apostoli concione lectum fuisse olim, *in Psalmo* PRIMO, testantur quoque *Hieronymus*, *Augustinus*, & *Georgius Alexandrinus*; idemque monet *Vatablus* hodienum haberi in nonnullis Codicibus Græcis. Et sic reposuit in sua Testamenti Novi Græci editione *Erasmus*. Hebræos vero veteres, *primum* & *secundum* Psalmum, non duos diversos, sed unum fecisse, palam attestantur, præter *Hilarium*, *Hieronymus*, *Theodoretus*, & Græcus
c Apud Caten. in Psal. 2. Scholiastes in Psalmum 2dum. [c] *Georgius Alexandrinus* monet se vidisse exemplaria duo Hebraica, quorum in altero duo primi Psalmi disjuncti fuerint, ut in Codicibus hodiernis; in altero vero conjuncti. Nume-
d Schol. in Psal. 2. apud Catenam. rabant tamen omnes Hebræi Psalmos CL. nam qui primos duos pro uno habuerint, ii [d] *nonum* in duos dividebant.

34. Quæ

34. Quæ in eadem Concione (XIII. 41.) adducit Apostolus ex Proph. *Habacuc*, juxta literam Hebraicam fuisse prolata, arbitratur [a] *Raymundus Martini*: sed ex ipso Græco (quod tamen ab Hebræo non discrepat) locum illum afferri, conferenti cuivis apparet. [a] Proœmio Pugionis Fidei §. 15.

35. Solitum fuisse *B. Paulum* ex textu *Hebraico* scribere, observat *Basilius* ad Es. X. 23. & hoc ab eo factum fuisse in textu illo citando. LXX. habent: Καὶ ἐὰν γένηται ὁ λαὸς Ἰσραὴλ, ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα αὐτῶν σωθήσεται. λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐν τῇ οἰκουμένῃ ὅλῃ. Apostolus ad Rom. IX. 27. Ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης τὸ κατάλειμμα σωθήσεται. Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. Basilius: ὀλίγας λέξεις μεταθεὶς τούτου τοῦ ῥητοῦ ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ ὁ Ἀπόστολος συνεχρήσατο. ἐὰν δέ τις ἐπιζητῇ τὴν αἰτίαν, δι᾽ ἣν, τὰ μὲν παρῆκε, τὰ δὲ ἐνήλλαξεν ὁ Ἀπόστολος, ἐκεῖνο γινωσκέτω ὅτι Ἑβραῖος ὢν οὐκ ἐδουλεύσε τῶν ἐκδόσεων, αἷς ἡμεῖς συγκεχρήμεθα, ἀλλ᾽ ἑρμηνεύσας τὸ ῥητὸν ὡς παρέστη, οὕτως ἐξέθηκε. καὶ γὰρ φαίνονται καὶ οἱ ἄλλοι μᾶλλον συνδραμόντες τῇ Ἀποστολικῇ διηγήσει. *Apostolus in ea, quæ ad Romanos est, Epistola, hac sententia Prophetæ usus est, paucis admodum dictionibus immutatis. Si quis vero causam exquirat, quare alia quidem prætermiserit, alia vero immutarit Apostolus, illud noverit, primum, quia is Hebræus quum esset, non se serviliter addixit Editionibus, quibus nos utimur: sed sensum Scripturæ, quemadmodum illi in mentem venit interpretatus, ita exposuit. Siquidem alii quoque videntur propius accedere, & consentanee magis Apostolicæ enarrationi.* Advertit idem Apostoli verbis ἐπὶ τῆς γῆς accedere Versionem *Symmachi* & *Theodotionis*: ἐν μέσῳ πάσης τῆς γῆς. In eodem textu, ut & alibi, secutum fuisse Apostolum *Hebraicum* textum animadvertit quoque [b] *Procopius Gazæus*: τὰ δὲ ῥήματα ταῦτα παρέθηκεν ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ὁ Παῦλος, ὀλίγην ἔχοντα τὴν παραλλαγήν. οὐδὲ γὰρ ὡς ἡμεῖς, ἠκολούθει τοῖς ἑρμηνεύσασιν. Ἑβραῖος δὲ ὑπάρχων, κατὰ τὸ δόξαν αὐτῷ τὴν ῥῆσιν ἡρμήνευσε. καὶ οἱ ἄλλοι δὲ μᾶλλον τῇ Ἀποστολικῇ διηγήσει συνέδραμον. *Sunt vero & hæc verba in eam, quæ est ad Romanos, Epistolam, paucis immutatis, à Paulo transsumpta. Neque enim, ut nos solemus, ille cujusquam verba sequitur Interpretis, sed Hebræa Hebræus ipse ad arbitrium exprimit. Aliisque magis Apostolica placuit interpretatio* Cæterum haud dubitarim, quin in textu isto nonnulla ex Translatione descripserit Apostolus. [b] Com. in Es.

36. *S. Marcum*, sive apud illum Dominum Servatorem, ex Hebræis Bibliis verba quædam recitasse, existimavit *Scaliger*. Locus est cap. IX. 49. *Ubi vermis eorum non intcrit, & ignis non extinguitur. Nam omnis igne salietur* (πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται) *& omnis oblatio sale salietur.* De quo ipsius *Scaligeri* verba ex Epistola 442. ad *Joannem de Laet* non gravabor hic loci describere. "*Locum* (inquit) *Marci ante multos annos* "*amicis & exposui & probavi. Vetustissima menda illum occupavit: quam ne-* "*mo odoratus est, quum tamen lectio vulgaris ineptissima sit. Nam quid* "*est ἁλίζειν πυρί? Scio veterum & recentiorum super illo portentoso genere lo-* "*quendi sententias. Melius tacuissent. Quod Matthæi* V. 13. *Lucæ* XIV. 34. "*Dominus dixit Discipulis suis*, Vos estis sal mundi, aut terræ, *non expo-* "*nitur causa quare id dictum sit. At Marcus prius proposuerat verba, ex* "*quibus infertur, Apostolos esse Sal mundi. Verba enim illa sunt ex* 2 *Le-* "*vitici.* Omne holocaustum sale salietur. *Ait igitur Dominus*: Scitis "scriptum esse, OMNE IGNIARIUM SACRIFICIUM SALIETUR: "*item*, OMNE HOLOCAUSTUM SALE SALIETUR. Et quodnam "Sal putatis esse illud? Vos estis ipsum Sal. Vos estis Sal terræ. *Ita* "*igitur scripsit Evangelista*: Πᾶσα πυρεία ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλι- "σθήσεται. *Utrumque testimonium, ut dixi, ex* 2 *Levit. in quo* אשה *feli-* "*cissime ab Evangelista redditum est* πυρεία. *Nam, ut scis*, אש *est* πῦρ: *quasi*

 "*dicas*,

" *dicas, igniariam oblationem. At inepti homines, qui hunc locum depravarunt, hoc comma cum superiore conjungere voluerunt, in quo* πυρὸς *fit mentio.* & *, quum, quid esset* πυρὰ, *non intelligerent,* πυρὰ *legerunt.* & *quia putarunt, duo illa commata unum tantum esse,* καὶ, *ut vinculum utriusque commatis esset, insulserunt. Quam recte autem, te ipsum judicem fero. Nam, quid habent commune,* τὸ πῦρ ὃ σβέννυται, & ἁλισθήσεται? *Quid est sa*lire igni? Ubi eorum ignis non extinguitur; nam omnis salietur igne. *Pulchrum commentum! Hæc est vera hujus loci interpretatio; quem, ut dixi, fædissima menda ab incunabulis usque ipsius Christianismi invasit. Docti Viri, quibus jamdudum hoc ostendimus, multum laudarunt, victi vero: maligni quidam Theologastri, qui se nihil ignorare putant, multum obtrectati sunt. Tu vero cave ab hujusmodi prophetis.* (sic solet *Scaliger* appellare Theologos, qui ei in re quavis adversati fuerint, vocabulo satis inepto) " *Nam qui aliquo sensu communi præditus est, non poterit non laudare sententiam nostram.*" De hac *Scaligeri* conjectura videantur *Grotius* & *Capellus* ad locum. *Valde probabilem* esse agnoscit *Capellus*, sed tamen contra illam hoc facere animadvertit, quod in loco *Levitici* citato vox אשה non occurrit.

Recensuimus hactenus testimonia veteris T. in quibus citandis, Apostoli & Evangelistæ lectionem *Hebraicam* secuti vel fuerunt, vel fuisse creduntur. Pro instituto nostro è contra nunc dispiciendum est, utrum in ullis locis editionem *Græcam*, ubi ab *Hebræo* recedit, secuti fuerint.

37. *B. Hieronymus*, quamvis toties, tamque diserte neget Scriptores sacros ex *Græca* unquam Versione, ubi ab *Hebræo* discordat, testimonia hausisse; alibi tamen secum ipse fortiter confligit, faterique cogitur, hoc eos interdum fecisse. Comment. in Es. vi. agnoscit *Lucam Evangelistam* testimoniis *Græcis* magis quam *Hebræis*, utpote Græcis innutritum artibus, uti. *Evangelistam Lucam tradunt veteres Ecclesiæ tractatores medicinæ artis fuisse scientissimum, & magis Græcas literas scisse quam Hebræas. Unde & sermo ejus tam in Evangelio quam in Actibus Apostolorum, id est, in utroque volumine, comptior est, & secularem redolet eloquentiam: magisque testimoniis Græcis utitur quam Hebræis.* Ad cap. xxviii. *Hoc in veteri observavimus Testamento, absque paucis testimoniis quibus Lucas solus abutitur* (i. e. utitur) *qui magis Græcæ linguæ habuit scientiam: ubicunque de veteri instrumento quid dicitur, non eos juxta* LXX. *sed juxta Heb. ponere, nullius sequentium interpretationem, sed sensum Hebraicum suo sermone vertentium.* Eundem confitetur in *Quæstionibus Heb. in Genesin*, verbis infra producendis, editionem Græcam, etiam ubi ab Hebraico discrepat, fuisse sectatum. De *Epistola ad Hebræos*, ad Esaiæ rursus cap. vi. *Ac primum solvenda est illa quæstio, quæ nobis objici potest? Quare Apostolus Paulus cum Hebræis disputans, non juxta Hebraicum, quod rectum esse cognoverat, sed juxta* LXX. *sit locutus.* Paulo post: *Pauli quoque idcirco ad Hebræos Epistolæ contradicitur, quod ad Hebræos scribens utatur testimoniis quæ in Hebræis voluminibus non habentur.* Eundem quoque Apostolum in *Epist. ad Rom.* testimonium ex *Græco* citare aliter quam in *Hebræo* est, apud *Comment. in Proph. Habacuc* in confesso est.

38. In locis quibusdam, quæ ab Hebræo in diversum abire sensum vulgo existimantur, ad concordiam cum illo reducendis, præclaram operam posuit Literarum Orientalium Primas, *Edv. Pocockius* noster, in Notis eruditissimis ad *Maimonidis Portam Mosis*, quas superius citavimus, capitibus iv. prioribus. Et si in omnibus Lectori perspicaciori, judicioque suo liberius utenti, non fecerit satis, at certe omnia perdocte perque ingeniose discutit ac pertractat, Ecclesiam vel hoc uno nomine egregie demeritus.

39. Pro

39. Pro *Rempban*, seu verius *Repban*, quod *Act.* VII. 43. in S. Stephani concione ex *Amos.* v. 26. juxta LXX. legitur, Hebræus habet *Ciun*: non tamen Hebræo contradicitur; sicuti recte monet [a] *Pocockius*, & plenius [a] Cap. 3. p. 39.
[b] nos alibi ostendimus. Idem enim deus fuit *Ciun* & *Rephan*, nimirum *Saturnus*. [b] Lib. 2. c. 4. §. 12.

40. Act. VIII. 33. ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη· *In ipsius depressione judicium ejus sublatum est.* ex Es. LIII. 8. secundum LXX. Vulg. *De angustia & de judicio sublatus est.* Existimant è doctis non pauci, LXX. paulo aliter Hebraica legisse, quam hodie sunt. Suggerit *Pocockius*, at non sine aliqua dubitatione, Hebraica, prout nunc leguntur, reddi posse; *Præ afflictione*, vel *propter afflictionem à judicio sublatus est.* Sic omnia (inquit) optime convenient, etiam non variata lectione. [c] Addit, *quod, si ut vulgo solet, reddatur, sensus etiam ita fluet, Cum afflictus admodum esset, vel angustiatus, & judicio oppressus, sublatus, i. liberatus est ab afflictione & judicio isto. Quid enim illud sonat*, Cum humiliatus vel oppressus esset, ablatum est ejus judicium: *quo ad talia ferenda destinatus fuerat, vel sublata ejus pœna? Idem valet, sive ipse à judicio vel pœna ablatus, liberatus, ereptus dicatur, sive judicium, vel pœna ipsius ab ipso ablata.* Capellus existimat pro מֵעֹצֶר וּמִמִּשְׁפָּט לֻקָּח *de angustia & judicio sublatus est*: LXX. legisse בְּעָצְרוֹ מִשְׁפָּטוֹ לֻקָּח. [c] Cap. 4. p. 72.

41. Ibid. XIII. 41. in S. Pauli sermone: ἴδετε οἱ καταφρονηταί, καὶ θαυμάσατε, καὶ ἀφανίσθητε &c. *Videte, ò contemptores, & admiramini, & dissparete &c.* juxta LXX. ex Hab. I. 5. Latinus habet; *Aspice in GENTIBUS & videte, & admiramini, & obstupescite.* Non tamen ab Hebræo hodierno discrepat Apostolus: nam בגוים *bagoim*, non modo significat *in gentibus*, sicut vulgo intelligitur, literula ב, quæ vocem orditur, tanquam præpositione lecta, sed & καταφρονηταί, *contemptores*, sive *insolentes*, *superbi*, vel *qui injuriam facitis*, reddi posse colligitur ex significatu verbi Arabici *Baga*. Adi Virum maximum cap. 3. Existimat *Capellus*, pro בַּגּוֹיִם LXX. legisse בּוזים, vel בֹּגְדִים. Legisse eos בגדים arbitrantur etiam *Beza*, *Grotius*, & *Hottingerus*: nec temere quidem, siquidem in eodem Habacuco II. 5. בוגד vertitur καταφρονητής.

42. Eodem loco, pro θαυμάσατε καὶ ἀφανίσθητε, LXX. habent, θαυμάσατε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε. Heb. *& admiramini & obstupescite.* וְהִתַּמְּהוּ תְּמָהוּ. Juxta Capellum legerunt LXX. תְּמָהוּ וְהִתַּמּוּ mutato primum ordine, deinde & verborum altero, eodemque a themate תמה ad thema תמם *consummare & consumi*, translato. At quæ hoc statuendi necessitas, respondet *Pocockius*, cum nihil in Græcis amplius contineri videatur, quam in Hebraicis, eo quo jam, & modo, & ordine leguntur? Nam התמהו bene per θαυμάσατε reddi non est qui dubitet: quidni & תמהו per ἀφανίσθητε? neque enim illud postulare videtur, ut quis prorsus consummetur aut consumatur, sed præ admiratione & stupore ab eo quo fuerat statu mutetur, & quasi corrumpatur: Quam esse thematis *Tamah* vim, ostendit ex ejusdem in lingua Arabica usu.

43. Ibid. XV. 17. In S. Jacobi concione, ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον, καὶ πάντα τὰ ἔθνη ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτούς. *ut quærant reliqui homines Dominum, & omnes Gentes super quas invocatum fuerit nomen meum.* Ex Amos IX. 12. ubi Heb. pro *ut quærant reliqui homines*, habet, *ut possideant reliquias Edom*, לְמַעַן יִירְשׁוּ אֶת שְׁאֵרִית אֱדוֹם. Conjectatur Capellus, legisse LXX. יִדְרְשׁוּ *quærant*, pro יירשו *possideant*, & אָדָם adam i. *hominem* (singulare pro plurali) pro אדום; addunt alii legisse quoque eos אתי pro את. Legisse eos אָדָם statuunt quoque *Beza*, *Grotius*, & *Hottingerus*. Sed asserit *Pocockius* hodiernam Hebræi textus lectionem sensum adeo commode exprimere, ut sibi persuadere

non poſſit, Apoſtolum & LXX. Interpretes, ſi jam iterum vertendam haberent, aliter reddere voluiſſe. Eum vide ſis cap. 4. ut & *Lightfootum Hor. Heb.* ad locum. Non dubitat *Lightfootus* quin ex ipſo textu Heb. idque ſicut hodie legitur, locum illum produceret Apoſtolus. In quo ei minime aſſentior.

44. Rom. IX. 33. & X. 11. πᾶς ὁ πιςεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ καταισχυνθήσεται· *Qui credit in eum, non confundetur.* 1 Pet. II. 6. καὶ ὁ πιςεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ μὴ καταισχυνθῇ· ex Eſ. XXVIII. 16. ubi Vulg. *Qui crediderit, non feſtinet.* LXX. ὁ πιςεύων οὐ μὴ καταισχυνθῇ. Vulgo credunt Apoſtolos his locis, dum ſequuntur LXX. *Hebraicæ* lectioni adverſari; & pro יָחִישׁ *feſtinabit*, conjectantur LXX. legiſſe יֵבוֹשׁ, vel יֵבוּשׁ: ſed oſtendit *Pocockius* τὸ יחישׁ *yachiſh* ſignificare non ſolum *feſtinabit*, ſed & *pudore ſuffundetur.* Vide cap. 1. p. 10, 11.

45. Ibid. X. 18. εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν· *in omnem terram exivit ſonus eorum*: ex Pſal. XIX. 5. juxta LXX. quibus convenit *Hieronymi* verſio. Τὸ קום *Kavam* reddi ſolet *linea eorum*, unde concludunt multi non ita habuiſſe lectionem veterem, ſed קולם *Kolam*, quod *vocem eorum* ſignificat. At linguæ Arabicæ ope oſtendit V. D. τὸ קום non ſolum *lineam eorum* verti poſſe, verum etiam *vocem eorum.* Thema enim Arabicum *Kawa*, quod Hebraico *Kava* reſpondet, *clamare*, *exclamare*, *vociferari* ſonat. Ipſum conſule cap. IV. p. 47. &c. Obſervat etiam ipſe Capellus, potuiſſe LXX. קום accipere quaſi eſſet à חָוָה, quod Chaldaice & Syriace ſignificat *eloqui*, *enuntiare*, *indicare.*

46. 1 Cor. XV. 55. ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος; verſio vetus, tranſpoſitis vocabulis: *Ubi tua, ô mors, victoria? ubi tuus, ô ſepulchrum, aculeus?* ex Hoſ. XIII. 14. ubi LXX. ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη; antiqua Verſio nominata Itala: *Ubi eſt cauſa tua, mors? ubi eſt aculeus tuus, inferne?* Pro δίκη tamen legendum puto νίκη. Hieronymi verſio: *Ero mors tua, ô mors; ero morſus tuus, inferne.* Suſpicantur nonnulli, LXX. quos ſecutus fuerit Apoſtolus, legiſſe non אהי *Ehi*, ut hodie, ſed tranſpoſitis literis איה *Aieh.* Conjectura ſatis probabilis. Attamen אהי etiam ſignificare *ubi*, demonſtrat *Pocockius* cap. IV. p. 69. *Symmachus* interpretatus eſt *ero.* Quinta Editio & Aquila, *ubi*; monente *Hieronymo.*

47. Heb. VIII. 9. Ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, λέγει Κύριος. *Quoniam non permanſerunt in teſtimonio meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.* Jer. XXXI. 32. ubi Vulg. *Pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus.* LXX. Ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, καὶ ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, φησὶ Κύριος. בעלתי, quod hodie legitur, non neceſſario per *dominatus ſum*, ſed commode per ἠμέλησα *neglexi*, *deſpexi*, verti poſſe, docet V. clariſſ. cap. 1. Negari tamen non poteſt quin perquam veriſimilis ſit eorum conjectura, qui exiſtimant, pro בעלתי legiſſe Interpretes Græcos געלתי, quod ἠμέλησα (*neglexi*) ſignificare, vulgo noſcitur.

48. Ibid. XIII. 15. *Per ipſum aſſidue offeramus Deo ſacrificium laudis*, τοῦτ' ἔστιν καρπὸν χειλέων, *id eſt fructum labiorum*: ex Hoſ. XIV. 2. ſecundum LXX. Vulgata Lat. habet *vitulos labiorum.* Hieronymus ad locum: *Pro vitulis, qui Hebraice appellantur* פָּרִים, καρπὸν, *id eſt, fructum* LXX. *tranſtulerunt, qui dicitur* פֵּרִים, *falſi ſermonis ſimilitudine. Vituli autem labiorum, laudes in Deo ſunt, & gratiarum actio.* Suſpicatur V. C. καρπὸν idem hic valere poſſe ac κάρπωμα & κάρπωσιν, quæ voces pro *holocauſto* vel oblatione à LXX. uſurpantur. Et cum ea ſacrificia è *juvencis* plerumque fierent, ideo (inquit) factum ſit, ut פרים vocabulo iſto expreſſum fuerit, vel ſaltem eadem ratione exprimi poſſit. Videatur cap. IV. p. 70, 71. Me quod attinet, ut de omnibus libere & ſine præjudicio judicem,

judicem, nec in hoc exemplo, summo viro accedo, sed cum tanta sit vocum Hebraicarum similitudo, ut in *punctis* tantum discrimen sit, assentior illis, qui statuunt, varietatem interpretationis ortam fuisse ex varietate lectionis.

Hæc & alia quædam discussit reconditissima cum eruditione *Pocockius*. Sunt alia multa, quæ intacta ille dimisit; quorum, etsi non omnia, certe nonnulla manum reconciliatricem omnino fugiunt.

49. Rom. I. 17. ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. *Justus autem ex fide vivet.* Vetus lectio, sicut patet ex *Hieronymo*, fuit, *ex fide mea*, verbatim ex LXX. Hab. II. 4. ubi Heb. *Justus autem in fide SUA vivet.* Hoc ita excusat Hieronymus: *Porro quod Apostolus* LXX. *magis testimonio abusus est* (i. e. usus est) *ad Romanos scribens; Justus autem ex fide* mea *vivet, & non eo, quod habetur in Hebraico, causa perspicua est. Scribebat enim Romanis, qui Scripturas Hebraicas nesciebant, nec erat ei cura de verbis, cum sensus esset in tuto, & damnum ex eo præsens disputatio non haberet. Alioquin ubicunque diversus est sensus, & aliter scriptus est in Hebraico, aliter in* LXX. *nota eum his uti testimoniis, quæ à Gemaliele Doctore Legis didicerat.* Idem paulo ante: *Ubi* LXX. *posuerunt, Justus autem ex fide mea vivet; omnes æqualiter transtulerunt, ex fide sua vivet. Denique Symmachus significantius interpretans ait: Justus autem per propriam fidem suam vivet, quod Græce dicitur,* ὁ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσει, באמונתו *quippe quod interpretatur, in fide sua, si* י *& non* ו *literam haberet in fine, ut* LXX. *putaverunt, & legeretur* באמונתי, *recte transtulissent,* in fide mea, *nunc autem similitudo literæ* ו *&* י, *quæ mensura tantum inter se distant, causa erroris fuit.* [a] Lud. Capellus hunc locum adducit inter eos, in quibus Scri- [a] Crit. Sacr.
ptores sacri Hebræum potius sequuntur quam Græcum. Ita etiam *Ja-* l. 2. c. 1.
cobus, Ludovici F. Annotat. in Heb. *Hinc discimus* (inquit) *Apostolos ita sequi Versionem* LXX*viralem, propter receptum ejus usum in omnibus Hellenistarum Synagogis, ut sæpe relicto rivo redeant ad fontem Hebræum, ejusque puritatem nobis commendatam velint.* Ad quod respondet [b] *Vossius*, [b] De LXX.
veriorem in Græco lectionem esse, quam exhibent Codices *Alex. Aldi-* Int. c. 24.
nus, & Card. *Barberini* ὁ δίκαιός μου ἐκ πίστεως ζήσεται. Cæterum alteram esse genuinam LXX. lectionem, ex eo demonstratur quod ex unius literulæ perfacili mutatione oriatur diversitas; ne quid dicam de auctoritate Versionis Lat. veteris, quæ habet, *Justus ex fide mea vivet*. In *Cyrilli* textu deest μου. Ordinem saltem Heb. Codicum in hoc textu sequitur Apostolus, non Græcorum, in quibus verba illa *Justus &c.* non in principio, sed in fine leguntur. Vide §. 71, 72. ubi de hoc loco plura dicturi sumus.

50. Ibid. III. 10. &c. recitantur multa, quæ extant simul omnia in Græca Versione Psalmi XIII. in Hebræo vero non comparent. Respondet *Hieronymus*, nec lecta fuisse in correctioribus Versionis Græcæ exemplaribus, sed in communi & corrupta editione ex *Epistola ad Romanos* fuisse inserta; in *Epistolam* vero *ad Rom.* fuisse assumpta ex variis Scripturæ locis. Audiamus ipsum Procemio decimi sexti in Esaiam libri *Eustochium* his verbis alloquentem: "Cum anterioris libri præfa-"tiunculam legeres, in qua asserui Apostolos & Evangelistas ea tan-"tum de LXX. Interpretibus, vel suis vel eorum verbis ponere testimo-"nia, quæ cum Hebraico consonarent: si qua autem ab aliis addita "sunt, omnino negligere: illico mihi non parvam quæstiunculam de-"tulisti, quod scil. octo versus qui leguntur in Ecclesiis, & in Hebraico "non habentur, tertii decimi Psalmi, Apostolus usurpavit, scribens ad "Romanos: *Sepulchrum patens est guttur eorum: Linguis suis dolose age-"bant: Venenum aspidum sub labiis eorum: Quorum os maledictione & ama-"ritudine plenum est: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: Con-"tritio & infelicitas in viis eorum: Et viam pacis non cognoverunt: Non est*

"*timor*

"*timor Dei ante oculos eorum.* Quod cum audissem, quasi à fortissimo "pugile percussus essem, cœpi tacitus æstuare, & stuporem mentis, "vultus pallore signare. Hebræus, inquam, ex Hebræis, secundum "Legem Pharisæus, eruditusque ad pedes Gamalielis, aut ignoravit "hæc, aut eorum qui lecturi erant abusus est ignorantia. Quorum "alterum ineruditi, alterum callidi est ad malitiam, nec ejus qui dixe-"rit: *Et si imperitus sermone, non tamen scientia.* Et iterum: *In simpli-"citate & sinceritate annuntiavi vobis verbum.* Tandem in memet rever-"sus, unius diei spatium postulavi: ut responsio mea nequaquam ar-"gumentum humani esset ingenii, sed fructus assiduæ lectionis. Ita-"que omnem Scripturam mente perlustrans, animadverti, sicut omnis "pene ad Rom. Epistola de veteri structa est instrumento, sic & hoc "testimonium de Psalmis & Esaia esse contextum. Nam duo primi "versus: *Sepulchrum patens est guttur eorum: Linguis suis dolose agebant:* "quinti Psalmi sunt. Illud autem quod sequitur: *Venenum aspidum sub "labiis eorum*: centesimi tricesimi noni Psalmi est. Rursumque quod "dicitur: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est*: de nono Psal-"mo sumptum est. Tres autem versiculi qui sequuntur: *Veloces pedes "eorum ad effundendum sanguinem: Contritio & infelicitas in viis eorum: Et "viam pacis non cognoverunt*: in Esaia Propheta reperi. —— Ultimus "autem versus, id est, octavus: *Non est timor Dei ante oculos eorum*: in "tricesimi quinti Psalmi principio est. Nec in hoc cuiquam videatur "esse diversum, si quod in suis locis numero dicitur singulari, ab Apo-"stolo pluraliter dicatur: qui scribebat ad plurimos, & in unum sen-"sum multa cogebat exempla. Arbitror solutam quæstionem tuam, "& nostram regulam super translatione veteris instrumenti concussam "magis esse quam motam: Et non tam Apostolum de Psalmo XIII. "sumpsisse quod in Hebraico non habetur, quam eos qui artem con-"texendarnm inter se Scripturarum Apostoli nesciebant, quæsisse aptum "locum, ubi assumptum ab eo ponerent testimonium, quod absque "auctoritate in Scriptura positum non putabant. Denique omnes "Græciæ tractatores, qui nobis eruditionis suæ in Psalmos Commen-"tarios reliquerunt, hos versiculos veru annotant atque prætereunt: "liquido confitentes, in Hebraico non haberi, nec esse in LXX. Int. "sed in editione vulgata, quæ Græce κοινὴ dicitur, & in toto orbe di-"versa est." Consona leguntur in Commentariis in Psalmos, quæ ex-tant inter *Hieronymi* opera, sed illius revera non sunt; ex illius tamen, ut patet, explicationibus potissimum contexta. Hæc non satisfaciunt *Joanni Coclæo*, qui in libro *de Canonicæ Scripturæ & Catholicæ Ecclesiæ Aucto-ritate* sic scribit: *In Epist. ad Rom. cap.* 3. *Paulus allegat multos versiculos ex Psalmo* 13. *qui apud Hebræos cernuntur omissi, sed potius credendum esse pu-tamus Paulo Apostolo, quam Judæorum Bibliis. Scio quidem quid de loco Epi-stolæ ad Rom. citato responderit sacræ Virgini Eustochio S. Hieronymus Prolo-go sexti decimi Commentarii in Es. Sed alibi ostendi eum isti quæstioni, sal-va ejus gloria & honore, non satisfecisse.* Quo in loco id ostenderit *Co-clæus*, mihi non compertum. *Franciscus à Messana* [a] ait eum, dum ne-gat Hieronymum quæstioni huic satisfecisse, *contestatæ litis statum se mi-nime perpendisse, ne dicam intellexisse, demonstrare.* Certe Psalmum XIII. non allegat Apostolus, sed tantum ait: *Sicut scriptum est.* Et quinam probat *Cochlæus*, ex uno Psalmo ista omnia deprompta fuisse? Non ex uno aliquo, sed ex variis locis fuisse petita, affirmant quoque *Orige-nes* & *Theophylactus.* Et in Græcis Psalmi XIII. Codicibus melioris no-tæ ea non comparuisse confirmant quoque *Chrysostomus*, atque *Euthy-mius*, qui illa in Commentariis prætereunt: nec ab ullo Commenta-torum Græcorum agnoscuntur in *Catena* in Psalmos *Corderiana.* De-sunt

[a] De difficilibus Hieronymi locis V. *Translatio.*

sunt etiam in editionibus *Complutensi*, *Aldina*, & Regia, & in Codice MS. *Alexandrino*. Scholion: ὐδαμȣ̃ κεῖνται τῶν ψαλμῶν· πόθεν δὲ ὁ Ἀπόστολος εἴληφεν αὐτὲς, ζητητέον· *Nullibi in Psalmis posita sunt: unde autem Apostolus ea sumpserit, quærendum.* In alio Scholio, sicut annotat *Nobilius*, referuntur ex *Diodoro*, *Theodoro*, *Cyrillo*, *Didymo*: sed additur, in *Hexaplo* non esse inventa. Latinus interpolator *Origenis* Commentariorum in Rom. III. *Illud etiam necessario ducimus admonendum, quod in nonnullis exemplaribus Latinorum ea quæ subsequuntur testimonia in* XIII. *Psalmo consequenter ex integro posita inveniuntur: in Græcis autem pene omnibus non amplius in* XIII. *Psalmo, quam usque ad illum versiculum scriptum est: Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. &c.*

51. Ibid. XI. 26. καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ιακώβ· *& avertet impietates à Jacob*: ex LXX. Es. IX. 20. ubi Hebr. *conversis ab impietate in Jacob.* וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב. Pro לשבי LXX. legisse לְהָשִׁיב, & מִיַּעֲקֹב pro בְּיַעֲקֹב, arbitratur *Capellus*. *Grotius* ait eos pro ולשבי legisse וישיב: juxta textum vero hodiernum, sensum esse, Cyrum, Christi figuram, *venturum esse ad liberandos Judæos*, nempe *eos qui ex Jacobo*, i.e. inter Israelitas, *ab impietate se converterint*: juxta LXX. vero, quos sequitur Apostolus, Cyrum *liberaturum Israelitas*, *& impietates eorum*, i.e. pœnas impietatum, *aversurum.*

52. Ibid. XV. 12. Ἔσται ἡ ῥίζα τȣ̃ Ιεσσαὶ, καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν, ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιȣ̃σιν· ex Es. XI. 10. juxta LXX. ubi versio vetus Lat. *Erit* (in die illa) *radix Jesse, & qui consurget ut princeps sit gentium, in ipso gentes sperabunt.* Hieronymiana: (*In die illa*) *radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Pagninus: *Quæ stat in vexillum populorum, ad illam gentes quærent.* Origenes, ad locum, observat Apostolum *eisdem verbis hæc ponere, quibus* LXX. *Interpretes ediderunt. Unde* (inquit) *sciendum est, quod in omnibus pene Apostolus editionem* LXX. *Interpretum tenet, nisi quia forte ei quam exequitur assertioni minus necessaria videntur, aut si quando non tam verbis Interpretum quam sensibus Scripturæ uti vult sua enunciatione prolatis.* Cæterum in hoc loco ab Hebræo nostro quoad sensum non discrepat Apostolus. *Stare* enim *in signum*, sive *vexillum*, significat, *esse principem*, & illum dicuntur *quærere*, qui in illum *sperant.*

53. Gal. III. 10. Ἐπικατάρατος πᾶς ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τȣ̃ Νόμȣ, τȣ̃ ποιῆσαι αὐτά. *Maledictus* (est) *omnis qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.* Ex Deut. XXVII. 26. ubi habent LXX. Ἐπικατάρατος πᾶς ἄνθρωπος ὃς οὐκ ἐμμενεῖ ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τȣ̃ Νόμȣ τȣ́τȣ, ποιῆσαι αὐτȣ́ς. *Maledictus* (est) *omnis homo, qui non manserit in omnibus sermonibus Legis hujus, ut faciat eos.* In Heb. hodierno sic legitur juxta Lat. Vulg. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus Legis hujus, nec eos opere perficit.* Juxta Pagninum: *Maledictus, qui non statuerit verba Legis istius ad faciendum ea.* Ne crederetur Apostolus, ob voces *omnis* & *omnibus*, secutus fuisse non *Hebraicum* textum, sed *Græcam* Versionem, corruptos fuisse à Judæis recentioribus hoc in loco Codices Hebraicos contendit *Hieronymus*. Comment. in locum: *Hunc morem habeo, ut quotiescunque ab Apostolo de veteri instrumento aliquid sumitur, recurram ad originales libros, & diligenter inspiciam, quomodo in suis locis scripta sint. Inveni itaque in Deuteronomio hoc ipsum apud* LXX. *Interpretes ita positum: Maledictus omnis homo, qui non permanserit in omnibus sermonibus Legis hujus, ut faciat eos, & dicet omnis populus, fiat. Apud Aquilam vero sic: Maledictus qui non statuerit verba legis hujus, ut faciat ea, & dicet omnis populus, Vere. Symmachus: Maledictus qui non firmaverit sermones legis istius, ut faciat eos, & dicet omnis populus, Amen. Porro Theodotio sic transtulit: Maledictus qui non suscitaverit ser-*

 mones

mones legis hujus facere eos, & dicet omnis populus, Amen. Ex quo intelligimus, Apostolum, ut in cæteris, sensum magis testimonii posuisse quam verba, & incertum habemus, utrum LXX. *Interpretes addiderint, omnis homo, & in omnibus, an in veteri Hebraico ita fuerit, & postea à Judæis deletum sit? In hanc me autem suspicionem illa res stimulat, quod verbum, omnis & in omnibus, quasi sensui suo necessarium ad probandum illud, quod quicunque Legis sunt, sub maledicto sint: Apostolus vir Hebrææ peritiæ, & in Lege doctissimus nunquam protulisset, nisi in Hebræis voluminibus haberetur, quam ob causam Samaritanorum Hebræa volumina relegens, inveni* כל *quod interpretatur, omnis sive omnibus, scriptum esse, & cum* LXX. *Interpretibus concordare. Frustra igitur illa sustulerunt Judæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere quæ scripta sunt, cum antiquiores alterius quoque gentis literæ id positum fuisse testentur.* Causæ ego nihil video quare tantum hic turbarum, ob verba *omnis* & *omnibus*, Hieronymus cieret. Pace illius dixerim, sive legantur ea, sive omittantur, idem omnino funditur sensus, quod & ipse in superioribus statuit: Et perspicuitatis gratia ab Interpretibus *Græcis* atque *Samaritanis*, & ab Apostolo, Versionem Græcam sequente, sunt addita.

54. Ibid. commate 13. Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου· *Maledictus omnis qui pendet à ligno*: ex Deut. XXI. 23. ubi legunt LXX. κεκατηραμένος ὑπὸ Θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Et hunc quoque locum sine causa solicitat *Hieronymus*, Comment. ad locum: *Scire non possum quare Apostolus in eo quod scriptum est: Maledictus à Deo omnis qui pendet à ligno, vel subtraxerit aliquid vel addiderit. Si enim semel auctoritatem* LXX. *Interpretum sequebatur, debuit sicut ab illis editum est, & Dei nomen adjungere: sin vero ut Hebræus ex Hebræis, id quod in sua lingua legerat, putabat esse verissimum, nec omnis, nec in ligno, quæ in Hebræo non habentur assumere. Ex quo mihi videntur, aut veteres Hebræorum libri aliter habuisse, quam nunc habent, aut Apostolum (ut antea jam dixi) sensum Scripturarum posuisse, non verba; aut quod magis est æstimandum, post passionem Christi & in Hebræis, & in nostris Codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum maledictum à Deo credimus. Audaci itaque pede ad hoc procedo certamen, ut ad libros provocem, nullo loco scriptum à Deo quenquam esse maledictum, & ubicunque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen adjunctum. &c.* His cunctis quid futilius? Quæ addita sunt, *omnis* & *in ligno*, in sensu nihil mutant: *Omnis* in Heb. necessario subauditur, & ita quoque, *in ligno*. Nam *lignum* statim ante in ipso Heb. commemoratur: *Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, & adjudicatus morti suspensus fuerit in patibulo: Non permanebit cadaver ejus in* LIGNO, *sed in eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo est qui suspensus est. Et nequaquam contaminabis terram tuam.* Omisit autem Apostolus *à Deo*, quia *Deus* manifesto subintelligitur. Certe frustra contendit *Hieronymus*, *nullo loco scriptum esse à Deo quenquam esse maledictum*: Per totum enim caput *Deuteronomii* XXVII^m. ubi tot denunciantur maledictiones, intelligitur ubique *maledictio Dei*.

55. Heb. I. 6. Καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. Quæ verba reperiuntur in Versione Græca Deut. XXXII. 43. in Hebræo nusquam.

56. Act. I. 20. In S. Petri sermone citatur *Psalmorum* LIBER; sic rursus à Christo Domino apud Lucæ *Evangelium* XX. 42. cum in Bibliis *Hebræis* non *unicum* fuisse Psalmorum *librum*, sed *quinque*, scriptores veteres testantur. *Hieronymus* ipse Epist. ad Marcellam: *Amen* LXX. γένοιτο, *id est, fiat* (verterunt.) *Unde & in fine librorum* (*in quinque siquidem volumina Psalterium apud Hebræos divisum est*) *fiat fiat transtulerunt, quod in Heb. legitur Amen, Amen.* Idem ad Cyprianum: *Aiunt Hebræi uno Psalmorum volumine quinque libros contineri: à 1 usque ad 40. & à 41 usque ad*

ad 71. & à 72. usque ad 88. & ab 89. qui quarti libri initium est, usque ad 105. In quorum omnium fine duplex Amen positum est, quod LXX. *transtulerunt, fiat, fiat: & à 106. usque ad finem: instar 12. Prophetarum, qui & ipsi, cum proprios libros ediderint, unius voluminis nomine continentur.* Iterum Præfat. in Reg. ubi Instrumenti veteris recenset libros: *Primus liber* (Hagiographorum) *incipit à Job; secundus à David, quem 5. incisionibus & uno Psalmorum volumine comprehendunt.* Commentarius in Psalmos qui extat inter opera *Hieronymi*, ad finem Psalmi 40. *Et sciendum primum librum Psalterii hic esse finitum; Secundum vero esse à 41. usque ad 71. &c.* Hesychius ad finem Psalmi 105. apud *Catenam Corderianam*: μέχρι τῶν ἐνταῦθα τὴν τετάρτην βίβλον τῶν ψαλμῶν Ἑβραίων παῖδες ὁρίζοντες· εἰς πέντε γὰρ τὴν τοῦ Δαβὶδ προφητείαν διελόντες (καθὰ καὶ πρότερον ἔφαμεν) ἕκαστον ψαλμὸν, ᾧ τοῦτο τέλος πρόσκειται Ἀμὴν, Ἀμὴν, συμπλήρωσιν εἶναι μιᾶς βίβλου νομίζουσιν. *Huc usque quartum Psalmorum librum definiunt Hebræi: in 5. enim libros universam Davidis prophetiam dividentes (uti prius dicebamus) quemlibet Psalmum, cui finis est, Amen, Amen, unius libri complementum esse arbitrantur.* [a] Epiphanius: Ἀλλὰ καὶ ἔτι τοῦτό σε μὴ παρέλθοι, ὅτι καὶ ψαλτήριον διεῖλον εἰς πέντε βιβλία οἱ Ἑβραῖοι. &c. *Nec illud latere te debet, Psalterium ab Hebræis quinque in libros esse partitum. &c.* His astipulantur cum alii, tum *Eusebius Pamphili.* Respondeo 1. Psalterium licet in 5. *libros* fuerit divisum, totum tamen *Psalmorum librum* appellari non improprie potuisse: usurpatur enim *liber* in locis citatis pro *volumine.* Sic Act. VII. 42. adducitur *Liber Prophetarum*, qui tamen *libros* varios constituebant. Ita opusculum Hebræum, cui titulus [b] *Midras Thehillim: Moses dedit illis quinque quinarios Legis, consimiliter David dedit illis* librum *Hymnorum, in quo sunt 5. libri.* Eusebius in ὑποθέσει Psalmorum, ubi dicit, εἰς πέντε μέρη τὴν πᾶσαν τῶν ψαλμῶν βίβλον παῖδες Ἑβραίων διαιροῦσιν· *In partes 5. Psalmorum librum ab Hebræis dispertitum fuisse*; ibid. [c] inquam, *Eusebius* scribit Psalterium ab eisdem dictum fuisse, *Psalmorum LIBRUM.* Διόπερ ἡ πᾶσα γραφὴ παρ' Ἑβραίοις οὐ τοῦ Δαυὶδ ἐπιγράφεται, ἀλλὰ διορισμῶς βίβλος ψαλμῶν ὀνομάζεται. 2. Divisum fuisse Psalterium in 5. libros non apud omnes *Hebræos*, sed tantum apud nonnullos, tametsi de omnibus hoc asserere videantur Auctores citati. B. *Hilarius* initio Prologi ad Explicationes Psalmorum: *ALIQUI Hebræorum Psalmos in 5. libros divisos volunt esse. —Sed nos secundum Apostolicam auctoritatem*, librum *Psalmorum & nuncupamus & scribimus. Ita enim in Actis Apostolorum dictum meminimus: scriptum est enim in libro Psalmorum &c. Ergo neque secundum QUOSDAM Hebræos 5. libri dicendi sunt, —sed secundum Apostolicam auctoritatem* liber *Psalmorum esse noscendus est.* Et quamvis *Hieronymus* in locis citatis videtur asserere Hebræos *omnes* Psalterium in libros 5. distribuisse, in alio tamen loco videtur ipse, *contrarium* de *omnibus* Hebræis affirmare. Prologo in Psalmos ad Sophronium: *Scio quosdam putare Psalterium in 5. libros esse divisum, ut ubicunque apud* LXX. *Interpretes scriptum est*, γένοιτο, γένοιτο, *id est, fiat, fiat, finis librorum sit: pro quo in Hebræo legitur, Amen, Amen. Nos autem* Hebræorum *auctoritatem sequuti, & maxime Apostolorum, qui semper in N. T. Psalmorum* librum *nominant, unum asserimus Psalmorum volumen.* 3. Ex *Eusebii* ὑποθέσει superius citata videtur colligi posse, eandem repertam fuisse Psalterii divisionem in *Græcis* melioris notæ exemplaribus. Sic enim ea incipit: Τῆς βίβλου τῶν ψαλμῶν ἥδε ἂν εἴη ἡ διαίρεσις ὡς τὰ ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων αὐτό τε τὸ Ἑβραϊκὸν περιέχει· *Libri Psalmorum hæc fuerit divisio, ut exacta exemplaria atque ipsemet textus Hebraicus exhibent. &c.*

[a] De Mens. & Pond. cap. 5.

[b] Cit. à Drusio Quæst. Hebr. Q. 57.

[c] In 6to Vol. Bibliorum *Walton.* quæ edita sunt in *Catena*, imperfecta sunt.

57. Act. II. 20. τὴν ἡμέραν τοῦ Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ. Ex Joel II. 11. juxta LXX. *Lucas*, inquit Erasmus, *posuit* ἐπιφανὴς *manifestus, sive, illustris, cum Hebræis sit horribilis. Ut intelligere liceat id quod frequenter ad-*

 monuimus,

monuimus, Apostolos & Evangelistas non fuisse anxios in reddendis verbis Prophetarum, sed ipsam sententiam bona fide reddidisse. Quanquam potest aliquoties fieri ut lector eruditus nonnihil corrumpat, dum corrigere nititur ad editionem LXX. Capellus existimat LXX. legisse non הנורא quod in Heb. est, & *tremendum & terribilem* (uti dicit) significat, sed הַנִּרְאֶה *conspicuus, qui videtur*, à radice ראה. Sed fallitur uterque. cum textu Heb. hodierno convenit lectio Evangelica. Nam, ut adnotat *Grotius*, הנורא (vel נורא ut editiones aliæ habent) non solum *tremendum & terribilem* significat, verum etiam ἐπιφανῆ, à ירא *videre*. Vertitur eodem modo Jud. XIII. 6. 1 Par. XVII. 21. Hab. I. 7. Mal. I. 14. alibi μέγας, χαλεπὸς, θαυμάσιος, θαυμαστὸς, φοβερὸς, κραταιὸς, ἔνδοξος.

a Gen. 46. 27. Exod. 1. 5. Vide supra lib. 2. c. 10. §. 177.

58. Act. VII. 14. In S. Stephani concione dicitur, juxta [a] LXX. Versionem, Animas 75 ex Jacobi familia in Ægyptum commigrasse, cum textus *Hebraicus* numeret tantum 70. Qua de re sic *Hieronymus* Quæst. Heb. in Gen. *Quod si è contrario nobis id opponitur, quomodo in Actibus Apostolorum, in concione Stephani dicatur ad populum, 75 Animas ingressas esse Ægyptum, facilis excusatio est. Non enim debuit S. Lucas, qui ipsius historiæ scriptor est, in gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam scripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis illo duntaxat tempore* LXX. *Interpretum habebatur auctoritas, quam Lucæ, qui ignotus & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod ubicunque sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur* (utuntur) *quæ jam fuerant in gentibus divulgata: licet plerique tradant Lucam Evangelistam, ut proselytum, Hebræas literas ignorasse.* LXX. isthic addiderunt versum integrum, inter 20, & 21. in quo 5. recensentur ex posteris Manassæ & Ephraim. Quem versiculum Hebræo textui addendum esse existimat *Capellus* in *Critica*. Idem vero in *Annotat. ad Act. Apost.* ait istum ex margine in Græcam Versionem irrepsisse. *Erasmo* placet, secutum fuisse Lucam auctoritatem LXX. tum ubique receptam, *sive quod apud Hebræos detracti sunt à librariis* quinque, *sive quod non existimarit numeri rationem ad id quod tum agebatur pertinere.* Ex *Grotii* vero sententia, οε'. (75.) in Stephani concione librarii error est, cujus hæc origo, quod post ο'. (70.) annotatum fuit ε'. ad significandam quintam particulam sectionis ad Stephanum pertinentis. Apud interpretes etiam LXX. in Deut. x. 22. *Hieronymi* tempore lectum est non 75. sed 70. ut patet ex *Quæstionibus in Gen.*

59. Ibid. vers. 43. ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ· ex Amos V. 26. ubi Hebr. מלככם *Regis vestri*, ut urget *Capellus*. Sed fallitur. Est enim מלככם vel *Regis vestri*, vel *Moloch vestri*. Et utraque lectio eundem præstat sensum. Idolum *Moloch* in Heb. dicitur vel [b] מֹלֶךְ *Melech* sive *Moloch*, vel [c] מלכם *Melchom*, *Milchom*, aut *Malchom*. מלך in nonnullis locis (uti [d] alibi jam fuit observatum) à LXX. exprimitur per *Moloch*, in aliis βασιλεύς. Sic מלכם quoque nonnunquam est Μελχὸμ, ut Jer. XLIX. (Græcis XXX.) 1. 3. (ubi legitur mendose Μελχὸλ) alibi βασιλεύς.

b Vide supra lib. 2. c. 10. §. 45.
c 2 Sam. 12. 30. 2 Reg. 11. 5, 33. 1 Par. 20. 2. Jer. 49. 1, 3. Soph. 1. 5.
d Vide supra lib. 2. c. 10. §. 45.

60. Apud Amos in loco cit. juxta punctationem Masorethicam legitur סִכּוּת מַלְכְּכֶם, quod vertit *Arias Montanus*, (& portastis) *Zichuth Regem vestrum*. Rectius legerunt LXX. quos Lucas sequitur, סֻכּוֹת *tabernaculum*: & sic quoque vertit *Hieronymus*.

61. Apud Lucæ *Evangelium* III. 36. in Christi genealogia inter *Arphaxadum* & *Salam* interponitur, ex Versione LXX. *Cainan* quidam junior, quem codices *Hebræi* non agnoscunt. Juxta LXX. & S. Lucam *Sala fuit filius Cainanis, Cainan Arphaxadi*; sed juxta Heb. [e] *Arphaxadus genuit Salam*. De hoc discrimine sic *Beda*, Comment. in Act. *Lucas testimoniis*

e Gen. X. 24. XI. 12.

testimoniis Græcis utitur potius quam Hebræis. Ex quo accidit, quod maxime miror, & propter ingenii tarditatem vehementissimo stupore perculsus nescio perscrutari, qua ratione, cum in Hebraica veritate à Diluvio usque ad Abraham decem tantum generationes inveniantur; ipse Lucas, qui Spiritu sancto calamum regente nullatenus falsum scribere potuit, undecim generationes, juxta LXX. *Interpretes adjecto Cainan, in Evangelio ponere maluit.* Rursus in Lucæ Evangelium: *Scite ergo B. Lucam hanc generationem* (Cainani) *de* LXX. *Interpretum editione sumpsisse; ubi scriptum est, quod Arphaxad centum triginta quinque annorum genuerit Cainan, & Cainan cum centum triginta fuerat annorum genuerit Sela. Sed quid horum sit verius, aut si utrumque verum esse possit, Deus noverit.* Cainanem istum in Græcæ Versionis, quæ LXX. Interpretum nomen præfert, exemplaria, vel fraude, vel oscitantia hominum male feriatorum irrepsisse, & exinde in codices Evangelii Lucæ, statuit *Usserius*, & post illum *Jo. Gregorius* in Dissertationibus peculiaribus de *Cainane* conscriptis. Sic quoque *Frid. Spanhemius, Dub. Evang.* XXIII. ubi de eodem prolixissime disputat, aliique ab his citati è castris Romanensium, *Jo. Cordesius, Corn. à Lapide, Dion. Petavius, Pet. Possinus, &c.* Observant non extare *Cainanem* in Evangeliorum exemplari Græco-Latino vetustissimo literis uncialibus scripto, quod Academiæ *Cantabrigiensi* dono dedit clariss. *Beza*, neque in Græco, neque in Latino. Deinde contendunt, in multis præterea Codicibus Versionis Græcæ, qui extabant apud veteres, nullam fuisse illius repertam mentionem. 1. *Dositheum*, qui ipsorum Apostolorum vixit temporibus, in textu, quem interpolatum Samaritanis suis dedit, Hebraico, Patrum post diluvium annis ante παιδογονίαν ex LXX. editione desumptis, *Cainanem* cum suis annis [a] prorsus prætermisisse. 2. *Theophilum Antiochenum*, [b] *I. Africanum*, *Josephum* Christianum in *Hypomnestico*, & *I. Hilarionem*, temporum Epilogismum juxta LXX. instituentes, omisso Cainane, *Arphaxadum Salæ* patrem facere. 3. *Origenem*, in enarratione Evangelii secundum Joannem, numerare *Decem generationes ab Adamo ad Noe, & decem à Noe ad Abrahamum*, quod fieri non potuisset nisi *Cainane* juniore secluso. 4. *Eusebium* in ipsis τῶν LXX. quas ponit supputationibus *Cainani* isti nullum locum dedisse. 5. *Hieronymum* in *Quæst. Heb. in Gen.* ubi quasi ex professo tractat de differentiis Heb. textus & Versionis Græcæ, dissonantiam hanc, quæ est circa generationem *Cainanis*, adeo insignem atque notabilem, ne verbo quidem attigisse. 6. *Epiphanium* in Hær. LV. § 6. ubi temporum computa & generationes ponit, eundem omisisse. 7. In Bibliis *Russorum*, quæ translata sunt ex LXX. sine ulla *Cainanis* mentione dici, ἀρφαξαδ родн сала, сала родн евера *Arphaxad genuit Sala, Sala genuit Eber.*

[a] Vide Usser. pag. 192.
[b] Vide ibid. pag. 191.

Speciosa hæc videntur & minime certe contemnenda; verisimilius tamen mihi videtur, Auctores citatos *Cainanem* omisisse, non quia illum in suis Versionis Græcæ exemplaribus non invenerunt, sed quia in *Hebræo* defuisse sciverunt; & si quod extiterit exemplar in quo iste non reperiretur, credibilius est illud ex Hebræo fuisse correctum. Nedum credo cum *Gregorio*, intrusum fuisse in LXX. *Cainanem* post *Hieronymi Epiphaniique* tempora; quod falsum esse certissimum est. Argumenta mihi hæc sunt. 1. *Epiphanius*, quamvis in loco modo citato *Cainanem* prætermittit, in aliis tamen locis eundem ipse sæpius commemorat, ut in eodem opere, nempe *Panario, Hær.* LXVI. §. 84. Ἀρφαξὰδ (γεννᾷ) τὸν Κηνᾶ, Κηνᾶ τὸν Σαλᾶ. Rursus ibidem lib. 1. §. 4. Et in *Ancorato* §. CXVI. Ἀρφαξὰδ γεννᾷ τὸν Κινᾶ, Κινᾶ τὸν Σάλα. In altero isto loco hac de causa illum omisisse videtur, quia disputat ibi adversus *Samaritanos*, à quibus illum non agnosci cognoverit. 2. Agnoscitur etiam ab *Eu-*

ſtathio Patr. Antiocheno in *Hexaem.* & 3. à *S. Auguſtino De Civ. Dei* XVI. 3. unde apparet, in antiqua illa verſione è Græco facta, qua uſa eſt Eccleſia Latina, fuiſſe repertum. 4. In ipſius *Origenis* exemplaribus comparuiſſe, ab eoque veru jugulante confoſſum fuiſſe, teſtatur *Procopius Gazæus* in Gen. cap. 11. *Hebraica Veritas habet Selam genitum eſſe ab Arphaxad. Quæ deinde in medio ponuntur, obeliſco ſignata viſuntur.* Atque hinc colligitur, non modo vulgares Codices verum etiam correctiſſimos ipſoſque *Hexaplares*, *Cainanem* habuiſſe. *Obeliſcis* enim ab *Origene* notata eſt editio, non communis iſta, quæ erat depravatior, quod exiſtimat *Uſſerius*, ſed ipſa *Hexaplaris* emendatiſſima, ſicut ſuo loco oſtendemus. 5. Agnoſcitur quoque à *Demetrio* Hiſtorico Gentili, qui ſcripſit annis ante Chriſtum prope 150. in Chronologia quam compoſuit ex LXX. Interpretum Verſione, apud *Euſeb. Evang. Præparat.* IX. Chronologia enim iſta, velut animadvertit *Uſſerius* ipſe, uſque ad Jacobi & filiorum ejus deſcenſum in Ægyptum, ab Adamo annos 3624. à Diluvio 1360. (vel potius 1362.) ab Abrahami ex Charane in Chananæam adventu 215. dinumerans, 130. annorum Cainanis interpoſitionem neceſſario requirit. Atque hinc luculentiſſime refellitur opinio eruditiſſ. *Grotii*, qui ſtatuit nomen *Cainanis* primum irrepſiſſe in *S. Lucæ* contextum, *deinde cum late ſpargi ea lectio per Lucæ exemplaria cœpiſſet, à Græcis Chriſtianis etiam in verſione Geneſeos ſecundum* LXX. *inter Arphaxadum & Salam interpoſitum fuiſſe, annis etiam additis, quo magis Lucæ, quem ſic ſcripſiſſe arbitrabantur, ſua auctoritas conſtaret.* 6. Huc denique adjiciendum, exemplar nullum Verſionis Græcæ *Geneſeos* vel nunc extare, vel ullibi apud veteres memorari, in quo *Cainanis* generatio non ſit reperta. Illud quidem permirum videatur, *Euſebium*, cum ex profeſſo ponit Chronologiam *Græcæ Verſionis*, ut cum *Hebraica* conferretur, *Cainanem* præteriiſſe: cæterum, licet affirmet *Uſſerius*, *temeritatis notam effugere non poſſe, qui ab editione τῶν* LXX. *quam Euſebius ſequendam propoſuerat, Cainanis generationem abfuiſſe negaverint*; ob rationes tamen quas jam poſuimus, non poſſum non ſuſpicari, ab ipſo *Euſebio* ex ſerie Verſionis Græcæ Chronologica generationem iſtam fuiſſe eliſam, tanquam irreptitiam. Et repertam fuiſſe in omnibus Græcis exemplaribus, vel exinde inſuper confirmatur, quod *Euſebius*, quia eam omiſit, graviter reprehenſus ſit à *Georgio Syncello*, & ante illum à Chronologis *Aniano* ac *Panodoro*, qui vixerunt circa exitum ſeculi IV. *Lectos per omnes Chriſti Eccleſias ſacros Geneſeos libros Cainanem agnoviſſe* affirmat *Syncellus*. In Chronici *Euſebiani* Verſione Latina pag. 9. memoratur *Cainan: Arphaxat, quum eſſet annorum* CXXXV. *genuit Cainan. Et vixit Arphaxat poſtquam genuit Cainan, ann.* CCCCXXX. *&c.* ſed hæc inſititia eſſe contendit *Uſſerius*, neque ego inficias ierim. Aſſerit *Beda*, *Euſebium* omiſiſſe *Cainanem*, quia illum in *Origenis* Hexaplis notatum obelo repererit. Vide infra in *Euſebio*. Quod ab *Hieronymo* in *Quæſt. Heb. in Gen.* differentiæ hujuſce inter *Græcam* Verſionem & *Hebraicum* textum, nulla facta ſit mentio, id non magnopere mirandum eſt: hanc enim potuit ſilentio præterire tanquam omnibus jam notiſſimam. Et ſatis illi fuit in iſto tractatu *S. Lucam* de alia diſcrepantia, in qua Græcam Verſionem ſecutus eſt, excuſaſſe, cauſando, illum idcirco quæ reperit in Græca Verſione poſuiſſe, quia jam ea apud omnes vulgata inque manibus fuit. Taceo, illum, in nonnullis locis *Commentariorum* teſtimonia quædam ex *Veteri* Teſtamento in *Novo* prolata, ſilentio prætermittere, quæ tamen non potuit non ſcire, *Græcæ* potius Interpretationi, quam ſuæ ipſius Verſioni ex Hebræo factæ, conveniſſe. Certe conſtat illum hujuſmodi quædam exempla de induſtria celare voluiſſe.

Ex dictis satis patet *Cainanis secundi* generationem in Græcæ Versionis exemplaribus ab antiquissimis temporibus fuisse receptissimam. Unde hoc factum sit, judicandum aliis derelinquo. In re tam difficili, quæ, ut *Scaliger* ait, *Elia* aliquo vindice opus habet, omnino dubius hæreo. Neque illa de re fidentius sententiam tulerim, fueritne generatio ista ab ipso *Luca* in Evangelio suo è Græca Versione posita, an ab alio aliquo postea ex eadem illic inserta. Tamen positam fuisse ab ipso Evangelista, vel ex eo verisimilius redditur, quod solet is alibi, Versionem Græcam potius quam *Hebræum*, quod dubium est an intellexerit, sequi. Et longe videtur credibilius, exemplar illud unicum *Bezæ*, à quo abest *Cainan*, ex *Hebræo* fuisse correctum, quam reliquos omnes codices, cum Græcos tum Latinos, adde & Orientales, fuisse hac in parte corruptos. Illud quoque observatu dignissimum, quod de illo exemplari monet [a] *Waltonus*, adnotatque ipse *Beza*, quod in recensenda Genealogia Christi apud S.Lucam, contra omnium exemplarium fidem, & contra omnes Scriptores veteres, eadem habeat nomina ascendendo à Josepho ad Salomonem, quæ sunt apud Matthæum: ita ut qui hoc exemplar descripsit, crucem, quæ omnes Interpretes vexavit, circa discrepantiam inter Matth. & Luc. hoc modo plane sustulerit; & nodum, quem quidam indissolubilem putarunt, cum solvere non posset, dissecuerit. Unde tollitur omnis Exemplaris istius in hac causa auctoritas.

[a] Proleg. IX. §. 64.

Non dubitat [b] *Steuchus Eugubinus* erroris hoc nomine Evangelistam sanctissimum arguere: *Hinc factum ut idem error sit Lucæ tertio, ubi Genealogiæ censentur: sequebatur enim* LXX. *qui jam erant toto orbe receptissimi.* [c] Sixtus Senensis: *Atque hic idem error irrepsit in Genealogia Salvatoris nostri, descripta in* 3. *capite Evangelii apud Lucam: qui, ut in cæteris, ita etiam in hoc secutus est editionem* LXX. *suis temporibus toto orbe receptissimam.* Quomodo illum excusant alii, videatur apud [d] *Spanhemii Dub. Evang.* & *Lightfooti Talmudicas Exercit. in Lucam* III. 36. Scriptores Evangelicos non *excusari*, sed *defendi* debere jure contendunt alii, in his *Pearsonus* noster, Vir eximius, in Præfatione editionis Versionis Græcæ. Aliorum conjecturas varias, de quibus plene *Spanhemius*, tanquam futiles & inanes, missas facio.

[b] In Gen. XI.

[c] Bibl.V.88.

[d] Dub. 23. 57.

62. In eodem Lucæ Evangelio IV. 18. dicitur Dominum cum Esaiæ librum in Synagoga sibi traditum explicuisset, locum invenisse in quo scriptum est, Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με, εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με, ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν, κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν. *Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, ut evangelizem pauperibus misit me, ut medear contritis corde, ut prædicem captivis dimissionem, & cæcis visus recuperationem, ut confractos emittam in libertatem, ut prædicem annum Domini acceptum.* Verbatim ex LXX. Es. LXI. 1. nisi quod ibi pro κηρύξαι ἐνιαυτὸν legatur καλέσαι &c. & desint ista, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει· quæ absunt quoque ab *Hebræo*. Putat *Grotius* hæc adjecta fuisse ab Evangelista, ut illud explicaret, quod obscurius verbis αφέσεως præcedentibus dictum videri poterat; ex alio scil. Esaiæ loco LVIII. 6. ubi LXX. eadem ipsa habent. [e] Alii autumant traditum fuisse Domino non librum Esaiæ *Hebraicum*, sed *Chaldaicam Paraphrasin*, in qua hæc reperiuntur: *Spiritus Prophetiæ à facie Domini Dei super me, eo quod unxit me Dominus ad evangelizandum mansuetis; misit me ut confortarem contritos corde, ut prædicarem captivis libertatem, & iis qui vincti sunt, Apparete in lucem: ut prædicarem annum voluntatis coram Domino.* Latinus vulg. ex Heb. habet: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis*

[e] Bechin. Happerush.

tritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino. De hoc loco vide infra §. 78.

63. A [a] *Morino* producuntur loca quædam, quæ, si legantur juxta Hebræum hodiernum, cum Christi, ut inquit, aut Apostoli ratiocinatione non consistunt. Act. 2. S. Petrus, & Act. 13. S. Paulus resurrectionem adversus Judæos probant ex Psalm. 15. versu quo dicitur: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Urgent Apostoli potissimum hæc verba: Ait Petrus hoc Davidi competere non posse, quia derelictus est ille in sepulchro. Et Paulus, *David &c. dormivit & appositus est ad Patres suos, & vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitavit à mortuis, non vidit corruptionem.* In Hebræo sic legitur: לא תתן הסידיך לראות שחת, *Non dabis sanctos tuos videre foveam.* Argumentum hic Apostolicum prorsus cadere ait Morinus triplici ratione. Prima quia in textu Heb. corruptionis, cui dictioni potissimum incumbunt Apostoli, nulla fit mentio. 2. Quia textus, ut scribitur, nec de David, nec de Christo peculiariter intelligi potest, sed de omnibus Sanctis in universum. Denique thesim Apostolicæ contrariam evidenter probat: *foveam* enim Christus vidit, & in ea tribus diebus quievit. Verum ad hoc respondetur optime, quicquid è contra contendit *Morinus*, vocem שחת *corruptionem* significare posse, cum deduci possit à radice שָׁחַת, quæ centies cum derivatis in Scriptura *corrumpere* significat. Et sic redditur *corruptio* ab *Hieronymo* in sua Psalmorum Versione, à *Pagnino* etiam & *Aria Montano.* Neque *Sancti tui* in plurali necessario significat הסידיך, sed *Sanctum tuum*, cum Jod postremum abundat, & à Masorethis nec legitur nec punctatur, & sic non modo ab Hieronymo (ne quis eum aliter legisse suspicetur) verum etiam à *Pagnino, Montano*, aliisque, vertitur.

64. Alius locus à *Morino* notatus est Epistolæ ad Heb. cap. VII. ubi Apostolus multum sermonem habet de Melchisedeci Sacerdotio, atque ex Psalmo CX. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedek*, probat Christum Sacerdotem fuisse secundum ordinem Melchisedek Aaronico sacerdotio longe sublimiorem. Verum textum Hebr. (inquit Morinus) si sequaris mordicus, ratiocinatio hæc tota pervertitur; scribitur enim, & à Masorethis in textu punctatum est דִּבְרָתִי *ordinem meum.* Itaque hic sensus efficitur; *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem meum, ô Melchisedek.* Diversitas illa unius literulæ Jod additione contigit. Defuisse Jod in exemplari Heb. quo usi sunt Interpretes Græci (quos secutus fuerit Apostolus) existimat etiam *Grotius.* Alii vero, ut *Munsterus* & *Vatablus*, arbitrantur Jod non officere sensui, sed literulam esse redundantem. Et fateri cogitur ipse *Morinus*, nonnullos Judæos ita illam dictionem interpretari quasi Jod non adesset, & R. *Salomonem* scribere illam abundare.

65. Mat. XV. & Marc. VII. arguit Christus Pharisæos quod mandata Dei traditionibus irrita fecerint, & increpationem suam confirmat Esaiæ cap. 29. v. 13. *In vanum colunt me docentes doctrinas & præcepta hominum. In vanum* habent LXX. quos secuti sunt Evangelistæ: & eandem dictionem, in qua, uti ait *Morinus*, argumenti vis potissimum nititur, mutatione ' in ו & pro וַתְּהִי lecto וְתֹהוּ exhibet textus Hebræus, in quo aliter deest. Sequentia quoque magis conformia Versioni Græcæ & citationi Evangelicæ reddit *Morinus* diversa punctatione. Juxta punctationem Masorethicam sic textus legitur; *Et erit* (vel *fuit* aut *est*) *timor eorum* [b] *me, mandatum hominum edoctum*: juxta *Morinianam*; *Et in vanum timuistis* (i. e. coluistis) *me mandatis hominum & doctrina.*

[b] Hebraismus, pro, *timuerunt me.*

66. Mat. I. 3. Observante Capello, Pater *Aminadabi* nominatur Ἀράμ, & sic LXX. 1 Par. II. 9, 10. at in Heb. dicitur רָם *Ram*, non vero *Aram.* Item,

Item, Mat. I. 9. Ozias dicitur genuisse Ἰωάθαμ. sicut habent LXX. 2 Reg. xv. 17. & 1 Par. III. 12. at in Heb. est יותם *Jotham*. Hæc nemo non videt perexigui aut nullius momenti esse, cum semper licitum fuit in Nominum Propriorum scriptione sive pronunciatione usum vulgarem, quomodocunque receptum, sequi: ut non sit operæ pretium inquirere, utrum genuinæ sint eæ *Matthæi* lectiones.

67. Alia exempla adducit Capellus, in quibus Scriptores Apostolici secuti sunt Versionem Græcam à Codicibus Hebræis hodiernis quoad *punctationem* tantum discrepantem. Inter quæ, præcipua hæc sunt.

68. Heb. xi. 21. Adoravit Jacob, ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ *super extremo baculo suo*. Ex Gen. XLVII. 31. ubi in Heb. juxta punctationem Masorethicam legitur עַל־ראשׁ הַמִּטָּה *ad caput lecti*. At LXX. legerunt מַטֵּה *baculum*, pro מִטָּה *lecto*. Utra autem lectio potior sit definire non audet Capellus, cum utraque sensum fundat commodum. Existimat *Capellus Filius*, *Apostolum non dubitasse Græcum Interpretem hic sequi, quia sciebat etiam illi sententiæ constare suam hoc in loco veritatem. Quippe potuit* (inquit) *simul Jacob Deum invocaturus ad lectuli caput converti sive reclinari, & inniti summitati scipionis sui.* Hæc coactiora. *Hieronymus*, & ante eum *Aquila*, & *Symmachus*, ut & Chaldæus Paraphrastes, *lectum* habent; *Syrus* vero cum LXX. convenit.

69. Ibid. XII. 6. *Quem Deus diligit, corripit*, μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν ὃν παραδέχεται, ex Prov. III. 12. ubi in Heb. est וּכְאָב אֶת־בֵּן יִרְצֶה *& sicut pater*, castigat scil. *filium quem diligit*. At LXX. (inquit Capellus) pro כְּאָב legerunt כַּאַב h. e. *dolore afficit*. Juxta *Grotium* legerunt וְיַכְאִב *dolore afficiet*. In hoc loco, *Capellus Junior* ait Paulum Versionem Græcam, licet ab Hebræo aliquantulum discrepet, sequi, quia, rem ipsam quod attinet, utrobique sensus est idem.

70. *Capellus* Pater, hujusmodi prolatis exemplis, *Ex his* (inquit) *videre est non raro* LXX. *Interpretes aliter legisse in codice suo Hebræo quam hodie legamus in nostro; qua in varia lectione secuti sunt eos sacri Novi T. Scriptores, etiam iis interdum in locis, in quibus hodierna lectio non injuria videri possit melior, commodior, atque concinnior; non quod illam* LXX. *Interpretum minus rectam, minusque commodam probarent, aut suo calculo voluerint facere authenticam, sed quia noluerunt levi de causa sollicitare fidem translationis illius quæ tum obtinebat sola.* In Capite 2. ejusdem libri congessit idem exempla, in quibus (ut inquit) deserunt tum Hebræum textum, tum Græcam translationem, etiam quum consentiunt. Et in Cap. 4. exemplis compluribus ostendit, eos, Versionem Græcam sequendo, ut testimonia proposito suo accommodent, non raro aliquid de suo vel addere, vel detrahere, seu omittere, vel etiam aliquando immutare: immutare autem frequenter casus, personas, numerum, genus, tempus, prænomina affixa: commutare frequenter voces synonymas, sive ἰσοδυναμούσας, quæque sunt ejusdem significationis: nonnunqnam etiam contentos esse alludere ad testimonia V. T. eorumque sensum & mentem, utcunque retinere atque exprimere. In cujusmodi, inquit, locis *difficile est statuere an Apostoli τοὺς* LXX. *secuti sint, non κατὰ πόδα quidem & κατὰ τὸ ῥητὸν, sed saltem κατὰ διάνοιαν, an vero novam voluerint ipsi de suo instituere translationem, qua mentem tantum locorum illorum exprimerent. Atque ea in re exemplo suo saltem hoc nos docuerunt, ut ne simus in citandis vel convertendis Scripturæ testimoniis nimium morosi, verborum minutias sine necessitate consectando, modo à nobis mens atque sententia loci fideliter referatur atque exprimatur. Unde etiam est quod neque nos decet esse nimium acres Aristarchos in arguendis & divexandis antiquis S. Bibliorum translationibus, quarum magnus fuit in Ecclesia per multa secula usus, non quidem ut earum nævi & lapsus atque* σφάλματα *probentur*

& urgeantur adversus ipsam textus authentici veritatem, sed ut tolerentur atque excusentur, quantum id fieri salva veritate potest.

71. Inter loca quæ collegit *Capellus* ille, Vir quidem doctus, sed in Scripturis tractandis aliquanto audacior, ut ostendat Scriptores Novi Test. Versionem Græcam etiam à vero deflectentem sequi, primum locum sibi deposcit Heb. I. 12. ubi innuit Apostolum Versionis Græcæ lectionem depravatam fuisse secutum. Psalm. CII. 27. habetur in Heb. *sicut vestimentum mutabis eos.* At Græce, ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς, *sicut opertorium volves eos.* ἑλίξεις *volves*, pro ἀλλάξεις *mutabis*, mendam esse vetustam arbitratur *Capellus*. Cui in eo consentio. At nonne Scriptor ad Hebræos quoque idem verbum ἑλίξεις habet? Concedo; non suo tamen, sed librarii errore. In ipso enim Latino Vulg. in Epist. ad Heb. legitur; *& velut amictum, mutabis eos*: & ἀλλάξεις reperitur in variis lectionibus *Marchionis Velesii*, nec in illis modo, (ne fluxæ dubiæque fidei eæ videantur) verum etiam in Cod. MS. *Collegii Novi Oxon.* Genuina hæc est Apostoli lectio. Alteram illam mendosam secuti sunt Interpretes Orientales, una cum Græcis Patribus, *Chrysostomo, Theophylacto &c.* nimirum receptam in exemplaribus plurimis, quia *complicandi*, sive *convolvendi*, vox vesti aptius quadrare visa est, quam *mutandi*. Atque hinc in Græcam Psalmorum Versionem vox eadem tandem irrepsit; librariis eam, utpote quam putabant fuisse Apostolicam, in locum alterius substituentibus. In Exemplaribus autem Versionis Græcæ primævis lectum fuisse non ἑλίξεις, sed ἀλλάξεις, fidem faciunt, (præter rei ipsius probabilitatem) quæ ex ea confectæ sunt, translationes Latina Vulgata atque Æthiopica, in quibus legitur, *mutabis eos.* Scripsisse LXX. ἀλλάξεις *Capellus* (ut diximus) in *Critica Sacra* statuit, & inde bene confirmat, quod sequitur ἀλλαγήσονται· sed in *Annotationibus in Epist. ad Hebræos*, errorem attribuit, non librario, sed ipsis Interpretibus: & ἑλίξεις esse genuinam lectionem cum Græcæ Psalmorum Versionis, tum ipsius Apostoli, acriter, tanquam pro aris & focis, contendit, quasi metueret ne Apostolus non errasse crederetur; sed labore prorsus irrito. Statuit illic Interpretes deceptos affinitate soni literarum ח & ק, pro תחליפם legisse חקליפם. Jam vero, ut inquit, verbum Chald. קלף *kelaph* significat *deglubere*, *excoriare*, *decorticare*, & קלף *keleph* illis significat *pellem*, *corticem*, *arboris librum*, seu *membranam*, *cui aliquid inscribitur*: pellis autem & cortex cum detrahitur, volvitur; & membranæ quibus aliquid inscriptum est, convolvi solent & complicari. Hæc ille. At quam sit coactior ista conjectura, quam prior illa de ἀλλάξεις à librario in ἑλίξεις mutata, nemo non videt.

72. Heb. x. 38. ἐὰν ὑποστείληται. Textus integer sic se habet; ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται· καὶ ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ. *Justus autem ex fide vivet: at si quis se subduxerit, non probat eum animus meus.* Ex Hab. 2. 4. ubi LXX. ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται. In Heb. est, הִנֵּה עֻפְּלָה, id est, inquit Capellus, *ecce* anima quæ *superbit* & *sese effert*. Ex *Grotii* Annotationibus responsio peti potest: legisse LXX. quos sequitur divinus scriptor, non עפלה sed עלפה, verbum autem עלף vertitur Græce per ἐκλείπειν & ὀλιγοψυχεῖν· Et Græcum ὑποστέλλεσθαι est *minus facere quam oportet*, Act. xx. 20, 27. Gal. II. 12. Hinc ὑποστολὴ opponitur τῇ πίστει in Commate proxime sequente Heb. x. 39. Atque ita sensus erit, *Si* quis *defecerit*, in expectando scil. *is mihi non placebit*. Vox autem הנה non modo significat *ecce*, sed etiam *si*, & sic apud Syros הן, annotante *Drusio*. Responsio alia, & verior peti potest ex *Pocockii* Notis in *Portam Mosis* cap. IV. ubi ostendit ipsum verbum עפלה, non minus quam עלפה verti posse *defecerit*; immo etiam, *se retraxerit*. Eum consule.

consule. *Lud. de Dieu*, Vir acerrimi judicii, ut à *Pocockio* dicitur, non melius reddi posse עֻפְּלָה quam ὑποστείληται fidenter asserit.

73. At pergit Capellus; neque ea quæ ibidem sequuntur, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, recte verti contendit. In Heb. est לֹא יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ *non recta anima ejus* (*in eo*:) at LXX. (inquit) vocem illam acceperunt, quasi esset à radice שרר *Sarra*, quæ Arabice significat, εὐδοκεῖν, *delectari, gaudere, complacere* in re aliqua. Respondet *Pocockius* vocem ישר alibi frequenter per ἀρέσκειν verti, quod eodem fere recidit ac εὐδοκεῖν, illudque dicatur rectum esse in oculis Domini, quo ipse sibi complaceat. Quæ addit Vir clariss. de נפשו *anima ejus*, pro quo existimat *Grotius* LXX. legisse נפשי *anima mea*, mihi, fateor, non satisfaciunt. Legisse eos, pro ו omnino verisimile mihi videtur. De hoc autem textu, viz. de verbis illis, *Justus ex fide vivet*, egimus supra §. 49.

74. Ibid. xi. 3. εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *ut quæ cernimus non sint ex apparentibus facta*: quod hyperbaton est, pro, εἰς τὸ τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, ἐκ τῶν μὴ φαινομένων. Alludi ait Capellus ad id quod dicitur Genes. I. 2. *terra erat* תֹהוּ, quod LXX. reddiderunt, ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος, *terra erat invisibilis*. Atqui sic non recte verti, nam תהו potius significare *confusum, inordinatum* & *vastum*, quo sensu desertum dicitur *vastum, incultum, informe*. Ne quid aliud ad hoc reponam; ad locum allndi ab Apostolo, minime constat.

75. Rom. iii. 4. Καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε Ex Psal. li. 6. ubi in Heb. esse dicit Capellus, *ut purus sis cum judicas*; at loci sensus à LXX. & Apostolo bene exprimitur. Vide *Grotium* ad locum, & *Drusium*.

76. Ibid. vers. 12. ἅμα ἠχρειώθησαν ex eodem Psalmo vers. 3. ubi vox Heb. juxta Capellum significat, *rancidi & fœtidi facti sunt*. Concedimus. Bene tamen exprimitur Metaphoræ sensus, dum vertitur, *inutiles facti sunt*.

77. Jac. iv. 6. & 1 Pet. v. 5. ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται· *Deus superbis obsistit*. secundum LXX. Prov. iii. 34. ubi in Heb. est: *Deus irrisores irridet*. Sed quamvis Hebræa ad verbum non exprimunt LXX. & Apostoli, eorum tamen sensum optime exponunt. *Irrisores* enim sunt *superbi*, & eos *irridere* est *obsistere*.

78. Alins locus à Capello notatus est Luc. iv. 18. de quo supra §. 62. *Spiritus Domini super me est, quapropter unxit me, & misit me* κηρύξαι τυφλοῖς ἀνάβλεψιν *ad annuntiandum cæcis apertionem oculorum*. Ex LXX. Es. lxi. ubi, ut ait Capellus, in Heb. est, *vinctis apertionem carceris*. Verum, hujns loci interpretationem optime defendit *Grotius*. Ad quem Lectorem amando.

79. Alium denique locum profert Capellus, ubi Scriptor *Apocalypseos* Versionem sequitur ex mala punctatione errantem. Cap. ii. 27. xii. 5. & xix. 15. de Christo dicitur & quovis fideli, ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, *pascet eos in Virga ferrea*. Ex Psal. 2. 9. ubi in Heb. est תְּרֹעֵם, h. e. *confringes eos*, at LXX. legerunt תִּרְעֵם *pasces eos*. Sed prior lectio (inquit) magis quadrat sequentibus, *instar vasis figuli comminues eos*. Ad hoc quoque responsionem suppeditat nobis idem commentator, Vir vere magnus. Ait is in Heb. hodierno legi תרועם, LXX. vero legisse תרעם, à רָעָה non à רוּעַ. sensu vero (inquit) eodem recidente. Nam quia pastores regunt pecus, ideo regimen qualecunque per μετάληψιν exprimitur *pascendi* vocabulo, etiamsi in malum tendat eorum qui reguntur. Apparet id Mich. 5. 5. *Virga ferrea* non aliud est quam *gladius*, ut ad Psal. 2. ex *D. Kimchi* idem observat.

80. In Scholio ad marginem Codicis Card. Barberini ad Zach. cap. 12. adnotatum est, Apostolos interdum sequi textum Heb. interdum LXX.

interdum non eos, ſed editionem Græcam *communem*; Ῥομφαία, ἐξεγέρθητι ἐπὶ τοὺς ποιμένας μου, καὶ ἐπ' ἄνδρα πολίτην αὐτοῦ, λέγει Κύριος παντοκράτωρ, πατάξατε τοὺς ποιμένας· καὶ ἐκσπάσατε τὰ πρόβατα, καὶ ἐπάξω τὴν χεῖρά μου ἐπὶ τοὺς ποιμένας· καὶ ταῦτα πρὸς τοὺς φιλαργύρους. Ἐπειδὴ δὲ κεῖται ἐν τοῖς ἑξῆς πρὸς τῷ τέλει. . . . . . Ῥομφαία ἐξεγέρθητι ἐπὶ τὸν ποιμένα, καὶ τὰ ἑξῆς· ὅπερ οὐκ ἐχρήσαντο οἱ περὶ τὸν Ἀκύλαν, οὐδὲ οἱ Ο΄. Ἀναγκαίως ἐσημειωσάμεθα ἵνα γνωσθῇ ὅτι ἀδιαφόρως οἱ Ἀπόστολοι ποτὲ τὴν τῶν Ο΄. ἄλλοτε τῇ κοινῇ, ἄλλοτε τῷ Ἑβραϊκῷ ἀπολυθέντες παρατίθενται τὰς χρήσεις. Autumavit Scholiaſtes iſte etiam tempore Apoſtolorum à ſe invicem diſtinctas fuiſſe editiones LXX. & *Communem*, cum tamen per editionem Κοινὴν, ſive *Communem*, intellecti ſunt Codices communes τῶν LXX. & editio illa purior, quæ in voluminibus *Hexaplaribus* extabat, τῶν LXX. nomen per excellentiam obtinuit, & ab editione *Communi* in multis receſſit. In qua, ut etiam apud Aquilam, defuit textus ille Zach. XIII. 7. citatus Mat. XXVI. 31. Marc. XIV. 27.

81. Non deſunt qui exiſtimant ſacros T. Novi Scriptores ſecutos fuiſſe tranſlationem diverſam ab illa quæ LXX. dicitur. Sunt etiam qui negant (in his eſt *Lambertus Danæus*) ulla omnino teſtimonia à Scriptoribus Novi T. ex ulla Scripturarum veterum Verſione fuiſſe petita. At nonne verbatim plerumque conveniunt cum LXX? Concedunt. Sed hujuſmodi, inquiunt, teſtimonia à Scriptoribus ex Hebræo Græce converſa, è Novo T. in Græcam T. Veteris Verſionem invecta atque intruſa ſunt. *Quod autem putat Bellarminus*, inquit [a] *Danæus*, *Apoſtolos ea Verſione in citanda ſacra Scriptura uſos, pueriliter fallitur. Nam Apoſtoli eos, quos ex V. T. proferebant, locos ipſi Græce Græcis ſcribentes converterunt: quos poſtea nonnulli homines aſtuti in eam Verſionem, quam* LXX. *appellarunt, inferſerunt, invexerunt, & intruſerunt, ut reliquas ejuſdem Verſionis, etſi falſæ, partes confirmarent ad ſui erroris defenſionem.*

[a] Reſponſ. ad Bellarmini Diſput. Theolog. Controv. 1. lib. 2. c. 6.

De eadem opinione habentur diſſertatiunculæ aliquot *Capelli* & eruditi cujuſdam Galli in Appendice *Criticæ Sacræ*. In prima Epiſtola ad *Capellum*, exiſtimat alter ille, *Interpretes Græcos qui Apoſtolorum tempora proxime ſecuti ſunt, Apoſtolorum veſtigia ſecutos eſſe, & eorum verba & ſententias in ſuas Verſiones adſumpſiſſe, inſuper habentes quid Hebræa ſonarent aut quantopere ab ipſis diſcreparent. Nam quos divinitus excitatos ſciebant, ut abdita ſcripturarum myſteria explicarent, ab eis vel latum unguem diſcedere nefas ducebant. Hac cæca religione abducti illos Interpretes multis in locis graviſſime peccaſſe. —— Se adduci non poſſe ut credat Apoſtolos divinitus inſtitutos animi adeo abjecti fuiſſe, ut maluerint Græculi Interpretis errores & lapſus ſequi, quam regia via poſt Prophetarum veſtigia incedere; cum videamus eos paſſim alias ab illa Græca Verſione ſecedere. —— Apoſtolos poſthabitis Græcorum Verſionibus, & Rabbinorum judiciis, intimos Scripturæ ſenſus ſemper ſcrutatos eſſe. —— Illis licuiſſe Scripturæ locos, prout ipſis & Spiritui S^to videbatur, illuſtrare, & ad ſuas interpretationes accommodare. Id vero nequaquam feciſſe ſinceros Interpretes, quales hi fuiſſe perhibentur, ut relicto Canone ſacro, quem quoad in illis erat, ipſos exprimere oportuit, divina oracula ex ſuo ſenſu interpretarentur; & quicquid ab eis hic peccatum fuerit, id imprudentiæ & cæco religionis zelo tribuendum eſſe, dum ſcil. credunt ſibi potius ſectandos fuiſſe vivos Apoſtolorum rivos, quos in propatulo habebant, quam occultos Prophetarum fontes per latebras terrarum aberrantes. Denique falli eos, qui exiſtimant Apoſtolos communi errore vulgatæ illis temporibus Verſionis eo abreptos fuiſſe, ut maluerint conſulto cum Græco Interprete multis in locis errare, quam recta iter tenere juxta Cynoſuram Hebraicam.* Objiciente *Capello* poſt Apoſtolorum tempora, ante *Aquilam Sinopenſem*, nullius Interpretis, qui id potuerit facere, extare volam vel veſtigium: reſpondet, ſi non ab ipſis Interpretibus id factum fuerit,

rit, potuisse tamen fieri, ab *Antiquariis, quibus in more positum fuisse, textui quem describebant, inserere notas quas invenissent margini Codicis sui adscriptas, & à viris doctis adnotatas.* —— *Liberum* (addit) *unicuique permitto, ut quam harum Duarum sententiarum voluerit pro libitu amplectatur tanquam magis probabilem, nimirum vel* LXX. *Interpretes spiritu atque afflatu prophetico prævidisse* (*atque Versioni suæ inseruisse*) *quibus verbis Apostoli aliquando testimonia è V. T. citaturi essent: vel nonnullos Interpretes, Scribas, aut Antiquarios pro zelo atque animi affectu, inseruisse Græcæ τῶν* LXX. *Versioni loca parallela, prout ea ab Apostolis in N. T. videbant esse adducta.* Hanc novam & *hactenus inauditam* sententiam appellat *Capellus*, quæ tamen ut dixi, *Danæi* antea fuerat. Mihi vero non magis quam ipsi *Capello* arridet.

82. De hisce, prout potuimus, disputavimus. Accuratius harum rerum examen peritioribus linguæ Hebraicæ derelinquo. Quod enim alicubi de se agnoscit *Erasmus*, id de memet ingenue fateor ego atque etiam profiteor; *In literis Hebraicis parum mihi vendico*: utpote quas adhuc degustarim potius (si modo degustarim) quam didicerim. Jure poscit hoc argumentum, non quamlibet cujuslibet operam, non tyrunculorum, aut etiam mediocriter doctorum, sed summam eorum qui primas in his literis tenent.

CAP. III.

De Scriptoribus Apostolicis, aliisque trium primorum seculorum, qui Græce scripserunt, usque ad Origenem, *viz.* S. Bernaba, Clemente Romano, Ignatio, Justino M. Irenæo, Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, Hippolyto, *&* J. Africano; *utrum Textum* Hebraicum, *an* Græcam *Interpretationem prætulerint.* Theodotionis *Versio* Danielis *ab Ecclesia recepta ac usurpata, rejecta* LXX. §. 8. Ebionæorum *Sectam secutam fuisse* Theodotionis *&* Aquilæ *Versiones.* § 9.

A Christo, Apostolis, & Evangelistis, quorum scripta pro *Canonicis* recipiuntur, tanquam à fonte in rivulos, descendimus ad Ecclesias varias, & prius ad Ecclesiam *Græcam*, sive ad eos, qui lingua Græca pro vernacula usi sunt. Quæ Ecclesiæ Catholicæ pars longe nobilissima olim fuit.

2. *Apostolici viri Scripturis utuntur Hebraicis*, ait S. *Hieronymus, Apolog.* 2. *adv. Ruf. Apostolicos viros* distinguens ab *Apostolis* & *Evangelistis*, quos eodem in loco dicit idem facere.

3. S. Bernabas, qui unus fuit è LXX. Discipulis, & una cum *Paulo* Apostolus Gentium ordinatus est, in *Epistola Catholica*, quamvis ex Græca Versione Instrumenti Vet. Scripturas citare soleat, illam tamen in aliquibus locis derelinquit, ad ipsumque confugit *Hebræum*. ἰδὲ ἐμβάλλω εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον· hæc ex LXX. Es. xxviii. 16. in verbis tamen proxime subsequentibus ad Hebræum se confert: καὶ ὃς ἐλπίσει ἐπ' αὐτὸν, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα· *Et qui crediderit in illum, non confundetur.* LXX. καὶ ὁ πιστεύων οὐ μὴ καταισχυνθῇ, *credens non erubescet.* Quod sequuntur ipsi SS. *Paulus* & *Petrus*. Alibi ex Gen. 2. testimonium adducit, Deum creationis opus consummasse *in die septima*; quemadmodum legunt *Hebræi*: LXX. habent, & Hieronymi olim ætate habebant, *in die sexta*. Exempla plura supervacaneum esset afferre, cum agnoscit ipse [a] *Vossius*, S. Bernabam *fideliter ubique exemplaria Hebræa secutum fuisse*.

[a] De LXX Interp. c. 21.

 4. S. Cle-

4. S. Clemens, Episcopus Romanus qui Apostolo Paulo comes erat & συνεργὸς, Hebrææ linguæ, nt videtur, ignarus ex Græca translatione testimonia passim texit: illud, inter cætera, quod cum Hebræo minus convenit: [a] Καὶ εἶπεν Κάϊν πρὸς Ἄβελ τ̓ ἀδελφὸν αὐτοῦ, διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον. Ex Gen. IV. 8. Verba ista διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον *eamus in campum*, quæ agnoscit quoque *Philo Judæus*, in Hebræo non comparent, sicut neqne in *Arabico*, nec in *Targo Onkelosi*, nec in Græcis, teste *S. Cyrillo*, Versionibus *Aquilæ*, *Theodotionis*, *Symmachi*, aut cujusvis alius Interpretis. Habentur tamen in Paraphrasibus *Jonathanis* & *Hierosolymitana*, ut etiam (testantibus *Hieronymo Cyrilloque*) in *Samaritico*. In *Latinam Vulg.* intrusa sunt ex antiquiore Latina Versione quæ ex Græco facta est. Ab ipso enim *Hieronymo* non posita fuisse, apparet ex illius in Genesin Quæstionibus Heb. *Et dixit Cain ad Habel fratrem suum: subauditur, ea quæ locutus est Dominus. Superfluum ergo est quod in Samaritanorum & nostro* (sic Græcum, sive Latinum ex Græco conversum, appellare solet, quia vulgo usitatum) *volumine reperitur.*

[a] Ep. ad Cor. p. 6. Ed. Junii.

5. S. Ignatius, Episcopus Antiochenus, in Epistola ad *Philadelphenses*, §. VIII. hæc habet: παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς μηδὲν κατ' ἐριθείαν πράσσειν, ἀλλὰ κατὰ Χριστομαθίαν, ἐπεὶ ἤκουσά τινων λεγόντων ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς [b] ἀρχαίοις (l. ἀρχείοις) εὕρω, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω. καὶ λέγοντός μου αὐτοῖς, ὅτι γέγραπται, ἀπεκρίθησάν μοι, ὅτι πρόκειται. ἐμοὶ δὲ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός· τὰ ἄθικτα ἀρχεῖα ὁ σταυρὸς αὐτοῦ καὶ ὁ θάνατος, καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ, καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ, ἐν οἷς θέλω ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν δικαιωθῆναι. *Obsecro autem vos nihil per contentionem facere, sed juxta Christi disciplinam. Quandoquidem audivi quosdam dicentes: Nisi invenero in Archivis, Evangelio non credo. Et dicente me ipsis, Scriptum est; responderunt mihi, Præjacet. Mihi vero pro Archivis est Jesus Christus: illibata Archiva crux ejus & mors, & resurrectio ejus, & fides quæ per ipsum; quibus justificari cupio per precationes vestras.* Hæc juxta editionem *Vossianam* ex codice *Florentino*. In editione interpolata sic legitur: παρακαλῶ &c. ἤκουσα γάρ τινων λεγόντων, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τὸ Εὐαγγέλιον, οὐ πιστεύω· τοῖς δὲ τοιούτοις ἐγὼ λέγω, ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, οὗ παρακοῦσαι, πρόδηλος ὄλεθρος· αὐθεντικόν (Cod. alius ἄθικτον) μοί ἐστιν ἀρχεῖον ὁ σταυρὸς αὐτοῦ καὶ ὁ θάνατος, καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ, καὶ ἡ πίστις ἡ περὶ τούτων, ἐν οἷς θέλω ἐν προσευχῇ ὑμῶν δικαιωθῆναι. ὁ ἀπιστῶν τῷ Εὐαγγελίῳ, πάντων ὁμοῦ ἀπιστεῖ. οὐ γὰρ προκρίνεται (Cod. al. πρόκειται) τὰ ἀρχεῖα τοῦ πνεύματος. Vetus Versio: *Rogo autem vos, ut nihil secundum irritationem agatis, sed secundum Christi dimicationem. Audivi enim quosdam dicentes; si non invenero Evangelium in* antiquis, *non credam. Talibus autem ego dico; quia mihi* antiquitas *Jesus Christus est: cui non obedire manifestus & irremissibilis interitus est.* Principatus, *ejus est crux, & mors ipsius, & resurrectio, & fides in omnibus his: in quibus volo vos in orationibus vestris justificari. Qui non credit Evangelio, omnibus simul non credit.* Hujus loci sensum, seque ipsum in eo exponendo, miris modis contorquet *Vossius* in disputationibus adversus *Simonium*, verba ejus intelligens de textu Hebræo & Græca Versione inter se comparatis, & exinde conficiens paulo ante hanc Epistolam conscriptam, sed post ann. Christi 99[m], textum Heb. fuisse à Judæis depravatum. Scripto *De Orac. Sibyl.* postquam dixisset, *tempore Aquilæ vel paulo antea, Judæos depravasse Hebræa exemplaria, & bis mille annorum expunxisse tempus, ut tempus Messiæ necdum advenisse obtinerent*, hæc subdit: *Quod si quis exactius etiamnum scire desideret tempus quo Judæi depravarint, aut saltem depravare Hebræa cœperint exemplaria, puto id spatium ut plurimum viginti duobus posse determinari annis. Nam cum Ignatius in ea, quam ad Philadelphenses scripsit Epistola, affirmet, sese audisse nonnullos dicentes, si ea quæ in Evangeliis continentur, non etiam in antiquis inveniantur monimentis aut archivis, nolle sese iis credere, ipseque responderit inveniri, illi vero negarint,*

[b] Vossius ipse in Notis ad locum: *Melior est lectio Pseudo-Ignatii, quam & sequentia videntur adprobare:* ἐν τοῖς ἀρχείοις.

garint, manifestum Judæos jam tum aut depravasse sua exemplaria, aut recessisse à sensu, quem LXX. *reddidere Interpretes. Cum vero Josephus, qui ex Hebræis exemplaribus eundem chronologicum calculum, & eosdem quos* LXX. *Interpretes semper expresserit sensus, antiquitatum libros absolverit anno Christi* 99no; *Ignatius vero martyrium passus sit anno* CXXI. *satis convenienter efficitur intermedio hoc tempore & verba & sensus S. literarum depravasse Judæos. Recte vero Ignatius respondet, sibi pro sinceris, incorruptis, & illibatis archivis esse Jesum Christum, illique velut summo Sacerdoti credendum potius, quam aliis sacerdotibus.* Rursus in *Responsione ad iteratas Simonii Objectiones*, de eodem loco his verbis, quæ etsi prolixiora, adducere libet, disserit: Ἀρχαίοις, *ut recte exponit Hesychius, est* τοῖς ἐξ ἀρχῆς παραδεδομένοις. *Sed & recte se habet* πρόκειται, *quod* παράκειται *interpretatur idem.* —— *Græcæ* LXX. *Interpretum Versioni in iis voluminibus quæ in Alexandrinam relata fuere bibliothecam, accessisse quoque Hebraica omnino constat.* (in eodem volumine accessisse Hebraica, [a] non satis constat) *Quin ad illorum exemplum constructa fuerint complura exemplaria in quibus Græca & Hebræa junctim prostarent, quæque in Synagogis diu etiam ante tempora Christi legerentur, de quo quoque nulla omnino ut dubitemus est causa.* (Imo causa cur dubitemus summa est; cur dicamus, nulla) *Jamvero quod vulgo, quamvis non satis Latine* textum *seu* contextum *vocant, id à Græcis passim dici* τὸ κείμενον, *& hoc quoque notum est satis. Verum in eo dissentiebant Judæi à Christianis, quod illis* τὸ κείμενον *absolute positum Hebræi codicis verba significat, &* κεῖται *idem illis sit quod* γέγραπται. *At vero apud Philonem & Græcos Patres* τὸ κείμενον *notat verba* LXX. *Interpretum, utpote ejusdem auctoritatis & prorsus* ἰσοδυναμοῦντα *Scripturæ Hebraicæ. Judæi quibuscum hic disputat Ignatius, id ipsum negabant, dicentes* οὐ κεῖται, οὐ γέγραπται, ἀλλὰ πρόκειται. *Sive autem* πρόκειται *accipias pro* παράκειται, *ut Hesychius; sive notiori significatione de re vulgo ubique obvia & omnium oculis exposita; idem manet sensus, cum manifestum sit agi hic de Versione* LXX. *Interpretum. Apud Epiphanium ubi de lemnisco loquitur eadem ratione vox* πρόκειται *accipitur de Versione Aquilæ, neque enim audiendus doctissimus Valesius, qui* παράκειται *legendum censet.* Προκείμεναι *enim* γραφαὶ *sunt libri omnibus usitati, & omnium oculis expositi, uti* LXX. *Interpretum Versio Christianis, Aquilæ vero Judæis. Sensus autem verborum Ignatii est planissimus. Rogat Philadelphenses nequid agant per contentionem, sed in omnibus Christi doctrinam sequantur. Audivisse enim se quosdam dicentes, nisi ea quæ in Evangelio posita sunt inveniantur etiam in antiquis, id est, Hebræis exemplaribus, sese nolle credere Evangelio. Respondet Ignatius scripta esse, eademque quæ in Evangelio inveniri quoque in antiquis exemplaribus. Negabant Judæi dicentes in Hebræis non legi, sed tantum in adjacente Versione: vel si alteram sequaris expositionem, vulgo quidem legi, non autem in antiquis. Illis autem respondet Ignatius, sibi pro incorruptis & inviolatis archivis seu exemplaribus antiquis esse Jesum Christum. Illi velut summo Sacerdoti, credendum potius quam aliis Sacerdotibus. Ipsi commissa esse Sancta Sanctorum & arcana Dei. Ipsum esse portam patris per quam ingrediantur Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & Ecclesia. Evangelio itaque præcipue credendum, utpote per quod veteribus non tantum credamus Scripturis, sed & vitæ æternæ fiamus participes. Omnia denique bona esse, si fides nostra conjuncta sit cum caritate.* —— *Hæc ideo lubenter monui, ut videant nostri seculi homines quam diversa primorum Christianorum fuerit ratio, si eum Judæis congrederentur. In interpretandis Scripturis suprema illis lex erat Christus. Solas quas* LXX. *Interpretes & postea Christus & Apostoli tradidissent & commendassent admittebant Scripturas. Has solas sinceras, incorruptas & illibatas esse affirmabant. Non Hebraica, quam primus Hieronymus introduxit, sed Evangelica ubique audiebatur & personabat veritas.* Hæc sunt *Vossiana* somnia

[a] De verbis Tertulliani unde illud *Vossius*, post alios, elicuit, Vide supra p. 225.

somnia. *Simonius*, Ignatium *ibi de veteri Test. cum Novo comparato non agere, sed de Hæreticis, qui ab Ecclesiæ infantia orti fidem quam præmonstrabat Evangeliorum codex respuebant: unde factum fuisse ut prisci Ecclesiæ Patres Tertullianus, Irenæus & alii ejusmodi Hæreticos non tam ex sacris Codicibus refellerent, quam ex certa traditione, seu ex Christi doctrina per Apostolos eorumque successores viros Apostolicos in Ecclesiis diversarum gentium propagata. Quo sensu asserere Ignatium, Christum, seu illius doctrinam, sibi Archivorum antiquorumque monumentorum loco esse.* Secutus est Simonius lectionem istam Editionis interpolatæ, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τῷ εὐαγγελίῳ. Mihi vero nec ea placet expositio. Existimo potius Ignatii hanc mentem fuisse, juxta editionem puriorem: Se nolle quenquam contentiosum esse: audivisse vero quosdam dicentes, quod Evangelio non crederent, nisi Archivis Testamenti Vet. confirmatum invenirent. Et dicente me, quod in illis Archivis scriptum reperitur, annuerunt id *manifestum esse* (ὅτι πρόκειται.) At vero ego (inquit) dico, quod mihi instar omnium Veteris Instrumenti testimonium sunt Crux, mors, & Resurrectio Christi, & in illum fides mea usque adeo fixa firmaque est, ut de ejusmodi prophetiis sive præfigurationibus non sim solicitus. Loqui vero Ignatium de Instrumento Veteri, vel ex iis apparet quæ sequuntur: *Boni quidem sunt Sacerdotes: præstantius autem est quid summus pontifex; cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli secreta Dei sunt tradita. Ipse est janua Patris; per quam ingrediuntur Abrahamus & Isaacus & Jacobus, & Prophetæ, & Apostoli, atque Ecclesia. Omnia hæc ad unitatem Dei. Eximium autem quiddam habet Evangelium; nimirum adventum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, passionem ipsius, & resurrectionem. Dilecti namque prophetæ annunciaverunt in ipsum: Evangelium vero perfectio est incorruptionis. Omnia in universum bona sunt; modo in caritate crediderítis.* Clariss. [a] *Huetius* & [b] *Maldonatus* hunc locum *Ignatii* intelligunt de primigeniis scriptorum Novi Test. exemplaribus quæ servata sint in Ecclesiarum archivis: scil. loqui *Ignatium* de nonnullis qui adeo suspecta haberent omnia, ut negarent se Evangelio, nisi in Ecclesiæ archivis invenirent, credituros.

[a] Demonst. Evang.
[b] Præf. in Evang. c. 1.

Ant. Hulsius in scripto contra *Vossium*, ait *Ignatium* loca ex V. T. juxta Hebræum proferre. *Constat* (inquit) *cum ex collatione locorum Veteris & Novi T. tum ex scriptis Patrum, imprimis Ignatii, Dei verbum haud raro ex textu Hebræo fuisse citatum.* Respondet *Vossius*, in omnibus quæ supersunt illius genuinis Epistolis *ne unum quidem Veteris T. locum proferri.* In eo vero fallitur. Nam in Epistola ad *Magnesianos* profertur locus ille Proverbiorum XVIII. 17. ὁ δίκαιος ἑαυτοῦ κατήγορος. At ex Græca Versione desumptum esse constat.

6. JUSTINUS M. qui floruit ante medium seculi à nato Christo secundi, LXX. Cellularum miraculum fidenter asserit, Versionemque LXXviralem magno in pretio, ut palam est, habuit. Verum quid de ea cum Hebraico textu comparata senserit, ex Operibus ejus non cognoscimus. In [c] *Dialogo cum Tryphone Judæo*, citato ex Judæorum, h. e. *Aquilæ*, Versione testimonio, ubi hæc sunt verba, textui etiam Heb. consona; *Constituit terminos gentium, juxta numerum filiorum Israelis*: subjungit; καὶ εἰπὼν ταῦτα, ἐπήνεγκα λέγων ὅτι οἱ ἑβδομήκοντα ἐξηγήσαντο, ὅτι ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ· ἀλλ' ἐπεὶ καὶ ἐκ τούτου πάλιν οὐδέν μοι ἐλαττοῦται ὁ λόγος, τὴν ὑμετέραν ἐξήγησιν εἶπον· *Hæc ubi dixissem, intuli,* LXX. *transtulisse, quod* constituerit terminos gentium juxta numerum ANGELORUM DEI; *me autem, quia mihi iterum nihil de verbi sensu decederet, Versionem ipsorum allegare maluisse.* Ibidem ex Esaia testimonium [d] profert juxta LXX. quod neque cum *Hebraico*, neque cum Evangelista Matthæo convenit: [e] *Jacob servus meus; suscipiam eum, Israel electus meus*

[c] Pag. 360.
[d] Pag. 353.
[e] Vide supra c. 2. §. 8.

meus &c. Alind tamen adducit [a] ex Zach. non juxta LXX. sed juxta *Joannem* Evangelistam, qni Hebræum sequebatur: εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, non, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο. Observat [b] *Eusebius*, evincere *Justinum* in Dialogo cum Tryphone, *quædam Prophetarum testimonia à Judæis è sacris Libris recisa atque expuncta fuisse*. Et istiusmodi quædam à *Morino* proferuntur [c] in opere quod scripsit contra textum Hebraicum. At cave credas, voluisse *Justinum*, è libris suis *Hebraicis* hæc recisa fuisse à Judæis. Nam de Græcis LXX. Interpretum exemplaribus loqui illum, res est apertissima. Verba ejus superius in Capite hujus libri primo descripsimus, ubi Judæos LXX. Versione aliquando usos fuisse, illius testimonio monstravimus.

[a] Cit. ab Usserio de LXX. pag. 28.
[b] Hist. Eccl. IV. 18.
[c] Lib. 1. Exercit. 1. c. 3.

Exempla varia collegit Vir quidam doctus in [d] *Quæstione de locis parallelis V. & N. Testamenti*, ex uno atque altero tantum capite desumpta, in qnibus *Justinus*, quasi dedita opera, in singulis vocibus ab illa Versione Græca discedit. Quæ hæc sunt. In principio sexti capitis Amos, ubi LXX. habent, οὐαὶ τοῖς ἐξουθενοῦσι, Justinus legit, οὐαὶ οἱ κατασπαταλῶντες. Eodem versu, ubi LXX. legunt, ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν· Justinus legit, ὠνομασμένοι ἐπὶ τοῖς ἀρχηγοῖς ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν. Ubi LXX. legunt, διάβητε πάντες, καὶ ἴδετε, καὶ διέλθετε ἐκεῖθεν εἰς Ἐμαθραββά· Justinus legit, διάβητε πάντες εἰς Χαλάνην, καὶ ἴδετε, καὶ πορεύθητε ἐκεῖθεν εἰς Ἀμὰθ τὴν μεγάλην. Ubi LXX. legunt, οἱ πίνοντες τὸν διυλισμένον· Justinus legit, οἱ πίνοντες ἐν φιάλαις οἶνον. Ubi LXX. τῶν δυναστῶν, Justinus addit, τῶν ἀποικιζομένων, καὶ μεταστραφήσεται οἴκημα κατέργων. Capite vero quarto Micæ, statim in principio, ubi LXX. legunt, ἐμφανὲς ἐπὶ τὰς κορυφὰς τῶν ὀρέων, καὶ μετεωρισθήσεται ὑπεράνω τῶν βουνῶν. καὶ σπεύσουσιν πρὸς αὐτὸ λαοί· Justinus sic legit, ἕτοιμον ἐπ' ἄκρου τῶν ὀρέων, ἐπηρμένον αὐτὸ ὑπὲρ τοὺς βουνούς· καὶ ποταμὸν θήσουσιν ἐπ' αὐτῷ λαοί. Ubi LXX. δείξουσιν ἡμῖν· Justin. φωτιοῦσιν ἡμᾶς. Ubi LXX. τὰ δόρατα, Justinus, τὰς ζιβύνας. Ubi LXX. καὶ ἀναπαύσεται ἕκαστος, Justin. καὶ καθίσεται ἀνήρ. Ubi LXX. Κυρίου παντοκράτορος, Justin. Κυρίου τῶν δυνάμεων. Ubi LXX. ἕκαστος τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, Justin, ἐν ὀνόματι θεῶν αὐτῶν. Ubi LXX. τὴν συντετριμμένην, Justin. τὴν ἐκτεθλιμμένην. Ubi LXX. καὶ τὴν ἐξωσμένην εἰσδέξομαι, Justin. καὶ τὴν ἀπωσμένην ἀθροίσω, καὶ ἣν ἐκάκωσα, καὶ θήσω τὴν ἐκτεθλιμμένην εἰς ὑπόλειμμα, καὶ τὴν ἐκπεπιεσμένην εἰς ἔθνος ἰσχυρόν.

[d] Ed. ad finem Criticæ Sacræ Capelli.

Justinum aliquando citare loca aliter quam leguntur apud LXX. *sive quod nimis memoriæ suæ fideret, sive quod in iis citandis sensus duntaxat rationem haberet*, observat *Simonius* in *Hist. Crit. V. T.* Et in scriptis contra *Vossium* asserit *sanctissimum illum Martyrem Scripturæ verba haud infrequenter proferre ex* LXX. *Interpretum simul & Aquilæ translatione.* Contra asserit [e] Vossius *nusquam Aquilæ Versionem proferre Justinum, quin simul damnet & abominetur. Vel unum* (inquit) *ex omnibus hujus Martyris scriptis promat locum, ubi ille Versionem* LXX. *Interpretum adulterarit Versione Aquilæ, id si fecerit, virum esse fatebor.* Verisimile tamen est illum in nonnullis exemplorum antedictorum Versionem *Aquilanam* fuisse secutum. Et quam falsum sit illud, quod tam confidenter affirmat *Vossius*, illum nusquam Aquilæ Versionem proferre, *quin simul damnet & abominetur*, dignoscatur ex loco superius citato, nbi ait *se maluisse Judæorum*, i. e. Aqnilæ, *Versionem allegare, quia sensu non differebat.*

[e] Resp. ad tertias Simonii Object.

Linguam antem Hebræam ignorasse *Justinum*, apparet ex illa quam affert etymologia nominis Israel. *Nomen hoc Israel, significat homo vincens virtutem*: isra *enim homo est*, el *autem virtus.*

7. In *Quæst. & Respons. ad Orthodoxos*, quæ extant inter Justini M. opera, citatur *Versio Syriaca, quæ ex Hebræo traducta est*, ex eaque exponuntur Versionis LXX. verba: [f] τὸ οὖν, ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα τοῦ ἡλίου. ἡ γὰρ ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων γλώττης εἰς τὴν τῶν Σύρων γλῶτταν μεταγωγὴ τῆς λέξεως, οὕτως γεγένηται· ἐν αὐτοῖς ἔθετο τὸ ἡλίου τὸ σκήνωμα &c. *Itaque illud*; In sole

[f] Quæst. 63.

posuit tabernaculum suum: (*ita dictum est*) *ut significaretur, cœlos positos esse tabernaculum Solis. Nam dicti hujus ex Hebræorum lingua in Syrorum sermonem versio, ita habet, In ipsis posuit Solis tabernaculum.* Scriptum est hoc opus ævo *Ariano*, & Auctor, *magni judicii, variæ eruditionis, & elegantis ingenii* Elogio non immerito donatur à clariss. *Caveo.* Eruditi cujusdam Viri conjecturam, eundem fuisse illum cum *Justino Siculo*, qui vixit exeunte seculo V. ne quidem mentione dignam censeo, cum nullum illi suppetit argumentum, præter nudum *Justini* nomen. Fuisse autem Auctorem non ex Ecclesia *Occidentali*, sed ex *Orientali*, & in partibus à *Syria* non longe dissitis vixisse, vel exinde colligi possit, quod *Syriacam Versionem* citet.

8. Post *Justini M.* ætatem, vergente 2do seculo, à *Theodotione* ex Hebræo librorum sacrorum nova versio facta est. Hanc in libro *Danielis* recepit ipsa *Ecclesia*, rejecta LXXvirali, quæ immane quantum ab *Hebræo* discessisse comperta est. *B. Hieron.* Præf. in Versionem Danielis: *Danielem Prophetam, juxta* LXX. *Interpretes, Domini Salvatoris Ecclesiæ non legunt, utentes Theodotionis editione; & hoc cur acciderit, nescio. Sive quia sermo Chaldaicus est, & quibusdam proprietatibus à nostro eloquio discrepat, noluerunt* LXX. *Interpretes easdem linguæ lineas in translatione servare; sive sub nomine eorum ab alio, nescio quo, non satis Chaldæam linguam sciente, editus est liber; sive aliud quid causæ extiterit ignorans: Hoc unum affirmare possum, quod multum à veritate discordet, & recto judicio repudiatus sit.* Procœmio Comment. in Dan. *Illud quoque Lectorem admoneo, Danielem non juxta* LXX. *Intt. sed juxta Theodotionem Ecclesias legere.* Prologo in Josuam: *Quod si vetus eis tantum interpretatio placet, & nihil extra recipiendum putent, —— Quare Danielem juxta Theodotionis traditionem Ecclesiæ susceperunt?* Apolog. 2. contra Ruf. *Et tamen miror, quomodo Theodotionem Hæreticum & Judaizantem legit, & qualiscunque peccatoris Christiani translationem fastidit.*

9. *Theodotionis Aquilæque* translationes secuta est his temporibus *Ebionæorum* secta (quæ Christum Messiam agnoscebat, Judæorumque simul cæremonias legesque observabat) ut testatur *Irenæus adv.* Hær. III. 24.

Sectam *Nazaræorum*, qui Ebionæis, sive Ebionitis, quamproxime accesserunt, si non iidem fuerunt, non secutam fuisse interpretationem LXX. apparet ex Hieronymi Comment. in *Esaiæ cap.* VIII. Taceo illos *Matthæi* Evangelium Hebraice scriptum, in quo omnia testimonia ex Heb. veritate petita sint, fuisse secutos.

10. Irenæus, gente Græcus, sed Episcopus in Gallia Lugdunensis, qui scripsit circa an. CLXXVI. à *Morino* recensetur inter illos, quos contendit sensisse, Judæos Scripturas suas corrupisse. In lib. 3. cap. 24. cum dixisset divina providentia factum esse, quod LXX. Interpretum translatio Domini nostri adventum præcessisset: *Ut nulla relinqueretur suspicio ne forte morem nobis gerentes Judæi, hæc ita sint interpretati*: De Judæorum erga nos propensione statim subdit: *Quo quidem si cognovissent nos futuros, & usuros his testimoniis quæ sunt ex Scripturis, nunquam dubitassent ipsi comburere Scripturas, quæ & reliquos omnes manifestant participare vitæ, & eos qui gloriantur domum se esse Jacob, & populum Israel, exhæreditari ostendunt à gratia Dei.* Sed in loco hoc, quem adducit *Morinus*, certissimum est Irenæum sermonem habere non de Scripturis Hebraicis, sed de Græca LXX. Interpretum Versione: & tantum abest, ut dicat Judæos jam Scripturas depravasse, ut apertissime innuat eos nunquam ita reipsa fecisse, scil. quia non cognoverunt Christianos eorum testimoniis fuisse usuros. Dixerat Aquilam & Theodotionem Scripturas interpretatione pervertisse, dum verterent apud Esaiam VII. *Adolescentulam* pro *Virgine. At non, ut quidam aiunt, qui Scripturam nunc audent*

audent μεθερμηνεύειν perperam interpretari, hoc pacto; Ecce adolescentula concipiet, & pariet filium: sicut interpretatus est Theodotion Ephesius, & Aquila Ponticus, uterque Judæus proselytus. Quos Ebionæi sequuti, ex Joseph Christum prognatum ferunt.

Lib. IV. cap. 25. Judæorum Doctores accusat, quod *in lege quædam quidem auferunt, quædam vero addunt, quædam autem, quemadmodum volunt, interpretantur.* Verum loquitur illic duntaxat de Magistrorum constitutionibus: *Seniorum,* inquit, *ipsorum traditio, quam ex Lege observare fingebant, contraria erat Legi, quæ data est per Moysem. Propter hoc & Esaias ait: Caupones tui miscent vinum aqua; ostendens quod austero Dei præcepto miscerent Seniores aquatam traditionem, id est, aggredientes adulteram Legem & contrariam Legi. &c.*

In Capite 25. libri 3^{tii}, non modo miraculum LXX. Cellularum refert, sed & illos *impudoratos* & *impudentes* appellare videtur, qui novas interpretationes molirentur, *Aquilam* scil. & *Theodotionem.* Verba ejus hic loci plenius describam: *Cum tanta igitur veritate & gratia Dei interpretatæ sint Scripturæ, ex quibus præparavit & reformavit Deus fidem nostram, quæ in Filium ejus est, & servavit nobis simplices Scripturas in Ægypto; in qua adolevit & domus Jacob, effugiens famem, quæ fuit in Chanaan: in qua & Dominus noster servatus est, effugiens eam persecutionem, quæ erat ab Herode: & hæc earum Scripturarum interpretatio, priusquam Dominus noster descenderet, facta sit. —Vere impudorati & audaces ostenduntur, qui nunc volunt aliter interpretationes facere, quando ex ipsis Scripturis arguuntur à nobis, & in fidem adventus Filii Dei concludantur. Firma est autem, & non ficta, & sola vera, quæ secundum nos est fides, manifestam ostensionem habens ex his Scripturis, quæ interpretatæ sunt illo modo quo prædiximus, & Ecclesiæ annunciatio sine interpolatione. Etenim Apostoli cum sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ Interpretationi, & Interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus & Joannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & eorum sectatores, Prophetica omnia ita annunciaverunt, quemadmodum Seniorum Interpretatio continet. Unus enim & idem Spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconavit quis & qualis esset adventus Domini, in Senioribus autem interpretatus est bene, quæ bene Prophetata fuerant: ipse & in Apostolis annunciavit plenitudinem temporum adoptionis venisse, & proximasse regnum cælorum, & inhabitare intra homines credentes in eum, qui ex Virgine natus est Emmanuel.* Monuimus alibi, male vulgo intelligi hoc in loco *Irenæum.* Non dicit, testimonia quotquot in N. T. extant ex Instrumento Vet. petita, juxta Græcam Versionem fuisse posita: id à mente ejus longe abhorret. Sed, ut patet ex Capitibus præeunte ac subsequente, disputat contra eos, qui in textu illo Esaiæ *Virgo concipiet &c.* pro *Virgine* interpretati sunt *adolescentulam.* Urget itaque, LXX. Interpretes, qui *Virginem* posuerunt, & ante nativitatem Christi Versionem suam adornarunt, concordare cum Apostolorum atque Evangelistarum traditionibus, qui ex *Virgine* natum Christum deprædicant; aliasque omnes de Christo prædictiones, quæ in Versione LXXvirali continentur, ait optime convenire cum narrationibus Novi Testamenti. Citat alibi [a] locum ex eodem Prophe- [a] IV. 66.
ta, non juxta LXX. sed ut habet Hebræus: [b] *Et vocatur nomen ejus ad-* [b] Es. IX. 6.
mirabilis, consiliarius, Deus fortis.

II. THEOPHILUS, Antiochenus Episcopus, *in libro 3. ad Autolycum,* quamvis juxta numeros LXX. Interpretum, Chronologiæ seriem deducit, juniorem tamen *Cainanem,* utpote quem non agnoscunt [c] *He-* [c] Vide supra c. 2. §. 48.
bræi, omittit, sicut alibi jam diximus. Ἀρφαξὰδ ἢ ἐγέννησε Σαλὰ, ὢν ἐτῶν ρλέ. Obiit is circa annum CLXXXI. *Theophilum* hunc *librorum ad Autolycum* scriptorem, non eundem fuisse cum *Theophilo* Episcopo Antiocheno,

sed eo aliquanto juniorem, contendit Vir Cl. *Hen. Dodwellus*: sed illius argumenta, seu potius conjecturas, in alio loco refutavimus.

12. HEGESIPPUM, Theophilo coævum, in *Commentariis Actorum Eccles.* ad Hebraicas Scripturas in quibusdam locis confugisse, exindeque quædam protulisse, innuere videtur *Eusebius Hist. Eccles.* IV. 22. his verbis: Ἐκ τε τοῦ καθ' Ἑβραίους εὐαγγελίου καὶ τοῦ Συριακοῦ, καὶ ἰδίως ἐκ τῆς Ἑβραΐδος διαλέκτου τινὰ τίθησιν, ἐμφαίνων ἐξ Ἑβραίων ἑαυτὸν πεπιστευκέναι. *Nonnulla item ex Hebræorum Evangelio & Syriaco, & ex Hebraica lingua profert in medium: satis per hæc aperte significans, se ex Hebræis ad Christi fidem transiisse.*

13. CLEMENS *Alexandrinus*, qui ante finem seculi 2[di] floruit, quamvis Interpretes LXX. divini Numinis spiritu adflatos scribit, solebat tamen in exponendis Scripturis ad *Hebræorum* provocare auctoritatem. *Hieron.* adversus Ruf. I. 3. *Origenes, & Clemens, & Eusebius, atque alii complures, quando de Scripturis aliqua disputant, & volunt approbare quod dicunt, sic solent scribere: Referebat mihi Hebræus; &, audivi ab Hebræo; &, Hebræorum ista sententia est.*

14. Non modo Versionem Græcam, verum etiam codices *Hebraicos* his temporibus in pretio habitos fuisse, vel ex iis perspicitur, quæ habet *Tertullianus adversus Praxeam*, sive *Patripassianos*, cap. v. *Aiunt quidem & Genesim in* Hebraico *incipere, In principio Deus fecit sibi filium.*

15. HIPPOLYTUS, Discipulus *Irenæi*, Commmentario in Genes. XLIX. etsi LXX. lectionem non rejicit, tamen *Aquilæ* auctoritati plurimum defert: "*Qua igitur ratione fidem præstabit illud,* Non deficiet princeps de Juda? *Num potius accipiendum hoc est,* Ex Jacob filius non deficiet princeps, *id est tribus quæ aliarum princeps & major erit? Quod pro principe Moses primum gradum locumque in tribubus intelligat, non autem ex ejus stirpe Reges, testatur* Aquila, *qui loco,* princeps, *vertit* sceptrum, *quo nomine Judæa tribus appellatur, ut quæ præter cæteras dignitate polleret, penes quam Templum, Arca, totusque cultus longo tempore fuit, quoad Domino renitens, una cum aliis venit in ditionem Romanorum.*

16. JULIUM AFRICANUM in *Chronico* rejecisse *Cainanem* juniorem, quem agnoscunt Codices *Græci*, ignorant *Hebræi*, testatur [a] *G. Syncellus*: Ἐν ᾗ τοῖς ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἀμφότεροι διήμαρτον ἕως τοῦ Ἀβραὰμ καὶ Μωσέως ἔτεσι ρλ'. &c. *Recensendis à Diluvio ad Abraham & Moysen annis uterque (Africanus & Eusebius) hallucinatus est annorum* 130. *errore, omisso nimirum Cainan hujus nominis secundo, filio Arphaxad, id est una generatione, ordine ab Adamo* 13. *apud sacrum Evangelii scriptorem Lucam posita. &c.* Porro, in Epistola ad *Origenem* propositis multis argumentis contra Historiam apocrypham *Susannæ*, ut omnium maximum illud addit, quod in libris Scripturarum Hebraicis non sit reperta. Πρὸ δὲ τούτων ἁπάντων, ἤδη ἡ περικοπὴ σὺν ἄλλοις δύο, ταῖς ἐπὶ τῷ τέλει, τῷ παρὰ τῶν Ἰουδαίων εἰλημμένῳ Δανιὴλ οὐκ ἐμφέρεται. *Imprimis vero obstat, quod hæc sectio, cum aliis duabus, quæ circa finem sunt, non continetur in eo Danielis volumine, quod à Judæis acceptatur.* Si credimus [b] Vossio, *Africanus, & ex eo Syncellus, manifeste adfirmat Codices Hebræos non convenire, & multa continere absurda, quæ postquam enumeravit, addit, merito omnes Chronologos sequi* LXX. *Interpretum Versionem, utpote quæ facta sit antequam perverterentur Hebræa exemplaria,* πανταχόθεν τοιγαροῦν τῆς τῶν ο'. ἑρμηνείας ἐκ παλαιᾶς ὡς εἰκὸς καὶ ἀδιαστρόφου Ἑβραίων γραφῆς μεταβεβλῆσθαι συνισταμένης, εἰκότως ταύτῃ ἡμεῖς κεχρήμεθα κατὰ τὴν παροῦσαν χρονογραφίαν· ὅτι μάλιστα δὲ ἡ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἱδρυμένη Χριστοῦ ἐκκλησία ταύτῃ μόνῃ προσέχει, τῇ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀποστόλων τε καὶ μαθητῶν ἀρχῆθεν αὐτῇ χρῆσθαι παραδεδομένῃ. *Nec hoc* (inquit) *tantum loco, sed & alibi corruptos esse dicit in Hebræis codicibus annorum numeros.* Longe fallitur *Vossius*, cum verba illa, atque ejusmodi alia, quæ sunt tantum [c] *Syncelli, Africano* adscribit.

[a] Chron p. 54. 79. 85. 86.

[b] Resp. ad Objecta Criticæ Sac. V. T.

[c] Pag. 89.

CAP. IV.

Origenem, quamvis alicubi de Græca Versione faventius loquitur, textum tamen Hebraicum prætulisse, indiciis multis ostenditur. De Obelorum & Asteriscorum, quibus Codices Græcos notavit, ratione.

ORIGENES Alexandrinus, qui à *Didymo* dictus est [a] *alter post Apostolos Ecclesiarum magister*; & cui elogium hoc illustre *nemo nisi imperitus negat*, ut inquit [b] *B. Hieronymus*, in Epistola de historia *Susannæ* ad *Africanum*, Versioni Græcæ impensius favet. *Africano* objicienti contra *Susannæ* historiam quod in libris *Hebraicis* non reperiretur, respondet, multa alia in sanctis voluminibus inveniri, in quibus editio Græca ab Hebraica discrepet. Καὶ ἐν ἄλλοις δὲ πολλοῖς ἁγίοις βιβλίοις εὕρομεν· πῆ μὲν, πλείονα παρ᾽ ἡμῖν κείμενα, ἢ παρ᾽ Ἑβραίοις· πῆ δὲ λείποντα. *Itemque in multis aliis sanctis libris invenimus, ut alicubi quidem plura apud nos extarent, quam apud Hebræos; alicubi vero pauciora.* Positis exemplis aliquot ex *Jobo*, *Jeremia*, *Genesi*, & *Exodo*, hæc demum subnectit verba: Ὅρα τοίνυν, εἰ μὴ λανθάνει ἡμᾶς, τὰ τοιαῦτα ἀθετεῖν τὰ παρὰ ταῖς Ἐκκλησίαις φερόμενα ἀντίγραφα· καὶ νομοθετῆσαι τῇ ἀδελφότητι, ἀποθέσθαι μὲν τὰς παρ᾽ αὐτοῖς ἐπιφερομένας ἱερὰς βίβλους· κολακεύειν δὲ Ἰουδαίους, καὶ πείθειν, ἵνα μεταδῶσιν ἡμῖν τῶν καθαρῶν, καὶ μηδὲν πλάσμα ἐχόντων· Ἄρα δὲ καὶ ἡ πρόνοια ἐν ἁγίαις γραφαῖς δεδωκυῖα πάσαις, ἐν ταῖς Χριστοῦ Ἐκκλησίαις οἰκοδομὴν οὐκ ἐφρόντισε τῶν τιμῆς ἀγορασθέντων, ὑπὲρ ὧν Χριστὸς ἀπέθανεν, ὃν υἱὸν ὄντα οὐκ ἐφείσατο ὁ Θεὸς ἡ ἀγάπη· ἀλλ᾽ ὑπὲρ ἡμῶν πάντων, παρέδωκεν αὐτὸν, ἵνα σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσηται; πρὸς τούτοις δὲ σκόπει, εἰ μὴ καλὸν μεμνῆσθαι τοῦ οὐ μεταθήσεις ὅρια αἰώνια, ἃ ἔστησαν οἱ πρότεροί σου; *Vide igitur (etiamsi non lateat nos) hæc talia irrita facere exemplaria, quæ in Ecclesiis nostris habentur; & fratribus legem figere, tum abjiciendi libros sacros apud illos usitatos; tum Judæis blandiendi & suadendi, ut nobis puros, & nullum figmentum continentes libros tradant. An vero Providentia quoque divina in sacris Scripturis (quas illa omnes largita est) in Ecclesiis Christi ædificationem non curavit illorum, qui pretio empti sunt; pro quibus Christus mortuus est; Cui, quamvis Filius esset, non pepercit Deus, ipsa Charitas; sed quem pro nobis omnibus tradidit, ut cum ipso nobis omnia gratificaretur? Insuper considera, annon bonum sit, recordari illius: Non transpones terminos æternos, quos posuerunt antecessores tui?* Ad objectionem contra Historiam Susannæ, quod in Heb. Codicibus non habeatur, respondet; *quod Judæi quæcunque poterant, de iis quæ Seniorum, & Principum, & Judicum, accusationem aliquam continebant, ea sustulerint à cognitione populi: quorum nonnulla servantur in libris apocryphis* i. e. absconditis. Et hujus rei exemplum dat in iis quæ de *Esaia*, quod *dissectus est*, tradiderunt scripta apocrypha, & ad quæ alludere creditur Epistola ad Heb. xi. 37. necnon in illis quæ tradit Evangelium de *Zacharia filio Barachiæ*, quod inter templum & altare occisus est, cujus rei ipsi Judaici scriptores nusquam meminere. Deinde subjungit: *Quapropter rem non aliter gestam esse opinor; quam illos, qui censebantur Sapientes, & Principes, & Seniores populi, suppressisse talia, quæcunque accusationem aliquam ipsorum continebant apud populum. Non igitur mirum, si hanc, licet verùm existentem de Susanna, insidiis Seniorum libidinosorum petita; historiam; illi, qui non procul aberant à simili proposito Seniorum illorum, suffurati sint, & abstulerint à Scripturis.* Scio non deesse inter *Reformatos*, qui Epistolam hanc ad *Africanum* conscriptam, subdititiam esse suspicantur: cæterum pro verâ ac genuina illius Epistola habeatur per me licet.

[a] Hieron. Præf. in Ezech.

[b] Præf. in Heb. Nom.

a Proleg. 5. pag. 54. [a] *Alphonsus Salmeron* ex eadem Epistola apud *Eusebii Hist. Eccl.* vi. 23. citata hæc verba profert: *Id pro vero solum habendum in Scripturis divinis, quod* LXX. *Interpretes transtulerunt: quoniam id solum est quod auctoritate Apostolica confirmatum est.* Hæc ibi haberi, ex *Ruffini* interpretatione: etsi novi Interpretes *Eusebii*, ut *Musculus* & *Christophorsonus*, non habeant, quia fortassis, inquit, inciderunt in codices corruptos. Sed constat verba ista à *Ruffino* inserta fuisse, qui *Eusebii* passim Historiam corrupit, potius quam vertit, multis detractis, multisque de suo interpolatis. Proferuntur eadem à [b] *Morino*, aliisque. Rursus in *Homilia* 3. *in Gen.* codices Græcos, *Ecclesiæ codices* appellat *Origenes*, eorumque fautorem haud obscure se probare videtur. *In Exodo ubi nos in Codicibus Ecclesiæ habemus scriptum: Respondentem ad Dominum Moysen & dicentem; Provide, Domine, alium quem mittas. Ego enim gracili voce sum, & tardus lingua: Vos* (Judæi) *in Hebræis exemplaribus habetis: Ego autem incircumcisus labiis sum. Ecce habetis circumcisionem labiorum, secundum vestra, quæ veriora dicitis, exemplaria. Si ergo secundum vos Moyses indignum se esse adhuc dicit, quod non sit labiis circumcisus, certum est hoc illud indicare, quod dignior sit et sanctior ille, qui circumcisus est labiis. Adhibete ergo etiam labiis falcem, et oris operimenta desecate, quandoquidem talis vobis in divinis literis complacet intellectus.* In cap. xv. Epist. ad Rom. ait *sciendum esse, quod in omnibus pene Apostolus editionem* LXX. *Interpretum tenet*; addit vero: *nisi quia forte ei quam exequitur assertioni minus necessaria videntur, aut si quando non verbis Interpretum quam sensibus Scripturæ uti vult sua pronunciatione prolatis.* In cap. x. *Scire nos tamen convenit, quod*; Domine, quis credidit auditui nostro: *in Hebræis exemplaribus* Domine *non habet, sed juxta interpretationem* LXX. *Seniorum: sic & Apostolus hoc probans quod apud illos est, posuit, Domine.* Paulo post: *Sed ne hoc quidem à nobis convenit ignorari, quod in exemplaribus Hebræorum non habetur*, Et contradicentem. *Apostolus enim secutus est* LXX. *Interpretum veritatem in suis scriptis: sicut illi interpretati sunt, exponit.* Homila 1. in Cant. profitetur se per omnia LXX. Interpretum Versionem sequi: *Non autem lateat nos, quod in quibusdam exemplaribus pro eo quod legimus*, Quia bona sunt ubera tua super vinum: *invenimus scriptum*: Quia bonæ sunt loquelæ tuæ super vinum. *Quod quamvis videatur significasse evidentius ea ipsa quæ à nobis spirituali interpretatione disserta sunt, tamen nos* LXX. *Interpretum scripta per omnia custodimus; certi quod Spiritus S. Mysteriorum formas obtectas inesse voluit in Scripturis divinis, & non palam atque in propatulo haberi.* Sed Homilias istas quatuor in Cant. Canticorum, quæ *Origenis* nomine prænotata leguntur inter Opera S. *Hieronymi*, ei merito abjudicant [c] Viri docti. Si credimus [d] *Galesinio*, & [e] *Jo. Driedoni* LXX. *Cellularum* miraculum, inter alios, asseruit *Origenes*. At frustra tale quid in illius scriptis quæsiveris. Somniavit *Epiphanius*, credidisse illum, Interpretes per *paria* in Cellulis 36. Versionis opus confecisse; ut patet ex illius inepta explicatione notarum *Limniscorum* & *Hypolimniscorum*, quibus in Hexaplis suis *Origenes* usus est. De quibus suo loco dicemus.

b Exerc. Bibl. 7. c. 1.

c Vide Amorbachii Præf. in Com. in Prov. inter op. Hier.

d De LXX. Int.

e De Script. S. l. 2. c. 1.

Morinus ait Origenem *Tractatu* 26. *in Matth. dicere, Judæos ad destructionem scripturarum nostrarum quædam finxisse, quibus dogmata falsa confirmantur.* Quem locum profert *Morinus*, ut ostendat Origenem sensisse, Judæos Scripturas suas in odium Christianorum corrupisse. At duplici nomine errat, dum locum illum adducit. Neque enim id asserit Origenes, sed dicit *forte* eos ad destructionem Scripturarum nostrarum quædam finxisse; neque loquitur de Scripturis Veteris Test. sed tantum de Novo. Postquam locutus fuisset de occisione *Zachariæ filii Barachiæ*, de qua in Evangelio, non vero in scriptis Judæorum,

rum, legimus; & de Esaiæ ferratione, ad quam alludit Scriptor ad Hebræos, cujusque rei fit mentio in scripto quodam apocrypho; deque *Janne* & *Mambre*, quorum meminit S. Judas ex alio libro apocrypho: hæc subdit; *Hæc omnia diximus discutientes sermonem, non ignorantes, quoniam multa secretorum* (apocryphorum) *facta sunt à quibusdam impiis & iniquitatem in excelsum loquentibus: & utuntur quibusdam fictis Hypythiani, aliis autem qui sunt Basilidis. Oportet ergo caute considerare, ut nec omnia secreta quæ feruntur in nomine sanctorum suscipiamus propter Judæos, qui* FORTE *ad destructionem veritatis scripturarum nostrarum quædam finxerunt confirmantes dogmata falsa, nec omnia abjiciamus quæ pertinent ad demonstrationem Scripturarum nostrarum.*

Rursus errat [a] *Morinus*, cum ait Origenem in Epist. ad Africanum præcitata *conjicere, Judæorum malitia scriptum esse apud Epistolam ad Heb.* secti sunt *in plurali, pro,* sectus est, *ut cum unus tantum dissectus fuerit, scil. Esaias, ex plurali numero in textu Apostoli fraus appareat.* At quo oculi tunc Morini, quo mens sese flexerat, cum hæc scribebat? Hoc tantum dicit Origenes, quod *liber apocryphus*, in quo illud de Esaia tradebatur, *forte studio à Judæis depravatus est, voces nonnullas impertinentes scripto illi interserentibus, ut nulla fides ei adhiberetur.* quippe ineptiis quibusdam scatere scriptum illud deprehensum est. Egregie ineptit de sensu hujus loci *Frassenius* his verbis: *Neque etiam negotium facessit, quod ad Judæorum fraudem afferendam subjicit Origenes, nempe eos scripsisse,* sectus est, *scil. Isaias, ut fraus appareret in textu Apostoli, scribentis in plurali numero,* secti sunt. *Neque enim Origenes contendit nomen singulare,* sectus, *haberi in iis, qui palam sunt libris, hoc est Canonicis, sed tantum in aliquo apocrypho, quem forte in odium doctrinæ Christi & ejus Apostolorum conscripserant.* Quid (malum!) libro isti apocrypho cum vocibus illis *sectus*, & *secti*? Disputat Origenes de eo quod Apostolus *sectorum* in plurali numero meminerit, cum unius tantum, nempe Esaiæ, *secti* in aliis scriptis fieret mentio. Id vero contendit ex aliarum linguarum consuetudine semper fuisse licitum, scil. numero plurali pro singulari uti. Nec locum hunc Origenis intellexit ipse *Simonius*, vir alias judicio perspicaci, qui verba hæc Origeni [b] adscribit. *Quod quidem fortasse consulto per dolum factum est à Judæis, quibusdam non decentibus Scripturæ injectis dictionibus, ut toti fides abrogaretur.* Ut appareat autem quanta horum sit hallucinatio, locum integrum ex Origene describam.

Λεκτέον δὲ πρὸς ταῦτα· ὅτι ὅσα δεδύνηνται τῶν περιεχόντων κατηγορίαν πρεσβυτέρων, καὶ ἀρχόντων, καὶ κριτῶν, περιεῖλον ἀπὸ τῆς γνώσεως τοῦ λαοῦ, ὧν τινὰ σώζεται ἐν ἀποκρύφοις. καὶ τούτου παράδειγμα δώσομεν, τὰ περὶ τὸν Ἠσαΐαν ἱστορούμενα καὶ ὑπὸ τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολῆς μαρτυρούμενα, ἐν οὐδενὶ τῶν φανερῶν βιβλίων γεγραμμένα· περὶ γὰρ τῶν προφητῶν διεξερχόμενος, καὶ ὧν πεπόνθασιν, ὁ τὴν πρὸς Ἑβραίους γράψας φησίν· Ἐλιθάσθησαν, ἐπρίσθησαν, ἐν φόνῳ μαχαίρας ἀπέθανον· Πευσόμεθα γὰρ ἐπὶ τίνα ἀναφέρεται τό, ἐπρίσθησαν; (κατά τι ἔθος ἀρχαῖον οὐ μόνον Ἑβραϊκὸν ἀλλὰ καὶ Ἑλληνικόν, πληθυντικῶς λεγόμενον περὶ ἑνὸς σαφές.) διότι αἱ παραδόσεις λέγουσι πεπρίσθαι Ἠσαΐαν τὸν προφήτην, καὶ ἔν τινι ἀποκρύφῳ τοῦτο φέρεται· ὅπερ τάχα ἐπίτηδες ὑπὸ Ἰουδαίων ῥερᾳδιούργηται, λέξεις τινάς, τὰς μὴ πρεπούσας, παρεμβεβληκότων τῇ γραφῇ, ἵνα ὅλη ἀπιστηθῇ. *Dicendum autem ad hæc: quod Judæi quæcunque poterant, de iis quæ Seniorum, & Principum, & Judicum accusationem aliquam continebant; ea sustulerint à cognitione populi: quorum nonnulla servantur in libris apocryphis. Et hujus rei exemplum dabimus in iis quæ de Esaia sunt tradita, & Epistola ad Hebræos testimonio confirmata; licet in nullo libro aperto* (Canonico) *scripta reperiantur. Nam ubi de Prophetis & quæ passi sunt, enarrat ille Scriptor Epistolæ ad Hebræos, inquit:* Lapidati sunt, dissecti sunt, in occisione gladii mortui sunt. *Inquiramus enim, de quo dicatur,* dissecti sunt. (*juxta quandam consuetudinem priscam, non solum Hebræam, sed*

[a] Exercit. 1. l. 1. c. 3.

[b] Disquis. Crit. pag. 62.

sed & Græcam, id in plurali numero dicitur, quod de uno manifestum est) *Nimirum quia traditiones dicunt* sectum esse Esaiam Prophetam, *& in quodam apocrypho istud habetur, qui forte studio à Judæis depravatus est; dum voces nonnullas impertinentes scripto illi interseruerunt, ut toti non crederetur.*

a Cap. 3. §. 14. Apud eundem [a] *Frassenium* legimus Origenem, "*ut alibi observat Apostolos & Evangelistas, plures veteris Scripturæ textus laudasse ex Versione* "LXX. *qui in Hebræis fontibus non habentur, sic quoque in hæc verba* "*Joannis* XIII. Qui manducat meum panem levabit contra me calcaneum suum: *inquirentem unde id sit depromptum, cum Hebraica lectioni* "*non concordet, dicere*, Causam, cur non respondeat ad verbum Hebrææ "lectioni, esse, quod hic locus, quem citat Evangelista, metaphrasi "quadam à LXX. est explanatus." Sed ad locum illum Origenes hoc tantum habet: ὁ τρώγων μου τὸν ἄρτον ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ· παρεκπέφρασται γὰρ τὸ ῥητὸν ἀπὸ τοῦ τεσσαρακοστοῦ ψαλμοῦ οὕτως ἔχον· Καὶ γὰρ ὁ ἄνθρωπος τῆς εἰρήνης μου, ἐφ' ὃν ἤλπισα, ὁ ἐσθίων ἄρτους μου ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμόν. "*Qui* "*manducat panem meum, sustulit contra me calcaneum suum*: Translatum "autem est paraphrastice dictum hoc à Psalmo 40. sic habens: *Homo* "*pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit adversum* "*me supplantationem.*

b Hist. Crit. V. T. lib. 1. c. 19. & Disquis. Crit. cap. 9. Recte observat [b] *Simonius*, eos qui locis ex Origenis Epistola ad Africanum petitis, aliisve similibus, Judæorum Codices elevare velint, nescire *ingenium Origenis, & quæ illi propria est scribendi ratio. Hæc non*

c De Engast. adv. Origen. *ignorasse* [c] *Eustathium, qui notat Origenem, quod ubique opiniones contrarias scriptis suis inserat; idemque longe antea Hieronymum non solum de Origene, sed de Eusebio, Methodio, Apollinario, animadvertisse, qui* interdum non quod sentiunt, sed quod necesse est, dicunt. *Fecisse nimiam illam Origenis libertatem, ut, quicquid ex aliis Scriptoribus haustum in mentem venerat, sine delectu effutiit, in hæreseos crimen, quasi mentis suæ sensa exprimeret, vocatus fuerit. Hæc itaque diligenter observanda esse, si Origenem cum ipso Origene conciliare velimus, ne quod ille probabiliter tantum dixerat, suisque temporibus serviens ac personis quas alloquebatur, id pro Origeniano obtrudatur.* Certe alia sunt permulta loca, in quibus non tergiversatur, sed perspicue declarat Origenes se Editionem LXXviralem pro authentica non habuisse, verum *Hebraicam* isti prætulisse.

1°. Quamvis in Epistola ad *Africanum* præcitata, Historiæ *Susannæ*, prout ex voluminibus τῶν LXX. dictis in Ecclesiis legebatur, patrocinetur; alibi tamen non idem exemplar, quod in Ecclesiis lectum est, sequitur, sed *Theodotionis*. In decimo *Stromatum* suorum libro, postquam ex historia ista loca quædam adduxisset, adjecto demum alio, hæc subjicit verba: *Quem locum de* LXX. *editione nunc posui. Quo*

d Com. ad Dan. XIII. *dicto*, inquit [d] Hieronymus, *ostendit, cætera se non juxta* LXX. *Interpretes disseruisse.*

2°. Asserit Hieronymus, eum alibi fabulas *Susannæ, Belisque* ac *Draconis*, ex librorum Canonicorum numero ejecisse, quia Hebraice non habebantur. Procemio Comment. in Dan. *Unde & nos ante annos plurimos, quum verteremus Danielem, has visiones obelo prænotavimus, significantes eas in Hebraico non haberi. Et miror quosdam μεμψιμοίρους indignari mihi: quasi ego decurtaverim librum. Quum & Origenes, & Eusebius, & Apollinarius, aliique Ecclesiastici viri, & Doctores Græciæ, has, ut dixi, visiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec se debere respondere Porphyrio pro his, quæ nullam Scripturæ sanctæ auctoritatem præbeant.* Quod innuit autem *Hieronymus* Origenem hæc dixisse in libro contra *Porphyrium*, id verum esse non potest. Nam contra *Porphyrium* nunquam scripsit *Origenes.*

3°. In

3°. In Scripturis exponendis ad *Hebræos* solitus est confugere, eosque consulere, ut testatur [a] *Hieronymus*, qui meminit *Huilli*, Judæorum *Patriarchæ*, cujus expositiones in nounullis locis fuerit secutus. *Certe etiam Origenes Patriarchen Huillum, qui temporibus ejus fuit, nominat, & trigesimum tomum in Esaiam, in cujus fine edisserit*, Væ tibi civitas Ariel, quam expugnavit David, *illius expositione concludit, &, quum aliter prius sensisse se dicat, doctum ab illo id quod est verius confitetur. Octogesimum quoque nonum Psalmum, qui inscribitur*, Oratio Moysi hominis Dei; *& reliquos undecim, qui non habent titulos, secundum Huilli expositionem, ejusdem Moysi putat, nec dedignatur Hebræam Scripturam interpretans, per singula loca, quid Hebræis videatur, inserere.* Consuluisse illum *Hebræos* de vera cujusdam loci ex *Hebræo* interpretatione, commemorat *Chalcidius* verbis mox producendis.

[a] Contra Ruff. l. 1. Vide supra c. 3. § 13.

4°. In operibus suis non solum Versionem LXXviralem, sed alias quoque, ab ea discrepantes, explanabat & edisserebat. *Hieronymus* Procemio Com. in Esaiam: *Scripsit enim in hunc Prophetam juxta editiones quatuor* (LXX. Aquilæ, Theodotionis, Symmachi) *usque ad visionem quadrupedum in deserto Origenes triginta volumina.* Hoc quare fecit, si LXX. pro authenticis habuit? Audiamus eundem, Præf. in Versionem suam Josuæ: *Quod si vetus eis tantum interpretatio placet, quæ & mihi non displicet, & nihil extra recipiendum putant, —— Cur Origenem mirantur, & Eusebium Pamphili, cunctas editiones similiter differentes? Aut quæ fuit stultitia, postquam vera dixerint, proferre quæ falsa sunt?* Apolog. cont. Ruff. lib. 2. *Origenes tuus in omnibus libris suis post* LXX. *Interpretes, Judæorum translationes explanat & edisserit. &c.* Rursus Præfat. in Origenis Homilias 2. in Cant. *Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantica Canticorum ipse se vicit, nam decem voluminibus explicitis, quæ ad viginti usque versuum millia pene perveniunt, primum* LXX. *Interpretes, deinde Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem, & ad extremum Quintam editionem, quam in Actæo littore invenisse se scribit, ita magnifice aperteque disseruit: ut vel inde mihi videatur in eo completum esse, quod dicitur: Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Exemplum habemus apud *Catenam in Psalmos*, ad Psal. xxix. 7. ubi legunt LXX. Ἐγὼ δὲ εἶπα ἐν τῇ εὐθηνίᾳ μου. *Ego autem dixi in abundantia mea*: Symmachus, ἐν τῇ ἐρημίᾳ μου· *in solitudine mea.* Commentatur *Origenes* in utramque interpretationem, & ita, ut plane appareat, dubitasse eum, utra sit verior. Postquam explanasset locum secundum Versionem LXX. subjungit: Κατὰ δὲ Σύμμαχον, ἐὰν ᾖ, ἐν τῇ ἐρημίᾳ μου &c. *Secundum Symmachum vero, si dicatur*, in solitudine mea, *potest intelligi tranquillitas & imperturbatio animæ perfectæ, in qua omnis qui existit, nequaquam amplius commovebitur. Qui enim bonis spiritalibus abundat, non commovebitur in æternum.*

5°. Quamvis in *Homiliis*, quæ ad *populum* habitæ sunt, soli Versioni LXXvirali inniti visus est, in *Tomis* tamen, hoc est in Commentariis majoribus ad ipsam veritatem Heb. appellabat. *Ruffinus* in Invectiva 2. contra Hieron. ait *se Origenis ne unum locum ex scripturis divinis de Hebræis invenire translatum. Hieronymum* ipsum audi, Præf. in Quæst. Heb. *De Adamantio autem sileo: cujus nomen, si parva licet componere magnis, meo nomine invidiosius est, qui cum in Homiliis suis, quas ad vulgum loquitur, communem editionem sequatur, in Tomis, id est, in disputatione majori, Hebraica veritate stipatus, & suorum circumdatus agminibus, interdum linguæ peregrinæ quærit auxilia.* Origenis Exegematica S. Scripturæ *Hieronymus* alibi triplici genere distinguit, scil. in *Scholia, Homilias*, ac *Tomos*; *Scholia* fuerunt breviores annotationes, quibus loca obscuriora summatim perstringebat. *Homiliæ* fuerunt sermones seu conciones, quibus quotidie & quasi extempore Scripturas populo enarrabat. *Tomi*

five *volumina*, majores erant Commentarii, ut dixi, in quibus, ab eruditis tantum legendis, tota ingenii fui vela ventis fpirantibus dedit. *Hieronymum* hoc loco totum nobis pandere myfterium, exiftimat clariff. *Wetftenius*, in Notis ad *Origenis* Epiftolam fupra citatam: fcil. quam ob caufam in Epiftola ifta Græcæ editioni ufque adeo patrocinatur Origenes. *En timidum Origenem!* (ait *Wetftenius*) *errantem fequitur Verfionem vulgatam coram populo, ac defendit eam præfenti Epiftola; uni quidem infcripta, fed ftatim omnibus publicata: verum ubi vel folus eft, vel cum doctoribus & eruditis verfatur; corrigit, emendat, Hebræa præfert; adeoque alias deftruit, quod alias ædificat.* Exiftimat [a] *Lud. Capellus* in *Tomorum* opere ad Heb. Veritatem confugiffe illum *Judæorum* caufa. Sed id nullo modo apparet. Non modo *Judæorum*, fed quorumvis *doctorum* gratia id eum feciffe mihi perfuafiffimum eft.

[a] Crit. Sac. pag. 531.

6°. In eadem ipfa Epiftola agnofcit *Origenes*, fe cæteras quoque editiones ventilaffe, operam quoque dediffe, ut Scripturis *Hebraicis*, cum Hebræis differens, uti poffet, &, caufa Judæorum, literarum Hebraicarum ftudium commendat Chriftianis. Poftquam editionem LXXviralem, ab Hebræo difcrepantem, defendiffet; ne quis forte exiftimet, fe textus Hebraici, aliarumque Verfionum, ftudium damnaffe, hæc fubjungit: Καὶ ταῦτα δέ φημι οὐχὶ ὀκνῶ τοῦ ἐρευνᾶν καὶ τὰς τῶν Ἰουδαίων γραφάς, καὶ πάσας τὰς ἡμετέρας ταῖς ἐκείνων συγκρίνειν, καὶ ὁρᾶν τὰς ἐν αὐταῖς διαφοράς· εἰ μὴ φορτικὸν γοῦν εἰπεῖν, ἐπὶ πολὺ τοῦτο, ὅση δύναμις, πεποιήκαμεν· γυμνάζοντες αὐτῶν τὸν νοῦν ἐν πάσαις ταῖς ἐκδόσεσι καὶ ταῖς διαφοραῖς αὐτῶν, μετὰ τοῦ πως μᾶλλον ἀσκεῖν τὴν ἑρμηνείαν τῶν ο΄. ἵνα μή τι παραχαράττειν δοκοίημεν ταῖς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν Ἐκκλησίαις· καὶ προφάσεις δίδωμεν τοῖς ζητοῦσιν ἀφορμάς, ἐθέλουσι τοὺς ἐν μέσῳ συκοφαντεῖν· καὶ τῶν διαφαινομένων ἐν τῷ κοινῷ κατηγορεῖν· ἀσκοῦμεν δὲ μὴ ἀγνοεῖν καὶ τὰς παρ᾽ ἐκείνοις· ἵνα, πρὸς Ἰουδαίους διαλεγόμενοι, μὴ προφέρωμεν αὐτοῖς τὰ προσκείμενα ἐν τοῖς ἀντιγράφοις αὐτῶν, καὶ ἵνα συγχρησώμεθα τοῖς φερομένοις παρ᾽ ἐκείνοις· εἰ καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις οὐ κεῖται βιβλίοις· τοιαύτης γὰρ οὔσης ἡμῶν τῆς πρὸς αὐτοὺς ἐν ταῖς ζητήσεσι παρασκευῆς, οὐ καταφρονήσουσιν, οὐδ᾽ ὡς ἔθος αὐτοῖς, γελάσονται τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν πιστεύοντας, ὡς τ᾽ ἀληθῆ παρ᾽ αὐτοῖς ἀναγεγραμμένα ἀγνοοῦντας. *Et hæc quidem dico, non ex pigritia indagandi ipfas fecundum Judæos Scripturas, omnefque noftras cum illis conferendi, & quid differant inter fe videndi: nifi arrogans fit dictum, ut plurimum hoc, quantum fieri poteft, præftitimus; ventilantes fenfum illarum in omnibus editionibus, & differentiis earum: fimul aliquanto inftituto examine Interpretationis* LXX. *ne quicquam perperam fignaffe videremur Ecclefiis, quæ fub cœlo funt; & prætextum exhiberemus illis, qui occafiones captant, & cupiunt eos, qui medium tenent, fugillare; atque hos qui in publico prælucent, accufare. Exercemus etiam nos, ne ignoremus Scripturas, quæ apud illos habentur: ut fi quando cum Judæis differamus, proferamus ipfis ea, quæ extant in exemplaribus illorum: & ut iifdem fimul utamur cum illis, quæ apud ipfos circumferuntur, etfi in noftris non extent Bibliis. Talis enim fi fit noftra in quæftionibus cum illis controverfis præparatio, non contemnent, neque prout confuetum eft illis, ridebunt credentes ex gentibus; tanquam eos, qui, quæ vera & genuina fint apud illos fcripta, ignorent.* An revera in gratiam tantum Judæorum hæc fecit *Origenes*, aliofque facere voluit? Quomodo *in gratiam Judæorum*, aliorum Interpretum verfiones explanavit in illis locis ubi nullæ continentur de Meffia Prophetiæ? Præterea, in *Hexaplis* fuis non folum integrum textum Hebraicum, fed & alias omnes editiones Græcas, *Aquilæ, Symmachi, Theodotionis &c.* defcripfit *integras* in ufum Ecclefiarum: anne hoc in gratiam Judæorum? Quid opus erat ob textus quofdam paucos, Verfiones integras defcribere? Sane conftat vel ex *Hexaplorum* opere, tanto cum labore, tantifque impenfis adornato, quid animi *Origeni* fuerit, nempe illum exiftimaffe, in Scripturis interpretandis

pretandis rationem habendam fuisse, non solum Versionis vulgatæ, verumetiam reliquarum. Ut dicit [a] *Hieronymus*; *Exempla composuit quatuor editionum, è regione singula verba describens, ut unus dissentiens, statim, cæteris inter se consentientibus arguatur.* [a] Præfat. in Paralip.

7°. In ipsam porro editionem LXXviralem ex Hebraico, juxta Versionem *Theodotioneam*, adduxit quæ in ea desiderabantur, eaque splendidis *Asteriscorum* signis, quasi lucem editioni afferentia, vel luce digna illustravit: ista vero quæ in illa redundabant, & in *Hebræo* non legebantur, censorio *obelo* jugulavit, atque transfixit, eodem scil. signo, quo Critici vulgo in purgandis priscis Auctoribus, locisque surreptitiis notandis, utebantur. Hunc usum fuisse obelorum, & locis adulterinis atque rejectitiis apponi solitos fuisse, Scriptores idonei luculentissimum perhibent testimonium. *Asteriscus* (inquit [b] *Isidorus Hispal.*) *apponitur in iis quæ omissa sunt, ut illucescant per eam notam, quæ deesse videntur. Stella enim ἀστὴρ Græco sermone dicitur, à quo Asteriscus, stellula, est derivatus. Obelus, id est, virgula jacens, apponitur in verbis vel sententiis superflue iteratis, sive in iis locis, ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta juguilet supervacua, atque falsa confodiat. Sagitta enim Græce ὀβελὸς dicitur.* Zonaras, in Scholio ad Canonem S. Apostolorum LXXXVIII. ἐκ ἐγκρίνεσθαι δεῖ τοὺς λεγομένους ἄλλους τῶν Ἀποστόλων κανόνας, ἀλλ᾽ ἀποκρίνεσθαι μᾶλλον, ὀβελίζεσθαί τε, καὶ ἀποβάλλεσθαι ὡς ψευδεπιγράφους, καὶ νόθους, καὶ τῶν ἀπηριθμημένων, καὶ τοῖς θείοις καὶ ἱεροῖς πατράσιν ἐγκεκριμένων ἐκτὸς. *Non oportet alios ullos, qui dicantur Apostolorum Canones, approbari, sed magis reprobari* obeloque *transfigi & rejici, tanquam falso inscriptos, & non legitimos, & extra numerum eorum, quos divini sanctique Patres judicio suo comprobarunt.* Balsamo in Scholio ad Canonem Concilii Sexti in Trullo LXIII[m]; *Octogesimus quintus Canon S. Apostolorum definit quinam libri ex antiquo novoque Testamentis legendi sunt*, καὶ τὰ λοιπὰ ὠβέλισεν ὡς νενοθευμένα; *Et reliquos ut adulterinos obelo confodit.* [c] Senecæ appellatur obelus *Aristarchi nota*, quia illo apud *Homerum* compunxit carmina aliena surreptitiaque. *Ausonius*, Epist. ad *Ursulum*: [b] Orig. I. 20. [c] Epist. 88.

Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,
Quique notas spuriis versibus apposuit.

[d] Cicero: *Profert alter, ut opinor, duobus versiculis expensum Niciæ: alter, Aristarchus, hos ὀβελίζει. Ego, tanquam Criticus, judicaturus sum, utrum sint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι.* Galenus Commentario 2. in lib. *De natura hominis* Hippocrati tributum: ταύτης ὅλης τῆς ῥήσεως ἑκάστου στίχων [e] Διοσκορίδης περιέγραψε σημεῖον, ὃ καλοῦσιν Ὀβελόν, οἵῳ σημείῳ καὶ Ἀρίσταρχος ἐχρήσατο παρὰ τῷ Ποιητῇ πρὸς τοὺς ὑποβαλλομένους ὑπ᾽ αὐτοῦ στίχους. ταῦτα μὲν ὁ Διοσκορίδης ἔγραψεν, εἰκάζων εἶναι τὴν προκειμένην ῥῆσιν Ἱπποκράτους τοῦ Θεσσαλοῦ υἱέος &c. *Ad singulos hujus loci versus Dioscorides prænotavit signum, quod* Obelum *vocant: quo signo Aristarchus etiam apud Poetam, ad illos quos suspectos habuit versus, est usus. Has quidem notas adscripsit Dioscorides, conjectura ductus ad putandum, hunc locum esse Hippocratis F. Thessali.* Eustathius ad Iliad. α΄. ἀπὸ δὲ τοῦ Ὁμηρικοῦ ὀβελοῦ, καὶ τὸ γραφικὸν σημεῖον μετήνεκται, ὁ ὀβελὸς, ὅς ἐστι γραμμή τις εὐθεῖα, προστιθεμένη μὲν στίχων, ἤτοι ῥήσεων, ἔξω. ἀπαιτοῦσι δὲ τὴν θέσιν, δοκεῖν ὅτι ῥυτοῦσι ἐπίπτουσι τοῖς γράμμασιν ὥσπερ τις ὀβελὸς μέλας ἀπὸ σιδήρου, καὶ ἐμαύρωσεν αὐτά. ὁ δὲ λέγεται μεταφορικῶς ὀβελίζειν. Idem ad Odyss. ε΄. στίχον ὀβελίζουσιν ἤτοι ἀθετοῦσιν. *Jo. Tzetzes* ad *Hesiodi Operum & Dierum* principium: Ἰστέον ὅτι Ἀρίσταρχος καὶ ἕτεροι ὀβελίζουσι τὸ προοίμιον. καὶ Πραξιφάνης ὁ μαθητὴς Θεοφράστου, λέγων ἀπροοιμιάστῳ βιβλίῳ ἐντυχεῖν. &c. *Ulpianus* in Demosthenis Orat. contra Midiam: ἀσαφὲς εἶναι δοκεῖ τοῦτο. διὸ καὶ ὠβέλισται παρὰ τῶν Κριτικῶν, καὶ ὡς ἀδιόρθωτον παραλέλειπται. *Laertius* in Platonis Vita; ubi agit de *notis* in illius exemplaribus veteribus appositis: [d] L. 9. Epist. 10. [e] In sua Operum Hippocratis editione.

sitis:

sitis: ὀβελὸς περιεστιγμένος, πρὸς τὰς εἰκαίους ἀθετήσεις. *Obelus utrinque punctum habens, ad superflua quæque jugulanda præponitur.* Paulo post: ὀβελὸς πρὸς
a Institut. I. 4. τὴν ἀθέτησιν· *Obelus* apponitur *ad improbationem.* Apud [a] *Fabium, virgula censoria* vocatur: *Quo quidem ita severe sunt usi veteres Grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, & libros qui falso viderentur inscripti, tanquam subdititios summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.* Obelorum
b Lib. 1. Exercit. IV. c. 1. apud Criticos hunc usum fuisse, fatetur [b] *Morinus*, qui & ipse addit de *Asteriscis*, librorum Censores eorum inscriptione locum aliquem memorabilem irradiare solitos fuisse; eorumque usum mutuatos fuisse à nautis, qui secundum *astra* iter moderantur, ut hac ope adjuti, ex sentibus & viarum anfractibus emergere possint. Consimili, inquit, modo Librorum Censores *stellulis* suis sententiam aliquam esse memorabilem Lectorem admonuerunt, eumque expedito itinere per singula quæque libri memorabilia deduxerunt. *Origenem* improbasse, tanquam superflua, quæ *obelis* prænotavit, & probasse quæ sub *Asteriscis* ex *Hebræo* assumpsit, contendit passim acriterque *Hieronymus*, Præfat. Pentateuchi: *Quod ut auderem* (Scripturas ex Hebræo convertere) *Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquæ translationem Theodotionis miscuit, asterisco & obelo opus omne distinguens: dum aut illucescere facit, quæ minus ante fuerant; aut superflua quæque jugulat & confodit.* Præf. in Paralip. ad Chromatium: *Origenes* (inquit) *non solum exempla composuit quatuor editionum, è regione singula verba describens, ut unus dissentiens, statim cæteris inter se consentientibus arguatur. Sed quod majoris audaciæ est, in Editione Septuaginta, Theodotionis editionem miscuit, asteriscis videlicet designans, quæ minus fuerant; virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita. Si igitur aliis licuit non tenere, quod semel susceperant, — — cur me non suscipiant Latini mei? &c.* Epistola ad Suniam & Fretelam: *De editione Theodotionis additum est sub asterisco: cujus rei breviter vobis sensum aperiam. Ubi quid minus habetur in Græco ab Hebraica Veritate, Origenes de translatione Theodotionis addidit, & signum posuit asteriscum, id est, stellam, quæ quod prius absconditum videbatur, illuminet, & in medium proferat. Ubi autem quod in Hebræo non est, in Græcis codicibus invenitur,* ὀβελὸν, *id est, jacentem præposuit Virgulam, quam nos Latine veru possumus dicere: quo ostenditur jugulandum esse & confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur. Quæ signa & in Græcorum Latinorumque poëmatibus inveniuntur.* Proœmio Commentariorum in Dan. *Sed & Origenes de Theodotionis opere in editione vulgata asteriscos posuit, docens defuisse quæ addita sunt, & rursus quosdam versus obelis prænotavit, superflua quæque designans.* Præf. Versionis suæ Jobi: *Cogor per singulos Scripturæ divinæ libros adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam reprehensionem* LXX. *Interpretum criminantur, quasi non & apud Græcos — — omnia veteris instrumenti volumina Origenes obelis asteriscisque distinxerit, quos vel additos vel de Theodotione sumptos, translationi antiquæ inseruit, probans defuisse quod additum est. Discant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus susceperunt: aut interpretationem meam cum asteriscis suis radere.* Denique in Epistola ad B. Augustinum: *Et miror, quomodo* LXX. *Interpretum libros legas, non puros, ut ab eis editi sunt, sed ab Origine emendatos, sive corruptos per obelos & asteriscos: & Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris: præsertim cum ea, quæ addita sunt, ex hominis Judæi atque blasphemi, post passionem Christi, editione transtulerit. Vis amator esse verus* LXX. *Interpretum? Non legas ea, quæ sub asteriscis sunt, imo rade de voluminibus, ut veterem te fautorem probes.*
c Not. in Orig. Ep. ad Afric. pag. 175. [c] *Wetstenio* locus hic *intricatus* videtur. *Qui enim,* inquit, *emendavit Origenes si corrupit? Salvo* (pergit) *meliori judicio, eum sic intelligo. Augustinus*

stinus Versionem Hieronymi, ex Hebræo adornatam, non tanti fecit, quin ei præferret LXX. *Versionem. Hieronymus respondet, Frustra id Augustinum facere, ac periculose: quoniam Origenes, ex Theodotione, additis quidem signis, eam interpolarit: at Theodotio hæreticus fuerit: è cujus impuris rivulis cum Origenis emendatio deducta sit, eam Christiano non posse non corruptelæ suspectam esse, &c.* Mihi nunquam *intricatus* visus est locus. Sed videtur quidem Vir doctus toto cœlo ab istius vero sensu aberrasse. LXX. Versionem per additamenta sub asteriscis posita *emendavit* Origenes quatenus Sanct. Scripturarum Versio fuit, eandem vero *corrupit*, quatenus fuit Versio LXXviralis, cum talem Versionem permanere non siverit qualem illam Interpretes ediderant. Sic, si quis *Thucydidis* Historiæ interscrat quæ veriora sunt, vel quæ deficiunt, Historiam *emendat*, quatenus vero est *Thucydidis*, *corrumpit*. Verum hæc mittamus. *Hieronymo*, de *Origenis* sententia accedit omnino *S. Basilius*, qui *Homilia* IV. *in Hexaem.* contendens verba quædam, quæ in Hebræo non habentur, superflua esse, τί τοίνυν, addit, ἀχρεῖον τῶν ἀντιγράφων ὠβέλισται· ὁ δὲ ὀβελὸς ἀθετήσεως σύμβολον. *Eadem in Exemplaribus exactiori diligentia scriptis, obelo notantur: est vero obelus reprobationis signum.* Et Comment. in [a] Esaiam, ait vocem quandam *Obelo* fuisse jugulatam, *quod nullum in-* [a] Ad c 3. p 914.
sinuet sensum. Quin & *Origenem* voluisse, hoc suo labore studioque Versionem *emendare*, agnoscit ipse *Augustinus*. *Origenis* enim hoc opus designat his verbis: [b] *Nonnulli, Codices Græcos Interpretationis* LXX. *ex* [b] De Civ. Dei
Hebræis Codicibus emendandos *putarunt; nec tamen ausi sunt detrahere*, XVIII. 43.
quod Hebræi non habebant & LXX. posuerunt.

Refragatur huic sententiæ *Ruffinus*, *Invectiva* II. adversus *Hieronymum* Versionis LXX. patrocinandæ causam in se suscipiens. *Apostatæ quidem & Judæi* (inquit) *interpretati sunt ea, quorum lectione Judæi maxime utuntur. Et quia frequenter, si disputatio accidisset, vel immutata esse aliquanta, vel deesse vel abundare in nostris Scripturis mentiebantur, voluit Origenes nostris ostendere, qualis apud Judæos Scripturarum lectio teneretur, & in propriis paginis vel columnellis, editiones eorum singulas quasque descripsit, & ea quæ apud illos sunt addita vel decerpta, certis quibusque signis additis, ad versiculorum capita designavit, & in alieno non suo opere, suas tantummodo notas fixit, ut sciremus non quid nobis, sed quid Judæis adversum certantibus, aut deesse, aut abundare videtur. Quod tale esset, quale si quis accepto breviculo, in quo militum nomina continentur, nitatur inspicere, quanti ex militibus superfint, quanti in bello ceciderint, & inquirens qui inspicere missus est propriam notam, verbi causa, ubi dici solet* Θ *ad uniuscujusque defuncti nomen adscribat, & propria rursus nota superstitem signet, nunquid videbitur is, qui notam ad defuncti nomen apponit, & propria rursus nota superstitem signet, quod egerit aliquid, ut vel hic defunctus, vel ille viventis causam acciperet, sed quod eos qui ab aliis fuerint perempti, iste annotationis designavit indiciis? Ita ergo fecit & ille, ea quæ per alios Interpretes sive perempta fuerant, seu etiam abundantius prolata, propriis quibusdam signis, id est, asterisci & obelisci notulis designavit. Cæterum neque verbum aliquod de suo unum saltem inseruit, neque nostrorum Exemplarium fidem fecit in aliquo vacillare, sed ea quæ minus videbantur secundum cursum literæ plana & lucida, spiritualis intelligentiæ ostendit referta mysteriis.* Si credimus [c] *Mo-* [c] Lib. 1. Exerci-
rino, mentem suam *Origenes* ipse manifestius aperire non potuit. Con- cit. IV. c. 1.
tendit quoque [d] *Epiphanius*, apposuisse illum *Asteriscos*, non quod ad- [d] De Mens. &
dita vocabula *admodum necessaria* esse existimaret, *sed ne Judæis ac Sa-* Pond. c. 2.
maritanis ullam calumniandi sacras Literas, quibus in Ecclesiis utimur, occasionem relinqueret. Quid sibi vellet *Asteriscos* adhibendo, idem explicat his verbis: Ἐπίσκεψαι τοῦτο, ὦ ἀκροατὰ, ὅτι ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ οἱ ἀστέρες εἰσὶ, κἂν τι ὑπὸ νεφελῶν ἢ ἡλίου καλυφθῶσι· τούτῳ τῷ νοήματι ὁ σὺν ἀστε-

ἀστερίσκους παραθεὶς ἐποίησεν, ἵνα σοι δείξῃ, ὅτι οἱ λόγοι, οἷς παράκεινται οἱ ἀστερίσκοι, πεπήγασι μὲν ἐν ταῖς Ἑβραϊκαῖς λέξεσιν, ὥσπερ οἱ ἀστέρες ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ, ἐκαλύφθησαν δὲ ὑπὸ τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνείας ὥσπερ οἱ ἀστέρες ὑπὸ τῶν νεφελῶν καλυφθέντες· αὕτη ἡ ὑπόθεσις τῶν ἀστερίσκων. *Non ignoras quisquis es, Auditor, in cœlesti firmamento stellas esse, licet à Sole vel nubibus obducantur. Ad eorum mentem Asteriscorum notæ illæ referendæ sunt: ut ea vocabula scias, quæ Asteriscis insignita sunt, in Hebraicis dictionibus esse velut defixa, non secus atque in firmamento, stellæ. Quæ quidem in* LXXII. *Interpretum translatione dissimulata, & obtecta sunt, quemadmodum stellæ nubibus occultantur. Atque ea demum est Asterisci ratio.* Si ea quæ Interpretes Græci omiserunt comparavit *Origenes Stellis* à NUBIBUS occultatis, certe illi non placuit, quod omissa fuerunt. *Origenes* ipse in Epistola ad *Africanum*, ubi τοῖς LXX. ex professo patrocinatur, prætendit se ideo tantum quæ in Hebræo non legebantur *obelo* prænotasse, ut Græcis innotesceret quid magis ipsi quam Hebræi in suis voluminibus haberent: Καὶ τί με δεῖ καταλέγειν; ἃ μετὰ πολλοῦ καμάτου συνελεξάμεθα, ὑπὲρ τοῦ μὴ λανθάνειν ἡμᾶς τὴν διαφορὰν τῶν παρὰ Ἰουδαίοις καὶ ἡμῖν ἀντιγράφων. *Et quid me oportet hæc enumerare? quæ multo labore collegimus, ne nos lateret discrimen Judaicorum nostrorumque exemplarium.* Paulo post: καὶ ἄλλα δὲ ἔστιν εὑρεῖν ἐν τῇ Γενέσει, οἷς σημεῖα παρεθήκαμεν, τοὺς καλουμένους παρ᾽ Ἕλλησιν Ὀβελούς· ἵν᾽ ἡμῖν γνώριμον ᾖ τὸ τοιοῦτον· ὡς πάλιν Ἀστερίσκους, τοῖς κειμένοις μὲν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ, παρ᾽ ἡμῖν δὲ μὴ εὑρισκομένοις. *Sic & alia inveniuntur in Genesi, quibus signa apposuimus, Obeli à Græcis dicta, ut nobis loci tales innotescant. Prout rursus Asteriscos illis verbis assignavimus, quæ in Hebraico quidem extant; non autem apud nos inveniuntur.* At vero vix videtur verisimile, distinctionis meræ causa usurum fuisse illum *Obelorum* notis, quas scivit ab omnibus habitas fuisse pro notis *reprobationis*, & ut ita dicam, *ignominiæ*, quibus omnes solebant irreptitia atque adulterina quæque, tanquam stigmate, inurere. Neque poterat non scire, vel ex earum usu credituros fuisse viros literatos, se ista quæ iis consignata sunt, rejecisse, vel saltem minus probasse, suspectaque habuisse.

8°. Se juxta reliquas Versiones *emendasse* LXXviralem profitetur ipse [a] *Commentario in Matth.* ubi de Codicibus T. Novi verba faciens, Νυνὶ δὲ δηλονότι (inquit) πολλὴ γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγράφων διαφορά, εἴτε ἀπὸ ῥαθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ τόλμης τινῶν μοχθηρᾶς τῆς διορθώσεως τῶν γραφομένων, εἴτε καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ἑαυτοῖς δοκοῦντα ἐν τῇ διορθώσει προστιθέντων ἢ ἀφαιρούντων· τὴν μὲν οὖν ἐν τοῖς ἀντιγράφοις τῆς παλαιᾶς διαθήκης διαφωνίαν, Θεοῦ διδόντος, εὕρομεν ἰάσασθαι, κριτηρίῳ χρησάμενοι ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσιν· τῶν γὰρ ἀμφιβαλλομένων παρὰ τοῖς ο΄. διὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν, τὴν κρίσιν ποιησάμενοι ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων, τὸ συνᾷδον ἐκείναις ἐφυλάξαμεν. *Nunc autem sive propter scriptorum quorundam indiligentiam, sive propter nefariam aliquorum Scripturas emendantium audaciam, seu propter eos qui dum emendant, pro arbitrio addunt, vel detrahunt, magna enimvero exemplarium existit differentia. Profecto discrepantiæ, quæ in Veteris T. exemplaribus occurrit, Deo annuente, remedium adhibere potuimus: nam quæ apud Interpretes* LXX. *propter exemplarium varietatem dubia erant, è reliquis editionibus æstimatione facta, perpetuum cum illis consensum retinuimus.*

[a] Pag. 381.

9°. Eodem in loco profitetur se ista quæ in LXX. redundarunt *Obelo* confixisse, quia non ausus est ea PENITUS tollere, aliaque juxta Hebræum addita *Asteriscis* consignasse, *ut de illis admittendis pro arbitrio statuerent alii.* Verbis modo descriptis hæc proxime subjiciuntur: καὶ τινὰ μὲν ὠβελίσαμεν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ μὴ κείμενα, οὐ τολμήσαντες αὐτὰ πάντη περιελεῖν. τινὰ δὲ μετ᾽ ἀστερίσκων προσεθήκαμεν, ἵνα δῆλον ᾖ ὅτι μὴ κείμενα παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα ἐκ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων συμφώνως τῷ Ἑβραϊκῷ προσεθήκαμεν, καὶ ὁ μὲν βουλόμενος πρόηται αὐτά· ᾧ δὲ προσκόπτει τὸ τοιοῦτον, ὃ βούλεται περὶ τῆς παραδοχῆς

διχῆς

δοχῆς αὐτῶν, ἢ μὴ, πιϛῇ. *& nonnulla quidem in Hebræo non extantia Obelo confiximus, cum ea penitus rejicere non fuerimus ausi; aliqua vero cum asteriscis addidimus, ut perspicuum sit ea nos è reliquis editionibus Hebræo consonantibus addidisse, cum in* LXX. *Interpretibus minime reperirentur, & ut ea missa faciat, cui libitum erit; quem autem offendit illud, de illis admittendis necne, pro arbitrio statuat.* In Erasmi editione, non vero in Græcis, hæc adduntur: *In exemplaribus autem Novi T. hoc ipsum me posse facere sine periculo non putavi. Tantum suspiciones exponere me debere, & rationes causasque suspicionum, non esse irrationabile existimavi: sicut in hoc loco, quod dicitur, Diliges proximum tuum sicut teipsum: quoniam apud Marcum & Lucam positum non est. Judicent autem qui possunt, utrum vera sint quæ tractamus, an falsa.*

10°. Commentariis sive *Scholiis* in *Ezech.* verba quædam sub *Asterisco* addita, & probat & explicat, rationemque, ob quam suspicatur à LXX. omissa fuisse, aperte improbat. *Ezech.* VII. 27. juxta LXX. dicitur: *Lex peribit à Sacerdote, & consilium à Senioribus. Princeps induetur interitu.* Heb. habet: *Rex lugebit, & Princeps &c.* Origenes, apud *Scholia* Editionis *Romanæ*, hæc adnotavit: τὸ, ὁ βασιλεὺς πενθήσει, συνήθως ἰσόρηται (lege ex *Nobilii* emendatione, ἠστερισμένον) τάχα διὰ τ̃ Σωτῆρα οὐκ ἂν νομισθέντα πενθεῖν, οὐκ ἑρμηνευσάντων τῶν ό. τὸ ῥητὸν, ἢ μὴ εὑρηκότων τότε ἐν τῷ Εβραϊκῷ τὴν λέξιν. οὐδὲν ᾗ ἄτοπον, σωζομένου καὶ τ̃ ῥητοῦ, πενθεῖν λέγειν καὶ τ̃ βασιλέα· ἐπεὶ ἔκλαυσεν ὁ σωτὴρ ἐπὶ τὴν Ιερουσαλήμ. *Illud*, Rex lugebit, *ex more notatum Asterisco est, fortasse* LXX. *banc sententiam non transferentibus, quod non putarent fore ut Salvator lugeret, aut quod non invenerint dictionem istam in Hebraico. Nihil autem absurdi est, servata etiam ista sententia, dicere & Regem lugere: siquidem flevit Salvator super Jerusalem.*

11°. Errata quæ occurrant apud LXX. in nominibus propriis, ex Hebræo emendari debere pronunciat [a] *Commentariorum in Joan. Tom.* VIII. [a] Pag. 131
τὸ δ' ὅμοιον περὶ τὰ ὀνόματα σφάλμα πολλαχοῦ τ̃ Νόμου ϗ τ̃ προφητῶν ἐστιν ἰδεῖν, ὡς ἠκριβώσαμεν ἀπὸ Εβραίων μαθόντες, καὶ τοῖς ἀντιγράφοις αὐτῶν τὰ ἡμέτερα συγκρίναντες, μαρτυρηθεῖσιν ὑπὸ τ̃ μηδέπω διαστραφεισῶν ἐκδόσεων Ἀκύλου, καὶ Θεοδοτίωνος, καὶ Συμμάχου. &c. *Similes circa nomina errores multis in locis in Lege & Prophetis cernere licet, ut accurate perspeximus ab Hebræis edocti, cum ipsorum exemplaribus nostra comparantes, quæ testimonium habent ab editionibus Aquilæ, & Theodotionis, & Symmachi, quæ nondum sunt depravatæ. Pauca igitur apponemus in studiosorum gratiam, quo in his diligentius versentur. Unus filiorum Levi primus, in pluribus exemplaribus Geson nominatus est, pro eo quod est Gerson, ejusdem nominis existens cum primogenito Mosis, nomine vere utrisque posito, quod geniti fuissent in terra aliena. Rursus Judæ secundus apud nos quidem Aunan esse dicitur, apud Hebræos vero Onan, quod est Labor ipsorum. Adhæc in profectionibus filiorum Israel in Numerorum libro invenimus, quod profecti sunt ex Sochoth, & castra fixerunt in Buthan: cum Hebraicum pro Buthan, Æman habeat.* Quibus positis exemplis, subdit: καὶ τί με δεῖ διατρίβοντα πλείονα παρατίθεσθαι, παρόντος τῷ βουλομένῳ τ̃ ἐξετάζειν καὶ γινώσκειν τὰ κατὰ τὰ ὀνόματα ἀληθῆ; μάλιστα δὲ ὑποπτεύειν τοὺς τόπους τῶν γραφῶν, ἔνθα κατάλογός ἐστιν ἅμα ὀνομάτων πλειόνων, ὡς ἐν τῷ Ἰησοῦ τὰ περὶ τ̃ κληροδοσίας. &c. *Et quid me opus est tardantem plura apponere, cum* VERITATEM, *quæ est in nominibus, cuivis volenti* (in prædictorum editionibus) *tum inquirere, tum agnoscere sit in promptu? Sed in primis ea Scripturarum loca suspecta habere debemus, ubi pariter complurium nominum est enumeratio: veluti in libro Jesu Naue sunt, quæ ad divisionem hæreditatis pertinent. — Nec vero parvipendenda sunt Nomina, cum res ex iis significentur locorum interpretationi utiles.*

12°. Eisdem rursus in *Joannem* Commentariis, ad Hebraicam confugit lectionem: τ̃ πιεῖν ὕδωρ ποταμῶν; ἢ ὡς Εβραϊκὸν ἔχει, τ̃ πιεῖν ὕδωρ Σιών;

Ut

a Jer. II. 18. *Ut bibas aquam fluviorum,* [a] *vel, ut Hebraicum habet, ut bibas aquam Sion?*

13°. *Homilia* XV. in *Jer.* [b] monet se reliquorum Interpretum editio-
b Pag. 149. nes consuluisse, ut quid legendum sit in vulgata Editione exploraret: *Τί δὲ καὶ τό· οὐκ ὠφείλησέ μοι οὐδὲ εἷς; πῶς διηγησόμεθα ἐπὶ τοῦ σωτῆρος· οὐκ ὠφείλησέ μοι οὐδὲ εἷς; εἰ καὶ ἀνέγνωμεν οὕτως, ἀλλὰ καὶ δεῖ εἰδέναι ὅτι τὰ πλεῖονα τῶν ἀντιγράφων τῆς ἐκδόσεως τῶν ἑβδομήκοντα οὐκ ἔχει οὕτως· ὕστερον δὲ ἐπισκεψάμενοι καὶ τὰς λοιπὰς ἐκδόσεις, ἔγνωμεν γραφικὸν εἶναι ἁμάρτημα·* *Quid porro etiam illud*: Nec debuit mihi quisquam? *quomodo explicabimus hoc de Salvatore?* Non debuit mihi quisquam. [c] *Ut etiam sic legerimus, sciendum ta-*
c Jer. XV. 10. *men plurima* LXX. *Intt. exemplaria non sic habere. Postmodum autem inspicientes etiam reliquas editiones, cognovimus scriptorum esse errorem.*

14°. *Homilia* in eundem Prophetam XVI. vocem à LXX. omissam ex aliis versionibus, tanquam necessariam, adducit atque interserit. Ad verba illa *Jer.* XVI. 18. *ἀνταποδώσω πρῶτον διπλᾶς τὰς ἀδικίας αὐτῶν* &c. *Et retribuam illis primum duplices injustitias eorum &c.* sic commentatur: *τὸ πρῶτον εἴτε μὴ νοήσαντές ἐξεῖλάν τινες τὸ γεγραμμένον, εἴτε καὶ οἰκονομήσαντες ἐξεῖλον οἱ ἑβδομήκοντα, θεὸς ἂν εἰδείη. ἡμεῖς μέντοι γε συγκρίνοντες ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσιν εὕρομεν κείμενον· καὶ ἀνταποδώσω πρῶτον διπλᾶς τὰς ἀδικίας αὐτῶν, ἵνα δηλωθῇ, ὅτι εἰ καὶ ἄξιον διὰ τὰ δεύτερα αὐτῶν ἔργα μακαριότητος εἶεν, ἐπεὶ ἄνθρωποί εἰσι, καὶ ἐν ἁμαρτίαις γεγόνασι, πρῶτον δεῖ ἀπολαβεῖν αὐτοὺς τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.* &c. *Quod ait*, primum, *sive non intelligentes quidam, quod scriptum est abstulerunt, sive* LXX. *Interpretes, sicut & cætera, secundum dispensationem suam auferre voluerunt, Dominus viderit. Nos istum locum cum cæteris editionibus conferentes invenimus positum*, Et retribuam illis primum injustitias eorum: *ut ostendatur, quod, etsi ex posterioribus factis digni effecti sunt beatitudine Dei, attamen quia aliquando peccaverunt*, primum *oportet eos recipere sua delicta.* Sic Hieronymus in translatione sua istius Homiliæ, qui tamen verba illa, *sicut & cætera*, quæ *Origenis* non sunt, de suo addidit, LXX. Interpretibus in hoc parum æquus. Rursus, aliquibus interjectis, asserit Origenes, vocem *primum*, quæ in aliis Versionibus habebatur, non vero in LXX. esse sensui plane necessariam. *ἀναγκαίως πρόσκειται τὸ πρῶτον· πρῶτον γὰρ τὰ τῆς ἀδικίας, εἶτα τὰ τῆς δικαιοσύνης ἀποδίδοται.* *Necessario appositum est*, primum: *primum quippe propter injustitias tormenta perpetimur, deinde propter justitiam coronamur.*

15°. Eadem Homilia hæc habet: *ἔστι ἄλλη ἐκεῖ προφητεία, ἣν οὐκ οἶδ᾽ ὅπως παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα οὐχ εὕρομεν, εὕρομεν δὲ ἐν ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσι, δηλονότι κειμένην ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ, καὶ πεπλήρωται πραγμάτων ἀναγκαιοτάτων, δυναμένων, ἐὰν προσέχωμεν, ἐπιστρέψαι τὴν ψυχὴν ἡμῶν. οὕτως δὲ ἔχει τὰ ῥήματα· Ἁμαρτία Ἰούδα γέγραπται ἐν γραφίῳ σιδηρῷ, ἐν ὄνυχι ἀδαμαντίνῳ ἐγκεκολαμμένη ἐπὶ τοῦ στήθους τῆς καρδίας αὐτῶν, ἐπεὶ τὸ εὐχερέστερον ἑαυτὸν ἐπιδοῦναι· καὶ εἰπεῖν περὶ τῶν Ἰουδαίων ταῦτα γέγραπται· ὅτι ἡ ἁμαρτία αὐτῶν γέγραπται.* id est, Hieronymo interprete: "*Deinde alia sequitur Prophetia, (quam nescio quare apud* LXX. *non inve-* "*nientes, in cæteris editionibus, quæ cum Hebræo consentiunt sermone reperi-* "*mus) quæ plena est necessariis rebus, & tam utilibus, ut possit, si animus* "*fuerit attentus, à vitiis revocare Lectorem. Sic autem sequitur*: Peccatum "Juda conscriptum est stilo ferreo, in ungue adamantino sculptum su-"per pectus cordis eorum. *Quoniam difficile est aliquem se malum con-*"*fiteri, ideo Judæi qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam in hoc loco pro* "peccato Juda, peccatum eorum *posuerunt*." In quem locum hæc adnotat *Dan. Huetius*, Galliæ suæ decus: *Verba illa ἐπεὶ τὸ εὐχερέστερον ἑαυτὸν* &c. *miserabiliter accepta sunt, quæ sic emendari possunt ex Hieronymo*: *ἐπεὶ δυσχερέστερον ἑαυτὸν ἐπιδοῦναι, καὶ εἰπεῖν ὅτι περὶ τῶν Ἰουδαίων ταῦτα γέγραπται.* *Hanc porro infidelitatem* LXX. *Seniorum interpretationis, quæ Capitis* 17. *Jeremiæ priores versus quatuor prætermittit, Judæorum posteriorum temeritati ac perfidiæ tribuit Origenes, ab eisque plurima* LXX. *Interpretum exemplaria fuisse*

corrupta

corrupta queritatur. Hæc *Huetius*. Mihi vero videtur nec *Huetium*, nec *Hieronymum* ipſum, verum loci ſenſum attigiſſe. Nec tamen quid verius ſit facile dixerim. Ex ejuſmodi Græcis ſenſus *Huetianus* elici non poteſt, nec convenit cum Verſione *Hieronymi*, quæ loquitur non de omiſſione totius loci, ſed de mutatione lectionis. Neque video quomodo conſiſtit tranſlatio Hieronymi cum eo quod aſſerit Origenes, locum integrum Codicibus LXXviralibus defuiſſe. Suſpicor Origenis verba etiam Hieronymi ætate fuiſſe depravata, & illum quæ vertit ex conjectura poſuiſſe. Si vero lectionem veram ſecutus eſt Hieronymus, intelligendus eſt Origenes non de exemplaribus Verſionis LXXviralis, ſed vel de quibuſdam Codicibus Hebræis, vel de alia quadam Verſione, in qua pro *peccatum Judæ*, lectum erat *peccatum eorum*. Utcunque hæc ſint; ſaltem cum ex hoc tum ex aliis locis conſtat, à Verſione LXXvirali ad Codices Heb. confugiſſe *Origenem*.

16°. Ad *Pſal.* II. 13. ubi LXX. legunt: καὶ ἀπολεῖσθε ἐξ ὁδοῦ δικαίας, & *pereatis de via juſta*: quia vox, *juſta*, *neque in Hebraico*, *neque in aliis interpretationibus habebatur*, ſuſpicatur *Origenes*, vel erraſſe τῶν LXX. exemplaria, vel illam à LXX. additam fuiſſe: Ἀλλ᾽ ἐπεὶ οὔτε ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ πρόσκειται, οὔτε ἐν ταῖς λοιπαῖς ἑρμηνείαις τὸ, δικαίας, ὑποπτεύομεν μήποτε ἢ κατὰ οἰκονομίαν προστεθήκασι τοῦτο, ἢ τὰ ἀντίγραφα ἡμάρτηται.

17°. Sic ad *Pſalm.* III. 8. ubi habent LXX. Ὅτι σὺ ἐπάταξας πάντας τοὺς ἐχθραίνοντάς μοι ματαίως· *Quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa*; lectionem iſtam ut falſam omnino rejicit, quia in *Hebræo* cæteriſque interpretationibus pro ματαίως *ſine cauſa*, legitur, *ſuper maxillam*. Diſertiſſima & luculentiſſima ſunt hac de re illius verba: Τῷ Ἑβραϊκῷ ἐντυχόντες τὸ ματαίως οὐδαμῶς εὕρομεν δυνάμενον δηλοῦσθαι. Τί γὰρ κοινὸν τῆς λέξεως τῆς ματαίως πρὸς τὴν σιαγόνα; Καὶ οἱ λοιποὶ δὲ ὡς τὸ Ἑβραϊκὸν τεθείκασιν. Εἰκὸς οὖν ὥς τινες Ἑβραίων λέγουσι, τὰ ἀρχαῖα ἀντίγραφα ἑτέρως ἐσχηκέναι· ἢ τὸ εὐτελὲς περιϊσταμένους τοὺς ἑβδομήκοντα τῆς λέξεως, τετολμηκέναι ἀντὶ τοῦ σιαγόνα, ποιῆσαι ματαίως· *Hebraicum exemplar conſulentes*, *illud* ſine cauſa *nequaquam ſignificari poſſe comperimus. Quid enim commune habent voces*, ſine cauſa, *cum* maxilla? *Quinetiam reliqui poſuerunt ſicut textus Hebræus. Vero ſimile igitur eſt*, *ut Hebræi nonnulli aiunt*, *antiqua exemplaria aliter habuiſſe*, *vel* LXX. *dictionis iſtius vilitatem devitantes*, *pro* [a] maxilla *auſos fuiſſe ponere* ſine cauſa.

18°. Ad *Pſal.* LIX. 3. *Aquilæ* Verſionem *LXXvirali* diſertiſſime præfert: Εἶτ᾽ ἐπιλέγει, ὠργίσθης, καὶ ὠκτείρησας ἡμᾶς· κατὰ δὲ τὸν Ἀκύλαν, θυμωθεὶς μετέστρεψας ἡμᾶς. Τοῦτον δὲ μᾶλλον τὸν λόγον ἡ τῶν πραγμάτων ἔκβασις παρέστησε· μετὰ γοῦν τὴν τοῦ σωτῆρος παρουσίαν ταῦτα πεπόνθασι. Ὅτε γὰρ ἔφθασεν ἐπ᾽ αὐτοὺς ἡ ὀργὴ, εἰς τέλος ἀπώσθησαν καὶ καθῃρέθησαν, καὶ ἀπεβλήθησαν, διεκόπησάν τε, καὶ περιήχθησαν, διασκορπισθέντες εἰς πάντα τὰ ἔθνη· *Deinde ſubjungit*, Iratus es, & miſertus es nobis; *ſecundum Aquilam vero*, Indignatus tranſvertiſti nos. *Hunc ipſum autem ſermonem rerum eventus magis comprobat*: *ſiquidem poſt adventum Servatoris iſta paſſi ſunt. Quando enim ira ſuper ipſos venit*, *in finem repulſi & deſtructi ſunt*, *& rejecti atque exciſi ſunt*, *& circumacti ſunt*, *diſperſi in omnes gentes*.

[a] Ponendo ſc. ut alii jam adnotarunt pro לחי *lechi*, id eſt, maxilla, לחינם *lechinnam*, i. e. in vanum, ſine cauſa.

19°. In *Geneſ.* VI. apud *Veterum Græcorum Explan. in Pentateuchum*, à *Franc. Zephyro* editas, Verſionem *Symmachi* præfert. Ubi LXX. habent, *Cœnacula & triſtega facies in ea*: *Symmachus* (inquit) κατὰ δίστεγα καὶ τρίστεγα ποιήσεις αὐτὴν *legit*, (id eſt, per duplices tripliceſque contignationes facies eam) *ut aſſurgens in pyramidem per hæc veluti tabulata loculis*, *&*, *ut ipſe dicit*, *nidis diſtincta facilius diverſa animalium genera contineat. Et vero ſimile videtur*, *quæ eſſent immitioris naturæ inferiores tenuiſſe ſtationes*, *ſuperiora loca mitiores*, *ſuprema vero Noe cum filiis ſuis*, *infimum erat horreum*. Ibid. ad *Gen.* XVI. *Vocavitque nomen Domini qui loquebatur ad*

eam] *Ex his verbis Lex suo more declarat, Agar agnovisse Dominum non sine admiratione, cum longius abesset ab Abram familiari, sic dixerim, Domini, inquit, enim, tu es Deus qui nunc me vidisti, ac significanter adjecit hic, quasi dicat, non modo apud Abram, sed in tanta solitudine vidi post etiam illum, qui à me prius visus fuerat. Nam in Hebræis Codicibus legitur post, non posteriora: & LXX. visum mihi, non videntis me, sunt interpretati.*

20°. Com. in *Gen.* I. Aquilæ Versionem videtur LXXvirali præferre: ζητητέον δὲ εἰ ταὐτόν ἐστι τὸ, εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, τῷ, καὶ ἄρχειν τῆς ἡμέρας· καὶ τὸ, εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτὸς, τῷ, καὶ ἄρχειν τῆς νυκτός· καὶ ὁ Ἀκύλας γὰρ ἀνάλογον ἐτήρησε, ποιήσας ἀντὶ μὲν τοῦ, εἰς ἀρχὰς, εἰς ἐξουσίαν· ἀντὶ δὲ τοῦ, ἄρχειν, ἐξουσιάζειν· *Jam quærendum est sitne idem,* in principatum diei, *cum eo,* ut præessent diei: &, in principatum noctis, *cum eo,* ut præessent nocti. *Aquila enim convenientem dictionem retinuit, & pro eo,* in principatum, *reposuit,* in potestatem: *& pro eo,* ut præsint, ut potestatem habeant. Paulo post: καὶ μάλιστα ἐπεὶ ὁ κυριώτατα ἑρμηνεύειν φιλοτιμούμενος Ἀκύλας, οὐκ ἄλλο πεποίηκε &c. *Maxime vero cum is qui aptissime* (sive *maxime proprie*) *interpretari studuit, Aquila aliud nihil fecerit &c.*

a Pag. 263. 21°. Lib. 5. [a] *contra Celsum,* rejecta LXXvirali, *Hebræorum* Codicum complectitur lectionem: ἡ Σεπφώρα (inquit) λαβοῦσα ψῆφον, περιέτεμε τὸ παιδίον ἑαυτῆς· κατὰ μὲν τὰ κοινὰ τῶν ἀντιγράφων λέγειν ἀναγεγραμμένη τὸ, Ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου· κατὰ δὲ τὸ Ἑβραϊκὸν, αὐτὸ, Νυμφίος αἱμάτων σύ μοι· ᾔδει γὰρ τὴν περὶ τοῦ τοιοῦδε ἀγγέλου λόγον, δυναμένου πρὸ τοῦ αἵματος, καὶ παυομένου διὰ τὸ τῆς περιτομῆς αἷμα· ἐφ' ᾧ καὶ ἐλέχθη αὐτῇ τὸ, Νυμφίος αἱμάτων σύ μοι. *Sepphora, scrupo arrepto, circumcidit suum filium, effata secundum vulgatam editionem,* Stetit sanguis circumcisionis mei pueri. *secundum Hebraicum vero,* Sponsus sanguinum tu mihi: *norat enim talem angelum validum ante sanguinem; sed cobibendum cruore circumcisionis, quapropter dixit, Sponsus sanguinum tu mihi.*

22°. Eodem opere, Christianos easdem cum Judæis Scripturas recepisse agnoscit. Lib. 3. Ἰουδαῖοι καὶ Χριστιανοὶ, ἐξετάζοντες ἀπὸ τῶν προφητειῶν, αἷς κοινῇ πεπιστεύκασιν· *Judæi & Christiani, inquirentes ex Prophetiis, quibus utrique ex æquo credunt.* Lib. 4. τῶν ταῖς αὐταῖς ἡμῖν γραφαῖς χρωμένων Ἰουδαίων· *eisdem nobiscum Scripturis utentes Judæi.* Libro rursus 5. εἰ δ' ἀκριβῶς χρὴ ἡμᾶς λέγειν τὰ πρὸς τὸν Κέλσον, οἰόμενον τὰ αὐτὰ ἡμᾶς Ἰουδαίοις περὶ τῶν ἐγκειμένων δοξάζειν· φήσομεν ὅτι, τὰ μὲν βιβλία θείῳ γεγράφθαι πνεύματι, ὁμολογοῦμεν ἀμφότεροι· περὶ δὲ τῆς ἐκδοχῆς τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις, οὐκέτι τὰ ὅμοια φαμέν. *Quod si serio respondendum est ad opinionem Celsi credentis nos idem de Scripturis sentire quod Judæi sentiunt, dicam confessum esse apud utrosque, sacros libros scriptos esse divino Spiritu, sed de intellectu eorum non consentire nos, quando nec vivimus ut Judæi, quod non sapiamus juxta externam Legis literam.* Libro 7. *Celso* objicienti, eadem præcepta apud Philosophos quam in Scripturis *venustius* tradi, respondet *Origenes,* in *Hebraica* lingua, qua scripta sunt, (quamvis non in Græca, qua ea legebat *Celsus*) ornatu suo non carere volumina sacra: Καί τοι γε ἡ πρώτη Ἰουδαίων λέξις, ᾗ οἱ προφῆται χρησάμενοι καταλελοίπασιν ἡμῖν βιβλία, Ἑβραίων διαλέκτῳ καὶ σοφῇ συνθέσει τῶν ἐν τῇ διαλέκτῳ κατ' ἐκείνους ἀναγέγραπται.

23°. Commentario suo in *Esaiam,* Scripturas à *Judæis* fuisse falsatas, negavit ac pernegavit. *B. Hieronymus* Com. in illius Prophetæ cap. VI. postquam loca quædam protulisset in quibus Evangelistæ *Hebraicum* textum sequuntur, hæc subdit: *Quod si aliquis dixerit, Hebræos libros postea à Judæis esse falsatos, audiat Origenem quid in* VIII. *volumine explanationum Esaiæ huic respondeat quæstiunculæ: Quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum reticuissent. Sin autem dixerint post adventum Domini*

Salvatoris

Salvatoris & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator & Evangelistæ & Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant. Videntur tamen posteriora hæc verba (ut id quod res est dicam) ipsius fuisse *Hieronymi*, non *Origenis*. *Hieronymum* enim, non *Origenem*, sonat *cachinnus* iste. Et sic locum intellexit *Beda* in *Epist. Apolog.* ubi verba *Origenis* (ex *Hieronymo*) producens, posteriora illa omittit, & sistit in verbo *reticuissent*.

24°. *Homilia 2. in Cantica* (si modo ejus ea sit) juxta *Hieronymi* versionem Latinam, textum Hebraicum *Hebraicam* VERITATEM appellat: *In Proverbiis est præceptum: In domum fratris tui ne intres infelix. Pro eo, quod* LXX. *infelix interpretati sunt, Aquila Hebræam exprimens Veritatem* ἀγροικὸν *posuit.* Atqui fateor illud videri ab *Hieronymo* ipso interprete appositum fuisse. Puto *Origenem* dixisse tantum κατὰ τὸ Ἑβραϊκόν. Est enim phrasis *Hebraica veritas* Latinis propria.

25°. *Chalcidius*, Commentator in *Timæum Platonis*, ipse quidem Gentilis, sed in libris Christianorum versatus, postquam *Geneseos* principium secundum Interpretes varios, LXX. *Aquilam*, *Symmachum*, posuisset, hæc subnectit: *Sed Origenes asseverat ita sibi ab Hebræis esse* PERSUASUM, *quod in aliquantum sit à vera proprietate derivata interpretatio. Fuisse enim in exemplari, Terra autem stupida quadam erat admiratione.* LXX. habent: *Terra autem erat invisibilis, & incompta.*

26°. [a] *Georgius Hamartolus*, Chronographus, videtur innuere *Origenem* ex Codicibus Hebraicis, quos appellat ille *Syriacos*, Scripturas fuisse interpretatum. Ταύτην γὰρ τὴν γλῶσσαν καὶ Συριακὴν λέγουσιν, ὡς καὶ πολυμαθὴς οὗτος μαρτυρεῖ Ὠριγένης, ἑρμηνεύων ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου, καὶ ἐξῆς Συριακὴν εἰπὼν τὴν Ἑβραίων διάλεκτον. Juxta Chilmeadi versionem verborum horum Latinam, in ipsa Biblia Syriaca, sive Hebræa, commentarium scripsit *Origenes*: ea sic se habet: *Linguam hanc* (Hebraicam) *Syriacam etiam appellatam esse testatur doctissimus Origenes, in Commentariis suis super Biblia Syriaca; ubi Syriacam, dialectum Hebræorum esse asserit.* Ego vero sic verterim: *Linguam vero hanc, Syriacam etiam appellant, ut testatur quoque Origenes doctissimus, Scripturas ex libro Syriaco exponens, ubi & ipse linguam Hebræorum, Syriacam vocat.*

[a] Excerptis Malalæ præfixis pag. 12.

27°. Monuimus jam alibi, [b] *Cainanem secundum*, quem agnoscunt LXX. ab eo rejectum fuisse quia in *Hebræo* non comparet. Locus est in *Tomo* XX. *Commentariorum in Joan.* Ἀβραὰμ εἰκοστὸς γεγέννηται ἀπὸ τοῦ πρωτοπλάστου. δέκα γὰρ γενεαὶ ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ Νῶε· καὶ δέκα ἀπὸ Νῶε ἐπὶ Ἀβραάμ. *Abraham vigesimus genitus est à Protoplasto, nam decem generationes sunt ab Adam usque ad Noe, & decem a Noe usque ad Abraham.* Si Cainan secundus numeratur, ut in LXX. fit, Abraham ab Adamo non *vigesimus* erit, sed *vigesimus primus*, & à Noe non *decimus*, sed *undecimus*.

[b] Vide supra cap. 2. §. 61.

28°. Hebrææ linguæ addiscendæ se addixit, quum grandior demum jam natu esset, idque studio S. Scripturarum. *Suidas*: τοσαύτην δὲ εἶχε σπουδὴν περὶ τὰς θείας γραφὰς, ὥστε καὶ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον ἐναντιουμένην τῇ τε ἡλικίᾳ, καὶ τῇ οἰκείᾳ φύσει ἐκμαθεῖν. Petita sunt hæc ex *Sophronii* Græca Versione *Catalogi Scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymiani*. Hieronymus ipse: *Et quod tantum in Scripturis divinis habuerit studii, ut etiam Hebræam linguam contra ætatis gentisque suæ naturam edisceret.* Interpres *Suidæ*, καὶ τῇ οἰκείᾳ φύσει, non intellexit, cum vertit *Hebraicam linguam ipsius & ætati & ingenio adversantem.* Ingenio ejus adeo non adversata est lingua Hebraica, ut intra paucos dies illam addidicerit. *Græcia tota*, inquit [c] *Hieronymus, in Origene miratur, in paucis non dicam mensibus, sed diebus, Hebrææ linguæ vicisse difficultates.* Quod studio Scripturarum Hebrææ linguæ operam navarit, testatur quoque [d] *Eusebius*: Τοσαύτη δὲ εἰσήγετο τῷ Ὠριγένει τῆς θείων λόγων ἀπηκριβωμένη ἐξέτασις, ὡς καὶ τὴν

[c] Ep. 25. ad Paulam.

[d] Hist. VI. 16.

Ἑβραΐδα γλῶτταν ἐκμαθεῖν, τάς τε παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἐμφερομένας πρωτοτύπους αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφὰς, κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι· *Tantam vero curam ac diligentiam in divinis Scripturis perſcrutandis adhibebat Origenes, ut Hebraicam etiam linguam didicerit, & originarios Scripturarum libros, Hebraicis ſcriptos literis, qui apud Judæos habentur, ſibi comparaverit.* *Ruffinus*, ut ſolet, hæc mala fide convertit, quaſi vellet *Euſebius*, eum linguam Hebraicam didiciſſe, non intelligendarum Scripturarum gratia, ſed tantum ut exploratum haberet quid legerent Judæi. *Inter cætera quoque eruditionum ſuarum ſtudia, ne illud quidem omiſit Origenes, perſcrutari & addiſcere etiam Hebrææ linguæ virtutem, ut agnoſceret vel ea quæ à Judæis Hebraicis literis leguntur qualia ſint, vel cæterorum Interpretum, qui præter* LXX. *interpretati fuerant, quanta eſſet editionum diverſitas.*

Ex hiſce autem obſervationibus luculentiſſime patet, quam vana ſit eorum aſſertio, qui Origenem Verſioni LXXvirali *αὐθεντίαν* tribuiſſe, aut textui Hebr. eam antepoſuiſſe ſtatuunt. *Iſ. Voſſius* de illius ſententia multa confidenter affirmat, ſed Opera ejus, ut nec Patrum aliorum, vix à limine ſalutaverat. In Reſponſione ad Objectiones Ant. Hulſii: *Nunquam* (inquit) *Origenes Verſionem* LXX. *Interpretum ad Legem Judaici aut Samaritici Codicis aut correxit aut corrigendum cenſuit: agnovit ille θεοπνευστίαν horum Interpretum* (at ubi de ea loquitur? certe nuſquam) *quam etiam vocat Veritatem ſecundum* LXX. *Interpretes; ſed ſcopus Origenis fuit exhibere in Tetraplis* 4. *in Hexaplis vero* 6. *diſcrepantes Verſiones comparatas cum Heb. Codice, ut quam quiſque vellet interpretationem ſequeretur, exiſtimans unum eundemque locum plures admittere ſenſus, quemadmodum etiamnum plures Judæi ſentiunt. Licet vero non probem hanc Origenis opinionem, quod præter veram* LXX. *Interpretum tranſlationem, etiam alias Verſiones, & ſimul plures admiſerit Veritates; adparet tamen quam falſum ſit hoc quod dicitur, Origenem ad Legem Judaicorum codicum emendaſſe, aut emendandam cenſuiſſe* LXX. *Interpretum tranſlationem.* Ibidem, negare non audet quin *Cainanem juniorem* rejecerit Origenes, conatur tamen pro virili verba ejus ad alium pertrahere ſenſum. *Quod ſi in uno Cainane non numerando nimio plus fiderit Africano & à* LXX. *Interpretibus receſſerit* (*ſi tamen receſſit*) *utique ejus ſententiam culpa non carere monuimus. — Si vero à Seth incipiamus, qui fuit primus ab Adamo, & ab Enos, qui fuit ſecundus, jam quoque Abrahamus viceſimus ab Adamo fiet.* In caſtigationibus ad objecta G. Hornii, ait *primum qui Cainanem non numerandum cenſuit, quamvis expungere non fuerit auſus, fuiſſe Origenem.* In Reſponſione ad Objecta *Criticæ Sacræ* ait *Origenem ſenſiſſe corruptos eſſe in Hebræis Codicibus annorum numeros.* Atqui hoc fingit Voſſius, nuſquam enim id dicit, vel innuit Origenes. Rurſus eodem opuſculo: *Origenes non uno in loco palam teſtatur, ſe firmiter* LXX. *Virorum adhærere Verſioni, & eo* TANTUM *conſilio interpretationes Judaicas Tetraplis & Hexaplis ſuis inſeruiſſe, ut viderent Chriſtiani, quo pacto Judæi Chriſto poſteriores ſacras interpretentur Scripturas.* [a] Alibi negat Origenem cæterorum Interpretum Verſiones LXXvirali unquam præferre.

[a] Reſponſ. ad tertias Simonii Object.

Non defuerunt inter recentiores, qui Origenem ex Hebræo Verſionem novam inſtituiſſe credidere: qui error inde exortus eſt, quod quæ deerant in LXX. ex *Hebræo* juxta *Theodotionem* interſeruerit, eaque *aſteriſcis* illuceſcere fecerit.

CAP.

CAP. V.

Origenis Hexapla quanti fecerit Ecclesia. Editio ejus ex Hebræo juxta Theodotionem correcta sub asteriscorum obelorumque notulis, Pamphilo Martyri, & Ecclesiæ, quam grata acceptaque. Lucianum *Martyrem &* Hesychium, *Versionem* LXX*viralem ex Hebræo emendasse. Eorum editiones quanto in pretio habitæ.*

ORIGENIS Hexapla, in quibus Versioni LXXvirali adjectæ sunt cæteræ Græcæ, *Ecclesiis* dedicabantur, studioseque comparabantur & legebantur. Hoc multis in locis testatur *Hieronymus*, ex eo probans, non solum LXX. sed cæteras quoque Interpretationes in pretio & æstimatione habitas fuisse, & ad verum Hebraici Textus sensum explorandum usitatas. Præf. in Esaiam ex Heb. versum, ait *Græcos post* LXX. *Translatores Aquilam & Symmachum, & Theodotionem legisse vel ob studium doctrinæ suæ, vel ut* LXX. *magis ex collatione eorum intelligant.* Hoc dicit non suo ex animo, sed ut eos demulceret apud quos LXX. auctoritas sancta habebatur. In aliis *Præfationibus*, quarum aliquas saltem post prædictam scripsit, longe alia diversaque habet. Præf. in Jos. Nova (inquit) offero *linguæ meæ hominibus, ut pro Græcorum* ἐξαπλοῖς *quæ & sumptu & labore maximo indigent, editionem nostram habeant, & sicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant quod requirunt.* In Esdram: *Porro aliud est, si clausis, quod dicitur, oculis mihi volunt maledicere, & non imitantur Græcorum studium ac benevolentiam, qui post* LXX. *Translatores jam Christi Evangelio coruscante, Judæos & Hebionitas Legis veteris Interpretes, Aquilam videlicet & Symmachum & Theodotionem, & curiose legunt, & per Origenis laborem in* ἐξαπλοῖς *Ecclesiis dedicarunt. Quanto magis Latini grati esse deberent, quod exultantem cernerent Græciam à se aliquid mutuari. Primum enim magnorum sumptuum est & infinitæ difficultatis, exemplaria posse habere omnia: deinde etiam qui habuerint, & Hebræi sermonis ignari sunt, magis errabunt, ignorantes quis è multis verius dixerit.* In Job: *Quod si apud Græcos post* LXX. *Editionem jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, & Symmachus & Theodotio Judaizantes hæretici sunt* RECEPTI, *qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt, & tamen in* ἐξαπλοῖς *habentur apud Ecclesias, & explanantur ab Ecclesiasticis viris, quanto magis ego Christianus &c.* Apolog. 2. contra Ruf. *Quid nocet Ecclesiis nostra translatio? Magnis, ut scio, sumptibus redemisti, Aquilæ & Symmachi & Theodotionis, quintæque & sextæ editionis Judaicos translatores.* Quantum *Hexaplorum* opere Ecclesiam demeruerit *Origenes*, quamque illud fuerit gratum acceptumque, intelligimus porro ex Vita *S. Simeonis Sali* Emeseni, à *Leontio*, *Neapolis* Cypri Episcopo, conscripta, ubi ingenium *Origenis* ob *Hexapla* excogitata tanquam divinum prædicatur, & opus illud ab *Ecclesia* fuisse susceptum ostenditur. *Cum autem duo quidam Patres tunc in quodam monasterio prope Emesam inter se quærerent & perscrutarentur, cur cecidisset Origenes hæreticus, qui tanto ingenio & tanta sapientia à Deo fuerat ornatus: & unus quidem diceret, non fuisse à Deo eam, quæ ei aderat scientiam, sed fuisse quoddam donum naturæ & dexteri ingenii: nam cum in lectione divinæ Scripturæ & sanctis Patribus maxime esset versatus, acuit ingenium, & ideo suos libros conscripsit. Alter vero contra diceret, neminem ex dono naturæ posse tales, quales ille edidit, habere orationes, & maxime eas, quæ sunt de iis, quæ dicuntur* Hexapla. *Quocirca ea vel in hodiernum diem suscipit* ECCLESIA *tanquam* NECESSARIA. *&c.*

2. Quæ in editione LXXvirali sub *Asteriscis* addiderat *Origenes* ex *Hebræo* juxta *Theodotionem*, ab *Ecclesia* recepta lectitataque fuisse, non uno loco indicat *Hieronymus*. Præf. in Jos. *Quod si vetus eis tantum interpretatio placet, quæ & mihi non displicet, & nihil extra recipiendum putant: cur ea quæ sub Asteriscis & Obelis vel addita sunt, vel amputata legunt & negligunt?* Addit hic loci, quæ sub *Obelo* apud LXX. redundarunt in *Hebræo* non reperta, ab Ecclesia fuisse rejecta. Prologo in Paralip. ad Chromatium: de Origenis *Asteriscis* mentione facta, *si igitur* (inquit) *licut non tenere quod semel susceperant, — hocque in* Ecclesiis *legitur, quod* LXX. *nescierunt, cur me non suscipiant Latini mei?* &c. Præf. in Job: *Omnia veteris Instrumenti volumina Origenes Obelis Asteriscisque distinxerit, quos vel additos vel de Theodotione sumptos translationi antiquæ inseruit, probans defuisse quod additum est. Discant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus susceperunt: aut Interpretationem meam cum Asteriscis suis radere. Neque enim fieri potest, ut quos plura intermisisse susceperint, non eosdem etiam in quibusdam errâsse fateantur, præcipue in Job, cui si ea quæ sub Asteriscis addita sunt, subtraxeris, pars maxima detruncabitur, & hoc duntaxat apud Græcos.* Procemio Commentariorum Danielis: *Cumque OMNES Christi ECCLESIÆ, tam Græcorum quam Latinorum Syrorumque & Ægyptiorum, hanc sub Asteriscis & Obelis editionem legant, ignoscant invidi labori meo, qui volui habere nostros quod Græci in Aquilæ & Theodotionis ac Symmachi editionibus lectitant. Et si illi in tantis divitiis doctrinarum non contemnunt studia hominum Judæorum: cur Latina paupertas despiciat hominem Christianum?* Epistola LXXXIX. ad Augustinum: *Vis amator esse verus* LXX. *Interpretum? non legas ea, quæ sub Asteriscis sunt, imo rade de voluminibus, ut veterum te fautorem probes. Quod si feceris, omnes Ecclesiarum bibliothecas damnare cogeris. Vix enim unus & alter invenietur liber, qui ista non habeat.* Augustinus ipse *de Civit. Dei* XVIII. 43. ubi dicit *nonnullos* editionem LXXviralem (*Origenem* & *Hieronymum* designat) per Asteriscos Obelosque *emendare* voluisse, subnectit: *multos Codices has notas habentes usquequaque diffusos esse Græcos & Latinos.*

3. S. PAMPHILUS Martyr, adjuvante illum *Eusebio Cæsariensi*, ex Origenis *Hexaplorum* autographo, quod in *Cæsariensi* Bibliotheca delitescebat, Editionem LXXviralem, prout ab *Origene* cum Asteriscis suppleta fuerat, & Obelis notata, descripsit, inque usum Ecclesiarum *Palæstinæ* vulgavit. Hæc *Pamphili Eusebiique* editio ab Ecclesiis *Palæstinis* [a] summo applausu excepta est, & usque adeo in communem usum recepta, ut *Editio Palæstina* vulgo audiret. Testatur *Hieronymus*, ab omnibus Provinciis Antiochiam inter & Ægyptum fuisse receptam.

[a] Hieron. Præf. Paralip. ad Chromat.

4. Eodem circiter tempore, LUCIANUS Martyr, Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter, ex aliis Græcis translationibus inter se collatis, & ex ipso textu *Hebraico*, Versionem LXX. correxit ac emendavit, in tantum ut pro nova *Versione* apud Auctorem [b] *Synopseos S. Scripturæ* habeatur illius Editio. Verba ejus sunt ista: Ἑβδόμη πάλιν καὶ τελευταία ἑρμηνεία, ἡ τοῦ ἁγίου Λουκιανοῦ τοῦ μεγάλου ἀσκητοῦ καὶ μάρτυρος, ὅστις καὶ αὐτὸς ταῖς προγεγραμμέναις ἐκδόσεσι, καὶ τοῖς Ἑβραϊκοῖς ἐντυχών, καὶ ἐποπτεύσας μετὰ τῆς ἀκριβείας τὰ λείποντα, ἢ καὶ περιττὰ τῆς ἀληθείας ῥήματα, καὶ διορθωσάμενος ἐν τοῖς οἰκείοις τῶν γραφῶν τόποις, ἐξέδοτο τοῖς Χριστιανοῖς ἀδελφοῖς. *Septima & postrema TRANSLATIO sancti Luciani magni Religiosi & Martyris est, qui & ipse cum in prædictas Translationes, &* Hebraicos *libros incidisset, & diligenter, quæ vel veritati deerant, vel superflua aderant, inspexisset, ac suis quæque locis correxisset, VERSIONEM hanc Christianis fratribus edidit.* Suidas v. Λουκιανὸς ὁ μάρτυς· Οὗτος τὰς ἱερὰς βίβλους θεασάμενος πολὺ τὸ νόθον εἰσδεξαμένας, τοῦ τε

[b] Inter Opera S. Athan. to. 2.

χρόνου

χρόνῳ λυμηναμένου πολλὰ τῶν ἐν αὐταῖς, καὶ τοῦ συνεχοῦς ἀφ' ἑτέρων εἰς ἕτερα μεταθέσεως, καὶ μέν τοι καί τινων ἀνθρώπων πονηροτάτων, οἱ τοῦ Ἑλληνισμοῦ προεστήκεισαν, παρατρέψαι τὸν ἐν αὐταῖς θελησάντων νοῦν, καὶ πολὺ τὸ κίβδηλον ἐνσκευασαμένων, αὐτὸς ἁπάσας ἀναλαβὼν ἐκ τῆς Ἑβραΐδος ἐπανενεώσατο γλώττης, ἣν καὶ αὐτὴν ἐς τὰ μάλιστα ἦν ἠκριβωκὼς, πόνον τῇ ἐπανορθώσει πλεῖστον εἰσενεγκάμενος· *Hic, cum animadvertiſset ſacros libros multa adulterina recepiſſe, quod ipſum tempus in illis multum depravaſset, & propter continuam ab aliis ad alia tranſlationem, & quod improbiſſimi quidam Gentiles eorum ſenſum pervertere voluiſſent, in eoſque multa adulterina introduxiſſent, ipſe omnes aſſumptos ex HEBRAICA lingua reſtituit in integrum, quam accuratiſſime didicerat; plurimumque laborem in eorum emendationem contulit.* Auctorem ſequitur Suidas *Metaphraſten.*

5. Paulo poſt initium ſeculi IV. imperante [a] *Conſtantino M.* inventa fuit hæc editio *Luciani*, & ſtatim ab Eccleſiis *Conſtantinopolitana* atque *Antiochena*, cæteriſque cunctis quæ inter Conſtantinopolim Antiochiamque interjacebant, approbata uſuque communi recepta eſt. *Hieronymus* hujus rei locupletiſſimus teſtis: [b] *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta ſuis Eſychium laudat auctorem. Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ, Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgaverunt. Totuſque orbis hac inter ſe trifaria varietate compugnat.* Idem in Catalogo: *Lucianus vir diſertiſſimus, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter, tantum in Scripturarum ſtudio laboravit, ut uſque nunc quædam exemplaria Scripturarum* Lucianea *nuncupentur.* Imo uſque adeo in uſum vulgarem recepta ſunt *Luciani* exemplaria, ut editio τῶν LXX. κοινὴ, Λουκιανὸς *à pleriſque dicta fuerit*, teſte eodem, Epiſtola *ad Suniam & Fretelam.*

[a] Synopſis S. Script.

[b] Præf. in Paralip. ad Chromat.

6. Editio HESYCHIANA, quam dicit *Hieronymus* amplexos fuiſſe *Ægypti*, regionumque vicinarum Eccleſias, ipſa quoque ex *Hebræo* & reliquis Verſionibus nonnihil nitoris acceperat. Illam non fuiſſe puram germanamque τῶν LXX. editionem non obſcure colligitur ex *Hieronymi* verbis quæ præcedunt ea quæ ſuperius poſita ſunt. *Nunc vero* (inquit) *cum pro varietate regionum, diverſa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque tranſlatio corrupta ſit atque violata; noſtri arbitrii putas aut è pluribus judicare quid verum ſit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibuſque Judæis cornicum* (*ut dicitur*) *oculos configere. Alexandria & Ægyptus &c.* Clarius ex iſtis, Præf. in IV. Evang. ad Damaſum: *Prætermitto eos codices, quos à Luciano & Heſychio nuncupatos paucorum hominum* (de editionum eorum Latina Verſione loquitur) *aſſerit perverſa contentio, quibus utique nec in toto Veteri Inſtrumento poſt* LXX. *Interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendaſſe, cum multarum gentium linguis Scriptura ante tranſlata doceat, falſa eſſe quæ addita ſunt*: hoc eſt, ea non fuiſſe revera τῶν LXX. quæ illi addiderunt in Veteri Inſtrumento; aut Scriptorum Evangelicorum, quæ addiderint in Novo: ſed *falſo* illis adſcripta fuiſſe. Floruit *Heſychius* eodem tempore cum *Pamphilo* & *Luciano*, nempe exeunte ſeculo III. & anno ſequentis XI^mo ipſe quoque martyrio coronatus eſt.

CAP.

CAP. VI.

Eusebium Cæsariensem *multis in locis codicem* Hebraicum *aliorumque Interpretum Versiones LXXvirali præferre. Errare eos, qui illum pro divina LXX. Interpretum inspiratione testem adducunt.*

EUSEBIUM, *Cæsariensem* Antistitem, virum eruditione scriptisque celeberrimum, qui clarescere cœpit circa finem seculi III. jam modo monuimus una cum S. *Pamphilo* Versionis LXX. editionem ex *Hebræo* correctam, Asteriscisque Obelisque signatam, in usum Ecclesiarum *Palæstinarum* edidisse. Et exinde fit satis conspicuum, quid de Textu *Hebraico Græcaque* LXX. Versione ille censuerit. *Suidas*, ex *Sophronii* Græca translatione *Catalogi Hieronymiani*, ait illum fuisse τῆς θείας βιβλιοθήκης ἅμα Παμφίλῳ τῷ μάρτυρι ἐπιμελέστατον ἀνιχνευτήν· *Divinæ bibliothecæ una cum Pamphilo Martyre diligentissimum investigatorem.*

Illum solitum fuisse in explicandis Scripturis *cunctas editiones similiter differere*, animadvertit *Hieronymus*, in *Josuæ Præfatione*. Et adversus *Ruf. Apologiâ* 2. ait illum consuevisse *post* LXX. *Interpretes*, *Judæorum translationes explanare & edisserere*. Apologiâ contra eundem 1ma numerat illum inter eos, *qui, quando de Scripturis aliqua disputant, & volunt approbare quod dicunt, sic solent scribere*: *Referebat mihi Hebræus*: *&, Audivi ab Hebræo*: *&, Hebræorum ista sententia est.*

In libris quos scripsit contra *Porphyrium*, negavit *Susannæ Belisque* & *Draconis* fabulas *ullam Scripturæ sanctæ auctoritatem præbere*, quia in *Hebraico* non habentur; teste eodem *Hieronymo*, *Proœmio Comm. in Dan.*

In libris *Chronicorum*, quamvis calculos Græcæ Versionis, utpote cunctis notiores, potissimum sequitur, *Cainanem* tamen *juniorem*, quem ponit Translatio, non admittit, ut testatur passim *Syncellus*; & numeros quoque Codicis *Hebraici* atque etiam *Samaritani* accurate percenset, & *Hebraicos* se cæteris præferre totidem verbis declarat. *Hæc trium codicum* (inquit [a] *Scaliger*) *inter se collatio ideo ab Eusebio instituta, ut ostenderet duabus reliquis editionibus solam codicis Hebraici Judæorum anteferendam esse*: *quod cum proposuerit, non tamen sequutus est. Nam dinumeratio temporum ab Adam ad Diluvium, secundum Judæos colligit annos duntaxat* MDCLVI. *ipse autem putat* MMCCXLII. *quæ est* LXX. *Interpretum summa, in quo manifesto contra hypothesin facit*; *atque eo nomine à Georgio* (*Syncello*) *laudatur simul & vituperatur*: *alterum, quod tot annos ab Adam ad Diluvium ponit, quot ex dinumeratione* LXX. *Interpretum colligi possunt*: *alterum, quod professus se Judæos sequi, in partes* LXX. *Seniorum transit. quæ fuit maxima Eusebii* ἀλογιστία, *vitium illi scriptori solenne.* Satis duxit *Eusebius* monuisse, se *Hebraicam* annorum dinumerationem præferre. Alteram ponit ex hypothesi vulgari. In Proœmio [b] libri II. *Eusebius* sic scribit: Εὗρον δὲ παρ' Ἑβραίοις διαφόρους τῶν χρόνων ἀποδόσεις, τὴν μὲν πλεονάζουσαν, τὴν δὲ ἐνδέουσαν, ταύτην μετῆλθον· *Reperiens penes Hebræos diversam computandi rationem, aliam excedentem* (quæ *Græcæ* Versionis est & Codicis *Samaritani*) *aliam deficientem* (quæ Codicis est *Hebraici*) *hanc secutus sum.* Hieronymus in sua Chronicorum *Eusebii* Versione magna libertate usus, verba ista sic reddit, vel potius pro illis hæc substituit, quæ à mente ejus sunt alienissima: *Neque me fugit, in Hebræis codicibus dissonantes ætatum annos inveniri, plusque vel minus prout Interpretibus visum est lectitari*: *sequendumque illud potius, quod exemplarium multitudo in fidem traxit.* [c] Georgii Syncelli verba: ὅτι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρων τριῶν ὑποθέσεων, ἑαυτόν τε καὶ τὴν ἀλήθειαν ὤπλας παραλογισάμενος, ἐντεῦθεν φανερόν· εἰπὼν γὰρ διαφόρους

[a] Not. in Græca Eusebii pag. 402.

[b] Apud Syncellum p. 66.

[c] Pag. 67.

φόρους χρόνων ἀποδόσεις παρ' Ἑβραίοις εὑρηκέναι, τὴν μὲν πλήθουσαν, τὴν δὲ ἐλλείπουσαν, ταύτῃ δὲ καταχολουθῆσαι· πρῶτον μὲν διαψεύδεται· τῇ γὰρ πλεοναζούσῃ τῶν δύο, τῇ τε κατὰ τὸ Ἑβραϊκὸν, τῇ τε παρὰ Σαμαρείταις, ἐκδόσει τῶν ο'. κέχρηται, ὥς φησιν ἐν τῷ πρώτῳ λόγῳ. ἄλλως τε, εἰ καὶ ἀληθεύοι χρησάμενος τῇ ἐλλειπούσῃ, πόῤῥω φιλαλήθους σκοποῦ πέπραχεν. *At vero tribus ex hypothesibus, sibi ipsi veritatique voluisse* (Eusebium) *fucum facere, exinde manifestum. Cum enim varias annos numerandi rationes ab Hebræis usurpari, & unam quidem excedere, aliam, quam secutus est, deficere statuerit, in mendacium impegisse convincitur: Superexcedente siquidem* LXX. *Interpretum calculo usus, utrumque alium, cum qui penes Hebræos, tum penes Samaritanos, ut computum abdicat, idem ipse libro primo testatur. Ac licet à veritate non alienum se jactet, deficientem ac imminutum secutus, à scopo tamen ad quem veri studiosus dicta scriptaque collimat, recessit quam longissime.* Imo quamvis ipsi propositum fuisset Chronologiam deducere juxta triplicem Codicum *Græcorum*, *Hebræorum*, & *Samariticorum* varietatem, *Cainanem* tamen *secundum* etiam in ipsa editionis Græcæ supputatione omittit. Audiamus rursus [a] Syncellum: θαυμάσαι δὲ μοι μεγάλως ἔπεισιν, ὅπως ὁ αὐτὸς κατά τινας κληθεὶς φρόνιμος Εὐσέβιος, δηλαδὴ κατὰ ἀντίφρασιν, &c. *Illud autem mirari non desino, quod cum Eusebius solertis nomine* (*contrario nimirum sensu*) *insignitus, adeo manifeste divinis Scripturis adversari ausus fuerit, & ex vulgatis receptisque cum apud Hebræos, tum Samaritas, tum penes* LXX. *Interpretes textibus requirendæ veritati diligentiam omnem à se adhibendam pollicitus, ob exemplarium discordiam annis trifariam expositis, in nulla triplicis istius descriptionis editione Cainan filii Arphaxad retro Diluvium nati meminisse deprehensus est. At si Cainan in Scripturis nusquam extaret, qua ratione lecti per omnes Ecclesias sacri Geneseos libri palam illum promunt? Qua, inquam, ratione divinissimus ille vir Lucas, humanæ cælestisque sapientiæ peritus, & pluribus Eusebiis sine discrimine præstantior, sacro & Evangelico suo volumine ab Adam decimum tertium numeravit?* Seriem Eusebianam τῶν LXX. ubi *Cainan* deest, videre est ibid. pag. 86. Syncellus idem: Ἠλεὶ ἱερεὺς ἡγήσατο τοῦ Ἰσραὴλ ἔτη κ'. κατὰ τοὺς ο'. κατὰ δὲ τὸ Ἑβραϊκὸν, ᾧ καὶ Εὐσέβιος ἠκολούθησεν ἔτη μ'· καὶ ἐκ τούτου ἐπαγγελλόμενος. *Eli sacerdos ex* LXX. *Interpretum dictis præfecturam Israel assequitur annis* 20. *juxta Hebraicam vero literam, quam Eusebius, contrarium etiam pollicitus, amplectitur, annis* 40. Idem alio in loco *Syncellus*, dicit illum codicem *Hebraicum* secutum fuisse etiam tunc cum ab O. C. ad natum Abrahamum annos 3184. colligeret: [b] Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου τὰ ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως Ἀβραὰμ γενέσεως, ἢ κατὰ τοὺς χρόνους Νίνου καὶ Σεμιράμεως τῶν Ἀσσυρίων βασιλέων ὡμολόγηται συνῆχθαι ἔτη γρπδ'. στοιχείωσε τῷ Ἑβραϊκῷ ἐξακολουθήσας, καὶ τὸν δεύτερον Καινᾶν ρλ'. ζήσαντα πρὸ τῆς τεκνώσεως μὴ στοιχειώσας. *Eusebius Pamphili ab Adam condito ad ortum Abrahæ, vel ad Nini Semiramisque ætatem brevius intervallum positurus Hebraicum codicem prævium secutus annos* 3184. *collegit: Cainan autem nominis istius secundum ante procreatam à se sobolem annos* 130. *vixisse creditum, in numerum omnino non retulit.* Omisisse Eusebium *Cainanem* juniorem quia viderat illum in *Origenis* Hexaplis notatum obelo, tanquam in *Hebræo* non comparentem, existimat ac asserit *Beda*. Epist. Apolog. *Qui cum in libro ἐξαπλῶν virgam Origenis pertimescens, generationem Cainan de medio tolleret.* Eundem designat Comm. in Gen. c. XI. his verbis: *Verum Chronographi Græcorum hac comperta distantia, generationem quidem seriem ad auctoritatem Heb. ablato Cainan emendarunt; nec tamen numerum annorum in generationibus, quas cum Hebraicis codicibus habuere communes, ad eorum auctoritatem emendare curarunt; sed propriam secuti auctoritatem, dederunt huic ætati, quæ à diluvio tendit ad Abraham annorum summam minorem quidem* LXX. *Translatorum editione annis* 130. *sed Heb. veritate annis* 650. *majorem.* Eadem fere in libello *de* 6. *æt. mundi.*

[a] Pag. 169.

[b] P. 326. Locus iste sub Theophanis nomine editus est à *Petavio*, Auctario operis de Doctrina Temporum l. 8. c. 4.

Hist. Eccles. VI. 16. Hebraicos Judæorum codices, quos *Origenes* sibi comparaverit, πρωτοτύπους appellat, quod *authenticos* reddit *Valesius*, Versionem suam confirmans ex *Brissonii* Lexico.

a Pag. 316. [a] *Demonstr. Evang. lib.* VII. Interpretes LXX. elogio non contemnendo extollit: ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἡμετέροις ἀντιγράφοις, ὑφ' Ἑβδομήκοντα ἀνδρῶν ἄνωθεν μὲν Ἑβραίων τὸ γένος, ἐπ' ἀκριβείᾳ δὲ τῆς πατρίου παιδείας δεδοκιμασμένων ἡρμηνευμένοις· *in nostris enim exemplaribus, quæ à Viris* LXX. *genere ab Hebræis oriundis, patriæque ipsorum linguæ peritissimis, & in ea eruditione probatissimis, translata sunt. &c.* Tamen alibi, eodem in libro, testimonio quodam è Mose adducto, Versionis LXXviralis verba rejicit, & ad

b Pag. 332. *Hebræum* confugit: [b] *Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc, eo quod nolit populus iste aquam Siloam, quæ vadit cum silentio &c. —— Significant per aquam Siloam, quæ vadit cum silentio, Evangelicam salutaris verbi doctrinam: nam ex interpretatione* Siloam *dicitur* missus. *Porro hic quisnam alius sit, nisi qui à Patre ad nos* missus *Deus Verbum? de quo etiam Moses ait: Non deficiet princeps de Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat,* cui repositum est, *& ipse erit exspectatio gentium. Pro illo enim,* Cui repositum est, *in Hebraico habetur* Siloam, *eum videlicet, qui hic habetur* Siloam, *hoc est*, missum, etiam illic significante Oraculo: ἀντὶ γὰρ τοῦ ᾧ ἀπόκειται, τὸ Ἑβραϊκὸν Σιλωὰμ περιέχει, τὸν ἐνταῦθα Σιλωὰμ, τουτέστι, τὸν ἀπε-

c Pag. 336. 7. σταλμένον καλεῖ δηλούμενον τοῦ λόγου. Libro rursus eodem, [c] aliorum Interpretum versionem LXXvirali palam anteponit. "*Huic igitur esse nomen* "*dicitur, ut legimus apud* LXX. magni consilii angelus: *&, ut quidam Co-* "*dices habent*; admirabilis consiliarius, Deus fortis, potentiam habens, "princeps pacis, pater futuri seculi. *Ut vero est in Hebraico, sicut Aqui-* "*la testificatur*: Quoniam puerulus natus est nobis, & facta est mensura "super humerum ejus, & vocatum est nomen ejus, Admirabilis Consilia- "rius, fortis, potens, pater, etiam princeps pacis, & pacis ejus non est "finis. *Sicut autem Symmachus*: Adolescentulus autem datus est nobis, "filius datus est nobis, & erit disciplina ejus super humerum ejus, & vo- "cabitur nomen ejus, Admirabilitas, Consiliarius fortis, potens pater se- "culi, princeps pacis, & pacis ejus non est finis. *Ergo non simpliciter An-* "*gelus, secundum ipsos* LXX. *sed magni consilii Angelus, & admirabilis Con-* "*siliarius & Deus fortis & potentiam habens, & Princeps pacis, & pater futuri* "*seculi oriturus aliquando, & puerulus futurus, iis verbis canebatur.* (οὐκοῦν "οὐχ ἁπλῶς Ἄγγελος, κατὰ τοὺς Ἑβδομήκοντα, ἀλλὰ τῆς μεγάλης βουλῆς Ἄγγελος &c.) "*Habes etiam in iis, quæ prius dicta sunt, Dei Verbum, & Deum, & Do-* "*minum diversis modis appellatum, & pariter eundem Angelum patris nomi-* "*natum, & primum Imperatorem copiarum Domini, sed quis tandem hic sit?* "*secundum Aquilam quidem & secundum ea, quæ etiam nunc apud Hebræos* "*feruntur testimonia, qui inter homines nascetur, & puerulus existet, admi-* "*rabilisque Consiliarius, & fortis, & potens, & pater etiam, & princeps pa-* "*cis, cujus pacis nunquam ait futurum finem. Secundum Symmachum au-* "*tem*, Admirabilitas, Consiliarius, fortis, potens, pater seculi, prin- "ceps pacis, & pacis infinitæ atque interminatæ. *At sicut Theodotion* "*voluit*, admirabiliter consulens, fortis, potens pater, princeps pacis,

d Pag. 450. "ad multiplicandam disciplinam, cujus pacis non est finis." [d] Ejusdem Operis libro IX. *Cum vero obscure apud* LXX. *dictum sit illud*: *Tunc manifesti erunt qui signant & claudunt legem ne discant. Et dicet: Exspectabo Deum, qui avertit faciem suam à domo Jacob, & confidens ero in eo. Planius idem reddidit Symmachus his verbis: Liga testimonium, signa legem in ordinationibus meis. Et exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Jacob, & exspectabo ipsum. Aquila vero etiam ipse in hunc modum convertit: Illiga testimonium, signa legem in docibilibus meis, & assumam Deum, qui abscondit faciem suam à domo Jacob, & exspectabo ipsum. Hæc igitur facere*

cere Salvatoris nostri discipuli docentur. Post quæ deinceps subjungit: Ecce ego &c. ταῦτα δ' οὖν οἱ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Απόστολοι διδάσκονται μυεῖν.

Ibid. pag. 453. Versionis LXXviralis ista: *Jacob puer meus, Israel electus meus;* disertis verbis [a] improbat, & S. *Matthæum* nomina *Jacob* & *Israel* εἰκότως *merito*, utpote quæ in *Hebraico* non comparent, omisisse pronunciat. Alium locum subjungam ex ejusdem Operis lib. v. cap. 4. ubi, ut probet *Esaiam* novisse *Deum esse in Deo*, in hanc sententiam scribit. *Adorabunt te, inquit, justi, & in te orabunt, quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te: tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israel Salvator. Porro illud,* nesciebamus, *quod ex persona eorum, qui prius illum non cognoverunt, apud solos* LXX. *dictum est, in HEBRAICO aliter habetur: quod sane Aquila convertens sic ait: Deus ergo fortis occultus, Deus Israel, qui salvos facit. Theodotion vero: Propterea fortis absconditus Deus servans. Ubi sane valde mirabiliter absconditum Deum Christum nominat: nec non causam quoque planissime docet, propter quam unum ipsum, quatenus inter ea quæ genita sunt, nominatur, Deum vocat, ob patris videlicet in ipso habitationem. &c.* Panlo post: *Pro eo vero quod est* (in LXX.) Laboravit Ægyptus, *Hebraicum habet, & reliqui omnes Interpretes reddiderunt,* Labor Ægypti, *ut id quod dicitur, tale sit: Te adorabunt, & tui erunt servi, labor Ægypti, & negotiatio Æthiopum, & Seboim. — Et hæc quidem in Salvatore ac Domino nostro expectatum exitum nacta sunt.*

[a] Vide supra cap. 2. §. 8.

De Eccles. Theol. contra Marcellum III. 2. interpretationem LXX. tanquam vocis Hebraicæ genuinum sensum non exprimentem reprehendit ac rejicit. Pro ἔκτισε *Prov.* VIII. 22. vertendum esse ἐκτήσατο contendit: Εἴ τις ἐξακριβώσαιτο τὴν ἀληθῆ νοῦν τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, εὕροι ἂν τὴν Ἑβραϊκὴν ἀνάγνωσιν, οὐ περιέχουσαν τὸ, ἔκτισέ με· διόπερ οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἑρμηνευτῶν, ταύτῃ τις κέχρηται τῇ λέξει &c. "*Si quis genuinum sensum sacratissimæ Scri- "pturæ investigare vellet, inveniet lectionem Hebraicam non habere,* condi- "dit me, *qua neque reliquorum Interpretum aliquis usus est. Aquila legit:* "Dominus possedit me, caput viarum suarum. *Symmachus*: Dominus "possedit me initium viarum suarum. *Sic & Theodotio*: Dominus pos- "sedit me initium viæ suæ. *Et non abhorret à ratione interpretatio.* Ali- "quibus interjectis: *Magna siquidem Dei possessio, erat Filius unigenitus: "eo quod ex ipso genitus filius erat ejus: eo autem quod omnibus & salutem "afferens constituebatur, maxima & erat, & nominabatur possessio sui patris. "Neque enim patri magis honorabilis & grata contigerit possessio, quam est "filius. Unde & Adam ille protoplastes, cum primum possederat filium ut "homo dixit,* Possedi hominem à Deo. *Ubi in Hebræo est pro* possedi, "Canithi (*leg.* canani,) *& pro* possedit, Cana. *Sic de Abrahamo usur- "patur:* Ager, quem possedit Abraham: *in Hebræo est,* Cana, *quæ est "eadem vox usurpata in,* Dominus possedit me principium viarum sua- "rum ad opera sua. *Unde cum ibidem vox* Cana *sit, conspiranter omnes "reddidere Interpretes* possedit. *Illud vero* condidit, *rejicitur ab Hebræis, "nec in præsenti Scriptura reperitur. Plurimum vero differt* ἔκτισε creavit, *& "*ἐκτήσατο possedit; *cum illud significet communi notione, creaturarum pro- "cessum, de non esse ad subsistere: hoc vero rei præexistentis possessionem, & "proprietatem peculiarem possidentis.*

Commentario in Psalmos, apud *Catenam*, ad Psal. LIV. derelicta Versione LXX. verba *Symmachi* explanat: "*Cum non susceperint gratiam, merito "iræ traditi, procul* dispersi sunt, & appropinqnaverunt corda eorum: "molliti sunt sermones eorum super oleum. *Pro quibus clarius Symma- "chus interpretatus est*: Nitidiora butyro ora eorum: pugnat autem cor "uniuscujusque eorum. Molliores sunt sermones ejus oleo, cum sint "secantes. *Observa vero, quomodo hic etiam duas doctrinas hic sermo ex- "hibeat; unam quidem valde confusam, seu generalem, secundum quod de ipsis*

 pluraliter

"*pluraliter ait*: Nitidiora butyro ora eorum: pugnat autem cor uniuſ-"cujuſque eorum.: *aliam vero, quaſi uno ſolitarie nominato*; *de quo ſingu-"lariter ſubjungit*: Molliores ſermones ejus oleo, cum ſint ſecantes." Ad illa Pſalmi CVII. *Moab lebes ſpei meæ*: *Manifeſtius* (inquit) *hunc ſenſum interpretatus eſt Aquila & Quinta editio*; *à quibus dicitur*, Moab lebes lavacri mei: *id eſt, receptaculum lavacri mei*: *Symmachus vero*; *Erit, inquit, Moab lebes tranquillitatis meæ.* Ad Pſal. CXIII. *Præſentes verſiculi in quibuſdam exemplaribus à Pſalmo* CXIII. *diſtincti ac ſegregati ſunt, ita ut ea quæ præ manibus ſunt conſtituant Pſalmum* CXIV. *Verum cum HEBRÆORUM librum inſpiciens, eorum characteres ſimul & dictiones conjunctas eſſe repererim, cenſui rite ſequendum eſſe CODICEM HEBRÆORUM, & hæc prioribus eſſe annectenda, ita ut ſint pars Hymni* CXIII. Ἐπειδὴ ἢ ἐγκύψας αὐτῇ τῇ Ἑβραίων βίβλῳ, σὺν αὐτῶν χαρακτῆρας συνημμένας εὗρον καὶ τὰς λέξεις, ἐπίςησα καλῶς ἀκολουθῆσαι τῇ Ἑβραίων βίβλῳ.

Apud *Catenam in Cantica V. & N. T*[ti] ab *Antonio Carafa* editam, ad illa *Orationis Eſaiæ*: *Appone ipſis mala Domine, appone mala glorioſis terræ*: hæc habet: *Mala quidem neque apud alios Interpretes, neque apud Hebraicum exemplar invenimus, ſed apud omnes Interpretes ſic legitur*: *Appoſuiſti genti in qua gloria celebratus es. Cum autem omnes Interpretes unico conſenſu ſic legant, reliquum eſt, ut nos cogitemus, quid appoſuerit genti*: *&c.*

Agnoſcit [a] *Pet. Galeſinius*, Euſebium, *Aquilæ* cæteriſque Interpretibus pluſquam LXX. Senioribus interdum tribuere: tamen horum Verſionem, inquit, *aliquando fatetur divino conſilio divinoque ſpiritu factam fuiſſe.* Sic quoque [b] *Voſſius*. Neque deſunt qui affirment, illum *Cellularum* LXX. miraculum teſtimonio ſuo confirmare. In his ſunt [c] *Volaterranus*, [d] *Middendorpius*, [e] *Driedo*, [f] *Andradius*, [g] *Feuardentius*, [h] *Pamelius*. At graviſſime hallucinantur, qui pro iſta fabula *Euſebii* allegant auctoritatem. Quo in loco de miraculo iſto loquitur? *Volaterranus* & *Middendorpius* citant *Hiſtoriam* ejus *Eccleſ.* v. 8. ubi verba ſunt *Irenæi* non *Euſebii*. *Feuardentius* & *Pamelius Præparationis Evang. librum* VIII. cap. I. adducunt. Sed hi quoque fruſtra. Cum dicit enim ibi *Euſebius* Verſionem LXXviralem fuiſſe θεόθεν οἰκονομηθεῖσαν *divino conſilio proviſam*, hoc tantum ſibi voluit, per divinam providentiam eam factam fuiſſe ante Chriſti incarnationem, ut eo clarius Evangelii lux effulgeret. Sic ſtatim ante dicitur Deus, ut fieret ea Verſio providiſſe, βασιλεῖ Πτολεμαίῳ τοῦτο πρᾶξαι κατὰ νοῦν ἐμβαλών, εἰς προπαρασκευὴν, ὡς ἔοικε, τῆς τῶν ἐθνῶν ἁπάντων ὅσον οὔπω μελλούσης ἐξ αὐτῶν ἔσεσθαι μεταλήψεως. *immiſſa hac Ptolemæo Regi mente divinitus*: *nimirum ſicut veriſimile eſt, ut quædam quaſi penus eſſet, unde illa poſtmodum in populorum omnium uſum fructumque promereantur.* De Interpretibus ipſis nihil aliud dicit, quam quod viri fuerunt ἐπί τε συνέσει καὶ τῇ πατρίῳ παιδείᾳ δεδοκιμασμένοι· *cum prudentia tum gentilitiarum quoque literarum ſcientia celebres.* Ad eundem locum reſpexit *Galeſinius*. In *Græcis*, quæ vocantur, *Euſebiani Chronici*, à *Scaligero* editis, [i] traditur, Interpretes LXXII. ἐν οβ. οἴκοις *in domunculis* LXXII. incluſos fuiſſe: verum *Græca* iſta non eſſe *Euſebii*, ſed indigne illuc invecta fuiſſe ex *Chronico Paſchali* ſive *Faſtis Siculis*, nemo neſcit paulo eruditior. Hujus rei tot ferme ſunt indicia, quot verba. Nec in Chronicis *Euſebii Latinis* iſtarum domuncularum occurrit ulla mentio. [k] *Renatus Laur. de la Barre* ait *Euſebium* in *Hiſt. Eccleſ.* VI. I. teſtari, *ſolam* LXX. *Interpretum editionem ab Eccleſia receptam fuiſſe*: cujuſmodi nihil vel ibi vel alibi locorum legitur. Alii ex ejuſdem Operis *lib.* VI. *cap.* 23. hæc verba proferunt tanquam *Euſebii*: *Id pro vero ſolum habendum in Scripturis divinis, quod* LXX. *Interpretes tranſtulerunt, quoniam id ſolum eſt, quod auctoritate Apoſtolica confirmatum eſt.* Quæ ab ipſo *Euſebio* non ſcripta ſunt, ſed in Latina *Ruffini* verſione, ut alibi jam dixi, inſerta

&

[a] De LXX. Int. p. 38.
[b] Append. Libri de LXX. pag 9.
[c] Anthropolog. lib. 19.
[d] Prolegom. in Ariſteam
[e] De Catalogo S. Scripr.
[f] D ſenſ. Concilii Trid. l. 4.
[g] In Irenæum v. 25.
[h] In Tertul. Apolog.
[i] Lib. 1. p 66. & lib. 2. p. 181.
[k] In Tertul. Apolog c. 19.

& interpolata. Neque ab ipso *Ruffino*, *Eusebio* ipsi tribuuntur, sed *Origeni*. Contendit [a] *Morinus*, *Polyhistorem illum doctissimum* sensisse Judæos Scripturas suas depravasse, quia Historiæ libro 4. cap. 18. *inter præclara & memorabilia* quæ scripsit Justinus M. hæc adnotat: *In Tryphone coarguendo, de quibusdam Prophetarum testimoniis mentionem facit, quæ Judæi è Scriptura penitus exemissent.* Verum ex eo quod illa adnotat *Eusebius*, non statim apparet illum, quæ dicit Justinus, approbasse. Nec loquitur Justinus de Scripturis Hebraicis, sed tantum de Græca Versione, & de ea *Eusebium* ipsum illum intellexisse, non dubitandum est.

[a] Exercit. 1. l. 1. c. 3. § 6.

C A P. VII.

Scriptores alii seculi IV. Athanasius *Episcopus Alexandrinus*, Eusebius Emisenus, Chalcidius, Theodorus *Heracleota*, Cyrillus *Hierosolymitanus*, Epiphanius *Cyprius*, Basilius *Cæsariensis*, Gregorius *Nyssenus*, Apollinarius *Laodicenus*, Didymus, Diodorus *Tarsensis*, Joannes Chrysostomus, Theodorus *Antiochenus Mopsuestiæ Episcopus*, Polychronius *Apameensis*, Eudoxius Philosophus, Severianus *Gabalensis*, Sophronius. *Pars Hieronymianæ Translationis ex* Hebræo *factæ*, *à* Sophronio *Græce reddita*.

ATHANASIUS, Patr. Alexandrinus, quantum tribuerit Codicibus *Hebraicis*, vel ex hoc uno loco colligitur Scholiorum ejus in [b] *Psalmos*: Χιλιάδας δὲ ἤτοι χιλιάδα (οὕτω γὰρ εὕρηται ἐν τῇ τῶν Ἑβραίων γραφῇ) τὴν κατὰ νόμον λατρείαν φησὶν ἥτις εἰς χιλιάδα ἐτῶν κεκράτηκεν. *Millia autem, sive mille (ita enim inventum est in scriptura Hebræorum) vocat cultum legalem, qui ad* mille *annos duravit.* In quibus perspicuum est lectionem *Hebraicam* LXXvirali præferri. Immensum quantum à vero aberraverit [c] *Laurentius de la Barre*, bipedum omnium in citandis bonis auctoribus nequissimus, cum affirmat *Athanasium* in *Apologia de Fuga* & rursus in *Synopsi S. Scripturarum*, asserere Versionem LXX. *divinitus & afflatu Numinis fuisse editam.* In *Apologia de Fuga* ne verbulum unum habet de divina inspiratione, præterquam in ipso limine, ubi loqui illum non de *Versionis*, sed de ipsarum *Scripturarum* inspiratione Divina, tam certum clarumque est, ut supra nihil possit. De *Arianis* sibi conviciantibus, quod insidiantibus sese subduxerit, Ἀρκεῖ γὰρ, inquit, αὐτοὺς ἐκ τούτου δειχθῆναι μηδὲν κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον μήτε φρονοῦντας μήτε πράττοντας· κατὰ δὲ τὰς ἰδίας ἡδονὰς, οἰομένους εἶναι καλὸν ὅπερ αὐτοὶ βούλονται· ἐπειδὴ δὲ προσποιοῦνται δειλίαν ἐγκαλεῖν, ἀναγκαῖον ὀλίγα περὶ τούτου γράψαι. δειχθήσονται γὰρ καὶ ἐκ τούτου, πονηρεῖν τὸν τρόπον, καὶ μὴ ἐντετυχηκότες τῶν θείαις γραφαῖς· ἢ ἐντυχόντες μὲν, μὴ πιστεύοντες δὲ εἶναι θεόπνευστα τὰ λόγια τὰ ἐν αὐταῖς. *Sufficit enim mihi, quod hac re sese prodant, quod nihil secundum Evangelium aut sapiant aut faciant, sed pro libidine sua id opinentur quod velint. Cæterum quia mihi timiditatis crimen affingunt, paucis scribendum est ad declarandam eorum malignitatem, & quam literas sacras aut non legunt, aut si legunt, non credunt oracula illis contenta adspiratu Numinis edita fuisse.*

[b] In Psalm 83. vers. 11.

[c] In Tertull. Apol. c. 19.

2. Neque aliquid habet *Synopsis S. Scripturæ*, quæ extat inter *Athanasii* Opera, quod ab homine mentis sanæ ad Græcæ Interpretationis inspirationem divinam possit contorqueri. Principium hocce est: Πᾶσα γραφὴ ἡμῶν Χριστιανῶν θεόπνευστός ἐστι· *Omnis nostra, qui Christiani sumus, Scriptura Divinitus inspirata est.* Hæc videtur torsisse ad Græcam translationem bonus ille *Barrius*. E contra constat *Synopsis* illius Auctorem, qui si non fuit *Athanasius*, vetustissimus tamen fuit, Scripturam *Hebraicam*, *divinam* & *VERITATEM* appellare, scil. ubi loquitur de S. *Luciani* opera, verbis supra descriptis. τὰ λείποντα, ἢ καὶ περισσὰ τῆς ἀληθείας ῥήματα &c.

3. Quæstionum quæ extant inter *Athanasii* opera 51ma, hæcce est: *Quare Deus die septima* (τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ) *creationem perfecit.* Unde liquet Auctorem *Hebraicam* aliorum Interpretum lectionem fuisse secutum. Legunt enim, & temporibus quoque illis legerunt, LXX. *in* [a] *die sexta.*

a Gen. 22.

4. Inter eos, quos existimant credidisse Judæos Scripturas suas falsasse, recensent nonnulli *Athanasium*, qui *in illud Evangelii, Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis &c.* sic ait, *Judæi nihil curant corrumpere sacrarum literarum placita, modo ita abnegent Christi adventum.* Verum in hoc loco constat Athanasium loqui, non de corruptione textus, sed de falsis Scripturæ expositionibus.

Athanasium in ea fuisse sententia conficit *Morinus* ex fine *Synopsis Scripturæ*, ubi enumeratis variis libris sacris qui non extant amplius, quorum tamen in Canonicis qui supersunt fit mentio, in hæc verba sermonem concludit: *Itaque hæc omnia per impiorum Judæorum amentiam & incuriam interiisse manifestum est.* Voluisse auctorem, his verbis, Judæos ipsos ejusmodi scripta ulla de industria è medio sustulisse, non satis manifestum est: Neque opus revera Athanasii est ista *Synopsis.*

5. EUSEBIUS EMISENUS Episcopus in Catena in Gen. IV. 26. ad Codices Heb. [b] confugit: Ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ οὐχ οὕτως ἔχει, ἀλλ', οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι ἐν τῷ ὀνόματι κυρίου τοῦ Θεοῦ.

b A Vossio cit.

6. CHALCIDIUS, ætatis hujus Scriptor Gentilis, Philosophus Platonicus, pro more Christianorum sui temporis, principium libri primi Mosaici citans, neque ipse contentus est LXX. *Prudentium*, quos vocat, Versione, sed *Aquilæ* quoque & *Symmachi* profert interpretationes, & ad ipsum quoque Textum confugit *Hebraicum.* Verba ejus non pigebit ob oculos huc afferre. "*Hebræi sylvam* (materiam) *generatam esse confitentur, quorum sapientissimus Moyses non humana facundia, sed divina, ut ferunt, inspiratione vegetatus, in eo libro qui* de Genitura Mundi *censetur, ab exordio sic est præfatus, juxta interpretationem septuaginta Prudentium*: Initio Deus fecit cœlum & terram. Terra autem erat invisibilis & incompta. *Ut vero ait Aquila*: Caput rerum condidit Deus cœlum & terram. Terra vero inanis erat & nihil. *Vel ut Symmachus*: Ab exordio condidit Deus cœlum & terram. Terra porro fuit otiosum quid, confusumque & inordinatum. *Sed Origenes asseverat ita sibi ab Hebræis esse persuasum, quod in aliquantum sit à vera proprietate derivata interpretatio. Fuisse enim in Exemplari*: Terra autem stupidâ quâdam erat admiratione."

7. THEODORUS Heracleæ Episcopus, Commentario suo in Psalterium, apud *Catenam*, non modo reliquorum Versiones æque ac LXX. explanat, verum etiam illis in aliquibus locis manifesto favet. Ad Psal. XLII. 3. ubi LXX. legunt, *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt. Hic*, inquit, LXX. *mutarunt tempus; cæteri vero clarius exposuerunt, Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, quæ me deducent.* Psal. LIV. 14. ubi LXX. *Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus. Accurate*, inquit, *hæc in proditorem* (Judam) *quadrabunt; quandoquidem etiam Symmachus* familiarem *pro* duce *exposuerit.* Ibid. v. 21. *Extendit manum suam in retribuendo*] *Symmachus*; *Extendit manum suam in pacificos suos. Saul enim non hostem, sed beneficum persequebatur: neque Judas inimicum prodidit, sed Salvatorem.* Psal. LXIII. 8. ubi LXX. *Accedet homo ad cor altum; & exaltabitur Deus. Manifestius* (inquit) *Theodotion; Cor viri & cor profundum sagittabit Deus. Etsi enim millesies studia sua absconderint, Deo tamen manifesta sunt, qui propriam ipsis altitudinem ostendit, supplicia ipsis irrogando.* Ad Psal. LXVII. 29. *per templum tuum*, quod vertit *Symmachus*, magis probat quam quod habent LXX. *à templo tuo.*

Psal.

Psal. xciii. 1. *Aquila vero pro, Libere egit, dixit, Appare: ita ut potius intercessionem adducat: cui consonum est illud, Exaltare.* Psal. cvi. 22. nbi legunt LXX. *Sacrificent sacrificium laudis. Aquila vero* (inqnit) *clarius exponit; Sacrificium gratiarum actionis: declarans illud Novi T. sacrificium rationale & incruentum, quod Eucharistiam appellare solemus.* Ad cxlix. 6. ubi LXX. *Gladii ancipites in manibus eorum. Aquila* (inquit) *artificiosius* (ὀξυπυκτικώτερον) *habet: Gladius orium in manu eorum. Etenim alibi dicitur: Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ.* Scripsit *Theodorus Heracleota* sub Imp. *Constantio.*

8. [a] Cyrillus, Episc. *Hierosolymitanus*, Interpretes LXX. separatim in Cellulis totidem, Spiritûs S. afflatu Translationem confecisse, juxta fabulam vulgarem, scribit: eorumque interpretationem, tacitis cæteris, *Catechumenum* suum legere jubet: τούτων τὰς εἴκοσι δύο βίβλους ἀναγίνωσκε· *horum libros duos atque viginti legito.* Librorum tamen sacrorum numerum, non secundum LXX. sed secundum *Hebraicum* constituit, &, ut xxii. duntaxat numerentur, monet, *esse juxta HEBRÆOS Regnorum tantum libros duos, Paralipomenon unicum, & Esdræ unicum.* [a Catech. IV.]

9. *Multos*, qui ante hæc tempora in librum *Psalmorum* ediderant Commentaria, Versionem LXX. *Hebraico* cæterisque Interpretationibus posthabuisse, testatur B. *Hilarius*, Enarratione Psalmi cxviii. *De sequenti versu comperi, multos varia sensisse, eo quod non eadem proprietate à cæteris Translatoribus ex* Hebræo *demutatus esset, ut ab his* LXX. *Interpretibus conscriptus est*: id est, quod *aliter* ab aliis conversus est.

10. Extiterunt hac ætate qui *Hebraicum* textum tam arcte religioseque sunt amplexi, ut τοὺς LXX. reprehenderint, quod, cum legitur in Heb. vixisse Adamum nongentos annos & triginta annos, reddiderint, *triginta & nongentos annos.* [b] *Epiphanius*: καὶ ἔδοξε τοῦτό ἐστι, παρὰ μὲν τοῖς ἑβδομήκοντα δύο ἐλλιπῶς κεῖσθαι· *atque illud ipsum* (annos) *apud* LXXII. *desiderari nonnulli sentiunt.* [b De M. & P. cap. 2.]

11. Epiphanius, Episc. in Cypro *Salaminæ*, in libro *De Mens. & Pond.* divini numinis inspiratione ab Interpretibus per paria in domunculis 36. distributis [c] confectam perhibet; & eorum Versionem cæteris omnibus diserte præfert. Latina tantum hic proferam. *Tu vero quisquis es, studiose, de tota causa statuito; apud quos veritas ipsa reperiri certius possit: utrumnam apud illos tres, Aquilam, Symmachum, & Theodotionem, qui nunquam inter se capita contulerunt, sed privatim singuli suis quisque temporibus, & locorum intervallo dissiti in eam scriptionem incubuerunt; neque plures tribus extiterunt, ac denique secum ipsi concordes esse nequiverunt: an apud* LXXII. *illos priores, qui eodem tempore omnes vixerunt, & interpretati sunt, ac* 36. *domiciliis Regis imperio distributi, nulla inter se communicatione habita, S. Spiritus instinctu Scripturarum interpretationem admirabili consensione sic ediderunt, ut ubicunque perspicuitatis gratia addendum aliquid esset, concorditer adjicerent, cum quæ alterius interpretatio foret penitus ignorarent: rursus vero sicubi dissimulari aliquid oporteret, ex æquo omnes rejicerent, & inter se congruerent. Perinde ac si eundem in locum convenientes, communicato invicem consilio de interpretandi ratione statuissent. Quis non statim* LXXII. *illis palmam veritatis adjudicet? Imo vero si quis veritatis ipsius amorem ad inquisitionem attulerit, non illos Interpretes modo verum etiam Prophetas quodammodo fuisse cognoscet. Nam illi quæcunque inutilia erant, ac supervacanea, interpretando prætererunt. Quæ postmodum Origenes suis locis adscribens Asteriscis notavit. Similiter & quæ ab illis adjecta fuerant tollere noluit, quod necessaria crederet; sed obelos iis omnibus locis, ubi illa repererat, appinxit, ut de eorum lectione constaret.* Quod ad Textum Hebraicum spectat; his verbis notatu hoc dignum est, [c Vide supra lib. II. c. 6.]

eſt, quod quicquid intercedit diſcrepantiæ inter Codicem *Hebraicum* & Interpretationem LXXviralem, id *Hebraico* non adſcribit, ſed ipſis *Interpretibus*. Neque illi unquam in mentem venit, *corruptum* fuiſſe textum *Hebraicum*. Sic paulo ante: *Nam* LXXII. *voces iſtas* (quæ obelis notatæ ſunt) *addiderunt ex ſeſe, non fruſtra tamen, ſed utiliter, ac cum fructu. Etenim ſicubi manca ac defecta eſſet oratio, nonnullis adjectis, plurimum ei lucis attulerunt: ut illos non ſine S. Spiritus afflatu ad ſcribendum acceſſiſſe credibile ſit. Siquidem quæ neceſſaria non erant iiſdem verbis repetere noluerunt. Quoties vero tranſlata ſententia claudicare videbatur, tum nonnihil adjecerunt. Qua in re admiratione potius, quam reprehenſione digni ſunt: adeoque collaudandi; cum illud omne divino quodam conſilio ab illis eſſe factum prudens quiſque non dubitet.*

a Exercit. I. l. 1. c. 3. §. 9. Plurimum fallitur, [a] *Morinus*, cum *Epiphanium* voluiſſe, Codices Hebræos ex Verſione LXX. emendari debere, conficit ex illis quæ in eodem libro tradit de diſpoſitione Hexaplorum Origenis: *Origenes* (inquit) *cum* LXX. *Interpretum accuratiſſimam eſſe perſuaſum haberet, mediam omnium eſſe voluit; ut ad eam utrinque diſpoſitæ cæteræ, tanquam ad amuſſim exigi, redarguique poſſent. Quod unum Origenis inventum longe utiliſſimum fuit.* Loquitur illic Epiphanius de cæteris editionibus *Græcis*, non etiam de *Hebraica*: & editiones de quibus loquitur, *Verſiones* diſerte appellat. Græca hæc ſunt: ἀλλ᾽ Ὠριγένης πυθόμενος τὴν τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἔκδοσιν ἀκριβῆ εἶναι, μέσην ταύτην συνέθηκεν, ὅπως τὰς ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ διελέγχῃ· *ut ad eam utrinque diſpoſitæ cæteræ* VERSIONES, *tanquam ad amuſſim &c.* Hîc non *errorem*, ſed *fraudem* Morini quis non videt ſimul ac deteſtatur? Sed exemplis multis expertus ſum, quam malæ ſit is ſcriptor fidei. Ut Codicum Hebræorum elevare poſſet fidem, nihil veritus eſt ſuam fidem periculo ſubjicere.

b Cap. VII. In eodem libro *Hebraicum* textum appellat [b] Epiphanius Scripturæ *matricem & fundamentum*: Ἔνθα τοίνυν ἡ λέξις εὑρίσκεται παρὰ μὲν τοῖς ἑβδομηκονταδύο κειμένη, ἐν δὲ τῷ Ἑβραϊκῷ μὴ ἀναφερομένη, ἐκ τῆς τοῦ ὀβελοῦ σημειώσεως τοῦ τῇ λέξει παρακειμένου δηλοῦται, ὅτι ἀνήρτηται ὁ λόγος ἀπὸ τοῦ γεννητικοῦ τόπου, ἤτοι τοῦ ἐδάφους τῆς γραφῆς, ὡς μὴ ὑπάρχων ἐν τῷ τόπῳ τῆς βίβλου· *Quare ubicunque dictio quæpiam occurrit, quæ apud* LXXII. *legitur, in Hebræo vero non item, obelus vocabulo huic adjunctus, in* matrice, *& velut* Scripturæ ſolo & fundamento *deeſſe ſignificat, nec eo loco reperiri.*

In alio opere ſuo, nempe in *Ancorato*, Verſionem cujuſdam loci *Aquilanam*
c Cap. 44. LXXvirali anteponit; adque textum *Hebraicum* [c] provocat. Hæ-
d VIII. 22. reticis objicientibus verba illa [d] Proverbiorum: Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ· *Dominus creavit me initium viarum ſuarum in opera ipſius*: poſt alia ſic reſpondet (ut partim ante ipſum *Euſebius*) Ἀλλὰ καὶ φύσει παρὰ τοῖς ἑρμηνευταῖς οὐχ οὕτως ἐκδέδοται ἡ λέξις· Ἀκύλας μὲν γάρ φησι, Κύριος ἐκτήσατό με· ἐπειδήπερ ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ λέγει, ἀδωναῒ κανάϊ. ὅπερ τοῦτο ἑρμηνεύεται, ὅπερ εἰρήκαμεν. καὶ ἡμεῖς δὲ κατὰ τὴν συνήθειαν λέγομεν περὶ τῶν γενομένων, ἐκτήσατο τέκνα, ἀλλ᾽ οὐδὲ οὕτω τὴν δύναμιν τῆς ἑρμηνείας ἐσφράγισε· τὸ γὰρ, ἀδωναῒ κανάϊ, καὶ οὕτω δύναται ἑρμηνεύεσθαι, Κύριος ἐνόσσευσέ με. καὶ διὰ τοῦτο ὁ Πέτρος σαφῶς διαγορεύει λέγων, τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε. *Imo vero proprie loqui ſi velimus, apud Interpretes non ita lectio iſta concipitur. Nam Aquila ſic reddidit*: Dominus poſſedit me. *Quandoquidem in Hebræo ſic legitur*, Adonai canai. *Quod ita, uti diximus, interpretari poſſumus. Sed & nos cum de ſuſceptis liberis agimus, dicere ſolemus; poſſedit liberos. Qui quidem ſenſus loci illius ſententiam non ſic obſignavit, ut alius accommodari nequeat. Quippe eadem illa*; Adonai canai (*leg.* Canani) *explicari hoc modo poſſunt*:
e Cap. 25. *Dominus quaſi pullum genuit me. &c.* Rurſus in *Panario*, ad Hæreſ. [e] LXIX. quæ *Arianorum* eſt: Ὅμως δὲ καὶ οὗτοι τὰς λέξεις τὰς Ἑβραϊκὰς οὔτε ψηλαφήσαντες, οὔτε γνόντες, οὐδὲ πῶς ἔχει ἡ τούτων δύναμις, παραλλήλως καὶ παρεμπταῖς ἀνέκυψαν

κινήτων δεινοὶ ἐχθροὶ, ζητοῦντες πρόφασιν, πόθεν τὴν πίστιν λωβήσωσι μᾶλλον ἢ ἑαυτούς· οὐ γὰρ τὴν ἀλήθειαν. καὶ ἐπειδὴ εὗρον, ὅτι ὁ Κύριος ἔκτισέ με, ῥεμβονοούμενοι ὥσπερ φαντιφαζόμενοι ὀνειροπολοῦσι, τὰ μηδὲν χρήσιμα ἐπισυνέγκαντες τῷ βίῳ, καὶ ταράξαντες τὴν οἰκουμένην. τὸ δὲ Ἑβραϊκὸν οὐχ οὕτως ἔχει· ὅθεν Ἀκύλας λέγει, Κύριος ἐκτήσατό με. ἀεὶ δὲ οἱ γεννῶντες παῖδας λέγουσιν, ἐκτησάμην υἱόν. ἀλλ' οὔτε Ἀκύλας τὴν δύναμιν ἡρμήνευσε. καὶ γὰρ τὸ, ἐκτησάμην υἱὸν, ὡς πρόσφατόν ἐστιν. ἐν Θεῷ δὲ οὐδὲν ἔνι πρόσφατον. —— ἐν δὲ τῷ Ἑβραϊκῷ λέγει, Αδωναΐ, ὁ λέγεται Κύριος, Καναΐ, δύναται λέγεσθαι, καὶ ἐνόσσευσέ με, καὶ ἐκτήσατό με. τὸ δὲ ἀκριβέστατον λέγεται, ἐνόσσευσέ με. &c. *At isti cum Hebraicas voces ne attigerint quidem, aut ulla earum cognitione perfusi sint, neque quid sibi velint intelligant, temere ac petulanter vehementes hostes insurgunt, occasionem undique captantes, qua fidem nostram, vel seipsos potius (nihil enim adversus veritatem possunt) quacunque ratione labefactent. Unde cum ita scriptum reperissent:* Dominus creavit me, *insubide, ac sine ullo judicio, velut per somnium, visa nescio quæ sibi finxerunt, atque inania quædam introduxerunt, quibus terrarum orbem magnopere perturbarunt. Cæterum HEBRAICE longe aliter legitur: ideoque sic Aquila interpretatur:* Dominus possedit me. *Solent enim qui liberos suscipiunt vulgo dicere: possedi filium. Quanquam ne Aquila quidem vim satis expressit. Nam illud,* possedi filium, *recens aliquid ac novum significat: cujusmodi in Deo nihil est. —— Jam vero Hebraice ita legitur;* Adonai, *hoc est* Dominus, canani, *hoc est,* velut pullum edidit me, *vel* possedit me. *Multo autem commodius est, ut priore modo reddatur; tanquam pullum edidit me.* Ex nova hac sua *Hebraici* verbi interpretatione, probat Christum esse verum Deum: nam ut *pullus*, inquit, *pullum* gignit, sic *Deus Deum.* Ἵνα δὲ καὶ ἑρμηνεύσωμεν τὴν τοῦ Αδωναΐ Καναΐ λέξιν, ὅπερ ἐστὶ Κύριος ἐνόσσευσέ με· πᾶν γὰρ τὸ γεννῶν, ὅμοιόν τι γεννήσει· ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ, καὶ Θεὸς Θεόν. *Atque ut voces istas interpretemur,* Adonai canani, *hoc est Dominus tanquam pullum edidit me; quicquid alterum gignit, simile utique sibi gignit. Ergo & homo hominem gignit, & Deus Deum. &c.*

Hær. LXV. 4. contra *Paulum Samosatenum* ex textu *Hebraico* disputat: "*Sic igitur apud Davidem* [a] *pronunciat.* Ex utero ante Luciferum genui te: *uti* LXX. *Interpretantur. Ex aliis autem Editoribus, Aquila ita reddidit:* Ab utero diluculo excitato tibi ros pueritiæ tuæ: *Symmachus porro;* Velut diluculo roris juventus tua. *Theodotio vero;* Ex utero à matutino tempore juventutis tuæ. *At Quinta Editio:* Ex utero ab diluculo tibi ros in juventute tua. *Sexta porro Editio:* Ex utero quærent te, ros juventutis tuæ. *Postremo in HEBRÆO:* Merem, messaar, lactal, jeledecheth. *Quod manifeste ac citra ullam ambiguitatem id ipsum significat:* Ex utero ante Luciferum genui te. *Vox enim illa,* Merem, *idem est atque,* è ventre: messaar *vero,* diluculo præ omnibus, *hoc est,* ante Luciferum: lactal, *id est,* atque ante rorem puerum: jeledecheth *denique idem est ac,* genui *te. Ut ex eo sermone cognoscas, Deum verbum hypostasi propria præditum à Patre esse genitum, nullo neque initio, neque tempore, priusquam aliquid aliud existeret.*

12. Basilius, Episc. *Cæsariensis*, apud *Comitoli Catenam in Job*, edisserit illa verba, [b] quibus optat *Job, liceret sibi manus inferre*: & longum [c] quoque sermonem quem Uxor ejus cum illo miscere [d] dicitur: quanquam in Codicibus *Hebraicis* non compareant. Citat [e] etiam ex LXX locum istum [f] *Deuteronomii* ubi dicitur, constitutum fuisse gentium numerum juxta numerum *Angelorum Dei*, quamvis sermo *Hebræus* habeat: *juxta numerum filiorum Israel.*

Idem tamen *Homil.* IV. *in Hexaem.* verba quædam τῶν LXX. rejicit, ut superflua, & quoniam in *Hebræo* non legebantur. [g] *Et factum est ita*] *Satis fuerat id adjecisse ad indicandum opificis vocem in opus mox exiisse. In nonnullis vero exemplaribus accedit & hoc: Et congregata est aqua, quæ*

a Pf. 109. 3.

b XXX. 24.

c Ejusdem explicatio per Basilium extat quoque in Catena *Junii.*

d II. 9.

e Adv. Eunomium l. 3. p. 79.

f Cap. 32.

g Gen. I. 9.

sub cœlo erat in congregationes suas, & apparuit arida. Quæ neque alii Interpretes tradiderunt, & neque usus contextus Hebraici habere conspicitur. Revera enim post illud testimonium: Et factum est ita; redundans est & supervacanea hæc enarratio. Quin & eadem in exemplaribus exactiore diligentia descriptis confossa leguntur, & Obelo jugulata. Est vero Obelus reprobationis nota. ἅπερ οὔτε τινὲς τῶν λοιπῶν ἐκδεδώκασιν ἑρμηνέων, οὔτε ἡ χρῆσις τῶν Ἑβραίων ἔχουσα φαίνεται. καὶ γὰρ τῷ ὄντι περιελκὲς μετὰ τὴν μαρτυρίαν τοῦ, ὅτι ἐγένετο οὕτως, ἡ τῶν αὐτῶν πάλιν ἐπεκδιήγησις. τὰ τοίνυν ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων ὠβέλισται. ὁ δὲ ὀβελὸς ἀθετήσεως σύμβολον. Posteriora ista: *Quin & eadem in exemplaribus &c.* ab *Eustathio* Interprete veteri non agnoscuntur: sed ideo forsan illa omisit, quia non intellexit. In omnibus Græcis exemplaribus leguntur. Quod dicit *Fronto Ducæus* Basilium ea *inter concionandum non videri prolaturum*, me minime movet, quandoquidem in hac ipsa *Concione* [a] tractentur etiam *Geographica*. Certe ab ingenio illius *Homiliarum* in *Hexaemeron* id neutiquam abhorret. Sic rursus in *Homilia* III. Geographica multa occurrunt. Et in *sexta* prolixe disputatur adversus *Chaldæos* & *Genethliacos*. Quicquid sit de verbis istis; ex reliquis id, quod diximus, satis patet.

a Vide p. 37.

Homilia II. ad *Syrorum* Versionem (quæ ex Hebræo facta est) appellat: & si non illam LXXvirali prætulerit, quod omnino facere videtur, saltem ad textum *Heb.* confugiendum semper esse, exemplo suo monet præcipitque. πῶς οὖν ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος; ἐρῶ σοι οὐκ ἐμαυτοῦ λόγον, ἀλλὰ Σύρου ἀνδρὸς σοφίας κοσμικῆς τοσοῦτον ἀφεστηκότος, ὅσον ἐγγὺς ἦν τῆς τῶν ἀληθινῶν ἐπιστήμης. Ἔλεγε τοίνυν τὴν τῶν Σύρων φωνὴν ἐμφατικωτέραν τε εἶναι, καὶ διὰ τὴν πρὸς τὴν Ἑβραΐδα γειτνίασιν μᾶλλον πως τῇ ἐννοίᾳ τῶν γραφῶν προσεγγίζειν· εἶναι οὖν τὴν διάνοιαν τοῦ ῥητοῦ τοιαύτην &c. *At quonam pacto dixeris, Super aquas hic ferebatur? Equidem non meam tibi, sed viri cujusdam Syri sententiam recensebo, qui tantum à sapientia mundi distabat, quanto verarum scientiæ rerum propinquior erat. Aiebat igitur ille Syrorum vocem significantiorem atque evidentiorem esse, & ob affinitatem, quam habet cum Hebraica lingua, sententias aliquo modo Scripturarum propius attingere. Itaque talem hujusce dicti sententiam esse dicebat: Verbum hoc*, Ferebatur, *pro confovebat, vitalemque fœcunditatem aquarum naturæ præbebat: sumunt atque interpretantur ad similitudinem aviculæ incubantis, vimque vitalem quandam imprimentis in ea quæ ab ipsa foventur. Talem hunc is prædicabat ea voce sensum signari: Super aquas (inquam) spiritum Dei ferri, id est, ad fœcunditatem vitalem, aquæ naturam ipsam Spiritum S. præparasse.* Credunt viri docti *Syrum* hunc, fuisse *B. Ephræmum Syrum*. *Basilium* autem ipsum probasse hanc explicationem, docent verba quæ proxime sequuntur: ὥστε ἱκανῶς ἐκ τούτου τὸ παρά τινων ἐπιζητούμενον δείκνυσθαι, ὅτι οὐδὲ τῆς δημιουργικῆς ἐνεργείας τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπολέλειπται. *Quare satis per hoc id ostenditur, quod quæritur à nonnullis, nec ab actu creandi Spiritum S. abfuisse.*

Lib. 2. *adv.* [b] *Eunomium*, ait, quosdam ex aliis Interpretibus κυριώτερον *commodius*, sive *magis consentanee*, *Hebraicarum vocum significationem assecutos fuisse*. Et ad *Aquilæ* Versionem de *Prov.* VIII. 22. cum *Eusebio*, *Epiphanioque* confugit. πῶς γε μὴν μηδὲ ἐκεῖνο ἀπαρασημάντον καταλίπωμεν· ὅτι ἄλλοι τῶν ἑρμηνέων, οἱ κυριώτερον τῆς σημασίας τῶν Ἑβραϊκῶν καθικόμενοι, ἐκτήσατό με, ἀντὶ τοῦ ἔκτισεν, ἐκδεδώκασιν. ὅπερ μέγιστον αὐτοῖς ἐμπόδιον ἔσται πρὸς τὴν βλασφημίαν τοῦ κτίσματος. ὁ γὰρ εἰπὼν, ἐκτησάμην ἄνθρωπον διὰ τοῦ Θεοῦ, οὐχὶ κτίσεως τοῦ Κάϊν ἀλλὰ γεννήσεως, πρόδηλος φαίνεται χρησάμενος τῇ φωνῇ. *Interea vero illud non omittamus, nonnullos Interpretum, qui commodius Hebraicarum vocum significationem assequuti sunt*, Possedit me, *pro*, creavit, *edidisse: quod eis maximo erit impedimento ad blasphemiam de creatura. Qui etenim dixit: Possedi hominem per Deum: non quod creavisset Cain, sed quod genuisset, hac usus voce videtur.*

b Pag. 59.

Homil.

Homil. in Psal. XXXVII. *Aquilæ* rursus & *Symmachi* interpretationibus, haud obscure favet. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ*] *Pro ira autem Aquila & Symmachus* (Græca placuit omittere) *concorditer interpretati sunt: A facie fremitus tui. Sufficiebat, inquit, mihi is fremitus qui editur per tuas & quidem augustissimas Scripturas, & per Prophetam Nathan comminatio. Ideo à facie fremitus tui meipsum ita castigavi, ut afflixerim meam carnem vehementer, & ossa mea pacem à facie peccatorum meorum non habeant, pro quo Symmachus, propter peccata mea interpretatur.* Paulo post. *Pro eo, quod dicitur: Lumbi mei impleti sunt illusionibus: Aquila interpretatur: Impleta sunt latera mea ignominia. Ob hæc itaque in memoriam cum venisset ejus turpissimi facti, & pars animæ sensitiva doleret, hæc dixit: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Sed cur putruerint, addit, dicens: Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. VEL: Latera mea ignominia.* Rursus: *David igitur post hæc ait: Rugiebam à gemitu cordis mei: vel secundum Aquilam, Fremebam a fremitu cordis mei.* Comment. in [a] Es. *Sed enim pro, magno die: reliqui Interpretes reddiderunt vocatam sive accersitam* (κλητὴν) — *quare non existimamus, diem hunc* magnum *dictum esse ut præcipuum & eximiæ cujusdam celebritatis: sed omnem omnino diem sic vocatum esse, nempe κλητήν.* Ibid. ad cap. III. *Alter quidam dilucidius vertit dicens pro lunulis, torques, & pro monili exposuit, catenulas se invicem complectentes.*

[a] Pag. 837.

Ad Esaiæ cap. X. observat S. Paulum, [b] ut *Hebræum*, ex Hebræo testimonia proferre & Translationi *non serviliter se addixisse* (οὐ δουλεύειν) illiusque cujusdam loci versioni magis convenire interpretationem *Symmachi* & *Theodotionis*, quam Interpretum LXX.

[b] Vide supra c. 2. §. 26.

Ibid. ad cap. III. 23. monet vocem κατάκλιτα, Obelo jugulatam fuisse, quod *nullum habuerit sensum.* Καίτοι τὸ κατάκλιτα οὐδὲ ἐκδεδώκασιν οἱ λοιποί· διὸ καὶ ὠβέλισται ὡς οὐδένα νοῦν ἐμφαῖνον· *Jamvero dictionem*, κατάκλιτα, *reliqui Interpretes nequaquam posuerunt; quare obelo obliterata est, quod nullum insinuet sensum.*

Ibid. ad cap. II. commentatur in verba quædam, quæ ipse agnoscit in editione LXX. non lecta fuisse, sed ex aliis Versionibus adjecta: ea hæc sunt: *Quiescite ab homine cui respiratio in naribus ejus, quia in quo reputatus est.* Ἐν τοῖς ἀντιγράφοις (inquit) τῆς κοινῆς ἐκδόσεως οὐ κεῖται τοῦτο, ἀλλ' ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ κείμενον ἐκ τῶν λοιπῶν μετεκομίσθη· ὁ δὲ νοῦς τοιοῦτός ἐστιν. &c. *In exemplaribus communis editionis minime apponitur hæc particula: sed in Hebraico positum à reliquis Interpretibus tralatum est. Sensus vero talis est. &c.*

Homilià denique in Psal. XLVIII. pro verbo, quod Interpretes LXX. posuere, aliud ex aliis Translatoribus substituit, illudque edisserit: εἰσελεύσῃ ἕως γενεᾶς πατέρων αὐτοῦ· *introibis usque in progenies patrum.* Ut sic legatur, non vero εἰσελεύσεται *introibit*, exigit explanatio, quæ sequitur: τοσοῦτον οὖν, φησὶ, παραμένει σοι ὁ Θεός· *tantum igitur, inquit, aderit TIBI Deus.* Quod & animadverterunt Interpres Latinus & *Fronto Ducæus.* εἰσελεύσῃ vero fuisse lectionem non LXX. Seniorum, sed *Aquilæ, Symmachi*, & *Theodotionis*, monet *Theodoretus.*

Correxit idem Scripturarum volumen, uti discimus à [c] *G. Syncello.* Διὰ τὸ πάντα σχεδὸν τὰ ἀντίγραφα, τὸν Φακεὲ υἱὸν Ρομελίου, ἢ ιη', ἔτη, ἢ κ', λέγειν κεκρατηκέναι τῶν ἐν Σαμαρείᾳ ι', φυλῶν. ἐν ἑνὶ δὲ ἀντιγράφῳ λίαν ἠκριβωμένῳ, κατά τε στιγμὴν καὶ προσῳδίαν, ἐκ τῆς ἐν Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας ἐλθόντι εἰς ἐμὲ βιβλιοθήκης, ἐν ᾧ καὶ ὑπεγέγραπτο, ὡς ὁ μέγας καὶ θεῖος Βασίλειος τὸ, ἐξ οὗ ἐκεῖνο ἀπεγράφη, ἀντιβαλὼν διωρθώσατο βιβλίον· ἐν τούτῳ οὖν εὗρον κη', ἔτη τῆς βασιλείας Φακεέ. *Quod Phacee filium Romeliæ, vel annis 18. vel certe 20. Tribuum 12. regnum in Samaria tenuisse cuncta fermo exemplaria testentur: alius tamen Codex ob summam cum punctorum* (*accentuum*, vertit *Goarus*) *tum prosodiæ integritatem commendatus & ex Cæsariensi Cappadociæ bibliotheca*

[c] Chron. p. 203

theca ad manus meas delatus, cujus insuper præfixa inscriptio docuit libros illos, è quibus exscriptus fuerat, a magno Basilio collatos correctosque fuisse: Codex, inquam, ille annos Phacee regno assignandos 28. repræsentat.

13. GREGORIUS, Antistes *Nyssenus*, *Basilii* magni Frater, in Tract. [a] *De Psalmorum inscriptionibus* Versionem LXXviralem vocat τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἔκδοσιν *Ecclesiasticam editionem*: & Psalmorum *Inscriptiones*, quæ in ea habentur, sed non in libris Judæorum, ait ideo à Judæis non receptas fuisse, quia quædam mysteria pro Christianis contra ipsos facientia continerent: ταύτην τοίνυν τὴν διαφορὰν ἐν τοῖς ἀνεπιγράφοις κατενοήσαμεν. τοῖς μὲν γὰρ αὐτῶν &c. *Hanc ergo in Psalmis, inscriptione carentibus, differentiam reperimus, quia nonnullis loco inscriptionis est ipsa totius Psalmi sententia, quibus & apud nos, & apud Hebræos commune est, ut alia inscriptione quæ sequuntur, non insigniantur, quam ipso, qui verbis Psalmi subjicitur sensu: Aliis autem præfiguntur inscriptiones, sed Ecclesiasticæ & mysticæ, mysteriique, quod ad nostram pietatis disciplinam pertinet, significatrices, sed apud Hebræos non sunt, convenienter videlicet illi in Evangelio adversus ipsos accusationi:* [b] *Quoniam legem tulerunt, ut si quis confiteatur Christum, extra Synagogam fiat. Quascunque igitur Inscriptiones ipsi animadvertunt continere demonstrationem quandam mysterii Dominici, illas repudiarunt. Qua de causa accurate etiam verba, quæ lectioni Inscriptionis Ecclesiasticæ præfixa sunt, monent, & contra illos notant, hujusmodi Psalmos apud Hebræos inscriptionibus carere. &c.* Voluitne *Nyssenus*, Inscriptiones ob hanc rationem à Judæis è codicibus suis *Hebraicis elisas* fuisse, an in Græcas suas editiones ex LXXvirali non fuisse receptas, haud satis liquet. Ἑβραῖος οὐ δέχεται, *Hebræus eas non recipit.* Sic sæpius. Alibi: φεύγει ὁ Ἰουδαΐζων τὴν τῆς ἐπιγραφῆς συγκατάθεσιν· *Judæus Inscriptionem approbare recusat.* In aliis locis, σεσίγηται, *tacitas esse* ab illis Inscriptiones, dicit. *Sed clarior*, inquit, *& dilucidior hujus rei demonstratio erit, si paucis quosdam Psalmos Inscriptionis expertes, quasi in transcursu inspiciamus.* ὡς ἂν ἡ κατηγορία τῆς τῶν Ἰουδαίων ἀγνωμοσύνης δι' αὐτῆς τῆς ῥητῶν θεωρίας τὸ πιστὸν ἔχῃ. Quæ Interpres sic reddit quasi *perfidiæ* Judæos insimularet in Inscriptionibus *elidendis*: *Ut reprehensio & accusatio, quam in* perfidos & *insipientes Judæos instituimus, ex ipsa verborum & sententiarum consideratione confirmetur, fidemque sibi conciliet.* At vero sufficit, si illorum *insipientiam*, voce ἀγνωμοσύνης, perstringi intelligamus. *Hesychius*: Ἀγνώμων, ἀνόητον, ἀλόγιστον. Ἀγνώμονες, ἄβουλοι, ἀσύνετοι, ἐναντιογνώμονες, ἀναίσθητοι, ἀσύμψηφοι. Ἀγνωμόνως, ἀνοήτως. *Harpocration*: Ἀγνωμόνως, ἀντὶ τοῦ ἀλογίστως καὶ ἀβούλως. Δημοσθένης ἐν τοῖς Φιλιππικοῖς. *Pollux*: ἀγνωσία. Ἀντιφῶν δὲ ἐπὶ τούτου, καὶ ἀγνωμοσύνην λέγει.

[b] Jo. 9.

Quicquid sibi hac de re voluerit: Constat illum Hebraico Textui posthabuisse Versionem, cæterisque quoque Græcis Interpretibus non parum auctoritatis tribuisse: quod modo ostendimus fecisse *Basilium*, fratrem ejus natu majorem, quo *ut patre magistroque* se usum [c] scribit. In lib. II. contra *Eunomium*, de loco illo Proverbiorum, quod urgebant Hæretici, Κύριος ἔκτισέ με &c. eodem modo respondet, quo ante illum *Basilius*, *Eusebius*, *Epiphanius*, non recte versum fuisse. Λέγουσι γὰρ καὶ τοῦτό τινες τῶν δι' ἀκριβείας τὰ θεῖα πεπαιδευμένων, ὅτι οὐ γέγραπται παρ' Ἑβραίοις. τὸ ἔκτισεν· καὶ ἡμεῖς ἐν ἀρχαιοτέροις βίβλοις ἀνέγνωμεν, ἐκτήσατο γεγραμμένον, ἀντὶ τοῦ ἔκτισέ με· *Quidam enim in divinis Scripturis accurate & diligenter instituti & versati dicunt, apud Hebræos non scriptum esse*, creavit: *nos etiam in vetustioribus libris* (in quibus? an in LXXviralibus?) *scriptum legimus* ἐκτήσατο *possedit, pro* ἔκτισέ με *creavit me.* Addit vero, *quod si quis in Ecclesiis prævalentem lectionem in hac parte objiciat, ipse hoc verbum* ἔκτισε *non rejiceret.* εἰ δέ τις καὶ τὴν ἐπικρατοῦσαν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀνάγνωσιν ἐν τῷ μέρει τούτῳ προβάλλοιτο, οὐδὲ τὴν, ἔκτισεν, φωνὴν ἀποβαλλόμεθα.

[a] In Psal. c. 8.

[c] De hominis Opificio.

Homilia

Homilia II. in Cantica Cant. de *imbecillitate* LXX. Interpretum conqueritur, & ad textum *Heb.* confugit. *Filii autem matris meæ pugnaverunt in me*] *In hoc mihi attente præbeantur aures, non in accurate discutienda dictionis constructione, sed in consideranda sensus connexione. Quod si is non sit accurate connexus, id imputetur imbecillitati interpretationis eorum, qui linguam Hebraicam transferunt in vocem Græcam. Ii enim qui studium posuerunt ut erudirentur in sermone Hebræo, nihil inveniunt ejusmodi, ut videatur non cohærere ac à se invicem dependere. Linguæ autem nostræ figurata locutio, non conveniens elegantiæ linguæ Hebreæ, affert quandam confusionem iis qui sequuntur in superficie significationem dictionis.* Si quis Græca velit in loco tam luculento, hæc sunt; εἰ δέ τι μὴ ἀκριβῶς συνηρτημένον συμφράσεως τῇ ἀσθενείᾳ λογιζέσθω τῶν τὴν Ἑβραίων γλῶτταν μεταβαλλόντων εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνήν· οἷς γὰρ ἂν ἐπιμέλεια γένοιτο παιδευθῆναι τὴν Ἑβραίων διάλεκτον, οὐδὲν εὑρίσκεται τοιοῦτον, οἷον δοκεῖν ἀσυναρτήτως ἔχειν· ὁ δὲ σχηματισμὸς τῆς ἡμετέρας γλώττης, μὴ συμβαίνων τῷ σχηματισμῷ τῆς Ἑβραϊκῆς εὐγλωττίας, σύγχυσίν τινα τοῖς ἐπιπολαιότερον ἀκολουθοῦσι τῇ σημασίᾳ τῆς λέξεως ἀπεργάζεται.

Homil. XIII. in eundem librum, *ignorantiæ* eos videtur accusare. *Caput ejus aurum Cephaz*] *Vox autem illa Hebraica, si nostram in linguam transferatur, aurum purum & intactum significat, quodque omni mixtura caret. Atque hanc vocem non conversam mihi reliquisse propterea videntur, qui hæc de Hebræis Græca fecerunt, quod non reperirent in lingua Græca vocabulum ullum, quo emphasis Hebraici nominis enunciari possit. Nos autem, cognito, vocem hujusmodi significare quoddam sincere purum, quodque nullam sordidæ materiei mixturam admittat: hoc ut de dicto proposito statuamus, adducimur, nimirum corporis Ecclesiæ caput esse Christum.*

Homilia eadem, ad verba: *Jurejurando adstrinxi vos, filiæ Hierusalem, in potestatibus ac viribus agri*: aliûs Interpretis Versionem tanquam *necessariam* ad loci sensum explorandum adhibet, illamque LXXvirali evidenter præfert: οὐκοῦν ἀναγκαῖον ἂν εἴη παραθέσθαι πρὸς τὴν σαφήνειαν τῶν προκειμένων ἑτέραν ἔκδοσιν ἑρμηνευτικὴν τῶν ῥητῶν, ἔχουσαν οὕτως· ὥρκισα ὑμᾶς, θυγατέρες Ἱερουσαλήμ, κατὰ τῶν δορκάδων καὶ κατὰ τῶν ἐλάφων τοῦ ἀγροῦ. &c. *Equidem necessarium arbitror, ut ad declarationem loci propositi aliam Editionem hæc verba interpretantem apponamus, quæ quidem est hujusmodi: Jurejurando adstrinxi vos, filiæ Hierusalem, per* capreas *& per* hinnulos *agri. Per quæ vocabula docemur, in quo tum robur mundi hujus, tum vis sita sit: quæ quidem ad confirmationem veritatis in juramento adhibentur. —— Itaque duplicis hujus bonorum habitus vim nobis quasi per quædam signa* caprearum *&* hinnulorum *mentio declarat. Nam ex his altera sine errore cernit, alter vim comedendi & absumendi venenatas bestias habet. &c.*

Libro *in Hexaemeron*, *Aquilæ* interpretationem potius quam LXXviralem, vel saltem æque, amplectitur. τάχα πως προσεγγίζομεν τῇ ὑψηλῇ τοῦ Μωσέως φωνῇ, ὅς φησιν· Ἐν κεφαλαίῳ (τοῦτο γὰρ ἀντὶ, τοῦ ἀρχῆς, Ἀκύλας ἐκδέδωκε) πεποίηκε παρὰ τοῦ Θεοῦ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. &c. *Aliquo modo fortasse ad excelsam Mosis vocem accedimus, qui,* In summa, *inquit,* (*sic enim Aquila pro,* In principio, *vertit,*) *fecit Deus cælum, & terram. —— Utriusque autem vocis una significatio est.* Principium *enim, &* Summa *æque declarant* simul. *Quare per,* summam, *ostendit omnia simul fuisse procreata: & per,* principium, *cuncta, momento, & sine ullo temporis spatio facta fuisse significat.*

In eodem rursus libro, reliquorum Interpretum Versiones tanquam *clarius* rem exponentes in medium adducit, easque edisserit: *Etenim ex eo quod* invisibilem *fuisse terram dicit Scriptura, nec aliam ullam in ipsa qualitatem fuisse demonstrat. Quod autem* incompositam *vocat, indicat eam nondum corporeis proprietatibus fuisse concretam & condensatam. Hoc autem ex* Symmachi, & Theodotionis, & Aquilæ *interpretatione* cla-

rum *fit* (ἀωφωνίζεται) *cum primus eorum dicat*: Terra autem erat iners, & indistincta: *alter autem*; Erat inanis & nulla: *tertius vero*; Erat nihil, & nihilum. *Ex his enim ut ego quidem sentio, intelligitur terra, ex eo quod* iners *esset, nondum actu fuisse, sed sola potestate. Quod autem* indistincta, *nondum singulas qualitates inter se proprie fuisse separatas, sed orbem universum in confusa quadam & indistincta qualitate, cum nec color, nec figura, nec moles, nec amplitudo, nec ulla alia ejusmodi qualitas propria ratione distincta in subjecto cerneretur. Idem significat nobis, inanis & nulla. Nam voce illa,* inanis, *vis qualitatis separans indicatur, ut intelligamus mundi conditorem potestatem susceptricem produxisse, quæ quidem inanis erat, & in se nihil continebat, antequam qualitatibus compleretur.* De tertia interpretatione, quæ *Aquilæ* est, ait se eam non probare, & *sine consideratione relinquere, tanquam ex Epicuri deprompta Philosophia.*

Apud *Catenam in Cantica V. & N. Testamenti*, in verba illa Cantici Mosaici: *Adhortatus es fortitudine tua in habitaculum sanctum tuum*] *hoc est portasti* (inquit) *sic enim Symmachus interpretatus est.*

Catena in Pentateuchum, ad illud Exodi IX. *Mitte nunc & congrega jumenta tua*: videtur hoc Scholion *Gregorio* nostro adscribi. *Quod si quis dicat, at si jamdudum omnia animantia pestis confecerat, ut in quinta plaga narratur, quibus nunc jumentis cavendum præcipitur? Animadvertat is vulgarem Translationem abuti verbis & significationibus. Omnia enim tunc pecora, quæ oberrabant in agris, non omnia animantia, mortua sunt, sicut* Hebraica *verba sonant, alioqui in quæ etiam jumenta sævissent Vesicæ & Ulcera, nisi pecoribus atque jumentis, quæ continerentur in stabulis pestis, illa pepercisset?*

14. Apollinarius, *Apollinarii F.* Episcopus Laodiceæ, non modo citat cæterorum Græcorum Interpretum Translationes, apud *Catenam in Psalmos*, & *Syriacam* apud *Scholia Nobiliana* in [a] Dan. & *Hebræum* ipsum apud *Catenam in* [b] *Job*, verum etiam in libris *adversus Porphyrium, Susannæ, Belis ac Draconis* fabulas ullam Scripturæ sanctæ auctoritatem habere negavit, ob hanc rationem, quia in *Hebræo* non continentur. Auctor est [c] *Hieronymus*. Qui idem testatur illum in Scripturæ expositionibus, Interpretum omnium Versiones indifferenter sequi solitum fuisse, & solos LXX. sectari fuisse *dedignatum*. Lib. II. adv. Ruff. *Origenes in omnibus libris suis post* LXX. *Interpretes, Judæorum translationes explanat & edisserit. Eusebius quoque & Didymus idem faciunt. Prætermitto Apollinarium, qui bono quidem studio, sed non secundum scientiam de omnium translationibus in unum vestimentum pannos assuere conatus est: & consequentiam Scripturæ, non ex regula veritatis, sed ex suo judicio texere.* Comment. in Eccles. XII. *Symmachus nescio quid in hoc loco sentiens, multo aliter interpretatus est. Super hæc enim de excelso videbunt, & terror erit in via, & obdormient vigilantes, & dissolvetur Spiritus fortitudo. Ibit enim homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes. Cujus interpretationem Laodicenus secutus, nec Judæis placere potest, nec Christianis* (laxius hic intelligendus est Hieronymus) *dum & ab Hebræis procul est, & sequi* LXX. *Interpretes dedignatur.* Ex his *Hieronymi* locis exorta est inter viros literatos opinio, edidisse *Apollinarium* Instrumenti Veteris *Versionem* novam, ex Interpretum omnium Versionibus conflatam. Sed *errorem* hoc esse vulgarem, & loqui *Hieronymum* de illius tantum Scripturæ *explanationibus*, ostendimus [d] alibi. Fuisse illum linguæ *Hebrææ* scientem testatur [e] *Philostorgius*.

15. Didymus Alexandrinus, Scholæ Catecheseon Alexandriæ præfectus, aliorum, præter LXX. Interpretum Versiones explanare solebat, ut in loco modo citato scribit *Hieronymus*. Et eas nonnunquam LXXvirali non obscure præfert. In Psal. LXXXIX. 8. apud *Catenam*: *Posuisti*

[a] Cap. 2.
[b] Pag. 77.
[c] Procem. Com. in Dan. Vide verba supra cap. 4.
[d] Lib. 4. cap. 1. quod est de variis Græcis Versionibus.
[e] Hist. Eccles.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo] *Manifestius Symmachus*, *cum ait*: *Tradidisti etiam negligentias nostras* &c. Ad CVI. 22. *Et sacrificent ei sacrificium laudis*] *Non sacrificia per Mosen denuntiata sed per Novum T. tradita. Aquila igitur exactissime* (ἀκριβέστατα) *intepretatus est dicens*: *Et sacrificent sacrificium Eucharistiæ*; *perspicue per istiusmodi interpretationem declarans illa rationalia atque incruenta Novi T. sacrificia*, *quæ Eucharistias nuncupare solemus.* De *Didymo* dicit [a] *Palladius*, quod *omnes veteres superavit cognitione.* Et [b] *Hieronymo* appellatur *vir sui temporis eruditissimus*: quamvis ab infantia *cæcitate* laboravisset; hinc *Cæcus* cognominatus.

[a] Hist. Lauf.
[b] Procem. in Oseam.

16. DIODORUS, Episcopus *Tarsensis*, apud Scholia Editionis τῶν ό. Romanæ, lectionem *Hebraicam* & *Syriacam*, rejecta LXXvirali, complectitur. Ad illud Gen. XXXVII. 2. *Detulerunt* (κατήνεγκαν) *autem Joseph crimine malo ad Israel patrem ipsorum*: hæc adnotat; ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος ἀντὶ τοῦ κατήνεγκαν, κατήνεγκεν ἔχουσι, τουτέστιν, ὁ Ἰωσὴφ διέβαλε τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρὶ ὡς οὐκ εὐτάκτους ὄντας· *Syrus & Hebræus pro*, *detulerunt*, *habent*, *detulit*: *id est*, *Joseph criminatus est fratres patri*, *tanquam non bene moratos & compositos.* At unde constat illum hanc lectionem alteri prætulisse? ex istis quæ sequuntur. ὅθεν καὶ ἐμισήθη παρ' αὐτῶν· *quare etiam ab illis in odio HABEBATUR.*

Sic apud *Catenam in Pentateuchum*, ad Gen. XVII. *Masculus*, *cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, *delebitur anima illius de populo suo*] *Quid vero*, *an infans incircumcisus peribit*? *Est enim parentum ut octavo die circumsecetur. Codex igitur apud* Syros *ita se habet*: *Quicunque non circumcidit*, *peribit*: *cum* Hebræorum *faciens Scriptura.*

Ad Gen. I. ab *Hebraicæ* dictionis vi instituit explicationem. *Hebraica* dictio, pro qua nos (i. e. Versio Græca) *repofuimus*, ferebatur, *illud per se videtur significare*, *quod à gallina*, *dum fovet ova*, *docemur*, *quæ alis illa leviter attrectans*, *vitalia reddit. Ita enim Spiritus ferebatur super aquas*, *ut suo illas tempore animaret.*

Ad cap. II. Explanationem suam ex *Symmacho* & *Theodotione* confirmat. *Hoc nunc os ex ossibus meis*] *cum multa nos alia tum hæc maxime monent*, *Adam fuisse multiplica gratia refertum*, *qui cum mulierem*, *dum conformaretur*, *non vidisset* (*dormiebat enim*) *simul tamen producta illi est à Deo*, *agnovit*, *vaticinaturque*, *nullam præterea mulierem ex homine orituram quomodo de se prodisset Eva. Id enim est*, *quod illa verba sonant*: *Hoc nunc os ex ossibus meis*: *quemadmodum vero Symmachus & Theodotio interpretantur*: *Hoc* semel *os ex ossibus meis*: *nam aliæ*, *quæ propagabantur mulieres*, *de mulieris virique copula*, *nuptiali lege exorientur.*

Ad cap. XI. observat Hebræam & Syriacam vocem in eo loco non significare, *bitumen*, quod reddunt LXX. sed *calcem*; idque longe probabilius esse, quod bitumen non sit idoneum ædificiis, calx vero iis sit maxime accommodata.

In cap. XV. *Hebraicam* lectionem sibi magis arridere haud obscure docet: *Damascenus apud Hebræos legitur*, *non Damascus*, (*ut apud* LXX.) *quod è Damasco matrem habuerit.* De *Eliezer.*

In cap. XXXIX. lectionem LXXviralem apertissime rejicit. *Si Eunuchus Phutifar*; *quonam pacto duxit uxorem*? *At vero apud* Syros *idem nomen & Eunuchum significat*, *& fidelem domino servum*: *quod Eunuchis omnes opes salusque Regis credebatur.*

Ita ad Exod. I. *Et quia timuerunt obstetrices Deum*, *fecit illis domus*] *Fecit illis domus*, *ita Symmachus & Aquila vertebant*: *non ut* LXX. *illi*; *Fecerunt sibi domus. — Fecit itaque illis domus*, *hoc est*, *adauxit earum genus atque familias.*

17. Joannes Chrysostomus, genere *Antiochenus*, dignitate Patriarcha *Constantinopolitanus*, *Diodori Tarsensis*, tunc Archimandritæ Antiocheni, in Theologicis discipulus, LXX. Interpretationem cæteris omnibus anteponit, ob miraculum LXX. Cellularum, & quia facta est ante Christi adventum, & ob numerum Interpretum. Homil. 5. in Matt. Εἰ δὲ ἐντεῦθεν ἐπιστομισθέντες ἕτερον ζητοῖεν τὸ περὶ τῆς παρθενίας λεχθὲν, καὶ προβάλλοιντο ἡμῖν ἑτέρους ἑρμηνευτὰς, λέγοντες, ὅτι οὐκ εἶπον παρθένον ἀλλὰ νεάνιν· πρῶτον μὲν ἐκεῖνο ἐροῦμεν, ὅτι τῶν ἄλλων μᾶλλον ἁπάντων τὸ ἀξιόπιστον οἱ ἑβδομήκοντα ἔχοιεν ἂν δικαίως. οἱ μὲν γὰρ μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν ἑρμηνεύσαντες Ἰουδαῖοι μείναντες, καὶ δικαίως ἂν ὑποπτεύοιντο, ἅτε ἀπεχθείᾳ μᾶλλον εἰρηκότες, καὶ τὰς προφητείας συσκιάζοντες ἐπίτηδες· οἱ δὲ ἑβδομήκοντα πρὸ ἑκατὸν ἢ καὶ πλειόνων τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας ἐπὶ τοῦτο ἐλθόντες, καὶ τοσοῦτοι ὄντες, πάσης τοιαύτης εἰσὶν ὑποψίας ἀπηλλαγμένοι, καὶ διὰ τὸν χρόνον, καὶ διὰ τὸ πλῆθος, καὶ διὰ τὴν συμφωνίαν μᾶλλον ἂν εἶεν πιστεύεσθαι δίκαιοι. *Si vero hinc confutati atque convicti aliam moverint quæstionem, atque aliter appellationem* virginis *intelligere conentur, aliosque nobis Interpretes proferentes atque dicentes, non dixerunt* virginem *sed* puellam (Prophetæ:) *Primo quidem dicemus illud, quod omnibus aliis Interpretibus jure fide digniores sunt* LXX. *Siquidem alii post adventum Domini interpretati sunt, Judæi siquidem permanentes, meritoque suspecti: quippe qui inimice & subdole multa corruperunt, & data prorsus opera à Prophetis mysteria prædicta celaverint.* LXX. *vero, ante centum, vel eo plus ante Dominicum adventum annos interpretantes, & cum tanti fuerunt viri, ab omni suspicione hujusmodi vindicantur. Atque ob ipsum temporis intervallum, numerumque ac consensum suum, magis fide digni utique fuerint.* Aliis tamen Interpretibus tantum tribuit auctoritatis, ut hæc subjiciat: εἰ δὲ καὶ τὴν ἐκείνων προάγοιεν μαρτυρίαν, καὶ οὕτω τὰ νικητήρια παρ' ἡμῖν. καὶ γὰρ τὸ τῆς νεανιότητος ὄνομα ἐπὶ τῆς παρθενίας εἴωθεν ἡ γραφὴ τιθέναι. &c. *Si vero reliquorum Interpretum testimonium proferre maluerint, sic quoque à nostra proveniet parte victoria. Siquidem Scriptura* puellæ *nomine*, virginem *appellare consuevit. &c.* Homil. IV. in Gen. quamvis dicat per divinam Providentiam translatas fuisse Scripturas, ut non solum Hebraice scientibus, sed toto orbe habitantibus innotescerent, & quamvis illud in numero *miraculorum* ponat, quod *Ethnici* Regis jussu & auspiciis translatæ essent, nullum tamen miraculum inspirationis Divinæ commemorat. πᾶσαι αἱ θεῖαι βίβλοι τῆς παλαιᾶς διαθήκης τῇ Ἑβραίων γλώττῃ ἐξ ἀρχῆς ἦσαν συντεθειμέναι, καὶ τοῦτο πάντες ἂν ἡμῖν συνομολογήσαιεν· οὐ πρὸ πολλῶν δὲ τῶν ἐτῶν τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας βασιλεύς τις Πτολεμαῖος περὶ τὴν τῶν βιβλίων συναγωγὴν πολλήν τινα σπουδὴν ποιησάμενος, καὶ πολλὰ ἕτερα συναγαγὼν καὶ διάφορα ἔγνω δεῖν καὶ ταύτας τὰς βίβλους συναγαγεῖν, καὶ μεταπεμψάμενός τινας τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις Ἰουδαίων μεταβαλεῖν εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν, καὶ δὴ τοῦτο εἰς ἔργον ἐξενήνεκται. ἐγένετο δὲ καὶ τοῦτο τῆς τοῦ θεοῦ οἰκονομίας ἔργον, ὥστε μὴ μόνον τοὺς τὴν Ἑβραίων γλῶτταν κεκτημένους, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς τὴν οἰκουμένην οἰκοῦντας τὴν ἐξ αὐτῶν ὠφέλειαν καρπώσασθαι. καὶ τὸ δὴ θαυμαστὸν καὶ παράδοξον, ὅτι οὐ τῶν Ἰουδαϊκὰ φρονούντων τις τὴν σπουδὴν ταύτην ἐποιήσατο, ἀλλ' ἀνὴρ τοῖς εἰδώλοις προσεστηκὼς, καὶ ἀπεναντίας τῇ θρησκείᾳ διακείμενος. τοιαῦτα γάρ ἐστιν ἅπαντα τὰ ὑπὸ τοῦ δεσπότου τοῦ ἡμετέρου οἰκονομούμενα, ἀεὶ διὰ τῶν ἐναντίων αὔξει τὰ τῆς ἀληθείας προστάγματα. ταῦτα δὲ οὐχ ἁπλῶς διηγησάμην ἐπὶ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης, ἀλλ' ἵνα εἰδέναι ἔχητε, ὅτι οὐ ταύτῃ τῇ γλώττῃ τῇ ἡμετέρᾳ λέγω, ἀλλὰ τῇ Ἑβραΐδι ἦσαν συντεθειμέναι. *Omnes divini Vet. Testamenti libri Hebræorum lingua ab initio sunt compositi, & in hoc nobiscum consentiunt omnes. Et non ante multos annos adventus Christi, Rex quidam Ptolemæus, in conquirendis libris admodum studiosus, operæ pretium putavit, ut & hos libros colligeret: eaque de causa quosdam Judæorum Hierosolymitanorum vocavit, qui eos in Græcam linguam verterent. Et perfectum est hoc ejus opus. Factum autem est hoc divinæ dispensationis opus, ut non solum Hebraicæ linguæ periti, sed & omnes qui toto orbe inhabitant, ex iis utilitatem perciperent.*

Est

Est & rarum miraculum, quod vir qui Judaica non curabat, hoc fecit, sed idololatriæ deditus, & religioni damnatæ multum favens. Hoc enim modo se habent omnia, quæ à Domino nostro dispensantur, ut per adversarios semper crescant veritatis præcepta. Hæc autem non temere vestræ charitati narraverim, sed ut scire possitis, quod non hac lingua, nostra inquam, sed Hebraica erant hi libri compositi. Uxoris *Jobi* verba quæ habentur juxta LXX. apud Job. II. 10. non vero in libris *Hebraicis*, explanat: ut & illa *Jobi* ipsius (xxx. 24.) ubi optat ut daretur facultas mortem sibi consciscendi, quæ habentur tantum in Græco. Sed an ipse noverit in *Hebræo* hæc defuisse, incertum. Eadem loca solent alii plerumque Græci Patres explanare, quos constat tamen Hebræum Græca Versione longe pluris fecisse. Apud *Comitoli Catenam in Job*, explicationem suam *Symmachi* interpretatione confirmat. Cap. XIII. *Vociferabor, & nusquam judicium*] *Nullus, inquit, audit, nullus est judex, nullum video, quo me vertam, nescio: annon hæc misericordia digna erant? quanquam hanc etiam potes facere horum verborum interpretationem, quod, si Deum inclamaro, ut res meas cunctis faciat insignes, nequaquam mihi aderit supplicanti. Itaque Symmachus dixit. Si clamavero, læsus injuria, non exaudiar.* Rursus ad idem caput, *Theodotionis* Editioni non modo auctoritatem attribuit, sed & illam videtur LXXvirali anteponere. Extant verba ejus, cum apud *Comitoli* tum apud *Junii* Catenam. Sic autem se habent: ὁ μέντοι Θεοδοτίων ἐκδὺς, ὁ ἀγχιστεύς μου ζῇ, καὶ ἔσχατον ἐπὶ χώματος ἀναστήσει, πείθει συνάπτειν τοὺς δύο στίχους, καὶ οὕτως ἀναγινώσκειν, Οἶδα γὰρ ὅτι ἀέναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ γῆς, ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα. ὁ δὲ νοῦς οὗτος. &c. *At Theodotio quidem sic reddens, Redemptor meus vivit, & novissime super pulverem suscitabit: PERSUADET duos versiculos esse conjungendos, atque ita legendum: Scio enim quod æternus est, qui me resoluturus est super terram, ad resuscitandam cutem meam quæ hæc perpetitur: Sensus autem verborum hic est; Immortalis est Deus, cujus nos genus sumus; &c.*

Ex Chrysostomi Homil. 5. super S. Matthæum locum supra citatum adducit [a] *Jac. Latomus*, nt ostendat illum Hebræos Codices in nonnullis depravatos credidisse. Sed, ut recte observat [b] *Erasmus*, nequaquam ibi accusat Hebræorum codices, sed Interpretes, Symmachum, Theodotionem, & Aquilam, quibus anteponit LXX. quod illi nondum agnito Christo, simpliciter vertisse videntur, quod assequi potuerunt: contra, hos, qui post prædicatum Evangelium Christi, tamen obstinate perstiterunt in Judaismo, in suspicionem vocat, quasi Christianæ religionis odio studioque Judaismi, quædam data opera perperam verterint, & quædam Prophetarum mysteria nobis voluerint esse celata. Quidam contra recentiores illos Interpretes adferebant, qui puellam, non virginem transtulissent. Palam est igitur hic non agi de veritate Codicum Hebr. sed de fide Interpretum. *Non mirum* (ait Erasmus) *si Chrysostomus Interpretes LXX. suspectis & impiis præfert Interpretibus. Sed idem, opinor, LXX. quoque posthabuisset, si quis orthodoxus linguarum & S. Scripturæ peritus, ex emendatorum codicum collatione V. T. nobis restituisset, cujusmodi nobis fuit Hieronymus.*

[a] Dialog. 1.
[b] Apol. contra Latom.

Alius locus à *Mortno* profertur ex Hom. 9. ejusdem Commentarii, ubi interpretans hæc verba: *Nazaræus vocabitur; Desides* (inquit) *quum essent Judæi, nec desides modo, sed & impii, alia quidem* (Prophetarum monumenta) *perdiderunt negligenter, alia vero tum incenderunt, tum conciderunt.* Exinde causam assignat, unde factum sit, ut textus ille in Scripturis veteribus hodie non reperiatur, quia scil. citatus est ex libro aliquo deperdito. At vero vel ex hoc loco colligi potest Chrysostomum non existimasse libros, qui nunc extant, à Judæis fuisse falsatos; quia si hoc credidisset, dixisset potius, ideo locum illum hodie non re-

periri, quia textus hodiernus à Judæis fuit corruptus. Ex illis porro, quæ addit, patet illum autumasse libros aliquot Scripturarum deperiisse casu potius & depopulationibus, quam impietate Judæorum. *Si autem* (inquit) *absque ulla incensione templi, absque ullo impugnante civitatis tumultu, sacri tamen libri varie deperibant, quis jam istud inter illas depopulationes, vastationesque hostium, inter illa templi ac totius urbis incendia contigisse miretur.* Quibus causis negligentiam addit cum in 4. Regum observat dici Legis volumen vix tandem fuisse repertum.

18. THEODORUS Antiochenus, Mopsuestiæ Episcopus, Joannis Chrysostomi sub Diodoro Tarsensi condiscipulus, in libro *contra Asserentes peccare homines natura, non voluntate*, apud Photium Cod. CLXXVII. reprehendit quendam *Aram* (quo nomine perstringi B. *Hieronymum* credibile est) quod novam ex *Hebræo* Versionem fuerit aggressus. An quia *Hebræum* corruptum existimavit? An quia editionem LXX. pro authentica habuit? Minime gentium: sed quia videbatur novus ille Interpres linguæ Heb. parum peritus, cum eam non habuerit vernaculam, & Magistris infimæ, uti dicit, sortis in ea addiscenda usus fuerit. An quia credebat Versionem LXX. per divinam inspirationem ab Interpretibus separatis fuisse confectam? Tantum abest ab istius figmenti fide, ut diserte affirmet, & in laudem Versionis eos *simul convenisse*, hoc est, collatis studiis interpretationi operam dedisse. Num ægre tulit, quod alia cuderetur præter *Septuaginta* translatio, aliasque cunctas rejecit? Criminatur illum, quod non modo Versionem LXX. sed & *Aquilæ*, *Symmachi*, aliorumque spreverit. Καὶ ἀπώσασθαι μὲν τῆς θείας καὶ παλαιᾶς γραφῆς, ἣν οἱ ἑβδομήκοντα συνεληλυθότες ἐκδεδώκασι μετάφρασιν, καὶ δὴ καὶ τὴν Συμμάχου καὶ Ἀκύλα, καὶ τῶν ἄλλων· ἰδίαν δέ τινα καὶ καινὴν ἐπιχειρῆσαι συντάξαι· μήτε τῆς Ἑβραίων, ὥσπερ ἐκεῖνοι, ἐκ παιδὸς ἠσκηθέντα, μήτε τὸν τῆς θείας γραφῆς νοῦν ἐκδιδαχθέντα, Ἑβραίων δέ τισι τῶν χαμαιπετῶν ἑαυτὸν ἐκδεδωκότα, ἐκεῖθεν θαῤῥῆσαι ἰδίαν ἔκδοσιν ἀναγράφειν· *Et rejecta divini ac veteris Testamenti versione, quam* LXX. *Interpretes simul convenientes ediderunt, ut & Symmachi, & Aquilæ, aliorumque interpretatione, propriam quandam suam novamque conficere ausum: cum neque Hebraicæ linguæ, ut illi, à puero assuevisset, neque mentem S. Scripturæ didicisset: Hebræis tantummodo quibusdam abjectæ sortis in disciplinam se tradidisse, atque hinc propriam sibi editionem conscribere aggressum.*

Theodorus Antiochenus, cujus extant apud *Catenam* in Psalmos expositiones (quem eundem fuisse existimo) testatur aliquos *Symmachi* Versionem, ob istius *claritatem*, LXXvirali prætulisse. LXX. *magis incomposite* pleraque narrare agnoscit ipse, eos tamen generatim Interpretibus aliis præferendos esse pronuntiat. Ad Ps. LV. 7. *Septuaginta quidem magis studuerunt, ut vim verborum quæ in Hebræo est, integram servarent; Symmachus vero visus est majorem claritatis habere rationem; sed illam non ubique pro conatu suo condigne assequi: frequenter enim dum claritati studet, quæ multum sane sensui dissentanea sunt, apponit. Unde nonnulli, cum ad sequelam non attenderent, existimarunt, secundum obviam expositionem, Symmachi Editionem meliorem esse quam* LXX. *quod non opportune omnia ab ipsis interpretata sint: in quibusdam enim infirmiorem interpretationem tradiderunt: quandoque vero etiam alios manifestius & consequentius loquentes non sunt assecuti. Veruntamen universim cum cæteris comparati, multo præstantiores reperiuntur, licet plurima magis incomposite narrent.* ὅτι οὐ κυρίως ἅπαντα τούτοις ἡρμήνευται. ἔστι γὰρ ἐν οἷς ἀσθενέστερον τὴν ἑρμηνείαν ἐξήνεγκαν· ἐνίοτε δὲ καὶ ἀπέτυχον τῶν ἄλλων σαφέστερον καὶ ἀκολουθότερον εἰπόντων. Ἀλλὰ τὴν καθόλου τοῖς ἄλλοις συγκρινόμενοι, κρείττους εὑρίσκονται πολλῷ, κἂν ἀσυνηθέστερον εἰπόντες τὰ πλείονα.

Ad Psal. LXIV. 11. versionem *Syriacam* cum approbatione citat. ὁ Σύρος τὰς σταγόνας δρόσους λέγει εἰκότως· τοιαύτη γὰρ ἡ δρόσος, σταγόνας ἐκπέμπουσα ἀπορραδίως.

στεράδην. σταλαγμὲς ἢ τῆς γῆς, καλεῖ τὴν δρόσον, ἐπειδὴ διὰ τὴν χρείαν τῆς γῆς, καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς καρπῶν, αἱ δρόσοι πέμπονται. *Syrus ſtillicidia* (quod habent LXX.) *rorem merito vocat: iſtiuſmodi enim ros eſt, ut ſtillicidia ſparſim emittat. Stillicidia porro terræ rorem vocat, quia propter utilitatem terræ, & fructuum qui in ea ſunt, ros mittitur.*

Ad LXX. 15. *Quoniam non cognovi literaturam*] *Manifeſtius dixit Symmachus; Non enim ſcio numerare. Etſi enim, inquit, continuas tibi gratias ageremus, ne ſic quidem numerum inire poſſimus gratiarum, quæ omnem excedunt narrationem. Dixit autem literaturam, quia omnibus, qui tunc Scribæ dicebantur, proprium opus erat rationem habere numerorum, catalogorum militarium, & univerſim regalia omnia curare.*

Ad cap. 1. *Sophoniæ* apud *Catenam in Prophetas*, urget pro Verſione LXXvirali, Apoſtolos eam uſurpaſſe, Eccleſiæque tradidiſſe: & Interpretes non lapſos fuiſſe contendit hoc argumento, non quod eſſent infallibili Spiritu muniti, ſed quia tot numero fuerant, &, tanquam literarum ſacrarum ſcientiſſimi, à Pontifice Maximo ad interpretandi provinciam deſignati.

19. POLYCHRONIUS Antiochenus, Theodori Mopſueſteni Frater, apud *Catenam* in Job. Cap. 2. "*Pro eo*, venientes captivantes ca-"ptivarunt, *Codex Hebraicus habet*, irruerunt Sabæi i. e. *Sarraceni. Illud* "*vero alterum*, ſalvatus ego ſolus, veni nunciare tibi, *in Hebræo eſt*, ut "nunciarem tibi, ego tantum evaſi. *Mens autem Diaboli ex iis quæ dicta* "*ſunt, manifeſtius dignoſcitur.*" Ibid. *Sed Hebræus apertius, Non eſt conqueſtus de Deo.* Ibid. *Illud autem; tu vero dixiſti ſubſtantiam ejus fruſtra perdere, Aquila evidentius tranſtulit; commoviſti me in eum, ut eum gratis obruerem.* Rurſus: *Hebræus Codex ſignificantius* (ἐμφατικώτερον ἔχει ὁ Ἑβραῖος) *hoc expreſſit*: Et ſederunt *juxta ipſum in terra. Neque enim ſeſſionem ſolam ſed & modum ejus indicat; quod ſcil. non ex dignitate ipſorum ſederint, verum communis cum eo doloris participes, lugubrem habitum formamque oſtentarint.* Cap. 7. *Apertius autem Hebræus habet; Si robuſtus fuero ſicut leo, opprimes me. hoc eſt, Ego qui gloria eximia & divitiarum affluentia, leonis inſtar, valeo & efferor; ærumnis, quaſi retibus implicatus ſum &c.* Ibid. *Symmachus; Opertam morte: Hebræus vero; Ad terram tenebroſam ſuper ipſas tenebras.* Cap. 9. *Et poſuiſti in impedimento pedem meum*] *Aquila & Symmachus, ille quidem; In anguſtia & miſeria ſicut ſub ligno carceris; ille vero; In cippo tranſtulit.* —— *Diligenter actiones meas obſervaſti, quod facere illi ſolent qui ſontes in compedes conjiciunt: Aquila enim ſic reddidit, Et poſuiſti in cippo pedem meum.* Ibid. *Et ad radices pedum meorum perveniſti*] *Hebræus autem; Veſtigia pedum meorum circumimprimis. Juxta igitur interpretationem Græcam dixit &c.* —— *Hebræus autem, Circumimprimis dixit, i. e. ærumnis me circumvallas, ut malorum nullum exitum inveniam.* Ibid. *Sciendum eſt quod Hebræus pro illo, In petra, habet, In cinere, prioris verſus conſequentia, & rei ipſius natura ita poſtulante. Aquila autem, In pulvere, & Theodotio, In humo, cum Hebraico conſentientes reddiderunt; qui etiam pro voce,* ῥάδαμνος, *interpretati ſunt,* κορμὸν *i. e. truncum pro ſurculo. Rurſus Græcus, Faciet meſſem, à fine, dixit; Hebræus autem rem ipſam reſpiciens, Fructum faciet; Utrobique vero idem ſenſus ſervatur.* Ibid. *Pro illo; Tempore rareſit mare, Symmachus reddidit, Sicut aquæ effluunt è mari. Senſus autem hic eſt; Quemadmodum aqua è mari fluens, qualis illa eſt quæ è Ponto defluit, & quemadmodum fluvius ſiccatus, ſive* torrens (*ut Hebræus habet*) *ſic homo poſtquam obierit, videri amplius nequit.* Cap. 10. *Neque ante colles concretus es, vel* (*ut Hebræus habet*) *conceptus es.* —— *Neque conſtitutionem Domini audiſti; pro quo Aquila, Arcana, Theodotio, Myſterium, Symmachus vero, Colloquium reddidit; ac ſi diceret, Num tanquam ante colles exiſtens, quæ ante mundi creationem fuerunt noſti?*

Ibid. *Hebræus autem significantius* (ἐμφανλικώτερον) *pro Subversione, habet Vastationem.* Cap. 11. *Et surrexit super me mendacium meum, contra faciem meam respondit*] *Symmachus apertius hoc dixit, Et surrexit contra me mentiens, in faciem meam contradicens mihi. Dum hæc, inquit, Ego patior, qui contra me mentiuntur &c.* Ibid. *Et non erit nomen ei super faciem extra*] *Symmachus vero, Et non erit nomen ejus super faciem fori; ac si diceret, Neque amici, neque alieni memoriam ejus colere possunt, cum facta & res gestæ unicuique vituperationis ansam ministrent.* Cap. 13. *In cute mea computruerunt carnes meæ, & ossa mea in dentibus hærent*] — *Quod Aquila sic interpretatus est; In cute mea & carne mea adhæsit os meum, i. e. contabuerunt carnes meæ, & cutis nudis ossibus adhæsit. Illud autem, Ossa mea in dentibus hærent, Symmachus apertius reddidit; Et cutem meam dentibus meis vellicabam, tabe scil. & putredine exarefactam, discerptam, ac laceram. Juxta autem* LXX. *Interpretum Versionem, quæ sic habet, Ossa mea in dentibus hærent, illud dicere videtur; Insanabilia sunt &c.* Cap. 14. *Lætitia autem impiorum ruina insignis, gaudium vero iniquorum est perditio*] *Hebræus autem plenius illud expressit, Exultatio impiorum ad breve, & gaudium eorum ad momentum. Atque huic interpretationi Symmachus & Aquila consentiunt, ille quidem reddens, Posteritas impiorum ad pusillum; hic autem, Et lætitia hypocritæ usque ad momentum.* Ibid. *Fel aspidis in ventre ejus*] *Prout aspis, inquit, veneno impletur, illudque cum visum fuerit, è ventre evomit; ita & isti ex prævia fraudulenta machinatione, ut vicino malum & molestiam inferant, prompti sunt. Hebræus vero sic habet; Et fuit fel aspidum in interioribus ejus; laceratis scil. improbitate, & discerptis ejus visceribus tanquam serpentis veneno; &c.*

Hymnum trium Puerorum, qui in Græcis *Danielis* Codicibus cap. III. insertus legebatur, rejiciendum esse, quoniam in *Hebræis* non reperitur, non obscure subindicat. Apud Scholia Editionis Rom. ad Dan. III. εἰδέναι δεῖ ὡς οὗτος ὁ ὕμνος οὐ κεῖται ἐν τοῖς Ἑβραϊκοῖς, ἢ ἐν τοῖς Συριακοῖς βιβλίοις· λέγεται γὰρ ἀπὸ τῶν εἰρημένων, παρά τινων μετὰ ταῦτα συντεθεῖσθαι· *Scire OPORTET hunc hymnum non haberi in Hebraicis aut Syriacis. Dicunt autem prædicti* (Hebræi & Syri) *à quibusdam postea compositum fuisse.* Nobilius sic vertit, minus recte, [a] ni fallor: *Fertur autem, ex iis quæ dicta sunt, à quibusdam postea compositum fuisse.*

[a] Et patet quidem ex verbis *Eudoxii* proxime sequentibus.

20. Eundem Hymnum, ob eandem causam, in dubium vocavit Eudoxius Philosophus, apud *Catenam in Cantica Scripturæ*: *Sciendum est hunc hymnum neque apud Hebraicos libros, neque apud Syros inveniri. Dicunt enim Hebræi & Syri, hunc à quibusdam compositum fuisse. Sed utcunque se res habeat, hic est sensus: Meum os satis non est ad laudes Dei persequendas. &c.* Existimat *Lambecius*, eundem fuisse *Eudoxium* hunc *Philosophum* cognominatum, cum *Eudoxio* Hæretico, Patr. *Constantinopolitano*, gente *Armeno*, qui obiit anno CCCLXX.

Hymnum istum rejectum fuisse, quia in *Hebræo* non reperiebatur, scribit quoque *Hieronymus* Epist. ad *Hedibiam* Quæst. XII. *Cumque illud eis oppositum fuerit: Benedicite Spiritus & Animæ justorum Domino: scripturam non recipiunt, dicentes eam in Hebraico non haberi.*

21. Genealogiam *Jobi*, quæ in Græcis codicibus ad libri finem legitur, ab aliquibus rejectam fuisse, *quia in Hebræis non habetur exemplaribus*, testatur *Polychronius* modo laudatus. In *Proæmio* apud *Patricii Junii* Catenam: *Varia & diversa*, inquit, *opinio eorum est, qui Commentarios in Tractatum Jobi ediderunt: alii enim, genealogia inducti quæ ad calcem libri habetur, & Jobum quintum ab Abrahamo statuit, ante Legem eum floruisse affirmant. Alii vero ex vivendi ejus ratione ad Legis normam expressa, in qua non tanquam Israelites, sed Israelitis finitimus, fama & auditione erudiebatur, post Legem latam vixisse volunt.* Παραγράφονται γὰρ τὴν ἐν

τῷ

τῷ τέλει γενεαλογίαν, ὡς μὴ ἐμφερομένην ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ, ὃ ἡ τέλος ὄντος ἄχρι τοῦ, καὶ ἐτελεύτησεν Ἰὼβ πρεσβύτερος καὶ πλήρης ἡμερῶν &c. *Genealogiam enim quæ in fine est, rejiciunt, quia in Hebræo non reperitur, & Liber iis verbis clauditur: Et mortuus est Job senior & plenus dierum. Nominis autem similitudinem in genealogia Esau, quæ in libro Geneseos* (XXXVI. 33.) *extat, ubi Jobabi mentio fit, ansam erroris & hujusmodi Scholii quibusdam præbuisse; tractuque temporis postea, quæ margini adscripta erant, in libri contextum ab aliis assumpta esse asserunt.*

22. SEVERIANUS, *Gabalorum* in Syria Episcopus, LXX. interpretationem ex aliorum Versionibus confirmat & explicat. *Orat.* II. *de Creatione Mundi*: Τί οὖν ἐστιν, ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος; οἱ ἑρμηνευταὶ ἡρμήνευσαν σαφῶς. λέγει γὰρ ὁ Ἀκύλας, Ἡ δὲ γῆ ἦν κένωμα καὶ οὐδέν. ἀόρατος δὲ λέγεται, οὐχ ὅτι οὐκ ἐφαίνετο, ἀλλ' ὡς ἂν εἴποι τις, ἀκόσμητος. *Quid illud est, Terra vero erat invisibilis? Interpretes perspicue interpretati sunt. Dicit enim Aquila: Terra vero erat inanitas & nihil. Invisibilis autem dicitur, non quia non apparebat, sed quia fuit inornata. &c.* Clarius *Orat.* IV. Ἐποίησε τοίνυν ὁ Θεὸς τὰ κήτη τὰ μεγάλα, τουτέστι, τοὺς δράκοντας τοὺς μεγάλους ἐν τῇ θαλάττῃ. Οἱ γὰρ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ λέγουσιν, Ἐποίησεν ὁ Θεὸς τοὺς δράκοντας τοὺς μεγάλους. οὐκ εἶπον τὰ κήτη, ἀλλὰ τοὺς δράκοντας. *Creavit igitur Deus balenas grandes, hoc est, dracones grandes qui sunt in mari. Reliqui enim Interpretes dicunt, Creavit Deus dracones grandes. Non dixerunt balenas, sed dracones.* Apud *Comitoli Catenam in Job* citat non modo Interpretes cæteros, sed & textum Hebraicum.

23. SOPHRONIUS, *B. Hieronymi* familiaris, natione Græcus, sed in literis quoque Latinis exercitatus, ab *Hieronymo* petiit ut librum Psalmorum ex *Hebræo* converteret. Hieronymus Præfatione in Psalmos ad illum scripta: *Quia igitur nunc cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti, volensque te illudere, per sermones pene singulos asserebat non ita haberi in Hebræo, ut tu de* LXX. *Interpretibus opponebas: studiosissime postulasti, ut post Aquilam & Symmachum & Theodotionem, novam editionem Latino sermone transferrem. Aiebas enim te magis Interpretum varietate turbari, & amorem tuum quo laberis, vel translatione vel judicio esse contentum. Unde impulsus à te, cui & quæ possum, debeo, & quæ non possum, rursum me obtrectatorum latratibus tradidi, maluique te vires potius meas, quam voluntatem in amicitia requirere.* Idem *Hieronymi* Latinam translationem *Psalmorum* atque *Prophetarum* ex *Hebræo* factam in *Græcam* linguam traduxit, uti meminit *Hieronymus* ipse in *Catalogo virorum illustrium.* Falluntur qui putant illum omnes libros ab Hieronymo versos Græce reddidisse.

24. *Hieronymi* Translatio ex Latino Græce à *Sophronio* reddita, à plerisque Græcorum grate accepta est, studioseque lectitata; sicut ipse testatum fecit in Apologia II. contra Ruff. *Unde mihi putabam bene mereri de Latinis meis, & nostrorum ad discendum animos concitare, quod etiam Græci versum de Latino post tantos Interpretes non fastidiunt.*

25 *Comment. ad Esaiæ* XIX. meminit idem Hieronymus cujusdam, qui derelicta Versione Græca ad *Hebræum* confugerit, & ob suam in illa lingua imperitiam erraverit. *Pro civitate Solis, nescio quid volentes* LXX. *interpretati sunt* ἀσεδεκ: *quam quidam nostrorum* (i. e. Christianus.) *Urbem justitiæ interpretatur: & ductus errore, quod juxta Hebraicum* הרס *scriptum sit, terram putat, quæ aliis literis scribitur.*

CAP. VIII.

Scriptores seculi V. Cyrillus *Alexandrinus*, Theodoretus *Cyrensis*, Josephus *Christianus*, Philostorgius, Gennadius *Constantinopolitanus*, Olympiodorus.

INITIO seculi v. floruit CYRILLUS, Patr. *Alexandrinus*, qui, in *Glaphyris*, ex *Gen.* IV. 26. LXX. Interpretum verba de *Enos* adducit: οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα Κυρίου τοῦ Θεοῦ· *hic speravit invocari nomen Domini Dei.* sed paulo post, derelicta eorum Versione, juxta *Aquilam* ὀνόματι legit, quod propius ad literam *Hebraicam* accedit, οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τῷ ὀνόματι Κυρίου τοῦ Θεοῦ αὐτοῦ· *hic speravit invocari nomine Domini Dei sui.* Et, ne quis mendum subesse suspicetur, hanc subjicit explicationem: *Speravit Enos vocari ab aliis* nomine *Domini Dei sui*, hoc est, Deus. *Cum enim esset non absque admiratione sanctitatis gloria excellens, Deum ipsum vocarunt humaniores quidam, supremo illum honore ornare cupientes.*

Confirmat alibi lectionem quandam τῶν LXX. (Gen. VI. 4.) ex *Aquilæ Symmachique* auctoritate. *Hanc igitur potius lectionem sequemur: (Videntes autem filii Dei filias hominum, quod pulchræ essent, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant:) Facit autem ad hujus lectionis confirmationem aliorum etiam Interpretum translatio.* ἐμποδοῖ δὲ μᾶλλον ἡμῖν ὀρθῶς ἔχουσαν τὴν τοιάνδε γραφὴν, καὶ ἡ ἀπόδοσις τῶν ἑτέρων ἑρμηνευτῶν ἀπόδοσις. *Aquila enim inquit: Videntes autem filii Deorum filias hominum. Symmachus vero, pro, filii Deorum, transtulit, filii potentum. Filios utique Deorum ac potentum filios Seth atque Enos vocaverunt, ob eam qua præditi erant sanctimoniam ac pietatem. &c.*

Paulo post: *Et cogitavit Deus (sive pœnituit eum, juxta aliam interpretationem, Aquilæ nimirum) quod fecit hominem in terra.* καὶ ἐθυμήθη ὁ Θεὸς, ἤτοι μετεμελήθη, καθ' ἑτέραν ἔκδοσιν, τοῦ Ἀκύλου φημί.

Apud Catenam Græc. Patrum in Pent. interprete *Francisco Zephyro*, ad Gen. 32. *Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel?] At vero neque ante, puto, comedebant. Pensitanda igitur est hujus verbi significatio apud Hebræos: nam comedere per destruere & destruendo in aliam formam quæ usui sit, transfundere accipiunt, inde pro commutare in aliquam utilitatem, ac denique usurpare: sic & paulo superius dicebant de patre uxores Jacob, pretium vel argentum nostrum comedit.*

Apud *Antonii Carafæ* Catenam in *Cantica* Scripturæ varia, ad *Canticum Esaiæ* non modo interpretationem LXX. sed & *Aquilæ* cæterorumque, exponit, quænam verior sit, dubitans. *Pro, omne masculum, Symmachus, Omnem memoriam eorum: & Aquila, & Theodotion: Omnem commemorationem eorum, interpretati sunt. Oportet enim omnem malitiæ memoriam videlicet Judicii tempore tolli. Si autem diceretur, Omne masculum eorum, multam benignitatem sermo infert. &c.*

2. THEODORETUS, natu *Antiochenus*, *Cyri* Episcopus, *Hebraice* & *Syriace* peritus fuit, ut ex illius operibus constat; & textum *Hebraicum*, *Syriacamque* Versionem de *Hebræo* factam, frequentissime citat. Procemio in Psalmos Interpretibus LXX. afflatum divinum consensionemque miraculosam, juxta vulgare LXX. Cellularum figmentum, tribuit. Verba ejus, sed Latine tantum, plurima describam. *Quoniam autem etiam Inscriptiones Psalmorum quidam falsas esse dixerunt, necessarium puto etiam de his pauca disserere. Mihi quidem temeritas videtur invertere Inscriptiones, quæ jam olim Ptolemæi, qui post Alexandrum in Ægypto regnavit, temporibus circumferebantur, quasque* LXX. *omnes Seniores in Græcam linguam transtulere,*

transtulere, sicut reliquam omnem sacram Scripturam. Annis autem ante Interpretationem istam 150. *mirabilis Esdras cælestis gratiæ plenus sacros libros descripsit, qui partim per Judæorum incuriam, partim vero per impietatem Babyloniorum, dudum fuerant depravati. Quod si & hic à Spiritu sancto afflatus horum voluminum memoriam renovavit, & illi non sine divino afflatu eadem in Græcum sermonem consensione maxima converterunt*; (καὶ ὅτι, μὴ δίχα τῆς θείας ἐπιπνοίας, μετὰ πολλῆς συμφωνίας μετήνεγκαν ταύτας εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν) *atque inter cætera etiam Inscriptiones interpretati sunt: rem equidem nimiæ temeritatis, & confidentiæ plenam arbitror, falsas illas affirmare, & cogitationes nostras sancti Spiritus efficientia sapientiores ducere.* Eodem tamen Procemio contra *Aquilam* Interpretem de *Diapsalmate* disputans, profitetur se ab eo dissentire, partim ob autoritatem LXX. Interpretum, partim Interpretum aliorum. Ἐγὼ δὲ (inquit) καὶ σὺν τοῖς ἑβδομήκοντα, καὶ σὺν τοῖς ἄλλοις ἅπαντας τῆς θείας γραφῆς ἑρμηνευτὰς τῷ διαψάλματι κεχρημένους εὑρίσκων, οὐ δίκαιον ἡγοῦμαι τοσούτων μὲν καὶ τοιούτων καταφρονῆσαι, ἑνὸς δὲ μόνου διανοίᾳ πιστεῦσαι. *Ego autem,* & LXX. & *alios omnes divinæ Scripturæ Interpretes diapsalmate usos inveniens, injustum arbitror tot, talesque despicere viros, & unius tantum sententiæ adhærere.* Aliorum præter LXX. Interpretum Versiones per omnia sua Commentariorum volumina magni facit, easque solas sæpe explanat, derelicta LXXvirali, tanquam meliores; & disertis verbis eidem aliquando præfert: hoc certe sæpissime, si non verbis disertis, evidenter tamen. E locis pene innumeris pauca quædam ponenda sunt.

Ad Psal. IX. 4. *In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur & peribunt à facie tua*] *Hæc Symmachus sic interpretatus est*: Cantabo *nomini tuo, altissime, conversis meis inimicis retrorsum, & collisis atque perditis à facie tua. Conspicatus enim hostes meos destructos & in fugam versos, deinde captos, & extremam perniciem passos*; cantare *te, tuaque beneficia prædicare non cesso.* Ibid. 17. *Præparationem cordis eorum*] *Præparationem autem,* propositum *Symmachus dixit. Nosti, inquit* (David) *diligenter cujus rei cupidi sint pauperes, & quod habeant PROPOSITUM.* Psal. XXXIV. 19. *In populo gravi laudabo te*] *Quod ait in populo* gravi, *Symmachus dixit, in populo* numeroso. — *Divinus David populum* numerosum, *Ecclesias vocat, quæ per orbem terrarum erectæ fuerunt.* Psal. XXXVI. 37. *Custodi innocentiam, & vide rectitudinem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*] *Hoc Symmachus sic vertit*; *Custodi* simplicitatem, *& vide rectum, quoniam sunt futura homini pacifico. Ne respicias, ait, in præsentes calamitates, sed futura exspecta. Erit enim tempus, quo iis, qui* simplicitatem *& rectitudinem excoluerunt, merces congruens rependetur.* Psal. XLVIII. 19. *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*] *Hoc manifestius Symmachus dixit: LAUDABIT te, si benefeceris ipsis. Hæc namque est vera LAUS, non modo vivum, verum etiam mortuum celebrem & clarum esse. His autem LAUDIBUS dignus est, qui &c.* Psal. LIX. 13. *Da nobis auxilium ex tribulatione, & vana salus hominum*] *Conjunctionem ET mutans Symmachus manifestiorem interpretationem fecit. Dicit autem sic: Da nobis auxilium ex tribulatione, vana ENIM salus hominum.* Psal. LXI. 10. *Cæterum vani filii hominum: mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant*] *Hæc apertius Theodotio interpretatus est: Cæterum VAPOR filii hominum, mendaces filii viri, sicut momentum stateræ. Nihil, ait, stabile in humanis rebus, sed VAPORI simile est sursum sublato, & actutum dissipato: & momento stateræ, quæ modo deorsum vergit, modo sursum fertur, & nihil firmum & permanens habet.* Ps. XCIV. 10. *Proximus fui generationi huic*] *Aquila & Symmachus pro, proximus fui, INFENSUS fui transtulerunt. Idcirco, inquit, genus illud EXECRATUS sum, videns levem & inconstantem eorum animum.* Psal. CIII. 1. *Confessionem & decorem induisti*] *Symmachus sic*:

sic: LAUDEM & gloriam induisti. Non enim amplius, qui tuis perfruuntur bonis, te ignorant, neque tuum honorem simulachris deferunt, sed te LAUDANT & tibi gloriæ debitum pendunt.

Ad Psal. CIII. 16. LXX. ab *Hebræo* cæterisque Interpretibus discrepare monens, *Hebraicam* lectionem manifeste præfert. *Saturabuntur ligna campi] Hebræus, & cæteri Interpretes, ligna DOMINI posuerunt. Cum igitur fructuosas arbores exposuisset, convenienter & de sterilibus mentionem fecit, utpote quod ipsæ quoque præbeant hominibus necessarium usum. Idcirco & DOMINI ipsas appellavit: quippe quæ ipsæ sua sponte oriantur, & non manu elaboratæ, sed DIVINO verbo sunt productæ.*

Ad Esaiæ XXI. 1. *Spernens spernit, iniquus inique agit] Symmachus hæc ita reddidit: Spernens SPERNITUR, & affligens affligitur. Olim, inquit, ego spernebam; nunc ego SPERNOR: olim ego alios miseros faciebam; nunc vero ea patior, quæ feci. Justa est sententia.*

In Ezech. XXIX. 18. Ἐκεῖνα τῷ δεκάτῳ ἔτει τῆς Ἰεχονίου αἰχμαλωσίας προείρηκεν, ἢ τῷ δωδεκάτῳ· οὕτω γὰρ καὶ ὁ Ἑβραῖος λέγει καὶ ὁ Σύρος· *Illa decimo anno captivitatis Jechoniæ prædixit, sive duodecimo; ita enim & Hebræus dicit & Syrus.*

Ibid. XXXIV. *Jacob autem puer* (παῖς) *meus] Apud Hebræum ponitur, SERVUS meus: atque hoc testimonium etiam divinus Evangelista sumpsit in Dominum nostrum Jesum Christum. SERVUS igitur vocatus est ut homo, & hoc, sicut dixi, non secundum dignitatem, sed secundum naturam, SERVI enim formam assumpsit.* Esaiæ verba sunt.

Quæst. LIX. in 1 Reg. lectionem LXX. depravatam esse existimat, eo quod alii Interpretes aliter habuerint: *Quod autem dictum est à Davide: Benedicta es tu, quæ me prohibuisti hodie, ne veniam ad sanguinem, & ut servem manum meam in me: existimo esse erratum scriptoris. Alii enim Interpretes dixerunt: Ut non abominer, id est, ne sim particeps abominationis.*

Quæst. sequente, Versionem Aquilæ *veriorem* esse pronunciat: Quæstio est: πῶς νοητέον τὸ, Σαοὺλ ἐκάθευδεν ἐν τῇ λαμπήνῃ. *Quid est, Saul dormiebat in lampine?* Resp. Λαμπήνη μὲν ἐστιν εἶδος ἁρμαμάξης, ὥσπερ αὖ καὶ ἀπήνη. ὁ δὲ Ἀκύλας οὐκ εἶπε λαμπήνῃ, ἀλλὰ τῇ στρογγυλώσει· δηλοῖ δὲ ὁ λόγος, τὸ ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ καταπεκλίσθαι τὸν βασιλέα, καὶ πανταχόθεν ὑπὸ τῶν ὁπλοφόρων τετειχίζεσθαι. καὶ τοῦτο μᾶλλον ἀληθέστερον εἶναι νομίζω. εἶπε γάρ, φησι, Δαβὶδ πρὸς Ἀχιμέλεχ τὸν Χετταῖον, καὶ πρὸς Ἀβεσσὰ υἱὸν Σαρουίας, ἀδελφὸν Ἰωὰβ, λέγων, τίς εἰσελεύσεται μετ᾽ ἐμοῦ εἰς τὴν παρεμβολὴν πρὸς Σαοὺλ; τοιγάρτοι δεδήλωκεν ὁ λόγος, ὡς μεταξὺ τῆς στρατιᾶς ἐκάθευδεν ὁ βασιλεύς. *Lampine quidem est genus currus, sicut etiam* apene. *Aquila vero non dixit* lampine, *sed* rotunditate: *quod quidem significat in medio exercitus decubuisse Regem, & undique fuisse munitum à stipatoribus. & hoc existimo esse VERIUS. Dixit enim, inquit, David ad Achimelech Chettæum, & ad Abessa filium Saruiæ, fratrem Joab, dicens, Quis veniet mecum in castra ad Saulem? Hoc itaque significavit oratio, quod Rex dormiret in medio exercitus.*

Rursus ad *Jonæ* III. lectionem *Hebraicam* diserte LXXvirali præferendam asserit. ἔτι τρεῖς ἡμέραι καὶ Νινευὶ καταστραφήσεται. τούτους δὲ καὶ ὁ Ἀκύλας, καὶ ὁ Σύμμαχος, καὶ ὁ Θεοδοτίων τεσσαράκοντα ἔφασαν. συμφωνοῦσι δὲ τούτοις καὶ ὁ Σύρος, καὶ ὁ Ἑβραῖος, ἔχει δὲ καί τι εἰκὸς οὗτος ὁ ἀριθμός· καὶ γὰρ τρισὶν ἡμέραις ποτὲ μὲν ἀπιστοῦν ἐκήρυξε τὴν πόλιν ὁ Ἰωνᾶς· ποτὲ δὲ τὴν μετάνοιαν τὴν ἐπίπονον ἐπεδείκνυον οἱ Νινευῖται τῷ θεῷ προσενεγκόντες, τῆς παρ᾽ αὐτοῦ σωτηρίας ἀπήλαυσαν· ποτὲ δὲ περὶ τῶν πυλῶν καθήμενος τὸ τῆς προφητείας ἀνέμενε τέλος. διό μοι δοκεῖ τὸ τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν ἀληθέστερον εἶναι. εἰκὸς δὲ καὶ τοῖς ἑβδομήκοντα σύμφωνον τοῖς ἄλλοις τεθεικέναι τὸν ἀριθμόν· τοῦ δὲ τὴν ἀρχὴν ἐγγεγραμμένους ἁμαρτεῖν περὶ τοῦτο, εἶτα οὕτω γενέσθαι πᾶσι τῶν ἀντιγράφων τὴν ἔκδοσιν. *Adhuc tres dies & Ninive subvertetur] Hoc vero Aquila & Symmachus, & Theodotio QUADRAGINTA interpretati sunt, & cum his etiam Syrus & Hebræus conveniunt, habetque hic nume-*

rus

rus VERISIMILITUDINEM. Etenim tribus diebus nunc Jonas totam urbem perlustravit, nunc Ninivitæ pœnitentiam illam laboriosam Deo offerentes ab eo salutem assecuti sunt, nunc ante portas considens prophetiæ finem exspectavit. Quare mihi videtur numerus quadraginta *dierum VERIOR esse. ac vero credibile est* LXX. *congruentem cum aliis numerum posuisse. sed eos qui initio scripserunt in hoc errasse, deinde in omnia exemplaria hanc lectionem permanasse.*

Cum Inscriptiones Psalmorum defendit, ut in loco superius posito, intelligendus est de illis duntaxat Inscriptionibus, quas agnoscunt Codices *Hebræi.* Si quæ enim habebantur in Editione LXX. non vero in *Hebræo*, earum nullam habuit rationem, nec ab ipsis Interpretibus, sed ab alio aliquo posteriore, adjectas arbitratur; nonnullasque quidem earum tanquam *ineptas* rejicit, quamvis in omnibus Græcis reperirentur exemplaribus. Sicut videre est ad Psal. XCIII. XCV. XCVI. CXXXVI.

Apud Catenam Græcorum Patrum in Pent. ad Num. 34. *Qui circuibant australem plagam per scorpionis ascensum] Interpretes nostri, dum nomina etiam propria Hebr. linguæ, cui nullum nomen est sine etymo, transferre conantur, obscuriores nobis sententias impingunt credentibus sæpe nomen proprium loci, appellationem esse. Quanto sibi magis constaret illud in Psalmis: Et factus est in Jerusalem locus ejus, & habitatio in Sion. Et in Psal.* 41. *Memor ero tui de terra Jordanis & Hermonii à monte Mitzar potius, quam à monte modico. Ita & hoc loco, si dixisset Interpres per ascensum Acrabbim, agnosceretur facilius nomen proprium loci.* Rursus ad Gen. 6. *Cum Scriptor meminisset ex Adam progenitum Seth, atque ex ipso Seth Enos, adjecit, hic speravit vocari nomine Domini Dei, secundum Hebr. lectionem, quod Aquila sic interpretatur: Tunc exorsus est appellationem in nomine Domini. Quæ verba significare videntur, quod hic sua pietate primus divinum nomen adeptus est &c. — Quod si cui explanatio hæc Aquilæ minus placeat, audiat Prophetam &c.*

3. JOSEPHUS CHRISTIANUS, qui à clarissimo *Caveo* refertur ad an. CCCCXX. in *Hypomnestico* nondum edito, *Cainanem juniorem*, quem agnoscunt LXX. non Codices *Hebraici*, rejicit absque ulla mentione.

4. PHILOSTORGIUS *Cappadox*, *Arianus*, seu potius *Eunomianus* & *Anomæus*, in laudibus *Apollinarii Laodiceni* ponit, quod *Hebraicam* linguam intellexerit, & hoc illum nomine *Basilio Cæsariensi* & *Gregorio Nazianzeno* anteponit. Apud *Suidam* v. Ἀπολλινάριος. Τῆς τε γὰρ ἔξωθεν καλουμένης παιδεύσεως, ἐπὶ πλεῖστον ἦσαν προεληλυθότες· καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ὅποσα εἰς ἀνάγνωσιν καὶ τὴν πρόχειρον μνήμην ἔτεινε πολλὴν εἶχον τὴν ἐμπειρίαν. καὶ μάλιστά γε αὐτῶν, ὁ Ἀπολλινάριος. οὗτος γὰρ δὴ καὶ τῆς Ἑβραΐδος διαλέκτου ἐπαΐειν οἷός τε ἦν· *Nam & in illa disciplina quæ vocatur externa, illi maximos progressus fecerant, & sacrarum Scripturarum magnam habebant notitiam, quia optime tenebant quicquid ad lectionem, & promptam memoriam aliquid conferebat. Inter ipsos vero Apollinarius maxime excellebat. Hic enim Hebraicam etiam linguam intellexit.*

5. GENNADIUS, *Constantinopolitanus* primum Presbyter, deinde Patriarcha, apud *Catenam* in Psalmos, Interpretes alios τοῖς LXX. in nonnullis locis præfert. Ad Psal. I. 3. pro πεφυτευμένον *plantatum*, quod vertunt LXX. ex Aquila substituit μεταπεφυτευμένον *transplantatum.* Μετὰ τοῦτο παραληψόμεθα τὸ παρὰ τοῦ Ἀκύλα λεγόμενον, μεταπεφυτευμένον. πόθεν γὰρ τὸ ξύλον, περὶ οὗ ὁ λόγος, μεταπεφύτευται ἐπὶ ταῖς τῶν ὑδάτων διαιρέσεσιν; ἢ γὰρ ἐρριζωκὼς ἐν τῷ Πατρὶ, ἐπ' εὐεργεσίᾳ πολλῶν μεταπεφύτευται &c. *Post hæc adjungamus id quod ab Aquila dictum est, TRANSPLANTATUM. Unde enim lignum, de quo hic sermo est, TRANSPLANTATUM fuit secus aquarum divisiones? Vel enim cum in Patre radicatum esset, in commodum plurimorum TRANSPLANTATUM fuit, quo & alii*

 participes

participes existerent imaginis istius, quam in TRANSPLANTATIONE *assumpsit, non quod non sit in Patre (est etenim) sed quod etiam apud alios natus sit. Vel secundum applicationem, anima Salvatoris, quam assumpserat, hinc* TRANSPLANTATA *est in Paradisum, ubi etiam Evangelium ait ipsum post passionem extitisse. &c.* Idem ad Comma 4. Τινὲς προστιθέασι δεύτερον τι, οὐχ οὕτως· οὔτε δὲ τὸ Ἑβραϊκὸν ἔχει αὐτὸ, οὔτε τις τῶν ἑρμηνευσάντων ἐχρήσατο τῇ τοιαύτῃ ἀναλήψει τῆς λέξεως· *Nonnulli opposuerunt illud secundum,* non sic. *sed nec Heb. textus id habet, nec quisquam Interpretum* (aliorum) *usus est istiusmodi dictionis repetitione.* Evectus est *Gennadius* ad regiæ Urbis sedem an. 458.

6. In *Catena* Græcorum Patrum in *Job* à *Comitolo* Latine conversa, hæc adscribuntur OLYMPIODORO, tanquam ab eo in Procemio Commentariorum in librum illum scripta: *Valeant igitur qui Scripturam hanc, tanquam confictam, atque ab humana cogitatione profectam, nec inspiratam divinitus criminantur. Illi quoque ablegentur, qui LXX. illos mirificos homines, quasi minus recte Hebraice scirent, perstringunt, vel quod vocabulorum homonymia decepti sint, vel quod multis locis alia pro aliis interpretando reddiderint, cum quæ Hebraice scripta erant, in Græcum converterent. Divinis Patribus habenda potius est fides, qui librum ab Apostolis ex LXX. Editione acceperunt, quam cæteris interpretationibus prætulerunt, ut quæ à Spiritu Sancto manasset. Namque reliqui Interpretes post Christi adventum extiterunt, qui quod Christiani minime fuerunt, suo quisque aptam scopo, ac pro sua libidine interpretationem fecerunt. LXX. vero ante Christi adventum, & seorsim veterem omnem Scripturam interpretati sunt, à Ptolemæo bini à binis sejuncti. Fuitque eorum tanta consensio, quasi uno essent ore cuncti locuti, interim nec ad gratiam nec ad odium cujusquam Hebraica transferentes. Itaque interpretationem illam, tanquam ab omni suspicione vacuam, atque adeo à multis, senioribusque nationis Israeliticæ effectam illi Principes sacrorum Ecclesiæ tradiderunt. Ut supervacaneæ jam sint fabulantium Hebræorum pravæ interpretationes. Quod si raro dictione aliqua, quæ apud alios Interpretes reperitur, utimur, id perspicuitatis causa duntaxat facimus, nequaquam eos his nostris melius fuisse interpretatos. Apage. Judaisæ & Samaritanæ audaciæ istæc est sententia.* Hæc ibi: Eademque Græce leguntur in duobus ejusdem *Catenæ* Voluminibus MSS. *Baroccianis,* his verbis: Ἀπηλλάχθωσαν τοίνυν οἱ τὴν συγγραφὴν ὡς πεπλασμένην καὶ ἐξ ἀνθρωπίνης ἐπινοίας συντεθειμένην, ἀλλ' οὐ θεόπνευστον οὖσαν κωμῳδήσαντες. ἐκκηρυχθήτωσαν καὶ οἱ τοὺς θαυμαστοὺς ἐκείνους ἄνδρας διαβεβληκότες τοὺς ἑβδομήκοντα ὡς μὴ καλῶς νενοηκότες τὰ Ἑβραϊκά, ἀλλὰ τῇ τῶν λέξεων ὁμωνυμίᾳ πεπλανημένους κἀντεῦθεν ἐν πολλοῖς τόποις ἕτερα ἀνθ' ἑτέρων ἐκδεδωκότες, ἐν τῷ μεταβάλλειν ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων φωνῆς εἰς τὴν Ἑλλάδα τὰ γεγραμμένα. πιστευτέον δὲ μᾶλλον τοῖς θείοις πατράσιν, οἱ τὸ βιβλίον ἐκ τῶν Ἀποστόλων παρειληφότες κατὰ τὴν τῶν Ἑβδομήκοντα ἑρμηνείαν ἐκδεδομένον, τοῖς ἐνδιαθέτοις τῆς θεοπνεύστου γραφῆς κατέλεξαν τὴν τῶν ἑβδομήκοντα ἔκδοσιν, ὡς ὑπὸ τοῦ τοῦ ἁγίου πνεύματος γεγενημένην, τῶν ἄλλων προτιμήσαντες. Οἱ μὲν γὰρ λοιποὶ τῶν ἑρμηνευτῶν μετὰ τὴν ἐπιδημίαν Χριστοῦ γεγονότες, καὶ μὴ ὄντες Χριστιανοί, πρὸς τὸν ἴδιον σκοπὸν τὴν ἑρμηνείαν ἐποιήσαντο, καὶ εἷς ἕκαστος αὐτῶν καθ' ἑαυτὸν ὡς ἠβουλήθησαν· οἱ δὲ Ἑβδομήκοντα, καὶ πρὸ τῆς ἐπιδημίας καὶ διῃρημένως τὴν παλαιὰν πᾶσαν ἡρμήνευσαν κατὰ συζυγίαν ὑπὸ Πτολεμαίου διαιρεθέντες, καὶ πάντες ἀλλήλοις συνεφώνησαν, ὡς ἐκ μιᾶς γλώττης φθεγξάμενοι, καὶ μήτε πρὸς χάριν μήτε πρὸς ἀπέχθειαν τὴν μεταβολὴν τῶν Ἑβραϊκῶν ποιησάμενοι. διόπερ αὐτὴν ὡς ἀνύποπτον οὖσαν, καὶ ὑπὸ πολλῶν πρεσβυτέρων τοῦ Ἰσραὴλ σὺν ἀληθείᾳ ἐκδεδομένην οἱ τῆς ἀληθείας μυσταγωγοὶ τῇ ἐκκλησίᾳ παραδεδώκασιν. ὥστε περιτταὶ τῶν μυθολόγων Ἑβραίων αἱ παρεξηγήσεις. Εἰ γὰρ δὴ κατά τι σπάνιον χρησόμεθα λέξει, τινὶ κειμένῃ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς, σαφηνείας καὶ μόνης χάριν τοῦτο ποιοῦμεν, οὐ μὴν συνιστῶντες, ὅτι ἐκεῖνοι τούτων ἄμεινον ἡρμήνευσαν, ἄπαγε. τοῦτο γὰρ Ἰουδαϊκῆς, ἢ καὶ Σαμαρείτιδος γνώμης παρεγχείρημα. At longe secus se habent *Olympiodori* verba in editione quam Græce & Latine adornavit

Patricius

Patricius Junius: ubi hæc tantum leguntur: πάλιν τε τοῖς ἱεροῖς Ἀποστόλοις ἀκολουθῶν, καὶ τοῖς ἀγιωτάτοις ἡμῶν πατράσιν, οἵ τινες ἐκ τῶν Ἀποστόλων τὸ βιβλίον παρειληφότες, κατὰ τὴν τῶν Ἑβδομήκοντα ἑρμηνείαν ἐκδεδομένον, ἐν τοῖς ἐνδιαθέτοις τῆς θεοπνεύστου γραφῆς κατέλεξαν, οὐκ ἐξ ἀνθρωπίνης ἐννοίας συντεθεῖσθαι λέγω τὴν γραφήν· ἀλλὰ καὶ τοὺς Ἑβδομήκοντα φημὶ ἐξ ἐπιπνοίας τοῦ ἁγίου πνεύματος ὁδηγηθέντας τὰ Ἑβραϊκὰ, αὐτό τε τοῦτο τὸ βιβλίον, καὶ πάντα τὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης εἰς τὴν Ἑλλάδα μεταβαλεῖν γλῶτταν πρὸ τῆς τοῦ Κυρίου ἐπιδημίας, ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ ἐν Αἰγύπτῳ βασιλεύοντος, Θεοῦ τοῦτο οἰκονομήσαντος, ἵνα μή τις εἴπῃ, ὡς χάριν Χριστιανοῖς κατατιθέμενοι, οὕτω τὰς γραφὰς οἱ Ἑβδομήκοντα διηρμήνευσαν. *Rursus SS. Apostolorum & SS. Patrum nostrorum vestigia premens, qui librum juxta* LXX. *Seniorum interpretationem editum, ab Apostolis accipientes, inter veros & indubitatos divinitus inspiratæ Scripturæ libros annumerarunt, non humano conceptu compositum esse hoc scriptum assero; verum* LXX. *Seniores Sp. Sancti inspirationem & ductum in Hebraicis sequentes, hunc etiam & reliquos omnes Veteris fœderis libros ante Christi adventum in carnem, sub Ptolemæo Ægypti rege, divina dispensatione in Græcam linguam transtulisse, ne quis Scripturas à* LXX. *Senioribus ita versas in gratiam Christianorum, dicere posset.* Hæc tanquam simpliciora, & quia priora illa non fine violentia quadam induci videntur, genuina esse *Olympiodori* verba, persuasissimum habeo. Ad calcem autem voluminis hæc idem habet: *Ab eo loco* (*Scriptum autem est, ipsum rursus resurrecturum cum quibus resuscitat Dominus*) *dicunt nonnulli, verba quæ ad finem sequuntur, non esse S. Scripturæ, sed libro huic assuta & adscripta: nos vero cum in omnibus Græcis exemplaribus librum sic scriptum invenerimus, ita omnia quæ in eo scripta sunt recipimus, prout à Patribus nobis tradita sunt.*

Cap. 1. cum dixit quædam in Græca Vers. reperiri quæ non sint in Heb. non existimavit in Heb. defectum fuisse, sed addita fuisse illa à LXX. *Quoniam vero obelisco notatur, illud*; ministerium multum valde; *sciendum est, quæ obelisco signantur, in Heb. non haberi, verum perspicuitatis tantum causa à* LXX. *posita esse.* Ibid. ait *Symmachum* locum quendam dilucidius interpretari. Ita rursum cap. 7. & alibi sæpius: Ad textum etiam *Hebræum* haud raro recurrit, aliorumque Versiones explanat, & LXXvirali quandoque anteponit. Cap. 7. *Hebræus vero habet*, Et omnia astra circumdantia Notum: *ut promptuarii nomine astrorum multitudo in ea plaga apparentium, indicetur*; *&c.* Rursus ibid. ubi & Symmachi interpretationem evidenter præfert: "*Ab eo incurvati sunt* "*ceti qui sub cælo*] Symmachus vero, *Sub ipso incurvabuntur, qui nituntur* "*arrogantia*: quasi diceret, Superborum fastum & arrogantiam convel-"lit. Hebræus quidem, *Ab eo*, inquit, *omnia perduntur*, i. e. nisi sponte "sua, & benignitate erga homines, iram transtulerit, omnia in nihi-"lum rediguntur: Græcus vero, *Cete*, dixit, ut ea quæ magnum & in-"victum robur habere videntur, innueret." Ibidem iterum Versionem Symmachi exponit: *Juxta Symmachum dicentem*, Deus cujus ira est inflexibilis; *divinus motus ac impetus inevitabilis esse ostenditur: quis enim vindicem Dei manum avertet?* Cap. 8. *Vel, secundum Theodotionem*, Oculi eorum deficient, *i. e. multum intuendo &c.* Cap. 9. "*Qui permutat labia* "*fidelium*] Fideles eos hoc loco vocat, quibus tanquam vera dicentibus "fides habenda est; quod Symmachus sua interpretatione evidentius "sic expressit, *Qui subvertit labia non errantium*, i. e. eorum, qui minime "omnium videntur errare, consilia in contrarium convertit. Ibid. "Symmachus autem vertit, *Et scientiam senum auferens*; quasi diceret, "Quod eorum qui ætate aliquid affecuti esse videntur, apparentem "scientiam, quam longo tempore addidicerunt, facile evertat. Ibid. *Theodotion vero reddidit, An personam ejus sustinetis? Hebræus autem dixit: Verecundamini: i. e. contra Deum loqui veremini &c.* Rursus: "*Illud enim*;

"*Deficiam, idem est ac loqui prohibebor.*" Ibid. "Aquila autem & Theodotio, pro illo: *Duo autem mihi prabeas*, reddiderunt, *Tantummodo duo ne facias mecum*. Hebræus autem pro eo, *A facie tua non abscondar*, habet, *non declinabo*, i. e. ex adverso tibi in judicio occurram, &c." Ibid. "*Homo enim natus ex muliere, brevi vivens tempore, & plenus iracundiæ*] Illud, *plenus iracundiæ*, Aquila, *plenus turbatione*, reddidit; ac si diceret, hominis vita momentanea est, & perturbatione plena, &c." Cap. 10. "*Neque ante colles concretus es*, vel, ut Heb. habet, *conceptus es.*" Ibid. "Pro illo autem, *Operuit faciem ejus*, Hebræus habet, *Cor*; ac si diceret, facultas animæ visibilis luxu & deliciis occæcata est: pro illo vero, *Peristomium*, habet, *pinguedinem & diploidem*, id est, Edacitati & cuti curandæ se totum dedidit, ut exsuperante carnis copia femora diploidas contraherent. Symmachus vero, *Supra lumbos*, interpretatus est; idem autem sensus est omnium." Cap. 11. "*Et surrexit super me mendacium meum &c.*] Symmachus apertius hoc dixit, *& surrexit contra me mentiens, in faciem meam contradicens mihi*. Dum hæc, inquit, ego patior, qui contra me mentiuntur, prætextum invenerunt &c." Ibid. "*Acie oculorum irruit*] Symmachus hoc dilucidius sic interpretatus est; *Adversarii mei acuerunt oculos suos unusquisque in me*: ita ut sensus verborum hic sit &c." Ibid. "*Tenens me coma divulsit*] Ornatum & prosperum rerum statum, *comam* vocat. — Hebræus autem, *Apprehendens me per cervicem, concussit*, metaphora ab iis sumpta, qui contentione & ira accensi luctantur, &c." Cap. 12. "*Habitet in tabernaculo ejus in nocte ejus*] — Huic sensui Theodotio sic interpretatus consentit: *Habitabit in tabernaculo ejus rerum omnium egestas.* Hebræus autem, amplius quiddam dicens, habet, *Habitabit in tabernaculis non suis*, i. e. Vagabundus in aliorum ædibus commorabitur." Cap. 13. "Hebræus pro *turbavit*, habet *percussit.*

Idem Com. in Ecclef. cap. 9. Symmachi Versionem, quæ reddit: *Omnia incerta sunt in conspectu ipsorum*, præfert isti τῶν ό. *Vanitas in omnibus.* Istiusmodi loca, ut opinor, complura suppeditabit ejusdem Commentarius in Jeremiam, quem integrum pene exhibet *Catena Ghisleriana.* Eam consulat qui potest, si modo tanti sit. Mihi enim in præsenti non datur facultas. Appellatur autem hic Scriptor ab Anastasio Sinaita, *magnus ille inter Philosophos & Doctores Olympiodorus.* Errant itaque qui illum deferunt ad seculum IX. vel X. aut XI^m.

CAP. IX.

Scriptores seculi VI. Severus *Patr. Antiochenus*, Procopius Gazæus, Justinianus *Imp.* Anastasius Sinaita *Patr. Antioch.* Joannes Philoponus, Hesychius *Hierof.*

SEVERUS, Eutychianus, ex Pisidia oriundus, qui ad Patriarchatus Antiocheni fastigium promotus est an. 513. in Epistola ad *Joannem Tribunum*, apud *Zephyri Catenam* in Cantica Scripturæ varia, locum illum Deuteronomii, *Constituit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei*; juxta LXX. exponit, non juxta *Heb.* quod habet: *secundum numerum filiorum Israel.* Idem tamen in Epistola ad *Comitem*, in locum illum Cantici Esaiæ, ἀναστήσονται οἱ νεκροὶ, καὶ ἐγερθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις καὶ εὐφρανθήσονται οἱ ἐν τῇ γῇ· *Resurgent mortui, & excitabuntur qui in monumentis sunt, & lætabuntur qui sunt in terra*: aliorum Interpretum translationes haud obscure præfert. Ἀντὶ τοῦ ἐγερθήσονται οἱ λοιποὶ ἡρμήνευσαν, ὡς κοιμηθέντων αὐτῶν, οὐχὶ δὲ τεθνεώτων· διὸ ὁ τῶν ἁγίων θάνατος κοίμησις ὀνομάζεται. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ κοιμήσει ἡ ἀνάστασις. ἐξυπνισθήσονται γὰρ οἱ ἐν τοῖς μνημείοις κατὰ τὸ πρῶτον

πρῶτον ἔρηται, κατὰ δὲ τὸ δεύτερον ἀγαλλιάσονται, ἢ αἰνέσουσι κατὰ τὸν Ἀκύλαν, ἢ ἀλαλάξουσι κατὰ τὸν Θεοδοτίωνα· *Pro* excitabuntur, *reliqui Interpretes dixerunt,* expergiſcentur, *tanquam ſi dormirent & non mortui eſſent: propterea ſanctorum mors ſomnus nuncupatur. Reſurrectio autem merito dici poſſit* experrectio, *ut reſpondeat* ſomno. *Propterea reliqui Interpretes in prima parte hujus clauſulæ:* Expergiſcentur qui in monumentis ſunt; *in ſecunda vero:* Exultabunt, *vel ſecundum Aquilam*, laudabunt, *vel ſecundum Theodotionem*, jubilabunt. In *Balthaſaris Corderii* Catena Græcorum Patrum in Cantica Veteris Novique Teſtamenti, tribuitur hoc Scholion non *Severo*, ſed *Euſebio*. Sed *Severi* eſſe exiſtimo. Apud Catenam in Job, cap. 2. hæc habet: *Pereat dies in quo natus ſum, i. e. nulla ejus mentio fiat; & nox in qua conceptus ſum: hunc enim ſenſum HEBRÆUS habet, quem Symmachus ſequitur, cum ait: in qua conceptus eſt homo.*

2. Procopius *Gazæus*, Sophiſta, à [a] *P. Galeſinio* dicitur aſſeruiſſe LXX. Cellularum miraculum: cæterum illum Interpretibus afflatum nullum divinum tribuiſſe, ex illius in *Octateuchum*, ſeu potius *Heptateuchum*, colligitur Præfatione; in qua, reddita ratione, quare Prophetiæ in V. T. paulo obſcuriores ſint, ſubnectit: *Poſſum & alteram obſcuritatis referre cauſam, atque hæc inde proficiſcitur, quod V. T. in linguam Græcam verſum eſt induſtria ac ſtudio Ptolemæi ante Chriſti incarnationem.* Quibus verbis hoc ſibi voluit: Interpretes LXX. quum Scripturas verterint *ante* Chriſti adventum, Prophetias ad illum ſpectantes non ſatis intellexiſſe, adeoque obſcurius tradidiſſe. [a] De LXX. Interp.

Hebraici textus, Verſionis *Syriacæ*, reliquarumque Græcarum Interpretationum collationes in Commentariis ubique inſtituit. Et quantum tribuerit Hebraicæ veritati præ LXX. Interpretibus, ex locis ſequentibus perſpicue colligi poteſt. Ad Gen. I. 1. *At ſi velimus Hebræam obſervare veritatem, ſciendum eſt* principii *nomen ſignificare* caput. *Itaque licebit hunc aſſignare ſenſum: Moſes cœlum & terram, quæ prima ſunt entium viſibilia,* caput *vocat. Quemadmodum in corpore humano caput non ſitu ſolum, ſed & ſenſitiva virtute vitalique ſpiritu reliquas corporis partes excellit, ſic reliquas divini opificii partes longe ſuperat cœlum & terra.* Paulo poſt: *Verum ſi Hebraicam dictionem diligentius excutere velimus, reperiemus eam vocem, non ſimpliciter ſignificare,* fecit: *ſed condidit, in conſpectum noſtrum dedit, & demonſtravit, quæ omnia quodammodo docent, quod eam, cum prius non fuerit, nec ex præjacente materia conſtituerit, & videndam exhibuerit. Nam quod* LXX. *Interpretes inquiunt,* Fecit, *certe occaſionem quibuſdam magni erroris obtulere.* Facere *enim de his prædicatur, quæ ex quadam materia producuntur, ut ex ferro falx, & alia quæ nobis artifices efficiunt. Hinc quidam in hunc errorem provoluti ſunt, ut vociferentur, Moſen ab Ægyptiis edoctum, credidiſſe ex præjacente materia hoc Univerſum conditum, eamque ſententiam ſtatim in ſui operis initio nobis inculcare, cum utatur verbo,* Fecit. *Horum impudentiam cum ignorarent* LXX. *Interpretes, præſentem locum per verbum,* Fecit, *expoſuere, cum SATIUS fuiſſet aliter expoſitum eſſe, & per verbum quod Hebræo per omnia reſponderet, ſicut Moſem egiſſe conſtat, qui eo verbo, quod ponit, quaſi reluctatur ſumma vi illis, qui materiam inducebant, oſtendens evidenter eam non præjacuiſſe.* Ad cap. VIII. de columba ex arca Noæ emiſſa: *At hæc nullam ſui generis avem reperiebat: quapropter citius arcam repetebat. Sic etiam, ut habet Hebraicus textus, & corvus in arcam revolavit.* Cap. XV. *Cæterum ſub dictione turturis, intelligendus eſt pullus turturis — Hebræus textus non habet prorſus columbam. Nomen vero Hebraicum, quod columbam ſeu turturem ſignificat, eſt Jona: ſed nomen, quod in Hebræo textu ibi legitur, eſt Tobal, quod ex confeſſo denotat pullum. &c.* Cap. XXXIV. *Jacob vero audivit, quod polluiſſet filius Hæmor Dinam*] *Hebraicum exemplar non habet: Filius Hæmor,*

mor, sed sola dictio, Hemor, in Hebræo ponitur. UNDE *conjectare possumus, non filium solum, sed & Patrem cum Dina concubuisse, quod quidem gravissimum piaculum censebatur. Huic sensui videtur congruere, quod infra dictum est: Responderunt filii Jacob Sychem & Hemor, & collocuti sunt cum illis dolo, quia polluerant sororem ipsorum. Ecce ibidem ponitur pluralis numerus, quasi uterque objecerint fucum virgini. &c.* Hoc genus alia non pauca missa facio. Illud interim monuero, quotiescunque textus Hebraicus in hisce *Procopii* Commentariis nuncupatur *Hebræa* VERITAS, quod sæpius factum, adscribendum hoc videri non ipsi *Procopio*, sed Interpreti tantum Latino. Nam, ut alibi jam dixi, Latinorum est ista locutio, non Græcorum. In eisdem Commentariis occurrunt textus quidam S. Scripturæ ex Latina *Hieronymi* versione deprompti, non vero ab ipso *Procopio*, sed ab ejus Interprete. Græca ipsius non habemus.

Ex ejusdem in *Esaiam* Commentario, Græce & Latine edito, testimonium unum aut alterum subjiciam, quo ad Hebræum confugiens erroris LXX. luculente insimulat. Cap. XVII. πρόσκειται δὲ νῦν κατὰ μόνους τοὺς οβ'. τῷ, καταλελειμμένη, τὸ, εἰς τὸν αἰῶνα. ὅπερ ἐστὶ περιττόν. χρονικὴ γάρ, ἀλλ' οὐ διηνεκὴς ἡ ἅλωσις ὑπὸ τῶν Ἀσσυρίων ἐγένετο, ὅτε καὶ τὴν Ἱερουσαλὴμ ἐχειρώσαντο. *Hic autem advertendum est ab Interpretibus* LXXII. *tantum, post*, derelicta *vocabulum*, in seculum, *adjici. Quod supervacaneum est. Neque enim in perpetuum, sed ad tempus usque aliquod excidium illud fuit, cum & Hierosolymam expugnarunt* Assyrii *&c.* Cap. XXX. τὸ δὲ, ἅγιος, ἐν τῷ, λαὸς ἅγιος, οὐ πρόσκειται παρ' Ἑβραίοις, οὔτε κατὰ τὰς ἐκδόσεις τῶν ἄλλων· εἰκότως. οὐδὲ γὰρ πάντως ἅγιος, ὁ τὴν πόλιν μετὰ τὴν ἐπάνοδον οἰκήσας λαός. ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ, κλαυθμῷ ἔκλαυσεν, τὸ Ἑβραϊκὸν, οὐκ ἔκλαυσεν, ἔχει. διὸ Σύμμαχος, οὐ κλαύσεις, φησίν· ὁ δὲ Θεοδοτίων, οὐ κλαυθήσεται. εὐφροσύνης γὰρ ἦν καιρὸς, οὐ κλαυθμοῦ: τοῖς ἀπειληφόσι τὴν πόλιν ἐλέῳ Θεοῦ. &c. "*Ceterum advertendum est vocabulum*, Sanctus, *ubi* Populus sanctus *legitur, in* "*Hebræo, aliisque etiam editionibus, non reperiri: Idque quidem merito. Neque enim omnino* Sanctus *fuit, qui urbem post reditum* populus *habitavit.* "*Quinetiam ubi* fletu flevit *habemus*, non luxit *in Hebræo est: Unde*, non "flebis, *Symmachus*, non lugebitur, *Theodotio dixerunt. Erat enim* lætandi, "*non* flendi *iis occasio, qui Urbem Deo miserante recepissent.*" Rursus ad c. II. rejecta Versione LXXvirali, *Aquilæ* & *Symmachi* complectitur interpretationem. καὶ μετὰ ταῦτα φησί· καὶ μὴ ἀφῇς αὐτοῖς. ἀντὶ γὰρ τοῦ, οὐ μὴ ἀνήσω αὐτοὺς, ὁ μὲν Ἀκύλας, οὐ μὴ ἀνῇς αὐτοῖς, ἡρμήνευσεν· ὁ δὲ Σύμμαχος, καὶ μὴ ἄφῃς αὐτοῖς. &c. *Ad hæc, ait postea*: Et non remittas illis: *ita enim reddunt Aquila & Symmachus, pro eo quod habent* LXX. non dimittam illos. &c. Similia quædam citantur ex eodem Commentario ad oram Codicis *Marchali*: ubi ad cap. 5. v. 15. ait verba illa ἄνθρωποι ἐν ἀσφαλείᾳ, quæ LXX. habent, non autem Hebræus, esse περιττὰ *superflua*. & ad c. 42. v. 17. ubi LXX. habent, αἰσχύνθητε αἰσχύνην &c. ὅπερ, inquit, ἀκριβῶς ἡρμήνευσε Σύμμαχος, εἰπὼν, αἰσχυνθήσονται αἰσχύνην οἱ πεποιθότες τοῖς γλυπτοῖς. *Quod bene*, sive *accurate*, *interpretatus est Symmachus*: cujus Versio cum Hebræo consonat.

a Resp. ad tertias Simonii Object.

Contendit [a] *Is. Vossius*, vixisse hunc *Procopium Gazæum*, non seculo VI. sed multo ante, æqualemque fuisse *Diodoro Tarsensi*, *Nestorio*, & *Hieronymo Stridonensi*. Et ut hoc evincat, illius ad *Hieronymum* quandam producit Epistolam. At vero in Epistola illa nihil cerno ego quod *Hieronymum* istum, ad quem scribit, eundem fuisse cum *Presbytero Stridonensi*, vel persuadeat, vel probabile faciat. Et fuisse quidem *Procopium* hunc præceptorem *Choricii Sophistæ*, qui floruit sub Imp. *Justiniano*, adeoque vixisse post initium hujus seculi, discere potuisset vir eruditissimus ex *Photii Bibliotheca* Cod. CLX.

3. Incertos

3. Incertos quosdam Scripturæ Commentatores, qui certis in locis ad *Hebraica* confugerent, commemorat *Procopius* laudatus. Ad Gen. I. *Et Spiritus Dei ferebatur super aquam*] *QUIDAM volunt hic intelligendum esse Spiritum Sanctum, quod colligunt inde: quia dicitur* Spiritus Dei, *quod de solo Spiritu Sancto dicitur. Nam* Hebraica *vox significat, quasi spiritus incubet, foveat, instar avis, aquam, eamque ad generationem animalium moveat. Qua re docemur elementa nullam vim tenere, ut possint absque reprehensione per se suas operationes absolvere, scil. animalia procreare, aut incubare: verum hæc fieri omnia virtute* divina. *Cæterum nulla vox Græca potuit sua significatione ista perfecte exprimere, quapropter ait,* ferebatur; *quod quidem alienum est à Spiritu Sancto, nisi forte quis, quemadmodum illa; Deus ascendit, descendit, & ambulabat, etiam hanc dicendi formam intelligat. Sed quidam hunc sensum exsibilarunt. &c.* Ad finem Commentarii ejusdem Capitis; *Aiunt quidam, plerumque in particularibus adjunctum esse illud:* Et vidit quod esset bonum, &c. *præterquam in secundi diei opere. Non enim illa verba intercalaria, inveniri in textu Hebræorum.* (in opere secundi diei apud LXX. inveniuntur, non apud Heb.) In Esaiæ XXVIII. *Aiunt vero nonnulli urbem id nominis ob id sortitam esse, quod Dei auxilio ipsa, non aliter quam Leo, sibi reluctantes dissiparet. Dicunt præterea verba ista: Civitas quam expugnavit David, in Hebræo non inveniri, sed: Civitatula expugnationis David, ut transtulit Aquila.* Paulo post: *Aiunt vero verba ista: Comedetis cum Moab, neque in Hebraico neque apud alios Interpretes reperiri, quod etiam alias ex communi interpretationum consensu* (ἐκ τῆς συμφερέσεως τῆς ἑρμηνείας) *superfluum esse dicunt demonstrari posse.*

4. JUSTINIANUS Imp. in *Novella* CXLVI. qua permittit *Judæis*, quotcunque vellent, non modo *Hebraice*, verum etiam *Græce* vel *Latine*, vel alia quacunque lingua vernacula, pro regionum diversitate ubi habitarent, Scripturas in Synagogis legere; illis qui *Græce* Libros sacros legere voluerunt, commendat Versionem LXX. Interpretum, ut ea præ cæteris uterentur. *Quæ* (inquit) *omnibus certior est, & præ aliis melior judicata, præcipue propter quod circa interpretationem contigit, quia & per duos divisi, & per diversa interpretantes loca, tamen unam tradiderunt omnes compositionem. Ad hæc vero* (pergit) *quis non horum virorum & illud admiretur, quia multo antiquiores salutari apparitione Magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, tamen illam futuram tanquam videntes, sacrorum Librorum traditionem fecerunt, tanquam prophetiæ gratia circumfulgente eos.* Et hac ut *præcipue* utantur, mandat. Sed subdit, se minime Versiones alias excludere, verum illis concedere Versionum quoque aliarum usum, speciatim *Aquilæ*, cui ipsi maxime favebant: idque quamvis eam à LXXvirali non mediocriter discrepare sciret. Καὶ ταύτῃ μὲν χρήσονται μάλιστα πάντες. πλὴν ἀλλ᾽ ὡς ἂν μὴ τὰς λοιπὰς ἀποκλείειν νομοθετοῖμεν ἑρμηνείας, ἄδειαν δίδομεν καὶ τῇ Ἀκύλα κεχρῆσθαι, κἂν εἰ ἀλλόφυλος ἐκεῖνος, καὶ οὐ μετρίαν ἐπί τινων λέξεων ἔχῃ πρὸς τοὺς ἑβδομήκοντα διαφωνίαν· *Atque hac quidem omnes præcipue utentur. Ne tamen in eam opinionem veniant, quasi cæteras interpretationes exclusérimus, damus illis licentiam, ut etiam interpretatione Aquilæ utantur; tametsi ille diversæ nationis fuerit, & in nonnullis dictionibus non mediocrem cum* LXX. *habeat differentiam.* De hac *Novella* jam plenius supra in cap. 1. ubi de Judæis egimus.

5. ANASTASIUS SINAITA, Patriarcha Antiochenus, in Ὁδηγῷ cap. 6. contra Aquilæ Versionem acerrime invehitur, eumque testimonia de Christo περικόπτειν *mutilasse*, ait. Alibi LXX. Interpretationem vocat τὴν ὀρθὴν *rectam*, sive *legitimam*. Attamen in *Anagog. Contemplationibus in Hexaem.* aliorum Interpretum translationes exponit & magni facit. Lib. 9. ad Gen. II: 22. μετὰ τὸ εἰπεῖν; Καὶ ᾠκοδόμησε Κύριος ὁ Θεὸς τὴν πλευρὰν,

πληρῶν, ἔχων στιγμὴν ὁ μέγας Κλήμης, καὶ τότε ἀρχὴν στίχου ποιήσας, ἐπήγαγε τὸ, ἣν ἔλαβε ἀπὸ τοῦ Αδὰμ εἰς γυναῖκα. καὶ δοκεῖ μοι πάνυ θεοσεβῶς ἐπιστῆναι τῇ λέξει. καὶ γὰρ ὁ Θεοδοτίων οὕτω διέστειλε τὸ αὐτὸ ῥῆμα. *Post dictum*, Et ædificavit Dominus Deus costam, *magnus Clemens plenum punctum signans, & tum initium versus faciens infert illud*: Quam ceperat ab Adam in mulierem. *Et videtur mihi plane pie eam lectionem insistere, siquidem Theodotion sic idem dictum divisit.* Rursus ibid. "*De qua extasi seu excessu & incarna-* "*tione dixit ei Propheta Abacuc*; Dissecuisti in extasi capita potentum; "*h. e. adversarum Potestatum. Pro* extasi *autem alius Interpres dixit* tor- "porem; *alius*, veternum; *alius*, somnum. *Torpor autem, veternus &* "*somnus sunt vitæ & mortis participes &c.* Lib. 10. *Mihi autem videtur* "*prius melius secundo. Symmachus enim & Aquila, pro* prudentior, *dixe-* "*runt* callidior; *quod quidem proprie intelligitur & dicitur de doloso nostro* "*Adversario.*" Libro 2. libros Veteris Testamenti 22. (juxta Hebræos) ponit.

Libro 12. Græce & Latine seorsum edito, testatur nonnullos Commentatores in loco quodam Versionem *Symmachi* sequi. "De qua mu- "liere & adhuc scriptum est: *Adam vero cognovit uxorem suam Evam,* "*quæ concepit & peperit Cain, dicens*: *Possedi hominem per Dominum*, non per "serpentem, non per lignum —— sed possedi hominem, Ego Eccle- "sia per Deum, nempe Christum, unde alii Interpretes qui secuti "sunt Symmachum, eximie hanc vocem reddidere, nam pro *possedi ho-* "*minem per Dominum*, unus scripsit, *possedi hominem cum Domino*, i. e. ho- "minem adunatum Domino, nempe hominem ipsum simul & Deum. "Alter vero Interpres, *possedi hominem Dominum*, quasi diceres, ho- "minem Deum.

6. Joannes Philoponus Com. in Cap. 1. Gen. seu *De Mundi creatione*, non modo reliquorum Versiones passim citat, verum etiam sæpe exponit ac explicat, ex iisque argumentatur. Lib. 1. c. 4. *Dignum tamen sit Aquilæ scripturam nosse, quæ talem sensum habet*: Ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ Θεὸς σὺν τὸν οὐρανὸν, σὺν τὴν γῆν· *in capite creavit Deus simul cælum simul terram. Nonnulli quidem illud*, in capite, *idem significare dicunt*, quod, in principio. *Mihi autem videtur magis significare, conjunctim simul factum esse cælum & terram; siquidem istorum non illud quidem primum, hoc vero secundum Deus fecit. — Nam illud* (τῶν LXX.) In principio creavit Deus cœlum & terram, *non tam perspicue declarat, utrumque simul facta esse. Hoc autem*, In capite, simul cœlum, simul terram; *declarat alterum non præcessisse alterum.* Lib. 2. c. 5. *Huic sensui cæteræ etiam favent editiones. Siquidem Aquila ait*, ἡ δὲ γῆ ἦν κένωμα καὶ οὐθέν. *Theodotion*, ἡ δὲ γῆ ἦν κενὸν καὶ οὐθέν. *Symmachus*, ἡ δὲ γῆ ἐγένετο ἀργὸν, καὶ ἀδιάκριτον. *Inanitas quidem* (κένωμα) *quatenus erat vacua omnibus stirpibus & animantibus. — Itaque in quantum virtute quidem erat id quod postmodum habuit effectu, erat quid inane, id est aliquid erat, sed in quantum necdum in opus prodierat, nihil erat. —— Vel itaque ab Aquila comparative dicitur, inanitas & nihil, vel adeo vacua erat, ut propterea nihil esset. Verum Symmachi versio clarior est, quæ habet*, Quid iners & indiscretum. *Iners quidem secundum naturam, seu otiosa erat à suis operationibus. — Porro indiscreta erat, propter admixtionem aquæ, ab hac nondum segregata.* Lib. 5. c. 6. οὐ συγχωροῦσι δὲ τοῦτο νοεῖν ἡμᾶς ἐνταῦθα αἱ τῶν ἄλλων ἐκδόσεις &c. *Verum aliorum editiones minime permittunt nos hoc loco id intelligere. Nam Aquila sic ait*: *&c. — Ex his fit manifestum, quod modo non aerem significet, cum meminit volatus secundum firmamentum cæli, sed ipsum cælum &c. —— Sic igitur etiam illud* LXX. *secundum faciem cæli, intelligendum est.* Lib. 6. c. 18. "*At nemo hic illud*, "ad imaginem Dei, *corpoream figuram intelligat. Nam cum* LXX. *semel* "*dixissent, ad imaginem*; Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei "fecit

"fecit illum; *Aquila & Theodotion, secundo repetiverunt, illud*, ad imagi-"nem. *Aquila quidem*: Creavit Deus simul hominem, in imagine Dei "creavit illum. *Theodotion vero*: Et creavit Deus hominem in imagine "sua, in imagine Dei creavit illum. *Aliud igitur est*, in imagine sua, "*quod à* LXX. *omissum est*; *& aliud*, in imagine Dei. *Siquidem de forma* "*corporea est illud*, In imagine sua, *i. e. ipsius solius propria, & non alteri* "*cuipiam animali communi*. (*Nam usus etiam Græcorum vocem* αὐτὸ, *i. e.* "*ipsius, pro* μόνα, *seu solius, accepit*.) *Hoc vero de similitudine ad Deum, id-* "*que verum esse, Symmachus manifeste declaravit. Nam pro* imagine sua, "*dicit*, in imagine diversa: *voce diversa paulo ante dictam significationem obtinente*. Ibid. cap. 25. *Quinetiam ex aliis editionibus hæc nostra expositio fit manifestior. Aquila enim ait*: Et inspiravit in faciem ejus spiraculum. *Theodotion vero & Symmachus similiter*: Et inspiravit in nares ejus spiraculum vitæ. *Hi autem videntur mihi insitum calorem significare, qui per aspirationem & inspirationem aeris, vitam fovet, quique vel pusillum inhibitus, mortem adfert: tantum abest, ut per ea quæ dicta sunt, Spiritus Sanctus significetur.*

7. HESYCHIUS, Presbyter Hieros. (postea Patriarcha) qni à nonnullis refertur ad an. 400. ab aliis ad exiturum hoc seculum 6^{tum}, *Expositione in Levit.* Interpretibus reliquis Aquilæ, Sym. & Theod. non parum auctoritatis deferre solet. *Sixtus Sinensis* ait illum *sequi editionem ita temperatam, ut cum* LXX. *conveniat, & à Vulgata Lat. non discrepet.* Id vero, ut opinor, debetur Interpreti Commentariorum ejus Latino, si modo vera sit [a] *Sinensis* observatio. [a] Biblioth. l. 4.

8. Sunt inter recentiores, qui tradant Versionem LXX. *approbatam fuisse à Concilio* v. *Generali*, quod celebratum est an. 553. Verum tales sunt illi Scriptores, qni illius Concilii decreta omnino ignorabant, nec digni sunt qui nominentur.

CAP. X.

Scriptores seculorum sequiorum Nicephorus *Patr. Constant.* G. Syncellus. Photius *Patr.* Nicetas *Heracliensis*. Theophylactus. Euthymius. Suidas. Jo. Tzetzes. Nicephorus Callistus. Scholiastæ. *Scripturarum Exemplaria quædam ab Hæreticis corrupta.*

NICEPHORUS Patr. Constantinop. qui claruit ante exitum seculi VIII. obiitque an. 828. in Chronographia, juxta LXX. nnmeros subducens, ait ab Adamo ad Dilnvium fuisse annos 2242. ὡς ἡ ἀλήθεια ἐπιμαρτυρεῖ *juxta testimonium veritatis*. Idem vero in *Antirrhetico* 2. ubi agit de 6. Synodis, locum quendam ex Esaia profert, non juxta LXX. sed jnxta Hebræum: κατὰ τὴν προφητικὴν φωνὴν τὴν κελεύουσαν· [b] Πορεύεσθε διὰ τῶν πυλῶν, καὶ σκυλεύσατε τὴν ὁδὸν &c. *Juxta Prophetæ vocem quæ sic jubet, Ite per portas meas, & denudate viam.* In LXX. deest illud, καὶ σκυλεύσατε τὴν ὁδὸν, quod tamen agnoscunt Hebræa. [b] Es. LXII. 10.

2. G. SYNCELLUS, Chronographus, qui scripsit an. 792. solus inter Græcos, ut *Julianus Toletanus* solus inter Latinos, Codicibus *Græcis* adversus *Hebraicos* aperte patrocinatur; verum uterqne tantum in re Chronologica. Certe Editionis LXX. Chronologiam in annis ad Dilnvium, & inde ad Abrahamum, supputandis, Hebraicæ diserte præfert. Et *Africanum* atque *Eusebium*, quod *Cainanem secundum* omiserint, non uno in loco reprehendit. Vide supra in *Eusebio*. Eos nsos fuisse *corrupto Hebræorum exemplari*, [c] affirmat. Et Codicem *Samariticum*, Jndaico anteponere videtur: ὁ μὲν τοι Ἀφρικανὸς βσξϛʹ. ἐπιλογίσατο ἐκ τινων [c] Pag. 79.

 σπανίων

σπανίων ἀντιγράφων ὄντων προεχόντων, οἷς οὐ χρὴ πείθεσθαι. μέχρι τοίνυν τοῦ κατακλυσμοῦ καθὼς πρόκειται διαφωνοῦσι τὰ Ἑβραϊκὰ ἀντίγραφα πρὸς τὸ Σαμαρειτῶν ἀρχαιότατον, καὶ τοῖς χαρακτῆρσι διάλλαττον, ὃ καὶ ἀληθὲς εἶναι καὶ πρῶτον Ἑβραῖοι καθομολογοῦσιν. ἔτεσι τμθ΄. πρὸς δὲ τὴν τῶν ο΄. ἔκδοσιν, τὸ μὲν Ἑβραϊκὸν ἔτεσιν φπς΄. τὸ δὲ Σαμαρειτικὸν ϡλε΄. Ἀφρικανὸς δὲ πρὸς Εὐσέβιον διαφωνεῖ ἔτη εἴκοσι. *Africanus quidem anno 2262. ex quibusdam raris ac nullius fidei* (τῶν LXX.) *exemplaribus diluvium adscripsit. A vetustissimo itaque & longe diversis characteribus exarato Samaritanorum exemplari, quod verum esse &* (quoad characteres) *primum fatentur Hebræi, ipsi Hebraici Codices annis 349. ad Diluvium usque discrepant: à* LXX. *Interpretum editione Hebraicum exemplar annis 586. Samaritanum vero 935. Africanus demum ab Eusebio dissonat annis 20.* Pag. 89. *A Diluvio quippe usque ad primum Abrahami ex Judæorum textu anni 292. censebantur. Quandoquidem igitur qui Diluvio posteriores Abraham præcesserunt, post designatas annorum centurias subjunctumque eisdem numerum prolem primum susceperunt; tempore nimirum in vetustissimo Hebræorum exemplari, quod apud Samaritas etiamnum asservatur, a quo* LXX. *Interpretum calculus nullatenus dissentit, quænam ratio majores eorum, multo prolixiore vita donatos, ad liberos procreandos citius, & non potius signatis apud* LXX. *temporibus festinasse suadebit? Inclinat ut in eam mentem eamus, humanus ipse sensus: atque ita in ponenda ab Adam usque ad Abraham annorum ratione, præterquam in tribus circa Jared, receptum à Judæis textum errasse fatendum est, ac eum pariter cujus apud Samaritas est usus, circa eos qui ab Adam usque ad Diluvium scripti sunt penitus incertum: alii namque à Diluvio versus Abraham vulgato* LXX. *Interpretum calculo consonare noscuntur. Oppositum vero errorem quasi data opera tueri videtur, qui penes Judæos est memoratus Hebraicus codex. Iisdem enim annis Abraham & Noe copulat, ac suppares repræsentat, quod equidem nulla historiarum affirmat auctoritas. Etenim si ex Judæis recepto textu, à Diluvio usque ad Abraham anni solummodo 292. interponuntur: Noe vero ex eorum mente Diluvio superfluit annis 350. eundem certe ad 58. Abrahami vitam produxisse meridiana luce manifestius est. Alio quoque argumento reperta Judaicis in exemplaribus absurda sententia convincitur: quod annis 30. solum natos homines ad prolem suscipiendam ante Abraham convolasse, Abraham vero nepotes non nisi annis 30. majores illi primum laborasse, describat. Antiqua igitur* LXX. *Interpretum editione, ceu ex incorrupto, ut videtur, Hebraico fonte quondam traducta, per totam hanc Chronographiam passim merito sumus usi, cum maxime quaqua patet universus terrarum orbis dilatata Christi Ecclesia receptam eam habeat, & Salvatoris nostri ac Discipulorum ejus auctoritate usibus nostris à principio fuerit commendata.*

3. PHOTIUS, Patriarcha Constant. qui claruit an. 850. & deinceps, in Biblioth. Cod. CLXXVII. hoc urget in laudem Versionis Græcæ, quod eam Interpretes LXX. *simul convenientes* elaborarunt: ὡς οἱ ο΄. συνεληλυθότες ἐκδεδώκασι. Utrum vero ipsius sunt ea verba, an *Theodori Antiocheni*, cujus libri cujusdam contenta refert, incertum. Vide supra cap. 7. in *Theodoro*.

4. NICETAS, Metropolita *Heracliensis*, circa an. 1070. in Procemio Comment. Psalmorum, ait se editionem *Lucianeam magni facere, ei vero præferre* LXX. *quia divisim dialecti translationem facientes, unam in omnibus sententiam & dictionem reddiderunt.* ἡμεῖς δὲ καὶ τὴν τοιαύτην ἔκδοσιν σεβαζόμενοι, τῇ τῶν ἑβδομήκοντα προσκείμεθα μάλιστα, ὅτι διῃρημένως τὴν τῆς διαλέκτου μεταβολὴν ποιησάμενοι, μίαν ἐν ἑκάστοις ἔννοιαν καὶ λέξιν ἀποδεδώκασιν. Apud Catenam in Job in Cap. 13. in ipso textu per parenthesin monet quid habeat *Hebræus*. καὶ ῥίζαν λόγου εὑρήσομεν ἐν αὐτῷ (ὁ δὲ Ἑβραῖος, καὶ ἁμάρτημα λόγου λέγει) Aliorum ibidem Versiones haud obscure nonnunquam præfert. Cap. II. "*Consolatores malorum omnes*] Pro quo Aquila, *Consolatores*

"*tores laborum*; Theodotio, *Consolatores molestiarum*; Symmachus autem dilucidius reddidit, *Consolatores omnes odiosi estis*." Rursus ibid. "*Si subjecta esset anima vestra pro mea*] Illud, εἰ, pro εἴθε, i. e. *utinam*, "positum est, sic enim Symmachus; pro quo Aquila, ὄφελον, reddidit." Iterum. "*Teneat autem fidelis viam suam &c.*] Hoc per modum supplicationis dictum est, *Utinam pristinam felicitatem recuperem*. Theodotio autem sic reddens, *Et adhærebit justus viæ suæ*, non patitur ut "in verbis precationem intelligamus, sed causæ potius redditionem & "appositionem." Ad cap. 28. *Duces autem Draconem in hamo?*] Reliqui vero, *Leviathan*. Cetum autem, cujus supra mentio facta est, & "Draconem hoc loco, unum & eundem esse arbitror, quoniam in Hebræo utrobique vox Leviathan usurpatur, nec alii Dracones ita ab "Hebræis appellantur, sed generis sui propria nomina singuli habent.

5. THEOPHYLACTUS, Bulgarorum Archiepiscopus, qui floruit eodem tempore inter adsertores miraculi LXX. Cellularum recensetur à [a] *Galesinio*; verum tale quid nusquam invenio, dum illius evolvo volumina. Enarratione in Jonam Proph. Versionem *Syriacam* (quæ ex Hebræo facta est) citat. Ad cap. 4. ejusdem Prophetæ, interpretationem Symmachi præfert. *Dixitque Deus, Nonne tu vehementer contristatus es?*] *Conturbatum Prophetam refovet Deus, interrogando num sit contristatus. Interrogatus enim, terrere ipsum videtur, ceu non recte mœrore affectum. Atque hoc apertius Symmachus, Dixit enim, Nunquid jure contristatus es? Et, num recte contristatus es? h. e. considera penes teipsum, an justam habeas mœroris causam &c.* Quamvis *Jo. Chrysostomi* vestigiis solet insistere, illum tamen conjicientem, libros sacros qui jam deperditi sunt, periisse vel devastationibus hostium, vel Judæorum negligentia aut etiam *malitia*; in hoc deserit, & pro causis, tantum devastationes sive captivitates, & negligentiam assignat. Ad locum illum Matthæi: *Ut impleatur quod dictum est per prophetas, quod Nazaræus vocabitur*: καὶ ποῖος προφήτης (inquit) τοῦτο εἶπεν; οὐχ εὑρίσκεται νῦν. διὰ γὰρ τὴν ἀμέλειαν τῶν Ἑβραίων, πολλὰ βιβλία ἀπώλοντο, καὶ ἀπὸ τῶν συνεχῶν αἰχμαλωσιῶν· ἀγράφως δὲ τυχὸν ἐλέγετο παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις· *Et quis Propheta hoc dixit? non invenitur nunc. Per negligentiam enim Judæorum multi libri desiderantur, & ob continuas captivitates: fortassis absque etiam scriptura hoc dicebatur apud Judæos.*

[a] De LXX Int.

6. Aliter vero EUTHYMIUS, ejusdem ætatis scriptor, vel paulo junior, qui ad eundem locum, Chrysostomum sequens, *plurima* (inquit) *propheticorum voluminum perierunt, partim propter Judæorum negligentiam, partim propter malitiam.* Is in Præfatione Com. in Psalmos ait Interpretes LXX. σύμφωνον εἰς ἅπαν ἑρμηνείαν confecisse. Ibidem tamen monet Scripturarum obscuritatem Interpretationi ipsi esse partim tribuendam; id vero commune esse omnibus linguis. πᾶσα γὰρ γλῶττα μετατιθεμένη πρὸς ἀλλοτρίαν, ὡς ἐπὶ πλεῖστον ἔχει τὸ ἀσαφὲς καὶ δυσκατανόητον· *Omnis enim lingua in aliam conversa, ut plurimum, difficultatem atque obscuritatem generat.*

7. A SUIDA Lexicographo citatur, tanquam potior, interpretatio *Symmachi*. v. Σὴθ. *Jure igitur filii Sethi, & Henos, & Enochi, filii Dei, & filii Deorum, secundum Symmachum intelligantur, qui intemperantia capti ad Caini filias ingressi sunt.* Apud eundem, in Λουκιανός, laudatur & extollitur *Luciani* opera qui LXX. Versionem ex Hebræo in integrum restituit. At verba illa (ut puto) non ipsius Suidæ, sed alius cujusdam sunt; solet enim *Suidas* aliorum passim verba exscribere. Et falluntur illi qui existimant illius ætatem certo colligi posse ex eo quod in v. Ἀδὰμ annorum computationem terminet in obitu *Jo. Tzimiscis* Imp. i. e. in anno 976. Locum istum ex alio quodam Scriptore, ut alia permulta

ejusdem generis, verbatim fuisse desumpta, existimo, & patet quidem ex voce ὅτι, (ὅτι ἀπὸ Ἀδὰμ &c.) quæ *excerptis* solet præfigi. De ætate tamen ejus hoc constat, quod vixerit ante medium seculi XII. ab *Eustathio* enim *Thessalonicensi* Com. in Homeri Odyss. citatum reperi.

8. Jo. Tzetzes, qui vixit an. 1140. in *Chiliadum* Opere, Chil. 13. Hist. 493. reprehendit LXX. Interpretes, quod dixerint ὀλολύζετω πίτυς pro ὀλοφύρεσθαι.

> Ὀλοφυρμὸς, ὁ θρῆνος μὲν, ὀλολυγμὸς, εὐχὴ δέ.
> Ὡς Εὐριπίδης, Ὅμηρος, καὶ ἕτεροι μυρίοι
> Διδῶσι παραδείγματα μυρία μοὶ πρὸς τοῦτο.
> Ἑβδομήκοντα δύο δὲ ἑρμηνευταὶ Ἑβραίων,
> Ἐκ λήθης, οἶμαι, λέξασιν, ὀλολυζέτω πίτυς·
> Ἀντὶ τοῦ ὀλοφύρεσθαι, ἐκράτησεν ὁ λόγος
> Καὶ δόγμα γέγονε κοινὸν, κανών τε πεπηγμένος,
> Ἀντὶ τοῦ ὀλοφύρεσθαι, τὸ ὀλολύζειν λέγειν.
>
> Ὀλοφυρμὸς, *lamentatio quidem*: ὀλολυγμὸς *autem, oratio.*
> *Ut Euripides, Homerus, atque alii multi*
> *Dant exempla multa mihi ad hoc.*
> *Septuaginta duo autem Interpretes Hebræorum,*
> *Ex oblivione puto dixerunt,* ὀλολυζέτω *pinus,*
> *Pro* ὀλοφύρεσθαι, *obtinuit oratio,*
> *Et decretum factum est commune, regulaque fixa,*
> *Pro* ὀλοφύρεσθαι *illud* ὀλολύζειν, *dicere.*

9. Nicephorum Callistum, qui claruit an. 1330. inter eos qui miraculum diversarum Cellularum asseruerint, annumerat [a] *Middendorpius*, citans librum Historiæ ejus Eccles. IV. cap. 14. At fragmentum *Irenæi* ibi recitat tantum *Nicephorus*, non suam promit sententiam.

[a] Prolegom. in Aristeam.

10. Scholiastes Vetus ad oram Codicis Card. *Barberini*, se Hebraice scivisse ostendit, textumque Heb. citat, & interpretatur. Ad Mich. I. 16. ubi Codex Barberini legit τὴν ξύρησιν, in marg. habetur: Ἑβρ. τὴν χηρείαν, a. c. (i. e. Aquila & Sym) φαλάκρωσιν.

Alius in Dan. cap. 3. de Epistola ad finem ex Heb. subtexta, quæ in LXX. deerat: ἡ ἐπιστολὴ τέτακται καθ' ἑαυτὴν μετὰ τὰ εἰρημένα· ἐπειδὴ ὑπὸ ἀστερίσκοις κεῖται. οἱ μὲν γὰρ παρὰ τὴν ἀρχὴν ἡρμηνευκότες τὰς βίβλους, ὡς τῆς διανοίας περιλαμβανομένης ἐν τοῖς ῥηθεῖσιν, ἀπέσχοντο τῆς ἀκριβείας τῶν ῥημάτων. ὁ δὲ μετὰ ταῦτα ἀπαύλα κατὰ τὸ λεπτότερον διεξιὼν, οὐδὲ αὐτῆς τῆς ἐπιστολῆς τὸν τύπον παρῆκε. *Epistola ipsa posita est per se post ea quæ dicta sunt; siquidem sub asteriscis ponitur. Qui enim ab initio interpretati sunt libros, tanquam sententia comprehenderetur in dictis, abstinuerunt ab accurata sententia verborum. Qui autem postea summa quadam subtilitate est persecutus, neque hujus Epistolæ formulam omisit.*

11. Exemplaria quædam Scripturarum ab Antiquis Hæreticis fuisse corrupta, legimus apud Eusebium Hist. Eccl. V. 28. *Hinc est*, inquit, *quod divinis Scripturis audacter manus intulerunt, eas à se emendatas esse dicentes. Atque id à me non falso eis objici, quisquis voluerit facile cognoscet. Nam si quis exemplaria illorum undique conquisita simul inter se contulerit, inveniet profecto illa inter se plurimum dissentire. Certe* Asclepiodoti *exemplaria non conveniunt cum illis quæ sunt* Theodoti. *Multa porro hujusmodi exemplaria nancisci licet, propterea quod discipuli illorum studiose perscripserunt ea quæ à Magistris suis ut ipsi dicunt emendata, hoc est corrupta fuerant. Jam* Hermophili *exemplaria cum illis quæ diximus minime consentiunt. Ea vero quæ dicuntur* Apollonidis *ne secum quidem ipsa concordant. Nam illa quæ prius ediderat, cum illis quæ postea invertit atque luxavit, conferre quilibet potest, atque inter se dissonantia reprehendere. Quantæ porro audaciæ*

fit ejusmodi facinus, ne ipsos quidem ignorare credibile est. Aut enim sacras Scripturas à sancto Spiritu dictatas esse non credunt, ac proinde infideles sunt: aut semetipsos Spiritu sancto sapientiores esse existimant, ac proinde quid aliud sunt quam dæmoniaci? Neque enim negare possunt hoc facinus à se admissum esse, cum ipsorum manu descripta sint exemplaria; neque ab illis, à quibus in Christiana fide instituti sunt, ejusmodi Codices acceperint: nec ostendere possint exemplaria, ex quibus sua illa descripserunt. Quidam autem ex ipsis ne adulterare quidem Scripturas dignati sunt: sed Legem ac Prophetas absolute repudiantes, per illegitimam & impiam doctrinam, sub obtentu gratiæ in altissimum exitii gurgitem delapsi sunt. T. Novum quantum corruperit Hæreticus *Marcion*, videre est apud *Epiphanium* Hær. 42. c. 9. & 11. & apud *Tertullianum* in libris contra eum scriptis. De loco quodam Epistolæ S. Joannis in vetustis exemplaribus corrupto, Vide *Socratem Hist. Eccl.* VII. 32.

HISTORIA SCHOLASTICA
HEBRAICI TEXTUS,
VERSIONUMQUE GRÆCÆ
ET LATINÆ VULGATÆ.

PARS II.

Quæ continet Latinorum Patrum Scriptorumque Judicia.

CAP. I.

De Veteri Versione Latina, Itala *dicta*. §. 1. Tertulliani, Cypriani, Victorini, Lactantii, Hilarii Pictav. Philastrii, Ambrosii, Hilarii Diaconi, *de Textus Originalis Versionumque auctoritate sententiæ*.

ECCLESIA *Latina* à principio, vel ferme à principio, usa est Versione Latina Testamenti Vet. ex Græca τῶν ό. translatione facta, quæ *Itala* vulgo dicebatur, quoniam in *Italia* prius usitata in alias inde Latinorum Ecclesias recipiebatur. Ab Hieronymo *communis* & *vulgata* dici solet. A *Gregorio M.* aliisque dicitur *Vetus*, respectu scil. habito, non ad alias Latinas Versiones, quæ ante Hieronymi ætatem confectæ sunt, quod [a] nonnulli arbitrantur, sed ad ipsius Hieronymi *novam* Versionem. Et ejusdem respectu vocatur *Vetus* ab ipso Hieronymo *Præf. in Josuam*. Eam æqualem *vel etiam antiquiorem fuisse temporibus Apostolorum*, pronunciat [b] *Is. Vossius*. Ab aliquo Apostolorum Discipulo factam fuisse judicat [c] *Serarius*. Versionem Latinam Veterem T. Novi, quæ hodienum, ex recognitione Hieronymi, superest, *ab ipsis primis Ecclesiæ fundatoribus visam & approbatam fuisse*, aiunt [d] *Baronius* & [e] *Bonfrerius*, verum nulla freti auctoritate.

[a] Natalis Alex. de Lat. Vulg. Vers. 2. 1.

[b] De Orac. Sibyl. c. 13

[c] Proleg. Bibl. cap. 19.

[d] Ad ann. Chr. 231.

[e] Præloq. c. 15.

Versionem hanc Veterem utriusque Testamenti, sub *Italæ* nomine, commemorat *B. Augustinus*, qui adjicit, sua ætate tot fere extitisse Versiones Latinas, quot Codices; pene singulis, à primis Fidei temporibus, qui in Græcis aliquid pollere sibimet videbantur, translationem novam è Græco molientibus. De Doctr. Christ. II. 11. *Latinorum Interpretum infinitam varietatem* memorat. Et post paululum: *Qui Scripturas ex Heb. lingua in Græcam verterunt, numerari possunt, Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis Fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.* Epist. ad Hieron. *Per hoc plurimum profueris, si eam Scripturam Græcam, quam* LXX. *interpretati sunt, Latinæ veritati addideris: quæ in diversis codicibus ita varia est, ut tolerari vix possit: & ita suspecta, ne in Græco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri aut probari dubitetur.* Alia ad eundem Epistola: *Ideo autem desidero interpretationem tuam de* LXX. *ut & tanta Latinorum Interpretum, qui qualescunque hoc ausi sunt, quantum possumus, imperitia careamus.* Hieronymus

Præf.

Præf. in Jos. *Maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria quot Codices; & unusquisque pro arbitrio suo, vel addiderit vel subtraxerit quod ei visum est.* Idem Præf. in Evang. de Latinis Versionibus variis T. Novi: *Si enim Latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria pene quot Codices.* Extitisse plures ante suam ætatem monet etiam *Hilarius Pictav.* in Psal. 54. *Hymnos ALIQUI translatores nostri Carmina nuncuparunt: PLERIQUE autem Hymnos ex ipsa Græcitatis usurpatione posuerunt.* Varietas hæc Versionum Latinarum in Operibus veterum Patrum facile conspicitur. Non unam enim & eandem sed varias atque plane diversas apud *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Hilarium*, *Ambrosium*, *Augustinum*, *&c.* usurpari deprehenditur. Eam vero, qua utitur *Ambrosius*, Episcopus Italus, fuisse *Italam*, dubitari vix potest. Eandemque maxime ab *Augustino* usurpari autumo, præsertim cum de ea testimonium hoc ab ipso perhibetur: *In ipsis autem interpretationibus Itala præferatur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* Cæterum hac de re operose inquirere, vix tanti esse videatur.

Versionem *Italam* eandem fuisse cum illa, qua nunc Ecclesia Occidentalis utitur sub titulo *Latinæ Vulgatæ*, perabsurde arbitratus est *Stapletonus.* Versio illa Latina Interpretationis LXXviralis, quæ fertur sub *Nobilii* nomine, pro vera Versione *Itala* haberi minime debet. In multis eadem est, in multis diversa, & maximam, opinor, partem ipse Editor elaboravit. Editio eadem quoad Novum T. fere integrum à nonnullis creditur hucusque extare in *Evangeliorum Actorumque* Exemplari MS. *Cantabrigiensi*, quod olim *Bezæ* fuit; & in altero illo *Epistolarum Paulinarum*, quod in Bibliotheca Fratrum *Puteanorum* asservatum est, & ad *Cantabrigiense* olim pertinuisse videtur, eodem modo textu Græco Latinis opposito. Cujus Codicis scriptionem ipsius Hieronymi ætatem præcedere existimat [a] *Morinus.* Differt autem, eodem teste, Latina Versio passim à Vulgata, etiam iis in locis ex quibus necessario colligitur, eandem utrique fuisse lectionem Græcam: apparet tamen unam esse utriusque Versionis originem.

[a] Exercit. 1. l. 1. c. 3. §. 1.

TERTULLIANUM, qui Scriptorum Latinæ Ecclesiæ agmen ducit, ante exitum secundi seculi clarus, pro miraculo LXX. *Cellularum* à multis perperam citari, in libro superiori animadvertimus. Præfert ille Versionem *Symmachi*, lib. 4. adv. Marcionem cap. 18. *Qui per Abacuc pronuntiarat; Justus ex fide sua vivet.* Ita Symmachum vertisse; LXX. vero, *ex fide mea*, testatur *Hieronymus.*

Ibid. III. 7. & *adversus Judæos* cap. 14. & *de Resur.* cap. 22. textum illum Zachariæ: *Et tunc cognoscent eum quem pupugerunt*; juxta *Hebræum*, ex Evangelio, non juxta LXX. adducit.

Adv. Judæos cap. XI. non LXX. sed *Aquilam* & *Theodotionem* sequens, ita vertit Ezechielis verba: *Transi mediam Hierusalem, & scribe signum Tau in frontibus virorum qui gemunt.* Rursus in Marcionem III. 22. *Pertransi medio portæ in medio Hierusalem, & da signum* Ταῦ *in frontibus virorum.* Quam translationem fuisse *Aquilæ* & *Theodotionis* testatur *Origenes* in Romana Editione Bibliorum. Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων, Σημειώσεις τοῦ (l. σημειώσεις τὸ) Θαῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα. Ἑβραῖος δέ τις τῶν εἰς σωτῆρα πεπιστευκότων ἔλεγε τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ Θαῦ τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι. Hieronymus: *Pro signo, Aquila* (in alia forte editione) *& Symmachus transtulerunt, Theodotion ipsum verbum Hebraicum posuit Thau, quæ extrema est apud Hebræos 22. literarum.*

Errant [b] *Woverius* & [c] *Morinus*, cum scribunt *Tertullianum* in lib. 1. *de Cultu Fœminarum* cap. 3. dicere *Judæos* Scripturas suas corrupisse. Loquitur ibi *Tertullianus* de *scriptura Enochi*, quam dicit videri idcirco rejectam fuisse à Judæis, tanquam non divinam, quia Christum Dominum

[b] De LXX. Interp.
[c] Exercit. 1. lib. 1. c. 3.

num prædicabat; & eadem de causa multa alia ab illis fuisse rejecta. Verba sunt: *Sed cum Enoch eadem scriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omnino rejiciendum est, quod pertineat ad nos. Et legimus omnem scripturam ædificationi habilem, divinitus inspirari. A Judæis potest jam videri propterea rejecta, sicut & cætera fere quæ Christum sonant. Nec utique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi.* Nihil de Scripturis corrumpendis, ut neque in libro 3. *contra Marcionem* cap. 19. qui alius est locus à *Woverio* citatus. *Morinus* in loco quem descripsimus, pro *rejectam* male substituit *resectam*. Observat vero [a] *Simonius*, eum, quum *Tertullianum*, cum *Justino* & *Irenæo*, citat de fraude Judæorum, nunquam Patres ea de re consuluisse; sed quæ in aliis, maxime in *Leonis Castrii*, hominis Judæis infensissimi, operibus legerat, ea fere ad verbum exscripta in Exercitationes suas Biblicas transtulisse. Postquam vero ex tribus [b] illis Patribus pro re ista testimonia perperam adduxisset *Morinus*, ex falsis Præmissis hanc falsam ducit Conclusionem: *Ex his igitur evidentissime patet, principium istud seu fundamentum; Judæi Scripturas suas atque etiam nostras in odium Christi & Christianorum depravarunt, & libros nonnullos à Canone deleverunt, sanctissimis Patribus nostris fuisse acceptissimum, illoque principio fretos difficultates occurrentes nonnunquam enucleasse, & objectionibus Hæreticorum respondisse.*

[a] Disquis. Crit. cap. 9.

[b] De Justino M. & Irenæo, vide supra in parte priore.

Cum dicit *Tertullianus Apolog. c.* 18. *Judæos* Scripturas *palam lectitare*, & statim subjicit: *Qui adierit, inveniet Deum. qui etiam studuerit intelligere, cogetur & credere*: aperte docet illas ipsas Scripturas, quas *Judæi lectitabant*, sive Græcæ illæ fuerint, sive Hebraicæ, veras incorruptasque fuisse.

A Latina translatione Epistolarum Pauli usitata in Ecclesia Africana, provocat ad textum *Græcum*, quem appellat *authenticum*. De Monog. cap. XI. *Sciamus plane non sic esse in Græco authentico*. Sic de Præscrip. cap. XXXVI. *Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ* authenticæ *literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque*. Ubi Epistolæ Apostolorum nuncupantur *authenticæ*, ut recte adnotat *Rigaltius*, tanquam lingua eàdem qua fuerant ab eis conscriptæ, & sic sonantes vocem uniuscujusque; non quia fuerunt ipsa manu eorum exaratæ, quo sensu locum intelligunt cum alii vulgo, tum *Grotius* ipse in libro *De Verit. Relig. Christ.*

3. CYPRIANUS, Episcopus Carthaginiensis, qui Martyrium passus est an. 258. *Testimoniorum libro 2. ad Quirinum c.* 20. locum illum Zachariæ; *Et intuebuntur in me, quem transfixerunt*: secundum Veritatem Heb. non LXX. adducit. Quomodo etiam legitur apud *Joannem* Evangelistam. LXX. habent: *Et aspicient ad me pro eo quod insultaverunt*: ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο. Contendit [c] *Jo. Morinus* LXX. olim cum Hebræo convenisse, & non vertisse, *pro eo quod insultaverunt*, quia, ut inquit, *Cyprianus* Latina Versione Græcarum Scripturarum utebatur. Sed in hoc petit id quod probandum erat. Hoc loco asserimus illum à Latina Versione recessisse. Sed addit *Morinus* exemplar quoddam τῶν LXX. cum Hebræo convenire. Esto. At longe verisimilius est exemplar illud ad Hebraicam Veritatem correctum fuisse juxta editiones aliorum Interpretum, qui omnes habuerunt ἐξεκέντησαν. Et sunt quæ utramque lectionem exhibent. Editionis Romanæ Scholion: Ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, *sic quoque est in quibusdam aliis libris; in quibusdam antecedit*, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, *nec habeat*, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο: *quæ duplex videtur esse interpretatio.* Neque antiquam Versionem, *Italam* nuncupatam, neque τῶν LXX. exemplaria Græca, cum Hebræo, hoc loco, concordasse, *Hieronymi* auctoritate

[c] Lib. 1. Exercit. Bibl. c. 5.

ctoritate extra omnem contentionis aleam collocatur. Commentario in *Zachariam*, affirmat ille τὲς LXX. hoc in loco errasse, literarum similitudine deceptos. Et in tractatu *De optimo genere interpr.* hunc ipsum textum adducit, ut probet Evangelistas & Apostolos propius ad Hebræum quam ad LXX. accedere.

Ejusdem operis lib. 3. cap. 61. locum alium ex Proverbiis juxta *Theodotionis* Editionem affert *Cyprianus*. *Item in* [a] *Paræmiis: Captans annonam maledictus in plebe est. &c.* LXX. habent: ὁ συνέχων σῖτον ὑπολίποιτο αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν· *qui continet frumentum, relinquat illud nationibus.*

a XI. 26.

Ibid. lib. 3. cap. 91. lectione Vulgata Test. Nov. derelicta, amplectitur *Græcam*: *Tentatio vos non occupavit, nisi humana.* Græce εἴληφε, sed in Lat. Vulg. & nunc & olim (ut ex [b] *Cassiano* aliisque veteribus patet) *tentatio vos non apprehendat*, in modo Optativo.

b Instit. V. 16.

4. VICTORINUS *Martyr*, Episcopus in Pannonia superiore *Petavionensis*, qui passus est an. 303. Commentario in Esaiam, 4. Editiones, scil. LXX. *A. S.* & *Theod.* exposuit, teste *Hieronymo* Procemio Commentarii I. in Es. *Cæterum apud Latinos grande silentium est, præter sanctæ memoriæ Martyrem Victorinum, qui cum Apostolo dicere poterat: Etsi imperitus sermone, non tamen scientia. Scripsit enim in hunc Prophetam* juxta Editiones quatuor, *usque ad Visionem quadrupedum in deserto.*

5. LACTANTIUS FIRMIANUS, qui floruit an. 303. *de Vera Sap.* IV. 18. eundem *Zachariæ* textum: *Intuebuntur in me quem transfixerunt*, juxta Heb. adducit. Ibidem citat, tanquam ex *Esdra*, locum quendam, qui neque in Hebræis, nec in ullis Græcis legebatur codicibus: eundem scil. quem *Justinus M.* à Judæis inique deletum fuisse conqueritur. Ex ipso *Justino* verba ista hausit *Lactantius*.

6. HILARIUM, Episcopum Pictaviensem, traditionem LXX. *Cellularum* amplecti, qui dicunt graviter errant, [c] *Erasmus*, [d] *Baronius*, [e] *Driedo*, [f] *Serarius*, [g] *Feuardentius*, [h] *Pamelius*, [i] *Canisius*, [k] *Galesinius*, [l] *Waltonus*, *Sixtinus Amama*, alii. Constat tamen illum Versioni LXX. multum detulisse, & agnoscere illos, utpote *Synedrii* M. Magistros (quæ illius sententia fuit) & *Mosaicarum* traditionum custodes & conservatores, [1] *spirituali & cœlesti scientia* interpretatos fuisse. *Non est autem ignorandum* (inquit) *indiscretum apud Hebræos numerum esse Psalmorum, sed sine ordinis annotatione esse conscriptos. — Esdras enim, ut antiquæ traditiones ferunt, incompositos eos, & pro auctorum ac temporum diversitate dispersos, in volumen unum collegit & retulit. Sed LXX. Seniores, secundum Moysi traditionem ad custodiendam Legis doctrinam in synagoga manentes, posteaquam illis à Rege Ptolemæo transferendæ ex Hebræo in Græcum sermonem totius Legis cura mandata est: spirituali & cœlesti scientia virtutem Psalmorum intelligentes, in numerum eos atque ordinem redegerunt: singulis quibusque numeris pro efficientia sua in absolutione perfectis, perfectorum & efficientium Psalmorum ordinem deputantes.* Ex Prologo Psalmorum ista. In 2[di] Psalmi Enarratione, ubi loquitur de eo quod Psalmus juxta LXX. 2[dus], à S. Paulo primus numeratur, hæc habes: *Ob hanc ergo Apostolicam auctoritatem errore scribentium fieri creditur, ut in ordine secundus Psalmus iste numeretur, cum primus esse ipso Doctore gentium testante noscatur. Cognoscenda itaque ea ratio est: cur & à nobis secundus esse intelligendus est, & ab Apostolo esse primus ostensus est. Mediis namque Legis temporibus, priusquam unigenitus Dei filius ante secula manens Deus, verbum homo nasceretur: poscente Rege Ptolemæo* LXX. *Seniores libros Veteris Testam. ex Hebræis literis in Græcas transtulerunt. Erat autem jam à Mose antea institutum in Synagoga omni* LXX. *esse Doctores. Nam idem Moses quamvis Veteris Test. verba in literis*

c Schol. in Hieron. Præf. in Pent.
d Ad an. 331.
e De catal. S. Scrip II. 1.
f Proleg. Bibl. c. 17. Q. 10.
g In Irenæum III. 25.
h Not. 269. in Tertull Apol.
i De Maria Deip. Virg. II 6.
k De LXX. Interp
l Proleg. 9. c. 9.

1 De provincia Legis interpretandæ LXX. Senioribus à Mose commissa, & de Mosis traditionibus non scriptis, adi *Maimonidem* Præf. in *Seder Zeraim*; & *Voisinium* Procemio *Pugionis Fidei*.

condidisset: tamen separatim quædam ex occultis Legis secretiora mysteria LXX. *Senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat. Cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangeliis meminit. — Doctrina ergo horum in posterum quæ ab ipso scriptore Legis accepta, in hoc seniorum & numero & officio conservata est. Hi itaque seniores libros hos transferentes, & spiritualem secundum Moysi traditionem occultarum cognitionum scientiam adepti, ambigua lingua Hebraica dicta & varia quædam ex se nunciantia, secundum virtutes rerum, certis & propriis verborum significationibus transtulerunt: doctrinæ scientia multimodam illam sermonum intelligentiam temperantes. Et ex eo fit, ut qui postea transtulerunt, diversis modis interpretantes, magnum Gentibus attulerint errorem: dum occultæ illius à Mose profectæ traditionis ignari, ea quæ ambigue lingua Hebræa commemorata sunt, incertis ipsi judiciis ediderunt. Ambiguitatis autem linguæ Hebraicæ unum afferemus exemplum, ex quo cætera istiusmodi esse, atque ita ut sunt, intelligantur. Bresith verbum Hebraicum est. Id tres significantias in se habet, id est, in principio, & in capite, & in filio. Sed Translatores* LXX. *in principio ediderunt, cæteris divise transferentibus: & secundum hanc ambiguitatem hæc ab illis in omni translatione est facta confusio. Sed perfecta horum* LXX. *Interpretum auctoritas manet. Primum quod ante adventum corporalem Domini transtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tempori arguitur, tanto anteriores interpretationis ætate: dehinc quod illi ipsi principes, doctoresque Synagogæ, & præter scientiam Legis, per Mosen quoque doctrina secretiori perfecti, non potuerunt non probabiles esse arbitri interpretandi, qui certissimi & gravissimi erant auctores docendi. Hi ergo Psalmos inter cæteros libros transferentes, & in numerum redegerunt, & in ordinem collocaverunt, & diapsalmis distinxerunt: qui omnes secundum Hebræos confusi & habebantur & habentur. Horum igitur translationes Hebræis, tum lingua tantum sua utentibus, non erant necessariæ. Ipsis tamen omnibus diligenti & religiosa custodia observatis, quibus postea quam Dominus Legem omnem sacramento & corporationis suæ & passionis & resurrectionis impleverat, cum his libris quos Regi iidem translatores ediderant collatis, & fideliter consonare compertis, indissolubilis constituta est privilegio doctrinæ & ætatis auctoritas.* Postquam addidisset, *S. Paulum, ut Hebræum Hebræis prædicantem Hebræorum consuetudine usum fuisse*: subdit: *Sed nobis translatorum utendum auctoritate est; Legem non ambiguitate literæ, sed doctrina scientiæ transferentium.* Ad verba ista: *ipsis tamen omnibus diligenti & religiosa custodia observatis*: in margine adnotatur; *Fabula de Cellulis* LXX. Et eisdem quidem verbis decepti sunt quotquot *Hilarium* tanquam *Cellularum* adsertorem adducunt. Quibus tamen nihil aliud intelligit *Hilarius*, quam interpretationis τῶν LXX. Exemplaria *diligenter & religiose* apud Judæos *custodita fuisse* usque ad Domini Passionem & Resurrectionem, & postea *collata fuisse* cum eorum *autographo*, quod in Bibliotheca Alexandrina repositum fuerit, & *fideliter consonare comperta*.

Rursus in Psalmi LIX. (Hebræis LX.) inscriptionem: *Deinde id quod in Salinarum valle memoratum est, neque in historia, neque in aliquorum Translatorum intelligentia est. Nam secundum Aquilam, qui translator Legis Judæis post passionem Domini fuit, ita scribitur: Cum percussit valles. Sed hic secundum literam scribens, & extra spiritalem intelligentiam manens, belli locum edidit. Translatio autem illa Seniorum* LXX. *& legitima & spiritalis, ante passionem Domini gestaque suscepta per nominum naturarumque species, nunc quoque ut in omnibus Psalmis causam sensumque manifestat in commemoratione gestorum, non argumentum Psalmi, sed tempus ostendens, ne ob id quod continetur in gestis, sed ut tum cum ea gesta sunt, scriptus esse noscatur.*

Ad Psal. CXVIII. (Heb. CXIX.) observans multos de versus cujusdam sensu *varia scripsisse*, quia non eodem sensu à cæteris Interpretibus translatus

latus est, ait: *Sed nobis neque tutum est translationem* LXX. *Interpretum transgredi.*

Ad Psal. CXLII. *Psalmi superscriptio nulla esse secundum Hebraeos videtur. Id enim ab his, qui utraque lingua eruditi sunt, traditur. Translatores caeterique nihil omnino de rebus gestis, id est, de Abessalon in David patris sui insectatione scripserunt. Sed hi* LXX. *Seniores, quibus Legis ac Prophetarum scientia ultra praescriptum & ambiguitatem literae fuit, addendum hoc Psalmo judicaverunt.*

Τοῖς LXX. haec loca faventiora. Observare tamen libet, B. *Hilarium*, *Hebraicum* textum, ubi discrepat à LXX. corruptum esse, nusquam vel dicere vel subindicare, sed quicquid sit discrepantiarum, id totum in LXX. conferre. Quinetiam in aliis locis cogitur ad alios Interpretes confugere. In Psal. CXVIII. (vel CXIX.) *In eo autem quod ita se habet: Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam: Id enim quod in Hebraeis Codicibus continetur, ambigua in definitione utriusque intelligentiae positum est. Sed nos, sicut oportet, sequimur* LXX. *Interpretum religiosam & antiquam auctoritatem: ex judicio tamen caeterorum translatorum proprietatem intelligentiae hujus, quae est difficilis, captantes. Cum enim hi dixerint*; in utilitatem: *illi dixerint*; in avaritiam: *per id ipsum quomodo utilitas hic nunc sit subjecta noscetur. Nam seculi homines pecuniam, argentum, aurum, & caetera opum instrumenta utilitatem vocant. Ergo cum in Dei testimonia inclinari cor suum, & non in utilitatem Propheta orat: inclinatum in Dei testimonia cor ab his sine dubio refert, quae humano judicio existimantur utilia.*

In alio loco, Hebraeis Codicibus, ubi à LXX. discrepant, aperte favet, & exemplar Versionis Graecae Psalmorum ex Hebraeo *EMENDATUM* commemorat. Ad eundem Psal. in *Heth*: *Plures Psalmorum Codices legentes & nos ita opinabamur versum qui octavae literae primus est, id est hunc*: Portio mea Dominus, *in superioribus septimae literae octo versibus contineri, quia ita in Latinis Codicibus, atque etiam in nonnullis Graecis scriptum continebatur: & sane absolutior sensus videbatur. Sed secundum Hebraeos EMENDATUM apud Graecos Psalmorum librum legentes, invenimus hunc versum non septimae literae novissimum esse, sed octavae primum. Itaque secundum hanc cognitionem nos quoque tractare de eo aggressi sumus.*

Eum audi rursus in Psal. CXLIII. *Et huic quoque Psalmo addendam hanc* LXX. *superscriptionem putaverunt*; Psalmus David in Goliam: *cum neque in Hebraicis libris reperiatur, neque translatores alii quicquam aliud quam simplicem titulum praescripserint*: i. e. David. *Quod non sine spirituali ratione effectum fuisse Psalmi ipsius textu docetur: nihilque hic Psalmus proprium habet, quod ad gratulationem perempti Goliae possit referri, cum magis illic & gestis & tempori contraria sint. — Sed cum nec in Hebraicis libris ita sit, neque translatores caeteri horum aliquid addiderint; intelligimus* LXX. *hos Seniores voluisse nobis spiritualis scientiae sensum dare, ut in David & Golia bellum praefiguratum esse Satanae Dominique sciremus: cum neque superscriptio extaret in libris, neque rebus gestis prophetae sermo concineret.*

In numero denique librorum Instrumenti Vet. ad Hebraeos Codices, derelictis τοῖς LXX. accedit. *Et ea causa est, ut in* 22. *libros lex Testamenti V. deputetur: ut cum literarum numero convenirent. &c.* Ps. Prologo.

7. Philastrium, Episc. *Brixiensem*, editionis LXXviralis fautorem in primis fuisse, in confesso est. Libro *de Haeresibus*, ubi omnes *Haereticorum* titulo liberaliter admodum, & sine ullo judicio, impertit, qui ei videbantur in *errore* aliquo versari, *Hereticis* illos [a] accenset, qui Versioni LXX. aliam aliquam praetulerint. LXX. Interpretes diversis cubiculis afflatu Numinis divini Versionem perfecisse asserit, eosque passim honorificentissimis appellationibus exornat. LXXII. *Sanctorum sapientissimorumque Virorum.* — LXXII. *Sapientes ac prudentes Viri.* — *Illorum*

[a] Haer. post. Christum 90. ad 94.

lorum beatissimorum LXXII. *&c.* Notandum tamen illum, de ipso textu *Hebraico* nihil indigne sensisse; nam quicquid in Versione LXX. defecerit, ab Intt. ipsis, certis de causis, omissum fuisse decrevit: *Qui cum quædam prætermittere necessitate urgente tunc temporis cogerentur.* Quantum vero erret, cum affirmat *Ecclesiam Catholicam* LXXII. *interpretationem legisse, coluisse, & prædicasse; alia autem supervacua & contraria tantæ editioni contempsisse, & abjecisse*: satis patet ex iis quæ jam dicta sunt, & ex illis quæ restant dicenda, ulterius patebit.

8. AMBROSIUM, Episc. Mediolanensem, pro figmento isto vulgari de prophetica LXX. Interpretum inspiratione, male citat [a] *Galesinius.* Is lib. 3. in *Hexaem.* cap. 5. ad verba quæ redundant in Versione LXX. hoc tantum dicit, se putare, *non absurdum* id esse quod dictum est, & τοὺς LXX. *non otiose* quædam addere solitos fuisse. *Hebraicum* textum corruptum fuisse in ejusmodi locis, ne suspicatus est unquam. *Et vidit Deus, quia bonum*] *Non prætermittimus autem quia aliqui* (S. *Basilium &c.* designat) *nec in Hebræo putant esse, nec in cæteris Interpretibus*, quia congregata est aqua in congregationes suas, & apparuit arida] *Cum enim dixerit, quia factum est sic satis esse putant vocem operatoris ad acceleratæ operationis indicium. Sed quia in aliis quoque creaturis habet & definitionem præceptionis, & repetitum operationis vel indicium vel effectum; ideo nos non putamus absurdum id quod perhibetur additum, etiamsi cæteris Interpretibus vel veritas doceatur suppetere, vel auctoritas. Multa enim non otiose à* LXX. *Viris Hebraicæ lectioni addita & adjuncta comperimus.*

[a] De LXX. Intt.

Jobi verba (xxx. 24.) quibus optat, ut daretur sibi facultas mortem sibi consciscendi, quæ ab Hebraicis omnino diversa sunt, agnoscuntur apud Jobi Versionem, quæ legitur in *Ambrosii* libris *de interpretatione Job. Utinam enim possem meipsum capere, aut deprecatus saltem aliquem, & faciet mihi hoc.* In eadem vero Versione omittitur totus iste prolixus sermo, qui in Codicibus *Græcis* Uxori Jobi tribuitur, eaque solummodo ponuntur, quæ in *Hebraicis* inveniuntur: *Et dixit ei Uxor sua: Usquequo tolerabis? Sed dic quoddam verbum contra Deum & morere.* Rejiciuntur etiam ista, quæ in Græcis exemplaribus ad libri calcem reperiuntur additamenta, definitque Versio eisdem verbis cum Veritate Hebraica: *Et mortuus est Job senior & plenus dierum.* Rursus ibidem (IV. 1.) *Theodotionis* ponitur interpretatio. LXX. habent: μὴ πολλάκις σοι λελάληται ἐν κόπῳ; *Num sæpe tibi sermo habitus est in molestia?* Theodotion: Εἰ λημψόμεθα λαλῆσαι πρὸς σε, κοπιάσεις; Versio Lat. apud Ambrosium: *Si cœperimus loqui ad te, moleste accipies?*

Legitur apud Prov. XI. 26. juxta LXX. *Qui continet frumentum, relinquat illud nationibus.* Theodotion: ὁ συνέχων σῖτον δημοκατάρατος. Quod expressit *Ambrosius* De Officiis III. 6. *Et alius ait; Captans pretia frumenti, maledictus in plebe est.* Paulo post ponuntur utraque. *Recte igitur Solomon, Qui continet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus. — Et addidit: Captans annonam maledictus in plebe est.*

Comm. in Lucam lib. 3. postquam locum Esaiæ juxta LXX. protulisset, ut eorum Versionem confirmet, ad *Aquilæ* auctoritatem provocat. *In quo juxta Aquilæ quoque interpretationem non quasi de homine, sed de eo qui ultra hominem esset, vidimus extitisse promissum. Idem enim interpretatus est: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, & facta est mensura in humero ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis &c.* Lego *Consiliarius meus fortis*, cum Editione Erasmiana, an. 1529. Vel potius *Consiliarius fortis*. Licet enim ad Hebræum & veritatem propius accedat τὸ *Deus*, tamen *Aquilam* non sic vertisse palam est ex *Theodoreto*, qui Aquilam eo nomine increpat, quod dolose Hebraicam dictionem *el*, interpretatus sit ἰσχυρός. Scribit etiam *Eusebius* vertisse *Aquilam*

lam σύμβουλος, ἰσχυρὸς, δυνατὸς. Quibus consonat antiquissima nota Codicis *Marchaliani*.

Enarrat. Psalmi 118. ait *Ecclesiam* LXX. *Virorum sententias MAGIS sequi* (quam aliorum Interpretum.) Ibidem monet nonnullos Versionem aliam fuisse secutos. Et quantum *Hebræo*, comparatione cum translatione facta, detulerit, ex eodem loco satis perspicue colligitur: Priusquam humiliarer ego deliqui] *Alia editio habet*: Priusquam humiliarer, ego descivi. *Unde putant aliqui, quod hominis anima hoc dicat*: Priusquam humiliarer, *ut in hoc lutum corporis introirem, tua quæ non legeram, mandata nescivi. Sed quia* LXX. *Virorum sententias magis sequitur Ecclesia, & hic sensus est planior, & nihil offensionis admittens quod possit aliquibus scrupulum commovere: ideo accipiamus*, humiliarer *ita dictum, eo quod peccato videatur humiliatus.*

De Codicibus Græcis N. T. in lib. 2. de Spir. S. cap. 6. hæc habet: *Si quis de Latinorum Codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsaverunt; Græcos inspiciat Codices, & advertat quia scriptum est*: οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες.

Libri VI. *de Sacramentis* Ambrosio adscripti aliam exhibent Scripturarum Versionem, quam qua in genuinis Operibus ille usus est.

9. Auctor Commentariorum in Epistolas Pauli, quæ extant inter *Ambrosii* Opera, & HILARIO Romanæ Ecclesiæ DIACONO, eidem coævo, ab eruditis tribuuntur; in cap. V. ad Rom. locum quendam Versionis Latinæ Græco textui anteponit. *Ac si in Græco non ita cautum dicatur. Sic enim dicitur scriptum*, Etiam in eos mortem regnasse qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ. ---- *& tamen sic præscribitur nobis de Græcis Codicibus, quasi non ipsi ab invicem discrepant; quod fecit studium contentionis. Quia enim propria quis auctoritate uti non potest ad victoriam, verba Legis adulterat, ut sensum suum quasi verba Legis asserat; ut non ratio, sed auctoritas præscribere videatur. Constat autem hoc per quosdam Latinos de veteribus Græcis translatos olim codices, quos incorruptos simplicitas temporum servavit & servat: postquam autem concordia animis dissidentibus, & hæreticis perturbantibus torqueri quæstionibus cœpit, multa immutata sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in literis, quod homini videretur. unde & ipsi Græci diversos Codices habent. Hoc autem verum arbitror, quando & ratio & historia & auctoritas observatur. Nam hodie quæ in Latinis reprehenduntur Codicibus, sic inveniuntur à veteribus posita, Tertulliano, Victorino, & Cypriano.*

Hæc verba, tanquam ipsius *Ambrosii*, in medium proferunt cum alii tum [a] *Morinus*, qui in has erumpit voces: *Si de Græcorum Codicibus ista merito pronunciat S. Ambrosius, quid nunc de iis dicendum, apud te perpende, Lector.*

[a] Exercit. 1. lib. 1. cap. 1.

Idem rursus in cap. 2. Epist. ad Gal. vers. 5. vulgatam Latinorum lectionem Græcæ præfert: *Ad horam cessimus subjectioni*] *Græci contra dicunt*, nec ad horam cessimus, *& hoc aiunt convenire causæ: quia qui fieri prohibeat, non oportebat* (*inquiunt*) *dicere se fecisse, ne probaret esse faciendum. Sed Apostolus vir divinus sciens posse hoc opponi, ipse illud proponit, ut præveniat calumniosos.*

CAP. II.

B. Hieronymus *in Scripturis corrigendis vertendisque quid præstiterit.* *De illius emendatione Versionis Latinæ N. T.* 2. *De Psalterio* Romano, *ab eo correcto*; Gallicano, *ab eo è Græco converso cum supplementis ex textu Heb.* 3. *De illius Versione sive correctione totius Testamenti Vet. è Græco.* 4. *De totius Versione ex Hebræo.* 5. *De illius in lingua Heb. Præceptoribus.* 6. *Eum fateri se in Versione sua aliquoties errasse: eaque ipsa loca in Versione ejus hodienum extare.* 7. *Errare eos qui dicunt illum in linguam* Dalmaticam *Scripturas vertisse.* 8. *De Colis & Commatibus ab eo primum in Scripturis Latinorum usitatis.* 9.

AD *Hieronymum* Presbyterum nunc venimus, natu Stridonensem, Dalmatam, domo *Bethlehemiticum*, qui natus est an. 329. denatus 420. ætatis 91. Virum in his literis auctoritatis maximæ, & Latinum (ut ita dicam) *Origenem*. Cujus testimonium (uti ait Mirandulæ Comes) *ab Ecclesia pro sanctissimo habetur*. Et de quo hoc elogium S. Augustini est; *Quod Hieronymus nescivit, nullus mortalium unquam scivit.* Tantum abfuit ut illi tanto viro perplaceret editio LXXviralis, Latinaque ex ea confecta, ut novam ipse Latinam ex *Hebræo* elaboraret atque perficeret. Qua usa est maxime, brevi post illius tempora, Ecclesia Latina, quaque hodie etiam utitur, etsi multis processu temporum ex Veteri Versione admixtis, *Latinæ Vulgatæ* titulo.

De cujus Versionis origine, & quid in Scripturis interpretandis corrigendisque præstiterit *Hieronymus*, quidque senserit de textus Heb. translationisque LXX. auctoritate, indagine quam accuratissima tractare operæ pretium fore existimo.

2. Primo loco, ut Ecclesiæ, exemplaribus Scripturarum corruptissimis laboranti, subveniret, Versionem Latinam 4. *Evangeliorum*, & postea reliquorum librorum Testamenti Novi, ad Græcorum Codicum fidem castigavit atque restituit. Extat illius in 4. Evangelia Præfatio ad *Damasum* Papam, cujus jussu id opus fuerat aggressus. *Novum opus*, inquit, *me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam, & quia inter se variant, quæ sint illa quæ cum Græca consentiant veritate, decernam. Pius labor, sed periculosa præsumptio, judicare de cæteris ipsum ab omnibus judicandum; senis mutare linguam, & canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cum in manus volumen assumpserit, & à saliva quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem, me falsarium, me clamitans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in Veteribus libris, addere, mutare, corrigere. Adversus quam invidiam duplex causa me consolatur: quod & tu qui summus sacerdos es, fieri jubes, & verum non esse quod variat, etiam maledicorum testimonio comprobatur. Si enim Latinis Exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus; tot enim sunt exemplaria pene quot Codices. Sin autem veritas est quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem revertentes, ea quæ vel a vitiosis interpretibus male reddita, vel à præsumptoribus imperitis emendata perversius, vel à librariis dormitantibus aut addita sunt, aut mutata, corrigimus? — Igitur hæc præsens præfatiuncula pollicetur 4. tantum Evangelia, quorum ordo est iste, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Codicum Græcorum emendata collatione, sed & veterum, nec quæ multum à lectionis Latinæ consuetudine discreparent. Ita calamo temperavimus, ut his tantum quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant.* Se postea eodem modo correxisse reliquos Instrumenti Novi libros, testatur in *Catalogo Scriptorum Eccles.*

Eccles. ubi Opera sua recensens, ait se *Novum Testamentum Græcæ fidei reddidisse.* Sic in Epistola XXVIII. ad Lucinium monet se *Test. Novum Græcæ reddidisse auctoritati.* Hinc patet errare, cum illos qui negant Hieronymum totum T. N. è Græco emendasse, tum eos qui existimant illum non correxisse Versionem veterem, sed *novam* elaborasse. Hunc errorem erravit ipse *Augustinus*, vel minus certe accurate locutus est in Epistola ad Hieronymum conscripta. *Proinde* (inquit) *non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco INTERPRETATUS es: quia pene in omnibus nulla offensio est cum Scripturam Græcam contulerimus.* Ubi vel per *Evangelium* designat totum N. T. vel tunc cum ea scripsit, ad manus ejus pervenerat tantum Codex 4. Evangeliorum ab Hieronymo emendatorum. De toto T. N. eum intellexit ipse Hieronymus in Responsione, ubi rursus testatur se illud tantum emendasse, non transtulisse. *Si me, ut dicis, in Novi T. emendatione suscipis, exponisque causam cur suscipias, quia plurimi linguæ Græcæ habentes scientiam, de meo possent opere judicare: eandem integritatem debueras etiam in Veteri credere Testamento, quod non nostra confinximus, sed ut apud Hebræos invenimus, divina transtulimus.* Superest hodienum, inque omnium manibus versatur, editio hæc Hieronymiana, sed in multis iterum locis maculata ac depravata. Purior extat pene integra in volumine illius Commentariorum: non enim mihi, ut clariss. [a] *Huetio*, dubium videtur utrum totum N. T. quod hodie legitur, sit Hieronymi, vel tantum Evangelia. *Novum* (inquit) *Hieronymi Testamentum excerptum est, sed levi aliqua emendatione ad Græcam veritatem in Evangeliis ab Hieronymo, in Epistolis ab aliquo Hieronymi exemplum affectante, vel ab ipso forsitan Hieronymo reformatum.* Videtur Vir doctissimus ad eorum propendisse sententiam, qui Hieronymum tantum Evangelia correxisse opinantur. Versionem veterem ab Hieronymo non castigatam, vel potius Versiones varias, in Patrum Operibus videre est. Extat in Cod. MS. Bibliothecæ [b] *Bodleianæ* Evangelium S. Joannis, Homiliis Augustini præfixum, cum hoc titulo: *Evangelium secundum Joannem juxta eam translationem, quam beatus Augustinus exponit.*

[a] De cl. Interp.

[b] NE A 7. 3.

3. Postquam Novi T. Versionem emaculasset, Psalterium Latinum ad Græcam Versionem LXXviralem castigavit. Quod postea rursus Scriptorum vitio depravatum, non modo è Græco correctum dedit, verum etiam quæ deerant, juxta codices Heb. supplevit, additis *asteriscorum* notulis, & quæ abundabant, *obelo* jugulavit. Utriusque suæ editionis Psalterii meminit ipse in Prologo posterioris ad *Paulam*, & *Eustochium*, quem integrum hic transcribam, quoniam inter Opera ejus excusus non reperitur. Extat vero in Voluminibus Bibliorum una cum *Glossa Ordinaria* & *Lyrani* Expositionibus editorum, ut etiam in *Hugonis Card.* Commentariis. *Psalterium Romæ dudum positus emendaram, & juxta* LXX. *Interpretes, licet cursim, magna tamen ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis, O Paula & Eustochium, scriptorum vitio depravatum, plusque antiquum errorem, quam novam emendationem valere, cogitis ut veluti quodam novali scissum jam arvum exerceam, & obliquis sulcis renascentes spinas eradicem, æquum esse dicentes, ut quod crebro male pullulat, crebrius succidatur. Unde consueta præfatione commoneo, tam vos, quibus forte labor iste desudat, quam eos qui exemplaria istiusmodi habere voluerint, ut quæ diligenter emendavi, cum cura & diligentia transcribantur. Notet sibi unusquisque vel jacentem lineam, vel radiantia signa, id est, vel obelos, vel asteriscos, & ubicunque viderit virgulam præcedentem, ab ea usque ad duo puncta quæ impressimus, sciat in* LXX. *translatoribus plus haberi. Ubi autem stellæ similitudinem perspexerit, de Hebræis voluminibus additum noverit æque usque ad duo puncta, juxta Theodotionis duntaxat editionem, qui simplicitate*

citate sermonis à LXX. Interpretibus non discordat. *Hæc ergo & vobis & studioso cuique fecisse me sciens; non ambigo multos fore, qui vel invidia, vel supercilio malint contemnere videri præclara, quam discere, & de turbulento magis rivo, quam de purissimo fonte potare.* Editio Psalterii prior *Romana* vulgo appellata est, utpote in Ecclesia Rom. usurpata; posterior *Gallicana*, quia ab Ecclesia tandem *Gallicana* recepta est. Præfatione in Psalmos ex Heb. conversos, ad *Sophronium* ait translationem Latinam è Græcis factam, *diligentissime emendatam se linguæ suæ hominibus olim dedisse.* Apolog. 2. in Ruff. *Psalterium certe emendatissimum juxta* LXX. *Interpretes nostro labore dudum Roma suscepit.* Epist. ad Sun. & Fret. monet se *emendantem Psalterium olim, ubicunque sensus idem, veterum Interpretum* (Latinorum) *consuetudinem mutare noluisse, ne nimia novitate lectoris studium terreret.* Psalterii *Gallicani* exemplaria vetusta obelis asteriscisque, quibus hodie vulgo carent, notata, se vidisse testatur *Jac. Faber Stapulensis.* Sunt qui tradunt Hieronymum editionem hanc adornasse in usum Ecclesiæ *Gallicanæ*, sed male. Inter *diversa diversorum in Psalmos præambula Remigii* Expositioni præfixa, habetur sub Hieronymi nomine, sed supposititia, ad *Damasum P.* Epistola quædam, de canendo in fine Psalmi cujuslibet *Gloria Patri &c.* ad declarandam *Niceni* Consilii fidem, deque *Alleluia* semper omnibus Psalmis affigenda, cum aliis rebus quibusdam ad Psalmos spectantibus; quæ ei tanquam primo auctori, at absque ullo auctore idoneo, vulgo adscribuntur.

Insigniter errant [a] *Waltonus*, & qui eum sequitur, [b] *Natalis Alexander*, cum dicunt QUATER circa Psalterium laborasse Hieronymum. *Primo* (inquiunt) *ex Hebræo in Lat. vertit, ut in Epist. ad Sophronium legimus.* 2. *ex Editione τῶν ό. Græca quæ in Hexaplis erat sincera & incorrupta, quam asteriscis & obelis notavit, de qua in Epist. 135. ad Suniam & Fretelam.* 3. *ex Præf. Psalt. ad Paulam & Eustochium & Epist. ad Sophronium constat ipsum bis emendasse, ex editione Lucianea, quæ Vulgata & Communis dicta est, quæ eadem erat cum* LXX. *sed à Luciano quibusdam correcta & emendata, hanc prima vice emendavit, ut est in Epistola ad Sophronium: & postea iterum emendavit additis asteriscis & obelis, ut ipse affirmat Præf. in Psalt. ad Paulam & Eustochium; & hæc ejus editio auctoritate Damasi Romæ in usu erat, teste ipso Hieronymo libro 1. contra Ruff.* Cum in variis locis de una eademque editione loquitur Hieronymus, de diversis eum infelici admodum conjectura intelligunt. Legerant apud Hieronymum editionem *Lucianeam* à nonnullis dictam fuisse *communem* sive *vulgatam*, scil. *Constantinopoli* usque Antiochiam, ubi in usu vulgari fuit: legerant quoque Hieronymum bis Psalterium ex editione *vulgata* emendasse: atque hinc concluserunt editionem illam fuisse *Lucianeam.* Et quia legerant etiam Hieronymum ex Editione *Hexaplari* Psalterium vertisse, ideo hanc illius editionem tertiam quandam fuisse, & ab illa utraque diversam, autumarunt. Per editionem vero *vulgatam* ex qua Hieronymum Psalterium bis correxisse legerant, non aliam intelligere debuerunt quam LXX. in genere, quæ *Hebræo* & Versionibus cæteris *Aquilæ*, *Symmachi*, & *Theodotionis* opposita, *vulgata* sæpissime dicitur. Utrum autem Psalterium quod dictum est *Romanum*, ex editione *Lucianea*, an ex alia aliqua, emendaverit, id omnino incertum est.

[a] Proleg. 10. §. 5.
[b] De Vulg. Lat. Q. 3.

4. A *Psalterio* progressus est ad reliquos libros Testamenti Vet. quorum omnium Versionem Latinam, juxta editionem τῶν LXX. Hexaplarem partim correxit & repurgavit, partim è Græco novam fecit, additis (ut in Psalterio) quæ Hebræi Codices supplebant, sub *asteriscorum* signo, & quæ redundabant *obelo* notatis. In Præfatione quam Latinæ Versioni *Jobi* sic emendatæ præfixit, quid fecerit, ipse his edisserit verbis: *Beatum Job, qui adhuc apud Latinos jacebat in stercore, & vermibus scatebat*

scatebat errorum, integrum immaculatumque gaudere. Quomodo enim post probationem atque victoriam duplicia sunt ei universa reddita: ita ego in lingua nostra (ut audacter loquar) feci eum habere quae amiserat. Igitur & vos & unumquemque lectorem solita praefatione commoneo, & in principiis librorum eadem semper annectens, rogo, ut ubicunque praecedentes virgulas videritis, sciatis ea quae subjecta sunt in Hebraicis voluminibus non haberi. Porro ubi stellae imago praefulserit, ex Hebraeo in sermone nostro addita sunt. Necnon & illa quae haberi videbantur, & ita corrupta erant, ut sensum legentibus tollerent, orantibus vobis magno labore correxi. Præfatione in Jobum ex Hebræo conversum ait, antea se librum illum è *Græco* Latine reddidisse: *Utraque autem editio, &* LXX. *juxta Graecos, & mea juxta Hebraeos in Latinum meo labore translata est.* Ibidem, *Caeterum apud Latinos, ante eam translationem quam sub Asteriscis & Obelis* nuper *edidimus, septingenti ferme, aut octingenti versus desunt, ut decurtatus & laceratus corrosusque liber, foeditatem sui publice legentibus praebeat.* Epistola ad Pammachium: *Transtuli nuper Job in linguam nostram: cujus exemplar à sancta Marcella, consobrina tua, poteris mutuari. Lege eundem Graecum & Latinum, & veterem editionem nostrae translationi compara: & liquido pervidebis quantum distet inter veritatem & mendacium.* Nempe transtulit *Origenis* editionem obelis asteriscisque notatam. Adv. Ruff. lib. 2. *Transibo ad librum Job, quem post* LXX. *Interpretum editionem, quam Origenes obelis asteriscisque distinxit, ante annos plurimos Latino sermone datum, cum rursum juxta ipsum Hebraicum veterem &c.* Augustinus Epist. ad Hieron. *Hoc addo, quod postea didicimus, ex Hebraeo Job à te interpretatum, cum jam quandam haberemus interpretationem tuam ejusdem Prophetae ex Graeco eloquio versam in Latinum, ubi tamen asteriscis notasti, quae in Hebraeo sunt, & in Graeco desunt: Obelis autem quae in Graeco inveniuntur, & in Hebraeo non sunt, tam mirabili diligentia, ut quibusdam in locis ad singula verba singulas stellas videamus, significantes eadem verba esse in Hebraeo, in Graeco autem non esse. Porro in hac posteriore interpretatione, quae versa est ex Hebraeo, non eadem verborum fides occurrit. Nec parum turbat cogitantem, vel cur in illa prima tanta diligentia figantur asterisci; ut minimas etiam particulas orationis indicent deesse codicibus Graecis, quae sunt in Hebraeis: vel cur in hac altera, quae ex Hebraeis est, negligentius hoc curatum sit, ut non eadem particulae suis locis invenirentur.* Dubitat [a] *Erasmus* utrum illa translatio *Jobi*, quæ hodie habetur in voluminibus *Latinis*, tanquam ex *Hebraeo* facta, sit illa ipsa revera, an hæc, de qua loquimur, ex LXX. confecta. Sed illam ipsam esse, pro certo mihi compertum est.

[a] Argumento Præfationis in Jobum ex Heb. versum.

In libris *Paralipomenon*, non correxit translationem veterem Latinam, sed eos quoque de novo è Græco convertit, cum *Hebraeo* etiam collatos. Et ad hoc præstandum Judæo quodam de *Tiberiade* accito, adjutore usus est. Præfat. ad hanc *Paralipomenon* Editionem, ad *Domnionem* & *Rogatianum* scripta; *Denique cum à me nuper literis flagitassetis, ut vobis Paralipomenon Latino sermone transferrem, de Tiberiade quendam Legis auctorem, qui apud Hebraeos admirationi habebatur, assumpsi, & contuli cum eo à vertice (ut aiunt) usque ad extremum unguem: & sic confirmatus, ausus sum facere quod jubebatis. Libere enim vobis loquor. Ita in Graecis & Latinis Codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non Hebraea quam barbara quaedam & Sarmatica nomina conjecta arbitrandum sit.* De emendationibus suis ad Hebræos provocat. *Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebraeos, suam conscientiam recolat: videat ordinem textumque sermonis; & tunc nostro labori, si potuerit, detrahat. Ubicunque ergo asteriscos, id est, stellas, radiare in hoc volumine videritis, ibi sciatis de Hebraeo additum quod in Latinis Codicibus non habetur. Ubi vero obelus, transversa scil. virga praeposita est, illic signatur quid* LXX. *Inter-*

pretes addiderint. Editionem hanc *Paralipomenωn* adornatam fuisse diu ante *Damasi* Papæ mortem, satis constat. Si *Vitæ Hieronymi* anonymo Scriptori credimus, emissa est sub Pontificatu *Liberii*. *Commorans itaque Hieronymus Romæ, mentis corporisque virginitatem & delictorum pœnitentiam custodiens, fidelibus prædicabat. Multaque juxta* LXX. *librorum volumina atque Psalterium emendavit, Apostolicæ Sedis Liberio gerente Pontificatum.* Obiit autem *Liberius* an. 366. cum annos tantum 37. natus esset *Hieronymus*.

Nullum librum *Apocryphum* (exceptis forsan additamentis *Esthereæ* & *Danielis*) ad Codices *Græcos* recognovit. Neque extat enim Præfatio illius in ullum ex libris *Apocryphis*. Nec ullius à se ad Græcum recogniti mentionem usquam facit. In Biblio MS. [a] Bibliothecæ Bodleianæ reperitur duplex Editio Latina libri *Judith*, quarum posterior Præfatione Hieronymi præmunitur, & est ipsa quæ vulgo legitur, quam Hieronymus è Chaldæo vertit: prior vero, quæ vetustior est Editio, ex Græco facta, Præfationem nullam habet, habitura tamen si fuisset ab Hieronymo recognita. Fallitur autem [b] *Serarius*, cum asserit illum nihil ex *Græco* transtulisse præter *Psalterium*, *Job*, & libros *Salomonis*. Libros quoque *Paralipomenωn* ab eo fuisse ex Græco conversos, jam ostendimus. Et idem de omnibus *Canonicis* ipse subindicat in Epistola ad Augustinum, qua ei respondet quærenti tantum (ut supra) de libro Job, qui solus tum ad illius pervenerat manus: *Quod autem quæris, cur prior mea in* LIBRIS CANONICIS *interpretatio asteriscos habeat & virgulas prænotatas: & postquam aliam translationem absque his signis ediderim; pace tua dixerim videris mihi non intelligere quod quæsisti. Illa enim interpretatio* LXX. *Interpretum est: & ubicunque virgulæ, id est obeli sunt, significatur quod* LXX. *plus dixerint, quam habetur in Hebræo. Ubi autem asterisci, id est stellulæ prælucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum est: Et ibi Græca transtulimus: hic de ipso Hebraico, quod intelligebamus, expressimus.* De omnibus quoque libris loquitur in Epistola ad *Suniam* & *Fretelam*, (quamvis illæ eum rogaverant de locis tantum *Psalterii* quibusdam) *Aliam editionem* LXX. *Interpretum, quæ & in ἐξαπλοῖς Codicibus reperitur, & à nobis in Latinum sermonem fideliter versa est.* Paulo post: *Ita in Veteri Testamento &c. — Ea autem editio quæ habetur in ἐξαπλοῖς, & quam nos vertimus, &c.* In quibus locis id porro observandum est, quod innuit se totum sacrum volumen *vertisse*: cum libros tamen complures correxit tantum ac recognovit. *Vertit* vero passim cum alia quædam, tum ea præcipue quæ ex *Theodotione* addita fuere.

Existimat [c] *Simonius* Hieronymum in hac editione, quæ addita sunt sub asteriscis, ex ipso Hebræo immediate vertisse. Sed quamvis hoc verum sit de libris *Paralipomenωn*, constat tamen ex locis præcitatis, aliisque mox citandis, illum ut plurimum ipsa Græca, quæ ex *Theodotionis* editione sub asteriscis in Hexaplis interseruerat *Origenes*, Latine transtulisse.

Fallitur rursus [d] Vir doctus, cum putat hanc Editionem designari à *Ruffino* in libro 2. *Invectivarum* his verbis: *Quis alius auderet ab Apostolis tradita Ecclesiæ instrumenta temerare, nisi Judaicus spiritus?* In illa enim *Invectiva*, & speciatim verbis illis, [e] loqui *Ruffinum* de Versione ab Hieronymo ex Hebræo facta, evidentissimum est. Verum utrum ita sit vel non, parum refert.

Hæc ipsa est editio, quæ in Hieronymi Commentariis in Prophetas, præsertim in 12. Minores, connectitur cum Versione ex Hebræo facta: ut variis indiciis perspicuum est. Ad Es. 40. *Hoc quod asteriscis notatur: Quia spiritus &c. ex Hebraico & Theodotionis editione additum est.* Ad cap. 5. *Nomen Hierusalem, quod hic à* LXX. *additum est, nec in Hebræo*

[a] NE. F. 6. 7. 8.

[b] Prolegom. Bibl.

[c] Hist. Crit. T. V. lib. 2. c. 10.

[d] Disquis. Crit. cap. 19.

[e] Vide locum infra, in *Ruffino*.

bræo habetur, nec ullus trium Interpretum posuit: unde obelo prænotandum est. Ibid. *Illud autem quod supra dicitur, Et non occidet &c. de Theodotionis editione ex Hebraico additum est.* Ad cap. 52. *In hoc loco nomen Sion à* LXX. *additum est: & idcirco jugulatum veru.* Ad cap. 55. *Quodque sequitur, Et obnoxii tui erunt in ea, obelo prænotavimus.* In Jer. 2. *Hoc in* LXX. *non habetur, sed sub asteriscis de Theodotionis editione additum est.* Ibid. *Pro imagine mortis* (quod Hebraicum habet) *de Theodotione additum est, umbra mortis.* Cap. 31. *Ridicule Latini Codices in hoc loco, ambiguitate verbi Græci, pro calido lupinos interpretati sunt &c.* Versio tamen Latina, qua ibi utitur Hieronymus, habet *calidum.* In Ezech. 7. *Hæc in* LXX. *non habentur, sed in editione eorum de translatione Theod. sub asteriscis addita sunt.* Rursus: *Locus difficilis, & inter Heb. &* LXX. *multum discrepans, quibus pleraque de Theodotionis editione addita sunt, ut aliquam habere consequentiam viderentur.*

Eandem Editionem quoad *Ecclesiasten*, exhibent ejusdem in librum illum Commentarii. Cæteri omnes libri videntur periisse, præter *Psalterium*, quod habetur quoque typis excusum, & librum *Job*, quem ex eadem editione reperi in Biblio quodam MS. [a] Bibliothecæ *Bodl.* antiquo & perpulchro, quod supra memoravimus. In quo duplex habetur illius libri translatio, cum Hieronymi Præfationibus. Designatur eadem Editio in notula marginali alius Biblii inter MSS. [b] *Laudina*, his verbis: *In libro veteri, quem vidi, & fuit de cœnobio Fontinellæ, fuit translatio Jeronymi super Job, qua non utimur.* Ejusdem exemplar, idque obelis asteriscisque notatum, se invenisse testatur *Jac. Faber Stapulensis.* Vivente adhuc ipso Hieronymo perierant nonnulli libri, cujusdam fraude ab eo subrepti, ut colligi potest ex Epistola ejus XCIV. ad Augustinum: *Grandem Latini sermonis in ista provincia notariorum patimur penuriam: & idcirco præceptis tuis parere non potuimus: maxime editione* LXX. *quæ asteriscis verubusque distincta est. Pleraque enim prioris laboris ob fraudem cujusdam amisimus.*

[a] NE. F. 6. 7. 8.
[b] D. 43.

Apud Virum clariss. *Gul. Caveum* in *Hist. Literaria Script. Eccles.* de Hieronymo hæc legimus: *Juvenis adhuc totum V. T. Latinum cum Græcis Hexaplorum Codicibus collatum emendavit, additis ubicunque aliquid mutaret, notis & asteriscis. Quosdam etiam libros & in his Psalmos è Græco accurate convertit. Verum ista Versio dudum periit. Quin & Psalterium postea Latinum à Damaso rogatus ex Lucianea τῶν ό. editione bis correxit; quod ab eo correctum à Romana Ecclesia statim usurpari cœpit, & in Bibliis vulgatis hodiernum extat, uti & T. Novum pari modo ab eo ex Græcis fontibus repurgatum. Quinetiam Græcam τῶν* LXX. *Versionem ex melioris notæ exemplaribus correctam atque emendatam in studiosorum usum edidit. &c.* Hæc *Caveus*, Vir natus in honorem literarum, mihique in paucis charus atque reverendus. Sed pluribus nominibus (pace ejus dixerim) in hoc loco fallitur, ut in tali tantoque opere facile fieri potuit, sed partim ab aliis in errorem ductus. De editione *Lucianea*, & quod *ter* ex Græco Psalterium non verterit sive correxerit Hieronymus, in superioribus jam diximus. In editione Bibliorum, quam asteriscis signavit, notas apposuit non illis quæ *mutavit*, sed illis quæ *addebantur* vel *redundabant.* Psalmorum Versio, quam ex Græco condidit, non *periit*, sed, ut dixi, illa ipsa est quæ in Bibliis vulgatis hodienum extat. Nec correxit unquam Hieronymus ipsam *Græcam τῶν* LXX. Editionem; sed tantum *Latinam* è Græca conversam. Et de hac sola intelligendus est, ubi meminit Editionis LXX. à se emendatæ, scil. cum alibi passim, tum in Epist. 28. ad *Lucinium* gente Beticum: LXX. *Interpretum editionem & te habere non dubito, & ante annos plurimos diligentissime emendatam studiosis tradidi.* Quo loco videtur eruditiss. *Caveus* fuisse deceptus. Ait

Hieronymus se non dubitare, quin volumen Bibliorum (in Latinum ex LXX. translatum) haberet *Lucinius*: quia multi temporibus illis non integras Scripturas, sed tantum libros quosdam, aut forte nullos, penes se habebant. De homine vero in Hispania Ulteriore, hodie *Andalusia* dicta, vivente, non dicere potuit, se *non dubitare* quin ipsam Editionem *Græcam* haberet.

5. Post aliquot annos, non contentus Versionem Latinam è Græco factam repurgasse, & ex Hebræo sub asteriscis suppleviſſe, obelisque superflua jugulasse; dum in secessu *Bethlehemitico* delitesceret Versionem novam Latinam totius Instrumenti Vet. ex *Hebræo* aggressus est. In qua adornanda secutus est partim Interpretes LXX. scil. ubi ab Hebræo non dissentire videbantur, partim Interpretes Græcos cæteros, partim Magistrorum suorum Judæorum expositiones. Quid fecerit in *Ecclesiastis* Versione, his verbis monet: *Memini me ante hoc ferme quinquennium, cum adhuc Romæ essem, &c. — Et nunc in Bethlehem positus, angustiore viz. civitate, & illius (Blæsillæ) memoriæ & vobis reddo quod debeo, hoc breviter admonens, quod nullius auctoritatem sequutus sum, sed de Hebræo transferens maxime* LXX. *Interpretum consuetudini me coaptavi, in his duntaxat, quæ non multum ab Hebraicis discrepabant. Interdum Aquilæ quoque & Symmachi & Theodotionis recordatus sum, ut nec novitate nimia Lectoris studium deterrerem; nec rursum contra conscientiam meam, fonte Veritatis omisso, opinionum rivulos consectarer.* Præf. in *Job*, ait translationem illius libri *nullum de Veteribus sequi Interpretem, sed ex ipso Hebraico Arabicoque sermone, & interdum Syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonare.* Procemio in *Hester*, ait se librum illum, *verbum è verbo expressius transtulisse.* Meminit ibidem se in illo libro notas quasdam ex minio adjecisse, quæ in hodiernis exemplaribus desiderantur: *Rursum in libro Hester alphabetum ex minio usque ad Theta literam fecimus diversis in locis, volentes scil.* LXX. *Interpretum ordinem per hoc insinuare studioso Lectori. Nos enim juxta morem Hebraicum ordinem prosequi etiam in* LXX. *editione maluimus.* Comm. in Es. c. 13. testatur se in Versionibus suis *Symmachum generaliter*, præ aliis Interpretibus Græcis, *secutum fuisse.* De earum veritate, *Judæos* passim appellat. Tract. de *Opt. genere interpretandi*, profitetur se in Scripturis vertendis Hebraica verbum è verbo expressisse: *Ego enim non solum fateor, sed libera voce profiteor, me in interpretatione Græcorum, absque Scripturis sanctis, ubi & verborum ordo & mysterium est, non verbum è verbo, sed sensum exprimere de sensu.* At Epistola LXXXIX. ad *Augustinum*, agnoscit se *sensuum potius veritatem, quam verborum ordinem interdum conservasse.*

Non eodem tempore librorum omnium Versiones emisit, nec eodem ordine, quo in sacris Voluminibus vulgo feruntur. Primos omnium edidit 4. libros *Regum* (id est, duos *Samuelis* & duos *Regum*.) Quibus præfixit generalem Introductionem ad *Paulam* & *Eustochium*, quæ *Prologi Galeati* noscitur titulo.

Proxime post illos edidit omnes Prophetas, cum 4. Majores, tum 12. Minores. Post illos, 3. libros *Salomonis*, *Ecclesiasten*, *Proverbia*, & *Canticum Cant.* simul vulgavit, scil. circa an. 388. ut patet ex Prologo *Ecclesiastis*, ubi monet se *ante quinquennium* fuisse Romæ. Roma enim discessit statim post *Damasi* P. amici sui, mortem, à Romano Clero invidia calumniisque appetitus, velut ipse docet Epist. 99. Obiit vero *Damasus* an. 382. nempe mense Octobri *Antonio* & *Syagrio* COSS. ut testatur *Marcellinus Comes*, id est, anno Theodosii Sen. 4. vel 5. Et testantur *Prosper* & *Cassiodorus*, Hieronymum toto jam mundo clarum in *Bethlehem* habitasse, *Arcadio* & *Bautone* COSS. h. e. anno Theodosii 7. Christi 385. In Vita tamen *Damasi* scriptum legimus, obiisse illum an. 388.

Theodosii

Theodosii 9. Indict. 1. Quod si verum sit, editi sunt libri Salomonis an. 393. vel 394. Quam brevi vero tempore libros illos transtulerit, ipse docet, *tridui opus* appellans. Editos autem fuisse post *Prophetas*, exinde palam est, quod in Prologo *Proverbiorum* ait se Commentarios in *Osee*, *Amos*, *Zach.* & *Mal. scripturum fuisse ante illud tempus*, si præ valetudine licuisset. Commentarios enim in proprias suas Versiones scripsit.

Librum *Job* emisit circa an. 392. vel 393. ut liquet ex Epistola 58. *Libros sedecim Prophetarum, quos in Latinum de Hebræo sermone verti, si legeris, & delectari te hoc opere comperero, provocabis nos etiam cætera clauso armario non tenere. Transtuli nuper Job in linguam nostram, cujus exemplar à sancta Marcella consobrina tua poteris mutuari. Lege eundem Græcum & Latinum, & veterem editionem nostræ translationi compara, & liquido pervidebis, quantum distet inter veritatem & mendacium.* Scripta est illa Epistola brevi post libros *adversus Jovinianum*; qui scripti sunt an. 392.

Eodem circiter tempore evulgata est *Psalmorum* Versio. *Esdram* & *Nehemiam* editos fuisse ante librum *De Opt. gen. interpretandi*, hoc est, ante an. 394. vel. 395. apparet ex his *Prologi* verbis: *In Evangeliis multa habentur quasi de V. T. quæ apud* LXX. *Interpretes non habentur. — multaque alia, quæ latiori Operi reservamus.* Per *latius Opus*, non dubium est quin intellexerit *de Opt. gen. interpretandi* librum: quem editum fuisse paulo post librum *De illustribus Viris*, sive *Catalogum Script. Eccl.* id est circa ann. 393. vel. 394. colligitur ex Procemio Comment. in Jonam: *TRIENNIUM circiter fluxit postquam 5 Prophetas interpretatus sum, Micheam, Nahum, Abacuk, Sophoniam, Aggeum, & alio opere detentus, non potui implere quod cœperam. Scripsi librum* De illustribus Viris, *& adversum Jovinianum duo volumina: Apologeticum quoque*, & De optimo genere interpretandi, *ad Pammachium, & ad Nepotianum vel de Nepotiano duos libros, & alia quæ enumerare longum est. Igitur tanto post tempore, quasi quodam postliminio à Jona interpretandi sumens principium. &c.* Eos omnes libros eodem triennio se scripsisse docet. *Ante* librum vero *De illustribus Viris*, quem constat scriptum fuisse anno 392. vel ineunte 393. non scriptum fuisse librum *De opt. gen. interpretandi*, exinde liquet quod ibi, in recensione Operum Hieronymi, nulla fiat illius mentio.

Pentateuchum edidit non ante annum 404. vel 405. Quem brevi secutus est liber *Josuæ*. Hoc ex eo colligitur, quod in Præfatione *Josuæ*, quæ sic incipit, *Tandem finito Pentateucho Moysi; velut grandi fœnore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittamus*: mentio fit *Paulæ* jam defunctæ. *Cæterum post sanctæ Paulæ dormitionem, & hos libros, quos Eustochio Virgini Christi negare non potui. &c.* Obiit enim *Paula* an. 404. ut ex ejus constat *Epitaphio* ab Hieronymo conscripto. In *Apologetico contra Ruffinum*, quem statuunt nonnulli scriptum fuisse anno 400. proferuntur loca quædam ex Præfationibus non modo *Regum*, *Paralipomenon*, *Esdræ*, *Jobi*, *Psalmorum*, *librorum* 3. *Salomonis*, *Esaiæ*, & *Danielis*, verum etiam *Pentateuchi*. Atqui unde constet *Apologeticum* an. 400. fuisse scriptum non video. Vel ex hoc, ni fallor, loco contrarium evinci possit.

In eadem *Josuæ* Præfatione pollicetur se proxime ad librum *Judicum*, *Ruth*, & *Hester* manum missurum. Præfatio *Hester* juxta lectionem hodiernam scribitur ad *Paulam & Eustochium*. Quod fieri non potuit. Et pro verbis illis, *O Paula & Eustochium*, quod error vetustus est, substituendum est, meo periculo, *mi Domnion & Rogatiane*. Nam, ut constat *Paulam* ante mortuam fuisse, sic translationem *Hester* dicatam fuisse *Domnioni* & *Rogatiano*, satis patet ex *Esdræ* Prologo ad eos conscripto, ubi hæc leguntur: *Tertius annus est, quod semper scribitis atque rescribitis, ut Esdræ librum & Hester VOBIS de Hebræo transferam.*

Paralipomenon libros ultimo omnium prodiisse, asserit clariss. [a] *Du pin.*

[a] De Can.V.T. c. 7. §. 1.

Sed fallitur. Nam omnes alios libros editos fuisse ante *Octateuchum*, testatur ipse Epist. 28. ad Lucinium: *Canonem Hebraicæ Veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis & notariis dedi describendum.* Liber omnium postremus fuit *Hester*, quem Hieronymus comprehendit in nomine *Octateuchi*, librum *Ruth*, & *Judices*, pro more Hebræorum, in unum conjungens. Post annum vero 393. vel etiam 394. prodiisse *Paralipomena*, exinde dignoscimus, quod in Præfatione citatur liber *De opt. gen. interpretandi.*

In *Catologo Script. Eccles.* dicit: *Novum Testamentum Græcæ fidei reddidi: Vetus juxta Hebraicum transtuli.* Catalogum autem scripsit an. 14. Theodosii Imp. (h. e. Christi, ut diximus, 392. vel 393.) *Usque in præsentem annum, id est, Theodosii Principis decimum quartum, hæc scripsi: &c.* Hoc quomodo convenire potest cum illis, quæ diximus de tempore quo editi sunt ab eo Scripturarum libri varii? Dicendum, illum ante annum Theodosii 14. Christi 392. *transtulisse* quidem libros omnes, sed omnes in publicum non *edidisse* nisi multis post annis. Atque hinc est quod *Pammachium* monet in loco paulo ante citato, se *cætera clauso armario non tentaturum*, si Prophetarum Versio ei arrideret. Loqui quidem videtur in Præfationibus aliquorum librorum, quos edidit post annum 392. tanquam si eos etiam post illum annum, scil. brevi antequam eos ediderit, *transtulisset*: ut cum dicit in Præfatione *Josue*; *Finito Pentateucho Moysi, ad Jesum filium Nave manum mittamus.* Sed intelligenda sunt illiusmodi loca, de translatione non jam *facienda*, sed *recognoscenda* & *edenda*.

Vertit quoque è lingua Chaldæa libros Apocryphos *Tobiæ* & *Judith*; illius unius *diei opera*, Magistri Judaici ope, quo Hebraicis verbis Chaldaica interpretante, ipse accito Notario sermonibus Latinis exposuit; hujus vero, proprio marte, postquam ipse linguæ Chaldaicæ aliqualem notitiam assecutus fuerat. *Machabæorum* librum primum se *Hebraice* reperisse [a] scribit, ut etiam *Ecclesiasticum*: sed neutrum eorum exinde transtulit.

[a] Præf. in Reg.

In editione sua librorum *Hester*, *Danielis*, & *Jeremiæ*, Additamenta apocrypha, quamvis ei minime placerent, retinuit, adjectis vero passim reprobationis notis: ut patet ex his verbis ad finem Hester: *Quæ habentur in Hebræo plena fide expressi; hæc autem quæ sequuntur scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua & literis continentur. Et interim post finem libri hoc capitulum ferebatur, quod juxta consuetudinem nostram obelo, i. e. veru prænotavimus.* Postea: *Hoc quoque principium erat in editione vulg. quod nec in Heb. nec apud ullum fertur Interpretum.* Sic alia alibi ejusdem generis: *Quæ sequuntur in sola vulgata editione reperimus. — Quæ sequuntur non habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur Interpretum. — Hæc quoque addita reperi in editione vulgata. — Exemplar Epistolæ Regis Artaxerxis, quod & ipsum in Heb. volumine non habetur.* Sic ante Additamenta Danielis: *Quæ sequuntur usque ad finem libri, de Theodotionis editione translata sunt.* Ante Cant. 3. Puerorum: *Quæ sequuntur in voluminibus non reperi.* Ad finem ejusdem: *Hucusque in Hebræo non habetur: & quæ posuimus, de Theodotionis editione translata sunt.* Historia *Belis & Draconis* nullum videatur in illius editione locum habuisse, siquidem nihil istiusmodi de ea adnotatum reperitur: cæterum eam quoque ab illo additam fuisse, in Præfatione *Danielis* monet: *Daniel apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium Puerorum, nec Belis Draconis fabulas, quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru antepositio easque jugulante, subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.*

Librorum *Baruch*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, & *Machabæorum*, Versionem

nem quæ hodie extat, esse *veterem vulgatam* concedit [a] *Du Pin*, sed Versionem Additamentorum *Hester* & *Danielis* ait esse *Hieronymi*: Quod nullo modo constat. Non constat enim Hieronymum additamenta illa unquam vertisse. Ex adnotamentis illis quæ adduximus, nihil tale certo colligi potest. E contra *translata sunt*, passim dicitur, non *transtuli*, aut *transtulimus*. Ea vero ex Græco fuisse ab eo correcta in illa Editione Bibliorum, quam ex Græco partim vertit, partim emendavit, satis est verisimile.

a De Can. V.T. c. 7. §. 2.

6. In Epistola quæ extat sub nomine *S. Augustini*, *De magnificentiis B. Hieronymi*, dicitur Hieronymum *Hebraicorum*, *Græcorum*, *Chaldæorum*, *& Persarum*, *& Medorum*, *Arabicorum*, *& pene omnium nationum*, *linguas & literas calluisse*, *tanquam si fuisset in eisdem natus & educatus*. Hyperbole digna stolidissimo nugatore! Se *hominem linguarum TRIUM* appellat ipse Hieronymus. [b] Alibi: *Ego Philosophus*, *Rhetor*, *Grammaticus*, *Dialecticus*, *Hebræus*, *Græcus*, *Latinus*, *trilinguis*. Ita Auctor incertus Carminis in ejus laudes.

b Adv. Ruff.

> —— *Tibi non modo scita diserta*
> *Lingua Latina prius*, *sed adhuc mirabile dictu*,
> *Græcus & Hebræus Chaldaica verba dedisti*
> *Jam sapiens cupiensque Jesum* ——

A vero genuinoque *Augustino* cum alibi tum lib. 18. De Civ. Dei, *hominis doctissimi* & omnium *TRIUM linguarum periti* elogio ornatur. In [c] *Jo. Despieresio* judicium jure requiras, qui illius in *Hebraicis* peritiam evincere conatur ex testimoniis hominum Hebraice prorsus nescientium, *Augustini*, *Gregorii*, *Isidori*, *Anselmi*, *Bernardi*. Qui quanti quanti fuerint, testimonium nullum hac de re perhibere potuerunt.

c De textu Heb. pag. 251.

Ridicule scribit Auctor ante citatus *De magnif. Hieronymi*, illum *utrumque Testamentum ex Hebræorum lingua in Græcam pariter & Latinam transtulisse*. Nec multo melius Scriptor præcitati Carminis:

> *Tu Vetus atque Novum duo Testamenta labore*
> *Ingenti variis purgans erroribus illa*
> *Vertisti in linguam sacro de* fonte *Latinam*
> Hebraico, *quæ nunc traductio vera tenetur.*

Hebraicis literis ab usque juventute operam dedit, idque ardentissimis studiis; nullis laboribus, nullis sumptibus parcens, ut ad summum eruditionis Hebraicæ culmen adscenderet. Epist. IV. ad *Rusticum* c. 6. scribit se *dum esset juvenis* & in eremo Monachum ageret, magistro in *Hebraicis* Judæo-Christiano usum fuisse. *Ad quam* (mentem juvenilibus cogitationibus æstuantem) *edomandam cuidam fratri*, *qui ex Hebræis crediderat*, *me in disciplinam dedi*, *ut post Quintiliani acumina*, *Ciceronis fluvios*, *gravitatemque Frontonis*, *& lenitatem Plinii*, *Alphabetum discerem*, *& stridentia anhelantiaque verba meditarer*. *Quid ibi laboris insumpserim*, *quid sustinuerim difficultatis*, *quoties desperaverim*, *quoties cessaverim*, *& contentione discendi rursus inceperim*, *testis est conscientia*, *tam mea qui passus sum*, *quam eorum qui mecum duxerunt vitam*: *& gratias ago Domino quod de amaro semine literarum dulces fructus carpo*. Sic in Paulæ Epitaphio: *Hebræam linguam quam ego ab adolescentia multo labore ac sudore ex parte didici*, *& indefatigabili meditatione*, *non desero*, *ne ipse ab ea deserar*. Præf. in Dan. *Denique & ego adolescentulus post Quintiliani & Tullii lectionem ac flores Rhetoricos*, *cum me in linguæ hujus pistrinum reclusissem*, *& multo sudore*, *multoque tempore*, *vix cœpissem anhelantia stridentiaque verba resonare*, *& quasi per cryptam ambulans*, *rarum desuper lumen aspicerem*, *impegi novissime in Danielem &c.* De flagrante suo linguæ Hebraicæ studio,

rursus

rursus ipse Procemio Commentarii tertii in Epist. ad *Galatas*: *Omnem sermonis elegantiam, & Latini eloquii venustatem, stridor lectionis Hebraicæ sordidavit. Nostis enim & ipsæ quod plusquam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam gentilium literarum quilibet Auctor ascendit, & si quid forte inde dum loquimur obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur. Quid autem profecerim ex linguæ illius infatigabili studio, aliorum judicio derelinquo, ego quid in mea amiserim scio.*

Post illum ex Judæo Christianum, quo primo usus est in Hebraicis Magistro, in *Rabbinorum* plurium disciplinam se tradidit. Epist. ad *Damasum* P. *Est vir quidam, à quo ego plura didicisse me gaudeo, & qui Hebræum sermonem ita elimarit, ut inter scribas eorum Chaldæus existimetur.* Paulo post: *Audivi ego in hoc loco non parvam Hebræi mei disputationem, cujus pauca ponam, ut sensum hominis advertas.* In alia ad eundem *Damasum* Epistola mentionem facit *Hebræi* cujusdam eruditi, qui ad se volumina aliquot Hebraica ex *Synagoga* clandestine attulerat: *Cum subito Hebræus intervenit, deferens non pauca volumina, quæ de Synagoga quasi lecturus acceperat. Et illico, Habes, inquit, quæ postulaveras.*

Hebræi Magistri, quem *Tiberiade* acciverit, ut ejus ope *Paralipomenon* libros è Græco à se conversos ad Hebraicam Veritatem emendaret, jam supra fecimus mentionem. Alius Rabbini Magistri sui, civitate *Lyddæi*, quem sibi in vertendo *Jobi* libro assumpserat, meminit in Procemio Versionis illius libri. *Memini me ob intelligentiam hujus voluminis Lyddæum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis, cujus doctrina an aliquid profecerim nescio. Hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram.* Ejusdem facit mentionem Comm. in *Hab.* cap. 2. *Lyddæ quendam de Hebræis, qui sapiens apud illos & δευτερωτὴς vocabatur, narrantem hujusmodi fabulam audivi: Sedechias, inquit, &c.*

In vertendo *Tobit*, sive *Tobia*, è lingua *Chaldaica*, assumpsisse se sibi Rabbinum quendam & *Hebraice* & *Chaldaice* peritum, testatur in Præfatione: *Quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico, utriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui, & quicquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego, accito Notario, sermonibus Latinis exposui.*

Danielis interpretandi causa ait in Præfatione à Judæo se quodam *Chaldaicam* linguam addidicisse: *Impegi novissime in Danielem, & tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita, omnem laborem veterem voluerim contemnere. Verum adhortante me quodam Hebræo, & illud mihi in sua lingua ingerente, Labor omnia vincit, qui mihi videbar sciolus inter Hebræos, cœpi rursus esse discipulus Chaldaicus. Et ut verum fatear, usque ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere & intelligere, quam sonare.*

Præcipuus omnium illius Magistrorum, & (ut videtur) ultimus, fuit *Barhanina* sive *Barrabanus* quidam, quem *Ruffinus* videtur perperam credidisse ei adjutorem fuisse in omnibus libris Biblicis ex Hebræo convertendis: *Barrabam* vero illum appellat. Lib. advers. Hieron. *Quia Barrabam ejus de Synagoga Magistrum non suscepimus. Proposito enim Christo simul & Barraba, Ego quasi imperitus simul elegi: Tu ut video, cum illis clamas qui dicunt, Non hunc sed Barrabam.* Ibidem: *Nec quenquam nunc te in hoc comitem vel socium in Ecclesia habuisse certum est, nisi istum solum, quem frequenter commemoras Barrabam.* Rursus, clarius: *Majoris id* (Versionem LXX.) *debere esse authoritatis, quam id quod ab uno homine, sibi Barraba adspirante, translatum est. Ruffinum* reprehendit Hieronymus quod *Barrabam* illum appellet, cum nomen ei fuerit *Barbanina*. Apolog. lib. 1. *Audio te quædam de Epistola mea Philosophice carpere, & hominem rugosæ frontis adductique supercilii, Plautino in me sale ludere, eo quod*

Barrabam

Barrabam Judæum dixerim præceptorem meum. Nec mirum, si pro Barbanina, ubi est aliqua vocabulorum similitudo, scripseris Barrabam, quum tantam habeas scientiam nominum immutandorum, ut de Eusebio Pamphilum, de Hæretico Martyrem feceris. In Epistola vero quam designat *Hieronymus* (num. LXV.) juxta exemplaria hodierna non *Barbanina*, sed *Barrabanus* scribitur. Et sic quoque in Hieronymi *Vita* ab anonymo scripta. Verisimile est *Ruffinum* in Epistola illa *Barrabanum* invenisse scriptum, & nomen illud in *Barrabam* immutasse, allusione ad *Barrabam* istum, cujus in historiis Evangelicis mentio, quod eum dimisso Christo elegerint Judæi. Epistolæ Hieronymianæ verba hæc sunt: *Jam canis spargebatur caput, & magistrum potius quam discipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum: in multis ei gratias ago. Quod nescivi didici: quod sciebam, illo docente non perdidi. Putabant me homines finem fecisse discendi. Veni rursum Hierosolymam & Bethlehem. Quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorem? Timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum. Horum omnium frequenter in opusculis meis facio mentionem.* In Procemio Comment. in *Oseam*, quod scripsit sub Consulatu *Arcadii* & *Anicii*, h. e. an. 406. ait se ante annos circiter 22. ad audiendum *Didymum* Alexandriam profectum fuisse. Et inde intelligimus illum *Barbaninam* sibi magistrum assumpsisse circa an. 384. ætatis suæ 55. vel 56. Ex verbis novissime prolatis intelligimus quoque Rabbinum illum designari ab Hieronymo in *Commentariis*, ubi Hebræi sui præceptoris frequenter adducit sententias. *Hebræus qui me in Scripturis sanctis erudivit*: Comm. in [a] Amos, Abdiam & [b] Nahum. *Hebræus qui me in Scripturis instituit*: Com. in [c] Soph. *Hebræus, quo Scripturas sanctas instituente perlegi*: Com. in [d] Eccl. *Hebræus meus, cujus sæpe facio mentionem*: [e] Ibidem. *Hebræus quo prælegente Scripturas didici*: Libro De locis Hebraicis. *Hebræus qui me in Scripturis aliqua ex parte instituit*: Com. in [f] Gal. *Hebræus quo ego præceptore usus sum*: Com. in [g] Es. Alibi illum simpliciter [h] *Hebræi* nomine commemorat, alibi cum elogio *eruditissimi Hebræorum.* Existimat [i] *Jo. Morinus* per *Hebræum* illum qui citatur, ut supra, in *Epistola ad Gal.* intelligi illum qui ex *Hebræo Christianus* factus est, quia producitur illius judicium de eo quod apud *Deut.* XXI. potest & ita legi; *Quia contumeliose Deus suspensus est.* Hoc, inquit *Morinus*, non fassus fuisset *Judæus.* Mihi secus videtur. Si enim ex Hebræo *Christianum* designasset *Hieronymus*, illum non simpliciter *Hebræum* appellasset. Neque quidquam valuisset illius auctoritas. Sed ideo hoc profertur testimonium, quia cum esset ipsius *Judæi*, videbatur fuisse permagni ponderis. Taceo, quod præterea constat scripsisse Hieronymum *Commentarium in Galatas* paulo postquam *Barbaninæ* magisterio usus fuisset: ut colligitur ex Procemio Com. in *Ephesios*, ubi fatetur se nuper *Alexandriam perrexisse*, & ante paucos dies Commentarium in *Epistolam ad Galatas* edidisse.

[a] Cap. 3.
[b] Cap. 3.
[c] Cap. 3.
[d] Cap. 1.
[e] Cap. 4.
[f] Cap. 3.
[g] Cap. 13.
[h] Com. in Os. c. 6. & 8. Com. in Eccl. cap. 7. & 9.
[i] Exercit.

7. Non desunt inter Pontificios, ut inferius suo loco monstrabimus, qui Versionem *Hieronymianam*, qua utitur Ecclesia Romana, afflatu Numinis Divini confectam fuisse decreverunt; eadem plane vanitate, qua Græci quoque credebant Prophetico spiritu suam factam fuisse. At longe secus de se & Versione sua sensit ipse *Auctor*. In Epist. ad *Cyprianum* fatetur Symmachum *significantius* locum quendam Esaiæ transtulisse. *Pro eo quod Nos posuimus*, in ipsis, *& in Hebræo habetur* bahem, *Symmachus significantius transtulit* ὁλόκληροι. In aliis locis Commentariorum agnoscit Interpretes LXX. *significantius* vertisse. Sic ad *Joel* cap. 3. *Et deduxit eos in vallem Josaphat* (sic habet ipsius translatio) *quod significantius juxta Hebraicam Veritatem Græce dicitur* κατάξω *i. e. deorsum ducam & de sublimibus ad inferiora detraham.* Ad Nahum I. 3. *Dominus*

patiens & magnus fortitudine & mundans non faciet innocentem] *Quod significantius in Græco dicitur:* κύριος μακρόθυμος, καὶ μεγάλη ἡ ἰσχὺς αὐτοῦ, καὶ ἀθῶων οὐκ ἀθωώσει. *Manifestius* & *apertius* transtulisse *Symmachum*, plerisque in locis agnoscit; ut Epist. ad *Principiam Virg.* & in *Commentariis* sæpius. Quid? quod ERRASSE se seu DECEPTUM fuisse in aliquibus locis ingenue fateatur. Quid ad hæc fautores Versionis Latinæ θεοπνεύστου? Respondent, Hieronymum ea loca in Versione sua postea emendasse. *Quod autem Hieronymus* (inquit [a] *Sixtus Senensis*) *se aliquando lapsum fatetur, nihil ejus eruditionis auctoritati derogat, cum ipsemet ea, in quibus se errasse cognoverat, diligenter etiam emendarit.* Effugium prorsus irritum! Leguntur enim hodienum in Latina Versione Vulgata ea ipsa loca, quibus se ERRASSE, seu DECEPTUM FUISSE, aliosque MELIUS fuisse interpretatos, agnoscit *Auctor*. Jer. XXXII. 29. Lat. Vulg. *Et venient Chaldæi prœliantes adversus urbem hanc &c.* Hieron. Comm. *MELIUS Aquila, qui pro eo quod scriptum est, venient,* εἰσελεύσονται, *h. e. ingredientur civitatem. Neque enim absentes erant,* ut venirent: *quippe qui circumdederant Hierusalem. Ac deinde: Ecce munitiones exstructæ sunt adversum civitatem, ut capiatur: & urbs data est in manus Chaldæorum. Quomodo igitur* venient, *qui præsentes erant? Sed hi qui obsidebant urbem, ingredientur, inquit, & capient eam, & succendent, & ad solum usque comburent: Verbum enim Hebraicum* באו *AMBIGUITATE sui, & venient, & ingredientur, sonat.* Mich. V. 3. Lat. Vulg. *Convertentur ad filios Israel.* Hieron. in Comm. *Et convertentur, sive ut MELIUS interpretatus est Symmachus, habitabunt,* ישבו *enim verbum Heb. utrumque significat. Habitabunt autem in Ecclesia Domini, qua magnificatus est Christus usque ad terminum terræ.* Aggæi I. 11. Lat. Vulg. *Et vocavi siccitatem super terram.* Hieron. Comm. *Pro siccitate* LXX. ῥομφαίαν, *i. e. gladium transtulerunt, sed & in Hebraico tribus literis scriptum reperi* חרב. *Quod si* חרב *legimus, gladium sonat; si* חורב, *id est,* καῦμα, *quod nos transtulimus siccitatem, licet MELIUS in urentem ventum transferri possit. Et revera quoniam sermo de terra est, & agrorum sterilitate, magis mihi videtur ventus urens in præsenti loco intelligi, quam gladius.* Esaiæ XIX. 15. Lat. Vulg. *Et non erit Ægypto opus quod faciat caput & caudam, incurvantem & refrænantem.* Hieron. Comm. *In eo quoque quod Nos transtulimus incurvantem & refrænantem, possumus dicere incurvum & lascivientem, ut intelligamus senem & puerum. Nos autem verbum* אגמון, *dum celeriter quæ scripta sunt vertimus, ambiguitate DECEPTI, refrænantem diximus, quod significantius Aquila transtulit* σπεύδοντα, *id est, qui nihil recte agit, sed omne perversum, ut puerum significaret.*

8. Vulgo creditur *Hieronymum* Scripturas vertisse non modo in linguam Latinam, verum etiam in *Dalmaticam*. Hoc asserunt inter Protestantes [b] *Waltonus*; inter Pontificios, [c] *Sixtus Senensis*, *Petrus Galesinius*, & *And. Schottus*: Eodem errore quo jactant Dalmatæ eum inventorem fuisse characterum suorum, & Officium quoque suum Liturgicum è Græco vertisse. Pro sententia autem sua citant Hieronymi ipsius Præfationem Psalterii ad Sophronium, ubi dicit se Versionem vulgatam *diligentissime emendatam olim suæ linguæ hominibus dedisse.* Atqui loqui ibi Hieronymum de Versione *Latina* olim à se emendata, res est apertissima. Per *linguæ suæ homines* non alios intelligit quam *Latinos*, quorum linguæ à cunis usque fuerat adsuetus. Sic in Apolog. adv. Ruff. *Unde mihi putabam bene mereri de Latinis MEIS & NOSTRORUM ad discendum animos concitare.* Ibid. ex Præf. in Paralip. *Cur me non suscipiant Latini MEI &c.* Paulo post: *Memini editionem* LXX. *translatorum olim de Græco emendatam tribuisse me NOSTRIS.* Rursus ex Præf. in Esdram: *Quanti magis Latini MEI grati esse deberent. &c.* Præf. in Lat.

[a] Bibl. S. lib. 8.
[b] Prolegom. 5.
[c] Bibl. l. 4.

Lat. Versionem Josuæ: *Sciat me non in reprehensionem veterum nova cudere, sed pro virili portione offerre linguæ MEÆ hominibus &c.* Epist. ad *Damasum P.* se *hominem Romanum* appellat.

9. Versionem suam ex Hebræo factam *colis* & *commatibus*, antea in Bibliis Latinis non usitatis, distinxit: ut monet ipse Præf. in Esaiam: *Nemo cum Prophetas versibus viderit esse conscriptos, metro eos existimet apud Hebræos ligari, & aliquid simile habere de Psalmis & operibus Salomonis, sed quod in Demosthene & in Tullio solet fieri, ut per cola scribantur & commata, qui utique prosa & non versibus conscripserunt: nos quoque utilitati legentium providentes interpretationem novam novo scribendi genere distinximus.* Præf. in Paralip. ex Heb. translata: *Et quod nunc Dibre hajomim, id est, Verba dierum, interpretatus sum, idcirco feci ut inextricabiles moras & sylvam nominum, quæ Scriptorum confusa sunt vitio, sensuumque barbariem, apertius & per versuum cola digererem, mihimetipsi & meis juxta Ismeniam canens, si aures surdæ sunt cæterorum.* Præfat. in Josuam: *Monemus Lectorem, ut sylvam Hebraicorum nominum & distinctiones per membra divisas, diligens Lector conservet, ne & noster labor & illius studium pereat.* Ejusdem rei meminit *Cassiodorus* de Institut. Divin. Lit. cap. 12. *Meminisse autem debemus memoratum Hieronymum omnem translationem suam in auctoritate divina, sicut ipse testatur, propter simplicitatem fratrum colis & commatibus ordinasse; ut qui distinctiones secularium literarum comprehendere minime potuerunt, hoc remedio suffulti, inculpabiliter pronunciarent sacratissimas lectiones.*

10. *Laurentii Vallæ* temporibus, hoc est intra annos circiter 250. Romæ ex Papæ authoritate monstrabatur Codex Biblii, tanquam reliquiæ Sanctorum accensis luminaribus, quem dicebant Scriptum chirographo Hieronymi, propterea quod, ut Virgilius loquitur, multum erat pictai vestis & auri. Hæc ille verbatim in Orat. *De falsa Donat. Constant.*

C A P. III.

Hieronymum Textum Hebraicum Versioni Græcæ longe prætulisse. Quam ob causam novam condidit ex Hebræo Versionem. 1. *Eum fabulam de* LXX. *Cellulis & Interpretum divino afflatu rejecisse. Errare eos qui dicunt illum in scriptis posterioribus eam asserere.* 2. *Eum* LXX. *Interpretes ERRORIS sæpe arguere.* Morini errores varii. *Hieronymo displicuisse Versionem Græcam non modo postquam Judæos Præceptores sibi assumpsisset, verum etiam antea.* 3. *Illum in iis ipsis locis, ubi, fautorum Versionis Græcæ affectibus cedens, negat se unquam contra eam locutum fuisse, Hebraico Textui eam postbabere.* 4. *Eum non modo antequam* Apologeticum *contra* Ruffinum *scripsit, sed etiam in scriptis postremis Textui Hebræo adhærere, & Versionem Græcam erroris insimulare.* 5. *Opuscula illa, in quibus loquitur de Scripturis à Judæis corruptis, scripta fuisse ante illa in quibus negat Judæos id unquam fecisse.* 6.

QUID senserit *Hieronymus* de Textus Heb. Versionisque LXX. Instrumenti Vet. & Græci Textus Novi, auctoritate, perspicue declarant nobiles illi, quos in Scripturis vertendis corrigendisque suscepit, labores. Quem in finem, quoque consilio Test. Vetus ex Heb. de novo convertendum aggressus sit, ipse monet in variis locis, sed pene semper varie. Aliquando dicit, se ad id studii excitatum fuisse, quia Versio LXX. à pristina puritate deciderat. Alibi, se ad id impulsum fuisse, ut haberent tandem *Latini* quod à *Græcis* non acceperint. Alibi, ut suppleret quæ LXX. Interpretes celaverant mysteria. Est etiam, ubi dicit, se ideo partim Versionem ex Heb. novam elaborasse, ut libros per versuum *cola* distingueret. Hujusmodi causas fictitias in *Præ-*

fationibus assignat, adversarios suos nimia quadam pusillanimitate demulcens, eorumque cedens invidiæ. Quæ omnes tam frivolæ sunt, ut *veras* non fuisse, nemini non appareat. An ut locorum quorundam paucissimorum suppleret mysteria, Versionem novam totius voluminis Biblici elucubrare voluit? Et quomodo *Colorum* gratia ad translationem novam ex Heb. aggrediendam induci potuit, cum id ipsum in vulgata præstare potuerit? Ut de alia causa nihil dicam, quia nimis est futilis: speciosior cæteris, sed non verior, est illa quæ spectat ad corruptionem Versionis Græcæ, Latinæque ex ea confectæ. Tantum enim abest, ut Versionem Græcam corruptelis tot inquinatam crediderit, ut sæpe affirmet Editionem illam quæ in *Hexaplis Origenianis* extabat, veram fuisse, incorruptam, ac integram τῶν LXX. Versionem. Ut breviter proferam quod & sentio & (si quod aliud) scio; Causa vera quare novam ex Heb. interpretationem aggressus est, hæc fuit: Non placuit ei LXX. Versio: quippe Textui Heb. non satis consona, in multis deficiens, in multis redundans, in multis errans. Hoc firmum fixumque maneat. Neque quisquam, ni maxime fallor, hac de re dubitabit, qui ea quæ sequuntur perlegerit atque perpenderit.

2. Alia sunt infinita quæ demonstrant illum Versionem LXX. Hebraico Textui longe posthabuisse. *Primo*, fabulam istam vulgarem de Cellulis LXX. & prophetica Interpretum inspiratione disertissimis verbis rejicit ac deridet. Id quod supra in libro 2. c. 6. §. 6. jam fuit ostensum. Nunquamne vero Interpretes divino & prophetico spiritu imbutos fuisse agnoscit? Uno quidem in loco quum ætate junior esset, hoc dixit, multitudini cedens, & ut recte adnotat *Erasmus*, fautorum Versionis Græcæ affectibus nonnihil tribuens. Nunquam vero, fidenter assero, credidit, nedum ætate provectior. Præf. in librum *Paralip.* asteriscis & obelis à se correctum, hæc habet: *Ita in Græcis & Latinis Codicibus hic Nominum liber vitiosus est, ut non tam Hebræa quam barbara quædam & Sarmatica nomina conjecta arbitrandum sit. Nec hoc* LXX. *Interpretibus, qui Spiritu S. pleni, ea quæ vera fuerunt, transtulerunt, sed scriptorum culpæ adscribendum. Ubicunque ergo Asteriscos, id est stellas radiare in hoc volumine videritis, ibi sciatis de Hebræo additum quod in Latinis Codicibus non habetur. Ubi vero obelus, transversa scil. virga præposita est, illic signatur, quid* LXX. *Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus S. auctoritatem, licet in Hebræis Codicibus non legatur.* His verbis innixi, *Hieronymi* ipsius auctoritatem pro traditione de prophetica LXX. Interpretum inspiratione adducunt [a] *Jo. Voisinus*, [b] *Jo. Ferdinandus*, [c] *Angelus Roccha*, [d] *Pet. Carbonarius*, [e] *Jo. D'espieresius*, [f] *Rob. Bellarminus*, [g] *Jac. de Valentia*, [h] *Jac. Middendorpius*, & [i] *Serarius*. His addendi cum alii tum [k] *Sixtus Senensis*, qui perperam dicit *Hieronymum* idem affirmare *in multis aliis locis*. Audacter affirmarim, per omnia Hieronymi volumina nullum alium reperiri locum, in quo hoc vel afferat, vel ullo modo subindicet. Non nescius sum [l] *Is. Vossium* asserere illum Interpretibus LXX. *locum inter Prophetas concedere in Præfatione in Pentateuchum*, licet *satis maligne* (ut inquit) *illos vocet Prophetarum pene ultimos.* Sed Hieronymi mentem nequaquam cepit vir doctus. In ea vel maxime Præfatione, *Cellularum* fabulam rejicit, & Interpretes fuisse *Prophetas* disertissime negat: hæcque demum subjicit verba: *Quod melius intelligimus, melius & proferimus. Audi igitur æmule, obtrectator ausculta, non damno, non reprehendo* LXX. *sed confidenter cunctis illis Apostolos prafero. Per istorum os mihi Christus sonat, quos ante Prophetas inter spiritualia charismata positos lego; in quibus ultimum pene gradum interpretes tenent.* Quibus verbis, ut palam est, hoc solum sibi voluit Hieronymus, *in charismatis spiritualibus*, de quibus Apostolus, *ultimum pene gradum interpretes*

[a] Procem. in Pug. Fid.
[b] Procem. l. 2. Thesauri Scrip.
[c] Bibl. Theol. & Script. Epitome.
[d] Procem. ad partem assertivam operis de Heb. Veritate.
[e] De LXX. Int. Disp. 2. Dub. 10.
[f] De Verbo Dei II. 6.
[g] Prologo in Psalt.
[h] Prolegom. in Aristeam.
[i] Prol. Bibl. Q. 16.
[k] Biblioth. l. 8.
[l] Contra Hulsium.

pretes tenere, & *Apostolis*, & *Prophetis*, aliisque etiam nonnullis, inferiores.

[a] *Chamierus*, ut respondeat illis, qui locum ex Præfat. in *Paralip.* proferunt, distinguit inter varios afflatus divini gradus, primum esse quo immediate illuminati sunt Prophetæ & Apostoli; secundum, quo omnes viri sancti actionibus facilitari dicantur: atque hanc inspirationem ordinariam [b] ait LXX. Interpretibus hoc in loco ab Hieronymo tribui. Cæterum mihi hæc non satisfaciunt. Libenter ego agnosco loqui Hieronymum de ea inspiratione, quam alii vulgo Interpretibus temporibus illis attribuebant. Verum loquitur, ut diximus, ex opinione vulgari, ut Versionis fautores aliquantulum demulceret. Pro uno isto loco, habemus multa, eaque postea conscripta, ubi illis propheticum spiritum apertissime denegat. Et quid ad hæc Interpretum LXX. patroni? *Despieresius*, ut vim locorum illorum multorum vitare possit, distinguit quoque inter *Prophetas*: alios ait esse proprie sic dictos, qui revelationem accipiunt per somnium, vel per visionem imaginariam vigilanti objectam, in quo ordine sunt *Esaias* cæterique Prophetæ: alios esse, qui revelationem accipiunt per intellectualem visionem, absque interventu imaginativæ & formarum sensibilium; & in hoc ordine Prophetarum ait omnes esse, qui *Hagiographa* scripserunt: hoc nimirum scripsisse instinctu Spiritus Sancti, non Spiritus Prophetici. Hujusmodi *Prophetas* fuisse LXX. Interpretes, non vero illiusmodi, *Hieronymum* statuere. Audiamus *Sixtum Senensem*. *Hieronymus* (inquit) *quanquam eos asseveret nec interpretando prophetasse, nec spiritum habuisse Propheticum, nusquam tamen negat eos Spiritu Sancto imbutos ad Scripturæ translationem accessisse: negavit quidem eos spiritum habuisse, quo futura prævidendo divinarent, ac scriberent; sed non negavit eos divinum intelligentiæ spiritum, ac interpretationis divinæ Scripturæ afflatum habuisse, cujus interni luminis auspicio, quæ à Prophetis scripta fuerant ex una in aliam linguam converterent. Differunt autem inter se Prophetæ & Interpretationis spiritus: hic sermones interpretatur, ille vero ventura vaticinatur.* Respondet quoque *Bellarminus*, Hieronymum voluisse quidem LXX. non fuisse proprie *Prophetas*: hoc enim (inquit) nec alii volunt, sed tantum Spiritu S. peculiariter illustratos.

Quarum responsionum vanitatem ac futilitatem facile quivis pervidebit, qui ipsius *Hieronymi* verba legit accuratiusque expendit. Sole clarius elucebit hanc Hieronymi fuisse sententiam, Interpretes fuisse *meros Interpretes*, quales sunt Interpretes aliorum quorumvis librorum, nulla inspiratione adjutos. Locum ex Præfatione in *Pentateuchum*, cujus partem tantum in libro superiori protuli, transcribam hic integrum: *Nescio quis primus auctor* LXX. *Cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint, cum Aristeas ejusdem Ptolemæi ὑπερασπιστής, & multo post tempore Josephus, nihil tale retulerint; sed in una basilica congregatos, contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud interpretem esse. Ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia ea, quæ intelligit, transfert. Nisi forte putandus est Tullius Oeconomicum Xenophontis & Platonis Protagoram, & Demosthenis pro Ctesiphonte Orationem afflatus rhetorico spiritu transtulisse: ut aliter de eisdem libris per* LXX. *Interpretes, aliter per Apostolos Spiritus S. testimonia texuerit; ut, quod illi tacuerint, hi scriptum esse mentiti sint.* Adjicit eos nonnulla in S. Scripturis *nescivisse*, seque ea *MELIUS intellexisse, ac protulisse.*

Fateri cogitur [c] *Serarius*, denegasse aliquando *Hieronymum τοῖς* LXX. *Prophetiam* omnem, cum perfectiorem tum imperfectiorem: sed sententiam hanc (inquit) retractavit postea, atque correxit. Ita *Salmeron* respondet, Hieronymum *primo* quidem nonnihil aliquando *τοῖς* LXX. derogare, ut causam Novæ quam molitus est, editionis condendæ Le-

[a] Panstrat. Cathol. l. 13. c. 4. §. 5. & 6.

[b] Cap. 6. §. 15.

[c] Proleg. Bibl. Q. 16.

ctoribus probaret, pro naturæ suæ vehementia & zelo veritatis, *sed mutasse postea sententiam, & agnoscere, illos Spiritu S. plenos interpretatos fuisse.*

Majori hæc illi cum judicio, sed indocte. Constat enim Præfationes in *Pentateuchi* & *Paralipomenon* libros ex Heb. translatos, & Commentaria in *Ezech.* ubi Interpretum inspirationem negat, scripta fuisse post Præfationem in *Paralipomena* de Græco emendata asteriscisque ac obelis notata, ubi eorum divinum afflatum videtur agnoscere. Hoc satis patet ex iis quæ superius in Capite præeunte diximus. Hic loci tantum proferam ea quæ habet in Præf. Paralip. ex Hebræo translat. *Memini Editionem* LXX. *translatorum OLIM de Græco emendatam tribuisse me nostris.* Et hoc in primis observandum, easdem *Præfationes* ubi negat Interpretes divino spiritu inflatos, recitari in *Apologia adv. Ruff.* quamvis ibi, in quantum potest (& ultra equidem quam quantum jure potest) conetur se excusare ab eorum criminationibus, qui in eum invecti fuerant, tanquam male de LXX. Interpretibus loqui solitum. Illud insuper omnino notandum, quod in eadem *Apologia*, ubi, ut adversarios suos emollire posset, ex scriptis suis loca multa profert, in quibus faventius de LXX. Interpretibus eorumque Versione locutus fuerat, non recitantur illa verba sua de Interpretum afflatu divino, quæ supra descripsimus. Quamvis ea vel maxime ad institutum suum fecissent, omittit tamen, utpote tunc à sententia sua longissime aliena. *Commentaria in Ezech.* ubi fabulam de *Cellulis* LXX. & interpretum inspiratione divina, jocum plane risumque facit, diu post omnes illas *Præfationes* elucubravit, senex admodum, & plusquam *octogenarius.* Ab errore autem *Salmeronis* & *Serarii* non multum abfuisse videtur eruditissimus noster [a] *Waltonus*, cum monet Hieronymum, *quando ab adversariis premitur, idem cum illis de Interpretum infallibilitate sentire videri.* Eundem errorem erravit etiam [b] *Simonius*, cum dicit Hieronymum in vulgarem tandem sententiam concessisse: atque etiam *Vossius*, ut infra ostendetur, in *sect.* 5.

[a] Proleg. IX. 8.

[b] Hist. Crit. V. T. l. 2. c. 2.

3. Sed *secundo*; non solum negat *Hieronymus* Interpretes fuisse divino spiritu peculiariter munitos; sed & eos passim oppugnat, DECEPTOS FUISSE & ERRASSE disertissimis verbis affirmat. Contenditque passim [c] Apostolos & Evangelistas, quotiescunque ab Hebræo discordet translatio Græca, eam dereliquisse, & textum Hebraicum secutos fuisse. *Jo. Reuchlinum* falsitatis reprehendit [d] *Sixtus Senensis*, quod libro 3. *Hebraicarum institutionum* dicit, *Hieronymum* aliquando LXX. Interpretes, *imperitiæ damnare*, cum hoc (inquit *Sixtus*) *in nullis Hieronymi scriptis inveniatur.* Uter sit falsitatis reprehendendus, *Reuchlinus* an ipse *Senensis*, Lector mox videbit.

[c] Vide supra cap. 1.

[d] Biblioth. l. 8.

Ut ad auctoritatem hanc eruditissimi *Hieronymi* respondeat, mirifice sudat & laborat *Jo. Morinus*, Hebraici textus adversarius infensissimus, Interpretumque LXX. fautor indulgentissimus; sursum vorsum cuncta inflectens, & sibimet ipsi splendide contradicens. At licet nobis in illum his verbis *Ruffini* uti: *Quocunque te* (Morine) *converteris, hærebis. Non dico nullus subtrahendi te aditus, sed ne respirandi quidem paululum fit copia. In istas angustias tam inextricabiles devenisti, & tam miserabiliter coarctaris, ut nec ad Alpes possis esse defensus.*

Primo urget *Morinus*, Hieronymum antequam se in *Barrabani*, sive *Barhaninæ*, *Judæi* disciplinam tradidisset, Versionem LXX. ut *divinam perpetuo laudasse*, & *Hebraicis* codicibus semper antepofuisse: ab eo demum seductum fuisse, ut *Hebraicis* libris tantopere adhæreret. Contendit illum, ante mortem *Damasi P.* τῆς LXX. posthabito textu *Hebraico* semper favisse & patrocinatum fuisse, hæc verba proferens ex *Præfatione ad* IV. *Evangelia* ad *Damasum* scripta: *Neque enim ego de Veteri disputo*

disputo Instrumento, quod à LXX. *Senioribus in Græcam linguam versum tertio gradu ad nos usque pervenit, non quæro quid Aquila, quid Symmachus sapiant; quare Theodotion inter novos & veteres medius incedat. Sit illa vera interpretatio quam Apostoli probaverunt. De Novo nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis literis edidit. Hoc certe cum in nostro sermone discordat, & in diversos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quærendum. Prætermitto eos codices, quos à Luciano & Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio, quibus utique nec in Veteri Instrumento post* LXX. *Interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse, cum multarum gentium linguis Scriptura ante translata doceat, falsa esse quæ addita sunt.* His verbis (inquit *Morinus*) affirmat Hieronymus LXX. Translationem ab Apostolis esse probatam, omnibus translationibus præferendam, *Luciano* & *Hesychio* emendare illam non licuisse, quæ adduntur ei, falsa esse, æqualis denique cum Novi Test. Græco esse auctoritatis.

Respondeo 1°. Hieronymum verbis istis hoc tantum intelligere; se nolle inpræsentiarum de authentia Hebraici Textus & Versionis Græcæ disputare. Et ideo tantum dicit quæ addita sunt Versioni Græcæ, *falsa* fuisse, quia *revera* ad eam non pertinebant. Sese optime explicat verbis aliis consimilibus, quæ leguntur in Epist. LXXXIX. ad *Augustinum*, quæque alibi jam protulisse memini. *Et miror quomodo* LXX. *Interpretum libros legas, non puros, ut ab eis editi sunt, sed ab Origene emendatos, sive CORRUPTOS, per obelos & asteriscos, & Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris: præsertim cum ea, quæ addita sunt, ex hominis Judæi atque blasphemi post passionem Christi, editione transtulerit. Vis amator esse verus* LXX. *Interpretum? Non legas ea quæ sub asteriscis sunt, imo rade de voluminibus, ut veterum te fautorem probes.* In hac Epistola textui Hebraico apertissime patrocinatur: & ideo ait *corruptam* fuisse ab *Origene* LXX. editionem, quoniam quæ addita sunt sub asteriscis, ad illam *vere* non pertinebant. Locum hunc à *Wetstenio* non intelligi, observavimus supra, ubi de *Origenis* sententia egimus. Neque illum intellexit [a] *Simonius*, cum ait Hieronymum in Origene *damnasse*, quod ex [a] Hist. Crit. V. T. l. 2. c. 3.
Theodotione in Versione LXX. multa admiscuerit. Hoc Origenis factum non damnavit Hieronymus, etsi quatenus Versio fuit τῶν ό. *corruptam* ab eo, id est, *mutatam* dicit.

2°. Constat illum in aliis Epistolis ad *Damasum* scriptis, Hebræis codicibus patrocinari, & Interpretes erroris non obscure incusare. Epist. 125. ad *Damasum* Quæst. a. differens de loco illo *Genes.* XV. ubi dicit Deus, filios Israel progenie *quarta* ex Ægypto reversuros esse; & de loco illo *Exodi* XII. ubi dicitur eos generatione *quinta* fuisse reversos, hæc subdit: *Puto problema dissolutum: quod si displicet, ad compendium veniam, & dicam in* Hebræo *non esse diversum. Aquila namque qui non contentiosius, ut quidam putant, sed studiosius verbum interpretatur ad verbum, in eo loco ubi* LXX. *posuerunt; Quinta autem generatione ascenderunt filii Israel de terra Ægypti; ita transtulit:* ϰ̀ ἐνοπλιζόμενοι ἀνέβησαν οἱ ὑιοὶ Ἰσραὴλ ἀπὸ τῆς γῆς Αἰγύπτου· *id est, Et armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti. Licet pro eo quod nos armati diximus, secundum Græci sermonis ambiguitatem, instructi sive muniti propter supellectilem qua Ægyptios spoliaverant, possit intelligi.* Nonnullis interjectis, rationem reddens, quare LXX. *quinta generatione*, Aquila *armati* transtulerint: *In reliqua parte* (inquit) *interpretationes non discordant: omnis pugna de verbo est* חמשים *hamusim, quod his literis scribitur* ח *heth,* מ *mem,* ש *sin,* י *jod,* ם *mem: utrumnam* quinque, *an* munitos *sonet. Et quidem* quinque *hoc sermone dici, negare non possumus, verum* quinque *plurali numero, non* quinta, *ut illi interpretati sunt,*

sunt, singulari. Sed nec generatio *invenitur adjuncta, quæ lingua Hebræa* דור *dor dicitur: ut si esset* quinta generatione, *sermone legeretur illorum* דור חמישי dor hamisi. *Nunc autem* hamusim *id est* quinque, *imo* quinta, *tantum scriptum est, ut sit quasi sensus: Quinta autem ascenderunt filii Israel de terra Ægypti: quod quia minus videbatur intelligi, adjuncta* generatio *est. Aquilam vero in cæteris, & in hoc maxime loco proprie transtulisse, omnis Judæa conclamat, & Synagogarum consonant universa subsellia, quod viz. idem sermo, & eisdem literis scriptus, diversas apud eos & voces & intelligentias habeat.* Scripta est hæc Epistola non solum ante mortem *Damasi*, quæ accidit annis aliquot antequam *Barbaninam* sibi Magistrum assumpserat *Hieronymus*, verum etiam brevi postquam Monachum in deserto agere desierat. Hoc colligitur ex Epistola *Damasi*, cui in illa Epistola respondetur, ubi queritur *Damasus* se nullas ab *Hieronymo* literas accepisse ex quo sibi delatæ fuissent illæ, quas *aliquando in eremo* dictaverat Hieronymus.

Consimilia reperiuntur loca in aliis ad *Damasum* Epistolis. Præf. [a] *Canticorum* ad illum scripta, ait *Origenem* in eum libellum *Interpretes cæteros ita magnifice aperteque differuisse, ut sibi videatur in eo completum esse, quod dicitur: Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Epist. 145. monet *Damasum* in N. T. reperiri, quæ non ex Græca Versione, sed tantum ex Hebræo deprompta sunt: *Restat ergo, ut omissis opinionum rivulis, ad ipsum fontem, unde ab Evangelistis sumptum est recurramus. Nam quo modo illud neque in Græcis neque in Latinis Codicibus possumus invenire, ut compleretur id quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur: Et illud, Ex Ægypto vocavi filium meum; Ita & nunc ex Hebræis Codicibus veritas exprimenda est.* Epistola 143. ad eundem, cum alia tum hæc in honorem textus Hebraici deprehendes: *Quia in Hebræo pro carbone* (sic vertunt LXX.) *calculus legitur, cæteris quoque super hoc consonantibus; videtur mihi sermo divinus calculi appellatione signari.*

[a] Apud Ruffini Invect. 2.

Ex hac Epistola 143. locum quendam pro sua causa adducit *Morinus*. Locus est de Esaiæ vi. 8. ubi LXX. habent: *Quem mittam & quis ibit ad populum istum?* Heb. *Quem mittam & quis ibit nobis? Ne videamur* (inquit) *aliquid præteriisse eorum quas Judæi vocant* δευτερώσεις *& in quibus universam scientiam ponunt: nunc breviter illud attingimus, quare in Heb. sit positum; Et quis ibit nobis? sicut & in Gen. dicitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: ita & hic puto dictum, Et quis ibit nobis? Nobis autem quibus aliis existimandum est, nisi Patri, & Filio, & Spiritui S. quibus vadit quicunque eorum obsequitur voluntati? Et in eo quidem quod unius loquentis persona proponitur, Divinitatis est unitas. In eo vero quod dicitur, Nobis, personarum diversitas indicatur.* Tantum abest ut his verbis lectionem Hebraicam rejecerit, ut eam LXXvirali evidenter præferat. Hinc LXXviralem absque ulla explicatione præterit: Hebraicam vero exponit, juxta morem apud Judæos in δευτερώσεσι usitatum.

Rursus fallitur *Morinus* cum locum alium profert ex Epistola 132. ad *Vitalem*, *Damaso* adhuc vivente, scripta. Pro nobis adversus *Morinum* locus iste vel maxime facit. *Siquidem in historiis aliter haberent* LXX. *Interpretes, aliter Hebraica veritas, confugere poteramus ad solita præsidia, & arcem linguæ tenere vernaculæ: nunc vero cum & ipsum* authenticum, *& cæteri Interpretes auctoritate consentiant, non in scriptura sed in sensu est difficultas.* Quid clarius quam hisce verbis Hebraico textui primas deferri? Hebraicam *Veritatem* appellat, & *Authenticum*, & *solita præsidia, arcemque linguæ vernaculæ* (i. e. sacris Scriptoribus vernaculæ) ad quam refugere consueverit, tanquam inexpugnabilem uniceque securam. Sensus est, in recepta τῶν LXX. lectione acquiescendum esse, quia isti consonabant cum Interpretes reliqui, tum ipse textus Hebraicus. Mira

quadam

quadam ἀβλεψίᾳ existimavit [a] *Morinus* per *linguam* ibi *Vernaculam* intellexisse Hieronymum *Latinam* suam vernaculam. Eodem antem modo *Josephum historiæ Judaicæ scriptorem vernaculum* appellat Hieronymus [b] *Comm. in Zach.*

[a] Exercit. 7. c. 1. §. 2.
[b] Cap. 1.

Ex dictis liquet Hebraicam Veritatem amplexum fuisse *Hieronymum*, non modo postquam *Barhaninæ*, sive *Barrabani* magisterio usus fuisset, verum etiam diu antea. Neque fuit *Barhanina* primus ejus in Hebraicis Magister, quod putavit *Morinus*, sed potius ultimus, ut in præcedente Capite ostendimus. Et quamvis ante illum Magistris aliis *Judæis* usus sit, non tamen à *Judæo* primum, sed à *Christiano* ex Judæo facto, literas *Hebraicas* [c] edoctus est. Et cum [d] *adolescens* & tanto studio Hebraicis literis operam navavit, exinde palam est illum vel à prima sua ætate Scripturas Hebraicas majori in pretio habuisse. Quin literis se Hebraicis operam collocasse, ut veras Scripturas Christianis vindicaret, asserit ipse Præfat. in *Esaiæ* Versionem: *Deus qui scit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione sudasse, ne Judæi de falsitate Scripturarum Ecclesiis ejus diutius insultarent.*

[c] Vide Cap. præced.
[d] Vide Ibid.

Videtur *Morinus* in errore suo de *Hieronymo* à *Judæis* seducto, secutus fuisse *Ruffinum*, cujus hæc sunt verba, in *Invectiva adv. Hieronymum*: *Illi* (Judæi) *te, O mi frater, antequam à Judæis capereris* (i. e. antequam novam cudisset Versionem) *charissime, illi te in hæc mala præcipitant. Illi te libellis editis, notas infigere Christianis; illi te nec Martyribus parcere faciunt: & de omnibus Christianorum ordinibus fanda atque nefanda scribere, turbare pacem nostram, scandala Ecclesiæ generare. Illi etiam adversum teipsum, & scripta tua, quæ quasi Christianus aliquando locutus sis, eogunt ferre sententiam. Et ideo tibi omnes sordemus: dum illi pessimis suis artibus tibi nimium placent.*

4. Cum alios quosdam, & maxime *Ruffinum* in se excitasset nova sua Versione *Hieronymus*, usque adeo eorum cessit obtrectationibus, & humanitus passus est, ut negaret se quidquam Versioni LXXvirali derogare voluisse. Fassus fuerat *Morinus* τοῖς LXX. derogare eum solitum fuisse postquam Judæis in magisterium se tradidisset, sed in eum alibi locum rem adduxit, ut affirmet illum nihil unquam ex animo in eam (quod stupor est credere) protulisse. *Frustra* (inquit) *colligerentur loca, quibus sanctos Interpretes & oscitantiæ & erroris arguere videtur Hieronymus: sunt in Commentariis prope innumera. Sæpissime enim cum Græca ab Hebræis differunt, culpam omnem in Interpretes derivat: Decepti sunt, inquit, literarum similitudine, male legerunt, conjuncta separaverunt, separata conjunxerunt &c.* Ipsius *Morini* verba sunt ista. Et nihil tamen Hieronymus in reprehensionem Versionis locutus est? plane nihil! Audiamus quæ paulo post sequuntur: *Utut sit, assero quæcunque durius in antiquos Ecclesiæ Interpretes scripsit S. Hieronymus, ita esse flectenda, emollienda, & explicanda, ut ex iis nihil erroris, reprehensionis, vel levissimæ cespitationis in eos redundet. Et quicunque hoc præstiterit, S. Hieronymi mentem assecuturum, & ejus desiderio satisfacturum.* Allatis ex *Apologia* nonnullis locis, subnectit: *Quicquid igitur alibi dixerit S. Hieronymus, juxta hæc luculentissima verba, explicandum est, nec insana ἀλαοσκοπίῃ ut veritatis lucifugæ, clara ex obscuris, certa ex ambiguis dirimenda sunt.* Idem [e] rursus: *Unus est S. Hieronymus, qui de hac re manifestissime opposita videtur scripsisse, quanquam si ipsi jam seni, ut par est, credamus, quicquid manifestissime sonent verba ipsius, nihil asseruit, neque asserere voluit, quod LXX. Interpretum* αὐθεντίαν *&* ἀναμαρτησίαν *vel levissime læderet.* Productis aliquot ex eo locis: *Quanquam hæc verba*, addit, *manifesta videantur, affirmo tamen in* LXX. *Interpretum contumeliam vel etiam reprehensionem aliquid proferre, S. Hieronymi mentem nunquam fuisse, nec ab aliorum Patrum sententia dissensisse.*

[e] Exercit. 4. Cap. 2.

a Exercit. 6. c. 11. §. 1.

senſiſſe. Affirmat [a] alibi Hieronymum, in reprehenſionem τῶν LXX. loqui *ut rem horrendam refugiſſe.*

Ut ſententiam hanc portentoſam *Morini* (ſi modo ſententia, quod vix crediderim, illius revera fuerit) refellamus, quæ habet de Græca Verſione Hieronymi *Apologia*, in medium hic latius proferemus. Neque illa prætermittemus, quibus ſuam opinionem (effugium potius dixerim) conatur *Morinus* ſtabilire.

Cum negat Hieronymus, cedens eorum affectibus apud quos ſanctior habebatur τῶν LXX. auctoritas, ſe Græcam Verſionem reprehendere, aut *contra eam aliquid locutum unquam fuiſſe*: illis ipſis locis, in quibus hoc dicit, ſæpe revera eam reprehendit, iſtique & textum Heb. & ſuam Verſionem manifeſtiſſime præfert. Neque aliud per iſtiuſmodi locutiones ſive apologias intelligi poteſt, quam quod eam non prorſus rejecerit, neque contra illam locutus ſit animo ſtudioque aliis detrahendi. Sic in Proœmio Commentariorum in *Jonam*, de Prophetæ illius Commentatoribus, *Scio veteres*, inquit, *Eccleſiaſticos tam Græcos quam Latinos ſuper hoc libro multa dixiſſe, & tantis quæſtionibus, non tam aperuiſſe quam obſcuraſſe ſententias, ut ipſa interpretatio eorum opus habeat interpretatione, & multo incertior lector recedat, quam fuerat antequam legerat. Nec hoc dico, quod magnis ingeniis detraham, & alios mea laude ſugillem, ſed quod Commentatoris officium ſit, ut quæ obſcura ſunt, breviter aperteque dilucidet, & non tam diſertudinem oſtentet ſuam, quam ſenſum ejus quem exponit, ediſſerat.* Recte hac de re [b] *Iſ. Voſſius*: *An non merito aliquis miretur Hieronymum, quod cum paſſim in ſcriptis adeo acerbe ſugillet illos* LXX. *audeat nihilominus adfirmare ſe ſuam condidiſſe verſionem non in contemptum, ſed ad majorem horum Interpretum intellectum.*

b Contra Halſium.

Videamus autem quid dicat in *Apologia*. Primo, vehementer indignatur nebuloni cuidam, qui *Epiſtolam ſub nomine ipſius pænitentiæ finxerat, quod male Hebræa volumina tranſtuliſſet.* Negat deinde ſe novam Verſionem condidiſſe in *condemnationem* LXXviralis, vel aliquid contra LXX. Interpretes fuiſſe locutum. *Ille* (inquit) *qui Epiſtolam ſub nomine meo pænitentiæ finxerat, quod male Hebræa volumina tranſtuliſſem, objicere dicitur, me in* LXX. *condemnationem Scripturas ſanctas interpretatum: ut ſive falſa ſunt, ſive vera, quæ tranſtuli, in crimine maneam: dum aut in novo opere fateor me erraſſe, aut recens editio veteris condemnatio ſit. Miror quomodo in eadem Epiſtola homicidam & adulterum, & ſacrilegum, & parricidam me eſſe non dixerit: & quicquid poteſt tacita mentis cogitatio intra ſe turpitudinis volvere. Gratias ei debeo agere, quod cum tanta ſylva ſit criminum, unum mihi erroris vel falſitatis crimen objecerit. Egone contra* LXX. *Intt. aliquid ſum locutus, quos ante annos plurimos diligentiſſime emendatos meæ linguæ ſtudioſis dedi, quos quotidie in conventu fratrum ediſſero: quorum Pſalmos jugi meditatione decanto? Tam ſtultus eram, ut, quod in pueritia didici,* ſenex *oblivíſci vellem? Univerſi tractatus mei horum teſtimoniis texti ſunt. Commentarii in* XII. *Prophetas, & meam &* LXX. *Editionem ediſſerunt.* At quid tandem? Condemnatne ſe in ſequentibus? *O labores hominum ſemper incerti! O mortalium ſtudia, contrarios interdum fines habentia! Unde mihi putabam bene mereri de Latinis meis, & noſtrorum ad diſcendum animos concitare, quod etiam Græci verſum de Latino poſt tantos Interpretes non faſtidiunt, inde in culpam vocor, & nauſeanti ſtomacho cibos ingero. Et quid in homine tutum eſt, ſi innocentia crimino ſa. — Ego taceo, & literæ non meæ loquuntur contra me. Ignoro crimen, & crimen in toto orbe confiteor.*

Recitat poſtea *Præfatiunculas* aliquot in librorum ſacrorum Verſiones, in quibus exiſtimat ſe modeſtius de Verſione LXX. loqui. Præfatio prima *Pentateuchi* eſt. In ea hæc habet: *Periculoſum opus certe, & obtrectatorum latratibus patens, qui me aſſerunt in* LXX. *Interpretum ſugillationem,*

lationem, nova pro veteribus cudere, ita ingenium quasi vinum probantes: cum ego sæpissime testatus sim me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre, quæ possim: nec opes alterius, aliorum paupertate fœdari. Subdit, se ad illud opus provocatum fuisse *Origenis* studio, qui obeliscis in Versione Græca *superflua quæque jugulaverat & confoderat*: Et apud *Evangelistas & Apostolos* multa legi ex *Hebræo* deprompta, quæ in Græcis Codicibus desiderabantur; & differentiam inter Hebræum & Græcum, Græci *errorem* diserte vocat. Libros etiam *Hebræos* appellat *authenticos*. *Hiberas nænias libris authenticis præferunt. Causas ERRORIS non est meum exponere.* Hoccine, quæso, est palinodiam canere, vel Græcos Codices Hebræis præferre? Rejicit ibidem traditionem de Cellulis LXX. & Interpretum spiritu prophetico: & quamvis dicit se *non damnare, non reprehendere* LXX. addit tamen eodem spiritu, se *cunctis illis Apostolos*, qui Hebræum sequebantur, *confidenter præferre*. Se melius quam LXX. Scripturas intellexisse affirmat: *Quod melius intelligimus, melius & proferimus.* Deque suæ Interpretationis veritate ad Hebræos provocat.

Ex Prologo in libros *Regum* hæc proferuntur: *Quæ cum ita se habeant, obsecro te lector, ne laborem meum reprehensionem existimes antiquorum. In tabernaculo Dei offert unusquisque quod potest. Alii aurum & argentum & lapides pretiosos, alii byssum & purpuram & coccum offerunt & hyacinthum. Nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria judicat. Unde & tota illa tabernaculi pulchritudo, & per singulas species Ecclesiæ præsentis futuræque distinctio pellibus tegitur & ciliciis, ardoremque solis & injuriam imbrium, ea quæ viliora sunt prohibent.* Post hæc: *Vide* (inquit) *quanto contra* LXX. *Intt. tumeam supercilio, ut illos aurum & pretiosos lapides, & purpuram; me pelles & pilos caprarum in tabernaculo Dei obtulisse profitear.* Modeste id quidem, Hieronyme; nemo tamen non videt te *pelles* & *pilos* tuos, reliquorum *auro* & *pretiosis lapidibus purpuræque* anteponere. Si hæc fuissent *satis*, quid opus *pellibus pilisque* tuis?

Ponam (inquit) *& aliud testimonium, ne nunc me rerum necessitate compulsum dicas mutasse sententiam.* Præfationem designat *Chronicorum* ex Hebræo versorum; quæ sic incipit. *Si* LXX. *Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me impelleres ut tibi Hebræa volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum etiam erat nostro silentio comprobari. Nunc vero quum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata; nostri arbitrii putas, aut ex pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibusque Judæis cornicum (ut dicitur) oculos configere.* Interjectis aliquibus: *Cæterum memini Editionem* LXX. *translatorum olim de Græco emendatam tribuisse me nostris: nec inimicum debere existimari eorum, quos in conventu fratrum semper edissero. Et quod nunc Dibre Hajamim, i. e. Verba dierum interpretatus sim, idcirco feci, ut inextricabiles moras, & sylvam nominum, quæ scriptorum confusa sunt vitio, sensuumque labyrinthos apertius & per versuum cola digererem.* Cæterum accipe quoque quæ interjecta sunt: Ad *Origenis* rursus auctoritatem provocat, qui *exempla* 4. *editionum composuit*, & LXX. editionem asteriscis & virgulis ex Hebræo notaverat. Deinde subnectit: *Si igitur aliis licuit non tenere, quod semel susceperant, & post* LXX. *Cellulas, quæ vulgo sine auctore jactantur, singulas cellas aperuere; hocque in Ecclesiis legitur, quod* LXX. *nescierunt: cur me non suscipiant Latini mei, qui inviolata editione veteri, ita novam condidi, ut laborem meum Hebræis, & (quod his majus est) Apostolis auctoribus probem?* Ostendit rursum, ex Hebræo descripsisse *Evangelistas* nonnulla quæ in Græco non reperiuntur: & tan-

dem hæc subjungit; *Hæc pace veterum loquor, & obtrectatoribus meis tantum respondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes, legentes in angulis, iidem & accusatores & defensores, quum in aliis probent, quod in me reprobant: quasi virtus & vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur.*

Ex Præfatione in *Esdram* hæc ponit: *Certe quod illaturus sum, æquissimum est. Edidi aliquid quod non habetur in Græco: vel aliter habetur quam à me versum est. Quid interpretem laniant? Interrogent Hebræos, & ipsis auctoribus translationi meæ vel arrogent vel derogent fidem. Porro aliud est, si clausis, quod dicitur, oculis mihi volunt maledicere, & non imitantur Græcorum studium & benevolentiam: qui post LXX. translatores jam Christi Evangelio coruscante, Judæos & Hebionitas Legis veteris interpretes, Aquilam viz. Symmachum, & Theodotionem, curiose legunt, & per Origenis laborem Ecclesiis dedicarunt: quanto magis Latini mei grati esse deberent, quod exultantem Græciam cernerent aliquid à se mutuari.*

Ex *Jobi* Prologo posita sunt hæc: *Cogor per singulos Scripturæ divinæ libros adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam, reprehensionem LXX. Interpretum criminantur: quasi non & apud Græcos Aquila, Symmachus, & Theodotion vel verbum è verbo, vel sensum è sensu, vel ex utroque commixtum, & mediæ temperatum genus translationis expresserint, & omnia V. T. volumina Origenes obelis asteriscisque distinxerit, quod vel additos vel de Theodotione sumptos translationi antiquæ inseruit, probans defuisse quod additum est. · Discant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus susceperunt, aut interpretationem meam cum asteriscis suis radere. Neque enim fieri potest, ut, quos plura intermisisse perspexerint, non eosdem etiam in quibusdam ERRASSE fateantur: præcipue in Job, cui si ea, quæ sub asteriscis addita sunt, subtraxeris, pars maxima detruncabitur.* Paulo post: *Audiant quapropter canes mei, idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem* (quare igitur?) *sed ut ea, quæ in illa aut obscura sunt, aut omissa, aut certe vitio scriptorum depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent.* En quæ subsequuntur: *Quod si apud Græcos post LXX. editionem, jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, & Symmachus & Theodotion Judaizantes Hæretici sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt, & tamen in Hexaplis habentur apud Ecclesias, & explanantur ab Ecclesiasticis viris: quanto magis ego Christianus, de parentibus Christianis natus, & vexillum Crucis in mea fronte portans, cujus studium fuit omissa repetere, depravata corrigere, & sacramenta Ecclesiæ puro & fideli aperire sermone; vel à fastidiosis vel à malignis lectoribus non debeo reprobari?*

Ex Prologo in *Psalmos* de Hebræo conversos, post alia hæc leguntur: *Nec hoc dico quod præcessores meos mordeam, aut quicquam de his arbitrer detrahendum; quorum translationem diligentissime emendatam, olim meæ linguæ hominibus dedi: sed quod aliud sit in Ecclesiis Christi credentium Psalmos legere, aliud Judæis singula verba calumniantibus respondere.* At quænam sunt illa quæ ante dixerat, quæque ibidem recitat? *Certe confidenter dicam, & multos hujus operis testes citabo, me nihil duntaxat scientem, de Hebraica Veritate mutasse. Sicubi ergo editio mea à veteribus discrepat, interroga quemlibet Hebræorum, & liquido pervidebis, me ab æmulis frustra lacerari; qui malunt contemnere videri præclara, quam discere, perversissimi homines. Nam cum novas semper expectant voluptates, & gulæ eorum vicina maria non sufficiant, cur in solo studio Scripturarum veteri sapore contenti sunt?*

Ex Præfatiuncula in libros *Solomonis* hoc solum affertur: *Si cui LXX. Interpretum magis editio placet, habet eam à nobis olim emendatam. Neque enim sic nova cudimus, ut vetera destruamus.*

Ex Præfatione in *Esaiam*, postquam dixisset Esaiam *magis Evangelistam*

ſtam quam Prophetam eſſe, eo quod univerſa Chriſti Eccleſiæ myſteria ſic ad liquidum perſecutus eſſet, ut non de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere crederetur; hæc ſubdit: *Unde conjicio noluiſſe tunc temporis* LXX. *Interpretum fidei ſuæ ſacramenta perſpicue Ethnicis prodere, ne ſanctum canibus, & margaritas porcis darent. Quæ cum hanc editionem legeritis, ab illis animadvertetis abſcondita.* Et quid demum his adtexit? Vide quam illum Verſionis ſuæ pœnituerit, quantumque ſuæ LXXviralem prætulerit! *Nec ignoro, quanti laboris ſit, prophetas intelligere; nec facile quempiam poſſe judicare de interpretatione, niſi intellexerit ante, quæ legerit. Nos quoque patere morſibus plurimorum, qui, ſtimulante invidia, quod conſequi non valent, deſpiciunt. Sciens ergo & prudens in flammam mitto manum. Et nihilominus à faſtidioſis Lectoribus hoc precor, ut, quomodo Græci poſt* LXX. *tranſlatores Aquilam & Symmachum & Theodotionem legunt, vel ob ſtudium doctrinæ ſuæ, vel ut* LXX. *magis ex collatione eorum intelligant: ſic & iſti ſaltem unum poſt priores habere dignentur interpretem. Legant prius & poſtea deſpiciant, ne videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumptione, ignorata damnare.*

Affirmaverat in Præfatione *Danielis*, illius Prophetæ Verſionem LXXviralem *multum à veritate diſcordare, & recto judicio ab Eccleſia repudiatam fuiſſe*: Num in *Apologia* hoc dictum retractat? Audi, quomodo. *Docui* (inquit) *Lectorem, Eccleſias Chriſti hunc prophetam juxta Theodotionem legere, & non juxta* LXX. *tranſlatores. Quorum ſi in iſto libro editionem dixi multum à veritate diſtare, & recto Eccleſiarum Chriſti judicio reprobatam, non eſt meæ culpæ, qui dixi, ſed eorum qui legunt. In promptu ſunt* 4. *editiones Aquilæ, Symmachi,* LXX. *& Theodotionis. Eccleſiæ juxta Theodotionem legunt Danielem. Ego quid peccavi ſi Eccleſiarum judicium ſecutus ſum?*

Denique *Apologiam* ipſam ſic concludit: *Qui iſtiuſmodi nænias conſectatur, & Scripturæ Hebraicæ veritatem non vult recipere, audiat libere proclamantem. Nemo enim cogitur legere, quod non vult. Ego petentibus ſcripſi, non faſtidioſis; gratis, non invidis; ſtudioſis, non oſcitantibus. Et tamen miror quomodo Theodotionem hæreticum & Judaizantem legit, & qualiſcunque peccatoris Chriſtiani tranſlationem faſtidit. —— Quid nocet Eccleſiis noſtra tranſlatio? Magnis, ut ſcio, ſumptibus redemiſti Aquilæ & Symmachi & Theodotionis, quintæque & ſextæ editionis Judaicos tranſlatores. Origenes — — in omnibus libris ſuis poſt* LXX. *Int. Judæorum tranſlationes explanat & ediſſerit. Euſebius quoque & Didymus idem faciunt. —— Apoſtolici viri Scripturis utuntur Hebraicis. Ipſos Apoſtolos & Evangeliſtas hoc feciſſe perſpicuum eſt. Dominus atque Salvator ubicunque Veteris Scripturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponit exempla. — Nec hoc dicimus quod* LXX. *Interpretes ſugillemus, ſed quod Apoſtolorum & Chriſti major ſit auctoritas. Et ubicunque* LXX. *ab Hebræo non diſcordant, ibi Apoſtolos de interpretatione exempla ſumpſiſſe: ubi vero diſcrepant, id poſuiſſe in Græco, quod apud Hebræos didicerant. Sicut ergo ego oſtendo multa in N. T. poſita de veteribus libris, quæ in* LXX. *non habentur, & hæc ſcripta in Hebraico doceo: ſic accuſator oſtendat aliquid ſcriptum eſſe in N. T. de* LXX. *Interpretibus, quod in Hebraico non habeatur, & finita contentio eſt. Ex quibus omnibus approbatur, &* LXX. *Interpretum editionem, quæ legentium vetuſtate firmata eſt, utilem eſſe Eccleſiis, dum ante gentes audiunt Chriſtum venturum eſſe, quam veniat: & cæteros interpretes non reprobandos, quia non ſua, ſed divina volumina tranſtulerunt: & familiarem meum id à Chriſtiano & amico debere ſuſcipere, quod magno ſumptu ſibi à Judæis deſcribere feſtinavit.*

Hæc ſunt quæ de Textu Hebr. & Verſione LXXvirali in *Apologia* ſua habet *Hieronymus*. E quibus qui non videt illum & olim & etiam cum *Apologiam* illam ſcripſit, textui Hebr. Verſionem longe poſthabuiſſe, eamque in aliquibus errare credidiſſe, is plane nec in literis nec in

ulla alia re quidquam videt aut judicat. Eamus nunc & ex hisce ipsis locis concludamus cum *Morino*, ab Hieronymo nihil unquam contra Versionem ex animo dictum fuisse, Hiberæ næniæ!

Observavimus in superioribus, inter multas illas *Præfationes* quæ ab Hieronymo (ut ostensum est) in *Apologia* recitantur, non recitari *Præfationem* in *Paralipomena* è Græco translata, qua loquitur de Interpretum afflatu divino, sed eam prorsus omitti, quamvis maxime omnium, & magis quam alia cuncta, fecisset ea ad ipsius institutum. Sed ætate juniori eam scripserat, & cum *Apologiam* edidit, istiusmodi Præfationem, in qua talia agnoscebantur, recitare contra conscientiam suam noluit.

Eodem modo in *Josue* Præfatione ait se non in *reprehensionem* Versionis LXX. novam cudere, & eam sibi *non displicere* profitetur. Germana habet in Procemio *Proverbiorum*. Utrobique tamen Versioni Veritatem Hebraicam evidentissime præfert. In reliquis *Præfationibus*, *Hester*, & *Ecclesiastis*, idem facit, sine ulla istiusmodi excusatione sui.

In aliis suis opusculis, quæ scripsit ætate provectiore, & postquam Scripturas ex Heb. vertisset, Textui Originali nusquam non patrocinatur. *Quæstiones Hebr. in Gen.* scripsit [a] ante *Apologiam*, sed postquam *Pentateuchum* ex Hebræo interpretatus fuisset, ut ex eo patet quod translationem suam variorum locorum *Geneseos* citat. In earum *Proœmio* ait se *disposuisse libros Hebraicarum Quæstionum in omnem Scripturam sanctam scribere*: & in illis *studii sui fore*, *vel eorum quæ in libris Hebraicis varia suspicantur, errores refellere*; *vel ea quæ in Latinis & Græcis codicibus scatere videntur*, *auctoritati suæ reddere*. Addit; *Neque vero* LXX. *Interpretum, ut invidi latrant, errores arguimus, nec nostrum laborem, illorum reprehensionem putamus, cum illi Ptolemæo Regi Alexandriæ mystica quæque in Scripturis sanctis prodere noluerint, & maxime ea quæ Christi adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere, quos ille Platonis sectator, magni idcirco faciebat, quia unum Deum colere dicerentur.* Quid ergo? In ipso illo Opere, hujusmodi leguntur complura. *MELIUS interpretatus est Symmachus. MELIUS habetur in Hebræo.* Codices Hebraicos appellat *authenticos*. LXX. denique *erroris* diserte arguit: *Quod autem in* LXX. *Intt. fecit ERROREM, illud est*: *&c. MALE in* LXX. *Intt. additum est &c.* Sciens alia multa prætereo, quibus plenus est iste tractatus.

[a] Citantur à Ruff. in Invect.

Allegat in *Apologia*, Commentarios suos *in* XII. *Prophetas*, *& suam &* LXX. *editionem edisserere*. In ipsis tamen illis Commentariis LXX. *erroris* aperte insimulat. Ad Mich. cap. 2. *Hæc juxta Hebraicam intelligentiam*; *cæterum* LXX. *Interpretes in hoc loco penitus sibi non cohærent.* Cap. 6. *Multum in hoc capitulo* LXX. *ab Hebraica Veritate discordant. — ERROREM esse nulli ambiguum est.* Ad Hab. cap. 2. *Similitudo* ו *&* י, *quæ mensura tantum inter se distant*, *causa ERRORIS fuit.* Ad Soph. cap. 2. *Pro quo nescio quid sibi volentes* LXX. *Damascum evulsam & derelictam interpretati sunt*; *nisi fallor*, *verbi ambiguitate DECEPTI. &c.*

In libro *De Opt. gen. interpretandi*, quem emisit paulo post prædictas in *Michæam* &c. Explanationes, ait *jure* LXX. *editionem obtinuisse in Ecclesiis*, *vel quia prima fuit*, *& ante Christi facta adventum*; *vel quia ab Apostolis*, *in quibus tamen ab Hebraico non discrepat*, *usurpata.* Statim antea libros Heb. nuncupaverat *authenticos*.

Se in *Jonam* explanationes edidisse post *Catalogum*, sive librum *De viris illustribus*, *triennio* postquam in Prophetas *Michæam*, *Naum*, *Abacuk*, *Sophoniam*, *& Aggeum* scripsisset, ibidem docet. Una cum Commentariis in *Jonam* edidit etiam Comm. in *Abdiam*, sed ordine post eos, ut apparet ex Proœmio in *Jonam*. Præfatione sua in *Abdiam*, ait se Prophetam illum explanare *matura senectute*, annis *triginta* postquam alia quædam

quædam allegorice in eundem commentatus fuisset. In Procemio libri 3. Commentariorum in *Amos* testatur se in 5. reliquos Prophetas Minores, viz. *Zachariam, Malachiam, Osee, Joel,* & *Amos* commentarios edidisse anno illo *qui sexti Consulatus Arcadii Augusti & Anicii Probi fastis nomen imposuit*: primo in *Zachariam*, secundo in *Malachiam*, tertio in *Oseam*, in *Joel* & *Amos* simul. Incidit autem *Arcadii* & *Anicii* Consulatus in annum Christi 406. vitæ ejus 77. vel 78. In Procemio 2[di] Commentariorum in *Amos* enumerat inter mala suæ senectutis *caligantes oculos, acescentes cibos, trementem interdum manum, nudos gingivis dentes, & inter cibos cadentes &c.* Et Procemio primi Comment. in *Oseam* ait se *ante annos circiter* 22. Alexandriam ad audiendum *Didymum* profectum fuisse. In hisce Commentariis, permulta habet in reprehensionem τῶν LXX. Ut alia prætereamus brevitatis causa: ad *Jonæ* cap. 4. refutat eorum Versionem quæ *cucurbitam* ponit pro *hedera*. In Oseæ c. 9. *Quod in* LXX. *dicitur, sepeliet eos Machmas, in Heb. non habetur, sed* מחמד *quod appellatur desiderabile. Ex quo perspicuum est falsos eos esse similitudine literarum* ר & ד. Ibid. *In hoc loco ERROR est SOLITUS, ubi enim nos interpretati sumus, Scitote Israel, h. e Israelitæ, & in Heb. legitur* ידעו LXX. *transtulerunt* ϰ̀ κακωθήσεται, *i. e. & affligetur, ' literam putantes & pro* ד *legentes* ר, *quorum alterum scientiam, alterum afflictionem vel malitiam sonat.* Rursus ibid. *Ubi nos posuimus*, Ephraim, ut vidi, Tyrus erat: LXX. *interpretati sunt* θήραν *i. e. venationem, sive capturam; Aquila & Sym. & Theod. petram durissimam, i. e. silicem, quæ lingua Heb. dicitur* צור; *quod si legamus* צור *Tyrus dicitur: Putantes autem* LXX. *Interpretes ob literarum similitudinem* ד & ר, *non esse* ר *sed* ד, *legerunt* ציד *i. e. venationem sive capturam.*

Epistolam ad *Suniam* & *Fretelam* existimavit *Morinus* scriptam fuisse ante Biblia ex Heb. conversa: quod falsum esse patet ex hujusmodi locis: *Denique & nos de Hebræo ita vertimus*: Et, *Denique ex Hebræo vertentes ita diximus.* Et scriptam fuisse post *Catalogum Script. Eccl.* ex eo liquet, quod quamvis sit longus & doctus admodum tractatus, istius tamen in *Catalogo* nulla fit mentio. Ex illa Epistola profert [a] *Morinus* a Exercit.3.1.1. loca quædam ut probet Hieronymum tunc cum eam conscriberet LXX. c.2. §.6. Versionem Hebraico antepofuisse. Locus prior sic se habet: *Ea autem editio quæ habetur in* ἐξαπλοῖς, *& quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata* LXX. *Interpretum translatio reservabatur. Quicquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est quin ita & ab Hebræorum auctoritate discordet.* Ipsam illam editionem, quæ in *Hexaplis* reservabatur, ab Hebræo nonnunquam discordare, sæpe adnotat ipse Hieronymus in eadem Epistola: atque inde concludit *Morinus* verborum illorum hunc sensum esse: *Quicquid à textu* LXX. *qui extat in Hexaplis discrepat, id etiam ab Hebræorum ANTIQUORUM auctoritate discordat.* Amabo te, *Morine*, ubi distinguit Epistola illa inter Hebræorum istius temporis & *antiquorum* volumina? De Codicibus sui temporis passim loquitur, de vetustioribus ne voculam quidem. Hieronymi mens hæcce est: Locutus fuerat de editione τῶν LXX. quæ κοινὴ dicebatur, quam dixerat fuisse scriptorum dormitantia corruptissimam, & quicquid, inquit, in ista editione discrepat ab editione quæ in *Hexaplis* habetur, non dubium est quin etiam ab Hebræo discordet. Sed ad alium locum provocat *Morinus*. "Incorruptæ (inquit) LXX. "Interpretum translationi primas detulisse Hieronymum, multo ma-"nifestius constabit, si perpenderit Lector Virum sanctum in Psalterii "ad Heb. textum recensione Hebraicas varietates in marginem relegas-"se; & in textum intrusæ si forent, ægerrime tulisse. Verbi gratia "in ea Epistola ait se Psal. 73. 8. vertisse, *quiescere faciamus omnes dies* "*festos*

"*festos Dei à terra*; & ad marginem adnotasse, *incendamus*, ut fert textus "Hebræus, quendam tamen adnotationem in textum trajecisse. Exa-"ctius ista scopumque sancti viri ex ipsius verbis cognosces. *Miror*, "inquit, *quomodo è latere adnotationem nostram nescio quis temerarius scri-"bendam in corpore putaverit, quam nos pro eruditione legentis scripsimus hoc "modo, textus non habet καταπαύσωμεν, ut quidam putant, sed κατακαύσω-"μεν, id est, incendamus.* Post pauca addit quæ sunt omnibus ex He-"bræo aut Græco transferentibus plurimum notanda, quæque sancti "viri reverentiam erga Ecclesiæ translationem faciunt testatissimam. "*Ex quo perspicuum est sic psallendum ut nos interpretati sumus: & tamen "sciendum quid Hebraica Veritas habeat. Hoc enim quod* LXX. *Interpre-"tes transtulerunt, propter vetustatem in Ecclesia decantandum est, & illud ab "eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum. Unde, si quid pro studio "ex latere additum est, non debet poni in corpore, ne priorem translationem "pro scribentium voluntate conturbet.* Diligenter quæso perpendat Lector "quem finem scopumque translationis suæ, & ad Heb. textum recogni-"tionis, vir tantus & tam doctus sibi proposuerit." Hæc ille: Quæ omnia nullo negotio refelluntur. Adnotatio ista, quam ægre tulit Hieronymus è margine in corpus Versionis suæ Psalterii irrepsisse, non fuit de varietate *Hebraica*, quod somniabat *Morinus*, sed de varietate *Græca*. E Græco vertens, cum *incendamus* posuisset, ne se errasse existimaret Lector, in margine notat non καταπαύσωμεν (ut interpres vetus legebat) sed κατακαύσωμεν haberi. Et quid, sodes! si ægre tulisset marginalem de ipsa Hebraica varietate adnotationem in corpus Psalmorum irrepsisse? Quis ægre non tulisset in corpore Psalmorum inseri marginalem quamvis adnotationem? Quod attinet ad illa quæ sequuntur; quid clarius quam in eo ipso loco Hieronymum primas Hebræo deferre? Quamvis enim *propter vetustatem*, ne nimis offenderetur populus Græcæ translationi Psalmorum in cantando adsuetus, illi placeat ut in Ecclesiis Psalmi juxta eam cantarentur, textum tamen Hebraicum *veritatem* ibidem appellat, & asserit, *quid ea habeat eruditis sciendum esse, propter notitiam scripturarum.* Quid dilucidius loqui potuit? Sane inter varia Hieronymi opuscula, nullo magis, quam hac Epistola, quam pro sua causa infelix citat *Morinus*, stabilitur nostra. Libros Hebraicos præterea appellat non semel *authenticos*. In loco quodam LXXvirali Versionem *Symmachi* præfert, in alio, illa derelicta, Versionem *Sextam* amplectitur. E quibus & multis aliis, quæ Lector ibi inveniet, liquidissimo patet (quod alia & contraria mente pronunciat *Morinus*) *in Epistola illa de Hebræo textu &* LXX. *Interpretibus ea sentire S. Hieronymum, quæ cæteri Patres, & quod unumquemque Doctorem Catholicum de Judæorum Codicibus, & Ecclesiæ translatione sentire par est.*

Post omnes Prophetas Minores Commentaria in *Dan.* scripsit, sicut patet ex Procemio Commentarii in *Esaiam*. In Præfatione Lectorem monet Prophetam illum *non juxta* LXX. *sed juxta Theodotionem ab Ecclesiis legi*: Origenem ex Theodotionis Versione in LXX. asteriscos posuisse, & rursus multa obelo prænotasse; libros insuper hujusmodi asteriscis & obelis notatos ab *omnibus Christi Ecclesiis* legi. Et cum hæc ita sint, *ignoscant* (inqnit) *invidi labori meo, qui volui habere nostros quod Græci in Aquilæ & Theodotionis ac Symmachi editionibus lectitant. Et si illi in tantis divitiis doctrinarum non contemnunt studia hominum Judæorum: cur Latina paupertas despiciat hominem Christianum? Cujus si opus displiceat, certe voluntas recipienda est.* In ipso Commentario, ut alibi passim, Heb. textnm vocat Heb. *Veritatem*.

5. Sed mittamus ea opuscula, quæ scripsit ante *Apologiam*: vel de quibus non satis constat utrum ante vel post *Apologiam* sint conscripta.

Et

Et quid ſtatuerit in illis, quæ certum eſt poſt *Apologiam* ſcripta fuiſſe, diſpiciamus. Hinc de vera & genuina Hieronymi ſententia uſque adeo hallucinati ſunt tot homines docti, quod quid ille ſcripſerit prius, quid poſterius, prorſus ignorabant. Τοῖς LXX. adverſatus eſt (inquiunt) aliquando Hieronymus, ſed mutavit poſtea ſententiam, & extrema ſaltem ætate ſua eorum extitit fautor. Sic pro ſua inconſtantia *Morinus* ipſe, cum de cæteris ſuis effugiis dubitabat, alium lapidem movens, omniaque pervertens, vexans, & contorquens, ut illius auctoritatem per fas nefaſque evitare poſſet. Hinc quoque minus valide adverſus *Morinum* in *Aſſertione Heb. Veritatis* rem gerit *Simeon Muiſius*, quod quid junior, quid ſenior ſcripſerit Hieronymus, neſciebat; adeoque concedit quæ non erant concedenda. *Iſ. Voſſius* de LXX. Intt. cap. 1. *Injurii ſunt* (inquit) *Hieronymo, qui teſtimoniis hujus abutuntur ad evertendam* LXX. *Intt. auctoritatem. Æquo quidem ille addictior fuit ſui ſeculi Judæis, cum licitum eſſe exiſtimavit ſanctam, de qua loquimur, Verſionem arbitrio & examini Rabbinorum ſubmittere, potuiſſe enim* LXX. *Interpr. pati aliquid humanitus, Interpretes eos inquiens fuiſſe, non Prophetas: idem tamen ætate provectior, penitius inſpecta veritate, incunctanter adfirmavit, ſi quid in hac tralatione quod reprehendi poſſit occurrat, id non ipſis Interpretibus, ſed librariis eſſe imputandum, adflatu enim Spiritus S. ſacros libros vertiſſe palam fatetur in Præfatione ad ſecundum Paralipomenon.* Idem rurſus, adverſus *Hulſium*: *Hieronymum prius addictum fuiſſe* LXX. *Interpretibus, utpote quorum verſionem in Latinum transferre conatus fuerit ſermonem ipſe paſſim teſtatur Hieronymus.* Poſtea *ſtuduiſſe linguæ Heb. ſeque emancipaſſe magiſtris Rabbinis, & hoc quoque idem paſſim fatetur. Quam acris & aſſiduus fuerit in reprehendenda* LXX. *Interpretum verſione paſſim teſtantur ejus Commentarii*, illi præſertim quos junior edidit. *Non uno in loco negat illos prophetas fuiſſe, aut à Spiritu S. adflatos. Progreſſu vero temporis cum nova illa verſio magnos ubique rumores excitaret, nomenque Hieronymi fieret exoſum non tantum omnibus Eccleſiis Græcis, ſed etiam multis Latinis, Africanis præcipue, huc que accederent cum aliorum tum præcipue Auguſtini literæ & admonitiones; tunc demum moderaſſe ſuam de hac Verſione ſententiam ſatis clare colligi poteſt ex multis Epiſtolis circa finem vitæ ſcriptis, & denique ex Apologia contra Ruffinum. —— Vel ipſe itaque Hulſius judicet, an verum ſit Hieronymum nunquam mutaſſe ſententiam, cum bis minimum mutarit: niſi malit exiſtimare illum ſemper fluctuaſſe.* Ut deſinant tandem *Voſſii Morinique*, qui hoſpites ſunt in ſcriptis *Hieronymianis*, nugas agere, oſtendemus denique illum, ut ab ipſa *juventute* ſua uſque ad *Apologiæ* editionem, quam *ſenex* ſcripſit, Hebræo textui Verſionem LXX. longe poſthabuit, ſic in eadem ſententia ad extremam uſque ſenectutem, & per omnem ætatem ſuam, conſtanter perſeveraſſe.

At quid ſibi voluit *Voſſius*, cum citat Hieronymi *Præfationem in SECUNDUM Paralipomenon*? Quaſi vero altera illa quæ extat in *Paralip. Præfatio*, ad librum *primum* pertinuerit? Non cognovit utique Vir doctus, vel oblitus fuerat, Hieronymi Præfationes duas in *Paralip.* pertinuiſſe aliam (quam ipſe citat) ad eorum librorum Verſionem è *Græco* factam, alteram, quæ poſterior erat, ad eorundem tranſlationem ex *Hebræo* confectam. Hæc obiter. Ad id quod noſtri inſtituti eſt, pergamus.

Certe in ſcriptis Hieronymi poſtremis, quæque poſt *Apologiam* edidit, reprehenſiones τῶν LXX. utramque faciunt paginam. Agnoſcit [a] *Morinus* Hieronymum *Commentario toto in Eſaiam in* LXX. *Interpretes admodum eſſe vehementem.* At, bona cum *Morini* venia, ſcriptus eſt Commentarius iſte diu poſt *Apologiam.* In Prologo Commentarii in *Ezech.* teſtatur ſe volumina Explanationum in *Eſaiam* abſolviſſe ſtatim ante *Romam*

[a] Exercit. 1. lib. 1 c 3. §. 4.

Romam à *Gothis* captam, quod accidit an. 410. Sic ad cap. 6. *Esaiæ* scribit *ante annos circiter triginta* Constantinopoli se fuisse apud *Gregorium Nazianzenum*, *tunc ejusdem Urbis Episcopum*; at Sedi isti renunciavit *Gregorius Nazianz.* an. 381. Ex quibus conspicuum est Hieronymum in *Esaiam* commentatum fuisse, quum annum ætatis suæ 80um excessisset. Ex locis innumeris quæ suppeditat Commentarius ille, unum tantum aut alterum seligemus. Ad cap. XIV. *Pro Angelis* LXX. *transtulerunt* βασιλεῖς *i. e. reges*, *unius literæ* א *errore* DECEPTI. Ad cap. XXVIII. *Quod autem verbum Heb.* דעה *quod omnes verterunt scientiam*, *soli* LXX. κακὰ, *i. e. mala interpretati sunt*, ERROR *perspicuus est. Prima enim litera* ד *vel* ר *parvo apice distinguuntur*: *si ergo legatur* דעה *scientiam sonat*: *si* רעה, *malitiam.*

Commentarios in *Ezech.* auspicatus est paulo post *Romam* à *Gothis* captam, ut testatur in Operis Procemio. In illis Commentariis inter alia multa, hæc habet: Ad cap. I. *Significantius juxta Hebræos & cæteros Interpretes transmigratio dicitur Joachim*, *& non Captivitas*, *quod* LXX. *transtulerunt.* Ad cap. XI. LXX. *posuerunt consummata est*, *propter literarum & verbi ambiguitatem*: כלה *enim quod Aquila & Sym. & Theod. universes interpretati sunt*, *illi verterunt consummata est*, *quod juxta sensum non resonat.* Ad cap. XLVII. *Quod autem in* LXX. *ponitur* φοινικῶνος *i. e. palmeti*, *in Hebr. non habetur*: *pro quo nos metiemini interpretati sumus.* ERRORque *manifestus*, *quod pro* תמודו *literæ decepti similitudine* ד *&* ר *legerunt* תמרות.

Post omnes alios Prophetas, novissime in *Jeremiam* misisse se manus, docet ipse in Procemio Explanationum: ubi meminit quoque *Apologiæ* suæ *ante annos plurimos conscriptæ*, & ipsius *Ruffini* OLIM sepulti. Obiit vero *Ruffinus* circa an. CCCCXI. Constat illum an. CCCCX. in vivis extitisse. Dispiciamus quoque quid in hoc novissimo suo Opere de Interpretibus LXX. Hebræoque textu decreverit. Ad cap. XVII. *Quod cur à* LXX. *prætermissum sit*, *nescio*: *Nisi forsitan pepercerunt populo suo. Sicut & in Esaia eos fecisse manifestum est*: *Quiescite ergo ab homine &c. Multaque hujuscemodi*, *quæ si voluero cuncta digerere*, *non dicam libro*, *sed libris opus erit.* Paulo post: *Et hæc in* LXX. *non habentur eadem* (*ut reor*) *causa quam supra diximus*, *ne scil. æterna in eos sententia permaneret.* — *Pudet me contentionis nostrorum qui Hebraicam arguunt Veritatem. Judæi contra se legunt*, *& quid pro se sit*, *nescit Ecclesia.* Ad cap. XXVII. *In* LXX. *non habetur. Et idcirco admoneo*, *ut prudens Lector intelligat quantum desit per singula Græcis codicibus & Latinis.* Ibid. *Hæc* (*ut diximus*) *in* LXX. *non habentur*, *sed de Heb. Veritate translata sunt*: *pro quo aliud quod scriptum non erat posuere.* ——*Forsitan irrationale arbitrati*, *ut Deus loqueretur ad columnas & ad mare &c. quasi non legamus & vermi matutino increpuisse Dominum &c.* Ad cap. XXXI. *Utramque editionem ex toto posui*, *ut caput obscurissimum & Ecclesiæ continens Sacramenta*, *à* LXX. *sive quis alius hunc Prophetam interpretatus est*, *aut ignoratum aut omissum ostenderem. Verbum Heb.* ציונים *vel in speculatores vel in speculas vertitur*, *ut Aquila & Symmachus interpretati sunt. Unde miror quid sibi voluerit vulgata editio* (i. e. LXX.) *ut pro* ציונים, *h. e. pro speculatoribus*, *Sion poneret*, *turbaretque lectoris intelligentiam.* Ad cap. XXXII. MELIUS *Aquila qui pro eo quod scriptum est*, *Venient*, *transtulit* εἰσελεύσονται, *h. e. ingredientur civitatem. Neque enim absentes erant*, *ut venirent*: *quippe qui circumdederant Hierusalem*: *ut Scriptura testatur.* Omitto alia complura, ne prudenti Lectori fastidium faciam: quod vereor ne jam fecerim.

Epistolam denique LXXXIXm, quæ ad *Augustinum* est, exaravit *cum ætatis ultimæ & pene decrepitus esset*, ut ipse in eadem testatur. In ea ait se Versionem novam aggressum fuisse, ut suppleret ea quæ in Græca

Judæi

Judæi vel prætermiserant vel corruperant. *Ego enim non tam vetera abolere conatus sum, quæ linguæ meæ hominibus emendata de Græco in Lat. transtuli, quam ea testimonia quæ à Judæis prætermissa sunt vel corrupta proferre in medium: ut scirent nostri quid Hebraica veritas contineret. Si cui legere non placet, nemo compellit invitum. Bibat vinum vetus cum suavitate, & nostra musta contemnat, quæ in explanatione priorum edita sunt: ut sicubi illa non intelliguntur, ex nostris manifestiora fiant.* Refutat *Augustini* argumentationem, qua conatur evincere, eum non debuisse Versionem moliri novam. *Porro quod dicis, non debuisse me interpretari post veteres, & novo uteris syllogismo: aut obscura fuerunt, quæ interpretati sunt* LXX. *aut manifesta. Si obscura, te quoque in illis falli potuisse credendum est. Sin manifesta, illos in eis non falli potuisse perspicuum est. Tuo tibi sermone respondeo. Omnes veteres tractatores, qui nos in Domino præcesserunt, & qui Scripturas sanctas interpretati sunt, aut obscura interpretati sunt, aut manifesta. Si obscura, tu quomodo ausus es post disserere, quod illi explanare non potuerunt? Si manifesta, superfluum est te voluisse disserere, quod illos latere non potuit. &c.* Ait mirari se quomodo *Augustinus* LXX. editionem obelis asteriscisque ex *Theodotionea* notatam legat, *suam vero Christiani hominis interpretatiunculam non sequatur.* De veritate interpretationis suæ ad *Hebræos* provocat, eamque in loco quodam *Jonæ* contra LXXviralem defendit. Narraverat *Augustinus* displicuisse plebi Ecclesiæ cujusdam in Africa, quod ex Versione ipsius Episcopus legerat *hederam* pro *cucurbita*, quod habebat editio vulgata, & de vocis Hebrææ significatione provocatum fuisse ad *Judæos* istius urbis, quos pronunciasse *cucurbitam* esse veram interpretationem. Ad hæc respondet Hieronymus: *In eo loco ubi* LXX. *Interpretes cucurbitam, & Aquila cum reliquis transtulerunt, i. e. κισσὸν, in Hebræo volumine* קיקיון *Cicajon scriptum est, quam vulgo Syri Elceroa vocant. Est autem genus virgulti, lata habens folia, in modum pampini. Cumque plantatum fuerit, cito consurgit in arbusculam absque ullis calamorum & hastilium adminiculis, quibus & cucurbitæ & hederæ indigent, suo trunco se sustinens. Hoc ergo verbum de verbo edisserens, si cicejon transferre voluissem, nullus intelligeret: si cucurbitam, id dicerem quod in Hebraico non habetur. Hederam posui, ut cæteris interpretibus consentirem. Sin autem Judæi nostri, ut ipse asseris, malitia vel imperitia hoc dixerunt esse in voluminibus Hebræorum quod in Græcis & Latinis Codicibus continetur: manifestum est eos aut Hebræas literas IGNORASSE, aut ad IRRIDENDOS cucurbitarios voluisse mentiri.* Emotiore denique stomacho Epistolam suam concludit, non ferens sibi ab Augustino de Versione sua contradici. *Peto in fine Epistolæ, ut quiescentem senem olimque veteranum militare non cogas, & rursum de vita periclitari. Tu qui juvenis es, & in pontificali culmine constitutus doceto populos, & novis Africæ frugibus Romana tecta locupletato. Mihi sufficiet cum auditore & lectore pauperculo in angulo Monasterii susurrare.*

De hisce hactenus. Illud vero non prætereundum, suspicatum fuisse aliquando *Hieronymum* loca quædam duo in *Hebræis* Codicibus ab ipsis Judæis dedita opera fuisse depravata. Comm. ad Gal. cap. 3. ubi legitur: *Quicunque ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt &c.* hæc ponit: *Hunc morem habeo, ut quotiescunque ab Apostolis de Veteri Instrumento aliquid sumitur, recurram ad originales libros, & diligenter inspiciam, quomodo in suis locis scripta sunt. Inveni itaque in Deut. hoc ipsum apud* LXX. *ita positum: Maledictus omnis homo qui non permanserit in omnibus sermonibus legis hujus, ut faciat illos, & dicet omnis populus, fiat. Apud Aquilam vero sic: Maledictus qui non statuerit verba legis hujus, ut faciat ea, & dicet omnis populus, vere. Symmachus: Maledictus qui non firmaverit sermones Legis istius, ut faciat eos, & dicet omnis populus, Amen. Porro Theodotion sic*

sic transtulit: Maledictus qui non suscitaverit sermones legis hujus facere eos, & dicet omnis populus, Amen. Ex quo intelligimus Apostolum ut in cæteris sensum magis testimonii posuisse quam verba, & incertum habemus utrum LXX. *Intt. addiderint, omnis homo, & in omnibus, an in veteri Hebraico ita fuerit*, & postea à Judæis deletum sit. *In hanc me autem suspicionem illa res stimulat, quod verbum, omnis, &, in omnibus, quasi sensui suo necessarium ad probandum illud, quod quicunque legis sunt, sub maledicto sint: Apostolus vir Hebrææ peritiæ, & in Lege doctissimus nunquam protulisset, nisi in Hebræis voluminibus haberetur, quam ob causam Samaritanorum Hebræa volumina relegens, inveni* כל *quod interpretatur, Omnis sive omnibus, scriptum esse, & cum* LXX. *Interpretibus concordare. Frustra igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere quæ scripta sunt, cum antiquiores alterius quoque gentis literæ id positum fuisse testentur.* Ibidem interjectis aliquibus: *Scire non possum quare Apostolus in eo quod scriptum est: Maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno, vel subtraxerit aliquid vel addiderit. Si enim semel auctoritatem* LXX. *Interpretum sequebatur, debuit sicut ab illis editum est, & Dei nomen adjungere. Sin vero ut Hebræus ex Hebræis, id quod in sua lingua legerat, putabat esse verissimum, nec omnis, nec in ligno, quæ in Hebræo non habentur, assumere. Ex quo mihi videntur, aut veteres Hebræorum libri aliter habuisse, quam nunc habent, aut Apostolum (ut ante jam dixi) sensum Scripturarum posuisse, non verba, aut quod magis est æstimandum, post passionem Christi, & in Hebræis & in nostris Codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum maledictum à Deo credimus.* Comment. in Mich. cap. 5. *Legimus juxta* LXX. *Intt. in Jesu Nave, ubi tribus Judæ urbes & oppida describuntur, inter cætera etiam hoc scriptum, Thæco & Ephrata, hæc est Bethlehem &c. quod nec in Heb. nec apud alium invenitur Interpretem, & sive de veteribus libris erasum sit malitia Judæorum, ne Christus de tribu Juda ortus videretur, sive à* LXX. *additum, nequaquam liquido cognoscentes, certum quid novimus.* Animadversis his locis, triumphos agit *Morinus. Multum aberat* (inquit) *S. Hieronymus, ab Hæreticorum sententia* — Bona verba, quæsumus *Morine!* Ut falso dicit *Morinus*, Hieronymum jam *senem*, de Hebraici textus præstantia sententiam suam mutasse, & Græcæ tandem translationi primas detulisse; sic vere nos affirmamus, de locis illis à Judæis maligno animo corrumpendis, sententiam suam, vel suspicionem potius, correxisse illum, cum ætate esset provectior, Commentariis in *Esaiam*, quos scripsit annis 20. post *Com. in Micheam*, & plusquam annis 20. post *Com. in Galatas*, Scripturas nunquam à Judæis, neque ante neque post Christum, fuisse falsatas, serio asserit, contenditque, allato in hanc rem *Origenis* testimonio. Ad cap. VI. *Quod si aliquis dixerit, Hebræos libros postea à Judæis esse falsatos, audiat Origenem quid in octavo vol. Explanationum Esaiæ huic respondeat quæstiunculæ: Quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint post adventum Dni. Salvatoris & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangelistæ, & Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant.* Scripti sunt (ut diximus) *Esaiæ* Commentarii circa an. 410. *Michææ* vero Explanationes editæ sunt plusquam annis 2. ante *Catalogum Script. Eccles.* (qui editus est an. 392. vel 393.) ut patet ex Procemio *Commentariorum Jonæ* collato cum fine ipsius *Catalogi*. Commentarios in Epist. ad *Gal.* videtur scripsisse ante translationem ex Hebræo inchoatam, & paulo postquam *Roma* discessisset, quod accidit anno 382. id est annis 28. antequam in *Esaiam* commentaretur. *Hieronymum* cum Judæos de Scripturis Heb. corrumpendis accusat, non ex animo

animo ſuo locutum fuiſſe, ſed ut aliorum quorundam ſententiæ ſe conformaret, ut ſæpe ſolet, contendit eruditiſſ. [a] *Simonius*.

Mentione non dignum eſt, niſi ut cum riſu exſibiletur, commentum [b] *Leonis Caſtrii*, qui mira quadam judicii ſagacitate hoc nobis revelavit, Hieronymum, ſi diutius vixiſſet, ſcripturum fuiſſe Apologiam pro tranſlationibus in Eccleſia receptis, oſtendendo Judæos exemplaria ſua corrupiſſe. Aſſerit porro loca illa, in quibus Hieronymus LXX. reprehendit, fuiſſe corrupta. Affirmat quoque, illum Verſionem Aquilæ exacte cum textu ſui temporis Hebræo contuliſſe, ut exinde lectionem veram elicere poſſet. Qui hujuſmodi pollet judicio, & hoc genus figmenta comminiſci audet, is profecto adverſarium nec verebitur unquam, nec habebit.

[a] Hiſt. Crit. T. V. l. 2. c. 19.

[b] Apolog. pro Lat. Vulg. & LXX. l. 2. c. 2.

De Hieronymi ſententia hæc fuſius diſputavimus, ut deſinant tandem Viri literati de ea litigare & hallucinari; qui quotquot de ea hactenus ſcripſerunt, *Andabatarum* more cœci contenderunt.

CAP. IV.

Hieronymi novam ex Hebræo Verſionem non fuiſſe à Damaſo *P. Eccleſiæ commendatam.* 1. *Pſalteria* Romanum *&* Gallicanum *à quibus Eccleſiis recepta.* 2. *De Hieronymi Obtrectatoribus* 4. 15. *Quinam illum ad Verſionem novam ex Hebr. aggrediendam hortati ſunt.* 5. *&c.* Ruffinus *quid ſenſerit de illius novo molimine.* 16. *Quid* Auguſtinus. *Hunc textum Originalem Verſionibus cunctis prætuliſſe.* 17. *Aliorum Hieronymo coævorum*, Q. Julii Hilarionis, Sulpicii Severi, Helvidii, *opiniones.* 18. 19. 20.

POST editam à Beato *Hieronymo* Verſionem novam ex Hebræo Latinam, vetus illa, quæ è Græco facta eſt, obſoleſcere & in deſuetudinem abire cœpit. Aſſerit [c] *Voſſius*, *quantumvis moderate de ea tralatione ſenſerit Hieronymus, pauciſſimos tamen eum habuiſſe ſectatores, è Græcis vero perſuaſiſſe nemini, quin illos potius hoc nomine acerrimo eum inſectatos fuiſſe odio.* De Græcis ſuo loco jam diximus. Diſpiciamus nunc de Latinis Hieronymo coævis. Non deſunt qui ſcribunt illum *Eccleſiæ totius nomine* Verſionem novam ex Heb. fuiſſe molitum. Quod nimis hyperbolice dicitur. Alii tradunt Verſionem ejus ex *Hebræo* factam, ab ipſo DAMASO Papa Eccleſiæ fuiſſe commendatam. *Platina* in Damaſi Vita: *Primus etiam Hieronymi ſcriptis auctoritatem dedit, cum prius* LXX. *Interpretum ſcripta tantummodo in precio eſſent. Nam & Biblia Hieronymi legi cœpta eſt, ut Pſalmi ejuſdem fideliter ex Hebræo traducti, cum antea apud Gallos potiſſimum incompoſite legerentur.* Suffragantur ei [d] *Nauclerus*, & [e] *Schedelius*, necnon *Jo. Franciſcus*, qui in Epiſtola anno 1518. ad *Pagninum* ſcripta, hæc habet: *Damaſi patrocinio curaque & caſtigata Græca olim per Hieronymum, & converſa in Latinum Hebræa ſacrarum literarum monumenta, adeo tamen vitiata tot ſeculorum decurſu, ut noſtris temporibus veri ſtudioſi Theologiæ, & Damaſi redivivam curam & Hieronymi operam ſubinde renaſcentem, ſæpenumero deſideraverint.* De tranſlatione ex *Hebræo* confecta errare illos, conſpicuum eſt; ſiquidem (ut ſupra fuit oſtenſum) non niſi poſt *Damaſi* mortem interpretationem illam aggrederetur *Hieronymus*. Faviſſe tamen *Damaſum* Hieronymi ſtudiis *Hebraicis*, ſententiæque de textus *Heb.* præſtantia ac auctoritate, vel exinde colligitur, quod in Epiſtolis ad eum conſcriptis, LXX. Verſionem cenſura liberiore reprehendere ſolitus ſit *Hieronymus*.

[c] De LXX. Interp. c. 1.

[d] Chronolog. an. 368.

[e] Ad an. 364.

2. Error vero iſte de Verſione *Hieronymiana* ex *Heb.* facta, quod à *Damaſo* Eccleſiæ commendata fuerit, exinde ortum habuiſſe videtur,

quod primo illius jussu Psalterium Latinum Hieronymus correxerit, illiusque statim editionem Ecclesia Romana receperit.

Errore consimili vulgo olim credebatur Psalterium, quod dicitur *Gallicanum*, quod ex Græco transtulerat *Hieronymus*, & secundum *Hebræum* Asteriscis ac Obelis signaverat, ipsius *Hieronymi* rogatu, & *Damasi* jussu ab Ecclesiis *Gallicanis* fuisse receptum. Qua de re *Sigebertum Gemblacensem* audiamus, ad an. 382. *Psalterium quod secundum* LXX. *Interpretes in omnibus Ecclesiis cantabatur, Hieronymus correxit. Quo iterum vitiato Psalterium novum composuit, quod à* LXX. *Interpretum editione non multum discordaret, & cum Hebraico multum concordaret. Quod ut omnibus clarum fieret, Psalterium distinxit per asteriscum, i. e. stellam, & per obelum i. e. virgam jacentem, docens ea quæ continentur sub asterisco usque ad duo puncta in Hebræo haberi, & à* LXX. *prætermissa esse: ea vero quæ continentur sub obelo usque ad duo puncta, in Hebraico non haberi, sed à* LXX. *addita esse, juxta Theodotionis duntaxat translationem. Hoc Psalterium Damasus P. rogatu Hieronymi in Gallicanis Ecclesiis cantari instituit, & propter hoc GALLICANUM vocatur: Romanis Psalterium secundum* LXX. *retinentibus sibi, propter quod ROMANUM vocatur. Hæc duo Psalteria cum non sufficerent ad proponenda testimonia de Christo contra Judæos, qui non recipiunt nisi ea quæ habentur in Hebræo, addidit & tertium quod vocatur HEBRAICUM, pro eo quod rogatu Sophronii, Viri sapientis, transtulit illud de Heb. Veritate in Latinum verbo ad verbum. Quod Psalterium & alia Hieronymi opuscula idem Sophronius de Latino in Græcum transtulit.* Martinus Polonus in Chron: *Hieronymus correxit Psalterium* LXX. *Interpretum, quod in omnibus Ecclesiis cantabatur. Quo iterum vitiato, iterum novum composuit: quod P. Damasus, rogatu Hieronymi cantari instituit in Ecclesiis Gallicanis, & propter hoc Gallicanum vocatur à Romanis: Psalterio secundum* LXX. *remanente. Tertium transtulit de Heb. Veritate in Latinum, de verbo ad verbum. Damasus P. instituit rogatu Hieronymi, ut diceretur in fine Psalmorum in Ecclesia, Gloria Patri &c.* Ecclesiis *Galliæ* & *Germaniæ* traditum fuisse Psalterium ab ipso *Hieronymo*, scribit etiam *Berno* Augiensis Abbas, Epistola inedita ad *Megenfridum* & *Bernonem*, citante Cl. [a] Mabillonio: *Inter cætera* (inquit) *ex emendata* LXX. *Interpretum translatione Psalterium ex Græco in Lat. vertit* (Hieronymus) *illudque cantandum omnibus Galliæ ac quibusdam Germaniæ Ecclesiis tradidit. Et ob hoc* Gallicanum Psalterium *appellavit, Romanis adhuc ex* corrupta *vulgata editione Psalterium canentibus: ex qua Romani cantum composuerunt, nobisque usum cantandi contradiderunt. Unde accidit quod verba, quæ in diurnis vel nocturnis officiis canendi more modulantur, intermisceantur, & confuse nostris Psalmis inserantur, ut à minus peritis haud facile possit discerni, quid nostræ vel Romanæ conveniat editioni. Quod pius Pater ac peritus Magister intuens, tres editiones in uno volumine composuit; & Gallicanum Psalterium, quod nos canimus, ordinavit in una columna, in altera Romanum, in tertia Hebræum.* Ad veritatem propius accedit *Walafridus Strabus*, qui *de rebus Eccles.* cap. 25. ait *Gregorium Turonensem* Psalterium Gallicanum in Galliam primum transtulisse. Ad Sedem autem *Turonensem* promotus est *Gregorius* an. 573. obiitque an. 595. *Strabi* verba sunt ista: *Psalmos autem cum secundum* LXX. *Interpretes Romani adhuc habeant; Galli & Germanorum aliqui secundum emendationem, quam Hieronymus Pater de* LXX. *editione composuit, Psalterium cantant: quam Gregorius Turonensis Episcopus à partibus Romanis mutuatam, in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse.* Existimat potius *Mabillonius*, medio *Gregorium* inter & *Walafridum* intervallo admissum fuisse, *fortasse opera S. Bonifacii* (Angli) *Moguntini Pontificis, qui illud Gallicanis, Germanicisque Ecclesiis tradiderit.* Sed ante *Bonifacii* tempora admissum fuisse, exinde constare videtur,

[a] De cursu Gallicano.

videtur, quod *Strabus*, qui hoc *Gregorio Turonensi* attribuit, uno tantum seculo post *Bonifacium* floruit, quippe qui obiit an. 849. *Germanorum* enim Episcopus renunciatus est *Bonifacius* an. 723. Et non receptum fuisse primo in *Germania*, sed ex *Gallia* in *Germaniam* migrasse, hinc patet, quod per omnes *Galliarum* Ecclesias, in *Germania* tantum *aliquibus*, recipiebatur. Nondum autem receptum in *Gallia* fuisse cum *Gregorius Turonensis* Historiam suam scriberet, ex eo conficit Vir doctissimus, quod non uno in loco Psalmorum versiculos refert ille ex alia Versione, quam *Gallicana*. Duos tantum insigniores profert. Unus locus est in lib. 5. cap. 14. ex Psal. LXXII. 18. 19. *Veruntamen propter dolositatem posuisti eis mala; dejecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt; perierunt propter iniquitates suas.* Alter in lib. 6. cap. 5. ex Psal. XCV. 9. *Dominus regnavit a ligno.* Quæ duo loca aliter leguntur in Versione *Gallicana* magisque conveniunt cum Versione *Romana*: in qua præmissum hemistichium totidem verbis jacet: versus autem 18. Psalmi 72. hoc modo: *Veruntamen propter dolos deposuisti eis mala.* Eandem fere lectionem observat utrobique servari in Psalterio pervetusto, quod S. *Germani* Parisiorum medio seculo VI. Episcopi fuisse creditur. Eademque Versione usum fuisse *Fortunatum*, Episc. Aquileiensem, ejusdem seculi scriptorem, in Hymno de *Cruce*.

Testatur idem *Romanum* Psalterium usui fuisse in Urbis Ecclesiis usque ad seculum novissimum, Piique V. Pontificatum, cujus jussu ubique receptam fuisse Vulgatam seu *Gallicanam* editionem, præterquam in una Romæ *Vaticana* Ecclesia, & extra Urbem in *Mediolanensi*, & in Ecclesia S. *Marci* Venetiis. Quas Ecclesias antiquum suum Psalterium hodienum retinere.

Sed præstat hac de re audire quæ scripsit Card. *Bona* in lib. 2. Rerum Liturgic. cap. 3. "Versione Romana (inquit) utuntur hodie vetusto "more Ambrosiani, licet alicubi discrepet ab ea qua Romæ utuntur. "In Breviario quoque veteri Hispanico secundum Regulam S. Isidori, "quod Mozarabicum dicitur, extat idem Psalterium, quo utuntur in "laudibus Clerici ex institutione Francisci Ximenez Archiepiscopi To- "letani hoc ritu psallentes. In Italia juxta Diœcesin Romanam & Me- "diolanensem, suspicor ejus usum sublatum ante annos plus minus sex- "centos; nam Bruno Astensis ex Abbate Cassinensi Episcopus Segnien- "sis, qui obiit anno MCXXV. initio Expositionis Psalterii ait: *Cum ad- "huc adolescentulus essem, exposui Psalterium secundum aliam translationem; "quæ vix translatio pluribus in locis tantum differt ab hac, qua utitur Ro- "mana Ecclesia, ut nullo modo secundum illius expositionem hæc translatio in- "telligi possit. Et illa quidem multos habet expositores: hanc autem si aliquis "exposuerit nescio.* Exponit autem Psalterium illud vetus, quo suo tem- "pore utebatur Romana Ecclesia & postmodum semper usa est usque "ad Pium V. Ex quo fit, ut Romæ duntaxat recitaretur, in aliis vero "Italiæ Provinciis, illud in usu erat quod adolescens exposuerat, quod- "que jam multos habebat Expositores, utpote ubique receptum." Hæc doctissimus Cardinalis, qui etiam adnotat [a] Alexandrum IV. mandasse Priori Generali Augustinensium, ut recitarent Officium juxta morem Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio. Sic quoque S. *Franciscus*, ut testatur [b] *Frassenius*, illius Ordinis Frater, in Regula suorum præcipit: *Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio.* Observat ulterius Card. *Bona*, *Romanum* etiam Psalterium suos habuisse expositores, etsi *Brunoni Astensi* ignotos; nempe *Cassiodorum*, atque etiam *Augustinum*: *Gregorium* etiam *Magnum* semper in scriptis suis testimonia ex Psalmis secundum eam editionem proferre, idque ex

[a] Constitut. 6. in Bullario Augustinensium.
[b] Disquis. Bibl. cap. 6 §. 1.

ex collatione S. Paterii constare. *Orationes* ex Psalmis juxta utramque editionem confecit *Leander* Archiepiscopus Hispalensis.

Quibus Ecclesiis in usu fuerit Psalterium *Gallicanum*, & à Viris literatis receptam fuisse Versionem (quam vocant) *Hebraicam* his verbis docet *Rogerus Baconus* noster, quæ in [a] Biblio quodam MS. Latino in Nota incerti cujusdam Psalterio præfixa reperi. *Notandum est, quod Latina lingua inveniuntur* 3. *translationes Psalteriorum, viz.* Romanum, *quo utuntur* Romani, *& est de Græco in Lat. per* 70. *Interpretes. Aliud dicitur* Gallicanum, *quod B. Jeronymus correxit & distinxit asteriscis & obelis, & misit Damaso Papæ, ut sua auctoritate transmitteret Ecclesiis Gallicanis. Quo utuntur omnes in* Francia, *&* Alemannia, Anglia, *&* Hispania. *Et illud est* 70. *Interpretum de Græco in Latinum, sed ab alio interprete quam Romanum translatum est in Latinum. Et prima translatio scil. Romana glossatur & exponitur ab Augustino & Cassiodoro. Et hæc duo Psalteria habent magnam similitudinem, & ideo confunduntur pluries vocabula ipsorum ad invicem. Et hoc fit pluries in glossis Magistralibus. Tertium est de Hebræo in Lat. quod Jeronymus transtulit de Heb. in Lat. Sed non est in usu Ecclesiæ, sed Viri studii literati & sapientes eo utuntur. Tota enim Biblia Jeronymi sunt in usu Ecclesiæ & studii præter Psalterium.* Ante adventum *Augustini* Monachi, primi Archiepiscopi Cantuariensis, in Angliam, i. e. ante ann. 597. Ecclesiæ Britannicæ & Hibernicæ Psalterium *Gallicanum* receperant. Augustinus huc à *Gregorio M.* missus, *Romanum* secum advexit, & Ecclesiæ suæ Cantuariensi tradidit. Sed loco illius invaluit tandem per omnes Ecclesias Anglicas usus *Gallicani*. De antiquo usu *Gallicani* in Ecclesiis Britannicis sive Hibernicis, & de usu *Romani* in Ecclesia *Cantuariensi*, auctorem habeo *Gul. Malmesburiensem* lib. 3. *de Gestis Pontificum Anglorum*, ubi de *Wilfrido*, Episc. demum Eboracensi, sic scribit. *Eansleda regina, cuidam Cuddæ, qui ex Senatore & Regis cubiculario religiosam vitam apud Lindisfarnum meditaretur, illum delegavit. Is eum secum aliquantis annis benigne habitum Reginæ remisit, Psalmos & nonnulla Ecclesiastica memoriter retinentem, sed excellentioris profectus studio Romam eundi desiderium ingressum. At Regina desiderium ephebi quod supra annos esset, misit eum peculiari adjuvandum cura Regi Cantuariorum Ercomberto, qui filius erat patrui sui. Ita Wilfridus Cantiam adveniens Romanas consuetudines, quæ Scottorum* (i. e. Hibernorum) *scientiam vincebant, gnarus addidicit: Psalterium denique quod à Scottis juxta translationem beati Hieronymi acceperat, pro Romano more juxta quintam editionem lectitavit & tenuit.* Secutus est Malmesburiensis *Heddium Stephanum* in Vita *Wilfridi*, qui de eo in Monasterio Lindisfarnensi agente verba faciens, ait illum *omnem Psalmorum seriem memorialiter didicisse*; additque illum postea apud Regem Cantuariorum versatum, *Psalmos quos prius secundum Hieronymi emendationem legerat, more Romanorum juxta quintam editionem memorialiter transmutasse.* Floruere *Wilfridus* eique familiaris *Heddius* an. 670. Quid autem sibi velit *Heddius*, cujus verba exscribit *Malmesburiensis*, cum dicit *Romanos* Psalterio juxta *quintam editionem* usos fuisse, viderint alii. Videtur autumasse Psalterium *Romanum* non ex LXX. sed ex *quinta* Versione Græca translatum fuisse. Psalterii cujusdam ipsius textus *Hebraici* exemplar, quod olim fuerit *Augustini* antedicti, Archiepiscopi Cantuariensis, commemorat [b] *Lindanus*, hallucinatione non illepida. Ex hujusmodi inscriptione; *S. Augustini Cantuariensis*; Codicem illum putavit fuisse olim Archiepiscopi *Augustini*, cum hoc tantum esset intelligendum, pertinuisse Codicem illum ad *Cænobium S. Augustini Cant.* Sic aliud quoddam volumen in Bibliotheca Bodl. me vidisse memini quod ipsi *Augustino* Antistiti, ob eandem inscriptionem oscitanter tributum est.

[a] Bibl. Bodl. Laud. D. 43.

[b] De opt gen. interp. Script.

Hodienum in Liturgia Ecclesiæ *Anglicanæ* retinetur editio *Gallicana*:

at

at Verſio illa quæ habetur in Bibliorum voluminibus, quæque pro authentica agnoſcitur, ex Hebræo eſt.

In aliquibus Bibliorum Lat. voluminibus MSS. habentur Pſalteria *Romanum* & *Gallicanum*, è regione ſibi invicem conjuncta, ut in *quinque* [a] Bibliothecæ *Bodl.* & una Collegii *S. Joannis Baptiſtæ* [b] Oxon. In quibus omnibus primum locum obtinet *Gallicanum.*

In aliis è regione ſibi invicem adjiciuntur *Hebraicum* & *Gallicanum*, ut in Bibliotheca Bodl. NE. B. 5. 15. ubi his prænotantur titulis: [c] *Incipit liber Hymnorum vel ſoliloquiorum Prophetæ de Chriſto. Saphettillim, h. e. liber Pſalmorum. Hebraica veritas. Tranſlatio Jeronymi.* Rurſus ibidem, *Arch. Bodl. B. 62.* habetur primo editio vulgata, & poſtea ſequitur *Hebraica*, cum hac inſcriptione; *Liber Pſalmorum ſecundum Heb. Veritatem.*

Eadem Bibliotheca [d] in volumine pervetuſto habemus, columnellis diverſis, Pſalterium triplex, viz. *Gallicanum*, *Romanum*, & *Hebraicum.* Quæ omnia etiam eodem modo & ordine è regione oppoſita viſuntur in Vol. Bibliorum Collegii *Corporis Chriſti.* In nonnullis *Pſalmorum* voluminibus habentur editiones 4. è regione ſibi oppoſitæ, viz. *Gallicana*, *Romana*, *Hebraica*, & *Græca* Latinis characteribus exarata. Hujuſmodi exemplaria duo ſervantur in Bibliothecis Monaſteriorum *Belgicorum*, *Elnonenſis*, & *S. Martini Tornacenſis.* E quibus, Tornacenſe ſcriptum eſt ante annos pluſquam 570. juſſu *Odonis* illius Cœnobii Abbatis, poſtea Epiſcopi Cameracenſis.

Unde factum ſit ut poſtquam cæteri libri Scripturarum ab Hieronymo de Heb. converſi uſu vulgari ab Eccleſia recepti fuiſſent, Pſalterii non *Hebraici*, ſed Græci vel correcti tantum, vel ex Heb. ſub aſteriſcis aucti, invaluerit uſus, nemo non facile videt: nimirum Pſalterium à plebe cantari ſolitum, ex eorum manibus non ſine nimia offenſione eripi poterat. Eodem modo, quæ ex antiqua Verſione *Itala* in Eccleſiæ Romanæ *Miſſalibus* priſcis inſerta ſunt, ea omnia illic etiamnum leguntur: ut obſervant [e] *Lyranus*, aliique eo recentiores. In die Natalitiorum legitur Chronologia Græca *τῶν ό.* ſicut in Romano *Martyrologio* inſeritur. De hac re plura dicturi ſumus, ubi de Decreto Concilii *Tridentini* diſſeremus.

3. De *Pſalterio* his dictis, revertamur ad *Hieronymi* Verſionem librorum reliquorum ex Heb. factam, videamuſque quo animo ab Eccleſia fuerit accepta. Id prius monuero de illius recognitione Teſtamenti Novi ad Græcam Veritatem, eam factam fuiſſe ipſius *Damaſi* juſſu, ſicut ipſe teſtatur in *Præf. Evangeliorum.*

Aſſerit *Sigebertus* ſupra laudatus ad an. 395. *Hieronymi* Bibliorum Verſionem ex *Heb.* factam, ſtatim poſtquam in publicum emiſſa fuiſſet, interpretationi Græcæ, illiuſque rivulis, præferri cœpiſſe, idque ob hanc cauſam, quod ab *Hebræo* uſque adeo diſcrepabat Græca: *Hieronymo ſacras ſcripturas V. T. de Heb. VERITATE in Lat. linguam vertente, editio* LXX. *Intt. quæ tenebatur à cunctis & Græcis & Latinis, cœpit in ſecundis haberi, quod cum contra inveteratum uſum Eccleſiæ fieri, quamvis ſancti & docti Viri* (*Ruffinum* præcipue intelligit) *ægre ferrent, prævaluit tamen authoritas Heb. VERITATIS, poſtquam patuit quantum ab ea diſcrepent* LXX. *Interpretes.*

4. Conqueritur paſſim *Hieronymus*, cum in *Præfatiunculis*, tum in aliis ſuis opuſculis, obtrectationibus ſe æmulorum ob Scripturas de novo converſas indeſinenter laniatum fuiſſe: At *canes* illius (ſic eos ipſe appellat) quamvis in publico illum allatrare ſolebant, ipſi tamen illius Verſionem in privato legebant. Ipſe teſtis *Hieronymus* Præf. in *Paralipomenon* tranſlationem: *Hæc obtrectatoribus meis tantum reſpondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes & legentes in angulis.* Præf. in

[a] Laud. D. 43. Muſæo 7. NE. B. 7. 10. NE. F. 6. 7. Hatton 75.

[b] Num. 24.

[c] *Incipit liber Pſalmorum. Gallicanum Pſalterium. Communis editio.*

[d] Laud. F. 116.

[e] Com. in Dan. cap. 9. & in lib. De Chriſti Divin.

in Esdram: *Accedunt ad hoc invidorum studia, qui omne quod scribimus, reprehendendum putant. Et interdum contra se conscientia repugnante publice lacerant, quod occulte legunt.* Monet alibi obtrectatores suos recepisse ea tanquam vera, quæ in Hexaplis *Origenis* sub asteriscis ex Hebræo accesserunt, & rejecisse tanquam superflua, quæ obelis inusta fuerunt. Præf. in Josuam: *Si vetus eis tantum interpretatio placet, quæ & mihi non displicet, & nihil extra recipiendum putant; cur ea quæ sub asteriscis & obelis vel addita sunt vel amputata, legunt & negligunt.* Male hic loci corrigit [a] *Hen. Valesius, legunt nec negligunt.* Hieronymi enim hic sensus est: quod quæ sub asteriscis addita sunt *legunt*; quæ obelis sunt amputata *negligunt*.

a Epist. ad Usserium de LXX. Int.

Nec mirum si æmuli ejus tam ferociter in illum desævierint, quandoquidem etiam illum lacerabant ob Latinam Versionem T. Novi ex ipso Græco emendatam. Audi ipsummet Epist. CII. ad Marcellam: *Post priorem Epistolam in qua de Hebræis verbis pauca perstrinxeram, ad me repente perlatum est, quosdam homunculos mihi studiose detrahere: cur adversum auctoritatem veterum, & totius mundi opinionem, aliqua in Evangeliis emendare tentaverim. Quos ego cum possem meo jure contemnere (Asino quippe lyra superflue canit) tamen ne nos superbiæ, ut facere solent, arguant, ita responsum habeant: &c.* Vide supra in Cap. 2. quæ descripsimus ex Præfatione in 4. Evangelia.

Sic quoque in eum acriter invecti sunt, quia Latinam Versionem T. Veteris è Græco factam emendaverat. Præf. in Job è Græco translatum: *Si aut fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus sollicita mente pertractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia juxta sententiam Salvatoris,* volo operari cibum qui non perit, *& antiquam divinorum Voluminum viam sentibus virgultisque purgare, error mihi geminus infligitur. Corrector vitiorum, falsarius dicor, & errores non auferre, sed serere. Tanta est enim vetustatis consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placeant, dum magis pulchros habere volunt codices quam emendatos.*

Com. in Ezech. lib. 10. ait *suos calumniatores, si quid de* LXX. *translatione subtraxerit, se sacrilegum & absque timore Domini vociferari, maxime MANICHÆOS, quoniam horum erroribus* LXX. *magis quam Hebraica veritas favere videbantur.*

5. Ut libros vero sacros ex *Hebræo* converteret, obnixe illum rogabant Viri quidam istius ævi eruditi, iique nonnulli dignitate Episcopali insigniti. Ut *Pentateuchum* ex Hebræo interpretaretur, oravit *Desiderius*, ad quem conscripta est *Præfatio. Desiderii mei desideratas accepi Epistolas, obsecrantis ut translatum in Lat. linguam de Hebræo sermone Pentateuchum, nostrorum auribus traderem.*

6. *Chromatius, Episcopus sanctissimus, atque doctissimus,* eum *impulit ut Hebræa volumina Latino sermone transferret,* ut apparet ex Præfatione *Paralipomenon* ad illum scripta. Erat is Episcopus *Aquileiensis*, uti intelligimus ex Prologo Commentarii 3. in *Amos. Episcoporum doctissimi* elogio exornatur in Præf. Comm. in *Habacuk*.

7. Exegit idem *Chromatius*, una cum *Heliodoro*, eodem quoque ad culmen Episcopale evecto, ut librum *Tobiæ* Chaldæo sermone conscriptum ad Latinum stylum traheret. *Mirari non desino exactionis vestræ instantiam. Exigitis enim &c. — Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio: Arguunt enim nos Hebræorum studia, & imputant nobis contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans Pharisæorum displicere judicio, & Episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui.* Eorundem postulatione videtur quoque *Judith* è Chaldæo transtulisse.

8. *Domnio*

8. *Domnio* & *Rogatianus* multis precibus flagitabant ut *Esdram & Hester* ex Hebræo converteret. Præf. ad Esdram: *Tertius annus est quod semper scribitis atque rescribitis, ut Esdræ librum & Hester de Hebræo transferam.* Præfatione *Hesteræ* indicatur eos ipsos *Hebraicæ* linguæ aliqualem habuisse scientiam. *Vos autem, O Paula & Eustochium* (monuimus jam alibi legendum esse, *mi Domnion & Rogatiane*) *quoniam & Bibliothecas Hebræorum studuistis intrare, & Interpretum certamina comprobastis, tenentes Hester Hebraicum librum, per singula verba nostram translationem aspicite, ut possitis agnoscere, me nihil etiam augmentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter sicut in Hebræo habetur historiam Hebraicam Latinæ linguæ tradidisse.*

9. *Paula* & *Eustochium*, quarum nominibus multorum librorum Versiones consecrantur, nobiles erant doctæque fœminæ (Mater & Filia) natu Romanæ, domo Bethlehemiticæ, & in album *Sanctarum* ab Ecclesia relatæ sunt. Inter visenda in vico *Bethlehem*, una cum ipsius *Hieronymi cella, lecto*, & *sepulchro*, recensetur à [a] *Burchardo* Ecclesia *beatæ Paulæ & Eustochii*. Eæ in Cœnobio Bethlehemitico vitam agentes ab ipso Hieronymo linguam *Hebraicam* didicerunt, & Psalmos *Hebraice* canere consueverunt. Hieronymus in Paulæ Epitaphio: *Loquar & aliud, quod forsitan æmulis videatur incredibile. Hebræam linguam discere voluit, & consecuta est, ita ut Psalmos Hebraice caneret, & sermonem absque ulla Latinæ linguæ proprietate personaret. Quod quidem usque hodie in sancta filia ejus Eustochio cernimus.* Idem testatur de *Blesilla* alia *Paulæ* filia: Epist. 25. *Jamvero quod in Origene quoque illo Græcia tota miratur, in paucis non dico mensibus, sed diebus, ita Hebrææ linguæ vicerat difficultates, ut in discendis canendisque Psalmis cum Matre contenderet.*

[a] Descrip. Terræ sanctæ.

In eodem Cœnobio plures aliæ Virgines Hebraicam linguam calluerunt, ut ex eodem discimus *Paulæ* Epitaphio: *Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordine personabant, non solum triduo, donec subter Ecclesiam, & juxta specum Domini conderetur, sed per omnem hebdomadam.*

10. *Amabilis* Episcopus ab eo sæpe iterumque flagitabat, ut *Esaiæ* Visiones *juxta Hebraicam Veritatem panderet*. Prooemio Commentarii 5. in Esaiam: *Hucusque Papa Amabilis, columen charitatis & nomen, ac mihi omnium quos terra genuit amatissime, per literas flagitabas, ut tibi decem Visiones quæ in Esaia obscurissimæ sunt, historica expositione dissererem, & omissis nostrorum Commentariis, qui varias opiniones secuti, multa volumina condiderunt, Hebraicam panderem veritatem, meque retractantem, & molestissimum explanationis genus in tempus aliud differentem, sæpissime commonebas.*

11. *Sunia* & *Fretela* ex *Getarum* ac *Germaniæ* oris ad *Hieronymum* miserunt loca multa ex *Psalterio* collecta, in quibus Græca Latinaque exemplaria inter se non consentiebant, obsecrantes, ut ipse ex *Hebræo* quænam esset illorum locorum veritas, declararet. Ad eas rescripsit Hieronymus Epistolam prolixam atque eruditam, cujus initium tale: *Vere in vobis Apostolicus & Propheticus sermo completus est: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem: & dormitantibus, imo contendentibus Græcis, ipsa Germania, Spiritus S. eloquia scrutaretur. — Quæritis à me rem magni operis & majoris invidiæ: in qua scribentis non ingenium, sed eruditio comprobatur: ut dum ipse cupio de cæteris judicare, judicandum me omnibus præbeam. Et in opere Psalterii juxta distinctionem schedulæ vestræ, ubicunque inter Latinos Græcosque contentio est, quid magis Hebræis conveniat, significem.* A *Morino* hæ perperam vocantur [b] Matronæ *Romanæ*.

[b] De Heb. Græcique textus sincer. lib. 2. Exercit. 15. cap. 3.

12. Ex *Hispania* ad Hieronymum misit *Lucinius* Beticus, ad impetrandam, inter alia Versionem ejus Bibliorum ex Hebræo factam. *Hieronymus* Epistola ad eum XXVIII. *Josephi libros, & sanctorum Papiæ & Polycarpi*

lycarpi volumina, falsus ad te rumor pertulit à me esse translata, quia nec otii mei, nec virium est, tantas res eadem in alteram linguam exprimere venustate. Origenis & sancti Didymi pauca transtulimus, volentes nostris ex parte ostendere, quid Græca doctrina retineret. Canonem Hebraicæ Veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis & notariis dedi describendum. Septuaginta Interpretum editionem, & te habere non dubito, & ante annos plurimos diligentissime emendatam studiosis tradidi, Novam Græcæ reddidi auctoritati. Ut enim veterum librorum fides de Heb. voluminibus examinanda est, ita Novorum Græci sermonis normam desiderat.

13. Paulo postquam edidisset Versionem suam, Epistolam quidam (ut alibi monuimus) sub illius nomine emisit, in qua pœnitentiam profiteretur, quod male Hebraica transtulisset. At quamvis scriptor istius Epistolæ Versioni LXXvirali faveret, & *Hieronymianam* aversaretur, non tamen ausus est ipsi textui Hebraico corruptelæ quidquam impingere: sed hoc solum credi volebat, in Versione Hieronymi Hebraica male expressa fuisse. Hieronymus ipse Apologiæ adversf. Ruff. tom. 2. *Scribit frater Eusebius, se apud Afros Episcopos, qui propter Ecclesiasticas causas ad Comitatum venerant, Epistolam quasi meo scriptam nomine reperisse, in qua agerem pænitentiam, & me ab Hebræis in Adolescentia inductum esse testarer, ut Hebræa volumina in Latinum converterem, in quibus nulla sit veritas.* Cave credas hanc mentem impostoris fuisse, *Hebræis voluminibus nullam fuisse veritatem.* Hoc tantum intelligitur in Latinis voluminibus ex Hebræo translatis *veritatem nullam fuisse.* Audi sis Hieronymum mentem suam & Epistolæ sensum post paululum sic explicantem: *Ergo ille qui Epistolam sub nomine meo pænitentiæ finxerat, quod MALE Hebræa volumina transtulissem. &c.*

14. In Ecclesia quadam Africæ, ipsius Episcopi jussu, publice lectitari cœpit translatio *Hieronymiana*, dum adhuc in vivis ipse esset *Hieronymus.* Et quamvis istius Ecclesiæ plebi vehementer id displiceret, quod apud Jonam Prophetam, pro *cucurbita*, quod juxta LXX. antea legerant, poneretur *hedera*; hoc tamen animadvertendum, quod Hebraicum textum omnino probabant, & de vero Hebraici vocabuli significatu ad *Judæos* ipsos appellabant. Ipsum *S. Augustinum* præstat hac de re audire, in Epistola ad Hieron. sic narrantem: *Quidam frater noster Episcopus, cum lectitari instituisset in Ecclesia, cui præest, interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter abs te positum apud Jonam Prophetam, quam erat omnium sensibus memoriæque inveteratum, & tot ætatum successionibus decantatum: factus est tantus tumultus in plebe, maxime Græcis arguentibus, & inclamantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur Episcopus, ea quippe Civitas erat, Judæorum testimonium flagitare. Utrum autem illi imperitia, an malitia hoc esse in Hebræis Codicibus responderunt, quod & Græci & Latini habebant. Quid plura? coactus est homo, velut mendositatem corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe.* Pro *ea quippe civitas erat*, [a] Is. Vossius legendum putat, *Oea quippe &c.* & Episcopum illum fuisse *Marinianum* existimat.

[a] Respons. ad Schotanum.

15. *Hebræa* non damnabant Hieronymi obtrectatores adversariique insensissimi, sed credebant eum mala fide Hebræa expressisse. Hinc provocat passim Hieronymus ad *Judæos.* Præf. in Pentateuchum: *Quid livore torqueris? quid imperitorum animos concitas? Sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos; diversarum urbium Magistros consule.* Præf. in lib. Regum: *Lege ergo primum Samuel & Malachim meum. Meum, inquam, meum. Quicquid enim crebrius vertendo & emendando sollicitius & didicimus & tenemus, nostrum est. Et cum intellexeris, quod antea nesciebas, vel interpretem me existimato, si gratus es: vel paraphrasten, si ingratus. Quanquam mihi omnino conscius non sim, mutasse me quippiam de Hebraica*

braica Veritate. Certe si incredulus es, lege Græcos codices & Latinos, & confer cum his opusculis quæ nuper emendavimus, & ubicunque discrepare inter se videris, interroga quemlibet Hebræorum, cui magis accommodare debeas fidem, & si nostra firmaverit, puto, quod eum non existimes, ut in eodem loco mecum similia divinaverit. Præf. in *Paralipomena* e Græco translata, asteriscisque ac obelis notata; *Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos, suam conscientiam recolat; videat ordinem textumque sermonis; & tunc nostro labori, si potuerit, detrahat.* Prologo Esdræ: *Sed, ut ad compendium veniam, certe quod illaturus sum, æquissimum est. Edidi aliquid, quod non habetur in Græco, aut aliter habetur, quam à me versum est? Quid interpretem laniant? Interrogent Hebræos, & ipsis auctoribus translationi meæ, vel arrogent vel derogent fidem.* Rursus in Præf. Psalterii: *Certe confidenter dicam, & multos hujus operis testes citabo, me nihil duntaxat scientem, de Heb. Veritate mutasse. Sicubi ergo Editio mea à veteribus discrepat, interroga quemlibet Hebræorum, & liquido pervidebis, me ab æmulis frustra lacerari.* Epist. ad Augustinum: *Et si me, (uti dicis) in Novi T. emendatione suscipis, exponisque causam, cur suscipias, quia plurimi linguæ Græcæ habentes scientiam de meo possint opere judicare, eandem integritatem debueras etiam in Veteri credere Testamento, quod* (non) *nostra confinximus, sed ut apud Hebræos invenimus, divina transtulimus. Sicubi dubitas, Hebræos interroga. Sed dices; Quid si Hebræi aut respondere noluerint, aut mentiri voluerint? Tota frequentia Judæorum in mea interpretatione reticebit? Nullusque inveniri poterit, qui Hebrææ linguæ habeat notitiam? Aut omnes imitabuntur illos Judæos, quos dicis in Africæ repertos oppidulo in meam conspirasse calumniam?* Comment. in Ezech. cap. xxxiii. *Hæc in* LXX. *non habentur, qui cum multis aliis & hæc prætermiserunt, sive interpretata ab eis, Scriptorum paulatim sublata sunt vitio. Et Latini nostri, imo invidi Christiani, & ut apertius dicam, Grunnianæ* (i. e Ruffinianæ) *factionis hæredes adversum nos latrant, cur juxta Hebraicum differamus, quasi nolentibus ingerendi sint cibi, & non his epulæ præparentur, qui eas cum gratiarum actione suscipiunt. Certe si nobis non habent fidem, legant alias editiones, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis: interrogent Hebræos non unius loci, ne eos à me redemptos jactitent, sed diversarum provinciarum, & cum errori meo vel imperitiæ cunctos viderint consonare, tunc se intelligant nimium esse prudentes, & magis cupere dormire quam discere.*

16. Inter eos qui Hieronymo ob novam Versionem succensere videbantur, coryphæus erat *Ruffinus*, Presbyter Aquileiensis, adversarius ex amico ei factus quoniam *Origenis* libros περὶ ἀρχῶν post se Latine converterat. Quæ adversus illum disputat *Ruffinus*, in medium hic proferemus, ex 2. in illum Invectiva: *An ut divinarum Scripturarum libros, quos ad plenissimum fidei instrumentum Ecclesiis Christi Apostoli tradiderunt, nova nunc & à Judæis mutata Interpretatione mutares? — Ista vero quæ nunc tu interpretaris, & per Ecclesias, & monasteria, per oppida & castella transmittis, quomodo suscipiamus, tanquam divina, an tanquam humana? Et quid facimus, quod quæ Prophetarum vel Legislatorum nominibus titulantur, veriora hæc abs te quam illa quæ Apostoli probaverunt, affirmantur? Istud commissum dic quomodo emendabitur, imo nefas quomodo expiabitur? Si enim in explicanda Lege aliquid aliter sensisse damnabile apud te ducitur, ipsam legem pervertere in aliud quam Apostoli tradiderunt, quoties damnabile judicandum est? Cur non magis pro hujus ausi temeritate dicam, quis ex tot & tantis pendentibus & sanctis viris, qui ante te fuerunt, ad istud opus ausus sit manum mittere? Quis præsumpsit sacras sancti Spiritus voces & divina volumina temerare? Quis præter te divino muneri & Apostolorum hæreditati manus intulerit? Et quidem cum ingens copia fuisse ex initio in Ecclesiis Dei, & præcipue Hierosolymis eorum qui ex Circumcisione crediderant, referatur: in*

quibus utique lingua utriusque perfectam fuisse scientiam, & Legis peritiam probabilem, administrati Pontificatus testatur officium. Quis ergo in ista eruditorum Virorum copia ausus est Instrumentum divinum, quod Apostoli Ecclesiis tradiderunt, & depositum Sancti Spiritus compilare? Annon est compilare cum quædam quidem immutantur, & error dicitur corrigi? Nam omnis illa historia de Susanna, quæ castitatis Exemplum præbebat Ecclesiis Dei, ab isto abscissa est & abjecta atque posthabita. Trium Puerorum Hymnus qui maxime diebus solennibus in Ecclesia Dei canitur, ab isto è loco suo penitus erasus est. Et quid per singula commemoro de his, quorum comprehendere numerum nequeo. De quo ut omittam illud dicere quod LXXII. virorum per cellulas interpretantium unam & consonam vocem, dubitandum non est, Spiritus S. inspiratione prolatam, & majoris id debere esse Authoritatis, quam id quod ab uno homine, sibi Barraba adspirante, translatum est. Ut ergo hoc omittam, vide quid dicimus, verbi causa: Petrus Romanæ Ecclesiæ per 24. annos præfuit, dubitandum non est, quin sicut cætera, quæ ad instructionem pertinent, etiam librorum instrumenta Ecclesiæ ipse tradiderit, quæ utique jam tunc ipso sedente & docente recitabantur. Quid ergo? Decepit Petrus Apostolus Christi Ecclesiam, & libros ei falsos & nihil veritatis continentes tradidit, & cum sciret quod verum est haberi apud Judæos, apud Christianos volebat haberi quod falsum est? Sed fortasse dicit, quia sine literis erat Petrus, & sciebat quidem Judæorum libros magis esse veros, quam istos qui erant in Ecclesia, sed interpretari non poterat propter sermonis imperitiam. Et quid? Nihil in isto agebat ignea lingua per Spiritum Sanctum cælitus data? Non ergo omnibus linguis loquebantur Apostoli? Sed concedamus quia non potuerit Petrus Apostolus facere, quod hic modo fecit, de Paulo quid dicimus? Num & Paulus sine literis fuit? Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, edoctus secus pedes Gamalielis, qui etiam & ipse Romæ positus, si quid Petro defuisset, putas non potuit adimplere? Quomodo ergo isti qui præcipiebant discipulis ut attenderent lectioni, emendatas eis & veras non dabant lectiones? Et qui præcipiunt ne attendamus Judaicis fabulis & genealogiis, quæ quæstiones magis præstant quam ædificationem, & iterum cavere nos jubent, & observare maxime eos qui ex Circumcisione sunt, quomodo non prævidebant per Spiritum, quod futurum esset tempus post quadringentos fere annos, quando Ecclesia cognito eo quod ab Apostolis non sibi esset tradita veritas Vet. T. Legatos mitteret ad istos quos illi tunc Circumcisionem vocabant, obsecrans & exorans, ut sibi de veritate quæ apud ipsos est, aliquid largirentur? & per totos istos 400. annos errasse se & ignorasse quod verum est fateretur? Adscitam quidem se esse ex gentibus sponsam Christo per Apostolos: sed non ab eis veris monilibus exornatam, putasse se lapides esse pretiosos, nunc autem deprehendisse quod non sunt veræ istæ gemmæ, quas sibi Apostoli Christi imposuerant, erubescere se ad publicum procedere, falsis & non veris lapidibus adornatam, & ideo rogare se ut vel Barrabam illum, quem aliquando ut Christo nuberet, spreverat, mittant ad se, qui possit cum uno electo ex suis Viro ornamenta sibi vera, quæ Apostoli non præstiterant, reparare? His subjungit quædam de *Origene*, ut ostendat illum derelicta Versione LXX. ad Hebraicum non confugisse, quæ supra in *Origene* protulimus. Deinde subnectit: *Quid tibi ergo Origenis factum in hoc potest præstare solatii, cujus neque opus simile aliquod ostendere potes, & in quo tantum laboras, ut litera occidat consequentem, dum ille è contrario Spiritus vivificantis esse conetur assertor. Tuum igitur, Frater, tuum istud est factum, nec quemquam nunc te in hoc comitem vel socium in Ecclesia habuisse certum est, nisi istum solum, quem frequenter commemoras Barrabam. Quis enim alius auderet ab Apostolis tradita Ecclesiæ Instrumenta temerare, nisi Judaicus spiritus?*

17. AUGUSTINO etiam, Episcopo Hipponensi, id minus placuit, quod novam ex Hebræo Versionem cudere ausus sit *Hieronymus*. Nusquam tamen de textu *Hebraico* quicquam derogat Vir ille sanctus, sed majorem

majorem esse debere Virorum LXXII. auctoritatem, quam unius cujuslibet interpretis, contendit. Codicum Hebraicorum fidem asserit, & ubi ab illis dissentiat Versio Græca, eidem Spiritui Sancto differentiam adscribit. De Civ. Dei XVIII. 43. *Ex hac LXX. interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ Latinæ tenent. Quamvis non defuerit temporibus nostris* (scriptum est hoc opus post Hieronymi mortem) *Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem scripturas converterit. Sed ejus tam literatum laborem quamvis Judæi fateantur esse veracem,* LXX. *vero Interpretes in multis errasse contendant: tamen Ecclesiæ Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice, ad hoc tantum opus electorum, neminem judicant præferendum: quia etsi non in eis unus apparuisset spiritus sine dubitatione divinus: sed inter se verba interpretationis suæ* LXX. *docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi. Cum vero tantum in eis signum divinitatis apparuit, profecto quisquis alius illarum Scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis* LXX. *Interpretibus, aut si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est. Spiritus enim qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in* LXX. *Viris, quando illa interpretati sunt. Qui profecto auctoritate divina & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret, & hoc ipsum aliter, ut si non eadem verba, idem tamen sensus bene intelligentibus dilucesceret, & aliquid prætermittere, & aliquid addere: etiam ut hinc ostenderetur non humanam fuisse in illo opere servitutem, quam verbis debebat interpres, sed divinam potius potestatem, quæ mentem replebat, & regebat, interpretis.* Interjectis nonnullis de Codicibus *obelis* & *asteriscis* notatis, subjicit: *Si igitur, ut oportet, nihil aliud intueamur in scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei Spiritus, quicquid est in Hebræis Codicibus, & non est apud Interpretes* LXX. *noluit hoc per istos, sed per illos prophetas Dei spiritus dicere. Quicquid vero est apud* LXX. *in Hebræis autem Codicibus non est, per istos maluit, quam per illos idem spiritus dicere, sic ostendens utrosque fuisse Prophetas.* Exemplum habes Capite proxime sequente. Juxta Heb. dicitur *Jonam* Prophetam prædixisse *Niniven* eversum iri intra 40. dies, juxta LXX. intra 3. dies. Fatetur *Augustinus putare se, Jonam dixisse potius id quod in Hebræo legitur,* & τοὺς LXX. pro eo numero posuisse *tres* ex afflatu divino: *Si per illam* (inquit) *civitatem recte accipitur Ecclesia gentium prophetice figurata, eversa scil. per pœnitentiam, ut qualis fuerat jam non esset; hoc quoniam per Christum factum est in Ecclesia gentium, cujus illa Ninive figuram gerebat, sive per 40 dies, sive per triduum, idem ipse significatus est Christus: per 40. scil. quia tot dies peregit cum discipulis suis post resurrectionem suam, & ascendit in cœlum: per triduum vero, qui die tertio resurrexit: tanquam Lectorem nihil aliud quam historiæ rerum gestarum inhærere cupientem, de somno excitaverint* LXX. *Interpretes, iidemque prophetæ, ad perscrutandam altitudinem prophetiæ, & quodammodo dixerint: in 40. diebus ipsum quære, in quo & triduum poteris invenire: illud in Ascensione, hoc in ejus Resurrectione reperies. Propter quod utroque numero significari convenientissime potuit, quorum unum per Jonam prophetam, alterum per* LXX. *Interpretum prophetiam, tamen unus atque idem spiritus dixit. Longitudinem fugio, ut non hæc per multa demonstrem, in quibus ab Heb.* VERITATE *putantur* LXX. *Interpretes discrepare, & bene intellecti inveniuntur esse concordes. Unde etiam ego pro meo modulo vestigia sequens Apostolorum, quia & ipsi ex utrisque, id est, ex Hebræis, & ex* LXX. *testimonia prophetica posuerunt, utraque auctoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina est.* Sic libro Quæstionum super Exod. Quæst. 169. *Nec* LXX.

Interpretes,

Interpretes, quos legere consuevit Ecclesia, errasse credendi sunt, ut non dicerent 40. dies, sed triduum & Ninive evertetur. Majore quippe auctoritate præditi quam interpretum officium est, prophetico spiritu, quo etiam ore suo in suis interpretationibus, quod magnum miraculum fuit, consonuisse firmantur, triduum posuerunt: quamvis non ignorarunt quod dies 40. in Hebræis Codicibus legeretur, ut in Dni nostri Jesu Christi clarificatione intelligerentur dissolvi abolerique peccata. &c. — Et quoniam post triduum resurrexit, post 40. autem dies ascendit, unum horum quod posterius factum est, per numerum dierum Codices Hebræi significant: alterum autem de triduo, quod ad eandem etiam rem pertineret, LXX. *commemorare, non interpretationis servitute, sed prophetiæ auctoritate voluerunt. Non ergo dicamus unum horum falsum esse, & pro aliis Interpretibus adversus alios litigemus, cum & illi qui ex Hebræo interpretantur, probent nobis hoc scriptum esse quod interpretantur: &* LXX. *Interpretum auctoritas, quæ tanto etiam divinitus facto miraculo commendatur, tanta in Ecclesiis vetustate firmetur.*

Ejusdem Operis lib. xv. varietates in annorum dinumeratione ab Adamo ad diluvium, adscribit corruptelis non textus Hebraici, sed Versionis Græcæ. Cap. xi. commemorat quorundam sententiam, qui Codices Hebræos fuisse corruptos statuerint: *Unde detractis 955. ab ortu Mathusalem usque ad diluvium, remanent 14. quibus vixisse creditur post diluvium. Propter quod eum nonnulli, etsi non in terra, ubi omnem carnem, quam vivere in aquis natura non sinit, constat fuisse deletam, cum patre suo, qui translatus fuerat, aliquantum fuisse, atque ibi donec diluvium præteriret, vixisse arbitrantur, nolentes derogare fidem Codicibus, quos in auctoritatem celebriorem suscepit Ecclesia: & credentes, Judæorum potius quam istos non habere quod verum est. Non enim admittunt, quod magis hic esse potuerit error Interpretum, quam in ea lingua esse falsum, unde in nostram per Græcam scripturam ipsa translata est. Sed inquiunt, non esse credibile* LXX. *Interpretes, qui uno simul tempore, unoque sensu interpretati sunt, errare potuisse: aut ubi nihil eorum intererat, voluisse mentiri: Judæos vero, dum nobis invident, quod Lex & Prophetæ ad nos interpretando transierunt, mutasse quædam in Codicibus suis, ut nostris minueretur auctoritas. Hanc opinionem, vel suspicionem, accipiat quisque ut putaverit: certum est tamen, non vixisse Mathusalem post diluvium, sed eodem anno fuisse defunctum, si verum est quod de numero annorum in Hebræis Codicibus invenitur.* Sed cap. xiii. rem ipse sic dijudicat, incorruptos esse *Hebræorum* Codices, & illis potius credendum esse, affirmans: *Sed cum hoc dixero, continuo refertur illud Judæorum esse mendacium: de quo superius satis actum est. Nam* LXX. *Interpretes laudabiliter celebratos viros non potuisse mentiri. Ubi si quæram quid sit credibilius, Judæorum gentem, tam longe lateque diffusam, in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse: & dum aliis invidet auctoritatem, sibi abstulisse veritatem: an* LXX. *homines, qui etiam ipsi Judæi erant, in uno loco positos, quoniam rex Ægypti Ptolemæus eos ad hoc opus asciverat, ipsam veritatem gentibus alienigenis invidisse, & communicato istud fecisse consilio: quis non videat quid proclivius faciliusque credatur? Sed absit ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ tantum potuisse credat in Codicibus tam multis, & tam longe lateque dispersis; vel* LXX. *illos memorabiles viros hoc de invidenda gentibus veritate unum communicasse consilium. Credibilius ergo quis dixerit, cum primum de Bibliotheca Ptolemæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in codice uno, scil. primitus inde descripto, unde jam latius emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam scriptoris error. Sed hoc in illa quæstione de Vita Mathusalem non absurdum est suspicari: & in illo alio, ubi superantibus* xxiv. *annis summa non convenit. In his autem in quibus continuatur ipsius mendositatis similitudo, ita ut ante genitum filium, qui ordini inseritur, alibi supersint centum anni, alibi*

desint:

desint: post genitum autem ubi deerant, supersint: ubi supererant, desint, ut summa conveniat: & hoc in prima, 2. 3. 4. 5. 7ma generatione invenitur videtur habere quandam si dici potest, error ipse constantiam: nec casum redolet, sed industriam. Itaque illa diversitas numerorum aliter se habentium in Codicibus Græcis, & Latinis, aliter in Hebræis, ubi non est ista de 100. annis prius additis, & postea detractis per tot generationes continuata parilitas: nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ vel prudentiæ LXX. *Interpretum, sed scriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca supradicti Regis codicem describendum primus accepit. Nam etiam nunc ubi numeri non faciunt intentum ad aliquid quod facile possit intelligi, vel quod appareat utiliter disci, & negligenter describuntur, & negligentius emendantur. — Recte fieri nullo modo dubitaverim; ut cum diversum aliquid in utrisque Codicibus invenitur, quandoquidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum,* ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio. *Nam in quibusdam etiam codicibus Græcis tribus, & uno Latino, & uno etiam Syro inter se consentientibus, inventus est Mathusalem sex annis ante diluvium fuisse defunctus.* Ita in Quæst. in Gen. l. 1. *Quæri solet, quomodo Mathusalem secundum annorum computationem vivere post diluvium potuerit, cum omnes præter eos qui in arcam ingressi sunt, perisse dicantur. Sed hanc quæstionem plurium codicum mendositas peperit. Non solum quippe in Hebræis aliter invenitur, verum etiam in* LXX. *interpretatione, Mathusalem in Codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex annos ante diluvium reperitur fuisse defunctus.*

In Epistola quadam ad Hieron. hæc habet: *Ego sane te mallem Græcas potius Canonicas nobis interpretari scripturas, quæ* LXX. *Interpretum auctoritate perhibentur. Perdurum enim erit, si tua interpretatio per multas Ecclesias cœperit lectitari, quod à Græcis Ecclesiis Latinæ Ecclesiæ dissonabant, maxime quia facile contradictor convincitur, Græco prolato libro, id est, linguæ notissimæ. Quisquis autem in eo quod ex Hebræo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit, & falsi crimen intenderit, aut vix, aut nunquam ad Hebræa testimonia pervenitur, quibus defendatur objectum. Quod si etiam perventum fuerit, tot Latinas & Græcas auctoritates damnari quis ferat? Huc accedit, quia etiam consulti Hebræi, possunt aliud respondere, ut tu solus necessarius videaris, qui etiam ipsos possis convincere: sed tamen qui judicet, mirum si potueris invenire.* Epistola ad eundem alia: *Petimus ergo, & nobiscum petit omnis Africanarum Ecclesiarum studiosa societas, ut interpretandis eorum libris, qui Græce scripturas nostras quam optime tractaverunt, curam atque operam impendere non graveris. Potes enim efficere, ut nos quoque habeamus illos tales viros, & unum potissimum, quem tu libentius in tuis literis sonas. De vertendis autem in linguam Lat. sanctis literis canonicis laborare te nollem, nisi eo modo, quo Job interpretatus es: ut signis adhibitis, quid inter hanc tuam &* LXX. *quorum esse gravissima auctoritas, interpretationem distet, appareat. Satis autem nequeo mirari, si aliquid adhuc in Hebraicis literis & exemplaribus invenitur, quod post interpretes illius linguæ peritissimos fugerit. Omitto enim* LXX. *de quorum vel consilii vel majoris spiritus concordia, quasi unus homo esset,* non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, *nisi quod eis præminentem auctoritatem in hoc munere sine controversia tribuendum existimo. Illi me plus movent, qui cum posteriores interpretarentur, & verborum locutionumque Hebræarum viam atque regulas mordicus (ut fertur) tenerent, non solum inter se non consenserunt, sed etiam reliquerunt multa, quæ tanto post eruenda & prodenda remanerent. Si enim obscura sunt, te quoque in illis falli potuisse creditur. Si autem manifesta, superfluum est te voluisse explanare quod illos latere non potuit. Hujus igitur rei pro tua charitate expositis causis, certum me facias obsecraverim.* In alia rursus ad eundem: *Ideo autem desidero interpretationem tuam de* LXX. *ut & Latinorum interpretum, qui qualescunque hoc ausi sunt, quantum*

tum

tum possumus imperitia careamus: & hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant, propterea me nolle tuam ex Hebræo interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra LXX. *auctoritatem, tanquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures & corda illam interpretationem audire consueverunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est. Unde illud apud Jonam virgultum, si in Hebræo nec* hedera *est, nec* cucurbita, *sed nescio quid aliud, quod trunco suo nixum, nullis sustentandum adminiculis erigatur, mallem jam in omnibus Latinis* cucurbitam *legi. Non enim frustra hoc puto* LXX. *posuisse: nisi quia & huic simile sciebant.*

"De Doctr. Christ. II. 15. *In ipsis autem interpretationibus Itala cæteris "præferatur. Nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. Et "Latinis quibuslibet emendandis, Græci adhibeantur, in quibus* LXX. *Inter"pretum, quod ad V. Test. attinet, excellit auctoritas: qui jam per omnes "peritiores Ecclesias tanta præsentia Spiritus Sancti interpretati esse dicuntur, "ut os unum tot hominum fuerit. Qui si, ut fertur, multique non indigni "fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati cum interpretati essent, "nihil in alicujus eorum codice inventum est, quod non eisdem verbis eodem"que verborum ordine inveniretur in cæteris: quis huic auctoritati conferre "aliquid nedum præferre audeat? Si autem contulerunt ut una omnium com"muni tractatu judicioque vox fieret, nec sic quidem quenquam unum hominem "qualibet peritia ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum aspi"rare oportet aut decet. Quamobrem etiam si aliquid aliter Hebræis exem"plaribus invenitur quam isti posuerint, cedendum esse arbitror divinæ dis"pensationi, quæ per eos facta est: ut libri quos gens Judæa cæteris populis "vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus "ministra Regis Ptolemæi potestate tanto ante proderentur. Itaque fieri po"test, ut sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere gentibus ille qui eos "regebat, & qui os unum omnibus fecerat, Spiritus Sanctus judicavit. Sed "tamen, ut superius dixi,* horum quoque Interpretum qui verbis tena"cius inhæserunt, collatio non est inutilis ad explanandum sæpe sen"tentiam. *Latini ergo, ut dicere cœperam, codices Veteris Test. si necesse "fuerit,* Græcorum *auctoritate emendandi sunt, & eorum* potissimum, *qui "cum* LXX. *essent, ore uno interpretati esse perhibentur. Libros autem* Novi "Test. *si quid in Latinis varietatibus titubat,* Græcis cedere oportere, "non dubium est, *& maxime qui apud Ecclesias doctiores & diligentiores "reperiuntur.* Ibidem cap. x. fatetur ad *Hebræa* exemplaria recurren"dum esse. *Contra ignota signa propria, magnum remedium est linguarum "cognitio. Et Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instruendos susce"pimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus;* "Hebræa *scil.* & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, *si "quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.* De cujus loci sensu mirifice nugatur *Vossius* Responsione ad Ant. Hulsium: "Dicit hoc loco Augustinum agere de Codice Hebræo Veteris & Græ"co Novi T. Profecto non potuisset testem magis sibi contrarium pro"ducere. Nusquam Augustinus in omnibus suis operibus ad Hebræos "remittit Codices, passim vero ad LXX. Interpretes tanquam ad Ver"sionem à Spiritu S. dictatam confugiendum esse monet. Ut vero co"gnoscat quam misere fallatur, cum putat Augustinum ibi agere de "Græco Novi Test. codice, audiat Augustinum illo ipso libro cap. xv. "sensus suos quam planissime declarantem. Sic itaque ille; *Latini "ergo, ut dicere cœperam, Codices Veteris T. si necesse fuerit, Græcorum aucto"ritate emendandi sunt, & eorum potissimum qui cum* LXX. *essent, ore uno "interpretati esse perhibentur.* Sic Vossius. Hoc autem voluit sibi Augustinus, Codices Latinos utriusque Testamenti ex Græcis fuisse emendandos,

dandos, quia ex Græcis conversi sunt: sed ipsa Græca exemplaria V. T. ad Hebræa fuisse examinanda. Ejusdem Operis lib. IV. cap. 14. Versione utitur *Hieronymiana*, utpote quæ apertior esset. *Et ex illius prophetæ libro potissimum hoc faciam, qui se pastorem vel armentarium fuisse dicit, atque inde divinitus ablatum atque missum, ut Dei populo prophetaret. Non autem secundum* LXX. *Interpretes, qui etiam ipsi divino spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritalem sensum scrutandum magis admoneretur Lectoris intentio, unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum: sed sicut ex Hebræo in Lat. eloquium Presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante translata sunt.*

De Consensu Evang. II. 66. lectionem *Hebraicam*, etiam ubi à Græca omnino dissentit, *Veritatem* appellat. *Cujus rei causa illa mihi videtur, quod Matthæus Hebræa lingua perhibetur Evangelium conscripsisse. Manifestum est autem interpretationem illam quæ dicitur* LXX. *in nonnullis se aliter habere quam inveniunt in Hebræo, qui eam linguam noverunt, & qui interpretati sunt singuli eosdem libros Hebræos. Hujus item distantiæ causa si quæratur, cur tanta authoritas interpretationis* LXX. *multis in locis distet ab ea VERITATE, quæ in Hebræis Codicibus invenitur: nihil occurrere probabilius existimo, quam illos* LXX. *eo spiritu interpretatos, quo & illa quæ interpretabantur dicta fuerant, quod ex ipsa eorum mirabili consensione firmatum est. Ergo & ipsi nonnulla in eloquio variando, & ab eadem voluntate Dei, cujus illa dicta erant, & cui verba servire debebant non recedendo, nihil aliud demonstrare voluerunt, quam hoc ipsum quod nunc in Evangelistarum* IV. *concordi quadam diversitate miramur, qua nobis ostenditur non esse mendacium si quisquam ita diverso modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate, cui consonandum & consentiendum est, non recedat.*

Sic Hebraicam *VERITATEM* nuncupat *Quæstionum in Gen.* lib. 1. Q. 152. *Quod legitur 66. animas intrasse cum Jacob in Ægyptum, exceptis viz. filiis Joseph, & deinde illis annumeratis infertur, 75. animæ erant, cum quibus Jacob intravit in Ægyptum: sic accipiendum est, qui erant in domo Jacob, quando intravit in Ægyptum. Nam utique quos ibi invenit, non cum eis intravit. Sed quoniam diligentius discussa veritate reperiuntur duo nati jam fuisse cum intravit, Effrem & Manasses, quod non solum hoc loco Hebræi codices habere dicuntur, verum etiam ipsa* LXX. *interpretatio Exodo declarat, nec* LXX. *Interpretes mihi in hoc videntur errasse: qui propter aliquam mysticam significationem quadam velut prophetica libertate hunc numerum complere voluerunt. —— Sed neque ulla HEBRAICA VERITATE ista quæstio solvitur. —etiam secundum HEBRAICAM VERITATEM perhibetur.*

Enarrat. in Psal. LXXXVII. *In Hebræo quidem aliter se habere firmatur; non enim medici, sed gigantes esse perhibentur. Verum* LXX. *Interpretes, quorum auctoritas tanta est, ut non immerito propter mirabilem consonantiam divino Spiritu interpretati esse credantur; de vocis similitudine qua in Hebræa lingua gigantes & medici pene eodem modo sonant, & exigua differentia distinguuntur, non errore, sed potius occasione, quomodo isto loco accipiendi essent gigantes, significare voluerunt. Si enim superbos gigantium nomine insinuatos intelligamus, de quibus dicit Apostolus, Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus seculi? non fuit incongruum eosdem Medicos nuncupare, velut per artem sapientiæ suæ promittentes animarum salutem.* In Psal. CXXXV. *Quod quidem in Hebræo dicitur non ita esse scriptum, sed dii gentium simulachra. Quod si verum est, multo magis credendi sunt* LXX. *divino Spiritu interpretati*, quo Spiritu & illa dicta sunt, quæ in Hebræis literis sunt. *Eodem namque operante Spiritu, etiam hoc dici oportuit quod dictum est, Dii gentium dæmonia: ut intelligeremus sic etiam in Hebræo positum, Dii gentium simulachra; ut dæmonia potius, quæ sunt in simulachris, significarentur.*

De *Judæis* denique passim loquitur *Augustinus*, tanquam *capsariis* Christianorum: atque hac de causa dicit Judæorum gentem Providentia divina conservatam fuisse, & ubique terrarum dispersam, ut Catholicæ Ecclesiæ pro Scripturarum veritate testes sint. De Civ. Dei XVIII. 46. *Nobis quidem illa sufficiunt, quæ de nostrorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoscimus propter hoc testimonium, quod nobis inviti perhibent eosdem codices habendo atque servando, per omnes gentes etiam ipsos esse dispersos, quaquaversum Christi Ecclesia dilatatur. Nam prophetia in Psalmis, quos etiam legunt, de hac re præmissa est, ubi scriptum est: Deus meus misericordia ejus præveniet me. Deus meus demonstravit mihi de inimicis meis, ne occideris eos, ne quando obliviscantur Legem tuam. Disperge illos in virtute tua. Demonstravit ergo Deus Ecclesiæ in ejus inimicis Judæis gratiam misericordiæ suæ, quoniam, sicut dicit Apostolus, delictum illorum salus est gentibus. Et ideo non eos occidit, id est, non in eis perdidit, quod sunt Judæi, quanquam a Romanis fuerint devicti & oppressi, ne obliti Legem Dei, ad hoc, de quo agimus, testimonium nihil valerent. Ideo parum fuit, ut diceret: Ne occideris eos, ne quando obliviscantur Legem tuam: nisi etiam adderet, Disperge illos: quoniam si cum illo testimonio Scripturarum in sua tantummodo terra, non ubique essent, profecto Ecclesia quæ ubique est, eos prophetiarum, quæ de Christo præmissæ sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset.* Ad Psal. LVI. *Et ne forte dicant duri ad fidem quia nos illas Christiani composuimus, ut cum Evangelio quod prædicamus finxerimus Prophetas, per quos prædictum videretur quod prædicamus, hinc eos convincimus, quia omnes ipsæ literæ, quibus Christus prophetatus est, apud Judæos sunt, omnes ipsas literas habent Judæi. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio sunt Judæi? Codicem portat Judæus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post Dominos codices ferre: ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Ad Psal. LVIII. *Per omnes gentes dispersi sunt Judæi, testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent Codices, de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si quando forte aliquis paganus dubitaverit, cum ei dixerimus prophetias de Christo, quarum evidentia obstupescit, & admirans putaverit à nobis esse conscriptas: de Codicibus Judæorum probamus, quia hoc totum ante prædictum est.* Contra Faustum Manichæum XII. 23. *Quid est enim aliud hodie gens ipsa, nisi quædam scriniaria Christianorum, bajulans Legem & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quod nunciat illa per literam.* Similia videre est ibidem. XIII. 10. XVI. 21. & Epist. 3. ad *Volus.*

Augustino ipsi, pro *Hieronymo*, tribuitur Psalterii Versio ex Hebræo confecta, in Bibliothecæ cujusdam Catalogo: *Ludolphus Saxo, super Psalmos Davidis; una cum diversis lectionibus in marg. ex* Augustini *Translatione ad Textum Heb. exacta.*

18. Q. JULIUS HILARION in libello *De duratione mundi*, quem scripsit anno 397. quamvis alias annorum juxta LXX. instituit computationem, *Cainanis* tamen tempora, quæ desunt in Hebræo, præteriit.

19. SULPITIO SEVERO pergratam fuisse *Hieronymi* in *Hebraicis* operam, colligi potest ex laudibus illis, quibus eum in *Dialogis* extollit. *Hieronymus vir maxime catholicus, & sacræ legis peritissimus.* Rursus: *Vir præter fidei meritum, dotemque virtutum, non solum Latinis atque Græcis, sed & Hebræis etiam ita literis institutus est, ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare.* Paulo post: *Sed plane eum boni omnes admirantur & diligunt. &c.*

20. *Hieronymi* Versionem *Psalmorum* & *Prophetarum* in linguam Græcam à *Sophronio* redditam fuisse & a Græcis, studiosis, ipso adhuc superstite, fuisse lectitatam grateque acceptam, jam supra commemoravimus.

21. HELVIDIUM,

21. Helvidium, contra quem scribit *Hieronymus* pro perpetua B. Mariæ Virginitate, locum quendam Græci textus *Testamenti Novi* rejecisse, scribit Hieronymus. *Licet tu mira impudentia hæc in Græcis codicibus falsata contendas, quæ non solum omnes pene Græciæ tractatores in suis voluminibus reliquerunt, sed nonnulli quoque è Latinis, ita ut in Græcis habentur, assumpserint. Nec necesse est nunc de exemplariorum varietate tractare, cum omne & veteris & novæ Scripturæ instrumentum in Latinum sermonem exinde translatum sit, & multo purior manare credenda sit fontis unda, quam rivi.*

CAP. V.

Scriptores seculi V. Jo. Cassianus, Prosper Aquitanus, Eucherius Lugdunensis, Arnobius *junior*, Vincentius Lirinensis, Cœlius Sedulius, Claudianus Mamertus, Faustus Rhegensis, Salonius, Marius Mercator, Cerealis Castulensis, Victor Vitensis, Bachiarius, Salvianus, *de Textu Originali & Versione Hieronymiana quid senserint. Quinam inter eos illa usi sunt in Operibus suis, quinam non.*

JO. CASSIANUS, Abbas Massiliensis, qui scripsit ante medium seculi V. *Hieronymo* ætate suppar, Versionem ejus citat cum elogio *emendatioris translationis*. Collat. XXIII. 8. *Si in sanctis suis non confidit, & in angelis suis reperit pravitatem* (Job 15.) *sive ut EMENDATIOR translatio habet: Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu ejus.* Sic Latinam editionem Testamenti Novi Vulgatam rejicit, & Græcam lectionem sequitur. Institut. V. 16. *Tentatio vos non apprehendit nisi humana: Quod Apostoli testimonium non intelligentes quidam posuerunt pro Indicativo Optativum Modum, id est, tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Quod ab ipso magis dici manifestum est, non optantis, sed pronunciantis vel exprobrantis affectu.*

2. Prosper Aquitanus, *Cassiano* prorsus æqualis, quid senserit de Hieronymi in scripturis vertendis labore, satis patet ex elogio quo eum exornat in Carmine *De ingratis*:

Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes,
Hebræo simul & Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplar, mundique magister
Hieronymus libris valde excellentibus hostem
Dissecuit &c.

Item in Chron. ad an. 386. *Hoc tempore Hieronymus Presbyter in Bethleem toto jam mundo clarus habitabat, egregio ingenio & studio universali Ecclesiæ serviens.*

3. Eucherius Lugdunensis Episcopus, qui claruit an. 434. & deinceps in *Formulis Spiritalibus* citat *Psalmum, secundum Hebræos*; &, *librum Job, secundum Hebræum.* Apertius, in *Quæstionibus Vet. Testamenti*, sive libro I. *Instructionum ad Salonium*: *Etymologia, quæ hic in Latino non sonat, in Hebræo sermone servatur. Vir enim vocatur is & mulier issa. Quod animadvertitur pulcherrime RECENS custodisse TRANSLATIO DIVINA, dicens: Hæc vocabitur Virago quia ex Viro sumpta est.* Rursus: *Quid est quod in annis Mathusalem 14. anni per diligentem supputationem ultra diluvium deprehenduntur, cum octo tantum animæ in arca fuisse referantur? Resp. ERROR in numero est: quippe cum in HEBRÆORUM libris ita legatur, ut intra diluvii tempus hic 14. annorum numerus expleatur.* In Exodo: *Loquitur ad Abraham Deus, quod 4ta progenie de terra Ægypti reversuri essent filii Israel, & quomodo postea Moyses scribit:*

Quinta autem progenie ascenderunt &c. Resp. Si genealogiam secundum Levi tribum requiras, 4. *progenies pro filiorum successione numerabis: si tribus Judæ ordo replicetur*, 5. *generationum successiones invenies: quanquam in* Hebræa, *ut indicat* Aquilæ studiosissimi translatoris editio, *non habeat, Quinta generatione ascenderunt; sed, armati ascenderunt &c.* In Psalmis: *Sciendum est tamen MELIUS & secundum Hebræum VERIUS dici &c.* In libro 2. *Instructionum*, sive De Nominibus Heb. *Quorum nominum vocabula, ad hæc quæ obscuriora sunt in translatione veteri habentur. Hæc vero quæ lucidiora apparent, novæ translationis textu continentur.* Postea: *Ululæ in Esaia, ab omni translatione nomine ipso Hebræo Jim appellantur.* LXX. *tantum Interpretes pro his Onocentauros in translatione posuerunt. Sunt qui ululas putent aves esse nocturnas, ab ululatu vocis, quem efferunt, quas vulgo cavannos dicunt.*

4. Psalmi LXIV. juxta LXX. inscriptio sic se habet: *In finem Psalmus David Canticum Aggæi, Hieremiæ & Ezechielis de verbo peregrinationis, & de populo transmigrationis, cum inciperent proficisci*: ARNOBIUS Commentator in Psalmos, qui floruit an. 461. Hebræum textum qui eam non agnoscit, non eo nomine erroris insimulat, sed additam fuisse textui ab *Esdra* in sua editione statuit. *In HEBRÆO non habet nec Hieremiam, nec Aggæum, nisi solum David. Sed Hesdra habens charitatem eorum, voluit eos memorare, asserens istum Psalmum David cecinisse eos in prophetationis suæ initio.* Sic ad Psal. CXI. cujus inscriptio est juxta LXX. *Alleluia reversionis Aggæi & Zachariæ*; hæc habet: *Vir Dei Hesdra propheta, cum recapitularet omnem Legem, Dei nutu quædam adjunxit, Unde etiam Aggæo & Zachariæ istum titulum consecravit. Arnobius* hic perperam confunditur cum *Arnobio* Afro Rhetore non modo à recentioribus, verum etiam à [a] *Beda* & [b] *Adone Viennensi*, à quibus dicitur *Arnobius Rhetor.* Videtur vero ille credidisse, quod & alios quosdam existimasse video, vixisse *Esdram* post LXX. Interpretes, eorumque editioni nonnulla addidisse.

[a] De 6. ætatis mundi.
[b] Chronolog. an. 694.

5. Auctor vetustissimus Vitæ *S. Hieronymi*, quam edidit, [c] & *Gennadio Massiliensi*, scriptori paulo ante exitum sæculi 5. celebri, adjudicat Cl. *Mabillonius*, hæc habet, de Hieronymo à Clero Romano Roma discedere coacto verba faciens: *Verum enimvero, hunc ego felicem dixerim, hujus fugæ eventum corrigentis, Christi judicio dispensatum, quia pravorum hominum persecutionibus pacatum fore existimo: scil. ut Romana Ecclesia Petri instituta regimine, omniumque Veteris Test. librorum edocti veritate, Christo Deo volente, & Hieronymi speciali studio desudante, Hebraicam quoque habeat veritatem; & Græcorum quorundam levitas, quæ sibi Romanos à se omnes Scripturas divinitus inspiratas accepisse plaudebat, eos habere quod non habet recognoscat.* Interjectis nonnullis: *Christi itaque gratia Hieronymus fidem adeptus, literisque Græcis ac Latinis atque Hebraicis doctus, cuncta Hebræorum volumina, quæ in Canone continentur ex Vet. Testamento, VERA EDITIONE in linguam Lat. vertit, eaque omnia commentatus est. Danielem quoque Chaldaico sermone locutum Romano stilo descripsit. Psalterium viz. à Sophronio postulatus Hieronymus ex Hebræo Canone Latina modulatione canendum, verbum ad verbum exposuit, eumque breviter disseruit, & Enchiridionem appellavit.*

[c] Analect. tom. 4.

Sed vitam istam, à *Gennadio Massiliensi* non fuisse conscriptam, vel exinde colligere liceat, quod *Ruffino* adversus Hieronymum tantopere favet *Gennadius* in *Catalogo Script. Eccles.* hunc *obtrectatorem* appellans, illum *non minimam partem Ecclesiæ doctorum*: Et de illorum inter se contentione sic scribens: *Sed & obtrectatori opusculorum suorum respondit* (Ruffinus) *duobus voluminibus arguens & convincens se Dei intuitu & Ecclesiæ utilitate auxiliante Domino, ingenium agitavisse: illum vero æmulationis studio incitatum, ad obloquium stilum vertisse.*

6. Incertus

6. Incertus Vitæ *Damasi* scriptor, sed longe eo recentior, ex Cod. MS. archivorum Canonicorum S. Petri Rom. editus: *Eo autem tempore quo B. Damasus Ecclesiæ præerat, B. Hieronymus Vir fulgore scientiæ, & sancta vita laudabilis, in ea Orientis plagæ solitudine, quæ Syriam juncta Barbariæ fine determinat, Christo famulans merebatur. — B. Damasus sciens virum in omnium diversitate linguarum sufficienter instructum, cæpit eum ad explanationem divinarum Scripturarum impellere, & quæstionibus difficillimis propulsare. - Sed & Psalterium juxta* LXX. *Interpretes de Græco transtulit in Latinum: cujus postea meram veritatem non ex aliarum linguarum rivis turbidis, sed ex ipsa fontis Hebraici puritate transfudit. Quæ quidem translatio, licet in Ecclesiis non cantetur, usu pristino prævalente; ad evitandam tamen Hebræorum illusionem maxime prodest.*

7. Auctor alius incertus *Quæstionum Heb. in Reg.* inter Opera Hieronymi; *Cum in Latinis Codicibus legatur, lassos quosdam substitisse ad sarcinas, & in Hebræo habetur jussos fuisse, ut residerent ad sarcinas: locus hic monstrat, Hebraicam Veritatem in hoc loco sequi debere; quæ non lassos, sed jussos remansisse ad sarcinas dicit fuisse.*

8. Versionem *Hieronymianam* sequuntur VINCENTIUS LIRINENSIS in *Commonitorio* quod scripsit an. 434. COELIUS SEDULIUS in *Opere Paschali*; CLAUDIANUS MAMERTUS, Episcopus Galliarum Viennensis, in libris *De statu* animæ; FAUSTUS RHEGENSIS *Sermone ad Monachos*, & libris *De libero arbitrio*; In eadem commentatur SALONIUS, Eucherii Lugdunensis filius, ipse quoque Episcopus, (ut nonnullis placet Viennensis) in Explicationibus mysticis *Parabolarum* & *Ecclesiastis*.

9. Translatione è contra vetustiore utuntur passim, qui eodem seculo floruere Afri, MARIUS MERCATOR; CEREALIS Episcopus *Castulensis* libro *adv. Maximinum*, & VICTOR VITENSIS *De Persecut. Vandal.* Eadem etiam utitur BACHIARIUS, Britannus sive Hibernus, Epistola ad *Januarium de recipiendis lapsis*.

10. SALVIANUS MASSILIENSIS, qui scripsit circa, vel paulo post, medium ejusce seculi, in libris *de gubernatione Dei*, si non omnia, at pene omnia, adducere videtur ex *Hieronymi* interpretatione. In libris vero *adversus Avaritiam*, Vetustam ut plurimum sequitur. Et in Epistola IV. pro *hedera*, quam posuit apud *Jonam* Hieronymus, *cucurbitam* juxta eandem ponit.

CAP. VI.

Scriptores seculi VI. *Ecclesia Africana*, Facundus Hermianensis, Junilius, Justus Orgelitanus, Cassiodorus, Vigilius Papa, Pelagius I. Concilium Hispalense I. Primasius, Pelagius II. Gregorius M. Leander & Isidorus Hispalenses.

UT per totum seculum V. Scriptores *Africanæ* Ecclesiæ Versionem vetustam secuti fuisse videntur, sic quoque currente seculo VI. Exemplis sunt FACUNDUS Episcopus *Hermianensis*, & *Junilius* Episcopus, qui uterque circa medium seculi istius scripsit.

2. In aliis Ecclesiæ Latinæ regionibus exempla (ni fallor) rara sunt eorum, qui *Hieronymi* Versionem, derelicta altera, non amplectebantur. In *Hieronymianam* commentatur JUSTUS, Episcopus in Catalaunia Orgelitanus, qui claruit an. 530. Explicatione in *Cantica Canticorum*.

3. CASSIODORUS, Senator Romanus, qui claruit ab initio hujus seculi usque ad an. 562. & ultra; in Psalterium, quod vocatur *Romanum*, commentatur: quanto vero in pretio Hieronymi Bibliorum Versionem,

sionem, & *Hebraicum* habuerit textum, ex variis indiciis liquet. Libro *De Instit. Div. Lit.* (quem scripsit admodum senex circa an. 556.) cap. 12. de divisione & numero librorum Scripturæ agens, initium sumit ab *Hieronymi* Bibliis, quorum exemplar reposuerat in Cœnobii à se conditi Bibliotheca. *Auctoritas divina secundum sanctum Hieronymum in Testamenta duo ita dividitur. &c.* Deinde subjicit: *Sciendum est plane sanctum Hieronymum ideo diversorum translationes legisse, atque correxisse, eo quod auctoritati Hebraicæ nequaquam eas perspiceret consonare. Unde factum est, ut omnes libros V. T. diligenti cura in Latinum sermonem de Hebræo fonte transfunderet, & ad 22. literarum modum, qui apud Hebræos manet, competenter adduceret; per quas omnis sapientia discitur, & memoria dictorum in ævum scripta servatur. Huic etiam adjecti sunt Novi T. libri 27. qui colliguntur simul 49. Cui numero adde omnipotentem & indivisibilem Trinitatem, per quam hæc facta, & propter quam ista prædicta sunt, & quinquagenarius numerus indubitanter efficitur; qui ad instar Jubilæi anni magna pietate beneficii debita relaxat, & pure pœnitentium peccata dissolvit.*

In sequenti Capite commemorat *S. Augustini* divisionem Scripturarum in libros 71. *quibus* (inquit) *cum sanctæ Trinitatis addideris unitatem, fit totius libri competens & gloriosa perfectio.* Deinde subjungit divisionem *secundum antiquam translationem* in libros 67. De qua nihil mystici observat. Memorat tandem se in Eadem Bibliotheca reposuisse Versionem Latinam juxta LXX. factam & ab *Hieronymo* correctam, in qua divisa sit Scriptura in libros 70. *Tertia vero divisio est inter alias in Codice grandiore, litera clariore conscripto, qui habet quaterniones 95. In quo* LXX. *Interpretum translatio Vet. Testamenti in libris 44. continetur. Cui subjuncti sunt Novi T. libri 26. suntque simul libri 70. in illo palmarum numero fortasse præsagati, quas in mansione Elim invenit populus Hebræorum. Hic textus multorum translatione variatus Patris Hieronymi diligenti cura emendatus, compositusque relictus est.* Intelligi illam editionem quam asteriscis & obelis ex Heb. auxit correxitque *Hieronymus.* Addit se ibidem *Pandecten* quoque *Græcum* utriusque Testamenti recondidisse, *quoniam S. Augustinus in libro 2. de Doctr. Christ. dicit Latinos codices Veteris Novique Testamenti, si necesse fuerit, Græcorum auctoritate corrigendos esse, unde ad nos post Hebræum fontem translatio cuncta pervenit.* In illo Pandecte Græco comprehensi sunt libri 75. quem numerum ait *duobus miraculis consecrari; nam & 75. animæ de terra Chanaan cum Patriarcha Jacob fines Ægyptios intraverunt; & 75. Abraham fuit annorum, quando promissionem Domini lætus accepit.*

Ejusdem Operis cap. xv. ad Scripturam *Hebraicam* recurrendum esse, disertissime monet: *Si aliqua verba repertuntur absurde posita, aut ex Codicibus quos beatus Hieronymus in editione* LXX. *Interpretum emendavit, vel quos ipse ex Hebræo transtulit, intrepide corrigenda sunt: aut, sicut beatus Augustinus ait: recurratur ad Græcum Pandecten, qui omnem legem divinam dignoscitur continere collectam: vel quibus possibile fuerit, Hebræam scripturam, vel ejus Doctores* (Judæos) *requirere non detrectent. Decet enim ut unde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio.* Hinc insuper colligi potest, apud illos, qui Versionem Latinam juxta LXX. habere voluerunt, in usu fuisse non Editionem illam *Italam* vetustam, sed eam quam correxit & *Obelis* asteriscisque juxta Hebræum notavit *Hieronymus.*

Ibid. cap. xxi. quod egregium *S. Hieronymi* continet encomium, de illius Versione & textu Hebraico hæc habet: *Beatus etiam Hieronymus Latinæ linguæ dilatator eximius, qui nobis in translatione divinæ Scripturæ tantum præstitit, ut ad HEBRÆUM FONTEM PENE NON EGEAMUS ACCEDERE.*

Cum

Cum Hieronymus tantum Versionem suam ex Heb. factam Colis & Commatibus distinxisset, *Cassiodorus* idem fecit in aliis exemplaribus, saltem quoad Psalterium & Novum Testamentum. In eodem lib. de Institut. Div. Lit. cap. 12. ait Hieronymum ita *omnes* libros translationis suæ distinixsse, & in Præfatione ejusdem libri, sic scribit: *Illud quoque credimus commonendum, sanctum Hieronymum simplicium fratrum consideratione pellectum, in Prophetarum Præfatione dixisse, propter eos qui distinctiones non didicerant, apud Magistros secularium literarum, colis & commatibus translationem suam,* sicut hodie legitur, *distinxisse. Quod nos quoque tanti viri auctoritate commoniti, sequendum esse judicavimus, ut cætera distinctionibus ordinentur. Ista vero sufficiant simplicissimæ lectioni, quæ supradictus Vir, sicut dictum est, ad vicem distinctionum colis & commatibus ordinavit: ne supra judicium tanti viri vituperabili præsumptione venisse videamur. Reliquos vero Codices qui non sunt tali distinctione signati, notariis, diligenti tamen cura sollicitis, relegendos atque emendandos reliqui.*

4. VIGILIUS Papa, in Epist. xi. ad Episcopos Galliæ scripta circa an. 546. ex Exodo locum citat non juxta LXX. sed secundum Versionem Hieronymi.

5. PELAGIUS vero Primus, in Epist. ad Valerianum Patricium circa an. 557. locum adducit ex Proverbiis juxta Versionem antiquam.

6. CONCILIUM TURONENSE II. an. 567. locum quendam prolixum juxta Versionem Hieronymi ex Levit. profert. Eandem sequitur CONCILIUM HISPALENSE I. an. 590.

7. PRIMASIUS, Ecclesiæ Africanæ Episcopus, qui inclaruit an. 550. Com. in Gal. 2. 5. lectionem codicum Græcorum in ipso textu Latino inserit, etsi vulgarem Latinorum lectionem exponit. *Sed propter subintroductos falsos fratres qui subintroierunt*] *Reddit causas quare, secundum Latina exemplaria, circumcideret Titum, non quia illi circumcisio prodesset, sed ut scandalum vitaretur. — Quibus NEQUE ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos*] *Latinus habet; Quibus ad horam cessimus, ut periculum vitaremus &c.*

8. PELAGIUS II. Papa, in Epist. ad Eliam Aquileiensem, quæ illius nomine à *Gregorio* postmodum Papa scripta fuisse dicitur, *Hieronymum* honoris ergo appellat *singularem Hebræi sermonis interpretem.*

9. GREGORIUS MAGNUS, qui ad Sedem Romæ Pontificalem evectus est an. 590. obiitque 604. in loco illo *Deut.* ubi dicitur secundum LXX. divisionem gentium factam fuisse *juxta numerum Angelorum Dei*; secundum Heb. *juxta numerum filiorum Israel*: sequitur lectionem LXXviralem. Sed scivisse illum, ab *Hebræo* in illo loco dissensisse LXX. id certe non liquet. In Præfatione *Moralium* sive *Expositionis* in *Job* ad *Leandrum* Episc. *Hispalensem*, profitetur se Hieronymianam Versionem, quam *novam* vocat, exponere, sed & ex veteri etiam nonnunquam testimonia proferre; & utramque ab Ecclesia Romana fuisse receptam. *NOVAM vero translationem dissero: sed ut comprobationis causa exigit, nunc Novam, nunc Veterem per testimonia assumo: ut quia sedes Apostolica (cui auctore Deo præsideo) utraque utitur: mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.* Exinde vero quod *Novam* disserere seu explanare Pontifici Romano placuit, satis liquet eam in Ecclesia jam primum obtinuisse locum. Idem facit in *Expositionibus Cantici Cant.* librorumque *Regum*, & *Homiliis* in *Ezech.* Quin & Expositionis prædictæ in Job, lib. xx. cap. 23. Versioni Hieronymianæ, ubi à Veteri dissonat, adhæret, eamque in omnibus præfert, utpote *Hebræo* magis consonantem, & in *cunctis veriorem perhiberi* asserit: *Longe ab hac sententia vetusta translatio dissonat, quia quod in hac de Deo dicitur, hoc in illa de adversariis ac persecutoribus memoratur. Sed tamen quia hæc nova translatio ex Hebræo no-*

bis Arabicoque eloquio (apud Jobum habentur *Arabica* multa) *cuncta verius transtulisse perhibetur, credendum est quicquid in ea dicitur: & oportet ut verba illius nostra expositio subtiliter rimetur.* Immani, sed solita sibi, hallucinatione asserit [a] *Laur. Barrius*, testari *Gregorium M.* in Præfatione illius Operis, *Versionem* LXX. *solam usitatam fuisse in Romana Ecclesia, non ob aliam rationem quam quia afflatu divino inspiratam esse credebant, donec D. Hieronymus supplevit, quæ illi de Trinitate & Filio Ptolemæum ex industria celaverant.* Nihil horum habet *Gregorius.* Citatur tamen idem locus pro Interpretum LXX. instinctu divino, etiam à [b] *Galesinio. Gregorium* locum quendam Ezechielis *juxta translationem novam* edisserere, observat Auctor *Anticimenon* lib. 1.

[a] In Tertull. Apol. c. 19.

[b] De LXX. Intt.

Ab illius Papæ tempore *cæpisse* Hieronymi Versionem in usu haberi statuunt *Bellarminus*, postque illum vulgo alii: sed perperam, ut patet ex præmissis observationibus; & testatur ipse *Gregorius*, eam antequam ipse scribebat, ab Ecclesia Romana jam fuisse receptam.

10. *In toto Psalterio duplici editione* (i. e. *Romana* & *Gallicana*, ut supra jam monuimus) *orationes* edidit LEANDER Archiepiscopus Hispalensis (cui expositionem Jobi nuncupavit *Gregorius M.*) ut testatur frater ejus [c] *Isidorus*. Idem in *Homilia in Laudem Ecclesiæ* in citandis Proverbiorum, Cantici, & Esaiæ libris, sequitur Versionem *Hieronymi.*

[c] De Viris illustr. c. 41.

11. *Canticorum* Versionem *Hieronymianam* exponit *Isidorus*, qui fratri suo *Leandro* in Sede Hispalensi successit an. 595. & obiit an. 636. Eandemque potissimum sequitur in aliis Commentariis quos scripsit in 5. libros Mosis &c. nonnullis tamen ex altera illa Versione commixtis. *Originum* lib. 6. cap. 3. vulgarem fabulam de Cellulis LXX. & Interpretum Græcorum spiritu divino agnoscit, Versionibus tamen cæteris omnibus *Hieronymianam* præfert, & ab aliis quoque vulgo præferri testatur. *Presbyter quoque Hieronymus trium linguarum peritus, ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas convertit, eloquenterque transfudit, cujus interpretatio merito cæteris antefertur. Nam est & verborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior.*

De Offic. Eccles. l. 12. eam receptam fuisse *ab omnibus ECCLESIIS* testatur. Postquam dixisset Versionem LXXviralem in Cellulis separatis aspirante Spiritu Sancto confectam fuisse; eamque *veram ac divinam* vocasset, hæc subjungit: *De Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus Presbyter sacras Scripturas convertit: cujus editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis, & clarior in verbis.*

CAP. VII.

Scriptores seculi VII. Concilium Hispal. II. Concilium Tolet. IV. *&* VIII. Eucherius Anglus, Martinus I. Aponius, Ildephonsus, *&* Julianus Toletani.

VERSIONEM Hieronymi sequitur CONCILIUM HISPALENSE II. an. 619. CONCILIUM TOLETANUM IV[m], an. 633. V[tum], an. 636.

2. CONCILIUM TOLETANUM VIII. an. 653. Hieronymum maxime sequitur, nonnunquam tamen Versione ex utraque mixta utitur. CONCILIUM X[m], ejusdem loci an. 656. & XI. 675. utramque Versionem citare ait Cl. [d] *Du pin*: sed male. In postremo nihil reperio quod non fuerit ex Hieronymiana desumptum: in altero reperio hunc tantum versiculum Esaiæ 29. citatum juxta Versionem veterem, *Populus*

[d] De Canone V. T. c. 7. §. 2.

hic labiis me honorat &c. quem adduxit non ex ipso Esaia sed prout citatum apud Evangelistas invenerat. Alium locum Exodi 21. citat idem Concilium, ex memoria quoad sensum tantum, cum neutra Versione verbatim convenientem. Cætera omnia petita sunt ex Hieronymiana.

3. *Gregorio M.* & *Leandro* atque *Isidoro Hispalensibus* coævus erat *Eucherius* Anglus, auctor Commentariorum in *Gen.* & libros *Regum*, quæ vulgo tribuuntur *Eucherio Lugdunensi* Episcopo. In editionem *Hieronymianam*, sed in multis ex veteri librariorum vitio corruptam (ut omnia fere exemplaria ab illis usque temporibus fuere) commentatur ille: Versionem *Italam* titulo [a] *alius translationis* & [b] *veteris editionis*, subinde citans. *Hebræum* textum quanti fecerit, ex his dignoscitur locis: In Gen. lib. 1. cap. 1. *Pro eo autem quod in nostris Codicibus scriptum est, Ferebatur; in Hebræo legitur* מרחפת, *quod nos appellare possumus, Incubabat, sive, Confovebat, in similitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus non de spiritu Mundi, ut nonnulli arbitrantur, sed de spiritu sancto, qui & ipse vivificator omnium à principio dicitur.* Cap. 29. *Maledicta terra in opere tuo] Opera hic non ut ruris colendi sunt, sed peccata significat, ut in Hebræo habetur. Hoc & in Aquila non discordat dicens, Maledicta humus propter te.* Cap. 30. *Et ordinavit Cherubin & flammeam romphæam quæ vertitur, custodire viam ligni vitæ] Hoc per cœlestes utique potestates etiam in paradiso visibiliter factum esse credendum est, ut per Angelicum ministerium esset illic ignea quædam custodia. Non tamen frustra factum est, nisi quia significari aliquid etiam de spiritali paradiso non est utique dubitandum: sed alius sensus in* Hebræo *est, quam hic legitur; ait enim, Ejecit Adam (haud dubio quin Dominus) & habitare fecit ante paradisum voluptatis Cherubin & flammeum gladium qui verteretur, & custodiret viam ligni vitæ. Non quod ipsum Adam, quem ejecerat Deus, habitare fecerit contra paradisum voluptatis: sed quod illo ejecto ante fores paradisi Cherubin & flammeum gladium posuerit ad custodiendum paradisi vestibulum, ne quis posset intrare.* Cap. 36. *Famosa quæstio & disputatione omnium Ecclesiarum ventilata, quod juxta supputationem diligentem* XIV. *annos post diluvium Mathusalem vixisse feratur, quum supra* 979. *annis sit dictus vixisse. Et quomodo verum est, quod octo tantum animæ in arca salvæ factæ sunt? Restat ergo ut quomodo in PLERISQUE, ita & in hoc sit ERROR in numero: siquidem & in HEBRÆIS & in Samaritanorum libris ita scriptum reperitur: Et vixit Mathusalem &c.* Lib. 2. cap. 28. *Quod quum scriptura dicat, Hebræa VERITAS exponenda est, in qua scribitur, &c.* Cap. 35. *Ubi hic legitur puteus juramenti, in Hebræo habetur Bersabee. Duplex autem causa est cur ita appellatus sit, sive quia septem agnas Abimelech de manu Abrahæ susceperit, septem enim dicuntur Sabee: sive quod ibi juraverint, quia juramentum Sabee similiter appellatur.* Lib. 3. cap. 32. *Quod non solum Hebræi codices habere dicuntur, verum etiam ipsa secundum* LXX. *interpretatio in Exodo declarat. Nec* LXX. *Interpretes mihi videntur errasse, dum dicunt* LXXV. *animas cum Jacob intrasse Ægyptum: propter aliquam mysticam significationem, quadam velut* prophetica *libertate hunc numerum complere voluerunt. —— Sed neque ulla Hebraica VERITATE ista solvitur quæstio. —— etiam secundum Hebraicam VERITATEM perhibetur.* Cap. 36. observat Evangelistas & Apostolos Versione LXX. uti, cum loquuntur ad *populum*, ne eorum offenderent aures jam isti adsuetas. *Quod si è contrario nobis illud opponitur, quomodo in Actibus Apostolorum in concione Stephani dicatur ad populum, 75. animas ingressas esse Ægyptum, facilis excusatio est. Non enim debuit S. Lucas, ipsius scriptor historiæ, ingens Actuum Apostolorum opus emittens gentibus, contrarium aliquid scribere adversus eam scripturam quæ jam fuerat gentibus divulgata: & utique majoris opinionis illo duntaxat tempore* LXX. *Interpretum habebatur auctoritas,*

[a] In Gen. l. 1. c. 12. & 36.
[b] In Reg. l. 4. c. 25. & 27.

 quam

quam Lucas, qui ignotus & vilis & non magnæ fidei in nationibus habebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod ubicunque Sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis utuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata. Cap. 38. *Quod sequitur, Ex germine fili mi ascendisti: in* Hebræo *habet, De* captivitate *fili mi ascendisti: ut ostenderet, eum* captivos *populos esse ducturum.* In Reg. lib. 1. c. 21. *Et factus est super eum* (Saul) *spiritus Domini, & ambulabat ingrediens & prophetabat*] *Non potest hic nisi spiritus bonus intelligi, non ex eo tantum quia dictum est, & prophetabat. Nam in exemplaribus quæ sunt ex Hebræo, hoc quoque invenitur de spiritu malo dictum ita: Post diem alterum invasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ.* Lib. 4. cap. 27. *Pro Ana & Aua, vetus editio quasi unius urbis nomen Anaetaua posuit, & quidem in Hebræo ita scriptum est. Verum quia syllaba u, quæ in medio nominis posita est, conjunctionem apud eos significat, potest etiam ita distingui, ut dicatur Ante & Gaue, ut Aquila transtulit, sive Ana & Anua* (l. Aua) *ut NOSTER vertit Interpres.* Cap. 32. *Juxta Hebraicam VERITATEM.*

Versionem ipsam *Hieronymi*, quam *nostram* appellat, ubi credebatur ab *Hebræo* dissensisse, rejicit. In Gen. cap. 37. *Sive aliter, ut in Hebræo habetur, Non judicabit spiritus meus homines istos in æternum, quoniam caro sunt. — Ergo non severitatem, ut in nostris Codicibus legitur: sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur.*

Se alium fuisse ab *Eucherio Lugdunensi* utroque docet hic Auctor, cum

[a] In Reg. l. 3. c. 18. citat [a] *Cassiodorum* & [b] *Gregorii M. Moralia*: & ætatem suam simul & pa-
[b] Ib. l. 1. c. 31. triam perspicue prodit, his verbis: [c] *Rotæ basibus suppositæ ad portandum*
[c] In Reg. l. 3. c. 22. *laterem templi à terra sustollebant, cum nostris nuper temporibus beatus Papa* Gregorius *Evangelicis roboratus eloquiis Romanam rexit Ecclesiam. Rotæ eædem curribus dei subnixæ longe portabant, cum reverendissimi Patres* Augustinus, Paulinus, *& cæteri socii eorum eisdem Evangelicis confirmati eloquiis, jubente illo VENERE BRITANNIAM.* Hoc hominem
[d] In Gen. l. 3. c. 19. *Anglum*, saltem incolatu, sapit: illud vero fortasse [d] *Gallum*: *Quid enim interest, quum volo aliquid legendo cognoscere, utrum ex minio reperiam scriptos nigros Æthiopes, & ex atramento, candidos Gallos.* Quod inscribitur utcrque Commentarius ad *Veranium & Salonium fratres Episcopos*, Librario culpæ vertendum est. Illum *Hebraice* fuisse peritum, ex locis citatis facile quis collegerit. Sed aliter se rem habuisse, & alios eum in
[e] In Gen. l. 3. c. 31. illis locis secutum fuisse, docent hæc verba: [e] *Traditur ab eis qui & Sy-*
[f] Ibid. l. 1. c. 5. *ram & Hebræam linguam noverunt.* Alibi: [f] *Adam homo interpretatur, sed commune* perhibetur *esse in illa lingua, id est, in Hebræa.*

Christianos quosdam veteres, *Aquilæ* & *Symmachi* Versiones secutos
[g] Ibid. c. 32. fuisse commemorat: [g] *Et secundum LXX. quidem hic nobis sensus videtur. De eo autem quod Aquila posuit septempliciter, & Symmachus hebdomas, sive septimus ulciscetur, NOSTRORUM ista sententia est, quod putant in septima generatione à Lamech interfectum Cain.*

4. Martinus I. Papa in Concilio Lateranensi an. 649. ad versionem LXX. adlusisse videtur, cum hæc verba pronunciat: *Non debemus multum timere opprobrium hominum, neque eorum exprobrationibus evinci:* LXX. enim habent: μὴ φοβεῖσθε ὀνειδισμὸν ἀνθρώπων, καὶ τῷ φαυλισμῷ αὐτῶν μὴ ἡττᾶσθε. Hieronymus sic: *Nolite timere opprobrium hominum, & contemptu eorum ne vincamini.* Tamen paulo post sequitur Versionem Hieronymianam, hæc verba pronuncians: *Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne timeatis.*

5. In Versionem *Canticorum* Hieronymianam commentatur Aponius, qui creditur vixisse circa medium seculi VII.

6. Ildefonsus, Archiep. Toletanus, qui Cl. an. 657. in libro *De Virginitate & parturitione S. Mariæ*, ad ipsum *Hebræum* provocat, literarum

rum Hebraicarum non imperitus. *Maria autem quia benedicta, culpam corruptionis non habuit, propterea Christum non in dolore, nec sub corruptione genuit. Quod si ex corruptione aut cum dolore natus est Christus, jam ex maledicto natus est, de quo maledicto Genesis testatur, quod dixerit Deus Evæ: Multiplicans (inquit) multiplicabo dolores tuos, & conceptus tuos. Pro quo Symmachus afflictiones tuas dixit: Origenes vero & Theodotion, necnon &* LXX. *Tristitias tuas, dixerunt & gemitus: ubi Theodotion & Symmachus pro gemitibus, ærumnas posuerunt. In quibus omnibus non lex naturæ designatur, ut isti Philosophi volunt imperiose satis: sed lex vindictæ multiplicatur, & augentur causa peccati, labores in partu, afflictiones, tristitiæ, & ærumnæ, atque gemitus. Pro quo in Hebræo habetur;* ארבה ארבה עצבונך והרנך (sic Hebraica verba apud eum legenda sunt.)

7. Unus omnium in illis seculis, JULIANUS, Episcopus Toletanus, LXX. Versionem *Hebræo* textui anteponit, nempe contendens, ne refutaretur opinio vulgaris de Christi in Millenario annorum sexto adventu, Chronologiam potius editionis Græcæ quam Hebraicæ sequendam esse. In opere *De demonstratione ætatis sextæ contra Judæos*, quod scripsit an. 676. nondum factus Episcopus, libro 3. hæc habet. *Calumniatoribus fidei Christianæ respondens, qui assumptis annis à principio mundi, secundum Codices Hebræorum quintam seculi ætatem insana temeritate causantur. Hoc primum omne genus Christianorum admoneo, ut quoties quisquis Christianorum, a quolibet Judæo secundum Codices Hebræorum assumptis annis ætates ipsas computare audierit, non illi cor suum inflectat, ut secundum numerum eorundem annorum easdem ætates supputandas accipiat. —— Quando ergo falsitas Judæorum, O studiosissime Christiane, per annos ex Codicibus suis libatos, ætates seculi coram te voluerit definire, ut quasi per millenos ætates ipsas mundi determinatas videatur ostendere, non illic traharis in spiritu erroris, sed revertere ad spiritum veritatis, ut secundum Evangelium & exempla Scripturarum, pro dignoscentia harum ætatum, omnem illam annorum supputationem secundum codices Hebræos despicias, & has solum enumerationes generationum intendas. —— Hinc ergo jam securi de hac annorum quæstione, omnes Apostoli & Apostolici Viri, eo quod harum ætatum summa non in annis, sed in generationibus sit locata, non curarunt quid in Hebræorum codicibus annorum traheretur in summam, dummodo patesceret generationum series plena. —— Et siquidem jam supra probatum sit, nil officere, nec contrariam esse annorum illam brevitatem ex codicibus Hebræorum libatam, quo minus ostendatur ætas seculi sexta, tamen sine præjudicio quæstionis hujus, si verbi gratia, hoc solum vultis scire de annorum summa, id est, ab origine mundi, usque ad Christum, quot anni transierunt, necnon & quibus ob hoc codicibus oporteat credi, id est, utrum Codicibus Hebræorum, an secundum* LXX. *Translatorum, vivi cordis hic jam apponite sensum. —— Nunc restat ut consideremus, quibus codicibus major debeatur auctoritas. Hic jam dicat unusquisque quod sentit. Nunquid brevitas ista annorum ex Codicibus Hebræis ostensa, contemptis pluribus, qui in Editione* LXX. *Interpretum continentur, præferenda ullo modo judicabitur? qui prophetandi potius munere quam transferendi officio divinas Scripturas revelante sibi Domino, transtulerunt, apud quos etiam hæc supputatio reperitur annorum. Ergo illa nobis & sola pro his annis observanda authoritas* LXX. *Interpretum, quæ merito omnibus editionibus & translationibus antefertur, quam etiam usque omnes Doctores Ecclesiastici tenuerunt, & in hac præcipue annorum supputatione secuti sunt. De quorum etiam venerabilium* LXX. *Interpretum laude atque præpollenti authoritatis fastigio, quid unusquisque Doctorum senserit, breviter adnotabo.* Loca quædam ex *Epiphanio* & *Augustino* profert; sed, ut fieri solet, prætermissis omnibus illis, in quibus Textui *Hebraico* favetur. Adducit etiam *Hieronymi* verba ex Prooemio translationis *Chronicorum Eusebii*; *Neque me*

fugit in Hebræis Codicibus dissonantes ætatum annos inveniri plus vel minus, prout interpretibus visum est lectitari, sequendumque illud potius, quod exemplariorum multitudo in fidem traxit. Quæ non sunt *Hieronymi*, sed ipsius *Eusebii*, in Præfatione libri posterioris. Positis istis, *Quis rogo jam* (inquit) *non manifeste videat illis prorsus de hac annorum supputatione* LXX. *Interpretibus credere* (*oportere*) *qui multiplicem annorum seriem illam, prout dictum est, non interpretantium munere, sed prophetantium libertate proscripsisse creduntur?* Versionem veterem *nostros Codices* passim appellat. *Hieronymianam* in Procemio vocat *Hebraicam translationem*.

In aliis quæ citat ex V. T. sequitur ipse Versionem non LXX. sed *Hieronymi*.

C A P. VIII.

Scriptores seculi VIII. Beda, Alcuinus, Carolus M. Hadrianus I. *Quid præstiterint* Alcuinus & Carolus M. *in Bibliis corrigendis.*

A Sententia *Juliani Toletani* longissime aberat, qui ætate illum proximus excepit, BEDA noster *Venerabilis*, qui floruit ab an. 700. ad 735. Vir omnium istius ævi facile doctissimus. Hic in libro *de sex ætatibus mundi*, annorum seriem ab O. C. deduxit, non juxta rationes LXX. Interpretum, quas hactenus vulgo secuti fuerant Chronographi, *Eusebio* duce; sed secundum Veritatem Heb. & *Hieronymi* Editionem. Quapropter cum male apud homunciones quosdam audiret, qui vulgarem istam opinionem de D. Servatoris in sexto annorum milliario incarnatione, fuerant amplexi; Epistolam *Apologeticam* edidit, qua Heb. Veritatem haud segniter tuetur. Ex ea sequentia, prolixiora licet, in medium tamen afferenda duxi, utpote luculentissima, & quia in vulgaribus Editionibus illius *Operum* non extant. *Fratri dilectissimo &c. Pleguinæ, Beda in Christo salutem. Venit ad me ante biduum nuncius tuæ Sanctitatis, qui pacificæ quidem salutationis à te lætissima verba detulit; sed hæc tristi mox admixtione confudit, addendo viz. quod me audires à lascivientibus rusticis inter hæreticos per pocula decantari. Exhorrui, fateor, & pallens percunctabar, cujus hæreseos arguerer. Respondit quia negarem in sexta ætate seculi, Dominum Salvatorem in carne venisse. —Tandem venit in memoriam, quod cuidam vestrum nuper opusculum meum de Temporibus, quod ante quinquennium edidi, monstrabam: in quo annorum series juxta Hebr. Veritatem, ubi* LXX. *Interpretibus longe brevior habetur, erat annotata; ita ut usque ad adventum Salvatoris in carne, nec quinque annorum millia sint completa. Suadebamque illi* (*fraternæ, fateor, charitatis & ipsius veritatis intuitu*) *ut Scripturæ sacræ per Christianum nobis interpretem translatæ, potius quam Judaicis interpretationibus, vel Chronographorum impertitiæ, fidem accommodare disceret: digito ostendens, quod Eusebius in descriptione temporum, neque Hebraicam Veritatem, neque* LXX. *Translatorum per omnia sit editionem secutus; quod id ipsum & hic scripto facere curabo. Verum quod ipse* (*quisquis erat*) *cui hæc suggesseram, fraterni amoris officium vertit in odium æmulationis. —Hæc sunt quæ—abbreviare curavi, nequaquam Chronographo tam erudito, tantisque laudibus digno* (Eusebio) *contradicens, in his duntaxat in quibus ipse divinæ Scripturæ contrarius non est. Qui cum in libro* ἑξαπλῶς *virgam Origenis pertimescens, generationem Cainan de medio tolleret; & Evangelio Lucæ &* LXX. *pariter Interpretibus fidem derogavit, eorumque translationi* 130. *annos erasit. Cum vero generationibus ad Hebræorum libros castigatis non æque numerum annorum juxta eosdem emendare curaret; in summa suæ computationis, illorum seriem* 132. *annis excessit. Sicque neutram viam observans, ipse qua voluit incessit. In prima quippe & secunda*

ætate

ætate NOSTRIS, *id est, de Hebræo fonte transfusis, Græcorumque codicibus, hujusmodi discrepantia inest: quia sicut Hieronymus, sacræ interpres historiæ &c. — Per hanc autem corruptionem Græcorum codicum exoritur illa famosissima quæstio, ubi Mathusalem* 14. *annis vixisse post diluvium computatur: cum certum sit apud Hebræos codices eodem anno diluvii eum fuisse defunctum. Quod si aliquis dixerit Hebræos libros postea à Judæis esse falsatos, eosque dum nostris invident auctoritatibus sibi abstulisse Veritatem: Audiat Origenem quid in* VII. *Vol. Explanationum Esaiæ, huic respondet quæstiunculæ: Quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum reticuissent. Audiat Josephum historiographum Judæorum; qui in* 1 *libro* Ἀρχαιότητ©, *adv. Apienem Gram. scribens, aperte & lucide monstravit, & minorem annorum numerum esse veracem, & nequaquam Scripturam sanctam à Judæorum gente esse falsatam. —— Audiat B. Hieronymum, quod non Hebræos sed Græcos Codices dicat esse falsatos. —Cujus sententiæ etiam beatus Antistes Augustinus concinit, & ipse namque cum hujus discrepantiæ causam, neque malitiæ Judæorum, neque* LXX. *Interpretum, qui & ipsi Judæi erant, errori vel invidiæ voluisset adscribere (ne quos alibi per* LXX. *Cellulas uno divinitatis spiritu repleverat, hos passim argueret falsitatis) hoc invenit ut diceret. &c. —— Mirantur aliqui, quare tantus tamque egregius sanctæ interpres Scripturæ Hieronymus, de quo dictum, & jure dictum est;*

Jeronyme interpres variis doctissime linguis,
Te Bethleem celebrat, te totus personat orbis.

Quare (inquam) noluerit ille, cum librum transferret Chronicorum, quod verum ab Hebræis didicerat, hoc etiam tradere Latinis. Quemcunque autem hoc moverit, scire debet, quia sicut ipse in eodem Temporum libro præfatus est, vel interpres esse voluit, vel novi operis conditor: Et quia forsan nolebat, ubi summa necessitas non inerat, insanientium in se ultro provocare rabiem, singulariter posteris hoc negotii relinquere, sicut Eustochiæ Virgini quodam loco dicit, radios quidem se & licia velle parare, aliis vero curam dimittere texendi. Quippe qui in tam necessaria divinæ Scripturæ translatione pene à Latinis simul & Hebræis (de Hebræis id non apparet) *est lapidibus oppressus. Ab Hebræis quidem, quod eis irridendi Christianos & calumniandi pro Codicibus mendosis occasio foret ablata: à Latinis autem, quod eis nova & insolita, tametsi meliora, pro veteribus ingererentur & solitis. —— Unde & ipse satis doleo (fateor) & quantum licet, vel amplius irasci soleo quoties à rusticis interrogor, quot de ultimo milliario Seculi restent anni: atque contra ipse ab illis sciscitari, Unde noverint quod nunc ultimum agatur milliarium? — Hæc tibi (dulcissime Frater) innocentiæ meæ pignora, has amicæ caritatis indiees mitto literas: ne me arbitreris humanæ divinæque scientiæ penitus expertem, quin potius secundum Scripturas ac scita Patrum, fideli & catholica voce profiteri D. Salvatorem in sexta ætate Seculi carnem pro nobis assumpsisse mortalem; cursum vero Seculi nullo (nobis) certo annorum numero definitum, ipsius solum Judicis cognitum esse scientiæ. —— Agnoscas etiam qua opinione vulgus in* 6. *vel* 7. *millium venerit annorum, & qua ipse auctoritate assertionem meæ computationis adstruam; Hebraica viz. Veritate, per Origenem prodita, per Hieronymum edita, per Augustinum laudata, & per Josephum confirmata: quibus ego in rebus talibus nullos invenio doctiores. Neque autem mirandum, laudabilem virum Eusebium, quamvis miro sapiendi dicendique ingenio testam ferrumque (ut dicitur) conglutinare valeret, non valere tamen quod non didicerat, hoc est, Hebræam scire linguam, cujus timore quasi merito reverendæ & hoc quod sciebat ipse corrumpere non timuit, ut supra docuimus. Obsecro sane ut has purgationis meæ literas religioso ac doctissimo Fratri nostro David porrigas: quatenus ille coram venerabili Domino ac Patre*

tre nostro, Wilfrido scil. Antistite, legere possit: ut quoniam illo præsente atque audiente insipientius sum prius appetitus convitiis, ipso etiam nunc audiente ac dijudicante, quam immeritus eadem convitia sim perpessus appareat. &c.

In librum *Psalmorum* juxta Versionem LXX. commentatur, ut alii semper. In libro *de Tropis S. Script.* exemplum profert ex *Psalmo* XXI. *juxta Heb. Veritatem.* Ibidem paulo post: *Habemus tamen & in* nostra *translatione, unde demus exemplum.* per *nostram* intelligens LXXviralem. Sigebertus Gembl. de Script. Eccles. in *Einardo*, meminit illum *abbreviavisse Hebraicum* (Hieronymi) *Psalterium, excerpendo de illo omnes versus verba orationis habentes*; & *Einardum* (alias *Eginardum*) illum imitantem, abbreviavisse eodem modo *Gallicanum Psalterium.*

Comment. in Lucam, de *Cainane* juniore, quem agnoscit post LXX. *Evangelista*, non agnoscit *Hebræus*, verba faciens *Beda*, hæc habet, (ut alibi jam monuimus) *Sed quid horum sit verius, aut si utrumque verum esse possit, Deus noverit.* Et *Com. in Act.* ait se *maxime mirari*, unde id evenerit, quod B. *Lucas, qui errare non potuit, Cainanem* LXX. sequens posuerit. Alibi vero, ut in *Epistola* superiore, & in libro *De 6. Æt. Mundi*, & *Com. in Gen.* cap. XI. se *Cainanem* illum insititium esse credidisse, satis clare subindicat. De Textus vero Heb. auctoritate audiamus illum rursus, in libello *De temporum ratione* cap. LXVI. *Hæc de cursu præteriti seculi ex Hebraica Veritate prout potuimus elucubrare curavimus, æquum rati, ut sicut Græci* LXX. *Translatorum editione utentes, de ea sibi suisque temporum libros condidere, ita & nos qui per beati Interpretis Hieronymi industriam puro Hebraicæ Veritatis fonte potamur, temporum quoque rationem juxta hanc scire queamus. Quod si qui laborem hunc nostrum culpaverint esse superfluum, accipiant hi quicunque sunt justum salva charitate responsum, quod præfatus Hieronymus priscæ Cosmographiæ calumniatoribus reddit, ut si displicet, non legant. Cæterum cunctis in commune suademus, ut sive quis ex Hebraica Veritate, quæ ad nos per memoratum Interpretem pura pervenisse etiam hostibus Judæis in confesso est: sive ex* LXX. *Interpretum translatione, quæ vel minus sollicite primo edita est, ut* multi *adstruunt, vel post à Gentilibus corrupta, ut B. Augustino videtur; seu certe ex utrisque commixto opere codicibus, ut sibi visum fuerit temporum cursum notaverit: & sive prolixiora, seu breviora transacti seculi tempora signaverit, aut signata repererit, nullatenus tamen ex hoc longiora vel breviora quæ restant seculi tempora putet.*

Expositione in Genesin (ut alia prætercam multa) Veritatem Hebr. nusquam non veneratur: Versionem *Hieronymi NOSTRAM Editionem*, & *NOSTROS Codices* passim appellat; LXXviralem seu Italam, *antiquam translationem* & *veterem translationem.* Hieronymum vocat *Interpretem nostrum*; LXX. vero, *antiquos Interpretes*, & *priscos Translatores.* Ad cap. I. *Pro eo autem quod nostra Editio, quæ de Heb. Veritate translata est, habet, In principio: in antiqua Translatione positum est, ad Orientem.* Cap. V. *Notandum autem, quod ubi nostri Codices ex Hebræo fonte transfusi habent &c. antiqua translatio habet &c.* Versionem ipsam *Hieronymi* quandoque rejicit, tanquam *Hebraico* textui non satis congruentem. Cap. VI. *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum; quia caro est. &c.*] *Hos versiculos exponens S. Jeronymus: In Hebræo, inquit, scriptum est; Non judicabit spiritus homines istos in sempiternum; quoniam caro sunt: hoc est, quia fragilis est in homine conditio; non eos ad æternos servabo cruciatus, sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur.* Fere eadem habes supra apud *Eucherium* juniorem. Cap. X. *Dodanim Hrodii. Melius enim legitur*

Rodanim *sive* Rodim; *ut LXX. Interpretes transtulerunt*; *& in libro Hebræorum Nominum etiam noster Interpres posuit. Similitudo enim literarum Deleth & Res hunc apud Hebræos sæpe facit errorem*; *ut alia legatur pro alia.*

A * *Galesinio* perperam recensetur *Beda* inter adsertores miraculi LXX. *Cellularum.* * De LXX. Int.

2. In *Historia Abbatum Wiremuthensium* & *Girwiensium* tradit Beda, Ceolfridum, Abbatem ætatis ejusdem, *Bibliothecam utriusque Monasterii magna geminasse industria. Ita ut tres* (inquit) *Pandectes novæ translationis, ad unum vetustæ translationis, quem de Roma attulerat, ipse superadjungeret, quorum unum senex Romam rediens, secum inter alia pro munere sumpsit, duos utrique Monasterio reliquit.*

3. *Britanni* cujusdam (sed non *Bedæ*) *est* Commentarius ille in Psalmos, qui extat inter *Hieronymi* Opera, ut colligo ex istis ad Psal. cxxxv. *Qui fecit luminaria magna*] *Secundum literam de stellis dicit. Licet parvas eas conspiciamus, sed tamen magnæ sunt. Sicut enim nos si ascendamus in montem excelsum, & videamus in subjecta valle hominem: videtur nobis quasi parvum quiddam, ita & stellæ magnæ sunt, ex altitudine autem parvæ nobis videntur. Stella enim quæ videtur in BRITTANNIA, ubique & ipsa apparet.* In eo passim textui Heb. favetur, & LXX. erroris insimulantur: Ad Psal. lxxiii. *In Heb. non habet in finem, sed habetur victoria. Et LXX. Intt. non valde erraverunt. &c.* Ad Psal. lxxvi. *In Heb. melius habet.* Sic rursus ad Psal. lxxxi. & lxxxiii. Ad Psal. cxxxviii. *Quod Symmachus melius interpretatus est.* Hieronymi ipsius videntur hæc verba fuisse, ut opus totum cento est ex ejus potissimum Commentariis compilatus. Et nonnunquam proferuntur illius verba de seipso in persona prima loquentis, ut in Psal. i. iii. xliii. quo loco postremo Versionis suæ ex Heb. meminit.

4. Alcuinus, sive *Albinus* ipse itidem noster, *Bedæ* auditor & *Caroli M.* magister, ætate sua omnifaria eruditione nulli secundus, Versionibus Scripturarum non contentus, linguis originalibus, *Hebraicæ* & *Græcæ*, operam impendit. In libris *Commentariorum*, Versionem ipsam Hieronymi vulgatam, qua usus est, ex Hebræo corrigit, & nonnunquam diserte repudiat. Com. in Gen. xxv. 8. *Quomodo convenit Abrahæ tam sancto viro, quod dicitur, &* deficiens mortuus est? *Resp. in Hebræo non habetur*, deficiens; *sed à* LXX. *Interpretibus additum est.* In Ecclesiasten cap. ix. *Notandum est, quod per totum librum ubicunque dicitur* filii hominum, *in Heb. habetur* filii hominis, *hoc est, filii Adam*: *& omnis pene Scriptura hoc idiomate plena est, universum genus humanum Adam filios vocans.* Ad cap. xii. *Obmutescere, sive ut MELIUS habetur in Hebræo, surdescere.* Ita habuit Exemplar Versionis Hieronymianæ, quo usus est *Alcuinus*: in hodiernis vere legitur, *obsurdescent.*

Senex jam, circa annnm 802. in Cœnobio, quod rexit, S. Martini apud Gallos Turonenses, totum Biblicum volumen, Testamentum simul Vetus ac Novum, *Caroli M.* Imp. rogatu recognovit ac correxit; ex linguis ut credibile est, originalibus, & collatis inter se exemplaribus melioris Notæ. Qua de re *Baronium* audiamus in Annal. ad an. dcclxxviii. *Sed & quod præstat cæteris, eidem Carolo M. debemus ingens opus illud ab Alcuino sive Albino elaboratum, quo totius divinæ Scripturæ tam veteris quam Novi T. vulgata editio emendata est. Acciderat enim, ut ipsa multiplicium Librariorum exscribentium vitio, mendis obsita jam vilesceret. Quod periniquo animo ferens Carolus, ut quam emendatissima ederetur, in pristinamque vindicaretur integritatem atque splendorem studio propensiori curavit. Cujus rei fidem facit ejus in Capitularibus intextum elogium his verbis*: Volumus, & ita Missis nostris mandavimus & præcepimus, ut in Ecclesiis Libri Canonici veraces habeantur; sicut jam in alio Capitulari

ſæpe mandavimus. *Hæc ipſe, qui ut quod omnes refugerent, ob nimiam difficultatem, omnino perficeretur, opus delegavit Albino ut abſolveret. Qui in id ipſum viribus totis invigilans, univerſam divinam Scripturam è vetuſtioribus ac verioribus fontibus deſcriptam, recognitam, & emendatam, eidem Carolo M. obtulit.* Addit *Baronius* extare ejuſmodi Veterem Bibliorum Codicem, *Alcuini* laborem, in *Vallicellana* Romæ Bibliotheca, ibique velut ingentem theſaurum aſſervari, utpote quo viri eruditi, qui in emendatione *Vulgatæ* iterum, poſt Concilii *Tridentini* decretum, laborarunt, ut antiquiori ſunt uſi; cui & plurimum eos detuliſſe. Ad calcem vero Voluminis extare Epigrammata quædam *Alcuini* de ipſo Opere; quæ ab eo prius, & poſtea inter Opera *Alcuini*, evulgata ſunt. Eorum nonnulla, in quibus fit mentio vel ipſius *Alcuini* auctoris, vel *Caroli* Imp. cujus juſſu ſuſceptum eſt Opus, exſcribam:

Nomine Pandecten proprio vocitare memento
Hoc corpus ſacrum, Lector, in ore tuo.
Quod nunc à multis conſtat Bibliotheca dicta,
Nomine non proprio, ut lingua Pelaſga docet.
In hoc dicta Dei conduntur myſtica ſummi,
De quibus egregius Vates in ore canit.
Eſt mihi lex Domini dulcis ſuper omnia mella,
Carior atque auri millia multa ſuper.
Strenuus hanc Domini famulus cuſtodiet arcem,
Cui merces cæli perpes in arce manet.
Codicis illius quot ſint in corpore ſancto
Depictæ formis litterulæ variis:
Mercedes habeat, Chriſto donante, per ævum
Tot Carolus *Rex, qui ſcribere juſſit eum.*

Aliud

Pro me, quiſque legas verſus, orare memento
Alcuin *dicor ego. Tu ſine fine vale.*

In alio.

Hæc ego porto libens ad ſacra ſacraria Templi
Quod tua mens noviter condidit alma Deo.

In Epiſtola ad *Giſlam*, quæ præfigitur libro VI. Comment. in S. Joan. ſcribit *Alcuinus*, *occupaſſe ſe Domini Regis præceptum in emendatione Veteris Novique Teſtamenti*. Et extat Epiſtola, inter Epiſtolas ejus num. XX^mᵃ^, qua Exemplar ex Cœnobio ſuo *S. Martini* ad ipſum *Carolum* tranſmittit: *Quos in unius clariſſimi corporis ſanctitatem connexos, atque diligenter emendatos veſtræ clariſſimæ auctoritati dirigere curavi. &c. Correxiſſe* Alcuinum *divinam Hiſtoriam juſſu ipſius Regis* (Caroli) ſcribit *Sigebertus Gembl.* in Chron. ad an. DCCXC. Et in lib. de Script. Eccl. tradit idem, *juſſu Imperatoris correxiſſe* illum *divinam Bibliothecam.*

Ad hanc Alcuini correctionem alludit ipſe *Carolus* Imp. Præfatione in *Homiliarium Pauli Diaconi*, his verbis: *Curæ nobis eſt ut Eccleſiarum noſtrarum ad meliora ſemper proficiat ſtatus, obliteratam pene majorum noſtrorum deſidia reparare vigilanti ſtudio literarum ſatagimus officinam, & ad pernoſcenda ſacrorum librorum ſtudia noſtro etiam quos poſſumus invitamus exemplo. Inter quæ jampridem univerſos Veteris ac Novi Teſtamenti libros librariorum imperitia depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante, examuſſim correximus.*

5. Sicut CAROLO M. curæ fuit, ut utriuſque Teſtamenti volumina prodirent quam emendatiſſima opera ac ſtudio Viri *Hebraice* & *Græce* eruditi:

eruditi: sic ipse, & una cum illo totius Ecclesiæ Gallicanæ viri primarii, in Epistola ad *Hadrianum* I. Papam, contra Decreta *Concilii Nicæni* II. & imaginum venerationem anno 794. conscripta, objiciunt, quod in illo Concilio pro Imaginum cultu citetur tanquam ex S. Scriptura, *quod in nostris Codicibus qui ex Veritate Hebraica translati sunt, non inveniatur.*

6. Respondet quidem *Papa*, in Tractatu ad illum rescripto, à beato quoque *Ambrosio* & aliis quibusdam Patribus è Scriptura citari nonnulla, quæ in *Hebræo* non habeantur. Neque ille tamen Codices Hebraicos erroris arguit, sed *Heb. VERITATEM* sæpius appellat, & exinde id evenisse statuit quod *Scriptura divina comprehendi nequeat.* Verba ejus sic se habent: "Quod non ad adorationem Imaginum pertineat, nec in "nostris Codicibus, qui ex Heb. Veritate translati sunt, inveniatur, quod "illi in sua Synodo dicunt: *Jacob suscipiens à filiis suis vestem talarem ta-"befactam Joseph, osculatus est cum lacrymis, & propriis oculis imposuit.*

"S. Gregorii Theologi de sermone pacifico tertio, inter cætera: *Pax "amica, quæ ab omnibus quidem laudatur bonum, à paucis vero conservatum, "ubi aliquando reliquisti nos tantum jam tempus, & quando reverteris ad nos? "Et præsentem amplector, & recedentem invocabo multis lamentationibus & "lacrymis, quibus neque Jacob Joseph illum Patriarcham à fratribus ven-"ditum, à bestia autem raptum, ut sperabat: neque David Jonatham suum "amicum, aut filium Abessalon postmodum: quorum unus visceribus paternis "laceratus.* [a] *Fera rapuit, clamabat, Joseph, fera pessima & inmansueta: & "pueri carnes osculabatur, &c.* Unde & in multorum Patrum opusculis "de diversis historiis asserta leguntur. In libro enim 3. [b] S. Ambrosii "ad Gratianum Imp. ita inter cætera invenitur: *Neque ad præjudicium "trahas, quia non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel.* "Ecce & in nostris Codicibus, qui ex Veritate Heb. translati sunt, ne-"quaquam invenitur Uriel scriptum. Item in ejusdem S. Ambrosii li-"bro 2. [c] de Spir. S. inter cætera: *Esdra nos docuit, dicens in tertio libro.* "Similiter nec in nostris Codicibus, qui ex Heb. translati sunt, susceptus "est tertius liber Esdræ, nisi tantummodò duo. Sed & S. Gregorius "egregius Papa in Epist. [d] sua Theoctistæ Patriciæ missa, inter cætera, "inquit: *Quantæ autem virtutis præcursor nostri Redemptoris fuit novimus, "qui per sacrum eloquium non solum plus quam Propheta, sed etiam Angelus "vocatur: sed tamen, sicut mortis ejus historia testatur, post mortem à per-"secutoribus corpus ejus incensum est.* Et nos legimus in sancto Evange-"lio, corpus ejusdem S. Joannis Baptistæ à *discipulis suis sepultum esse:* "& B. Gregorius dicit per historiam, ejusdem S. Joannis Bapt. corpus "*incensum* esse. Et ideo, ut diximus, sanctorum dicta nequaquam re-"spuuntur, QUIA SACRAM TOTAM DIVINAM SCRIPTURAM QUIS "ALIQUANDO COMPREHENDERE VALEBIT?

[a] Rhetorice hæc dicta sunt a *Gregorio*, non tanquam ex Scriptura citata

[b] Cap. 1.

[c] Cap. 7.

[d] L. 9. Ep. 39.

CAP. IX.

Scriptores seculorum IX. & X. Eginhardus, Claudius Taurinensis, Agobardus, Sedulius Hybernus, Rabanus Maurus, Walafridus Strabus, Hincmarus, Ratramnus, Ado Viennensis, Remigius, Isidorus Mercator.

INITIO seculi IX. floruit ille (quisquis is fuerit) qui *Bedæ* libros *de sex ætatibus mundi*, & *de temporibus*, in quibus numeri Chronologici juxta Heb. subducti sunt, in compendium redegit, & ad an. 809. perduxit. Quod opusculum edidit, sub titulo *Abbreviationis Chronicæ*,

Lambecius Comment. de Biblioth. Vindebon. lib. 2. cap. 5. & *Eginhardo*, Carolo M. à secretis, conjecturis quibusdam ductus adscribit.

2. *Chronologiam brevem juxta* Hebraicam *sacrorum Codicum Veritatem*, scripsit CLAUDIUS TAURINENSIS, qui ad Ecclesiæ illius Præsulatum promotus est circa an. 821. Eam in lucem protulit *Phil. Labbeus Biblioth. Novæ MSS. Tomo* I. & indiciis satis probabilibus ostendit *Claudii* esse, licet nomine Auctoris destitutam. *Si quis forte* (inquit Auctor) *minus Scripturarum divinarum studiis eruditus, de hoc opere dubitare temptaverit, redeat ad Divinos secundum Hebraicam Veritatem scriptos libros, & quicquid ibidem invenerit, hoc teneat & credat, meque damnare desistat. Neque enim Christianis fas est talem dare auctoritatem hominum Chronicis, qualis danda est illis libris, qui Spiritus S. sunt auctoritate per Prophetas scripti. Et si cujus forte in hac re obstinata mentis perdurat intentio, eat ad Judæos, Ecclesiæ inimicos, & in eorum Codicibus Hebræa lingua scriptis annorum summam requirat, & quicquid ibidem invenerit, hoc credat & teneat, quia, ut ait B. Augustinus, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.*

3. AGOBARDUS, Archiepiscopus Lugdunensis, qui eisdem temporibus claruit, *in disputando utitur divinorum librorum testimoniis, ex veteri sacrorum translatione, interdum & Hieronymi*, ut testatur opusculorum ejus editor *Papirius Massonus* in Præfatione, monens se *id idcirco monere voluisse, ne quis intempestive turbaretur, neve existimaret aliquid à se vel additum vel mutatum.* Mihi sane omnino secus videtur. Conferenti namque permulta ex variis ejus opusculis, vix unus occurrebat locus ex translatione Veteri desumptus, nisi ubi citentur translationes ambæ. Et in ipsis *Psalmis* Hebraica Hieronymi interpretatione interdum utitur. De LXX. tamen Interpretum Editione honorifice loquitur. In libello *de Judaicis superstitionibus*, hæc habet: *odiendos illos demonstrat Scriptura, quæ dicit, juxta Hebraicam viz. VERITATEM, &c.* Ibid. *Moses prædixerat verbis dicens: Maledictus eris in civitate &c. Quod alia translatio* (i. e. LXX.) *sic dicit &c.* Epist. ad Cler. & Mon. Lugdun. citato è *Psalmis* loco: *Hæc juxta Hebraicum, antiquior autem translatio sic ait, &c.* Ibid. *De hac & Psalmista, cum beatum diceret eum, qui non respexit in vanitates &c. vel sicut in Hebraico legitur &c.* Libro contra vulgi opinionem de Grandine & Tonitruis: *Nam hoc in verbis Jobi apparet, quibus ait; Idcirco ipse me reprehendo, &c. Quod alia translatio* (i. e. LXX.) *apertius declarat dicens &c.* Ad Episcopum Bartholomæum: *Non multum distent à vesicis turgentibus, vel sicut alia Editio* (i. e. LXX.) *dicit, &c.* In Sermone de Trinitate: *De cujus potentia & in Psalmo, secundum Hebraicam tamen translationem, dicitur &c.* Ad Episcopum Bernardum; *Sicut 22. litteræ apud Hebræos, & 22. libri divinæ auctoritatis in Veteri Test.* Ad Fredegisum Abbatem: *Ista inconcussa & firma auctoritas illorum auctorum est, per quos Spiritus S. Novi & Vet. Test. Volumina confecit, de quibus nulli unquam homini licuit aut licet cogitare, vel unam litteram aliter eos dicere debuisse, quam dixerunt, quoniam eorum auctoritas firmior est cælo ac terra, secundum quod Dominus ait*: Facilius est cœlum & terram &c. *Post hoc quoque FIRMA AUCTORITAS est* LXX. *Interpretum, quos constat ante adventum Domini de Hebraico in Græcum eloquium V. T. transtulisse. Interpretis quoque NOSTRI Hieronymi Presbyteri FIDELIS EST EDITIO, quæ de Heb. in Lat. MAGNIFICE transtulit. Fuerunt præterea aliqui venerandi & Catholici Interpretes Latini qui* LXX. *Editionem in Latinum transtulerunt eloquium. Extra hos itaque multi fuerunt Interpretes reprehensibiles, & juste reprehensi; sicut illi famosissimi Interpretes Judaizantes & hæretici, Aquila scil. & Theodosion ac Symmachus, ex quibus unus fecit duas editiones inter se dissonantes. Fuerunt*

etiam

etiam Latini aliqui, quos Hieronymus Presbyter reprehendit, in illis utique Præfationibus, quas præposuit libris, quos de Græco in Lat. aut transtulit aut emendavit; ficut in illa Præfatione quam juxta Græcam emendationem in libro beati Job fecit, asserens quod idem liber apud Latinos ita erat decurtatus, corrosusque, ut fœditatem suam publice legentibus [1] *ostenderet. Sicut etiam in aliis locis quosdam reprehendit Interpretes. Hæc de Interpretibus idcirco ita dicimus, quia magistri speciales, non omnes æqualiter receperunt, aut indifferenter laudaverunt, ficut* vos *facere videmini, neque omnibus æqualiter fidem adhibuerunt.*

4. Sedulius Scotus five Hibernus, qui an. 818. claruisse dicitur, Com. in Galat. II. 5. Latinorum lectionem rejicit, & sequitur Græcam. *Quibus ad horam cessimus*] *Qui nec Titum circumcidimus. Male in Latinis Codicibus legitur, Quibus ad horam cessimus.*

5. Rabanus Maurus, Archiep. *Moguntinus*, Alcuini auditor, qui ab initio seculi IX. inclarescere cœpit, & ætate provectiori ad Sedem illam promotus est an. 847. *de Institut. Clericorum* II. 54. miraculum LXX. Cellularum & Interpretum inspirationis divinæ, literis mandavit. Ibidem tamen ait, *Isidori* Hisp. verbis, sed tacito illius nomine, *Hieronymi editione generaliter omnes Ecclesias usquequaque uti, pro eo quod* veracior *sit in sententiis, & clarior in verbis.* In Commentariis multa habet de discrepantiis Codicum Hebræorum ab antiqua translatione, eosque huic nusquam non anteponit, sed *Hieronymi* frequentius Commentaria verbatim exscribendo. In Genes. 2. hæc habet: *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum*] *Subauditur, ea quæ locutus est Dominus. Superfluum est ergo, quod in Samaritanorum & in NOSTRO Volumine reperitur: Transeamus in campum.* Sed per *nostrum* Volumen intelligitur LXXvirale: sunt verba enim non *Rabani*, sed *Hieronymi Quæst. Heb. in Gen.* cujus nomen in margine apponendum fuit, sed perperam omittitur, ut in aliis multis locis. Ad Genes. IX. *Nostra Editio, quæ de Hebraicæ Veritatis fonte descendit.*

6. Walafridus Strabus, Cœnobii S. Galli Decanus, tandem Abbas *Augiæ majoris*, *Rabani* discipulus, in Præfatione *Glossæ Ordinariæ* (si modo illius ea sit) *Notandum quod translatores & interpretes Bibliæ multi fuerunt: quia ficut dicit Magister in historiis ante incarn. Domini annis* CCCXLI. *temporibus Ptol. Philadelphi R. Ægypti* LXX. *Interpretes floruerunt. — Qui venientes ad Regem Pentateuchum & Prophetas coram Rege disputaverunt de uno Deo colendo; & quod nulla creatura esset Deus. Inde est, quod ubicunque occurrebat eis in transferendo de Trinitate, vel sub silentio præteribant, vel sub ænigmate transtulerunt, ne tres Deos colendos tradidisse viderentur. Similiter de incarnatione Verbi facientes. Unde translatio* LXXII. *quandoque superflua, quandoque diminuta. — Quæ translationes, scil. Quinta, Sexta, & Septima, licet, ut ait Hieronymus, quibus censeatur auctoribus ignoretur, tamen ita probabilem sui diversitatem tenent, ut auctoritatem sine nominibus tenuerint. — Novissime superveniens B. Hieronymus, peritus in tribus linguis Heb. Græca & Lat. primo correxit translationem* LXXII. *Interpretum in Latino cum asteriscis & obelis. Postea vero transtulit immediate Bibliam de Heb. in Lat. sine asteriscis & obelis. Et hac translatione nunc ubique utitur tota Romana Ecclesia: licet non in omnibus libris* (excepto nempe Psalterio) *& ipsius translatio merito cæteris antefertur, quia est verborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior. — Nota quod ubicunque in libris Veteris T. mendositas reperitur: currendum est ad volumina Hebræorum; quia Vetus T. primo in lingua Heb. scriptum est. Si vero in libris Novi T. revertendum est ad volumina Græcorum; quia Novum*

1 Perperam existimavit *Agobardus* istam aliam fuisse à Latina illorum temporum vulgata: de Versione enim sui temporis vulgata & in Ecclesiis recepta loquitur *Hieronymus.*

Test. primo in lingua Græca scriptum est, præter Evangelium Matthæi, & Epistolam Pauli ad Hebræos.

7. Aliûs cujusdam antiquioris Præfatio in *Jeremiam*, reperitur in voluminibus Bibliorum cum *Glossa Ordin.* & *Lyrani* Expositione editorum. Quæ sic se habet: *Hæc interpretatio Hieronymi est. Si quid in ea noverit, secundum Hebræos codices exploretur. Alia est* LXX. *Interpretum Ecclesiis usitata. Quæ quamvis nonnulla habeat quam in Hebræis codicibus inveniuntur, tamen utraque, id est, secundum* LXX. *& secundum Hebræam, Apostolica auctoritate firmata est, non errore, neque reprehensione superiori, sed certo consilio* LXX. *nonnulla aliter dixisse vel contexuisse intelliguntur. Quod ideo præmonemus, ne quisquam alteram ex altera velit emendare. Quod singulorum in suo genere veritas observanda est.*

8. Hincmarus Archiep. *Remensis*, qui ad Sedem illam evectus est an. 845. Editionem *vulgatam* passim sequitur: uno tamen in loco ex LXX. testimonium profert. Exinde enim desumpta sunt ista, apud librum *De Divortio HLotharii & Tetbergæ*; *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti.* Gen. iv. Cæterum textum istum irrepsisse in Exemplar Versionis *Vulgatæ*, quo usus est *Hincmarus* credibile est. De S. Hieronymo hæc habet lib. de Prædest. *Et sanctus Hieronymus, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ linguæ peritissimus, qui ut dicitur nucem juxta nucleum frangens, medullas & ipsa viscera Scripturæ sanctæ investigando, Domino inspirante penetrare promeruit.*

9. Ratramnus, aliis *Bertramus*, Abbas *Corbeiensis*, *Hincmaro* prorsus æqualis, in libro *De Nativ. Christi* cap. x. in *Hieronymi* laudem sic scribit: *Hieronymus sacræ Legis Interpres, omnium peritissimus disciplinarum, fidei turris inconcussa, Sapientiæ lampade splendidissimus, eloquio facundissimus, Latini, Græci, Hebræique sermonis doctissimus.*

10. Ado, Archiepiscopus in Gallia *Viennensis*, qui Chronicon perduxit ad an. 874. sequenteque obiit, *Hebraicos* calculos non obscure præfert, quamvis etiam LXX*virales* commemorare solet. De annis *Mathusalæ*, qui juxta LXX. protenduntur ultra Diluvium, hæc habet: *Mathusalem annorum* 187. *genuit Lamech, cui supervixit annos* 782. *i. e. usque ad Diluvium.* LXX. *ante natum Lamech* 167. *annos ponunt*: *postea*, 802. *qui numerus, ut lector facillime videbit, juxta Heb. VERITATEM* 20. *annis*: *juxta vero* LXX. *auctoritatem*, 14. *annis tempora Diluvii transiit. Et quomodo verum est, quod* 8. *tantum animæ in archa salvæ factæ sunt? Sed in Hebræorum & Samaritanorum libris ita scriptum reperitur. Et vixit Mathusala &c. — His adde* 600. *annos Noe*: *atque ita fit ut* 969. *anno vitæ suæ Mathusala mortuus sit, eo anno, quo cœpit esse Diluvium.* Paulo post de generatione Lamech: *In hac sola generatione summa universitatis discrepat, quia* 34. *annis plus vixisse Lamech in Hebræis quam in* LXX. *Translatorum Codicibus invenitur: & quia hoc potuit accidere errore scriptoris, potius ei linguæ creditur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Translationem Hieronymi *Hebraicam translationem* appellat; LXXviralem, *VULGATAM editionem. Hactenus secunda seculi ætas protenditur: fiuntque anni à Diluvio usque ad Abraham* 1072. *secundum* vulgatam *editionem, i. e.* LXX. *Interpretum*: *secundum vero Hebræorum codices, longe pauciores inveniuntur, i. e.* 292. Sed credo illum hæc transcripsisse ex aliquo antiquiore (*S. Augustino*, fortasse) cujus revera tempore LXXviralis vulgata erat.

11. Remigius, Antissiodorensis Episcopus, qui obiit circa an. 900. *Psalmi* xxi. Inscriptionem edisserit non solum secundum LXX. Interpretum editionem, sed & juxta Hebraicam. *In Hebræo*, Pro cerva matutina, *quidem idem valet ad similitudinem*; *quia sicut cerva summo diluculo ex ipsa luce gratulatur &c.* In Psal. 58. ait LXX. Interpretes ab Hieronymo

Hieronymo jure emendatos fuisse, & ad ipsos *Judæos* recurrere solitam fuisse Ecclesiam de sensu vocum Hebraicarum: hos quoque verarum Scripturarum custodes esse. *Multæ sunt causæ pro quibus Judæi non sunt statim de terra deleti. Ad custodiendam domum ejus, i. e. sepulchrum. Nullum poterunt habere refugium, quin convicti eum resurrexisse confiteantur. Prophetias & libros Veteris Legis, aut non haberemus ex toto, vel si haberemus, correcti non essent. Cum B. Hieronymus secundum Heb. Veritatem fere omnia scripta* LXX. *Interpretum correxisset, & nos etiam adhuc, si dubitamus in aliqua litera, ad eos recurrimus.* Ad textum illum Sophoniæ cap. 1. *Et visitabo omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa:* sic commentatur: *Id est, qui quodam fastu & dignitatis supercilio, gradus sive limen templi conscendunt. In* Heb. Veritate *sonat: Qui transiliunt limen. Illi enim non calcant, sed transiliunt, qui complent domos suas his quæ iniquitate parta sunt.*

12. De ÆTHELSTANO Anglorum Rege, qui claruit anno 930. sic scribit [a] *Balæus: Scripturas divinas, teste Malmesburio, verti fecit in Anglo-saxonicum idioma ex purissimis Hebræorum fontibus per quosdam Hebræos ad Christianismum (ut credere par est) in suo regno conversos.* Quo opere hoc testatum reliquerit *Malmesburius*, nescimus. Hoc unum scimus, in nullo illius, quod nunc extat excusum, scripto tale quid reperiri. Suspicatur [b] *Usserius* reperiri in libro 5. *De Pontificibus*, qui ipsius tempore nondum erat typis evulgatus: at vero nec ibi istiusmodi aliquid referri, nobis constat.

[a] Cent. Script. Brit. 2. c. 27.

[b] De Script. Vernaculis.

13. Circa medium hoc seculum Epistolas Pontificum veterum Rom. *Decretales* supposititias edidit *Isidorus Mercator* ille, sive alius quispiam illius nomine. Is in illis Epistolis quas affingit Pontificibus ante Hieronymi ætatem defunctis, *Hieronymi* ex Hebræo Versione, vel passim, vel fere passim, utitur, corruptis tamen sæpiuscule locis, ne exinde impostura nimis fieret manifesta: & doctiss. *Blondello* videtur nullam aliam Versionem præter *Hieronymianam* ei ad manum fuisse. In libro etiam *Psalmorum*, neglecta Versione Vulgata, nescio qua oscitantia, ex Hieronymiana ad Hebr. Veritatem exacta testimonia sæpius deprompsit; v. g. in Epist. 1ª *Anacleti*, 2ª *Pontiani*, 2ª *Stephani*, 2ª *Marcelli*, 1ª *Eusebii*, in illis etiam quæ *Telesphoro Lucioque* adscribuntur. Statuit *Turrianus*, qui Epistolas illas defendit, *non alia causa factum fuisse, ut in plerisque testimoniis veteris Scripturæ posita sit Hieronymi interpretatio, nisi quia cum primum hæ Epistolæ, ut à nullis ignorarentur, ad Ecclesiæ usum vulgatæ sunt; jam Hieronymi interpretatio in manibus omnium erat, & æque fere ut illa Vetus interpretatio* LXX. *trita, idcirco* (inquit) *visum est tunc prudenter & utiliter fieri, si utraque interpretatio ex parte adhiberetur, ita ut quibusdam locis interpretatio* LXX. *propter antiquitatem suam relinqueretur, & in multis interpretatio Hieronymi in locum interpretationis* LXX. *succederet: & in aliis non paucis interpretatio ex utraque harum temperata & mixta esset.* Et ut hoc credibilius sit, addit: *Cum esset Cyprianus Romæ imprimendus, fuisse qui judicarent, tunc in testimoniis Veteris Scripturæ, quæ sunt* (fere) *omnia apud illum ex interpretatione* LXX. *pro interpretatione* LXX. *interpretationem Hieronymi substitui debere.* Sed si hac de causa Hieronymi Versione usus est Editor, quare etiam in *Psalmis*, quorum Versio ex Hebræo *Hieronymiana* pene ignota fuit, ex ea testimonia profert? Adi his de rebus *Blondellum* Prolegom. *Pseudo-Isidori* cap. IX. & XIII.

CAP.

CAP. X.

Scriptores sec. XI. & XII. Marianus Scotus, Lanfrancus & Anselmus *Archiepiscopi Cant.* Sigebertus *Gemblacensis*, Hugo de S. Victore, Nicolaus *Card.* Stephanus *Cistercii Abbas*, Jus Canonicum, Radulphus Niger, Innocentius III. P. *De vetustis* Correctoriis. §. 10. *Biblia correcta à* Lanfranco, Nicolao *Card.* & Stephano *Abbate*.

AUCTOR libri *De Divinis Officiis*, qui vulgo nomen fert *Alcuini*, sed scriptus est post annum 1000. in ipso principio ait, *Christum natum fuisse anno juxta Heb. VERITATEM à conditione mundi* 3952. *secundum alios vero, an.* 5199.

2. MARIANUS SCOTUS in Chronico quod scrpsit an. 1083. computationem annorum ad Diluvium juxta textum *Heb.* instituit: & de annis Mathusalæ hæc habet: *Mathusala annorum* 187. *genuit Lamech, & postea vixit* 782. *annis, i. e. usque ad Diluvium.* LXX. *autem ante Lamech* 167. *& postea* 802. *annis, i. e.* 14. *annis post Diluvium. Quod nonnulli cum patre suo Enoch qui translatus fuerat, aliquantulum fuisse, donec Diluvium præteriret, falsa opinione existimant. —— Sed hic error est, Anno* 949. *vitæ ejus, quo cœpit Diluvium, obiit Mathusala.* Alibi: *Quod vero Hebraicæ Veritatis potius auctoritatem quam* LXX. *Interpretum credamus &c.* Paulo post ex Beda: *Translatio autem* LXX. *Interpretum, aut minus sollicite primo edita est (ut multi adstruunt) vel postea à Gentilibus corrupta, (ut B. Augustino videtur) seu certe ex utrisque commixto opere Codicibus, ut sibi visum fuerit, temporum cursum notaverit. &c.* Post Diluvium vero juxta LXX. *Cainanem juniorem* interserit ex auctoritate *B. Lucæ*, qui (ut inquit) *Spiritu S. inspiratus, eorum translationem in hoc loco consequutus est.*

3. LANFRANCUM Archiepiscopum Cant. prius Monachum & Priorem Beccensem, deinde Abbatem Cadomensem, Scripturis corrigendis operam dedisse, testatur scriptor vetustus illius Vitæ, & ex eo (etsi non nominato) *Robertus de Monte, Accessionibus ad Sigebertum* ad an. MLXXXIX. *Lectioni assiduus & ante Episcopatum & in Episcopatu quantum poterat; & quia Scripturæ, scriptorum vitio, erant nimium corruptæ, omnes tam veteris quam Novi Testamenti libros; necnon etiam scripta sanctorum Patrum, secundum orthodoxam fidem studuit corrigere; & etiam multa de his, quibus utimur die ac nocte in servitio Ecclesiæ, ad unguem emendavit; & hoc non tantum per se, sed etiam per discipulos suos fecit. Qua de causa merito illum Latinitas cum honore, & amore veneratur Magistrum. Hujus emendationis claritate, omnis occidui orbis Ecclesia, tam Gallicana, quam Anglica gaudet se esse illuminatam.*

4. ANSELMUS, Archiep. Cantuariensis, qui *Lanfranco* succesit 1093. agnoscit textum Heb. qui *Cainanem Juniorem* omittit, recte se habere juxta id quod *Moses* scriptum reliquit, sed à LXX. & *B. Luca* divina inspiratione additum fuisse *Cainanem* ut series à *Mose* instituta suppleretur, statuit. Enarrat. Evangelii Lucæ cap. 3. *Nemo autem fidelium putet hoc in loco* LXX. *translatores errasse, sed credat indubitanter, eos quod verum esse noverant posuisse, & quod MOSES minus dixerat supplesse. Neque enim Spiritus S. hoc in Evangelio posuisset, nisi verum omnino esset. Nam ipsi* LXX. *Seniores à tempore Moysi magisterium in Synagoga tenebant & de Spiritu Moysi acceperant, ac Legem ex ipsius Moysi traditione didicerant, ideoque si quid ibi prætermissum esset, & suppleri posset, ut aliter interpretari noverant. Moyses vero propter aliquam causam, quæ Deo nota est, transiliit generationem Cainan, & partem annorum, qui ab eo & sub ejus parte fluxerunt.*

5. *Anselmum*

5. *Anselmum, Bernardum, Rupertum, Ricardum de S. Victore*, & *Petrum Lombardum*, ejusdem seculi scriptores, ut etiam recentiores, *Bonaventuram* & *Tho. Aquinatem* seculo 13. ex Veteri Versione loca quædam citare, observat *E. Du Pin* de Can. V. T. cap. 7. §. 2.

6. SIGEBERTUM Monachum *Gemblacensem*, qui obiit an. 1113. Textus Heb. auctoritatem coluisse, conspicuum est ex illis quæ in Capite præcedente posuimus ex ejus *Chronico*, ubi dicit *prævaluisse auctoritatem Heb. Veritatis, postquam patuit quantum ab ea discrepent* LXX. *Interpretes*.

7. HUGO DE S. VICTORE, Abbas Cœnobii *S. Victoris* Parisiensis, qui claruit an. 1120. *De Scripturis* cap. 9. ait *Hieronymi* Versionem suo tempore ab Ecclesia receptam fuisse, quia cum *Hebræo* magis conveniebat, & de corruptione editionis etiam *Hieronymianæ* conqueritur: *Ptol. Philadelphus per* LXX. *Intt. quos ab Eleazaro Pont. acceperat, bibliothecam Veteris T. in Græcam linguam ex Heb. interpretari fecit. Et* (*ut aiunt quidam*) *ne posset decipi ab eis falsitate translationis, divisit eos, ut singuli in singulis cellis separati essent. Illi vero ita omnia per Spiritum S. interpretati sunt, ut nihil in unius Codice inventum esset quod in alterius similiter non inveniretur. Propter quod una est eorum interpretatio. Sed Hieronymus dicit huic rei non esse adhibendam fidem. Post ascensionem Domini prædicantibus Apostolis Evangelium, hæc eadem translatio in gentibus reperta est: & secundum hanc ab Ecclesiis Christi primum sacræ Scripturæ legi cœperunt. Postea vero quia eidem translationi quædam deesse probata sunt, quæ in Heb. Veritate tam ipsius Christi quam Apostolorum prædicantium authoritas contineri promulgaverat, conati sunt & alii sacram Scripturam de Heb. lingua in Græcum transferre sermonem. Secundam igitur & tertiam & quartam translationem fecerunt Aquila, Symmachus, Theodotion. Quorum primus viz. Aquila, Judæus: Symmachus vero & Theodotion Hebionitæ hæretici fuerunt. Obtinuit tamen usus ut post* LXX. *Interpretes Ecclesia Græcorum eorum reciperent exemplaria & legerent. Post hæc accessit Quinta quæ Vulgaris dicitur: quæ quodam tempore in Hierico reperta est. Sed quis author ejus fuerit usque hodie ignoratur. Sextam & Septimam Origenes fecit: cujus Codices Eusebius & Pamphilus vulgaverunt. Octavo loco Hieronymus accessit: non jam de Hebræo in Græcum, sicut priores, sed de Heb. in Latinum transferens sermonem. Cujus translatio* quia Heb. Veritati concordare magis probata est, *IDCIRCO Ecclesia Christi per universam Latinitatem præ cæteris omnibus translationibus quas* vitiosa *interpretatio, sive prima de Heb. in Græcum, sive secunda de Græco in Latinum facta, corruperat; hanc solam legendam & in authoritate habendam constituit. Usu autem pravo invalescente; qui nonnunquam solita magis quam vera appetit, factum est ut diversas diversis sequentibus translationes ita tandem omnia confusa sint, ut pæne nunc quid cui tribuendum sit ignoretur.*

8. An. 1150. NICOLAUS S. Damasi Diaconus Cardinalis, Hebraice peritissimus, & Bibliothecæ Vaticanæ, uti ait *Bessarion*, suffraganeus, de S. Scripturæ emendatione ad Petrum S. Petri Canonicum scripsit, cujus verba hæc profert *Bessarion* Commentario in illud, *Si eum volo manere &c. Lustrans*, inquit, *armaria nequibam hoc adipisci, veracia scilicet exemplaria invenire, quia & quæ à doctissimis viris dicebantur correcta, unoquoque in suo sensu abundante, adeo discrepabant, ut pene quot Codices, tot exemplaria reperirem, usque adeo etiam millesimo fere post interpretationem Hieronymi anno, codices sacræ Script. mendosi atque corrupti erant, & ita inter se discrepantes.* Subdit se nonnulla comperisse, de Hebræo abesse, quæ tamen in omnibus Lat. codicibus pariformiter reperiantur, ut illud, inter alia, Gen. 4. *Exeamus in agrum*; hoc sui vero fuisse studii quoad potuit, superflua resecare, transformata reformare, & ea addere rursus, quæ à præsumtoribus tanquam superflua fuerant amputata.

9. Eodem circiter tempore, nempe circa medium seculi XII. STEPHANUS, Cistercii Abbas tertius (institutus est iste Ordo Cisterciensis an. 1098.) Exemplar Bibliorum emendavit, ad cujus normam omnia ejusdem Ordinis Biblia corrigi præceptum erat. Quod idem Exemplar primarium hodienum extat. Meminit illius *Mabillonius* in Præmonitione de *S. Bernardi* Tract. *de cantu seu Correct. Antiphonarii.*

10. Hujusmodi *Correctoria Bibliorum* his circiter temporibus confecta, in Bibliothecis nonnullis inveniuntur. *Sorbonensi* usus est *Rob. Stephanus. Correctoria quædam* citat [a] *Nic. Zegerus.* [b] *Lindanus* testatur se vidisse pervetustum in *Carthusia Zeelhemensi* juxta *Diesthemium* sita, quod Biblia ad Codices *Caroli Magni* perdiligenter castigatos notabat emendenda, locis ut non paucis, ita minime quoque pœnitendis.

[a] Castig. N. T. [b] De opt. gen. interp. l. 3.

In Bibliotheca *Bodleiana*, & *Cantabrigiæ* in Bibl. Collegii *S. Benedicti*, servatur liber cui tit. *Correctorium secundum ordinem Bibliæ*: At, ne quis erret, longe aliud est istud opusculum. Tractat enim duntaxat de ratione accentuum in vocibus quibusdam clero istorum temporum pene illiterato difficilioribus, & in Codice *Cantab.* manu longe recentiore adscribitur *Alexandro Neckam*, quem *Correctiones Biblicas* scripsisse, commemorat *Balæus.* Librorum *Correctorum* meminit passim *Lyranus*, sed tanquam diversorum ab illo exemplari in quod ipse commentabatur; & ex eo apparet codices illos correctos fuisse ad Heb. Veritatem: In Is. VI. *Non est in Heb. nec in libris correctis.* Ibid. cap. 26. 27. 50. 66. *sic est in Heb. & in libris cor.* In Jer. 3. *In aliquibus libris non est de textu, quia non est in Heb. nec in libris cor.* In Ezech. 41. *Hebræi & libri bene correcti habent.*

11. Ab ipso JURE CANONICO, quod *Gratianus* Monachus compilavit an. 1151. *Hebraici* textus Instrumenti Veteris; & *Græci*, Novi; stabilitur auctoritas. Decreti part. 1. Dist. 9. cap. 6. *Ut Veterum librorum fides, de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum Græci sermonis normam desiderat.* Quæ verba desumpta sunt ex *Hieronymi* ad *Lucinium* Beticum Epistola num. 28. *Inscriptio Capitis sic se habet: Libris veterum Hebræa volumina, novis Græca auctoritatem impendunt.* Observat [c] *Jac. Latomus Panormitanum* negare, opus hoc vel à Papa, vel à Synodo generali comprobatum. Attamen, certe publico Scholarum ac totius orbis usu receptum est: atque huic ab aliis Theologis tantum tribuitur, ut cum adornaret *Erasmus* editionem Hieronymi, serio monerent, [d] ne quid rejiceret aut mutaret in hujus libris, quod esset à *Gratiano* citatum.

[c] Dial. 1. [d] Eras. Apolog. in Dial. Jac. Latomi.

12. RADULPHUS NIGER, Monachus *Flaviacensis*, (is vixit an. 1157.) ubi ab Hebræo discrepant LXX. id totum Interpretibus tribuit, sed eos tamen divino spiritu ductos existimat. Com. in Levit. III. 8. *Sciendum vero, quod ubi Hebraica Veritas, quam nostra translatio sequitur* duos siclos *ponit*: LXX. *transtulerunt*; qui emi possit 50. siclis argenti siclo sanctuarii. *Spiritu enim Prophetico (ut credimus) interpretantes, multa in verbis mysticis, ad placitum suum mutaverunt, ubi tamen spiritualis sensus idem est; hinc maxime Legis intentionem ostendentes, eamque figurative loqui insinuantes, quod Legem interpretantes, quasi alia à Lege proferunt, eadem tamen quæ Lex, aliis figuris exprimunt. Ad Gentes namque Legem transferentes, non illum cæremoniarum ritum, cui tunc temporis Judæi serviebant, illis tradunt: nimirum quos si prophetæ fuerunt ab eodem in fine temporum, cum ad fidem venissent, revelandas prospiciebant: sed quod earundem cæremoniarum velamine tegebatur, nunc eisdem, nunc aliis verbis eis insinuant.*

13. INNOCENTIUS III. Papa, qui thronum Pontificalem ascendit an. 1198. in Textu *Pœnitentialium Psalmorum*, in quos commentatur, *Vulgatæ Latinæ* i. e. LXXvirali Versioni non adhæret, quamvis eam ab *Ecclesia Rom. teneri* asserat, sed in Versione quoque *Hebraica* mysteria

quædam

quædam peculiaria explorat. Ad Psal. 1. *Psalmus iste secundum translationem, quam Romana tenet Ecclesia, continet 9. versus, per quos pœnitens gradatim ascendit ad 9. ordines Angelorum. — Quamvis & numerus 10. versuum, quos juxta aliam translationem habere dignoscitur, bene congruat rationi, quoniam homo qui cecidit per offensam, resurgit per pœnitentiam, ut per eum ordo decimus restauretur.* Ad Psal. 2. *Psalmus iste secundum translationem nostram 13. habet versus, qui ad Trinitatis mysterium & Legis decalogum referuntur, fidem & operationem ad beatitudinem necessarias exprimentes. — Porro, secundum aliam translationem 14. versus habet, Legem & Evangelium designantes, propter 10. Legis mandata, & 4. Evangelia, ut ostendatur quod intellectus quem habet David, id est, pœnitens in hoc Psalmo, & Evangelio consonat, & Legi concordat.* Ibid. *Nec est in ore ejus dolus*] *— Alia translatio habet, In spiritu, i. e. in corde ejus dolus non est. Quoniam est dolus in corde, dolus in ore, & dolus in opere. — Omnes tamen ex corde procedunt: Unde ad removendum omnes dicit, quod non est in spiritu ejus dolus.* In Psal. 5. *Quia venit tempus miserendi ejus*] *— Et secundum aliam translationem repetit, Quia venit tempus. Hæc repetitio confirmationem designat. &c.*

CAP. XI.

Scriptores sec. XIII. & XIV. Robertus Grosthead *Episc. Lincoln.* Rog. Baconus, *cujus proferuntur fragmenta quædam insignia è Cod. MS.* Hugo Carensis *Card.* Thomas Aquinas, Raymundus Martini, Porchetus, Nic. Lyranus, Ricardus Buriensis, Gul Brito, Ricardus Armachanus, Henricus de Hassia, Glossator Decreti. *De Exemplari Parisiensi.* §. 3.

ROB. GROSTHEAD, Episc. *Lincolniensis* ab an. 1235. ad 1253. Vir, ut ea ferebant tempora, in re literaria percelebris, Versionibus Lat. non contentus, linguarum Græcæ & Heb. se instruxit præsidiis. Capitulum illud Symboli de Christi ad inferos descensu è textu Psalmorum *Hebræo* sic reddito, *& vita mea ad Infernum descendit*, propugnavit, velut in opusculo super *Psalterium* sua manu exarato, & in *Franciscanorum* Bibliotheca *Oxonii* reposito, videre olim erat. Eum multa de *Glossis Hebræorum extraxisse* testatur *Joannes Tinmuthensis* in Hist. MS. lib. 22. c. 210. a Antiq. Oxon. an. 1457.

2. Earundem linguarum scientia se exornavit, qui eodem tempore floruit, obiitque an. 1284. æt. circiter 78. ROGERUS BACONUS, ipse iridem noster, sui seculi stupor. Scripsit is de Grammaticis linguæ *Græcæ* rudimentis, & quanto ei in pretio habebantur Scripturæ veteres *Hebraicæ*, novæque *Græcæ*, intelliget Lector ex insigni hoc fragmento de linguarum studii necessitate, deque *Latinæ Vulg.* erroribus immanibusque corruptelis, quod daturi sumus ex scripto ad *Clementem P.* juxta Cod. MS. *Bodleianum*, *Digb.* 218.

'Cum ignorant linguas alienas, à quibus tota Philosophia sicut Theologia procedit, oportet eos ignorare philosophiam, sicut satis patet ex tractatu de linguis quem facio. Nam nec textum possunt intelligere nec concipere, nec expositiones auctorum scire, quia mixta sunt omnia Græco Hebræo & Arabico, propter hoc quod auctores & omnes sapientes antiqui studuerunt rationem linguarum. ——

'Quartum peccatum est quod præfertur una sententia Magistralis textui facultatis Theologicæ, scil. liber sententiarum. Nam ibi est tota gloria Theologorum. Qui facit onus unius equi. Et postquam illum legerit quis, jam præsumit se de magistro Theologiæ, quamvis

'non audiat tricesimam partem sui textus. Et bacularius qui legit textum succumbit lectori sententiarum Parisiis. Et ubique (*hic*) & in 'omnibus honoratur & præfertur. Nam ille qui legit sententias habet 'principalem horam legendi secundum suam voluntatem, habet & socium & cameram apud Religiosos. Sed qui legit Bibliam, caret his '& mendicat horam legendi, secundum quod placet lectori sententiarum. Alibi qui legit Sententias disputat, & pro Magistro habetur. 'Reliquus qui textum legit, non potest disputare, sicut fuit hoc anno 'Bononiæ & in multis aliis locis, quod est absurdum. Manifestum est 'igitur quod textus illius facultatis subjicitur uni sententiæ Magistrali. 'Sed pro hoc est statutum cujuslibet facultatis. Nam omnis alia facultas utitur textu suo, & legitur textus in Scholis, quia statuto textu 'statuuntur omnia quæ pertinent ad facultatem. — Sancti Doctores 'non usi sunt nisi hoc textu, neque sapientes antiqui, quorum aliquos 'vidimus, ut fuit Dominus *Robertus* Episcopus *Lincoln.* & frater *Adam* '*de Marisco*, & alii maximi viri. — *Alexander* (*de Hales*) fuit primus 'qui legit, & tunc legebatur aliquando, sicut liber Historiarum solebat legi & adhuc legitur rarissime. Et mirum est quod sic est exaltatus 'liber Sententiarum, quia liber Historiarum est magis proprius Theologiæ. Nam persequitur textum à principio usque ad finem, exponendo ipsum. Et liber Sententiarum non adhæret textui, sed vagatur 'extra textum per modum inquisitionis. Si igitur aliqua summa deberet præferri in studio Theologiæ, est liber Historiarum factus vel de 'novo fiendus: ut aliquis tractatus certus fieret de historia sacri textus, 'sicut fit in omni facultate. Item impossibile est quod textus Dei sciatur propter abusum libri Sententiarum. Nam quæstiones quæ quæri 'deberent in textu ad expositionem textus, sicut fit in omni facultate, 'sunt jam separatæ à textu. Et vocatur curiosus, qui in textu vult 'quæstiones licet necessarias & proprias Theologiæ disputare, nec audiretur nisi esset homo magnæ auctoritatis & potens, in quæstionibus 'propriis & utilibus & necessariis. Et ideo qui legunt textum non exponunt enim, quia non quærunt quæstiones proprias & necessarias textui intelligendo. Cum tamen omnes quæstiones utiles in omnibus 'Summis & Sententiis, & quæ sunt propriæ Theologiæ, possint certificari super textum, ut de operibus sex dierum, in principio Genesis; 'de Circumcisione, & comparitione Angelorum, in eodem libro; de 'Legibus in libris Moisi; de Moribus in libris Salamonis; de Sacramentis in Novo Test. de omnibus his in libris Regum, & Paralip. & 'Prophetis, & aliis, ita quod possent certificari suis locis, ut dulcius ex 'ipso fonte biberentur aquæ. Et idem fit in omni facultate. Sed non 'sic fit in Theologia, accidit infinitum impedimentum studii, ut patet 'diligentius consideranti.

'Quintum peccatum est majus omnibus prædictis. Nam textus est 'pro majori parte corruptus horribiliter in exemplari vulgato, hoc est '*Parisiensi*. Et ubi non habet corruptionem, habet tamen dubitationem tantam, quæ merito cadet in omnem sapientiam, sicut timor approbandus est quæ cadit in constantem virum. Et hæc dubitatio nascitur ex contentione correctorum, qui quot sunt lectores per mundum, tot sunt correctores, seu magis corruptores: quia quilibet præsumit mutare quod ignorat, quod non licet facere in libris Poetarum. 'Nam antiqua vocabula & sermones figurati non mutantur cum leguntur poetæ, non libri aliarum facultatum. Sed hic quilibet lector 'mutat secundum caput suum, sicut patet per ea quæ scripsi in opere 'quod mitto. Nunc volo exemplum proferre. Marci igitur Cap. V. 'non dicitur esse, *Qui me confessus fuerit.* Sed alia litera modernis

'homiliis

'homiliis propter ignorantiam antiquæ Grammaticæ. Nam debet ibi 'esse, *Qui me fuerit confusus*, quod est verbum deponens, habens significationem hujus verbi confundo, sicut zelo-zelor in eadem significatione, sic solebat esse de confundo & confundor: idem enim antiquitus significabat. Sed moderni non habent in usu. Et ideo abraserunt à sacro textu: *Qui me confusus fuerit*; & posuerunt, *Qui confessus fuerit me*. Sed quod pessima sit falsitas probo sine contradictione possibili. Nam antiquæ Bibliæ non glossatæ in tota Ecclesia 'Dei habent Mar. V. *Qui me confusus fuerit*: idem *qui me confundet*, 'quod est contrarium ejus quod est confiteri. Et Augustinus dicit contra Faustum, quod si est discordia in codicibus Latinis, recurrendum 'est ad antiquos & plures. Nam antiqui præponuntur novis, & plures 'paucis, sicut ibi dicit. Sed unum exemplar est *Parisiense*, & antiqua 'exemplaria secundum diversas provincias sunt infinita. Ergo exemplar *Parisiense* debet cedere antiquis, tum ratione suæ novitatis, tum 'ratione suæ singularitatis, quia in veritate singularis fere est quæ depravat veritatem totius scripturæ. Antiqui enim libri sunt in omni 'facultate veraciores, & in Theologia habet translationem illibatam 'quam recipit sacrosancta Romana Ecclesia, viz. per omnes Ecclesias, 'quæ est translatio Jeronymi, sicut Isidorus dicit in libro de Officiis. 'Demum aliud est documentum Augustini & omnium Doctorum de 'certificatione textus. Nam ipse libro memorato, & libro Doct. 'Christ. 22°, & alibi multipliciter, Jeronymus similiter ubique docet. 'Et omnes Doctores hoc fatentur, quod recurrendum est ad linguam 'de qua translatus est textus Latinorum, ut videatur veritas in radice. 'Sed Græcum in hoc loco non habet *confessionem*, sed verbum quod 'idem significat quod *confundere* & *erubescere*. Item tertia probatio est per 'Augustinum in lib. de concordia Evangelistarum. Nam utitur hoc textu, *Qui me confusus fuerit*, & illum exponit. Similiter idem Augustinus 'in libro contra Adversarium Legis & Prophetarum, & ad Amantium 'eadem litera utitur. Item Beda literatissimus in Grammatica & linguis 'utitur hac litera, *Qui me confusus fuerit*. Probatio vero sexta & ultima est certissima, & sola sufficit, & est per canones Evangeliorum. 'Sancti enim Doctores propter certitudinem Evangelicam à principio 'ordinaverunt 14. Canones, in Bo. concordant omnes in cæteris tres & 'duo secundum combinationes possibiles in ultimo unus reparat: qui 'habet quod alii non habent. Et hi Canones Bibliis antiquis ponuntur 'ante Evangelia, quas pro authenticis habent omnes sancti Doctores. 'Et per has correxerunt Evangelia. Sed in hoc loco tria Evangelia 'concordant sicut scribitur in illis Canonibus, sc. Marcus, Matthæus, & 'Lucas. Sed Lucas habet, *Qui me erubuerit*, quod est contrarium *confessioni*: Matthæus vero, *Qui me negaverit*; quod est contradictorium isti literæ, *Qui me confessus fuerit*. Quapropter damnari debet 'textus modernorum in loco & antiquitas revocari. Hoc igitur exemplum cum aliis quæ pono in tertia parte operis, & in quarta, ubi de 'Arithmetica sen de numeris agitur per compositionem ad scripturam 'sufficient modo, donec dignetur vestra Celsitudo requirere correctionem totius textus.... Nam in Ecclesia habetis vobis subjectos, qui 'habent in hac re plenum posse quamvis gravissima (sint) propter multitudinem & immensitatem falsitatis. Nam circa 40. annos sunt multi 'Theologi infiniti & stationarii Parisiis.... qui cum illiterati fuerint & 'uxorati, non curantes, non scientes cogitare de veritate textus sacri 'proposuerunt exemplaria vitiosa. & scriptores infiniti addiderunt ad 'corruptionem multas mutationes. Deinde novi Theologi non habuerunt posse examinandi exemplaria. Et crediderunt stationariis à principio.

'cipio. Sed postea consideraverunt errores, & defectus, & superflua ibi 'multa esse: unde iterum proponunt immutare & maxime duo ordines, '& jam inceperunt corrigere. Et quia caput non habeunt quilibet 'correxit sicut voluit usque in hodiernum diem. Et cum habent sen'sus diversos, accidit tanta diversitas in textu quod non est finis. Sed 'Jeronymus dicit ad Damasum, in hoc casu, Ubi est diversitas, non 'est veritas nota. Item quia non sequuntur antiquas Biblias, & quia 'ignorant Græcum & Hebræum . . . . . de linguis his habet vocabula 'infinita. Item Grammatica Prisciani in majori volumine maxime va'let ad correctionem textus. Sed Theologi non utuntur ea nec adver'tunt quod qui sunt artistæ negligunt librum illum propter magnitu'dinem contempti & adhærent libro Conclusionum. Et ideo qui volunt 'corrigere textum mutant antiquam Grammaticam quam optime scivit 'Jeronymus qui transtulit, eo quod Donatus magnus, & major Priscia'nus fuit ejus magister. Nam in aliquibus deficit Priscianus ubi Jero'nymus rectissime sensit. Præterea specialis causa erroris est quod non 'advertunt qua translatione utitur Ecclesia Latinorum. Nam propter 'hoc quod vident literam diversificatam secundum capita diversorum, 'credit vulgus Theologorum quod non sit translatio S. Jeronymi, sed 'alia versio mixta & compilata ex diversis. Et propter hoc cum ma'jori libertate miscentur vocabula quæ volunt. Sed istud falsissimum 'est. Nam sola translatione Jeronymi utuntur Ecclesiæ Latinorum 'præter Psalterium, quod est de translatione LXX. Interpretum, quod 'ideo remansit quia fuit vulgatum in Ecclesia Dei antequam Jeronymus 'transtulit eorum translationem in Latinum & correxit illam cum aste'ricis & obelis. Et ideo reputatur quasi translatio Jeronymi. Sed non 'est, quia sua est immediate de Hebræo.

'Quoniam vero ignorantia translationis qua utitur Ecclesia, faciat 'multum de errore in correctione textus, ideo volo hic facere capitu'lum de hac re, ut vestræ gloriæ veraciter persuadeatur quod tenendum 'sit in hac parte. Quod autem in Ecclesiis Latinorum sola translatio 'Jeronymi sit in usu patet, & quod hæc sola sit in omnibus Bibliis La'tinorum præter Psalterium licet sit multipliciter per scriptores & cor'rectores depravata in Exemplari Parisiensi probatur multipliciter. Et 'primo per Isidorum libro de Officiis: De Hebræo in Lat. eloquium 'Jeronymus Presbyter tantummodo convertit. Cujus editione genera'liter omnes Ecclesiæ utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis & 'clarior in verbis. Deinde Exemplaria . . . . . & regis Karoli & in'numerabiles aliæ bibliæ per diversas regiones, quæ fuerunt tempore 'Isidori & ante eum, adhuc permanent sine corruptione. Et in omni'bus concordant, nisi sit vitium scriptoris, quo nulla scriptura carere 'potest. Quapropter si tempore Isidori usi sunt omnes Ecclesiæ gene'raliter translatione Jeronymi, patet quod adhuc eadem sit translatio 'in usu cum eadem exemplaria & similia remaneant ubique. Iterum in 'Chronicis quæ Eusebio & Jeronymo & eorum successoribus adscribun'tur expresse dicitur quod quamvis viri catholici & sancti & literati 'ægre ferrent quod translatio vetus caderet ab usu Hebraici, tamen 'veritas prævaluit quam Jeronymus transtulerat. Et hoc certissime pro'bari potest per diversarum translationum considerationem. Nam Je'ronymus & omnes concordant in hoc, quod tantum fuerunt 8. trans'lationes principales secundum diversitatem interpretum antequam Je'ronymus suam edidit ex Hebræo. Prima fuit sub Alexandro principe, 'nulla virtute. Secunda ut ait Josephus, per 70. Interpretes expedita 'ad petitionem Ptholomæi Philadelphi Regis Alexandriæ per multos 'centesimos annorum ante incarnationem fuit. Translationem Aquilæ

'postea

'postea Theodosii (lege *translatio alia fuit Aquilæ, postea Theodotionis*) '4ta Simachi. 5ta ut dicit B. Augustinus 18. de Civ. Dei fuit interpre-'tatio cujus auctor non apparet: & ab hoc sine nomine interpretis nun-'cupatur quam ab Origene dicunt inventam fuisse in Actio littore, ut 'Jeronymus in Epist. ad Magnum Oratorem, & Ruffinus adversus Jero-'nymum scribunt, quamvis Magister Historiarum, & Hugo, & hujus-'modi auctores de novo formati (l. *formatam*) æstiment in Jericho 'fuisse. 6^{tum} vero & quintam Origenes invenit, ut scribit Jeronymus '& cum cæteris comparavit. Et hæ omnes fuerunt de Hebræo in Græ-'cum transfusæ, & una illarum tantum de Græco in Latinum, scil. edi-'tio vulgata quæ fuit 70. Interpretum, excepto quod Danielis liber 'juxta translationem Theodotionis in Latinum versus fuit. Quia trans-'latione 70. in Daniele Ecclesiæ Dei non utuntur, ut dicit Jeronymus 'in Prologo Danielis. Quia autem non solum ex vitio scriptorum trans-'lationem 70. corruptam innuit Jeronymus, sed ab ipso initio multas 'habuit falsitates & defectus necessariorum & multas superfluitates . . . '. . . ideo B. Jeronymus Ecclesiæ Latinorum reddidit translationem de 'Hebræo, veritatem Hebraicam prout scivit, & etiam ausus fuit trans-'ferre convenientem ne nimia novitas deterreret audientes. Et quia 'reputabatur falsarius & corruptor scripturæ, non ausus fuit omnia ut 'potuit meliori modo transferre, sicut satis patet ex ejus scripturis, & 'humana fragilitate compulsus, alii velocitate (nimia) dictavit (qui) 'minus bene conscripsit, ut ipsemet ad Magnum Oratorem. Et super 'Isaiam, & alibi, confitetur, dum male translata nititur revocare.

'Quoniam igitur apud Latinos non fuerunt translationes nisi duæ, 'scil. 70. & Jeronymi, & 70. non inveniuntur in aliquo loco apud La-'tinos, patet quod hæc quæ vulgatur apud Latinos sit Jeronymi. Sed 'cum multipliciter in exemplari *Parisiensi* depravata sit, ideo non omni-'bus apparet quod sit Jeronymi, quamvis consideranti omnia alia exem-'plaria Ecclesiæ pateat esse Jeronymi præterquam in Psalterio. Ad evi-'dentiam vero dictorum expedit considerari quod Origenes non fecit 'aliquam translationem, licet Magister Historiarum dicat Origenem 'transtulisse cum asterisco & obelo, & Hugo in Didascal. 6^{m} & 7^{m} Ori-'genem fecisse arbitratur. Sed non potest translatio dici cum asteriscis '& obelis. Nam cum asteriscus ponatur ut illuminet sicut stella, & 'ostendat ibi aliqua omissa, & obelus ut minuantur superflua, constat 'quod nullus in opere suo, sed alieno, hoc facit. Nam nec S. Jerony-'mus contra hoc in quibusdam Prologis qui male ponuntur in Biblia 'nostra qui non sunt in sua. — Si enim aliquam fecisset Origenes au-'ctores non tacuissent, & præcipue Eusebius, qui super ejus laudibus '6^{m} librum Eccles. Hist. scripsit. 'Translationem tantum 70. correxit 'asteriscis & obelis, & in exemplis suis collocavit, quod dicitur in 6to 'Eccles. Hist. libro. Origenes famosissimos libros primo composuit, in 'quibus per singulas columnellas separatim è regione opus interpretis 'cujuscunque descripsit, ut primo ipsa Hebraica Hebraicis literis pone-'ret, 2do loco per ordinem Græcis literis verba Hebraica describeret, '3^{tio} Aquilæ editionem subjungeret, 4to Symmachi, 5° 70. 6to Theodo-'tionis editionem collocaret. Et propter compositionem ipsa exempla-'ria nominavit Hexapla, hex enim Græce idem quod sex Latine, & 'aplum idem quod simul. Sciendum vero quod translatio Theodotio-'nis magis concordabat cum 70. & ideo Origenes correxit 70. per 'Theodotionem magis quam per alias translationes, & post eas posuit, 'quamvis translatio 70. prima fuit. Et considerandum quod Josephus 'dicit eos tantum quinque libros Moysi transtulisse, ut patet in prologo 'sui libri. Et Jeronymus in prologo Quæstionum super Genesin reci-'tat

'tat & confirmat hos libros quinqne magis cum Hebræo concordatos 'quam cæteros libros qui 70. interpretibus ascribuntur, tanquam de illis 'quinque certum sit quod fuerunt de translatione 70. cum Hebræi ex- 'ponentes secuti sunt Hebræam Veritatem. Sed (cum patet) in aliis 'libris quam multum distant ab Hebræo falsum est vel omnino dubium 'an 70. Interpretes eos ediderunt, quamvis eis totum Testamentum 'Vetus ascribatur. Sed ab aliis potuit fuisse translatum & additum pro- 'pter quod Jeronymus in prologo libri sui super Ysaia dicit Apostolos '& Evangelistas ea tantum de 70. Interpretibus vel suis vel eorum ver- 'bis ponere testimonia quæ cum Hebraico consonarent; si quæ autem 'ab aliis addita sunt omnino negligere. Et super Ezec. dicit quod Ari- 'steus & Josephus, & omnis schola Judæorum quinque libros Moysi 'tantum à 70. translatos esse asserunt. Sciendum etiam quod hic singu- 'læ editiones Aquilæ & Symmachi in Hexaplis continentur, & utrique 'eorum una attribuitur editio cum loquimur de principalibus octo 'translationibus, cum Aquila fecit primam & secundam editionem, si- 'cut Jeronymus narrat quarto libro super Jeremiam. Et Symmachus 'similiter primam & secundam, sicut Jeronymus dicit in sexto libro su- 'per eundem.

'Dico quod sola editio vulgata quæ est 70. Interpretum fuit Ecclesiis 'ante editionem Jeronymi communicata tanquam pro authentica, aliæ 'legebantur à viris Ecclesiasticis ut ex earum collatione magis pateat 'translatio 70. & propter studii plenius exercitium, sicut vult Jerony- 'mus. Excepto quod Theodotionis translatio in Daniele vulgabatur. 'Et propter hoc nulla aliarum à translatione 70. præter librum Danielis 'ex Græco fuit in Lat. mutata. Cum igitur illa non est in usu Lati- 'norum, nec Theologorum, ut omnes statunnt qui Theologiam nove- 'runt, manifestum est Jeronymi translationem esse illam quam Ecclesia 'recipit his temporibus. Et hoc est intentum. Sed cum omnis veritas 'calumniam recipit, & hoc est multipliciter propter ignorantiam vel 'præsumptionem & aliquam malitiam hominum, oportet evacuari quæ 'possunt somniari in contrarium. Dicunt igitur auctores à 30. annis 'ficti quod quinta editio est quæ Vulgata nominatur. Unde Hugo in 'Didasc. dicit quod Quinta nominatur Vulgata, & Magister Historiarum 'dicit quod historia (l. *translatio*) vulgata nominatur quia ejus auctor 'ignoratur. Et propter hoc fingunt multi novi errore decepti, quod 'hæc editio quæ currit his temporibus est Vulgata, scil. Quinta quæ 'successit translationi 70. propter hoc quod hæc quam nunc habemus 'non est Jeronymi ut dicunt. Sed istud primo patet esse falsum per 'auctoritatem Isidori & exemplaria antiqua de quibus locutus sui. Et 'præterea proprias babet conditiones. Cum ergo dicunt pro ratione sui 'erroris, quod Quinta editio dicitur vulgata quia ejus auctor ignoratur, 'ergo pari ratione utraque illarum vulgata dicitur, quod falsum est. 'Et ideo hæc ratio nulla est. Sed dicitur Vulgata, quæ vulgo & publice 'ab hominibus legebatur, & fuit in usu vulgi, & totius Ecclesiæ Græcæ '& Latinæ. Et hæc fuit sola translatio 70. quod probatur evidenter. 'Dicit B. Augustinus 18. de Civ. Dei, hanc quæ 70. est, tanquam sola 'esset sic recipit Ecclesia eaque sola utuntur Græci populi Christiani, 'quorum plerique utrum sit antiqua alia ignorant. Et Latini hanc 'solam à Græcis habuerunt ut omnes sciunt. Quapropter hæc est trans- 'latio quæ dicitur vulgata. Et hoc evidenter patet per eundem Augu- 'stinum 10°. de Civ. Dei sic dicentem: Fuerunt à Diluvio usque ad 'Abraham 2000. an. secundum vulgatam editionem hoc est Intepretum '70. ut ipse exponit. Et ad Fretellam & Suniam dicit Jeronymus: 'Koene h. e. Communis editio ipsa est quæ & 70. Et 18. libro super

Ysaiam

'Ysaiam dicit: Hæc juxta 70. Interpretes diximus quorum editio toto 'orbe vulgata est. Et in aliis libris super Jeremiam & Ysaiam. Et alibi 'multipliciter eandem translationem adscribit 70. & editioni vulgatæ, 'sicut legenti ejus libros satis ostenditur. Item hoc patet quia in fine 'Hester dicitur: Ne tradas domine ceptum tuum his quæ non sunt. 'Et ibi Jeronymus dicit tantum istud inveniri in editione eadem (*quæ*) 'vulgata est. Item in Commentario super Danielem dicit quod quia 'editio Theodotionis legebatur ab Ecclesia, propter hoc ejus & non 70. 'editio vulgata vocatur. Ergo tunc quantum ad totum textum præter 'Danielem editio vulgata dicebatur quæ in toto orbe legebatur. Sed 'hæc fuit 70. Interpretum: quare hæc sola dicebatur vulgata, nec un-'quam pro authentica tenebatur. Sed sola translatio 70. præterquam in 'libro Danielis (*in usu fuit*) ante communicationem translationis Jero-'nymi. Quare cum translatio Jeronymi evacuavit translationem vul-'gatam 70. & similiter Theodotionis, ut certum est omnibus, oportet 'quod Biblia qua utimur sit translatio Jeronymi.

'Quid autem potest allegari de prologo 6ti libri Jeronymi super 'Ysaiam quo distinguuntur 70. Interpretes ab editione vulgata, cum 'dicat quosdam versiculos non esse in 70. Interpretibus sed in editione 'vulgata quæ Kœne dicitur, & in toto orbe diffusa? Respondendum est 'per ipsum eundem ad Fretellam & Suniam, ubi postquam dixit Kœne 'h. e. communis editio, ipsa est quæ & 70. dicitur, sed illa pro locis & 'temporibus voluntate scriptorum Vetus corrupta editio est. Ea autem 'quæ habetur in Hexaplis Origenis & quam nos vertimus, ipsa est quæ 'eruditorum libris incorrupta & immaculata 70. Interpretum translatio 'reservatur. Quapropter translatio 70. Interpretum potest accipi tri-'pliciter, uno modo ut fuit ab eis edita ex Hebræo in Græcum. 2° ca-'pitur illa quæ in Hexaplis Origenis continetur. 3° quæ non habuit 'obelos & asteriscos, sed fuit vulgata & corrupta per additiones & sub-'tractiones varias juxta caput cujuslibet. Quælibet igitur istarum vo-'catur translatio 70. quæ est prima radix omnium & remansit in istis 'duabus pro fundamento. Et ideo consideremus translationem 70. 'secundum ejus primam puritatem. — Editio vulgata fuit eadem trans-'latio hæc alterata per varias immutationes & 70. Interpretum fuit & 'dicitur. Et ideo æquivocum (*est*) vocabulum cum dicitur sic variis 'modis translatio 70. Et tamen semper oportet quod translatio 70. sit 'editio vulgata, & è converso. Sed quia adhuc multi in hac parte di-'cunt, quod aliqua fuit compilatio facta retroactis temporibus post 'tempus Isidori ex diversis translationibus ab aliquo Papa vel à Magi-'stris *Parisiensibus* vulgatum & diffusum nunc ubique, & non translatio 'Jeronymi. Sed tanta res nec à Magistris *Parisiensibus*, nec ab aliquo 'sine Sedis Apostolicæ auctoritate fieri potuit, nec decuit, nec etiam 'rationabile est. Sed vero potest dici quod vel auctoritate Papæ con-'cessa Doctoribus *Parisiensibus* vel aliis, aut per aliquem summum Pon-'tificem facta sit hæc compilatio. Sed nulla scriptura, nec registrum 'Papæ hæc docet, nec Chronica, nec historia facit mentionem. Nec 'contigit tempus dari quo & ipsa sit, nec à quo, nec cujus auctoritate, 'cum tamen hoc oportet illum assignare, qui hunc errorem componit; 'aut aliter dicetur ei per Jeronymum, quod dictum suum eadem facili-'tate contemnitur qua probatur, cum nullum factum solenne aucto-'ritate perpetua publicatur nec recipitur, nisi super hoc auctoritas Papæ 'notetur, quia in omnibus talibus per scripturam publicam notatur 'annus & persona cujus auctoritate fuit hujusmodi. Et hoc videmus in 'negotiis mediocribus. Quapropter longe magis in hoc negotio gra-'vissimo quod est fundamentum totius Ecclesiasticæ doctrinæ. Nos

'enim videmus quod compilationis historiarum & Sententiarum notentur auctores & tempora eorum. Et sic de multis quæ non habent comparationem ad Dei textum. Quapropter longe magis sciretur quando & à quo & cujus auctoritate hæc compilatio sacri textus facta sit. Et præcipue cum sit modicum tempus, postquam facta est. Et sunt circiter mille quingenti anni quod vulgata editio composita sit, & circiter 1000. quod quælibet aliarum. Et propter facti magnitudinem usque hodiernum diem nota sunt nobis tempora, & prope nominantur quando & à quibus sunt factæ hujusmodi translationes, sicut historiæ solennes docent multipliciter. Et ad hoc quod composita plus habent de esse quam sua simplicia. Et ideo si ex simplicibus translationibus non veraciter fuit translatum, esset una editio composita falsitatibus utriusque simplicis translationis (*referta.*) — Quapropter ille qui eam fingit petit principium & supponit quod probare deberet. Et ideo non est hujusmodi sententia recipienda, sed cum sit sine auctoritate & ratione reprobanda est.

'Sed tertio probabiliter potest eligi, & solutione dignum, quod B. Jeronymus in originalibus super textum ponit aliam literam quam nos habemus in Bibliis antiquis & novis. Et ideo aliam translationem edisserit & exponit juxta Heb. Veritatem, præter hoc quod simul ponat translationem 70. — adjungens autem translationes aliorum ut magis elucescat veritas Heb. quam exponit. Ex quo videtur quod cum Jeronymus suam ibi exponat translationem, quæ non est illa quam tenemus in Bibliis, id est quod illa editio qua utimur non est Jeronymi: sed ut habeatur vel aliqua compilatio, vel alia translatio quæcunque sit illa. Ad hoc dicendum, quod sicut Aquila & Symmachus, ut dictum est supra, duplicabant editiones suas propter majorem certitudinem & evidentiam translationis, sic fecit B. Jeronymus ex ipso Hebræo in Latinum; unde factum est quod primam ejus translationem, quam vulgo tradidit, habeamus in Bibliis. — hæreticus & falsarius reputabatur à multis. Et quia ab omnibus judicabatur in pejorem partem propter novitatem translationis conditæ, editione quæ fuit ubique vulgata ipse non expressit meliori modo quo scivit Hebraicam veritatem & potuit; sed se conformat translationi vulgatæ in quibus vitium manifestum non fuit. Et hoc fecit propter pacem Ecclesiæ & Virorum sanctorum Ecclesiasticorum qui contradixerunt. Qui cum scivit suam hanc primam editionem non esse sufficientem, ideo veritati & studiosis volens satisfacere decrevit aliam translationem relinquere in scriptis secretis, scil. in suis originalibus, quod & fieri potuit sine vulgi scandalo, quia hæc secunda editio nunquam fuit adhuc in usu vulgi neque Ecclesiæ, præsertim cum in omni tempore viri paucissimi usi sunt originalibus sui Jeronymi super textum, ita etiam ut Rabanus & Cassiodorus viri doctores docuerunt se non posse omnia ejus originalia invenire, sicut Rabanus recitat super Jeremiam in Originali. Cum igitur non scandalizavit per hanc secundam translationem in aliquo, & totam veritatem Hebraicam decrevit tradere Latinis studiosis, ideo hanc secundam reliquit in originalibus. — Et ad hujusmodi confirmationem dicere possum quod humana fragilitate devictus ..... potuit in sua prima editione aberrare, & celeritate dictandi, ut ipse dicit, obmisit aliquotiens de veritate Hebraica, quæ recolens & resumens in secunda editione sua priorem corrigit translationem. Unde quæ male transtulit in Isaia resumens in 2da translatione in originali quinto libro dicit: In eo quoque quod transtulimus '.... & lascivientem, nos autem verbum Heb. dum celeriter quæ scripta sunt vertimus ambiguitate decepti refrænantem diximus. Et

'aliud

'aliud quod in eodem capitulo similiter male transtulerat revolvens eo-
'dem 5° libro: Melius reor proprium errorem reprehendere quam dum
'erubesco imperitiam confiteri in errore persistere. — Cum igitur in
'Bibliis nostris omnibus antiquis, & quæ tempore Isidori, & etiam quæ
'adhuc restant ubique regionum, & in posterioribus Bibliis ad ulla
'exemplaria transcriptis invenimus in Isaia Refrænantem & festivita-
'tem, quæ vocabula se transtulisse Jeronymus memorat: & mutat in
'Originali, patet quod suam correxit translationem quam tenemus, &
'non alienam. Similiter quod transtulit Ezec. 42. Longitudinem quin-
'gentorum cubitorum, revocat quod dicit cubitorum. unde dicit in
'originali sit istud quod nostra translatio habet, dum celeritate dictan-
'di minus caute prospexerimus &c.

'Sed & hujusmodi millia possunt allegari. Et ad horum planam con-
'firmationem potest Beda in 2ᵈᵃ expositione Actus adduci. Dicit enim:
'*Quædam quæ in Græco sive aliter sive plus aut minus posita vidimus, breviter*
'*commemorare curavimus. Quæ utrum neglegentia interpretis omissa vel ali-*
'*ter dicta, an incuria librariorum sint depravata, sive relicta, nondum scire*
'*potuimus. Namque Græcum exemplar fuisse falsatum, suspicari non audeo.*
'*Unde lectorem admoneo, ut ubicunque fecerimus, gratia eruditionis legat,*
'*non in suo tamen volumine velut emendatos interserat, nisi forte ea in Latino*
'*Codice suæ editionis antiquitus sic interpretata repererit. Nam & Jeronymus*
'*pleraque testimonia Veteris Instrumenti ut Hebraica Veritas habet, edocet:*
'*nec tamen hæc ita in nostris Codicibus aut ipse interpretari aut nos emendare*
'*voluit. Verbi gr. Is. 3. 8. Non aspiciam hominem ultra, & habitatorem*
'*quietis quievit generatio mea: &, Erit sepulchrum ejus gloriosum: &, A fini-*
'*bus terræ laudes audivimus: &, Omnis qui occiderit Cain, septuplum pu-*
'*nietur: dicit in Hebræo haberi Septem vindictas absolvet; &, Ab alis*
'*terræ; &, Requies ejus gloriosa; &, Habitatorem quietis, generatio mea*
'*ablata est: quæ sic apud Hebræos haberi Lectorem voluit, eruditionis solum-*
'*modo, non autem emendandi gratia nosse.* Hæc Beda. Ex quibus sequi-
'tur quod aliter Jeronymus primo transtulit, & aliter recitavit cum
'exposuit in Originali, ubi potuit copiosius de veritate translationum
'disputare. Totum enim Jeronymi quod habemus in antiquis Bibliis,
'& in Originali, hæc diversimode hinc inde aliquotiens transtulerat.
'Quapropter concluditur necessario ex his omnibus, quod translatio
'est Jeronymi quam nos tenemus. Cum igitur vulgus Theologorum
'hoc ignorat, & contradicunt multi, & alii dubitant, quæ sit translatio
'quam sequi debeant, necesse est quemlibet unum recipere pro alio, &
'improprium pro proprio, & falsum pro vero. Cum igitur una est
'translatio in omnibus libris Latinorum, & est illa quam primo Je-
'ronymus transtulit, quia 2ᵈᵃᵐ fecit cum Expositione sua in Origi-
'nali, translatio quam recepit Ecclesia multipliciter depravatur. Quod
'aliqui non considerant in Originalibus sanctorum, qua translatione
'usi sunt primo. Cum tamen hæc fuit 70. Interpretum V. T. & ideo
'cum sancti recitant verba Scripturæ secundum illam translationem,
'putant quod una & eadem est, quam allegant sancti: & quæ dicitur
'esse nunc in Biblia Latinorum, quod non est verum. Et ideo cor-
'rigunt & corrumpunt textum per hanc viam sicut patet per exem-
'plum de corvo in Genesi, ut expono in opere quod mitto. Et si-
'militer alia sunt infinita exempla. Et præcipue accidit corruptio,
'quia tota die mutant textum ex hac causa. Sancti, & maxime Jerony-
'mus recitant (*plures*) translationes ad eandem sententiam propter ple-
'niorem expositionem. Multi vero non considerantes rationem trans-
'lationum, credunt quod sunt aliæ literæ ejusdem translationis: &
'tunc inferunt in textu literam, quam magis intelligunt. Et sic in-

 finitas

'finitas corruptiones inducunt. Iterum illi qui compositam translationem ponunt, illi componunt ut volunt; nam allegant, quod litera Bibliæ est composita ex multis. Et ideo ponunt quod volunt, & miscent, & mutant omnes quæ non intelligunt. Et iterum accipiunt quæ volunt à simili translatione & composita non solum ab illis translationibus recitatis in Originalibus sanctorum, sed à Josepho in Antiquitatum libris, qui exponit textum, & ponit sensum historiæ sacræ, & mutat verba sicut ei placuit. Unde moderni corrigunt multa, & mutant per eum: cum tamen hoc non deceat fieri aliquando, nisi inveniretur in Bibliis antiquis. Deinde ab Officio Ecclesiæ multa accipiunt & ponunt in textu. Sed illi qui statuerunt Officium, multa mutaverunt, ut competebat Officio propter intellectum planiorem, & devotionem excitandam. Et Ecclesia Romana habet ad hoc auctoritatem, & cæteræ per eam. Ex his igitur causis omnes dicunt varias esse literas in textu. Nam dicunt semper quod alia ita est. Et multiplicant istas literas in omni verbo. Et sic se excusant, quia una sententia pluribus sermonibus exprimatur. Nec volunt dicere quod sunt aliæ translationes, quia unam volunt confiteri simplicem, aliam compositam: & unum textum esse vulgatum, quia nimis scandalizarent, quod unus textus in uno volumine haberet diversas translationes. Et ideo dicunt quod ejusdem translationis diversæ sunt literæ. Et non reputant hoc esse per errorem. Sed nunquam accidit, quod unus translator in transferendo posuerit in textu eodem sermones diversos pro eadem sententia. Nam in Philosophia nec alibi potest hoc fieri. Translatio enim quælibet debet habere sua propria verba, sed diversimodæ habent diversa verba. Unde istæ literæ diversæ quas allegant, sunt de diversis translationibus, quas sancti recitant in Originalibus, quam Josephus recitat, & Ecclesia transmutat. Et ideo accidit corruptio infinita. Ex quo peccatum infinitum in studio pullulabit. Jeronymus etiam super Genesin & super Psalterium, & in multis locis exposuit translationem 70. Interpretum, quam vocat nostram, quia tunc omnes Ecclesiæ usæ sunt illa. Non enim transtulerat tunc ex Hebræo, nec etiam tempore suo fuit ejus translatio recepta communiter. Et ideo viri æstimati valde magni & maximi dicunt, quod litera Bibliæ nostræ est quam exponit Jeronymus in talibus Bibliis. Et ideo ponunt eam in textu nostro, & corrumpunt, & magis corrumpunt primam translationem Jeronymi quæ sola est in Bibliis per 2^dam, quæ sola est in Originalibus; nam credunt unam esse translationem. Et ideo mutant textum." Hæc *Rogerus Baconus* in Tractatu ad *Clementem* P. conscripto.

Consimilia habet in alia Epistola MS. ad *Clementem* eundem *de Laude sanctæ Scripturæ*, cap. 31. quod est de studio linguarum Hebrææ, Græcæ, &c. quod opusculum delitescit in Bibliotheca *Lambethana*. *Nam omnes Sancti, Philosophi Latini, & Poetæ studuerunt de Linguis alienis, & omnes sapientes antiqui; quorum multos vidimus durare usque ad nostrum tempus; ut duos Episcopos* Lincolniensem *&* S^ti David, *&* Fratrem Adam, *& multos viros, & adhuc aliqui senes perdurant, qui student multum; ut sapientissimus homo in studio S. Scripturæ, qui nunquam habuit parem à tempore Sanctorum & in litera corrigenda, & in expositione sensus literalis. Sed nos sumus successores Sanctorum, & Philosophorum, & Sapientum antiquorum, & ergo debemus scire de linguis, quod necesse est, sicut ipsi, aut illi fuerunt stulti & nos sapientes, quod non est fatendum.* B. Jeronymus *persecutus est linguarum diversitatem per regiones Orientis, & dentes suos aptari fecit ut anhelantia verba sciret, sicut ipse testatur. Deinde si nesciamus aliquam rationem linguarum quibus usi sunt Sancti, Philosophi, & Poetæ, omnes sapientes in scripturis suis,*

pro

pro certo erimus vacui sapientia Sanctorum, Philosophorum, & Sapientum omnium, quia nec legere nec intelligere poterimus ea quæ tractant diffuse, & hoc probo per exempla Sanctorum manifesta, & magni errores apud vulgus Theologorum propter ignorantiam Linguarum. &c. — Argumentum urget de eo quod in aliam linguam conversa frequenter vim & affectum amittunt, ut *cum Homerum* (inquit) *transfers in Lat. videbis ridiculum, & Poetam eloquentissimum vix loquentem.* Aliud petit ab imperitia Interpretum. — *Præterea Translationes istæ habent magnas & multas falsitates in omni parte Philosophiæ; sicut supra posui exempla de numero & figuris replentibus locum. Et licet* B. Jeronymus *scivit linguas optime & sapientiam Dei, tamen quia falsarius reputabatur à viris Ecclesiasticis, non ausus fuit ubique transferre secundum* Hebraicam Veritatem; *immo interdum se coaptavit aliis Translatoribus; & permisit multa stare ut fuerunt translata, quamvis bene scivit mutare in melius, sicut ipsemet pluries dicit: ut est in 4° Sapientiæ:* Spuria vitulamina non dabunt radices altas. *Nam* Augustinus *ostendit 2° de Doctrina Christiana, quod falsa est hæc translatio. Et etiam* Jeronymus *celeritate dictandi deceptus, ut ipse fatetur, in locis multis transtulit contra Veritatem; sicut posui exempla tam in* Opere Minori *quam* Majori. *Sed sine comparatione est id vitium in Philosophia; & multum gravat Latinos. Sexta vero causa est, quod illa quæ fuerunt bene translata, sunt modo corrupta, propter hoc quia Linguas ignoramus; sicut per totam* Bibliam *& Philosophiam: quia nec scimus scribere ea, nec legere, nec proferre; & ideo per consequens periit verus intellectus. Et hæc causa habet locum in corruptione Textus sacri. Nam pro majori parte est corruptus in* Exemplari Vulgato, *quod est* Parisiæ; *tamen & in aliis locis est dubius. Quæ dubitatio cadit in virum sapientem, & ideo approbanda, sicut timor approbatur qui cadit in virum constantem. Nullus enim homo sciens hanc falsitatem & dubietatem potest secundum conscientiam uti litera legendo & prædicando, quæ est in* Exemplari Parisiensi. *Et cum quodam quod inferam est præ omnibus considerandum in studio Theologiæ. Et quia infinitum est istud damnum & vituperium sapientiæ Dei, ideo probavi hoc diligenter, & dedi radices hujus probationis de facilitate Textus in hoc loco* Operis Majoris *per rationes certas secundum correctores & sanctos penes Græcum & Hebræum, & per exempla multa secundum quod corrumpitur Textus additione, subtractione, immutatione, conjunctione, divisione orationis, dictionis, syllabæ, literæ, diphthongi, aspirationis, notæ; sed non solum litera corrumpatur, sed sententia mutetur. Et in comparatione multorum ad Theologiam in quarta parte* Operis majoris *addidi specialiter quædam exempla de numerorum falsitate. Et addidi exemplum specialissimum cum omnibus modis probationis ..... peccato studii Theologiæ, quod est de literæ corruptione. Clamo ad Dominum & ad vos de ista corruptione literæ, quia vos soli potestis ponere remedium, sub Deo per consilium illius sapientissimi, de quo superius sum locutus, & per alios, sed maxime secundum per eum* (leg. *per eum, secundum* (quod) *in remediis studii apertius declarabo. — Et in hoc aggravatur hæc corruptio, quod quilibet corrigat pro sua voluntate. Nam quilibet lector in* Ordine Minorum *corrigit ut vult; & similiter apud* Prædicatores: *& eodem modo* Scolares; *& quilibet mutat quod non intelligit: quod non licet facere in libris Poetarum. Sed* Prædicatores *maxime intromiserunt se de hac correctione; & jam sunt viginti anni & plures, quod præsumpserunt facere suam correctionem, & redegerunt eam in scriptis. Sed postea fecerunt aliam ad reprobationem illius; & modo vacillant plus quam alii, nescientes ubi sint. Unde eorum correctio est pessima corruptio, & destruitur textus Dei. Et longe minus malum est, & sine comparatione, uti* Exemplari Parisiensi *non correcto, quam correctione eorum aut alia. Oportet enim quod homo sciat* Græcum & Hebræum *sufficienter, & bene Grammaticam* Latinorum *in libris Prisciani; & quod bene consideraverit modos corrigendi, & vias proba-*

tionum veræ correctionis, ad hoc quod sapienter corrigat: quod nullus unquam fecit, nisi ille sapiens quem dixi. Nec mirum, cum ipse posuerit fere quadraginta annos in literæ correctione, & sensu literali exponendo. Omnes sunt ydiotæ respectu illius, & nihil sunt in hac parte. &c. Hæc *Baconus.*

3. De Exemplari Bibliorum *Parisiensi* non memini me alibi legisse. Nec quis fuerit ille *sapientissimus*, quem Scripturarum Versioni emendandæ tantum operæ impendisse scribit *Baconus*, compertum habeo. Testatur [a] *Balæus* STEPHANUM LANGTONUM, Cancellarium sive Rectorem Academiæ *Parisiensis*, Archiepiscopum postea Cantuariensem, qui ob. 1228. omnes Bibliorum libros distinxisse per *Capita*, quibus adhuc Ecclesia utitur. Nec dubium videtur, quin eodem tempore exemplar sic in Capita distinctum, aliquatenus fuerit correctum. Num liceat conjecturam inire, ab illis temporibus originem habuisse Exemplar *Parisiense* dictum? Verum hac de re quærant alii.

[a] De Script. Britan.

4. HUGO CARENSIS, sive *De S. Caro*, Cardinalis, qui mortuus est 1260. in Expositione Prologi Hieronymiani ad Paulinum de Versionibus & textu orig. verba faciens, ait, *dulcius ex ipso fonte bibi aquas.* Idem in Expos. Prologi in Pent. ait Vulgatam Versionem *Proverbiorum* fuisse, non *Hieronymi*, sed *Bedæ*. *In Proverbiis nostra Translatio, quæ est Bedæ, ut dicitur, habet sic: Fontes tui deriventur foras. Translatio Hieronymi habet: Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Tamen alii dicunt quod* 10. *Cap. Prov. ubi nos habemus: Vena vitæ os justi; ibi translatio Hieronymi habet: Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

5. THOMAS AQUINAS (obiit is 1274.) in *Epist.* 2. *ad Cor. c.* 3. *lect.* 2. asserit faciem Mosis *melius* dici splendidam quam *cornutam*, quod habet ed. vulgaris Exod. 34. *Ubi litera nostra habet, quod Moyses habebat faciem cornutam, alia litera habet faciem splendidam, quod melius dicitur.*

6. RAIMUNDUS MARTINI, Monachus Catalaunus, qui floruit an. 1278. in Prooemio *Pugionis Fidei*: *Cæterum inducendo auctoritatem textus ubicunque ab Hebraico fuerit desumptum, non* LXX. *sequar, nec Interpretem alium; & quod majoris præsumptionis videbitur, non ipsum etiam in hoc reverebor Hieronymum, nec tolerabilem linguæ Lat. vitabo improprietatem, ut eorum quæ apud Hebræos sunt, ex verbo in verbum, quotiescunque servari hoc potuit, transferam veritatem. Per hoc enim Judæis falsiloquis lata valde spatiosaque subterfugiendi præcludetur via; & minime poterunt non sic haberi apud eos, ut à nostris contra ipsos, me interprete, veritas inducetur.* In sequentibus, ex Hieronymi testimoniis pluribus, ostendit nec ipsum, nec LXX. exacte ad literam Heb. transtulisse; deinde hæc subdit: *Hæc autem ex ore S. Hieronymi propterea induxerim, antequam opusculum exordiar, ut in eo quod eum, vel alios in transferendo propter causam quam dixi multoties, non sequar, contra illos qui sæpius arguunt quicquid ipsi non fecerint, & omnia fere vituperant quæ ignorant, quare & hoc proculdubio reprehensuri sunt, sicut etiam hic mihi circumquaque promitto. Rursus vero noverint qui ejusmodi sunt, in plurimis valde S. Scripturæ locis veritatem multo planius atque perfectius haberi pro fide Christiana in litera Heb. quam in translatione nostra: ubi verbi gratia de innumeris unum induxisse sufficiat. Circa principium ergo Habacuc Prophetæ dicit Interpres*, Nec aspicite in gentibus, &c. quod opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. *Hebræum vero continet*; quia opus fiet in diebus vestris quod non credetis cum narrabitur. *Opus istud sive ad literam de Nabuchodonosore, sive mystice de Christi incarnatione intelligatur, in omni eventu, si velimus vim facere in verbo, non videtur litera nostra consona veritati, cum dicet,* nemo credet. *Primum enim viz. cum de Nabuchodonosore intelligitur, omnes Judæi credunt: Secundum vero, hoc est, cum de Christi incarnatione intelligitur, gentiles innumeri, & Judæi aliqui, ut Apostoli crediderunt:*

diderunt: ficque noftra prædicta tranflatio in talem fenfum de fenfu Hebraico tranflata ejufmodi recipiendo calumniam, nemo credet, *id eft, rarius compellet nos dicere. Litera vero Hebræa nullam calumniam recipit; imo quod nobis multum debet effe jucundum, ubi de incarnationis Chrifti opere mirando non modicum, ac ftupendo, quod in Judæorum diebus, id eft, dum ipfi adhuc tenebant promiffionis terram, factum eft, evidentem neceffitatem importat. Nulla quippe opera in diebus Judæorum facta difcreduntur ab iis, quandocunque narrantur; opere Incarnationis, & iis quæ opus ipfum fecuta funt, & fequuntur, excepto. Si quis autem adhuc contentiofe ducitur contra ifta, Paulum mecum fibi noverit obvium, qui tefte Luca, Chriftum Judæis per hæc verba prædicans, & affirmans, non literam noftram, fed potius Hebraicam imitatus eft, dicens:* Quia opus in diebus veftris operor, quod non credetis, fi quis narraverit vobis. Opus operor *Incarnationem Chrifti, dicit Gloffa,* quod non credetis negantes incarnationem, fi quis enarraverit vobis. *Hæc dicta fufficiant adverfus eos qui reprehenfuri erant, fi non eos ante placaffem; fi vero placari noluerint, magna mihi erit confolatio imperitorum, vel invidorum judicio taliter errare cum Paulo.* Eadem ex *Raimundo* tranfcripfit PORCHETUS, qui claruit an. 1315. in Præf. *Victoriæ contra Judæos.* Punctorum vocalium antiquitatem negat *Raimundus,* quæ à Rabbinis *Nephtali* & *Afer* excogitata fuiffe dicit.

7. NICOLAUS LYRANUS, qui parentibus Judæis ortus inter Rabbinos Judaicos prima literarum fundamenta pofuit, poftea vero in Academia Parifienfi S. Scripturam publice interpretatus eft, in Prologo 2do. Commentarii an. 1293. inchoati, & 1330. abfoluti, monet, à Tranflationibus ad Textum Heb. recurrendum effe, exceptis quibufdam locis Chrifti Divinitatem confirmantibus, quæ in Heb. fui temporis exemplaribus extabant in *punctatione* corrupta. *Ulterius confiderandum, quod fenfus literalis, à quo eft incipiendum, videtur multum obfufcatus diebus modernis: partim fcriptorum vitio qui propter fimilitudinem literarum in multis locis aliter fcripferunt quam habeat veritas textus, partim imperitia aliquorum correctorum, qui in pluribus locis fecerunt puncta, ubi non debent fieri, & verfus inceperunt vel terminaverunt, ubi non debent incipi & terminari. Et per hoc fententia literæ variatur, ut patebit in fuis locis infra profequendo, Domino concedente partim ex modo tranflationis noftræ, quæ in multis locis aliter habet quam libri Heb. fecundum quod declarat Hieronymus in lib. de Heb. Quæft. & in pluribus aliis locis, & alii expofitores S. Scripturæ legendo vel fcribendo idem dicunt, & tamen fecundum Hieronymum in fecundo Prologo fuper Genefin, & in pluribus aliis locis, pro veritate literæ habenda in Scriptura Veteris T. recurrendum eft ad Codices Hebræorum. In hoc tamen valde cavendum eft, quantum ad locos Scripturæ Vet. T. qui de Deitate Chrifti ac de confequentibus ad hoc loquuntur. Quorum aliquos Judæi corruperunt ad defenfionem fui erroris, ut partim declaravi in quadam quæftione de divinitate Chrifti, & declarabo plenius quando loci tales occurrent, Domino concedente. In illis autem in quibus non eft verifimile quod aliquid immutaverint, cum nec caufam hoc faciendi habuerint, nullum videtur periculum, fed magis fecurum, fecundum dictum B. Hieronymi, in dubiis recurrere ad textum Heb. tanquam ad originale pro veritate textus declaranda.* Iftiufmodi locos in *Commentariis* & in libello *contra Judæos de divinitate Chrifti,* tantum tres reperio: Prior eft Ef. IX. 6. ad quem textum in *Comment.* hæc habet: *Sciendum quod R. Samuel & Judæi moderni fequentes ipfum exponunt hunc paffum de Ezechia Rege Juda, literam corrumpendo. Dicit enim quod hæc eft litera Hebraica:* Infans natus eft nobis: filius datus eft nobis, & erit principatus fuper humerum ejus, & vocabit nomen ejus admirabilis, confiliarius, Deus fortis, pater fempiternus, Principem pacis. *Et talis corruptio poteft de facili fieri in Heb. quia hæc dictio* ויקרא *vaiquare, quæ fignificat*

significat, & vocabitur, & ויקרא *vaiqra, quæ significat, & vocabit, eisdem literis penitus scribuntur in Heb. sed varie sonant propter aliam & aliam punctuationem. Item similiter quod dicit Principem pacis in accusativo pro nominativo faciliter fit in Heb. quia nomina sunt apud eos indeclinabilia. — Sed quod iste corrumpat literam ponendo vocabit, pro vocabitur, patet ex translatione* LXX. *Interpretum, qui fuerunt Hebræi & valde literati.* Quorum auctoritati, præter illam Hieronymi, addit quoque translationem *Jonathanis* Chaldaicam. De eadem corruptione agit in lib. *contra Judæos.* Secundus locus est Jer. XXIII. 6. ubi in Comm. *Sciendum quod Hebræi ne hac auctoritate cogerentur Christi divinitatem confiteri, quem exspectant futurum hominem purum, Moyse tamen sanctiorem, dicunt quod litera Heb. talis est: Et hoc est nomen ejus quia vocabit eum Dominus justus noster; & quod nomen Domini Tetragrammaton quod soli Deo convenit, non dicitur hic de Messia secundum eos, sed de Deo, qui vocabit eum ad redemptionem Judæorum. Et ipsi possunt sic mutare literam de facili, quia dictio Heb. quæ hic ponitur, scil.* אשר *Asher, indifferenter accipitur pro qui & pro quid. Item vocabunt eum, & vocabit eum, eisdem literis Heb. penitus scribuntur, sed varie punctuantur, quæ punctatio potest valde de facili fieri. Et quod Judæi talem falsitatem fecerint in hoc loco, patet per* LXX. *Intt. qui fuerunt Judæi valde literati. &c.* Eadem de re in lib. *adv. Judæos. Propter hoc alii solverunt aliter authoritatem prædictam corrumpentes veram literam, dicentes quod sicut est in Heb. Jer.* 23. *Et hoc est nomen ejus qui vocavit eum, Dominus justus noster, ita quod nomen Domini Tetragrammaton, loco cujus ponitur in translatione nostra Dominus, non refertur ad Messiam filium David, sed ad Deum verum, qui vocabit ipsum ad liberationem populi Israel quando placuerit sibi. Contra istam solutionem non potest argui, nisi ostendendo, quod ibi corrumpunt veram literam, & negant veritatem ut negent Christi divinitatem. Hoc autem posset optime fieri ex antiquis Bibliis, quæ non essent corruptæ in passu isto, & in aliis in quibus fit mentio de divinitate Christi, si haberi possent, & hoc modo illi, qui præcesserunt nos, contra eos in hoc passu & consimilibus arguebant. Licet autem ego non viderim aliquam Bibliam Judæorum, quæ non sit in passu isto corrupta, tamen audivi à fide dignis ratione vitæ, & conscientiæ, & scientiæ, affirmantibus juramento quod sic viderant in antiquis Bibliis, sicut habet translatio Hieron. supra inducta. Si autem non possunt haberi antiquæ Bibliæ non corruptæ, recurrendum est ad alias translationes, quas Judæi rationabiliter negare non possunt. Et per hoc poterit prædicta falsitas reprehendi. Et primo deprehenditur per translationem* LXX. *Interpretum &c.* Quibus addit *Hieronymi* & *Chaldaicæ* Paraphrasis auctoritatem. In Bibliis Heb. hodiernis recte apud Es. legitur וְיִקָּרֵא vocabitur, & apud Jer. אֲשֶׁר יִקְרְאוֹ *quod vocabunt eum.* Tertius locus est Os. 9. 12. *Circa quod sciendum, quod iste est unus de passibus Scripturæ V. T. corruptis à Judæis, secundum quod dicit frater Raymundus in Heb. lingua valde peritus. Ad cujus intellectum sciendum, quod sic in Heb. habetur:* Quia etiam væ eis Besuri de eis. *Hebræi vero habent duplicem literam, scil.* Samech *& Sin in sono & charactere differentes. Quando vero* Besuri *per literam* Samech *scribitur, significat* in recessu meo; *quando vero scribitur per* Sin, *significat* incarnationem meam. *Hic autem scribitur per* Sin. — *Hanc autem virtutem fidei nostræ consonam nititur R. Samuel repellere, dicens, quod litera* Sin, *quando punctatur desuper in sinistra parte, habet sonum & virtutem literæ* Samech, *& sic* Besuri *significat hic* recessum, & non incarnationem: quia sic punctatur litera Sin *in hoc loco. Sed istud videtur fuga veritatis, primo quia hæc litera in toto V. T. non invenitur alibi sic punctata, ut dicit prædictus frater Raymundus: & ego similiter non recolo me vidisse alibi, sic punctatam: propter quod videtur hæc additio facta ad depravandum sententiam.*

Eodem in loco negat punctorum vocalium antiquitatem: subdit enim;

enim; *Secundo, quia puncta non sunt de substantia literæ, nec à principio Scripturæ fuerunt, unde & rotuli qui in Synagogis eorum leguntur, sunt sine punctis; sed per magnum tempus postea inventa sunt hujusmodi puncta, ad facilius legendum.*

Ad textum Hebr. provocat passim, eumque sæpe solum, Versione insuper habita, explanat, edisseritque; istique non raro disertis verbis anteponit. Inter alia loca innumera; ad Jer. 13. *Ego mandavi sanctificatis meis*] *Hebræi dicunt, citatis meis. Dictio enim Heb. quæ ponitur hic, æquivoca est ad citationem & sanctificationem. Hebræi tamen videntur hic* melius *dicere*. Cap. 63. *Bosra, vel potius Bisra, sic enim scribitur in Heb.* Ezech. 1. *Dicit hic R. Sam. quod ipse nescit proprie quid significet chasmal. Et ideo nescio quare Hieronymus transtulit electrum. Non enim multum videtur probabile, quod melius intellexerit Hebraicum, quam Doctor ille.* Cap. 5. *Operies illud*] *In Hebr. habetur: Coques illud. Dictio enim Hebr. quæ hic ponitur, æquivoca est ad operire & coquere. Hebræi tamen videntur hic melius dicere &c.* Cap. 40. *Et vestibulum ejus, i. e. atrii*] *In Heb. habetur: Et porticus ejus ad atrium exterius. — & ideo litera nostra videtur esse corrupta per scriptores vel ignaros correctores.* Cap. 41. *Et ædificium quod erat separatum*] *i. e. adjunctum ipsi templo. Nomina enim Heb. sunt indeclinabilia: propter quod in transferendo positus fuit nominativus casus pro dativo, forte factum fuit hoc scriptoris vitio.* Hos. 4. *Congregabuntur*] *Hebræi dicunt, finientur. Verbum enim Heb. hic positum æquivocum est ad congregari & finiri, & ex circumstantia literæ videntur Hebræi melius dicere.* Cap. 7. *Supplantata sanguine*] *Hebræi dicunt: Insidiatrix sanguini. Dictio enim Hebr. hic posita ad supplantationem & insidiationem est æquivoca: videtur tamen hic magis accipi pro insidiatione.* Hieronymum sæpius reprehendit, quod *usque in æternum*, pro, *usque in seculum*, vertit, ut in *Es.* 33. & in *Soph.* 2. ac alibi.

Idem in Joel. cap. 2. *Hic incipit capitulum in Heb. Signatio vero Capitum in Bibliis nostris est frequenter defectiva, quia frequenter non sequitur signationem Hebraicam, nec etiam Hieronymum, ut patet in antiquis Bibliis secundum Hieron. signatis.*

Extat ejusdem *Lyrani* Tractatus *de Differentia nostræ Translationis ab Heb. litera in V. Test.* in ipsis fere artis Typographicæ incunabulis editus *Rothomagi*. Quod opusculum mihi videre non contigit.

8. RICARDUS BURIENSIS, Episcopus *Dunelmensis*, Bibliothecæ veteris *Oxoniensis* fundator, qui obiit an. 1345. æt. 59. in *Philobiblio*, Scripturarum *Hebraicarum* causa vulgarem *Hebraicæ* linguæ inscitiam deplorat. *Unum tamen elicimus ex prædictis, quod damnosa nimis est hodie studio Latinorum Græci sermonis inscitia, sine quo scriptorum Veterum dogmata sive Christianorum sive Gentilium nequeunt comprehendi. Idemque de Arabico in plerisque tractatibus Astronomicis, ac de* Hebraico Textu sacræ Bibliæ *verisimiliter est censendum. Quibus defectibus provide* Clemens V. *occurrit, si tamen Prælati, quæ faciliter statuunt, fideliter observarunt. Quamobrem Grammaticam tam Græcam quam* Hebræam *nostris Scholaribus providere curavimus cum quibusdam adjunctis: quorum adminiculo studiosi lectores in dictarum linguarum scriptura, lectura, necnon intellectu poterunt informari, licet proprietatem idiomatis solus auditus auris animo repræsentet.*

9. GULIELMUS BRITO librum scripsit *de Nominibus Heb. Veteris Test. & Græcis Novi T. ac librorum Apocryphorum V. T.* (viz. Machabæorum, Tobiæ, Judith, Hester) *qualiter debent scribi & pronunciari*: qui servatur MS. in Bibliotheca Lambethana. In cujus Prologo hæc leguntur: *Quoniam multos in Heb. Nominibus errare conspexi, illa pro parvitate ingenii mei corrigere studui. Sed cum propter multorum codicum falsitatem adimplere nequirem, recurri ad Heb. Veritatem; ex qua Scriptorum vitium*

 perpendens,

perpendens, qui propter similitudinem figuræ, quam habet una litera cum alia, fere omnia corrumpunt; & veteres Codices sæpius relegens, auctoritatem Veterum secutus, sola nomina quæ in Canone continentur, in unum redigens, Hebræa nomina correxi. Remigius *namque in libro Interpretationum non solum nomina in Canone secundum Translationem qua utimur contenta, verum etiam quæ non sic habemus, de diversis libris colligens, aliis Vocalibus, sed eisdem Consonantibus scripta per Ordinem Alphabeti compilavit. A correctione vero libri, qui à quibusdam Secundus Esdræ, ab aliis Tertius inscribitur, cum non sit in Canone utpote Apocryphus, supersedi. Per Capitula igitur ostenditur, quotiens quodlibet Nominum, & ubi in Biblia continentur. — Librum Locorum ab Eusebio Cæsar. editum, & à B. Jeronymo de Græco in Lat. linguam translatum, quod inserere eum in locis debitis propter spatii brevitatem non potui, in fine secundum correctionem nostram per ordinem Alphabeti* [a] *collocavi.* Idem fuit hic Scriptor cum *Gulielmo Breton*, Ord. Minorum, quem scripsisse *Vocabularium Bibliorum*, & *in Prologos Bibliorum*, obiisseque an. 1356. testatur [b] *Possevinus.*

[a] In nostro tamen volumine non habetur.

[b] Apparat. S.

10. Ricardus Archiepisc. Armachanus, qui obiit 1359. in Opere adversus *Armenos* conscripto, Prophetarum loca quædam proferens, *Hieronymi translationem* tanquam diversam ab ea qua ipse usus est, scil. Lat. Vulg. citat, ut lib. 2. cap. 7. nempe quoniam translatio, quæ Hieronymi Commentariis adjungitur, Versioni tunc Vulgari discrepabat; & hanc suspicatus est nec ex Hebr. nec ex Græca, sed ex tertia aliqua lingua fuisse expressam. Ibid. cap. 11. meminit exemplaris Hebraici *Bononiensis*, quod ab ipso Esdra exaratum credebatur, in quo aliter lectum erat quam in Lat. Vulgata, quam putavit fuisse expressam ex Codice Hebræo à Judæis post Christi passionem eo in loco corrupto. Lib. 6. cap. 8. Evangelii S. Johannis lectionem Græcam Latinæ præfert: *Quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: ubi clare Filius ostendit quod Spiritus S. scientiam habet ab aliis, & per consequens accepit essentiam ab alio. — Obviat sibi clarissime litera Græca, ex qua in nostram constat hoc Evangelium S. Johannis esse translatum, quæ non habet, de meo, ut vestra, sed plane habet de me accipiet etiam annunciabit vobis. Quæ litera alium sensum non patitur, nisi quod scientiam accepit à filio & per consequens accepit ab eo essentiam; & certe salvo judicio meliori, mihi apparet quod ista litera multo evidentius arguit ipsum esse de filio quam verbum processionis arguit Christum esse à Patre. Clare apparet igitur ex Scriptura Canonica Spiritum S. esse à Filio sive spirari ab eo sicut à Patre.* Lib. 19. cap. 18. inducitur quidam objiciens contra Scripturarum certitudinem, diversitatem translationum: *Ecce nos Latini multas translationes habemus, & tres præcipuas scil. Interpretum* LXX. *translationem, sancti Hieronymi, & illam quam vocamus Communem, quæ magis solebat inesse in usu quam cæteræ: quæ sibi multis in locis repugnare videntur, ia aliis discrepare in sensu; cum tamen non nisi unus fuerit sensus primi auctoris. Et sic omnis translatio continens sensum alium ab illo est falsa translatio. Certum etiam non habemus quod translationes istæ quibus utimur sunt translationes ipsorum quibus adscribuntur, nisi hominum nuda verba, qui pro voto suo ut loquar rusticiter poterant fabricare mendacia. De ipsis insuper Scripturis Heb. de quibus isti suam translationem acceperint nihil certum habemus nisi etiam Hebræorum verba sola, quos in prima prædicatione legis Evangelicæ tollentes in multis legem suam præsumendum est verisimiliter suum extrarium ubi sit sermo de fide nostra corrupisse.* Post multa exempla varietatum in translationibus ab objiciente posita, respondet de Scripturarum originalium & translationum auctoritate his verbis: *Primo te volo attendere quod lex nostra est illa quam Spiritus S. per ministerium Prophetarum Apostolorum & Discipulorum Christi tradi mandavit & fecit*

hominibus ad recte vivendum in cujuscunque Codicibus inferatur, nec aliam Scripturam vocamus authenticam nisi illam, & partes illius intelligo sensum non verba, quoniam tota Scriptura V. T. erat tradita non dubium in Hebraeo, cujus sensum habemus translatum in sermone Latino, & in Graeco Graeci, & in caeteris idiomatibus aliae nationes, quod etiam actum fuit per multa annorum circula ante nostri Salvatoris adventum. Et ob hoc si Judaei sua postmodum exemplaria corrupissent, per codices antiquos aliarum linguarum deprehensa fuisset corruptio, sicut alias actum fuit in locis aliquibus de Messia. — Juxta alia loca in quibus non ambigis nec repugnantiam aut falsitatem reperis, illa loca expone quae videntur ambigua aut per inspectionem diversarum translationum, & si oportuerit per inspectionem diversorum codicum scil. Hebraicorum atque Graecorum, aut sensum veracem inquire per solidam rationem. — Sed de contrarietate aut falsitate trium translationum quas Ecclesia in communi consilio approbavit cum quaeris ubi, idem dico quod ante scil. quod approbatio ista Ecclesiae quoad translationes referenda est ad primum sensum quem transferentes expresserant non ad tuum codicem aut meum qui forte ab indoctis aut negligentibus scriptoribus ventilantur, & sicut veritatem credis esse in primaria nostra scriptura, sic pariter eam crede in omni translatione, quam Ecclesia de communi consilio Latinorum Graecorum & Hebraeorum Praelatorum gentium aliarum cum diligenti examinatione & collatione ad antiquos codices cujuscunque linguae in qua erat nostra primordialis scriptura, recepit & canonicam reputavit & censuit esse tenendam, nec dubites quin in illis consiliis (Conciliis) *facta fuit fides sufficiens de transferentium personis, aut saltem de veritate Scripturae translatae & evidenti convenientia cum suo extrario primario. Minus enim es providus si translationes tanta diligentia & tanta industria examinatas de falsitate aut contrarietate audeas infirmare; quin potius crederes Codicem aliquem quem vidisti scriptoris sui fatuitate esse corruptum. In quo casu habes praemissum remedium, scil. ut recurras ad alios Codices antiquos correctos, & si oporteat ad libros linguae alterius, nec dubium quin sic veritatem primariam invenies: quarum translationum frustra inquiris auctores propter auctoritatem Scripturae, quae à transferentibus auctoritatem non recipit, cum constet de veritate Scripturae translatae, & de ejus convenientia cum suo exemplari à quo erat sumpta ista translatio, & si in ipsis primariis translationibus appareat quaevis diversitas, crede potius illud fieri ex penuria tui ingenii aut exercitii in diversis modis loquendi scripturae aut propter idiomata diversa extrariorum aut propter aequivocationem terminorum in linguis diversis, & ex transsumptione terminorum qualis fieri potest in una lingua facilius quam in alia, quam ex sensu transferentis Doctoris, cujus sensus, ut dixi, est totius Ecclesiae examinatione diligenti & industria pervigili approbatus.*

Et quare convenientiam inter dicta hujusmodi diversarum translationum in eodem loco Scripturae quae adversa videntur, & si diligenter perquisieris concordiam plenam reperies sine contrarietate admixta. Non est enim contrarietas Scripturarum, si una aliquod plus aut minus habebat quam altera, dum tamen illud amplius non repugnaret alteri. v. g. Osee XI. *sic scribitur in translatione Jeronymi: Sicut mane transit Rex Israel quia puer Israel, & dilexi eum, & ex Aegypto vocavi filium meum. A qua litera si esset omissa, sicut in translatione* LXX. *Interpretum, aut obscure posita illa particula; & ex Aegypto vocavi filium meum, residua litera non ob hoc aliquam falsitatem contraheret, & ob hoc translatio* LXX. *Interpretum veridica in omnibus judicaretur, quamvis sic in locis aliquibus diminuta. Et quia non repugnat veritati primariae, ab Ecclesiâ Catholicâ primaria reputatur. Et similiter translatio Communis. caetera respiciuntur. quod autem adhibuisti de Apocalypsi poenam illis deberi, qui de illa Scriptura quicquam minuerent, & pari ratione ita affirmasti de diminuentibus aliquid de illis divinis Scripturis* (Hebraicis) *puto te recte concludere, dum tamen intelligas de intentione praeter di-*

 vinam

vinam monitionem & sine ratione minuentibus quamcunque Scripturam divinam, ita ut aliquis sensus subtrahatur. Unde unum de tribus quoad LXX. *Interpretes fateri compellimur, aut in hoc quod multa omiserunt, graviter deliquerunt; aut quod ex causa probabili apud eos sic fecerunt; aut quod à Deo specialiter moniti erant sic facere: quoniam quod per inadvertentiam sic egerunt, non est mihi credibile ex quo erant tot prudentes & docti. Si concesserimus primum non propter hoc infirmatur nostra Scriptura, sed sola ipsa translatio, & tunc nisi aliunde approbaretur, scil. per Ecclesiam, propter veritatem contentorum in ipsa, & conformitatem ad Codices nostros veraces esset penitus respuenda. Si autem concesserimus, sicut Hebræi dixerunt, secundum aut tertium, sicut in secundo Prologo generali refert Jeronymus, scil. ne Ptolemæus, rex Ægypti, qui eos Scripturam Heb. transferre fecerat, æstimaret plures Deos, si plures Personas in illis Scripturis expressas attenderet, quod ob hoc Interpretes, quando de mysterio Trinitatis locus transferendi occurreret, aut expressionem distinctarum Personarum obmiserant, aut eam obscurius posuerant. Sed cum de ejus causa non constet, nec etiam de admonitione Divina, consequens est etiam quod ipsorum translatio non est propter eos authentica, quamvis ab Ecclesia auctorizetur, ut dixi: verum si ista quæ* LXX. *obmiserant non fuissent de Christo, secundum aut tertium æstimare; sed quia ea quæ ipsi subtraxerunt, fuerant prophetiæ de Christo, — ideo de Christo illa forsitan tacuerunt, ne à Pharaone, qui eorum translationem erat habiturus, eorum Lex minus appreciaretur, & forte ob hanc causam in aliis locis de Christo & ejus Divinitate obscurius non irreprehensibiliter sunt locuti.* — Cap. 23. *Si Scripturas diligenter præconsideres, pro constanti recipies ita esse in cæteris istis similibus, quod diversæ translationes ab Ecclesia comprobatæ sibi nullatenus adversantur, quamvis fortassis altera translatio solum potest argui diminuta; sed etiam non esset translatio vera Scripturæ primariæ, quod tibi nocere non potest, dum tamen illud quod ibi asseritur veritatem contineat approbatam modo prædicto, & nihil contineat alteri translationi aut originali Scripturæ contrarium. Non enim omnis transferens intendit singulariter & seriatim omnium verborum exemplarem sensum exprimere, quod modus significandi in linguis verborum transferendorum non semper sustinet ut transferatur; sed aliquotiens conatur transferens unius prolixæ sententiæ sententiam solum exprimere. Et quia aliqua translatio nostrarum translationum facta est ex Hebræo, sicut ea quæ est Hieronymi, in qua lingua fuit tradita nostra primordialis Scriptura Veteris T. aliqua fiebat ex Græco, sicut illa quæ est* LXX. *Interpretum, & tertia fortassis ex lingua tertia, ita quod per plures translationes primordialis Scripturæ sensus pervenit ad linguam nostram Latinam non debes reputare absurdum seu mirabile, quod in translationibus istis sæpius reperiatur discrepantia aliqualis, & etiam apparens diversitas* (ob terminorum æquivocationem) — *Non igitur inficitur auctoritas nostræ Scripturæ nec veritas contentorum in aliqua translatione ab Ecclesia approbata, ut tibi videtur, etsi in aliquibus locis non sit vera translatio Scripturæ primariæ, nec etiam sensum Scripturæ primariæ contineat, dum tamen contineat veritatem* (licet) *auctoritatis majoris sit illa Scriptura, quæ majoribus testimoniis concordare cum primordiali Scriptura videtur seu cognoscitur, quam illa sola quæ per leges alias, ut deduxi superius, approbatur. Cum enim Lex antiqua Legem approbat, non ejus aliquam vel in minimo corruptam ejus translationem approbat, sed ipsam primariam Legem & sensus ipsius sub quacunque lingua, & quibuscunque sermonibus exprimatur, confirmat. Sicubi vero hæsites de primordiali Scriptura, ad radices recurre, scil. ad originalem linguam, in qua Scriptura primitus tradebatur, scil. Hebraicam, & ad Codices antiquiores illius, non solum illos quos habent Judæi, sed ad illos, si oporteat, quos habent Christiani in lingua Hebraica, ne forte, ut objecisti superius, esset in Hebræis Codicibus aliqualis corruptio, & ad Codices Græcos, quibus nostram translationem*

uuam

unam accepimus; & non dubium quin sic errorem, si quis fuerit, facile deprehendere possis, & sensum primordialis Scripturæ valebis extrahere.

11. Henricus de Hassia, qui obiit juxta nonnullos an. 1380. juxta alios 1397. alios 1428. Com. super Gen. statuit Hieronymi sententiam, quæ LXX. Interpretum inspirationi divinæ reclamat, verisimiliorem esse opinione Augustini, eo quod Hieronymus *videtur fuisse homo majoris authoritatis ex parte vitæ atque scientiæ, & item experientiæ, præsertim circa divinas Scripturas.*

12. Hac ætate, vel circiter (ut opinor) vixit *Glossator Decreti* Gratiani, quod statuit Versionem Latinam Testamenti Vet. de *Hebræis* voluminibus examinandam esse; Novi de *Græcis*. Quod Decretum impugnat insulsissimus *Glossator* auctoritate ipsius *Hieronymi*, quem ait decrevisse prorsus contrarium. Verba ejus hæc sunt: (Distinct. ix.) *Hieronymus in secundo Prologo Bibliæ contra ait, dicens quod emendatiora sunt exemplaria Latina quam Græca, & Græca quam Hebræa. Sed August. ad primitivam Ecclesiam respicit, quando exemplaria Græca & Hebræa non erant corrupta: sed procedente tempore cum populus Christianus multum esset auctus, & hæreses multæ essent factæ inter Græcos, in invidiam Christianorum Judæi & Græci sua exemplaria corruperunt: & sic factum est quod exemplaria eorum magis corrupta sunt quam Latinorum, ad quod tempus respicit Hieronymus. Vel respicit ad Latina exemplaria à fidelibus interpretibus translata. August. respicit ad exemplaria Latina à non fidelibus & falsatoribus translata: in quibus si quid falsitatis videatur, dicit eundum esse ad originalia. Vel dic, quod in hoc magis credendum est Hieronymo quam Augustino, quia inter istos tres, August. Hieron. & Gregor. Augustino magis credendum est in Disputationibus, Hieronymo in Historiis & Translationibus; Gregorius in Moralibus præponitur: quia non omnes in omnibus; sed certi per certa. — Et est hic argumentum quod quantumcunque authenticum sit aliquod instrumentum, si tamen de ipso aliquid in dubium revocetur, semper exhibendum sit illud à quo originem ducit. — Et hoc contra dominum Alb. qui dicit, quod si una publica charta originem ducit ab alia publica charta, non est necesse exhibere originale, — secus in privata.* Locus Hieronymi, quem respicit *Glossematarius*, est in Præfatione in suam Pentateuchi Versionem, qua Hebraicæ Veritati apertissime patrocinatur: *Aliud est, si contra se postea ab Apostolis usurpata testimonia probaverunt, & emendatiora sunt exemplaria Latina quam Græca, & Græca quam Hebræa.* Ad quæ verba audiendus *Erasmus*: *Hunc locum insulsissime citat Glossematarius, quisquis is fuit, in Decretis Pontificum, putans Hieronymum vere sensisse, Græcorum exemplaria emendatiora esse quam Hebræa, & Latina emendatiora quam Græca. Et hunc nodum multis modis dissolvit, nugacissime nugans in re non intellecta, vel dic, vel dic, vel dic. Tantumne istis auctoritatis, aut cum rem prorsus non intelligant, tamen illis jus sit, quicquid lubitum fuerit dicere? Nam Hieronymus inducit hoc velut ἀδύνατον, & dictu absurdum, quo magis refellat, quod isti volebant. Nec aliud est, recte interpretatur Carrensis, aliud genus defensionis: imo quod Cicero dicere solet, nisi forte, hic suo more dicit, aliud est: veluti si dicas, divitiæ non reddunt hominem beatum, nisi forte mentitus est Christus, qui pauperes beatos appellat. Quid enim absurdius, quam dicere hæc ab LXX. probata, quæ post LXX. dicta sunt ab Apostolis? Quod si vere sensit Hieronymus, id quod Interpres ille somniat, quæ tandem insania fuit hoc laboris suscipere? Verum hæc absurdiora sunt quam ut refelli mereantur, & tamen haud indigna videntur, quæ à magnis Doctoribus magno supercilio doceantur in scholis publicis.* Quid? quod non ex *Augustino*, sed ex ipso *Hieronymo* petita sunt ipsa *Decreti* verba; sicut suo jam loco monuimus.

13. Inter *diversa diversorum in Psalmos præambula*, Remigii Antissiod. Enarrationibus præfixa in editione *Coloniensi* anno 1536. hæc leguntur:

Sciendum est quod Psalmi non fuerunt antea prætitulati, ut nunc sunt, sed à LXX. *Interpretibus prius conjuncti, &* [a] *deinceps post migrationem Jerusalem ab Esdra Propheta Spiritu S. inspirante, in isto ordine quo nunc sunt, fuerunt positi atque prætitulati. Quos* LXX. *quamvis S. Augustinus affirmet fuisse inclusos in singulis cellulis, quando interpretati sunt, sanctus tamen Hieronymus, hoc minime concedens, ait: Si inclusi fuissent, non interpretes sed magis prophetæ dicti fuissent. Et hoc cognitum est, quod coacti fecerunt. Dicunt auctores, quia ipse Rex Ptolemæus unum Deum colebat, sicut Hebræi, & ideo pro amore illius, Hebræorum Scripturas in suum jussit transferri eloquium.* Videntur hæc scripta fuisse circa hanc ætatem, vel etiam ante.

[a] Crasso errore LXX. Int. existimat floruisse ante Captivitatem Babyl. & Esdræ tempora.

CAP. XII.

Scriptores seculorum XV. *&* XVI. *usque ad Religionem reformari cœptam. Concilium* Oxon. Paulus Burgensis, Abulensis, *Card.* Eston, Marcus Lypomannus, Andreas Bilius, Jannotius Manettus, Laur. Valla, Nicolaus *Card.* Bessarion *Card* Pius II P. Augustinus Dathus, Antonius de Mogmiano, Dionysius Carthus. Jacobus de Valentia, Marsilius Ficinus, Baptista Mantuanus, Angelus Politianus, Jo. Picus Mirandula, Jo. Wesselus, Rod. Agricola, Jo. Crestonus, Jo. Regiomontanus, Jo. Reuchlious, Cooradus Pellicanus, Jo. Quonus, Jac. Magdalius, G. Simlerus, Jac. Faber, B. Rhenanus, Paulus Middleburgensis, Erasmus, Christ. Fischerus, Conradus Peutingerus, Leo X. P. Thomas Morus, Martinus Dorpius, Bilibaldus Perkheimerus, Felix Pratensis, Ximenius *Card.* Augustinus Justinianus, Petrus Galatinus, Jo. Bapt. Pius.

De origine & progressu studii linguæ Hebr. 4. &c. 27. &c. 35. *Chronologi quare* LXX. *secuti.* 26. *De primis editionibus Bibliorum Hebr.* 32. &c. *Erasmi Test. Novum Græcum nonnullis quam acceptum, quam aliis invisum.* 40. &c. *De Bibliis Complutensibus.* 52.

IN Decretis Concilii *Oxoniensis* sub *Thoma Arundel* Archiepiscopo Cantuar. habiti circa an. 1408. dicitur B. Hieronymum in vertendo *inspiratum* fuisse, & tamen *errasse* subindicatur. Nempe in Constitutione 7. contra Scripturas lingua vernacula legendas, hæc habentur: *Periculosa res est, testante B. Hieronymo, textum S. Scripturæ de uno in aliud idioma transferre: eo quod in ipsis translationibus non de facili idem sensus in omnibus retinetur; prout idem B. Hieronymus, etsi inspiratus fuisset, se in hoc sæpius fatetur errasse. &c.*

2. Paulus a S. Maria, ex Judæo Christianus, Episcopus primum Carthaginensis, deinde *Burgensis*, ac demum Patriarcha Aquileiensis, qui obiit an. 1435. æt. suæ 82. in *Additionibus ad Postillas Nicolai de Lyra*, ad Jer. 33. confirmat id quod Judæis objicit *Lyranus*, quod *subterfugere nituntur à veritate auctoritatis, quæ divinitatem Christi satis manifestat, per varietatem literæ*: eamque varietatem ait à *Lyrano recte confutari.* Quanti tamen ipse Heb. textum Versionemque habuerit, ex sequentibus perspicitur locis, quibus & alia adjici potuissent non pauca. Ad Exod. 3. Latinam Vulg. erroris coarguit. In Es. xl. *Licet expositio Postillatoris de hoc quod dicitur,* Super montem excelsum &c. *sit satis consona literæ & veritati secundum translationem nostram, secundum tamen Heb. Veritatem non totaliter consonat literæ. Pro quo sciendum quod &c. —— ly ascende est fæminini generis, non masculini. — Ideo ut* magis proprie *hæc verba secundum* veram *literam Heb. intelligantur, referenda sunt ad beatam Virginem & ad sanctam Elizabet. &c.* In Jer. vii. *Ubi nos habemus* Reginæ Cœli: *in Heb. habetur dictio* מלאכת *Melecheth, quæ uno modo significat* reginam, *& alio modo significat* opus; *& sic non designat unum certum Planetam, sed totum* opus *cæleste, quod & observatur ab Astronomis secundum*

cundum certas constellationes. In Mich. 3. *Ubi nos habemus*, utinam: *in Heb. habetur quædam dictio quæ uno modo signat idem quod* utinam, *& alio modo significat idem quod* si. — *Et secundum hanc significationem, scil. ultimam, sensus talis videtur esse &c.* In Additionibus ad Os. 9. 12. videtur comprobare quæ dicit *Lyranus* contra punctorum vocalium antiquitatem.

3. Alphonsus Tostatus, Episc. Abulensis, qui ob. 1454. æt. 40. Vir Gr. & Heb. doctus, in *Num.* 24. *Quæst.* 3. observat Codices aliquos Heb. non modo in punctatione quibusdam in locis librariorum vitio corruptos fuisse, verum etiam versibus quibusdam integris deficere. Quo in loco etiam observat errorem esse in Vulg. Versione, exinde ortum quod malam punctationem Hebræi secutus sit *Hieronymus*. *Sicut cassiæ, quas fixit Dominus*] *eadem dictio habetur in Heb. & in Psal.* 44. *ubi nos dicimus: Myrrha, & gutta, & cassia. Est autem facilis error in hoc. Vel quia Hebræi punctum mutaverunt in dictione ista, vel quia Hieronymus non curavit de illo. Eædem enim literæ, & tot, & in eodem ordine ponuntur in dictione, quæ significat tabernacula, quæ ponuntur in dictione significante Cassias. Differt tamen in quodam puncto, qui aliter & aliter literam sonare facit. Videtur tamen, quod iste error sit Hebræorum, & non Hieronymi, quia sententia non pertinet ad cassias: non enim figuntur cassiæ, sed plantantur; tabernacula autem figuntur: litera tamen dicit de fixione. Ergo debent hic poni tabernacula, & non cassia. Apud Hebræos autem facillimus error erat in puncto uno: non erat autem tam facilis, si mutarentur literæ, vel si esset alia dictio. Nec est inconveniens dici, quod libri Judæorum interdum corrupti sunt: nam nihil est propter quod eorum scriptores impeccabiles fateamur: potissimum, quia interdum majores errores sunt in libris eorum, & quasi generaliter, scil. quod interdum deficiant aliqui versus, sicut patet Jos cap. 21. ubi duo versus sunt in litera nostra circa finem cap. qui non habentur in libris Hebræorum communiter, & tamen Doctores eorum dicunt illos deficere, & quod in libris antiquis & correctissimis fuerint, ut dicit super locum eundem R. David Cambi.*

In Jos. 21. Q. 12. *Civitates quatuor cum suburbanis suis*] *Libri moderni Judæorum non habent istum versum, sive duos versus de urbibus quas dedit sors Ruben, sed iste versus necessarius est. — Judæi tamen habent libros suos nunc universaliter defectuosos, & hoc per defectum duorum versuum: sed non fuit hoc semper: nam quando transtulit B. Hieronymus, non erat defectus iste. — R. David Kimhi, qui de valde novis inter Hebræos est, dicit, quod hic deficiunt duo versus, scil. de civitatibus fortis Ruben, & dicit, quod invenit hos versus in antiquissimis libris, & valde correctis, licet in novis non habeantur. Ex hoc autem accipitur magnum argumentum, & valde utile contra Judæos: interdum enim nobis adversus eos litigium est circa aliqua, quæ ad Messiam pertinent, in quibus non sic habet litera nostra, ut sua: dicunt autem ipsi, quod ubi litera nostra deficit à sua, erravit, & quod scriptores sui sint impeccabiles, & nostri fuerunt valde defectuosi, vel translatores imperiti. Sed non possunt contra nos in hac parte gloriari, quia cum litera nostra deviaverit à sua, sicut ipsi dicunt nostram errasse, ita poterimus dicere literam eorum male habere, utpote scriptorum vitio jam corruptam. — Cum semel constet aliquid deficere, semper erit præsumptio, quod aliquid deficere poterit, nec magis faciet præsumptio pro sua, quam pro nostra, ubi mutuo discordaverint.*

Ad 4 Reg. c. 24. Q. 8. de eo disputans, quod ibi dicitur Joacim annorum fuisse 18. cum regnare cœpit, sed in 2 Paralip. ult. & apud Esdram, dicitur tum natum fuisse an. 8. dicentibus textum corruptum esse respondet, *eandem literam haberi in Heb. & non esse verisimile, tam Bibliam nostram, quam Hebræam esse corruptam. Præterea positionem istam esse nimis scandalosam; nam si dicamus hic S. Scripturam esse corruptam, eodem modo poterimus*

poterimus dicere de quolibet alio loco, cum sit eadem ratio, & cum non possit probari veritas S. Scripturæ per aliquam rationem priorem, manebit nobis dubium de tota S. Script quia poterimus dicere eam in omnibus locis esse corruptam, vel saltem non erit nobis firmum aliquam partem ejus esse veram. Addit, *de jure humano esse regulam, quod in ipsis juribus vitanda est correctio, & nunquam sunt jura corrigenda quamdiu possunt tolerari, sed expedit jura juribus concordare. A fortiori ergo in S.Script. hoc fieri debere, in qua nihil debere concedi devians à veritate, debere laborari pro concordia ejus, & sic quamdiu potuerint partes concordari, non esse dicendum, quod aliqua pars sit corrupta.*

4. In hoc felici seculo, quo renasci cœperunt bonæ literæ, quæ per multa jam secula intermortuæ jacuerant, inter studia Græcarum literarum reperti sunt multi, qui Hebraicæ quoque linguæ haud segnem navabant operam. Novasque Versiones moliebantur nonnulli, alii Veterem castigabant.

5. Vetus Instrumentum totum, excepto Psalterio, ad verbum juxta Heb. Veritatem transtulit Cardinalis Anglus cognomento Eston Monachus olim Norwicensis. Quam translationem penes se aliquando fuisse, sed postea furto subreptum, testatur *Rob. Wakfeldus*; qui ex Præf. hæc verba adducit: [a] *Quamvis enim Nicolaus de Lyra, & Paulus Burgensis Episcopus, ac alii nonnulli asserant per Judæos Biblion in multis locis corruptum, visa translatione Hieronymi, hoc tamen ego nunquam potui reperire.*

[a] Syntag. de Heb. Codd. incorrupt.

6. Marcus Lypomannus JC^tus & Patricius Venetus, qui initio hujus seculi & deinceps claruit à [b] *Blondo* dicitur *Græcas, Chaldaicas, Hebræas literas æque ac Latinas egregie doctus fuisse.* A Laur. de Palazolis Patavino in Encomio ejus, quod legimus in Cod. MS. Bibliothecæ Londinensis *Norfolcianæ*, dicitur, *Latinis literis non contentus, Hebræam, Arabicam, Græcamque eruditionem prosecutus fuisse, quantum humana industria effici potuit.* In ejusdem laudes extat in alio Vol. MS. ejusdem Bibliothecæ oratio *Johannis Spilibergensis*, cujus inscriptione dicitur *Latinarum, Græcarum, & Hebræarum literarum peritissimus.* In ipsa Oratione: *Tu non minus egregie in hac tua florenti ætate Græce & Hebrææ quam Latine differere prædicaris.*

[b] Italiæ descript.

7. Eodem tempore vixit Andreas Bilius, Mediolanensis, Augustiniana familia Monachus, quem & multa scripsisse, & *Græcam atque Hebraicam linguas optime nosse*, commemorat *Jac. Philippus Bergomas* in Chron. ad an. 1428.

8. Jannotius Manettus, Civis & Senator Florentinus, *Em. Chrysoloræ* in Græcis discipulus, dignitate equestri à *Nicolao* V. Pontifice decoratus, eique tandem & *Callisto* III. atque *Pio* II. à secretis, inter alia complura ingenii sui monumenta, ex *Hebræo Psalterium* vertit, cum aliis multis Bibliorum libris. Et Novi insuper Testamenti libros aliquot è *Græco* Latine reddidit. *In Lat. linguam ex Græca atque itidem ex Hebraica* (inquit [c] *Franc. Bocchius* in illius Vita) *convertit tam multos Veteris & Novi Test. libros, ut omnino mirum sit, quo pacto res tot & tantas vir unus potissimum civilibus negotiis districtus exhaurire naviter potuerit. Ugolinus Verinus* in Italia illustrata:

Est quoque Jannocti celeberrima fama trilinguis,
Plurima qui Hebræo de fonte volumina vertit
In Latium, & nostris dedit hæc noscenda Manetus.

[c] Elogiis Doct. Florent.

[d] *Pocciantius* ait illum *ex Hebræo Psalmos* 50. *& partem Veteris Testamenti* & *ex Græco Novum Testamentum* convertisse. *Psalterium secundum Hebraicam Veritatem, per Jannotium Manettum*, extare etiamnum in Bibliotheca Ducis *Urbini*, quæ partem nunc constituit Bibliothecæ *Vaticanæ*, testatur Catalogus *Possevinianus*. *Evangeliorum* quoque *& Epistolarum translationem ex Græco* per eundem, in eadem Bibliotheca asservari,

[d] De Script. Florent.

asservari, ex eodem intelligimus. *Viri probi, docti, & prudentis* elogio ornatur à *Possevino* in *Apparatu Sacro*. Fato functus est an. 1459.

9. LAURENTIUS VALLA, S. Th. Doctor, Ecclesiæ Lateranensis Canonicus, & *Nicolao* V. à secretis, qui obiit an. 1457. æt. 51. edidit *in Novum T. ex diversorum utriusque linguæ Codicum collatione annotationes.* In quibus è Græco Versionem Vulgatam reprehendit passim atque castigat, ut in Mat. XXVIII. *Certe Interpres deceptus est, &c.* ut unum tantum pro infinitis ponam. Ad 1 Cor. II. interpretem non fuisse *Hieronymum*, observat. Et quanti fecerit textum tum Hebraicum Veteris, tum Græcum Novi T. præ omnibus translationibus, licet intelligere ex illis quæ reponit *Poggio Florentino*, objicienti sibi in *Invectivis*, quod *Scripturam sanctam homo prophanus adeo contemneret, ut plura in ea non recte scripta asseveraret.* [a] *Merito* (inquit) *ais me, Poggi, contemnere Scripturam sacram, qui eam ipse tantopere verearis, cum Herculem, cum Jovem, cum Deos omnes testeris. Sed quid est per Deos bonos, ut tecum tuis verbis agam, sacra Scriptura? Omnisne Veteris Novique Testamenti interpretatio? At ista multiplex & varia, atque hæc illi magnopere repugnans. An ignoras ex Hebræo in Græcum primam translationem fuisse* LXX. *Interpretum, secundam Aquilæ, tertiam Theodotionis, ac deinceps perventum usque ad Sextam, atque ita apud Græcos Latinosque fuisse incerta omnia? Ubi quid dicas tu esse sacram Scripturam? certe nullam, nisi veram interpretationem. At hæc quæ sit, incertum est, utique in T. N. cujus multi fuere Interpretes, ut ex veteribus scriptoribus licet cognoscere. At inquies; Hieronymus utrumque Test. postea transtulit. Utinam quidem utrumque sincerum haberemus, etsi non eam omnes Ecclesiæ receperunt. Sed cur in multis eum non frequentamus, veluti in Psalmis secundum Heb. Veritatem? Quanquam Novum ipse non transtulit, sed aliquoties repurgavit, non tam in verbis, quam in sententiis, quod rursus, ut opinor, si reviviresceret, in quibusdam depravatum vitiatumque corrigeret, quemadmodum in Opere meo de collatione N. T. quod tu Opus invidiam vocas, ostendo. Itaque ne multus sim, si quid emendo, non Scripturam sacram emendo, sed illius interpretationem: neque in eam contumeliosus sum, sed pius potius: nec aliud facio nisi quod melius, quam prior interpres, transfero. Ut mea translatio sit, si vera fuerit, appellanda sancta Scriptura, non illius, etsi proprie Scriptura sancta sit ea, quam sancti ipsi vel Hebraice vel Græce scripserunt, nam Latinum tale est. Quare, stulte, ut semper, objicis mihi Hieronymum &c.* In [b] alio rursum libro adv. *Poggium*: *Si post* 400. *omnino annos ita turbidus à fonte fluebat rivus, quid mirum si post mille annos (tot enim fere ab Hieronymo ad hoc ævum sunt) hic rivus nunquam repurgatus aliqua ex parte limum sordesque contraxit? Quid ais? — si me Hieronymo non præfero? non confero? non ulla ex parte comparandum censeo? nec de illo quippiam dico, sed de verbis sacræ Scripturæ, ut opinor, vetustate corruptis? quid jactantiæ est, si dixero, Scripturam sanctam vere esse illius, quicunque is sit, qui optime transtulit? An non sancta Scriptura est, ubi melius dixerunt Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & quorundam aliorum, qui aut Judæi, aut hæretici fuerunt? Non enim sanctum virum vel facit, vel ostendit sancta Scriptura bene interpretata: nec prophanum ac malum male & indocte interpretata, quia non è doctrina aut linguæ nitore, sed fide & cordis puritate homines judicantur.* Paulo post: *Cur enim conferebam rivum Latinum cum Græco fonte N. Testamenti? An sicut Porphyrius, ut ipsum N. Testamentum impugnarem? ut religionem nostram labefactarem? ut Christo per illud opus bellum indicerem? an ut ei servirem, & in templum ejus saltem pilos caprarum, ut aiunt, si alia non possem, offerrem?* Lib. 4. contra Facium: *Est autem Psalterium quod nemo Latinus sine mediocri saltem Græcarum literarum peritia intelligat. — Atque utinam HEBRAICAM linguam plane noscerem, ut secundum HEBRAICAM &*

[a] In Pog. l. 1.

[b] Lib. 4.

VERITATEM & vocem PSALMOS edicerem, & quidem in ÆDIBUS SACRIS: nam ubi commodius?

[a] Apud Vallæ lib. 4. in Pog.

10. NICOLAI *Cardinalis S. Petri* ad *Vallam* extat [a] Epistolium, quo ait se illius librum *Annotationum* in N. T. (ubi Versionem toties castigavit, Græcoque textui nusquam non posthabet) à *Papa* accepisse, *optatque, si foret possibile, illius copiam, quoniam multum* (inquit) *mihi placet, & utilis est pro intellectu sacræ Scripturæ.*

[b] Ibid.

11. BESSARIONI Cardinali adeo non displicuit illud Opus *Vallæ*, ut locum quendam è Græco corrigendum, quem ille non animadverterat, ut adderet, admonuerit: sicut ipse testatur [b] *Valla.*

[c] Epist. Pontif. l. 1. Ep. 396.

12. PIUS II. Papa in [c] Epistola ad *Mahometem* Turcarum Imp. ubi de Scripturarum incorruptione agit, in hunc modum disserit. --- *Si qua corruptio intervenit, in ea potuit intervenire, quæ apud Hebræos remansit, non in ea quæ inter Latinos & Græcos divulgata est, & inter infinitas diffusa provincias.* Quanquam nec Judaica corrupta est, *quæ usque in hanc diem cum Græca & Lat. traditione concordat. --- Mahometi leve fuit unum codicem corrumpere. --- Quærimus ex te, magne Princeps, si, te judice, duo rationum codices afferantur, quorum alter ex altero transcriptus existat, & in eo de quo est facta transcriptio, Sempronius mille debere talenta scriptus est; in exemplari duo millia: cui potius fidem dabis, annon EXEMPLO potius, quam EXEMPLATO? HEBRÆI parentes antiquæ Legis existunt, & apud eos EXEMPLA Legis habentur, apud alios EXEMPLARIA &c.*

13. AUGUSTINUS DATHUS, Senensis, Reip. à Secretis, politioris Literaturæ, necnon Philosophiæ, atque etiam *Theologiæ* in Urbe patria Professor, qui vitam cum morte commutavit an. 1479. æt. 59. Hebraice peritus fuit, & in Oratione 3. *de Laudibus Philosophiæ* locum Scripturæ ex ipso Hebræo adducit: *Bene Hebræus Concionator; Chitoba och mach-mi peninim ue colhaphazim lois Vubah: quod cunctas opes sapientia præstet, & ejus pretium cum nulla re alia conferri debeat.* Rursus Orat. de Laudibus S. Hieron. *Jure itaque Hebræus quispiam Hieronymum Prophetæ verbis affari possit: Ma nim lezu: lechichchiim ratheca-middevasch lephi.*

14. Bibliorum excerpta ex Codice *Hebræorum* per Fr. ANTONIUM de MOGMIANO GUARDIANO an. 1466. asservantur hodie Petavii in Bibliotheca S. *Francisci*, uti monet Catalogus *Tomasinianus.*

15. DIONYSIUS CARTHUSIANUS, qui obiit 1471. Prolegom. in Gen. disputat utrum Hieronymo, qui negat LXX. Interpretum spiritum propheticum, an *Augustino* assentiendum sit. *Augustino* ipse consentit, & cum Hieronymus ait LXX. in quibusdam errasse, dicit id *exponendum esse pie, ut dicantur errasse, id est, aliqua omisisse, quod tamen ex certis causis fecerunt.*

16. JACOBUS PEREZ, *de Valentia* vulgo dictus, Episc. *Christopolitanus*, qui ob. 1491. vir in Rabbinicis exercitatus, Prologo in Psalmos Tract. 6. textus Hebræi punctationem hodiernam rejicit, tanquam à Judæis in odium religionis Christianæ excogitatam. Ait *post conversionem Constantini M. videntes Rabbinos omnes gentiles cum tanta devotione ad fidem Christi converti per totum orbem, & Ecclesiam tanto favore prosperari, & etiam quod infinita multitudo Judæorum videntes manifestam veritatem per experientiam & miracula, pariter convertebantur, & sic deficiebant quæstus, & reditus, & tributa Rabbinorum, hac iniquitate commotos magna multitudine congregatos fuisse apud Babyloniam Ægypti, quæ dicitur Cayre: ibique quanto magis caute potuerunt, conatos fuisse falsificare & pervertere Scripturas à vero sensu & significatione. Inde confinxisse supra 5. vel 7. puncta loco vocalium. Quorum punctorum inventores fuisse Raunia & Rauasse, duos Doctores eorum.* Addit, *istos Rabbinos confinxisse libros Talmud. Quando* (inquit)

(inquit) *Judæi negant tibi interpretationem* LXX. *vel Hieronymi, eo quod non convenit cum sua litera; dic quod mentiuntur. Sed dic eis, removeant puncta, & reperient veritatem. Est verum quod jam ignorant pro majori parte significationis vocabulorum, & etiam ipsa antiqua vocabula Hebraica: immo manent per omnia cæci, ignari, & confusi.* Ait *Ecclesiam Rom. acceptasse translationem Hieronymi, tanquam veram & Catholicam, sed noluisse ut traductio Hieronymi, nec aliqua alia præferretur interpretationi* LXX. *immo voluisse ut habeantur tanquam Prophetæ in omnibus, quæ interpretati sunt, & in his quæ addiderunt. — Hieronymum traduxisse Psalterium ex Hebræo jam punctuato, & interpretato per Judæos Talmudistas. Et hanc translationem bene acceptasse Judæos, eo quod convenit cum litera punctuata & interpretata. Ecclesiam Latinam non renuisse hanc translationem, veruntamen noluisse quod cantaretur in Ecclesia, eo quod est aliquantulum suspecta, cum sit traducta ex Hebræo jam interpretato & punctuato. Et hoc dici Psalterium secundum Heb. Veritatem, non quod illa traductio sit magis vera, quam traductio* LXX. *sed Hebræos imposuisse illi tale nomen, scil. Psalterium Hieronymi secundum Heb. Veritatem. — Hieronymum vero totum residuum V. T. interpretatum fuisse ex Hebræo non punctuato.* Hæc fingit *Christopolitanus*, ut Psalterium Latinum, quod exponit, tueretur, nec Versionem tamen Vulgatam cæterorum librorum deprimeret.

17. Marsilius Ficinus, Philosophus Platonicus, ac Theologus, Ecclesiæ *Florentinæ* Canonicus, Vir non modo linguæ *Græcæ*, sed & *Hebraicæ* notitia excultus, qui obiit an. 1499. *de Christ. Relig.* cap. 31. Textum ipsum Heb. hoc modo in testimonium adhibet: '*Verbum ratioque ipsa Dei, quia & sine motu & intelligibili modo gignitur, dum concipitur, jam paritur, simul adest, simulque cuncta componit. Antiquissima apud Patres vestros hæc sententia fuit, siquidem* Moyses *ait*: In principio creavit Heloym &c. *Heloym plurale est, singulare enim ejus est Heluel, creavit singulare. Nempe quia in una & simplici Dei essentia est quidam numerus Personarum, ideo Moses & alii multi Hebræorum in solo Deo hoc modo loquendi usi sunt nomine quidem plurali, & singulari verbo, atque è converso utentes. Significatur similis in Deo numerus.* Non poteris servire Domino, quia sanctus ipse, *HEBRAICA VERITAS habet*, quia Heloym sancti ipse. *Rursus Hieremias*: Pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri, *HEB. VERITAS habet*, Heloym haym, *id est*, *Deorum viventium. Quod autem sequitur, habet singulare, sicut nos habemus, & jungitur nomen Dei plurale verbo plurali in Regum libro* 2. Quæ est gens ut populus Israel? propter quam ivit Deus, ut redimeret sibi in populum. *VERITAS HEB. dicit*, Iverunt Heloym, *i. e. Dii. Item in Ecclesiaste legitur*: Quis est homo, ut possit sequi regem factorem suum? *Hebraicus textus dicit: Quis est homo, ut intret post regem, qui jam fecerunt eum?*" In cap. 30. ait se in disputationibus adversus Judæos *translatione* LXX. *Interpretum libentius uti, ut eos egregiis illustrium Judæorum armis convinceret.*

Comment. in Epist. Pauli Versionem Vulg. non raro reprehendit, & ex Græco emendat, cap. 9. *Non autem legendum est, tradidit in desideria, sed in desideriis, sic enim Græcus textus habet.* Cap. 10. *Ubi Latini Codices post iniquitatem habent malitiam ex πονηρίᾳ Græca traductam, ego libentius pono nequitiam, verbo Græco magis aptam.* Cap. 21. *Neque legendum est, per gratiam ipsius, quemadmodum Latini Codices habent, sed Veritate Græca, gratia ipsius.* Alia consimiliter legere est cap. 13. 15. 18. 25. 26.

18. Baptista Mantuanus, Ordinis Carmelitani in Conventu Mantuano Monachus, sexies à Congregatione sua *Vicarius Gen.* electus, & demum Carmelitarum totius Ordinis *Generalis* constitutus, qui obiit an. 1516. æt. 68. literis politioribus *Hebraicæ* linguæ scientiam adjecit,

tractatulumque edidit *de Causa Diversitatis inter Interpretes S. Scripturæ*: quo defendit Vulg. Versionem adversus Judæos, urgendo inter alia, Hieronymum aliter in suis Codicibus Hebraicis legisse, quam hodie legitur, diversisque subinde punctis vocabula animasse. Ait *se, ab ipsis Judæis audivisse, fuisse olim duos Hebræos linguæ suæ peritissimos, quorum unus* Ben-Nephthalim, *alter* Ben-Asar *vocabatur, & hos cum sacras Scripturas varietatibus viderent respersas, suscepisse curam corrigendi, & circa eas diu multumque desudasse, ut in unam omnia formam revocarent: remansisse tamen tandem in plerisque locis discordes, ut verificetur illud antiquum adagium: Quot capita, tot sententiæ. Ex hac* (inquit) *diligentia duorum istorum supplantati fuerunt veteres translatores: nam sublatis expunctisque dictionibus primis, quas nostri transtulerant, similes sunt suppositæ, quæ sensum longe alium pepererunt. His adjunge quod antiquitus Judæi scribebant sine punctis, sicut nunc quoque scribunt Pentateuchum, quo utuntur in Synagogis. Postmodum excogitarunt puncta & virgulas, quæ vocalium vicem gerunt.*

Ibidem fatetur Interpretes LXX. *in plerisque defecisse.* Et Vulgatam Psalmorum Versionem erroris arguit. *Illis adjungam tanquam corollarium & hos duos locos: in quibus quotidie, & quidem turpiter erratur à nostris. In Psalmo* CXLI. *nos legimus: Viduam ejus benedicens benedicam, ubi nullo modo Vidua legi potest, error iste venit à Græcis, natus ex similitudine duarum dictionum, scil.* θηρα & χηρα· *prima Venatio, secunda vero Vidua interpretatur. Qui ergo Viduam transtulit,* χήραν *in Græco scriptum invenit, quæ lectio nullo modo stare potest: quia zeda legitur ab Hebræis: zeda autem viaticum vel venatio interpretatur, non vidua, quæ Hebraice dicitur almana. Alius item error venit à Græcis. Nam in Psalmo* LXXXVI. *legitur à nobis: Nunquid Sion dicet. Qui sic transtulit, scriptum in Græco reperit* μήτι, *quod est nunquid. &c.*

In Novo Test. ait ibidem, ad Græcum textum *oportere haberi recursum.* In Tract. *de Conceptione Christi*, quem paulo ante scripsit, Psalmorum locum alium ex Hebræo castigat, monetque quam periculosum sit translationibus fidere. *Si dicant isti se præsupponere translatores bene fideliterque transtulisse: Respondetur, quod periti Scripturarum sciunt Interpretes sæpenumero discordare, decipi, & errare, ut in multis & pene infinitis Scripturarum tam gentilium, quam nostrarum locis apparet: & si huic certamini se exponerent nostri amici, magnum eis ab adversariis daretur negotium. Quod ut exploratum habeas subjicio exemplum. In Psal.* CX. *communiter legimus, & à tota Ecclesia tam Græca quam Latina mos iste receptus est. Tecum principium in die virtutis tuæ: in splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te. Tamen Hieronymus in translatione ad Chromatium, quam secundum Hebraicam Veritatem dicit factam, multo aliter transtulit: dixit namque, Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuæ: in montibus sanctis de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ. Et hinc cognosci potest, quam sit periculosum in re tanti momenti fidere translationi, & per locum tam salebrosum clausis luminibus, & sine aliquo adminiculo pertransire.*

19. Politioribus literis *Hebraicas* quoque adjecit ANGELUS POLITIANUS, Ecclesiæ Florentinæ Canonicus, qui an. 1494. ætatis suæ 40. defunctus est. Hebræorum puncta hodierna novitia esse, contendit ille ex auctoritate *Joannis Mirandulani* Comitis, Miscellan. cap. 14. *Quin Gallus Solomon, ordinarius apud Hebræos enarrator sacrarum literarum, Neuel ait esse Hebraice, quod ibi* (ap. Dan.) *Psanterin id est Psalterium legatur. Constat autem literis id nomen tribus* נבל. *ex quo etiam Nauel in Esaia legitur, & Amos, & Græca dein figura Naulon, à quo diminutum fit Naulion Ovidianum. Siquidem Noviciæ istæ sunt notæ, quibus Hebræi nunc pro vocalibus utuntur, ut idem & comperit & ostendit Joannes Picus Mirandula meus, unus omnium prorsus ab omni parte beatissimus, in opere singulari atque admirando,*

mirando, quo Psalmos à LXX. *versos, isto notarum præcipue argumento, docet Hebraicæ Veritati respondere. Ne jam insultare Judæus aut objicere possit, ea nos in templo singulis canere horis, quæ ne ipsi quidem satis versa fideliter existimemus.* His verbis etsi patrocinari videatur vulgatæ *Psalterii* Versioni; postea tamen in eodem Opere ex Psalterio Hebraico locum adducens, istum aliter quam habetur in *Vulgata* interpretatur. Cap. 83. de Harpocrate Deo, quem Ægyptii *silentio* colebant, verba faciens; *Quod idem etiam* (inquit) *de summi Dei cultu prolixe Porphyrius* ἐν τῷ περὶ ζώων ἀποχῆς. *Quin David item Propheta Psalmum ita quempiam incboat* לך מיה תהלה אלהים בציון *Leba dumia tehila elohim bezion. Id Latine significat: Tibi* SILENTIVM *laus, Deus in Sion. Quod aliter tamen interpretes* LXX. *verterunt, hoc est: Te decet hymnus, Deus in Sion. Quare Harpocratem puto Ægyptii suis adhibebant sacris, qui silentio colendum ostenderet summum Deorum.*

20. JOANNIS PICI MIRANDULÆ opus, quod designat *Politianus*, erat, *Defensio pro* LXX. *Interpretibus, quantum ad Psalmos attinet, adversus Judæos.* Molitus est præterea libellum *De Veritate translationis adversus Hebræorum calumnias*, cujus meminit in Vita ejus [1] *Franciscus Mirandula.* Neutrum opus nunc extat. Quid vero in utroque præstiterit vel præstare voluerit magnus Juvenis, intelligimus ex *Politiano.* Nempe abjectis Hebræorum punctis hodiernis, Versionem Psalmorum LXXviralem, cæterorumque librorum *Hieronymianam* Textui Hebraico reconciliare nitebatur, utraque cum Hebraicis fontibus sedulo collata. De eodem suo opere in Psalmos meminit ipse in Epistola anni 1489. *Differt autem emendationem* (carminis) *instans ratio & urgens novi operis quod habeo in manibus hortatu Laurentii Medicis, in quo Davidicos hymnos non solum illumino longiori interpretamento, sed quoniam quos Ecclesia decantat, hi à* LXX. *versi sunt Interpretibus, eamque translationem plusquam sexcentis locis, uti parum fidelem Hebræi coarguunt*, ego proprietati innixus Hebraicæ & Chaldaicæ literaturæ, *cum & sensuum integritati, illos ab omni Judæorum calumnia assero & defendo.* Hinc conspicuum est illum hoc unum sibi propositum habuisse, non ut Textum deprimeret, sed ut ei Versionem consonare ostenderet. Illum fontem rivulis omnibus quibuscunque prætulisse, ubi nullo modo instaurari posset concordia, ex cæteris ejus, quæ supersunt, operibus, cognoscimus. Heptapli lib. 2. cap. 2. *Super hunc ferebatur, aut ut Veritas habet Hebraica, & Syrus Effren transtulit, incubabat huic spiritus Domini.* Ibid. lib. 3. cap. 5. *In Regum historia legimus juxta* Hebraicam *literaturam Salomonem his verbis orantem: Exaudi, O Cælum, &c.* Comm. in Psal. 36. *Per infirmitates autem intelligit Idola, & ita habet textus Hebr.* Expressius in lib. 5. in Astrol. cap. 8. ubi de discrepantia textus & Versionis LXX. in annis antediluvianis hæc habet: *Sicubi vero in sacris voluminibus Editio Græca in hac annorum permensione ab Hebraica Veritate discordat, non potest quisquam recto judicio* AVCTORI IPSI PRÆPONERE FIDEM TRANSLATORIS, *præsertim cum numero Hebræorum non solum accedat Hieronymus, sed accedendum etiam putet Augustinus, qui etsi veterem translationem libenter sequitur & probat, ubi tamen de hac varia annorum dinumeratione facit mentionem, fidem ait rerum gestarum ab ea lingua esse petendam, ex qua translatum est quod habemus, atque ita ut ille quod diversum est apud* LXX. *mysterium putet potius quam errorem historiæ, tamen hoc est, literæ veritatem apud Hebræos esse non dubitat.* In Epistola ad *Baptistam Mantuanum*, sciscitanti quid ipse censeret de differentia textus Heb. & translationum in vocibus *ipsum* & *ipsa* Gen. 3. respondet concedendo Textus

1 Ait ibi librum illum *editum* fuisse. Sed neutrum typis *editum* fuisse aut absolutum, apparet ex Francisci ejusdem Mirandulæ Epistola 1345. 6.

Heb. lectionem recte se habere, licet utraque translatio è contra dissentiret, Versionesque ita explanando, ut voce tantum, non sensu, ab eo recederent. *De diversitate translationis nostræ à litera Heb. in 3. cap. libri Gen. ubi de Eva agitur & serpente, sic equidem censeo. Est in Hebr. quemadmodum scribis*: Ipsum conteret caput tuum: *referturque ad semen Evæ, de quo dixerat*: inimicitias ponam inter semen tuum & semen illius. LXX. *vero & Hieronymus transtulerunt*, ipsa conteret caput tuum. *Utrobique autem idem sensus. Nam quod dicitur*, ipsa conteret, *non tam ipsam Evæ personam, quam Evæ posteritatem respicit, cum id dicatur factura, quod in semine suo factura est. Sed cur maluerint* ipsa *vertere, quam* ipsum? *Hoc fuisse arbitror in causa, ut significarent, cum ex Eva non fæminæ solum sed mares essent propagandi, quod de semine dicebatur ad fæmineum solum semen referendum. Hæc sunt quæ super hac re in præsentia in mentem veniunt.*

Quod spectat ad Puncta seu Vocales Hebræorum in Epistola quadam, sed quam scripserat ante aliquot annos, nempe an. 1486. eorum ipse antiquitatem agnoscit ac tuetur. *Ut ad ea veniam quæ de Chaldæorum Hebræorumque literis desideras, percunctatus sum ego sæpe Mithridatem & multos Hebræos de his quæ apud Hieronymum in Galeato Prologo leguntur, ubi ille scribit eosdem olim fuisse Samaritanorum & Hebræorum characteres, Esdram autem post instaurationem templi sub Zorobabel alias adinvenisse literas, quæ nunc sunt in usu, nescios se hujus mutationis omnes prædicant, & (quod majus est) pro comperto habent iisdem quibus nunc utimur in Hebraica literatura apicibus usos & Mosen & Patriarchas antiquos omnes; cui sententiæ, ut nunc mihi subvenit, fidem maximam facit scientia Cabalæ, cujus scriptores, qui cum ipso Esdra in synodo fuerunt, sub ipsis literarum characteribus & figuris, quibus nunc Legem descriptam habemus, dissimulasse Mosem divina mysteria, & volunt & probant: quod esse nullo modo posset si aliis Moses ab his quibus nunc utimur characteribus usus fuisset. Quo tamen tutari dictum Hieronymum possim, hoc unum habeo, quod nuper legi in commentariis libri, quem pater antiquus Abraham de Creatione edidit, dum enim duas illas & triginta portas, quarum meminit, authores interpretantur, dicunt numerum illum ex decem numerationibus & duabus ac viginti literis conflari. Reliquas autem literas, quæ sunt mem, tzade, pe, caph, & nunquam duplices dicuntur, quarum characteres sunt* ך ף ץ ם *ab Episcopis sive præfectis additas fuisse: hoc forte Hieronymus intellexit, cujus testimonium & haberi apud omnes omnibus in rebus debet, & habetur profecto apud me sanctissimum.* Hæc ille. Fatis cessit divino vir ingenio, eodem quo *Politianus* anno, æt. 31.

21. Jo. Wesselus Gansfortius, Groningæ in Frisia natus an. 1419. & an. 1489. denatus Vir *Græce* & *Hebraice* doctus, à nonnullis *Lux Mundi* dictus, S. Scripturæ textus originales usque adeo cordi habuit, ut à *Sixto* IV. Pontifice Romano beneficium aliquod sibi petere jussus, non aliud petierit quam *Biblia Græca* & *Hebraica* ex Bibliotheca Vaticana sibi dari. Demirante Papa & interrogante, quare non *Episcopatum* aut simile quippiam peteret? respondit, *Quia istis opus non habeo.* Hæc de eo testatur *Hen. Pantaleon De Germ. illustr.* & *Vitæ Wesselianæ* scriptor, qui etiam sancte testatur hæc ipsa Biblia *Hebræa* diu *Groningæ* hæsisse apud *Virgines Spirituales*, eorumque hodie quædam fragmenta superesse.

22. Rodolphus Agricola, idem quoque *Groningensis*, qui obiit an. 1485. æt. 43. Vir Græcæ & Heb. linguæ callentissimus, ex Hebræo Psalterium vertit: teste *Trithemio de Script. Eccl.* [a] *Erasmus* scribit illum *extremo vitæ tempore ad literas Heb. ac Scripturam divinam totum animum appulisse.*

[a] Adag. Quid Cani & balneo.

23. Joannes Crestonus, Placentinus, Carmelita & Doctor Papiensis

Papienſis, qui floruit circa an. 1480. linguæ Græcæ peritus, Hebraicæ non item, cum ei non arrideret *Pſalterii* Vulgata editio, de novo illud è Græco Latinum fecit, & *Ludovico Donato* Epiſcopo *Bergomenſi* dicavit. Opera ejus extare impreſſa teſtatur *Trithemius* in *laude Carmelitarum.*

24. JOANNES REGIOMONTANUS, qui eodem tempore claruit, & obiit an. 1476. æt. 40. Novum Teſt. *Græcum* tanto pretio habuit, ut integrum ſua manu elegantiſſime exararit, legendoque ſibi familiare reddiderit. *Pantaleon de Germ. illuſtr.*

25. Biblia Latina, quæ prodiere an. 1486. jactat editor correcta fuiſſe ex Græcis Hebræiſque fontibus, his verſiculis:

> *Fontibus ex Græcis Hebræorumque libris*
> *Emendata ſatis & decorata ſimul*
> *Biblia ſum præſens, ſuperos ego teſtor & aſtra.*

26. *Matthæus Boſſus*, Veronenſis, lib. 3. *De veris ac ſalutaribus animi gaudiis*, quod opus ſcripſit circa an. 1465. ait *Eccleſiam* ſequi τῶν LXX. ſupputationem annorum. *Atque etiam annos, quos inquit Lactantius ante judicium mundi duraturos, & jam prateriiſſe videmus, cum ut Paulus Oroſius Septuagintaque Interpretes ſupputant, quos Eccleſia ſequitur, à conditione rerum ad nos uſque jam anni plures quam 6460. fluxerint.* De vulgo ſaltem Chronologorum hoc verum eſt, qui *Euſebii* Chronicon ab Hieronymo tranſlatum maluerunt ſequi, quam novæ annorum ſupputationi laborioſe operam impendere. Et paulo quidem antequam ſcripſit *Boſſus*, Chronicon *Euſebianum* ad ſuum uſque tempus continuatum ediderat *Matthæus Palmerius* Florentinus. Eandem Chronologiam, poſt Hieronymi ætatem ſecuti fuerant *Proſper*, *Caſſiodorus*, *Marcellinus Comes*, *Idacius*, *Joannes Abbas*, *Iſidorus*, *Auctor mirabilium S. Scripturæ*, *Gregorius Turonenſis*, aliique Multi. De Eccleſia Græca res eſt certiſſima: nec mirum. *Sciendum eſt, quod aliter computant Hebræi, & aliter Romanæ Eccleſiæ traditio.* Quæ verba ex *Anaſtaſio Sinaita* citat *Nierembergius*; ſi recte, per *Eccleſiam Romanam*, intelligenda eſt *Græca*, nam Græci recentiores ſe *Romanos* nominabant. *Veterum Eccleſiarum omnium traditiones comprobare* computationem annorum ad Diluvium juxta LXX. ait *Nicephorus* Patriarcha in Chronologia. Et in ſexta Synodo (ut vocant) Oecumenica anni numerantur juxta LXX. 6199. Quinetiam in Romano *Martyrologio*, quod in Eccleſia quotidie publice decantatur, 8. Kal. Jan. ſic de tabulis Eccleſiaſticis Nativitas Domini populo quotannis annuntiatur: *Anno à creatione Mundi, quando in principio creavit Deus cælum & terram, quinquies milleſimo nonageſimo nono: à Diluvio vero anno bis milleſimo nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo &c.* Hinc [a] *Nierembergius*, quaſi Eccleſia Latina, utramque tam diverſam Chronologiam, Græcam ſcil. & Hebræam, reciperet ac comprobaret, veram eſſe contendit, eaſque componi poſſe ratione *myſtica*. *Jo. Nauclerus*, qui eodem ſeculo 15. claruit, in *Chronico* ſuo hæc habet: *Ab Adam uſque ad Diluvium, fluxerunt anni 1656. ſecundum Heb. Veritatem. Secundum vero LXX. Intt. quibus Philo, Beroſus, Metaſthenes, & Moyſes contradicunt, numerantur anni 2242. Prima ſupputatio VERIOR eſt, altera videtur eſſe COMMUNIOR.*

[a] De Orig. S. Script. l. 7. c. 19.

27. Primus omnium in Germania *Græcas Hebraicaſque* literas publice profeſſus eſt JOANNES REUCHLINUS, alias CAPNIO, Juris-Conſultus, qui natus eſt an. 1455. Linguæ Hebrææ deſiderio uſque adeo exarſit, ut cum antea iſtius rudimentis fuiſſet imbutus, Legatum Romæ agens, Judæum alium aſſumpſerit ſibi magiſtrum, eique pro ſingulis horis ſingulos aureos Minerval dederit. Epiſtola quadam ad *Leonem* X. Pontificem, quæ ſubjicitur ipſius libris *Cabaliſticis*, ait ſe *primum omnium*

Græca

Græca in Germaniam reduxisse, & primum omnium Ecclesiæ universali artem & studia sermonis Hebraici *condonasse atque tradidisse*. S. Scripturarum gratia Hebraicis se studiis operam dedisse testatur ipse locis compluſculis. Prooemio in libros *De rudimentis Heb.* ad *Dionysium* Fratrem, deplorat *communem sacrarum literarum jacturam, quæ cum multitudine sophismatum annis superioribus, tum maxime tunc* (an. 1506.) *propter eloquentiæ studium & Poetarum amœnitatem, non modo negligebantur, verum etiam à quamplurimis contemptui habebantur. Hæc sibi cogitanti, in mentem venisse tandem opportunum quoddam remedium, ne sanctæ Bibliæ scriptura vel aliquando tota periret, & simul animarum nostrarum progressus cum suavi cantu Sirenum, quas ne Ulysses quidem audiret, ad inferos abiret. Ad istum autem modum ei periculo succurrendum* (inquit) *putavi. Primum omnium, cum sit in animis nostris* (*nescio unde*) *insitum multæ varietatis desiderium, erit necesse veterem sanctarum literarum dignitatem in novam faciem Latinis hominibus hactenus incognitam reverti, ut nimia familiaritate quotidianæ lectionis explosa, novum & nativum in divina Scriptura dicendi genus, quale os Dei locutum est, nosmet ipsi non sine quadam inauditi ac recentis nuper studii admiratione apprehendamus. Tunc enim tollitur omnium interpretationum commune fastidium, cum illa ipsa Veteris T. Biblia in sua primordiali, hoc est, Hebraica lingua, & legi à nostris & intelligi possit. —— Ego miseratus tam sanctas literas, indolui mea ætate studiosos diutius Heb. linguæ scientia carere.* Præfatione ad VII. Psalmos Pœnitentiales Latine ex Hebræo de verbo ad verbum à se conversos, & una cum Commentariolis ed. an. 1512. *Ut mihi pacem optatam quærerem, quæ absque Christo contingere potest nemini, interdum ad S. Scripturam diverti, quæ tota Christi est, sive ea sit in V. Instrumento Hebraicis literis, seu in Novo Græcis conscripta. Et illius ergo, Romanum loquendi morem prius adeptus, denuo utramque linguam didici, & Græcam & Hebraicam, ut sanctissima oracula & eorum hierophantas interius capere possem. — Durum autem post eas disciplinas & agreste nimis judicabam, amicis negare humanitatis officia, sæpe multumque & coram & per Epistolas nunciosque à me petentibus, & eis moleste admodum & ut aiunt intolerabiliter ignorantibus, aliis quidem Græca divulgarem, aliis autem Hebraica. Quare pio amore ductus, cum antea docuissem multos in Græcis literis, & per Grammaticam artem, cui titulum inscripsi Micropedia, dolavissem quicquid potui, novissime ad decorem & splendorem sacratissimæ Theologiæ, & theologicorum virorum utilitatem, ipse ego totam linguam Heb. primus omnium in literis, in dictionibus, & regulis collective, legibus mancipavi Latinis.* Tantus denique in illo affectus erga Biblia emicuit *Hebraica*, ut quod fertur de *Wesselo*, de eo pene idem à Scriptoribus satis idoneis referatur. *Eberardi* nempe *Barbati* Principis Wirtenbergensis nomine, ad Cæsarem *Fridericum* III. cum aliis quibusdam amplissimis Viris legatus missus, quum ut fieri consuevit, aliis mire splendide lautia, ut vocant, nimirum aut equi pulcherrime instrati, aut aureæ phialæ, & reliqua id genus dona darentur, hic antiquissima quædam & bene descripta *Hebraica Biblia*, quam vel immensum auri pondus à Cæsare accipere maluit. Auctor est, inter alias, *Jo. Brassicanus* Præf. in *Salvianum* ed. an. 1530. Contendebant Theologi quidam cucullati, omnes libros Judæorum *præter S. Biblia*, concremanda esse: è contra libro edito obnixus est *Capnio* quapropter ab illis gravissimam patiebatur persecutionem; donec tandem *Leonis* Pontificis sententia ab eorum liberatus est rabie.

Puncta vocalia ab *Esdra* adinventa fuisse, statuit: Cabalæ lib. 3. *Nondum enim erat Scripturæ distinctio per Puncta & Accentus, quæ ab annis Ezræ primum cœpit.* Fallitur [a] *Morinus*, cum per, *ab annis Ezræ*, putat illum intellexisse, *post Ezræ tempora*. Sensum istum verba haud ferunt. Sed

[a] Exercit. 12. lib. 2. c. p. 2.

Sed & ipse postea quid sibi voluerit, his explicat verbis: *Quinque terminales* (literas) *longe post ille prudens Ezra simul cum punctis adinvenit.*

Eum Versionem Vulg. in loco quodam *Numerorum* cap. 17. reprehendere, tanquam cum Heb. non satis consonam, observat *Steuchus Eugubinus* in *Recogn.*

28. Claruerunt alii nonnulli literatura *Hebraica* ante exitum istius seculi. In quibus sunt *Jo. Annius* Viterbiensis, *Sebastianus Murrho* Colmariensis, *Jo. Camerarius Dalburgius* Episc. Wormaciensis, & *Jo. Trithemius* Abbas Spanheimensis, cujus manu exarata Hebraica quædam vidi in Bibliotheca [a] *Bodleiana*, & *Jo. Franciscus* Comes Mirandulanus, *Jo. Pici* ex fratre Nepos, de quo in sequentibus. Inter eos vero Judæos, qui in Germania versabantur, repertus est nemo circa finem illius seculi, & sequentis initio, qui *Christianum* quemlibet erudire voluerit. Quod testatur *Reuchlinus* ad calcem Operis de *Rudimentis Heb.* Id vero recusabant invidia, ut videtur, ducti; specie vero, R. *Ami* cujusdam auctoritate, qui in *Talmud* ita dixit: *Non explanantur verba Legis cuiquam gentili, eo quod scriptum est, Qui adnunciat verba sua Jacob, præcepta sua & judicia Israel, non fecit similiter omni genti.* Huc spectat illud quod dicit S. Hieronymus, *Barbaninam*, magistrum suum, metu suorum popularium non nisi *noctu* ad se accedere ausum fuisse. Sic refert *Picus Mirandula*, magistrum suum *Mithridatem* docere se *Chaldaicam* linguam nulla voluisse ratione, nisi juratum prius, & quidem conceptis verbis, ne illius vel alphabetum cuiquam traderet: & cum forte *Hier. Benivenius* adesset dum Mirandulam ille docebat, furentem *Mithridatem* hominem eliminasse.

[a] NE. A. 3. 17

29. Conradum Pellicanum, Rubeacensem, qui natus est an. 1478. primo Monachum, postea Tiguri literarum Heb. Professorem, ferunt ea de causa huic linguæ animum in juventute naviter applicuisse, quia viderat aliquando, Theologum quendam Doctorem cum Judæo de fide Christianorum disputantem, non solum à Judæo, sed à Judæa ad silentium redactum. A nonnullis dicitur idem præceptorem nullum habuisse, verum propria industria Versiones inter se conferendo, insignem ejus linguæ notitiam, omnibus stupentibus, consecutus fuisse. Sed fuisse illum *Reuchlini* discipulum, certum habeo.

30. Meminit [b] *Erasmus* Prioris cujusdam Monasterii Cartusiensium apud *S. Odamarum* Artesiæ oppidum, qui his temporibus è libris Reuchlini *mire literas Heb. assecutus est nullo præceptore.* Erat is *Jo. Quonus*, cujus extat Epist. ad *Jac. Fabrum Stapulensem* inter illustrium virorum ad *Reuchlinum* Epistolas. Usque adeo exarserunt nonnulli temporibus illis Scripturarum *Hebraicarum* studio!

[b] Epist. ad Reuchlin.

31. Quam ea ætate in *Germania* vigere cœperit S. Scripturarum doctrina ex Linguarum Græcæ Hebrææque cognitione, intelligi datur ex *Martini Lutheri* Epistola ad *Reuchlinum* scripta an. 1518. *Hoc in te egit Dominus* (inquit) *ut Tyrannus Sophistarum aliquando & tardius & mitius disceret veris Theologiæ studiis resistere, ac respirare inciperet Germania, Scripturarum doctrina tot heu! annorum centenariis non tam oppressa quam extincta. Non erant hæc initia danda pulcherrimorum studiorum per hominem parvæ gratiæ. — Unde nunc tot surgunt proceres literarum sacrarum.*

32. *Hebraica* Biblia primum edita sunt *Bononiæ* an. 1488. postea Venetiis per Bombergum 1491. deinde Brixiæ 1494. Prodiere etiam ante an. 1506. *Soncini*, *Pisaurique*. Ea *passim in Italia* impressa fuisse testatur *Reuchlinus* Præfatione *Rudimentorum* edit. an. 1506. quorum nullum tamen exemplar ob *Maximiliani* Cæsaris bellum Italicum cis Alpes fuisset transvectum, queritur.

33. De Codicum Hebræorum caritate conqueritur *Georgius Simlerus*, Ordinarius Tubingensis, in Epistola ad *Reuchlinum* dat. an. 1509. ubi

etiam de Scripturis ex *Hebræo* emendandis verba facit. *Non possum illud probatissimi Poetæ, Præceptor doctissime, non recordari, quæ te tam læta tulerunt secula, quando nobis infelicitas temporum (injuriam verius dixerim) invidit eam supellectilem, quæ ad ingenii cultum pertinet. Appellamur & interpellamur assiduo propter extirpandam barbariem in sacris Codicibus ex amanuensium lituris passim inlitam inspersamque. Verum enimvero falx deest. Nobis quidem videtur æqui bonique facile esse consulere inter nostros, quanquam (ut est apud Hieronymum in proœmio super Job) tanta sit vetustatis consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placent, dum magis pulchros habere volunt codices, quam emendatos. Proficere igitur nobis est animus, si codices Hebræi extarent, ut genuino & gentilicio idiomate versati dirum & pestilentem quibusdam & fere publicum errorem eximeremus, qui S. Spiritus oracula divinitus ad nos derivata, pro arbitrio suo corrigere, potius invertere & depravare conantur. Tu nobis ansam capulumque falcis præbe, & vel Psalteriolo, uti pollicitus es, succurre, mox mox ad ædes tuas redituro quamprimum. Scio namque pectus tuum recenti adhuc æstu curarum ex ædificatoria sollicitudine quiddam defervere indignum liberalissimis literis, Hebræas significo, quæ virum undefariam rotundum integrumque, & nulla penitus animi nebula turbatum sibi vendicant. Quæ possunt exclamare, Sancti estote, nos quidem sancti sumus. Lingua certe brevis, sed succi ac sensus plenissima. Quid plura? Misertum est me Reip. literariæ, quotiens cogito me esurire codices chartaceos, atque alii parcissime tractant eboreos. &c.*

34. Hac ætate cœpere textus Heb. & Latina Versio in eisdem voluminibus è regione exarari. Cujusmodi visuntur volumina aliquot apud nos inter Codd. MSS. Collegii *Corporis Christi*, viz. bina Bibliorum volumina, in quibus continentur Pentateuchus & Prophetæ cum duplici Versione Latina, altera Vulgata, altera per aliquot libros interlineari; *Samuelis* liber 1. Hebraice & Latine; quem sequuntur libri *Chronicorum* Hebraice cum Versione interlineari; *Psalterium* Heb. cum duplici ed. Lat. *Gallicana* & *Romana*, è regione opposita; Psalterium rursus Heb. cum una Versione Lat. scil. *Romana*. Ejusmodi volumen aliud Hebræo-Lat. cum alia Versione interlineari, complectens libros *Josue*, *Judicum*, *Cant.* & *Eccles.* servatur in Bibliotheca Collegii *S. Johannis Baptistæ*.

35. Ineunte seculo XIV. viz. an. 1311. à Clemente V. P. in Concilio Viennensi editum est Decretum de linguarum *Heb. Chald.* & *Arab.* (addo, & Græcæ) Professoribus in *Curia Rom.* ubicunque ea esset, & in Academiis *Oxoniensi*, *Parisiensi*, *Bononiensi*, & *Salamanticensi*, instituendis. Quod decretum cum irritum prorsus esset, denuo novis suffragiis confirmatum est à Concilio [a] *Basil.* an. 1534. à quo etiam præceptum est (quo efficacius observaretur) ut Rectores dictarum Academiarum, inter alia, quæ in assumptione rectoratus jurarent, jure jurando promitterent operam se pro Constitutionis observatione daturos: & ut in Conciliis illarum provinciarum, in quibus Academiæ dictæ constitutæ sunt, linguarum harum Professoribus honesta stipendia decernerentur. Cæterum & hæc quoque Constitutio in nihilum recidebat. Hebrææ linguæ professio publica cum salario certo in nulla Academia instituta est ante an. 1512. quo *Lovanii* institutum est Collegium *trilingue*, conditore *Hieronymo Buslidio*, Juris-Consulto. Cujus exemplo, in aliis postea Academiis earundem linguarum, Heb. Græcæ, ac Lat. Professores instituebantur, *Parisiis* à *Francisco* I. Rege, *Oxonii* & *Cantabrigiæ* ab *Henrico* VIII.

[a] Sess. 19.

36. An. 1508. *Correctorium Bibliorum* Coloniæ edidit Jac. Magdalius, Batavus, Ord. Præd. vir Græcis & Heb. literis imbutus. Quod Opus ego non vidi.

37. An. 1509. (rursusque 1513. & tertia rursus vice) *Quintuplex Psalterium, Gallicum, Romanum, Hebraicum, Vetus, Conciliatum* edidit, Jacobus

BUS FABER, Stapulensis. *Conciliatum* appellat *Gallicum*, in quo pauca quædam adduntur aut mutantur, *quo magis* (inquit) *Veritati & Hebraico concordet Psalterium*, & quandoque ut aptior & accommodatior habeatur sermo.

Edidit idem paulo post initium seculi XVI. S. Pauli Epistolas omnes, Vulgatæ editioni è regione apposita Versione Nova à se ex *Græco* facta: & præmissa *Apologia* contra Vulgatam interpretationem, quam non esse *Hieronymi* contendit. Prodiit idem opus secunda vice Parisiis apud *Hen. Stephanum* an. 1512. & rursus ibid. an. 1515. & 1531. *Gullelmo Briconneto* Episc. *Lodorensi* dicatur Volumen. In Epist. Dedicat. *Nonnulli* (inquit) *forte mirabuntur non parum, quod ad tralationem Hieronymi intelligentiam Græcam adjicere ausi fuerimus, id nimis insolenter factum arbitrantes: & me temeritatis & audaciæ, non tam accusabunt quam damnabunt. Quibus nihil succensemus. Nam juste id quidem facerent, si ita res haberet, & ut ipsi conjectant, & jam quamplurimis est persuasum. Verum nos bona venia dignabuntur: cum plane intelligent nos ad sacri Hieronymi tralationem nihil ausos, sed ad vulgatam editionem, quæ longe fuit ante beatum & gloriosum Ecclesiæ lumen Hieronymum, & quam nobiscum ipse suggillat, carpit, & coarguit, & quam veterem & vulgatam appellat editionem.* Apologiæ initio: *Quia in præfixa paulo ante Epistola jam diximus nos ad tralationem Hieronymi nihil adjecisse (neque enim id præsumpsissemus) nunc consentaneum visum est, ut Epistolarum beatissimi Pauli vulgatam editionem, qua passim Ecclesiæ utuntur, non esse Hieronymi, sed priorem eo fuisse, bona omnium gratia ostendamus. &c.* Addit neque traductionem *Evangeliorum* neque aliorum librorum T. N. esse *Hieronymi*. Vulgatam in Commentariis passim carpit, & erroris incusat.

Editione *Evangeliorum*, quæ una cum Commentariis emisit an. 1521. (rursus an. 1541. *Coloniæ* prodierunt) quid præstiterit, his edocet verbis: *Primo loco vetus occurrit editio. Deinde annotationes breves, quæ partim quod in vetere editione obscurum est, illustrant: partim quod vitiatum est, emendant: partim quod apud Græcos plusculum est, adjiciunt præposito asterisco: partim quod non habetur apud illos, confodiunt obelisco; partim alia subindicant, quæ ab iis, qui quantulacunque luce donati sunt, facile intelligentur. Quæ omnia, tum mentium, tum veteris literæ purgationem efficiunt. Tertio loco sequitur Commentarius, exactius consimilia efficiens, id est, interdum veteris literæ, interdum mentium, interdum utrorumque illius mendas, harum caligines detergens.* Comment. in Cap. 2. Matthæi, existimat Interpretem Græcum qui illius Evangelium ex *Hebræo* verterit, male reddidisse textum istum: *Et tu Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda.* Quem in Evangelio *Hebraico* eodem modo se habuisse, quo in Hebræo *Micheæ* Prophetæ, non dubitat.

In editione *Epistolarum Catholicarum*, quæ prodiere an. 1525. & postea Antverpiæ 1540. variantes lectiones è *Græco* impresso in margine adnotant; quæ in Græco reperiuntur, in Vulgata desunt, asterisco signantur; quæ redundant, obelo. De fide Versionis sic loquitur: *Et id insuper notatu non videatur indignum, in Evangeliis, & Epistolis Pauli editionem Græcam, nostra tralatione fideliorem atque integriorem. In his autem Catholicis Epistolis, nostram tralationem illa quibusdam in locis uti nunc habet* (ut nonnulli putant) *integriorem. —Tempore Hieronymi Codices Græci hanc particulam in Epistola Joannis habuerunt. Tres sunt qui testimonium dant &c. qua nunc carent nostra exemplaria Græca. Sed tu, Lector optime, omnium καλλίςως χρῆς ἴςω.*

38. BEATUS RHENANUS in Epistola ad *Druinum Blesensem* data an. 1508. & Editioni veteri operum *Matthæi Bossi Veronensis* subjecta, his verbis ei commendat *Fabri* quintuplex Psalterium. *Si post quintuplex*

 Psalterium

Psalterium quod Faber Stapulensis, vir ex omni ævo incomparabilis, anno superiori ad archetypam Veritatem *castigavit, hæc opuscula legeris, erit unde cum utilitate voluptatem arripias.*

39. Paulus Middleburgensis, Episcopus *Semproniensis*, Vir Græce & Hebraice doctus, in Opere *de Die Passionis Domini* ed. Romæ 1513. l. 1. c. 2. *Dicendum quod in Græco & Originali non habetur, una sabbati, sed, una sabbatorum: Joannes autem & Lucas Græce, & non Hebraice, neque Latine scripserunt: & ergo Græcis exemplaribus fides in hoc est adhibenda. — Ubi ergo dubia in translatione occurrunt, ad Græcum originale recurrendum est, & ab eo, tanquam à fonte, veritas haurienda est. — Totum ergo N. T. à Græco sermone, tanquam à fonte, hauriendum est.* Idem in lib. 2. cap. 1. ex professo probare nititur Editionem Latinam Bibliorum Vulgatam non esse Hieronymi. Ubi hæc quoque habet: *Ex hac & tanta translationum diversitate inferri potest editionem non debere dici authenticam ex hoc solo, quod in usu Ecclesiæ existit, maxime si ab Originali fuerit discrepans, vel saltem Originalia, & prototypa ab Apostolis, & Evangelistis vel à Prophetis conscripta magis erunt authentica. Præterea Veritas Evangelii est una, & æterna: translationes vero sunt multæ, & temporales, pro beneplacito summi Pontificis mutabiles, & abolendæ, Originale vero semper unum & idem manet; ergo translationes non debent dici simpliciter authenticæ, nisi fuerint Originali conformes. &c.*

40. Erasmus *Roterodamus*, qui ab ineunte hoc seculo, gloria quadam singulari inter viros literatos emicuit, quamvis linguæ Hebrææ pene expers fuit, & *Hebræorum literas degustasse se potius, quam didicisse* ipse fatetur, quantum tamen Instrumenti utriusque Scripturarum textui originali, præ omnibus translationibus, detulerit, liquet. An. 1505. *Laur. Vallæ* in N.T. Annotationes, in quibus cum textu Græco confertur, passimque carpitur Editio Vulgata, typis edi in lucem curavit. Eisque addidit Præfationem suam, in qua præclare de Textibus Orig. & Versione Vulg. his disputat verbis: *Futurum auguror, ut quidam, vixdum perlecto operis titulo, prius quam de re cognoscant, illico* τραγικῶς *sint exclamaturi, O cœlum, O terra! quum belle moneat Aristophanes,* οὐ σχετλιάζειν καὶ βοᾶν, πρὶν ἂν μάθῃς. *Atque haud scio, an si sint omnium odiosissime obturbaturi, ad quos maxima pars utilitatis pertinet, nempe Theologi. Non ferenda (inquient) temeritas, hominem Grammaticum, post vexatas disciplinas omnes, ne à sacris quidem literis petulantem abstinere calamum Atqui si Nic. Lyra auditur, non dico indoctus, sed certe recens, Hieronymum* γεν-σταγωγῶν, *multaque convellens, tot jam seculorum consensu conservata, idque ex Judæorum libris, unde ut donemus nostram hanc manare editionem, tamen haud scio an studio depravatis: quod tandem flagitium est, si Laurentius collatis aliquot vetustis atque emendatis Græcorum exemplaribus, quædam annotavit in N. T. quod sine controversia totum ab illorum fontibus manat, quæ vel dissonent, vel dormitante interprete parum commode reddita videantur, vel quæ significantius ab illis dicantur, postremo si quid apud nos depravatum appareat? An dicent non idem esse juris Vallæ Grammatico quod Nicolao Theologo? Ut ne respondeam interim, Laurentium à magnis viris inter Philosophos quoque ac Theologos referri: Lyra, quum vocem excutit, tum Theologi, ac non magis Grammatici vices agit? Imo totum hoc, divinas vertere Scripturas, Grammatici viz. partes sunt. Neque vero absurdum, si quibusdam in rebus, plus sapit Jethro quam Moyses. Ac ne ipsa quidem, opinor, disciplinarum omnium regina Theologia, ducet indignum admoveri sibi manus ac debitum exhiberi obsequium, à pedissequâ Grammatica: quæ tametsi nonnullis est dignitate posterior, nullis certe opera magis necessaria. In minimis versatur, sed sine quibus nemo evasit maximus. — Quod si fieri potuit, ut veteris interpretes Instrumenti erraverint alicubi, in his præsertim in quibus fides non violatur,*

violatur. quidni potuerint labi & Novi? Quod quidem Hieronymus non tam vertit, quam emendavit, idque modice, relictis (ut ipse testatur) verbis, quæ potissimum excutit Laurentius. Verum num etiam nostros errores ad Spiritum auctorem referemus? Esto, bene verterint interpretes, sed bene versa pervertuntur. Emendavit Hieronymus, ac rursum depravantur emendata: Nisi forte nunc aut minor audacia semidoctorum, aut peritia linguarum major, aut non facillima depravatio propter artem chalcographicam, quæ unicum mendum repente in mille propagat exemplaria. At fas non est, inquiunt, in sacris Scripturis quicquam immutare, propterea quod illic ne apiculi quidem mysterio vacant. Imo tanto magis nefas est depravare, tantoque attentius corrigendum à doctis quod per inscitiam est adulteratum: ea tamen cautione temperantiaque, quæ cum omnibus libris tum sacris imprimis debetur. Verum non recte, aiunt, sibi sumit Laurentius, quod Hieronymus mandante Damaso suscepit. Ne propositum quidem simile. Hieronymus veterem editionem nova sustulit: Laurentius quod annotavit, in privatos commentarios refert, neque postulat, ut hinc quicquam in tuo codice demutes. Quanquam ipsa exemplarium nostrorum varietas, satis arguit ea non carere mendis. Porro ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat, auctore Augustino, cujus verba referuntur in Decretis Distin. 9. Quo quidem in loco neminem esse tam saxeum arbitror, quin miserescat, neminem tam ἀγέλαστον, quin rideat, insulsissimum glossema [a] nescio cujus, somniantis Hieronymum in Epistola ad Desyderium affirmasse, Latina exemplaria castigatiora esse Græcis, Græca Hebræis. Non vidit autem eum illatione rei palam absurdæ, confirmasse quod proposuerat, atque hæc verba aliud est si, *perinde valere ac si dicas,* nisi forte. *Alioqui quæ tandem dementia fuerat, alterum testamentum ab Hebræis vertere, alterum à Græcis emendare, si nostra erant utroque in genere meliora? Quorsum attinebat, ut in Viennensi Concilio, quod refertur Cle. lib 2. titulo de Magistris, tam solicite statuerit auctoritas Ecclesiastica, de parandis trium linguarum doctoribus? Quo in loco rursus admiror, quo consilio Græcam linguam eraserint. Verum hæc doctos admonuisse tantum sat habeo. Illud audio quosdam dicere, veteres interpretes trium linguarum peritos, satis explicuisse, sicubi fuit opus. Primum mallem ego meis oculis cernere, quam alienis. Deinde ut plurima dixerint, certe multa posteris dicenda reliquerunt. &c.*

[a] Vide supra ad finem sæculi XIV.

Illius liberali labore primo typis in lucem prodiit Novum Testamentum *Græcum* an. 1515. nam quamvis T. N. *Complutense* Græco-Latinum anno 1514. impressum fuerat, illud tamen non nisi post aliquot annos publici juris factum est. Adjecit Erasmus Versionem recognitam & Annotationes, in quibus quid fecerit, quod ad rem nostram spectat, ipsum audi. Ait se Testamentum N. *recognovisse, primum ad Græcam veritatem, ad quam ceu fontem, si quid inciderit, confugere non solum illustrium exempla suadent, verum etiam toties monent Hieronymus & Augustinus, & ipsa Romanorum Pontificum decreta jubent. — Et quanquam ab Interprete, quisquis is fuit, ob inveteratam & receptam editionem non libenter dissentimus, tamen sicubi res ipsa palam clamitat illum vel dormitasse vel hallucinatum fuisse, non veriti sumus & hoc indicare lectori, ita patrocinantes veritati ut in neminem simus contumeliosi. Solæcismos evidentes ac prodigiosos submovimus, & ita sermonis elegantiam ubique quantum licuit secuti sumus ut nihilo minor esset simplicitas.* Quem suum conatum sic tuetur in [b] Epistola quadam, anni 1516. *Fas esse negant tentare quicquam hujusmodi, nisi ex auctoritate Concilii generalis. At istoc quid iniquius? Ipsi quotidie depravant sacros codices, sola inscitia ac temeritate: nobis non licebit ex veterum sententia restituere quod corruptum est, nisi totius orbis Christiani convocato Concilio? Adeo pejorem volunt esse conditionem mendum submoventis, quam invehentis, bene merentis sua industria, quam male merentis sua incogitantia.*

[b] Lib. 2 Ep. 10.

L l l 3 *Verum*

Verum illud mihi respondeant velim, hæc ipsa quæ illis tantopere placet editio, utrum ab Interprete suscepta fuerit ex auctoritate Concilii generalis: an prius edita, ac deinde judicio Patrum comprobata. Prius scriptam opinor, postea comprobatam. Atque idem potest in hac mea evenire, quod ipse tamen nec ambio, nec postulo. Tametsi ne id quidem concesserim. Mihi magis videtur usu irrepsisse, ac paulatim progressu temporis collegisse robur. Alioqui si publico Concilii judicio fuisset approbata, traditaque: omnes ea communiter usi fuissent. Nunc aliud citat Ambrosius, *aliud* Augustinus, *aliud* Hilarius, *aliud* Hieronymus. *Imo nec hujus ætatis exemplaria consentiunt. Quod si protinus actum putant de religione Christiana, si quid usquam variet, etiam si nos dormissemus, jam illi periculo eramus obnoxii. At utuntur, inquiunt, hac editione Patrum Synodi. Veterésne an recentiores? Aut cur minus valere debeat veterum Conciliorum usus, quam recentium? maxime, quod ad hanc rem pertineat? Quanquam illud erat docendum, ea quæ citantur in Conciliorum actis à nostra emendatione dissidere. Quid quod pleraque Synodorum acta Græco sermone prodita fuerunt? Denique fieri potuit, ut aliter ab illis citata, mutarit aliquis ad hanc nostram editionem, id quod quotidie deprehendimus factum in* Hieronymianis & Ambrosianis *Commentariis. Ante annos ferme* 20. Lutetiæ *formis excudebantur sacrificiorum ac precum horariarum codices, juxta ritum Ecclesiæ* Treverensis. *At opifex, qui literas gustarat modo, cum sentiret pleraque dissonare, correxit omnia ad hanc nostram editionem; idque ipse mihi confessus est, arbitratus se rem præclaram moliri. Jam non arbitror absurdum, si quid etiam fugiat generale Concilium, in his præsertim, quæ non attinent ad necessitatem salutis. Satis est hoc reprehendi non posse, quod agitur in Synodo. Postremo, quam ob rem magis trepidamus, si quid secus lectum fuerit in divinis Libris, quam si quid secus enarratum? Certe utrobique par discrimen. Atqui videmus Interpretes non modo diversa, verum etiam pugnantia dicere sæpenumero. Quin & illud dilemma, si possint, explicent: Utrum permittunt aliquid novari in sacris libris, an omnino nihil? Si quicquam permittunt, cur non excutiunt potius, recte mutatum sit, necne? Sin minus, quid facient illis locis, in quibus mendum inesse manifestius est, quam ut negari, dissimularive possit? An hic sacrificum illum malunt imitari, qui suum* mumpsimus, *quo fuerat* 20. *usus annos, mutare noluit, admonitus à quopiam* sumpsimus *esse legendum? Vociferantur,* καὶ σχετλιάζουσι, *O cælum, O terra, corrigit hic Evangelia! At quanto justius exclamandum erat in corruptorem, O sacrilegum, depravat hic Evangelia! Neque enim nos novam prodimus editionem, sed veterem pro virili restituimus, at ita ut hanc novam non labefactemus. Qui pro hac nova, tanquam pro aris & focis dimicant, habent quod amplectuntur, nihil illis perit, aliquid de lucro accessit. Hanc quam adamant, emendatius legent posthac, & rectius intelligent.*

Testamenti *Græci* editiones *quinque* ipse edidit. *Apologiam* postremæ præfixit, in qua hæc habet: *Jam illud quemadmodum extra controversiam est apud eruditos, ita indoctis etiam, multorum libris persuasum esse reor, hanc Novi T. editionem Hieronymi non esse, quemadmodum ab ipso fuit emendatum. Tametsi nos, nec hanc qualiscunque est aut cujuscunque est, neque convellimus ullo modo, neque calumniamur. Tantum restituimus quæ temporum ac librariorum vitio fuerant depravata; obiter indicatis & his, quæ vel ambigue vel parum attente reddidit interpres: nam non recte, mihi religio est dicere, etiamsi id non veritus est aliquot locis Hieronymus. Sunt in quibus nostra vulgata magis probatur editio, aut Ambrosiana lectio quam Græci codices. Et tamen consentientibus omnibus Græcis exemplaribus, quoniam illa mutare non licuit, Latina accommodavimus, ne non responderent, quum in hoc ipsum adderentur. Cæterum id in scoliis discutimus. — Quemadmodum ingenue fateor esse permulta, quæ doctius tractari potuissent: ut non inficias eo, locis aliquot me dormitasse lassum: ita res ipsa, ni fallor, indicabit, me post*

Laur.

Laur. Vallam, cui non hac tantum in parte debent bonæ literæ, post Jac. Fabrum virtutis omnis & literarum antistitem, nec sine causa versatum in hoc negotio, nec sine fructu.

Quæ habet plura de textuum originalium præstantia videre est in Apologiis quas scripsit adversus *Leum, Stunicam, Latomum, Sutorem,* & *Albertum Pium.* Sunt tamen loca quædam T. Novi, ubi lectionem Latinam Græcæ anteferre non dubitat.

Præfatione in duas postremas editiones, meminit exemplarium quorundam Græcorum N. T. ad Latinorum exemplaria emendatorum quo tempore inter Ecclesias *Græcam* & Latinam unio constituebatur. *Hic obiter illud incidit admonendum, esse Græcorum quosdam N. T. codices ad Latinorum exemplaria emendatos. Id factum est, in fœdere Græcorum cum Romana Ecclesia: quod fœdus testatur Bulla quæ dicitur Aurea. Visum est enim & hoc ad firmandam concordiam pertinere. Et nos olim in hujuscemodi codicem incidimus, & talis adhuc dicitur adservari in Bibliotheca Pontificia majusculis descriptus literis. Verum ex his corrigere nostros, est Lesbiam, ut aiunt, admovere regulam. Illud potius spectandum quid legerint veteres Græci, Origenes, Athanasius, Basilius, Gregorius Naz. Chrysostomus, Cyrillus, ac Theophylactus. Hoc eo visum est admonere, quod jam nunc quidam jactitant se trecenta loca notasse ex Codice Pontificiæ Bibliothecæ, in quibus ille consonat cum nostra Vulgata editione Latina, cum mea dissonat. Quod si nos urgent authoritate Vaticanæ Bibliothecæ, codex quem secutus est in N. T. Franciscus Cardinalis quondam Toletanus, non modo fuit ejusdem Bibliothecæ, verum etiam à Leone X missus est, ut hoc veluti bonæ fidei exemplar imitaretur. Atqui is pene per omnia consentit cum mea editione.* Non videtur verisimile, ex ulla auctoritate procerum Ecclesiæ emendationem istiusmodi vel potius depravationem Græcorum Codicum ex Latinis fuisse factam, id enim nullo modo apparet, neque videtur *Laur. Vallæ* in manus unquam venisse ejusmodi exemplar: sed potius Græculum quendam parasitum in Italia versatum, id ultro clanculum fecisse.

41. Christophori Fischeri, Protonotarii Apostolici, quem vocat virum *doctissimum,* hortatu *Laur. Vallæ* in N.T. Annotationes edidit *Erasmus. Deterrebat nonnihil* (inquit Erasmus in Epistola ad illum Dedicatoria) *cum vetus illa Laurentiani nominis invidia, tum hoc argumentum multo in speciem invidiosissimum. At tu simul atque librum evolveras, non solum meam opinionem tuo gravissimo judicio confirmasti, verum etiam hortari, atque adeo conviciis extundere cœpisti, ne propter paucorum oblatrationes, simul & auctorem merita gloria, & tot millia studiosorum tanta commoditate fraudarem: negans dubitare te, quin opus illud sanis & candidis ingeniis ut utilissimum, ita & gravissimum esse futurum: cæterum alios cum suo morbo fortiter esse negligendos. Denique patrono te pugnatoreque offerebas, exiret modo in publicum, vel tuo unius periculo. &c.* Ibidem in fine: *Proinde vero verius est, quod tu, doctissime Christophore, sæpenumero soles dicere, neque cor neque frontem esse iis, qui audent non solum in sacros, sed omnino in ullos veterum libros scribere, ni literaturam utramque mediocriter teneant. — Plurimum studiosi debebunt Laurentio: Laurentius tibi, per quem publicum accepit, cujusque & judicio bonis ingeniis erit commendatior, & patrocinio contra maledicos instructior.*

42. Laudatur idem Opus, & simul *Jac. Fabri* commentarius in Epistolas Pauli prædictus, à Conrado Peutingero Augustano in Epist. ad *Conradum Mutianum* scripta an. 1513.

43. Quam acceptum fuit orbi literario Testamentum Erasmi *Græcum* ipse docet in Epist. quadam ad Reuchlinum, in Anglia conscripta: *Novum Testamentum plurimos amicos mihi conciliavit ubique, tametsi nonnulli strenue reclamarint, præsertim initio, sed hi in absentem tantum, & ferme tales,*

tales, ut nec legerint opus meum, & si legerent, non intellecturi. Designantur hi Epistola ad *Bovillum Cantabrigiensem*, ex qua locum satis prolixum superius protulimus, data an. 1516. ubi scribit in uno Academiæ illius Sodalitio, Senatus-Consulto cautum esse, ne aliquis id volumen Collegio inferret.: Quos homines *damnasse librum, quem ne legerint quidem, alioqui nec intellecturi, si legerent: tantum audisse inter cyathos, aut in conciliabulis fori, prodisse novum Opus.*

44. Quantum opus illud arriserit cum aliis plurimis, tum clarissimis Viris LUDOVICO BERO, FABRICIO CAPITONI, GREG. REISCHIO, JAC. WIMPHELINGIO, JO. FISHERIO Episcopo *Roffensi*, & ipsi LEONI X. Papæ; fuisseque illud juxta decretum Concilii *Lateranensis*, Episcopi *Basileensis* licentia comprobatum, eadem Epistola, quæ ex ipsis *Roffensis* ædibus data est, perspicue docet: *Jam nec hi, qui totum hoc negotium non ad judicium, sed auctoritatem vocant, multum habent, quod in me desiderent. Si quidem cautum esse constat in hac Synodo Lateranensi,* (quæ tunc sedebat) *ut liber edatur ab Ordinario comprobatus, aut ab iis quos ille suas vices delegarit. At opus nostrum & scriptum, & editum est, teste & approbante ejus loci Episcopo: neque quovis Episcopo, sed præter ætatis reverentiam, præter imaginum commendationem, singulari vitæ integritate, raraque doctrina insigni. Nec is vero comprobavit modo, verum etiam nihil non detulit, si secum manere voluissem. Et abeuntem tantis officiis, tanta munificentia prosecutus est Vir incomparabilis, ut me referre pudeat. Ac ne his quidem contentus, ultro scriptis ad Archiepiscopum Cantuariensem literis tum me honorificentissime commendavit, tum illi meo nomine gratias egit. Itaque si non à Synodo, certe juxta Synodi Constitutionem approbatus est labor meus. Talis est auctor, ut unus plurimorum instar haberi debeat: & hoc plus etiam ponderis habere debet illius suffragium, quod nec precibus, nec ullis obsequiis impetratum, sed ultro ac pene fugitanti delatum sit. Quod si cui parum gravis est unius hominis auctoritas, Episcopi judicio subscripsere duo Theologiæ Professores, sed omnium longe principes;* LUD. BERUS, *vir, id quod constat, omnibus virtutum ac disciplinarum ornamentis cumulatus: tum autem in Theologica palæstra sic exercitatus, ut apud Parisios inter eos, qui Doctoris titulo insigniebantur, primum meruerit locum. Huic adeo displicuit Opus nostrum, ut fortunas suas omnes, quas habet amplissimas, mihi communes detulerit. E duabus Præbendis, quas habet, alteram ultro in manum dederit. Ad hæc* FABRICIUS CAPITO, *ob insignem Theologiæ cognitionem in Basileensis Ecclesiæ collegium cooptatus, ubi publicum concionatorem agit, vir præter alias egregias disciplinas, trium linguarum non vulgariter peritus, Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ. Denique vita tam integra, moribus tam piis, ut nihil unquam viderim incorruptius. His testibus liber est editus, quorum judicio nihil addubitaret, qualibet gravi in re, fidere Episcopus, si ipse parum certo esset judicio. Neque tamen quisquam cæterorum Theologorum damnavit opus nostrum. Tantum deplorabant nonnulli se pueros non didicisse Græce, & sibi sero librum eum prodisse in lucem. Referre poteram, quid venerandus ille Prior Cartusiensis apud Friburgum,* GREGORIUS REISCHIUS, *cujus sententia apud Germanos oraculi pondus habet: quid eximius ille Theologus* JAC. WIMPHELINGIUS, *de nostra senserit editione. Proferre poteram* innumeras Epistolas insignium Virorum, *quibus mihi gratias agunt, quod ex meis lucubrationibus præcipue, quas in Novum edidi Testamentum, & meliores evaserint, & eruditiores, ni vererer, ne quis hæc à me gloriosius dici putare posset, quam verius. — Scis ipse, mi Boville, cujusmodi vir sit egregius ille Præsul* ROFFENSIS, vestræ *Academiæ Cancellarius, sive virtutem ac pietatem spectes, sive doctrinam. Et non pudet istos tenebriones convitiis insectari, quod ille tantus heros approbat, ac legit? Imo non pudet* τριωβόλους ἀνθρωπίσκους *suo arbitratu lacerare, quod ipse* SUMMUS *approbat*

probat PONTIFEX? *Nam ni mea probaret, non utique scripsisset se maximi muneris loco habiturum, si studiorum meorum proventum omnem suo dicarem nomini. Plus quam approbat, qui præmium etiam pollicetur. Ostenderam illi literis meis quid molirer; explorans, num sibi cuperet inscribi. Ille protinus unicam epistolam duabus pensavit: altera meæ respondit, & amanter, & honorifice, & erudite; altera me meaque studia serenissimo Anglorum Regi commendat, quam diligenter, quamque effuse, probabis ipse. — Misimus hyeme proximâ volumen unum* Leoni, *cui dicatum est: quod si redditum est, nihil addubito, quin ille summis præmiis sit vigilias nostras prosecuturus. Quid superest igitur, quod isti in me desiderent? Nec primus, nec temere negotium hoc aggressus sum. Secutus sum Synodi Constitutionem. Approbant si non omnes, certe primi. Si quid illic impium esset, displiceret piis: si nihil eruditionis, rejicerent eruditi. At nulli magis amplectuntur, quam hi quos & insignis vitæ sanctimonia, & eruditio non vulgaris commendat. Si quem magis movet doctrina, probatur à doctissimis: Si integritas, probatur ab integerrimis: si auctoritas, probatur ab Episcopis, ab Archiepiscopis, ab ipso summo Pontifice. Neque quicquam tamen horum mihi profit suffragium; si compertum fuerit, me cujusquam omnium ambisse favorem. Quicquid hic datum est, rei datum est, non homini. — Si fieri non potest, ut omnibus probemur, hoc interim me consolatur, quod ubique ferme probamur à probatissimis. Et spero futurum, ut quod nunc placet optimis, mox placeat plurimis. Aliis gratiam conciliavit novitas, at huic operi novitas invidiam peperit. Proinde diversum opinor accidet. Illis ætas favorem adimit, mihi fortassis apponet.*

Testatur ibidem, *Jac. Fabri Stapulensis* Opus, de quo diximus in superioribus, benigne ab omnibus fuisse exceptum. *Jac. Faber Stapulensis amicus noster, dudum id fecit in* Paulum, *quod ego in totum Novum Instrumentum. Cur hic demum tanquam ad rem novam commoventur quidam? An aliis omnibus istud licere volunt, mihi uni non volunt? Atqui Stapulensis non paulo plus ausus est, quam ego. Ille suam interpretationem veteri opposuit, idque in Academiarum omnium regina* Lutetia: *ego recognitorem modo professus, locos aliquot aut corrigo, aut explico. Nec hoc dixerim, quo* Fabrum *in communem invidiam vocem: nam vir ille jampridem gloria superavit invidiam; sed ut palam faciam quam inique faciunt quidam, qui quod jam diu est à multis factitatum citra calumniam, in me veluti subitum ac novum calumniantur.*

45. Hæc *Erasmus* in Epistola adversus Collegium illud *Cantabrigiense*, quod Testamentum ipsius *Græcum* prohibuit. Quotquot in ea Academia literis Græcis favebant, eis omnibus acceptissimum fuisse opus *Erasmianum*, testatur in Epistola ad illum *Bovillus*. *Hic acriter incumbunt literis Græcis, optantque non mediocriter tuum adventum: & hi magnopere favent huic tuæ in N. T. editioni: dii boni, quam eleganti, argutæ, ac omnibus sani gustus suavi ac pernecessariæ!*

De aliis, quibus displicuit opera sua in edendo Græco Testamento hæc habet in Epist. an. 1515. ad [a] *M. Dorpium. Utinam, mi Dorpi, tantum esset otii Romanis Pontificibus, ut hisce de rebus salutares ederent constitutiones, quibus caveretur, de restituendis bonorum auctorum monumentis, de parandis & reponendis emendatis exemplaribus. Verum in eo Concilio sedere nolim istos falsissimo nomine Theologos, qui hoc tantum spectant, ut quod ipsi didicerunt, id solum habeatur in pretio. Quid autem isti didicerunt, quod non sit ineptissimum, & idem confusissimum? Quibus si contingat tyrannis, futurum est, ut antiquatis optimis auctoribus, insulsissimas istorum nænias pro oraculis habere cogatur mundus. Quæ usque adeo nihil habent bonæ eruditionis, ut ego sane malim vel mediocris esse cerdo, quam istius generis optimus, si nihil melioris accesserit doctrinæ. Isti sunt, qui nolint quicquam restitui, ne quid ignorasse videantur. Hi nobis fictam Synodorum auctoritatem objiciunt:* *hi*

[a] Ep. 42. l. 31.

hi magnum Christianæ fidei discrimen exaggerant; hi periculum Ecclesiæ, quam isti scil. humeris suppositis fulciunt, rectius plaustrum fulsuri: & hujusmodi fumos spargunt apud vulgus indoctum ac superstitiosum: apud quod cum pro Theologis habeantur, nolint ullam opinionis suæ jacturam facere. Verentur ne, cum perperam divinas citant literas, id quod sæpenumero faciunt, Græca aut Heb. Veritatis auctoritas in os jaciatur, & mox appareat esse somnium, quod velut oraculum adducebatur.

46. *Leonis* X. Pontificis Epistola, cujus meminit *Erasmus*, dat. 10. Jul. 1515. *Nos & volumina divi Hieronymi & Novi T. tua cura elaborata, jucunda quadam cupiditate exspectabimus, & promissum tuum, quo omnium studiorum tuorum fructus te nobis delaturum affirmas ut maximi muneris loco ducemus, in eoque gratiam tibi sumus habituri. &c.* Idem in Epistola an. 1516. *— æquum esse judicantes sanctam tuam industriam publicæ utilitati assidue desudantem, dignis præmiis ad majora conandum excitari.* Plenius in alia anni 1518. quum editio Testamenti Græci secunda ab Erasmo adornata, proditura esset.

Dilecto filio *Erasmo Rot.* S. T. P. *Leo* PP. X.

Dilecte fili, sal. & Apost. ben. Valde nos delectarunt lucubrationes tuæ in T. N. jampridem editæ, non tam quia nostro nomini dicatæ fuerant, quam quod non vulgari, sed nova & insigni quadam eruditione præstabant, omniumque doctorum calculo plurimum laudabantur. Quas nuper à te recognitas, & plurimis additis Annotationibus locupletatas illustratasque fuisse, certiores facti non mediocriter gavisi fuimus, ex prima illa editione, quæ absolutissima videbatur, conjecturam facientes, qualis hæc futura, quantumve boni, sacræ Theologiæ studiosis, ac orthodoxæ fidei nostræ sit allatura. Macte igitur istius animi tui esto, ac publicæ utilitatis studens operi tam sancto, ut in lucem exeat, sedulo invigila, dignam quidem tot laborum mercedem ab ipso Deo relaturus; à nobis vero meritam commendationem & cunctis Christi fidelibus perpetuam laudem consecuturus. &c.

47. Extitere nonnulli, qui, cum Græce non intelligerent, Græcum textum tamen tanto pretio habuerunt, ut *Erasmi* Versionem Latinam Vulgatæ per singulas lineas alternatim immisceri curarint. Cujusmodi extat Testamentum Novum inter Codd. MSS. C. C. C. Oxoniæ, nitore mirabili, elegantiaque quam absolutissima, in membrana, voluminibus duobus majoris formæ, exaratum, in quo versio vulgata atramento, *Erasmi* rubrica conscribitur.

48. Thomæ Moro, Viro literis politioribus & dignitate summo, qui pro causa Ecclesiæ Romanæ mortem tandem perpessus est, quam gratum ei fuerit *Erasmi* in N. T. Græco edendo studium, ipse docet in Epist. ad Erasmum: *Gaudeo N. T. bene procedere.* Addit; *mirum est quanto undique desiderio exspectatur ab omnibus.* Audiamus vero quæ habet in Epistola ad *Martinum Dorpium* pro defensione *Moriæ Erasmi*, in Scripturarum Originalium contra Versionem Vulg. patrocinium: quæ etsi prolixiora, prætermitti tamen non finit instituti nostri ratio: *Nec enim quicquam est quod tu, ne quicquam in Scriptura mutetur, è Græcorum fide codicum prohibes; quod non olim adversus B. Hieronymum & objectum sit, & ab eo validissime confutatum. Nisi hoc videri novum vis, quod translationibus, ut ais, quæ multæ olim fuerant, ejectis omnibus, ne varietate codicum fideles vacillarent, hanc unam à sanctis patribus acceptam, ac Hieronymo castigatam, atque ad nos usque transmissam comprobavit Ecclesia: non uno aliquo concilio, sed perpetua consuetudine ad eam recurrendi, quoties in ullo concilio de fide nodus incidisset. Neque enim alioquin fieri potuisse, ut cæteræ omnes interierint, atque hæc ad nos sola pervenerit, nisi id non forte accidisset, sed adhibita à majoribus nostris industria fuisset curatum. Primum, mi Dorpi, nemini*
dubium

dubium esse puto, quin hæc ipsa editio ante Hieronymi tempora (neque enim alioquin ipse hanc potissimum castigasset) & recepta sit ab Ecclesia, & assiduo citandi usu comprobata: quod ego vel solum in causa fuisse puto, quare ad nos usque sola duraverit. Cur ergo Hieronymus ausus est mutare quicquam, idque non aliis modo & optimis & sanctissimis viris approbantibus factum, sed ipso quoque Augustino adhortante ut fieret? Mutavit vero Hieronymus, ut ipse fatetur, si quod in sensu fuit, quo Latinus Codex discreparet à Græco: hoc ille putavit utilius, quam ea quæ tu Erasmo suades ut faciat, viz. ut ea tantum annotet quæ commodius ac significantius interpres vertere potuisset, sensum vero si quando discrepet, manere patiatur, nec mendæ manifestæ Latinos admoneat. Quod D. Hieronymus non usque adeo curandum censuit, ejus tu præcipuam curam habendam putas: quod ille judicavit potissimum, ab eo tu potissimum deterres. Sed hic occurris ac fateris, id ab Hieronymo recte factum, quod viz. tunc opus erat, dum adhuc vulgata hæc editio non satis esset emendata: at nunc repurgatis vitiis supervacaneum iterum purgandi laborem fore. Nam si opus tam nunc esset, quam tunc erat, non est ratio cur minus bene mereretur, à quo nunc denuo fieret, quod tunc Hieronymus fecit. Primum, neminem esse omnium puto (dicam enim audacius) neque Hieronymum quidem ipsum, qui propterea ausus sit, se tam certum sui, ut in vertendo nihil eum possit omnino subterfugere (usque non deerit vel mediocribus interdum post meliores etiam in quo versentur utiliter) Ergo quis vertendi finis erit? inquis: facillimus: si evenerit ut quisquam tam commode verterit, aut ab alio non optime versam alius ita correxerit, ut his manentibus integris, non inveniant posteri quod mutandum censeant. At periculum est, interim, ne variæ translationes dubios faciant animos fidelium, utram credere debeant veriorem: quod ipsum in causa fuisse censes, ut reliquæ omnes de industria rejectæ sint, hac una servata, ne fideles vacillarent: qua in re usque adeo ego abs te dissentio, ut quod tu majorum curæ tribuis, ego temporum assignem incuriæ, qua nimirum non illæ tantum translationes, sed multa etiam alia periere. Alioquin etiam si unam in Ecclesiis tenendam recepissent, reliquas tamen quid necesse fuit abjicere, ex quibus non erat periculum ne fideles vacillarent? Imo quemadmodum tunc Evangelistarum varia narratione, series rerum in luculentiorem pervenit notitiam, ita tum ex diversorum collatione interpretum studioso Lectori daretur occasio, si quem aut verbum fefellisset æquivocum, aut orationis decepisset amphibologia, aut sermonis proprietas imposuisset, ex reliquis conjiciendi quid verum sit. Quod sane utilissimum esse & Augustinus sentit, & Origenes experimento didicit, & Jacobus Faber Psalterii quintuplicis editione docuit. Atque hæc ideo dixi, ut ostenderem etiam si D. Hieronymi labor adhuc maneret integer, non illum tamen reprehendendum esse, quisquis, si quid ab illo præteritum invenisset, hoc ipse velut relictas à messore spicas colligeret. Nunc vero quis non putet Codices Lat. nihilominus atque olim è Græcis esse corrigendos, quum ita sint rursus infecti mendis, ut ne vestigia quidem Hieronymianæ emendationis appareant? Quod usque adeo in confesso est, ut ipse tu quoque qui id maxime negas, idem fatearis tamen. Nam cum ideo maxime contendas, corrigendi laborem frustra sumi, quod Hieronymi castigationes asseris magna patrum diligentia servatas esse integras: tum in proximo fere versu subdidisti, Responde jam, Erasme, utram probet editionem Ecclesia? Græcamne, qua non utitur, an Latinam, quam solam citat, quoties ex S. Scriptura aliquid definiendum est; vel præterito Hieronymo, si quando aliter legat, quod quidem non raro contingit? *Imo, tu nunc responde, Dorpi, si ut ipse dicis, & vere dicis, non raro legat aliter Hieronymus quam vulgaris habet editio, quomodo potest esse verum quod ante dixisti, eandem editionem ita manere correctam ut ille correxerat? Neque enim quenquam arbitror esse crediturum, illum quicquam contra suam ipsius correctionem proposuisse legendum. Tam ergo nunc opus correctione est, quam olim fuit. An*

vero tantundem liceat, hoc restat inquirendum. Quanquam nec inquirendum hoc, nec dubitandum videtur, quin emendati codices tam nunc sint Ecclesiæ utiles, quam olim fuerunt. Sed Ecclesia nunc, inquis, istam editionem comprobavit. Atqui eadem Ecclesia eodem modo eandem editionem ante Hieronymi correctiones approbaverat: id quod jam ante respondi. Quanquam non pigebit eandem orationem tuam, quam tu tam invictam censes denuo excutere, ne me prætervehi quicquam dissimulanter putes. Videris ergo mihi sic colligere, Augustinus nec Evangelio dixit esse credendum, nisi Ecclesiæ compelleret auctoritas. At Ecclesia comprobavit in hac translatione verum esse Evangelium: Consequitur ergo, si quid sit in Græcis Cod. diversum, ut verum in illis Evangelium esse non possit. Hæc est (quantum perspicio) argumentationis tuæ summa, quæ mihi videtur ejusmodi, quam non sit difficile solvere. Nam primum Ecclesia sic in Latinis Cod. contineri credit Evangelium, ut fateatur tamen è Græco translatum. Credit ergo translationi. Sed magis archetypo credit, Evangelium in Græcis esse verum: in Latinis verum esse credit eatenus, quatenus fidit interpreti, in quo, ut opinor, nunquam tantam habet fiduciam quin eum labi cognoscat humana fragilitate potuisse. At in Conciliis citatur ex Lat. Codice, quasi ideo fecerint, ut de industria fidem archetypis abrogent Græcis. Apostoli nonne citabant ex Prophetis secundum translationem LXX. Int. omissa interim Heb. textus veritate, dum Græcis scriberent? nec ideo tamen Hieronymus factum putavit esse præjudicium, quasi Græca translatio quam Heb. litera Apostolorum censeretur auctoritate sincerior. Ego certe hoc persuadeo mihi, idque (ut opinor) vere, quicquid ab Apostolis nobis traditum est, non esse jam à quovis melius versum, quam ab ipsis Apostolis præscriptum. Ideoque fit, ut quotiens in Lat. codicibus occurrat quicquam quod aut contra fidem aut mores facere videatur, Scripturarum interpretes ex aliis alibi verbis, quid illud sibi velit dubium expiscantur, ad unius Evangelium fidei, quod per universam Ecclesiam in corda fidelium infusum est, quod etiam prius quam scriberetur à quoquam, Apostolis à Christo, ab Apostolis universo mundo prædicatum est: dubios hujusmodi sermones applicant, atque ad inflexibilem veritatis regulam examinant, ad quam si non satis adaptare queunt, aut sese non intelligere, aut mendosum esse codicem non dubitant: cujus morbi medelam censent aut à diversis interpretationibus, tanquam medicis, implorandam, quod tibi jam periculosum videbatur, aut velut à fonte quedam ab ea lingua repetendam, unde ea scriptura in Lat. fluxit eloquium. Verum tu, mi Dorpi, concedis, olim recte fecisse eos qui Latinos, quanquam ab Ecclesia receptos atque approbatos codices, è Græcis emendaverint; sed idem tamen negas nunc recte fieri, propterea quod verisimile sit, ipsorum libros Græcorum aut de industria fuisse depravatos ab ipsis, jam olim ab Ecclesia Rom. desciscentibus, aut postea saltem per incuriam vitiatos. Non enim esse credibile, si Latinorum, quibus perpetua fides fuit, codices paulatim tamen labefactati sunt, incorruptos adhuc restare Græcorum, apud quos ipsa jam olim fides corrupta sit. Hæc ratio, Dorpi, non flexit Hieronymum, quo minus Instrumentum Vetus ex Heb. sermone transferret: quanquam si quid hic valere debet, ibi magis debuisset, quum nemo nescit Judæos ex professo infestiores fuisse hostes Christianis, ut quibus in universo repugnabant, quam Græcos Latinis, quibuscum communi Christianorum nomine convenerant, licet in quibusdam dissenserint. Et profecto (ut vere dicam) videtur mihi neutiquam credibile, ullam gentem in depravandos libros unquam conspirare voluisse, ut ne dicam, nec potuisse quidem. &c.

49. Epistolam, cui respondet *Morus*, ad *Erasmum* scripserat MARTINUS DORPIUS, Theologus Lovaniensis, an. 1515. Latina quidem elegantia tum satis excultus, sed *Græcarum* literarum prorsus expers, ut patet ex *Mori Erasmique* [a] responsionibus, quibus eum hortatur, ut *Græcis* addiscendis operam daret. Quid ipse postea hac de re senserit,

[a] Epist. 42. lib. 31.

rit, declarat arctissima ista, quæ postea inter eum & [a] *Erasmum* intercessit, amicitia. *Gesnerus* in *Bibliotheca* meminit illius *Orationis* in Prælectionem Epistolarum D. Pauli, in qua tractat *de sacrorum Codicum ad Græcos castigatione & linguarum peritia*, impressæ Basileæ 1520. apud *Frobenium* Erasmi Chalcographum. Et constat illum tandem ad linguæ Græcæ studium se applicuisse.

a Vide Erasmi Epist. 1. & 7. lib. 7 & Ep 58. lib. 27.

50. Quam gratum fuit aliis Erasmi Testamentum Gr. novaque Versio, intelligimus ex Bilibaldi Perkheimeri, Senatoris Norinburgensis eruditi, Epist. ad Erasmum an. 1516. *Salutant te geminæ meæ Sorores, Abbatissa S. Claræ una, altera ejusdem Regulæ Sectatrix, quæ assidue tua scripta manibus retinent: maxime vero jam Novo oblectantur Testamento; quo mirifice afficiuntur mulieres, multis viris qui sibi scioli videntur doctiores. Scriberent ad te Latine, nisi indignas suas existimarent literas.* Quam ipsi *Bilibaldo* pergratum fuerit, dignoscimus ex aliis [b] ejus ad Erasmum Epistolis, quarum altera invectiva est in *Ed. Leeum*, qui in Opus hoc librum ediderat.

b Inter Epist. Erasmi lib. 4. Ep. 11. & lib. 12. Ep. 12.

51. An. 1515. *Psalterii* Latinam novam ex *Hebræo* Versionem edidit Felix Pratensis, ex Judæo Monachus, eidemque *Leoni* X. Pontifici dicavit. Voluminis inscriptio sic se habet: *Psalterium ex Hebræo diligentissime ad verbum fere translatum: fratre Felice, Ordinis Heremitarum S. Augustini Interprete, per summum Pont. Leonem X. approbatum.* Cardinalis *S. Crucis* hortatu se Opus id aggressum testatur; & cum in proposito haberet totum V. T. ex *Heb.* convertere, veniamque à Pontifice peteret, prius voluit *Leo* ex *Psalmorum* translatione de illius peritia judicium fieri. In Epistola Dedicat. hæc ad verbum leguntur: *Cum quartum abhinc mensem Romæ agerem, & reverendissimus atque idem nobilissimus Sanctæ Crucis & Corneliorum familiæ fulgentissimum lumen Cardinalis Psalmorum tralationem ex Hebræo in Latinum idioma à me peteret: recusare nequaquam valui. Inde audaciæ bonæ plenus, recto itinere ad te proficiscens, totius sacræ paginæ transferendæ jus à te petii. Verum tu rei novitate perculsus, ut par erat, magnæ rei auctoritatem facili assensu elevare noluisti: sed magis & magis pensitandam, & exactiori judicio examinandam operæ pretium duxisti. Cum vero audivisses me prius tralationi Psalmorum operam daturum, ut ex eo minoris jacturæ judicio, quantum in reliquis sperandum esset, facile judicaretur: proposito laudato me dimisisti: sed cum forte aliis de rebus, ut de hac etiam,* Petrum Bembum *tuum alloquerer, Virum, si ingenii acumen, & morum dexteritatem consideres, nunquam satis laudatum, consilium meum & laudavit, & si quid excuderem sub tuo nomine, ut id omnino ederem cohortatus est. — Exeat igitur liber iste auspiciis tuis felix, & clypeo Pontificiæ majestatis tutus exultet.* Præmittitur ipsius *Leonis* Privilegium (ut vocant) in hæc verba: *Leo Papa decimus universis & singulis &c. Cum dilectus Felix Pratensis Ordinis Heremitarum S. Augustini Professor,* ad publicam omnium, eorum præsertim qui sacrarum literarum studiosi sunt, utilitatem, *quanto maximo potuit labore & diligentia Psalterium ex Hebræo in Latinum sermonem à se traductum, dilecto Danieli Bombergo Flamingo nuncupato, sive ejus opera & impensis formis excudendum publicandumque tradiderit. Idcirco nos, cupientes rationibus ejusdem Felicis ita consulere, ut non solum* ipsius studium in traductionibus hujusmodi non refrigescat, sed indies magis atque magis accendatur, &c. *Datum Viterbii sub Annulo Pisc. die* x. *Octob.* MDXV. *Pontif. nostri an.* 3. *P. Bembus.*

Dan. Bombergus, Carmine ad Lectorem.

Hoc arcana Dei, Lector studiose, libello
Veraque veridici carmina vatis habes.

Cui Studio *Felicis Pratensis* reclamasse neminem, testatur *Erasmus* in Epist. novissime citata: *Nuper* (inquit) *Felix Pratensis Psalterii totius no-*

vam edidit interpretationem, ab omnibus superioribus admodum dissidentem. Quis huic unquam movit tragœdias?

52. Anno 1514. & tribus sequentibus, excusa sunt *Biblia Complutensia*, Hebraice, Græce, & Latine, & partem Chaldaice, ingens Opus in 6. Vol. *Leoni* X. dicatum; cura & immensis sumptibus illustrissimi FRANCISCI XIMENII, Cardinalis, & Archiepiscopi *Toletani*; qui quanti fecerit archetypas linguas, res ipsa loquitur, & testatur *Gomesius* in Vitæ ejus Historia, ubi refert, quod, cum ultimum volumen recens à prelo ad eum esset apportatum, impendio lætatus, ita cœlum suspiciens acclamavit: *Grates tibi ago, summe Christe, quod rem magnopere à me curatam, ad optatam finem perduxeris.* Et ad familiares continuo conversus, *Equidem* (inquit) *cum multa ardua & difficilia Reip. causa hactenus gesserim, nihil est, Amici, de quo mihi magis gratulari debeatis, quam de hac Bibliorum editione: quæ una sacros Religionis nostræ FONTES tempore perquam necessario aperit: unde MULTO PURIOR Theologica disciplina hauriatur, quam à RIVIS postea deductis.* Idem auctor est, impensas à *Ximenio* in ea re præclara absolvenda factas, in comparandis undecunque gentium exemplaribus, Hebræis, Chaldaicis, Græcis, & Latinis, in salariis Chalcographorum & scribarum, doctorumque hominum præmiis non vulgaribus, cæterisque necessariis, *quinquaginta millium aureorum, & amplius summam confecisse*: & in conquirendis ex diversis regionibus 7. *Hebræis exemplaribus* erogata fuisse *quatuor millia aureorum.* [a] *Alstedius* scribit *Ducatorum sexcenties millena millia* ab eo in id opus fuisse impensa. Ad id negotium vocati & accersiti sunt homines linguarum peritissimi, in universum 42. inter quos, *Demetrius Cretensis* natione Græcus, *Ant. Nebrissensis, Lopes Astuniga*, & *Fernandus Pincianus*, Græcarum literarum & Latinarum professores; *Alphonsus* Medicus Complutensis, *Paulus Coroncllus*, & *Alphonsus Zamora*, Hebræarum rerum consultissimi: LXX. translationis interpretatio partim ab aliquot Academiæ Complutensis eruditis hominibus, qui jam tunc sub *Demetrio* & *Pinciano* in Græcis literis non vulgariter profecerant, partim à *Demetrio, Pinciano*, & *Astuniga* sive *Stunica*, confecta fuit. *Joanni Vergaræ* libri, qui *Sapientiales* vocantur, interpretandi sunt commissi. Duravit ab an. 1502. annos continuos plus minus 15. hæc Viri vere magni de sacris Bibliis edendis cura: ut pene cum ipsius vita, finem quoque editio susceperit. In ea primum locum, quoad temporis ordinem, tenet Testamentum N. Græcum cum vulgari translatione impressum 1514. Testamenti Vet. libri ternis columnis per singulas paginas sunt distincti. Prima Hebraicam lectionem tenet, media vulgarem Latinam, tertia Versionem Græcam translatione etiam Latina interlineari illustratam. In margine inferiori, quoad libros Pentateuchi, *Chaldaica* paraphrasis subjecta est, Latina Versione è regione apposita. Libri Græci qui sunt *extra Canonem* (nam in *Canone* Scripturarum *Hebræos* sequebatur *Ximenius*) & Versionem vulgarem è regione habent, & nova interlineari illustrantur. In Psalmis Hebræo textui apponitur translatio *Hieronymiana*. Additum est in postremo volumine Hebraicarum & Chaldaicarum dictionum eruditum & copiosum Onomasticen, cum Hebræi idiomatis Grammatica. Annotationes denique differentiarum Vet. Testamenti, quas *Nicolaus de Lyra* non omnino absolutas ediderat, multis locis adduntur.

[a] Encyclop. lib. 32. c. 7.

Quam grata acceptaque sint Ecclesiæ orbique literario Biblia illa cognoscimus ex Epistola *Philippi* II. Hispaniarum Regis, ad Ferdinandum Albæ Ducem, Bibliis Regiis Antuerpiensibus præfixa: *Non es nescius, ut opinor, quantam Catholica Ecclesia perceperit utilitatem ex præstantissimo illo Bibliorum trilinguium opere, Francisci Ximenii Card. atque Archiepiscopi, dum viveret Toletani singulari industria, & maximis sumptibus, jam ante multos*

multos annos Compluti excuso. Vix enim dici potest quam gratiam inierit, & quantam apud omnes sacrarum literarum studiosos præ ceteris auctoritatem obtinuerit. Quod quidem vel ex eo aperte cognosci potest, quod in tota passim Europa id ita feliciter extractum est, ut hodierno die, non modo non venale alicubi exhibeatur, sed ut ne unus quidem illorum apud quos est, ut eo careat, aliquo pretio adduci possit. Ea quippe rerum pretiosarum solet esse raritas. &c.

Testatur [a] *Mariana* Editionem hanc Complutensem *innumeris locis veterem lectionem* in Versione Vulgata *immutasse, non ex aliorum exemplarium collatione, sed ex Hebr. Græcisque fontibus: tametsi* (inquit) *iis Bibliis edendis Cardinalis Hispaniæ prudentissimi accessit auctoritas, Romani Pontificis voluntate fortassis etiam adjuta.*

[a] Pro Ed. Vulg. cap. 24.

53. An. 1516. Genuæ Psalterium Octaplum in singulis columnellis verbis respondentibus verbis, edidit AUGUSTINUS JUSTINIANUS Genuensis Præd. Ord. Episcopus *Nebiensis*, cujus prima columnella habetur textus Hebræus, 2. Latina ejusdem interpretatio nova, 3. Latina Vulgata, 4. Græca, 5. Arabica, 6. Chaldæa, 7. Latina respondens Chaldææ, 8. Scholia. Quod Opus dicavit *Leoni* X. in Epistola ad eum, pollicitus se totum tam vetus quam Novum Test. iisdem distinctum linguis, eademque serie & structura editurum. Illud *non solum se probare, sed & laudare & admirari* profitentur, qui facultatem imprimendi concessere. Is in Psal. CXVIII. 29. Annotationem hanc adjecit: *Hic suprascriptus versus habetur in communi Lat. interpretatione, habeturque in Græca, & in utraque Arabica, nihilominus est obelo confodiendus, quando nec Hebræa, nec Chaldæa, quæ archetypus censentur, illum habeant.*

54. PETRUS GALATINUS in Opere *de Arcanis Catholicæ Veritatis* ed. 1516. lib. 2. cap. 8. punctorum vocalium Heb. novitatem asserit, & per ea lectionem quorundam locorum depravatam esse. Ibidem agit de aliis locis ab antiquis Scribis vitiatis, quæ dicit Auctorem editionis Vulg. fuisse secutum: *Optime subscripti textus corriguntur: qui tam apud nos, quam apud Hebræos vitiati atque corrupti leguntur. &c.*

55. JO. BAPTISTA PIUS, Bononiensis, *Annotationum poster. Sylloge* 3. cap. 56. *Quanto impensius nos divinius intonaret (Psalmographus) si non umbram Psalmographi videremus, sed ipsum Psalmographum. Graviter enim & docte transtulit Hieronymus, sed ut potuit: deest illa Venus, quam inter transferendum amittimus.* ----Non sic impii, non sic, *inquit*, sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ. *Torseram me diu hujus carminis vestigabundus sententiam, cum non proficerem satis, adii repente hominem Hebræum doctissimum, qui admiratus Hieronymi asperitatem, negavit sic in literis Heb. haberi. Significat hoc carmen, si velimus verba verbis reddere*; Non sic impii, sed tanquam acus, vel stipula, quod ipsum, vel quam ipsam projicit ventus *Dictionem Heb. quæ significat* acus, *barbare in editione Hieronymi vertitur* pulvis, *cum id non significet in Heb. lingua. Illud totum*, à facie terræ, *adjectitium est & supervacaneum. Quid igitur? Hieronymone trilingui, religionis antistiti, literarum thesauro, Hebraicæ linguæ consultissimo, errorem hunc adscribemus? Minime gentium, potius fraterculis illis Bardocucullatis, qui expertes bonarum literarum, non intelligentes illam dictionem* acus *insperso pulvere nocturnos oculos in sole caligantes*, pulverem *substituerunt. &c.* Putabat iste Criticus Psalterium vulgatum ex ipso Hebræo ab Hieronymo fuisse translatum.

56. Eodem hoc ævo apud Viros eruditos, & in *Scholis* Professorum, in usu fuisse Psalmorum Versionem ex *Hebræo* Hieronymianam, tametsi in Choris cantarentur Editiones alteræ, testatur *Erasmus*, in Epistola anni 1516. *Canuntur in templis quotidie juxta veterem Editionem Psalmi: & tamen extat divi Hieronymi recognitio: extat ejusdem juxta Veritatem*

tatem Hebraicam interpretatio. Illa leguntur in choris, hæc in scholis aut domi: neutra alteris officiunt.

CAP. XIII.

Scriptores post an. 1517. quo cœpta est Religionis Reformatio, usque ad Concilium Tridentinum: Rob. Wakfeldus, Jo. Fisherus Roffensis, Ric. Pacæus, *Universitates* Oxon. & Cantab. Rob. Shirwodius, Ed. Leeus, Pet. Mosellanus, Jac. Latomus, Jac. Lopes Stunica, Ælius Antonius Nebrissensis, Lud. Vives, Petrus Sutor, Sanctes Pagninus, Hadrianus VI & Clemens VII. Papæ, Fraociscus Picus Mirandula, Cajetanus *Card.* Steuchus Eugubinus, Albertus Pius, Franc. Titelmannus, Aot. Bruciolus, Jo. Campensis, Jo. Genesius Sepulveda, Jo. Driedo, Fr. Georgius, L. Greg Gyraldus, Fr Floridus Sabinus, Ger. Weltwikus, Isidorus Clarius, Jo. Cochlæus, Marcellus *Card.* Fr. Vatablus, Rob Stephanus.

Doctores Pontificii sec. 16to quam ignari Scripturarum. 1. *De Origine studii linguæ Heb. in Anglia.* 3 &c. *Nova Versio ex Hebræo, opera 6 Judæorum & 6 Christianorum,* à Clemente VII. *Papa incepta.* 21.

PUDEAT *Italiæ Sacerdotes, quos ne semel quidem Novam Legem constat legisse.* Ita seculo xv. [a] *Æneas Sylvius*, & de *Sorbonistis* hujus seculi, de quo nunc loquimur, xvi[ti], narrat [b] *Rob. Stephanus*, interrogatos à se, quo loco Novi T. aliquid esset scriptum, respondisse, se illud *apud Hieronymum, aut in Decretis legisse, quid vero Novum T. esset, ignorare.* Et alium ejusdem Sorbonæ Theologum subinde dicere solitum: *Miror quod isti juvenes allegant nobis Novum T. per Diem ego habebam plusquam 50. annos, quod nesciebam, quid esset Novum T. Novi multos Theologos*, inquit *Gerardus Listrius, Doctores, ut vocant, qui ante annum 50^m nondum evolverant omnes Epistolas Pauli, ut per familiaritatem mihi fatebantur.* Erasmus: *Quale spectaculum Theologum octogenarium nihil aliud sapere, quam mera sophismata, & ad extremam usque vitam nihil aliud quam argutari? Nam hujusmodi non paucos vidimus olim Lutetiæ, quibus, si quid depromendum fuisset ex Paulo, videbantur sibi prorsus in alienum mundum translati.* Sic *multos insignes, & præstantissimos Theologos, Biblia vix integra perlegisse*, scribit [c] *Rodolphus à Tossignano. Andreas Carolostadius* jam octo annorum Doctor erat, cum ad Scripturarum lectionem accederet. [d] And. Hyperius: *Recordor audisse me quondam in Gallia senem & canum, & modestia singulari virum, qui narrabat se renunciatum fuisse Doctorem in Sorbona Parisiensi, cum nunquam vel tria capita in S. Bibliis perlegisset: annos deinde aliquot egisse Ecclesiæ non obscuræ pastorem, nunquam tamen de libris sacris studio percipiendæ veritatis evolvendis quicquam sibi in mentem venisse, nunquam etiam se concionem de Scripturis ad populum habuisse. Quæ ille non sine pudore commemorans, & anteacti temporis deplorabat infelicitatem, & de probrosa sui ordinis hominum inscitia querebatur.* Legimus apud *Melchiorem Adamum* in Vita *Lutheri, Lutherum*, utcunque lectionis sacræ cupientissimum, nunquam Scripturæ Codicem *vidisse*, donec Monachum agens, in Bibliotheca Augustinianorum libros ordine evolvendo in Latinorum Bibliorum exemplar forte fortuna incidit: unde cœpit optare, ut olim talem librum & ipse nancisci posset. [e] *Trithemius* queritur, *studium Scripturarum à multis claustralibus omnium pene Regularium contemni, & in paucis vigere Monasteriis. Melanchthon* refert, Tubingæ quendam hujusmodi Magistrum, pro concione Aristotelem explicasse. Nec defuerunt, qui illum Johanni, Servatoris prodromo compararent, & Canonicæ Scripturæ jacturam Ethica ejusdem, compensari posse non dubitarent. De istorum temporum negligentia

[a] De Dictis & Factis Alfonsi R lib. 2.
[b] Respons. ad Theologorum Paris. Censuras ed. 1552.
[c] Dictionario Concionatorum Pauperum.
[d] De S. Script. lect. quotid. lib. 1.
[e] Lib. 2 Ep 1. ad Jacobum fratrem suum.

circa

circa Scripturas, his verbis denique conqueritur *Lindanus* in Psalterii Præfatione: *At nunc id plane evenit (proh dolor!) quod fonticulo, quem immundæ sues plurimæ suo rostro sulcantes in fœtidum pervertunt cœnum magis lutosis delectatæ sordibus, quam limpido fontis rivulo. Cum enim hoc postremo seculo plerique Clericorum alienis plane à sua quisque professione studiis intricati, ac divinorum propemodum incurii divinos Psalmos mendis plurimis, iisque fœdissimis contaminatos cum illa Cantorum colluvie (quæ magis verborum numeros appendere, ne præcipitare dicam & devorare, quam sensum tenere studet) negligenter maluerint recitare, quam repurgare, repurgatosque intelligere, ac prudenter sive intelligenter psallere; hinc factum tandem, ut tot nunc scateat Psalmorum liber vitiis &c.*

2. At quorsum hæc? Ex tanto nimirum rei Theologicæ, adde, & omnis literariæ, neglectu ac ignorantia, fieri non potuit, quin apud Monachorum & Theologorum vulgus suspecta essent eorum studia, qui Scripturarum Hebr. Græcarumque usum instaurare nitebantur. A nugis suis, sive potius socordia cæca ac sopita, evocari ad Scripturarum lectionem, perdurum eis videbatur, & ad earum Scripturarum lectionem cogi, quæ linguis adhuc ignotis occulebantur, quæque ab eis, quibus usi sunt Scriptores *Scholastici*, haud parum discrepabant, id plane intolerabile videbatur. Eis qui in inscitia, aut ineptiis inscitiæ proximis, consenuerant, cogi non modo Scripturas legere, verum etiam quasi repuerascere, & linguis addiscendis operam dare, quarum *annis trecentis integris*, ut fatetur *Melchior Canus*, *Doctores Scholastici nullam habuere peritiam*, quis istorum Theologastrorum ferre poterat? Ideo ne quid nescire viderentur, Scripturarum Heb. ac Græcarum lectionem, tanquam plane inutilem, vel etiam hæreticam, damnabant. De eis multa *Erasmus* in locis supra citatis. Quibus addi possit *Espensæi*, Doctoris Sorbonici, testimonium: *Latinis*, inquit, *Auctoribus Græce nosse suspectum fuit, Hebraice vero plane hæreticum.* Sic *Conr. Heresbachius* J. C. *Audivi* (inquit) *Monachum in Ecclesia declamantem, qui nova, inquiebat, jam reperta est lingua, quæ vocatur Græca, ab hac sedulo cavendum: hæc enim est, quæ parit omnes istas hæreses. Ea lingua proditus liber, in manibus passim habetur, & vocatur N. T. Plenus hic liber rubetis & viperis. Alia etiam oritur lingua, quam vocant Hebræam, hanc qui discunt, efficiuntur Hebræi.*

3. Dum sic animati essent indocti Sacerdotes, & Theologi cucullati inferiores; etiam hac ætate, quam liceat vocare *Lutheranam*, linguarum Heb. & Græcæ studio se sedulo addixere, quotquot fuerunt inter Pontificios cordatiores studiosioresque, & pauci inter eos extiterunt, qui cum ipsis *Reformatis* de auctoritate Textuum Originalium non consentirent.

4. Primus omnium in Anglia literas Heb. publice professus est Rob. Wakfeldus, an. 1524. auspiciis Regis Henrici VIII. cui erat à sacris. Qui etiam eandem, ut & Arabicam & Chaldaicam, publice prælegerat in Academia *Lovan.* & primus omnium post mortem *Reuchlini* in *Tubingensi* an. 1523. Illius extat *Syntagma de Hebræorum Codicum Incorruptione*. Inter alia inibi hæc habet: *Id si pro more istorum indoctorum concionatorum pertinaciumque & invictorum sophistarum feceris, qui quicquid in Ecclesia legitur, verum esse contendunt, & ob hoc translationem nostram ubique veram asserunt esse, atque erroribus carere, indubio tuo tibi respondebo sermone; nempe dicam, hoc non est in Heb. atque ex consequente, neque in divina Lege veteri. — Non recte, sed erronee vel ab Hieronymo vel ab Intt.* LXX. *sunt translata, eorumque somnia solum existunt. Fatetur Puncta esse novitia, postque Hieronymi ætatem excogitata, & Judæos ex additis punctis & apicibus ansam corripere, ut dictionum significantias invertant*

ac mutent, atque ita Scripturæ sensum ad suam perfidiam deploratam quandoque trahere repugnantem. Verum utrum duo illi inter Judæos sui temporis doctissimi Ben Asher, viz. & Ben Naphtali, qui ea adinvenerunt, ita per fraudem quo nos deciperent ac illuderent de industria in locis illis, qui ad fidem nostram non spectant, ea Scripturæ addiderunt, & odio nostri ac suorum gratia favoreque, aliam quam olim LXX. *Interpretes, secuti sunt lectionem legendique modum, ut illis doctiores quoque viderentur; an ex inscitia propter sensuum obscuritatem & ignorantiam id fecerint, aliis judicandum relinquo. Hoc certe verissimum esse scio, quod in multis bene ac fideliter Scripturam distinxerint ac punctaverint, eique convenientes & debitos simul ac tales, quales naturaliter exigebat, addiderint apices. — A* LXX. *isti duo Rabbini, quemadmodum ac Hieronymus, nonnunquam recto justoque judicio dissentiunt, & revera veriorem, quam in ea illi, sæpius secuti sunt lectionem. Sicut contra,* LXX. *Interpretes quandoque quam isti duo, aut Hieronymus, meliorem.*

Edidit idem *Paraphrasin in librum Koheleth (quem vulgo Ecclesiasten vocant) succinctam, claram, atque fidelem, & quantum permittit idioma sanctum, ipsi literæ Heb. inhærentem.* Cui hanc subjungit Protestationem: *Veneror ego* LXX. *Interpretes, os theophilis andras, vel ob id maxime quod illorum testimoniis plerumque usi sunt Apostoli, illisque vetustas auctoritatem dederit. Colo item B. Hieronymum, ut virum sanctum, & inter Latinos eruditissimum, sacrarumque literarum expositorem excellentissimum, cujus non modo scripta, sed & vita recepta est in Ecclesia, imo doctissimos quosque honoro, neminique detraho meritam gloriam: quare si quid aliter interpretatus sum Koheleth verba non numerans, sed appendens, quam soleant* LXX. *& Hieronymus, nolo contempsisse videri illorum Versiones, aut id in eorum atque aliorum veterum suggillationem facere, sed potius id egisse, ut meam meis discipulis, atque aliis Hebraice eruditis ostendam, veritatemque semper ut Deum adorem. Fuerunt tempore D. Hieronymi Bibliorum sacrorum prope decem diversæ translationes, & alienigena quispiam ac ethnicus audebat vertere de lingua in linguam pro suo ingenio atque captu divinam Legem, quorum tunc interpretationes Ecclesia partim legebat. Ego vero ex fidelibus natus fidelis, ex Christianis Christianus, cur non ad sacræ linguæ vel criticam expositionem plusquam Aquila, Symmachus, Theodotio, aut alius quisquam Græcos Latinosve flosculos præferens Veritati, tutius admitti debebo. &c.*

Oratione inaugurali quam habuit Cantabrigiæ 1524. *De laudibus & utilitate trium linguarum Heb. Arab. & Chald. atque idiomatibus Heb. quæ in utroque Test. inveniuntur,* ait se HENRICO VIII. *Rege, D. Reynaldo Polo viro nobili, & Græce ac Latine Erudito adjunctum fuisse, ut Hebraica disceret, quod Theologis futuris quam maxime necessarium erat, nimirum recte judicante, absque linguæ sanctæ peritia neminem in Scripturis feliciter processurum. — sermonem sanctum nunc quodammodo reviviscere, & Lutetiæ, Lovanii, Coloniæ, ac etiam Wittenbergæ, passimque in Hispania, & Italia. Regem itaque mirum in modum angi non ministrari degentibus in Cantabrigia opimas dapes, quæ aliis in Academiis etiam longe hac infrequentioribus ministrantur. Vehementer dolere nostratium Theologorum sortem sanctissimæ linguæ scientia carentium, & linguarum doctrinam fuisse intermissam.* Quam Orationem ipsi Regi dicavit; in Epistola eum commonefaciens, in ea agi, *de Heb. Codicum incorruptione, de punctorum & apicum usu ac adinventione, de erroribus* LXX. *Interpretum & Hieronymi &c.*

Ibidem testatur *à nullo Anglorum hac sua tempestate hactenus degustatam fuisse* linguam Heb. vel Arab. vel Chald. Postea vero gloriatur *labores lucubrationesque suas doctissimis viris non displicuisse, & in primis reverendo D.* Johanni Tailer *Regis apud Francos Oratori, Archidiacono Surey,* Johanni Stochsley *Theologo absolutissimo triumque principalium linguarum peritissimo*

ritissimo, generosissimo equiti aurato Jacobo Bullcin *in divinæ Legis scientia nemini secundo; venerabili quoque præfecto totius ordinis Gilbertinensium D.* Thomæ Hurskey, *decori, lumini, splendori, & gloriæ Eboracensium*; Gulielmo Frisel *Monasterii Roffensis Priori, Cantiæ totius luminari maximo, & humanissimo Doctori* Taito, *ac Doctori* Lovello. *Tailerum, Taitum*, & *Lovellum* appropinquante senio Hebraicis literis operam navasse, paulo post monet.

5. A *Wakfeldo* literas Heb. aliquatenus edoctus est Jo. FISHERUS, Episcopus *Roffensis*, hoc titulo vulgo quam proprio suo nomine notior. Is in libello, quem scripsit contra Divortium Catharinæ Reginæ, hæc habet de textu quodam Levitici: *Hoc non habetur in Heb. Veritate, neque in traditione Chaldaica, neque in* LXX. *Interpretibus Græce. Sed (quod non raro fit) ex imperitia scriptoris, id quod erat à quopiam in margine pro notula descriptum, interfertum fuit textui. Et quum hoc ipsum nec in* LXX. *nec in Heb. nec in Chald. repertum sit, palam est pro sacra Scriptura minime recipi debere.* Quæ verba proferuntur à *Wakfeldo*, in *Syntag. de Heb. Codd. Incorrup.* cujus pars ad eam spectat quæstionem *de Matrimonio Uxoris Fratris. Quia me*, ait *Wakfeldus, Pater Reverende, à rivulis, h. e. translationibus, ad fontem Heb. Veritatis, in qua te peritum putas, atque ita æstimari vis, hic evocasti; Age libens ac gaudens lubensque accipiam conditionem. Cave igitur tu, ne deinceps aut in posterum Heb. Veritati adverseris, mihique, qui te, atque eximie eruditum juxta ac pium Virum, amicum nostrum communem* D. Thomam Hurskey *totius Ordinis Gilbertinensium Præfectum venerabilem, patriæque nostræ post te jubar atque decus, annos antehac circiter* 18. *Hebraica docui: lacunas ac victatas paludes contra proprium institutum, & legem quam tulisti, objicias.*

6. RIC. PACÆUS, qui tribus mensibus à *Wakfeldo* tres linguas Heb. Arab. & Chald. didicit, librum Ecclesiastis recognovit ad Heb. Veritatem; ipsum opus non extat, extat tamen Præfatio cum hac inscriptione: *Præfatio in Ecclesiasten recognitum ad Hebr. Veritatem, & collatum cum translatione* LXX. *Interpretum, & manifesta explicatione causarum erroris ubicunque incidit.* Se idem facturum per totum V. T. si Deus vitam suppeditarit, pollicetur. Eorum sententiam, qui τοῖς LXX. Spiritum S. attribuunt, *frivolam* appellat. In S. Scriptura ait nihil non esse verum, *etiamsi septuagesies septies* à LXX. *corrumpatur. Hieronymi translationem cum magna nostra jactura desiderari. Nam quod hæc quæ ejus nomine circumfertur, ipsius non sit, multis evidentissimis argumentis probari posse, nisi si quis ita dicat esse ipsius, ut fateatur multis in locis ab illius adversariis fuisse valde corruptam. Excipit tamen Ecclesiasten, quem*, ait, *proculdubio ipsius esse.* — LXX. *in quibusdam locis verius & melius explicare & sensum & verba, quam Latinus Interpres.* Remittit Lectorem ad suas Annotationes in Job, *quas scripserit collatis* LXX. *& nostra translatione cum Heb. Veritate, vix omittens verbum, in quo non explicaverit dissonantiam.*

Illum librum scripsisse *de Lapsu Hebraicorum Interpretum*, memorat *Balæus*: quem eundem fuisse existimo. Extat ejusdem ad *R. Henricum* Epistola, scripta an. 1526. qua hortatur, ut *Foxus*, Regis Eleemosynarius ac Consiliarius, linguam Heb. addisceret, quo melius judicare posset de illis Scripturæ locis, quæ de Conjugio Uxoris fratris allegari solebant. *Mitto ad Majestatem tuam his inclusum Alphabetum Heb. rogoque, ut illud ipse reddas tuo Foxo, eique imperes, ut omni diligentia illi rei intelligendæ vacet, & memoriæ mandet. Nam si id fecerit, poterit intra mensem tantum in lingua Heb. proficere, ut possit judicare, quid habeat translatio* LXX. *& quid contineat Heb. Veritas. Quod, ut opinor, Majestati tuæ maxime satisfaciet, cum posset ab eo, cui plurimum fidis, veritatem audire.*

7. Postquam *Wakfeldus* in ACADEMIA OXON. linguam Heb. docere cœperat, atque inde Rege evocante abierat, ad *R. Henricum* Epistolam scripsere *Commissarius & Studentium cœtus*, exorantes illum, ut *Wakfeldum* eo remitteret, his verbis: — *His omnibus velut auctarium justo cumulo accessisse interpretamur, quod tua aula (quæ doctis, disertis, & præclaris viris, non minus quam equus ille Trojanus nobilioribus Græcorum Proceribus, inferta esse solet) adhibuit nobis nuper è Sacellanis tuis unum D. R. Wakfeldum, hominem inter varias alias dotes, in Hebraismo tam promptum atque peritum, & (veluti ex lectionibus apud nos suis facile erat conjectare) tam exacte callentem Syras atque Arabicas literas, ut quantumvis alias eruditis, merito hic nemini cesserit. In hoc homine ut nemo quisquam ex Auditorum numero desideravit unquam in docendo diligentiam, industriam, aut sedulitatem, ita non mediocris dolor jam omnium animos tenet, quod quæ ille animis nostris inspersit Hebraismi semina, justam suam maturitatem assequi non possent, cum is abierit. Cœpere nonnulli se hujus linguæ studio addicere, non tam hoc nomine, quod ea sit usus Servator noster Christus, quam quod bona pars mysteriorum divinæ Scripturæ hinc pendet, hæc, alioqui obscurissima, reddit sole clariora. Sed nunc altius & penitius scrutari cupientibus hujus linguæ & occulta & abdita negatur, quod eum quem nos tanquam itineris ducem sequeremur, tuæ Majestati debitum obsequium diutius hic manere non sinit. Proinde operæ pretium duximus, Princeps Serenissime, quoniam hæc res in Academiæ nostræ utilitatem non mediocrem cedere judicabatur, rogare tuam Amplitudinem omnes, ut si non majora negotia impedierint, permittat proximo vacationis tempore, huc Heb. literas iterum professurus revertatur. Agnoscimus quam non difficilem se solet præbere tua Clementia, cum quidpiam, quod vel ad augmentum fidei, vel promovendam meliorem literaturam spectat, poscitur. Hoc itaque si nos exorare permiseris, declarabit tua augustissima Celsitudo copiose, & quanto favore rem literariam prosequaris, tandemque persentiscet, quanta hinc commoditas emanaverit, non nobis solum, sed universæ quoque Britanniæ, cum tot passim offendentur, qui suo Scripturas loquentes idiomate intelligent. &c.*

8. Cum eundem *Wakfeldum* misisset Rex CANTABRIGIAM, ut in illa Academia linguam Heb. profiteretur, literis datis Cal. Apr. 1524. gratias egit Academia, in quibus hæc legimus: *Erat non parvus in hac tua Academia Scholasticorum numerus, Illustrissime Princeps, si non defuissent nummi, quibus præceptorem conducerent, qui religiose flagrabat linguam Hebr. cognoscere, per quam divina noscere mysteria datum est. Qua non est alia sanctior, vel ad intelligenda obscurissima quæque Prophetarum sensa commodior. Qua Deus Opt. Max. primi generis humani propagatores, CHRISTUS ac beati Apostoli locuti sunt. Sine qua divinæ literæ exacte perspici, aut recte interpretari nequeant. Quam nisi summe necessariam Christianæ religionis Principes duxissent, nunquam sanxissent tam diligenter lata lege eam docendam in primariis orbis Christiani gymnasiis. Nunquam prudentissimus ille Saxonum Dux GEORGIUS ad Wittenbergam, nunquam Christianiss. Gallorum Rex FRANCISCUS ad urbem Parrhisianam maximis stipendiis hujus linguæ Professores invitassent. Cujus linguæ pariter & Chaldaicæ atque Arabicæ præceptorem tua singulari liberalitate cum habeamus eruditissimum simul ac diligentissimum, spes est nos brevi hujus tanti thesauri compotes fore. &c.*

9. An. 1523. Antuerpiæ prodiit ROB. SHIRWODII nostratis, linguæ Heb. in Acad. Lovan. post *Rob. Wakfeldum* Prælectoris, Versio Ecclesiastis ex Hebr. cum hac inscriptione: *Liber Hebræorum Concionatoris, seu Ecclesiastis, ad Veritatem Heb. recognitus, cum nonnullis Annotationibus Chaldaicis, & quorundam Rabbinorum sententiis, textus obscuros aliquos literaliter explanantibus.* In Epist. Dedic. ad *Jo. Webe* Priorem Coventrensem, *Vetus* (inquit) *Test. non posse à quoquam sine cognitione sermonis naturalis*

naturalis (sic Hebræorum linguam appello) interpretari in confesso est. Taceo divinæ Scripturæ Interpretes, Origenem, Hieronymum, & alios, tantum profecisse literis Heb. quantum sua interpretatione valuerunt. Hi namque vertendis Codicibus hujus linguæ, quam accuratissime operam dederunt. Idque non parvo emolumento Ecclesiæ Christianæ, siquidem quæ LXX. *Interpretes* perperam *traduxerant, ea omnia ad Veritatem Heb. exegerunt, quorum volumina adeo hoc seculo, seu incuria Chalcographorum, seu malevolorum opera depravata sunt, ut non facile credas, ea ex eorum officina prodiisse. Satis constat, nec N. Instrumentum quo utuntur Ecclesiæ, nec quandam partem Veteris esse à D. Hieronymo versam. Proinde gravissime dolendum est, labores tanti Viri periisse. Nos autem quod damni fecit Ecclesia in amittendis veris traductionibus, conati sumus ad communem studiosorum utilitatem ex parte sarcire; quod fecerimus, necne, aliorum esto judicium. Nam hisce diebus Coheleth, seu Græce Ecclesiasten ex Heb. Latinum fecimus, & Vulgatæ Translationis (cujus sum auctoris nescius) locos depravatos ad integrum restituimus. Non ut antiquam reprehenderemus, sed ut ea, quæ in illa aut obscura sunt, aut omissa, aut certe perversorum animo viciata, manifestiora nostra traductione fierent.* Addit hanc primam studiorum suorum fœturam esse, *accinctarum se vero ad alia pleniora mendis emaculanda.* Versionem suam in una columnella sub titulo *Hebr. Veritatis*, Vulgatam in alia collocavit.

10. Inter eos, qui contra Erasmi Versionem Græci T. & Annotationes insurrexerunt, fuere nostrates Jo. BATMANSONUS Carthusianus, HEN. STANDISHIUS Franciscanus, postmodum Episcopus Asaphensis, & ED. LEEUS Archiepiscopus postea Eboracensis. E quibus *Batmansonus* suas *Animadversiones in Annot. Erasmi in N.T.* quæ nunquam in lucem prodiere, in alio demum opere retractavit; neque unquam, quod sciam, prodiere quæ in Erasmum scripsit *Standishius. Leei* Animadversiones in Erasmi Annotationes Novi Test. editæ sunt an. 1520. & Academiæ Lovaniensi, ubi tunc bonis literis navavit operam, dicatæ. In quibus editionem Latinam T. Novi Græcæ sat aperte præfert. Annotat. XXXI. *Quantum ego judicare possum, depravatiores sunt Codices Græci, quam Latini. Quod mihi sæpe videor comperisse: ita ut prope supervacaneum & præposterum judicem emendare Evangelium Lat. ad Codices Græcos, qui inemendatiores sunt quam Latini. —— Dixi supervacaneum esse emendare Evangelium Lat. ad Codices Græcos. Non muto sententiam. Sed memineris (inquis) olim longe maximam fuisse Latinorum Codicum dissonantiam, & hodie nonnullam esse. At hodie, quum nulla pene sit Codicum Lat. dissonantia, Græcorum Codicum multa est. Quod vel te annotante, disco. Sed hac ratione fiet, si cuivis Græce scienti licebit editionem antiquam mutare ex sensu suo: ita, inquam, fiet ut hujus ætatis varietas in Lat. Codicibus superiorum temporum varietatem longe superatura sit. Itaque factiones & tumultus erunt in Ecclesia. Nihil erit sacrum in sacris literis, nihil certum, nihil stabile. — At (inquis) si non placent nobis Græca, maneant nobis nostra, donec Pontifex ex omnibus quæ sunt probatissima delegerit, si ita videatur. Bene addis, Si ita videatur: nam Deum obtestor Opt. Max. ne me superstitem inveniat illa dies. Præcogita tecum, etiam ut donem doctos & Ecclesiasticos boni consulturos; quid immurmurabit rudis & indocta plebs? novatam fidem. Quid clamabunt hæretici? inique actum, quod contra se ex ea Scriptura hactenus pronunciatum sit, quæ nunc rejicitur.* Eodem recidunt quæ habet Annotat. 127. 133. 231. & in *Annotat. Novis* in Epist. Joannis 1.

Idem tamen in *Novis Annot.* eodem tempore editis, à Lat. Versione ad Hebræum confugit textum: *Videtur mihi Hebraicus textus posse commodius reddi, ut sensus Evangelicus servetur, & quadret sibi utraque interpretatio, sensu saltem, hoc modo. Et tu Bethlehem Ephrata, parum est, ut sis*

in millibus Judæ. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Nam Zair potest significare parum aut parvum. &c.

Improbasse eum Psalterium Vulgatum tanquam Hebræo minus consonum, demonstrant hæc verba Epistolæ ad Erasmum: *Nec unquam dixi Hieronymum nihil sapere Hebraice. Insanus plane essem, si sic dicerem. Certe non inficiabor dixisse me olim tibi, quum variis de rebus confabularemur in templo D. Petri Lovanii, videri mihi toto diametro alicubi distare à Veritate Heb. quod in templis canitur Psalterium, & non satis mirari me, si Hieronymi esset. Hic si quid peccavi, monitus ab Hebraice docto, paratus sum dare manus.*

Testatur idem *eam jam multorum animos invasisse opinionem, ut siquid secus habeant Græci Codices Novi T. quam Latini, à Græcis protinus Codicibus stetur contra Latinos.* Testamenti Græci ab Erasmo editi exemplaria plus quater mille per orbem jam Christianum fuisse dispersa.

11. An. 1519. vel 1518. in Academia *Lipsiensi* Orationem inauguralem habuit PETRUS MOSELLANUS, cum Græcæ institutionis professionem auspicaretur, qua contendit trium linguarum peritiam cum omni professioni, tum præcipue Theologicæ esse pernecessariam, eosque tota via errare, qui sine earum peritia existiment sese Theologos esse; Versionesque librorum sacrorum è linguis originalibus esse corrigendas.

12. An. 1519. Dialogum, an Theologo sit necessaria trium linguarum peritia, differentem, edidit JAC. LATOMUS, Professor Lovaniensis, in quo impugnat *Erasmi* & *Petri Mosellani* opinionem, qui linguarum originalium necessitatem tuebantur. In *Apologia* vero, quam pro illo Dialogo post aliquot annos emisit, hæc habet: *Scripturæ sacræ ex alia lingua in aliam quamlibet versio, res media est, ex intentione, ex circumstantiis loci, temporis, & personæ judicanda. Mihi visum est, & adhuc videtur, in utraque parte vitandam esse pertinaciam, ut neque Versio passim fiat, & indifferenter, nec è diverso piaculum putetur, si codex quantumvis vetustus emendetur, quod Latinius, aut commodius, aut significantius explicetur. Nos, inquit Hieronymus, hoc sequimur, ubi nulla de sensu mutatio est, Latini sermonis elegantiam conservemus: & alibi, Neque siquid scriptorum est errore vitiatum, stulta debemus contentione defendere. Et hic non agitur de fidei articulis, non de divino cultu, vel religione, cuique permissum est in suo sensu abundare. Si quis ea vertit intentione aliquam Scripturæ partem, ex Heb. in Græcum vel Lat. vel ex Græco in Latinum vel Hebræum, sive ex illis primariis linguis in quamlibet linguam vernaculam, ut honori Dei, & utilitati suæ vel proximi consulat, bonæ intentionis est: tantum caveat, ne fallatur, & dum prodesse putat, præter intentionem obsit. E diverso qui Scripturam S. mavult habere minus Latinam, aut minus omnibus expositam, ne ejus majestas & auctoritas apud vulgus minuatur, quam oportet haberi sanctissimam, & inviolabilem, similiter est rectæ intentionis, tantum videat ne quid nimis, & nedum mordicus Scripturæ verba retinet, sensui (cui verba serviunt) faciat præjudicium. Et mea quidem sententia non tanti momenti fuere mendæ, sive scriptoris sive interpretis vitio invectæ, ut nova versione opus fuerit; quoniam non inde pendet fidei aut religionis Christianæ summa. Si quis autem novam versionem moliatur, ut Ecclesiæ deroget, Hæreticis patrocinetur, aut sub Scripturæ verbis sensum suum inferat, impius & temerarius est. E diverso autem, si quis codices inter se conferri, ad originalia recurri, obscura vel ambigua illustrari non vult, ne suus error pateat, similiter impius & sacrilegus est. Hoc addendum videtur in præsenti articulo, quod puritas Originalium Scripturarum Novi Test. maxime reperiri videantur in tractantibus libris, sive commentariis Veterum Orthodoxorum, sicut secundum Hieronymum pura translatio LXX. conservatur in libris veterum Græcorum tractatorum.*

13. Anno

13. Anno 1519. Compluti edidit JAC. LOPES STUNICA *Antapologiam, qua adversus Jac. Fabrum Stapulensem editionem vulgatam Apostolicarum Epistolarum qua Ecclesia utitur, eam esse quam D. Hieronymus recognovit, ac Græcæ fidei reddidit, probat*: Additis in easdem Epistolas Annotationibus, quibus *Fabri* novam translationem impugnavit, & tuetur Vulgatam. De *Fabro* ille testimonium hoc tulit, quod *eum non popularis auræ captaterem, non ambitionis cupiditati addictum, sed modestum potius virum ac virtutis egregium cultorem omnes prædicarunt.* Ait ei licitum fuisse *sacros N. T. Codices Latinæ translationis cum Græcis exemplaribus studiosissime conferre: hinc laudem cum utilitate non exigua reportare potuisse; nullam ex hoc ei invidiam suboriri potuisse; calumniæ nullum fortasse superfuturum fuisse locum: sed tralatione veteri contentum novam facere nequaquam debuisse. Quod si id animo omnino insederat, quo melius vulgata editio à sacrarum literarum studiosis intelligeretur, consideratius id opus aggredi debuisse.*

Edidit idem anno sequente *Annotationes contra Erasmum in defensionem tralationis N. T.* in cujus Operis Prologo ait se, *si quisquam alius, iis de rebus judicium ferre posse: quippe qui non paucos in S. Scripturis V. ac N. T. Hebraice, Græce, & Latine perlegendis consumpserat annos, ac Hebraica Græcaque ipsa divinarum Scripturarum exemplaria cum antiquissimis Latinorum Codicibus diligentissime contulerat. Longa igitur lectione ac experientia jampridem edoctum quantum tralationi huic Ecclesiæ N. T. deferendum sit novisse optime. Quæ si ob auctorem, qui in incerto est, non tanti momenti alicui videbatur: recognitoris tamen ejusdem ac solertissimi emendatoris D. Hieronymi auctoritatem, intemeratam quidem illam, atque ab omni calumnia immunem servare debuisse. Neque quenquam tam audacem futurum, qui in eo se opere disertum ac eruditum monstrare niteretur, in quod divus ipse Hieronymus nunquam ex professo manus mittere ausus est, donec Apostolicis tandem jussionibus coactus, quibus refragari nequaquam poterat, emendandi atque ad Græcæ Veritatis lineam illud redigendi officium suscepit. — Erasmum, si aliquibus in locis à Græcis exemplaribus, quæ passim circumferuntur, veterem tralationem discrepare senserat, si quæ per librariorum aut incuriam aut inscitiam errata progressu temporis codices Lat. subintrarunt, reformanda videbantur, seorsum illa adnotasse debuisse, non totum S. Scripturæ corpus denuo transferendum fuisse; non immutanda vetera; non quæ tam diu usitata fuerant tam licenter invertenda; non tam aperte Ecclesiasticam traductionem damnandam. Annon damnat, inquit, qui interpretem illius damnat? qui dormitantem appellat? qui absurditatis affectatorem; qui Latinitati vim afferentem; quique eisdem titulis ac cognominibus non veretur illum insignire, quibus inerudití illiteratique homines ludibrii causa à doctioribus notari solent?* In aliquibus locis Latinam lectionem veriorem esse Græca pronunciat. Est vero ubi affirmat non Textum modo Græcum, sed & Versionem Lat. corruptam fuisse, ut in Act. VII. ubi plura istiusmodi congerit exempla. Est etiam ubi Græcum Versioni anteponit, ut ad Rom. VIII. & in 1 Pet. cap. 2. de textu Hebraico ubi loquitur, *Veritatem Hebraicam* appellare solet, ut textum Græcum N. T. *Græcam Veritatem*, plus semel. Si credimus ipsi *Erasmo* in Apologia contra *Stunicam*, quam edidit an. 1522. Cardinalis *Ximenius*, ubi vidisset, quæ moliebatur in eum *Stunica*, dedit consilium, ut prius opus ad eum mitteret, quam evulgaret, quod si responsione is satisfaceret, magis in rem ipsius fore, premi librum, quam evulgari: sin autem respondere gravaretur, aut proterve indocteve responderet, publicaret ille suas vigilias bonis avibus, eoque neglecto, veritati patrocinaretur. Utinam, inquit, sic prophetent omnes, tu si potes, adfer meliora, ne damna alienam industriam. Proinde vivo Cardinale pressit *Stunica* librum suum, & statim à morte ejus typographis tradidit.

14. ÆLIUS

14. ÆLIUS ANTONIUS NEBRISSENSIS, ex Grammatico Rhetor in Complutensi gymnasio, atque proinde Historicus Regius *tertia Quinquagena in 50. S. Scripturæ libros* ed. 1520. cap. XVII. de *Electro*, apud Ezech. cap. 1. & 8. quid illud sit disputans: *Eramus tunc in aula perquam reverendi atque proinde clementissimi D. Francisci Ximenez Archiepiscopi Toletani, & Hispaniarum Protomystæ, cui jampridem investigandæ antiquitatis sacrarum literarum cura vel præcipua incumbit, & conquirendorum voluminum ad eam rem non minor diligentia. Antea igitur quam quidpiam quæstioni responderem, videamus, inquam, quando nos fortuna tali in loco junxit, ubi adest tanta capia eruendi res abstrusas atque difficiles, quid Auctores Hebræorum de Electro sentiant. Evolvimus itaque Hebræorum Lexica, atque Glossemata: nihilque offendimus præter mera somnia, viz. animalis sive angeli cujusdam nomen, sive lapidem pretiosum. Alii confitentur ingenue se nescire quid sit asmal, id enim apud Hebræos nostro Electro respondet: inter quos est R. Salomon vir non minus rerum quam verborum diligens indagator. Nicolaus Lyra putat Hieronymum, immo cum Hieronymo* LXX. *Interpretes non assecutos vim asmal, cum electrum interpretantur, quasi in eruditione linguarum non debeant præferri* LXX. *quos Hieronymus in hac parte sequitur, quibuscunque aliis, nedum Salomoni homini in re literaria novitio, neque minus in significatu verborum quam in eruendis sensibus frequenter hallucinanti. Itaque ego longe magis assentior* LXX. *qui, ut inquit Augustinus, tanta Spiritus S. præsentia interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit magis Hieronymo trium linguarum peritissimo, quam Nicolao cum suo Salomone; quam omnibus Hebraicæ linguæ recentioribus magistris.* Ibid. cap. 44. *In Job, Cerenhapuch* 1. *cornu stibii. nec minus in hoc Hebræi decipiuntur, qui pro hapuch per p exile habent haphuc per ph aspiratum. itaque pro stibio interpretatur intortum: sed ego magis credo interpreti Hieronymo, atque adeo rationi, quam Hebræorum literaturæ.*

15. LUDOVICUS VIVES, Notis ad S. August. de Civ. Dei *Henrico* VIII. Regi Angliæ dicatis 1522. ad ea verba lib. 15. cap. 13. *Sed absit ut prudens quispiam, vel Judæos tantum potuisse credat in Codicibus tam multis &c.* hæc habet: *Hoc idem responderi potest his qui falsatos corruptosque & ab Hebræis Codices Vet. Instrumenti, & à Græcis Novi objiciunt, ne veritas sacrorum librorum ex illis fontibus petatur.* Et ad ista; *Ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio: Hoc ipsum* (inquit) *Hieronymus clamat, hoc ipsum docet ratio: & nullus est saniore judicio, qui repugnet.*

16. An. 1525. adversus *Erasmum, Stapulensem*, & alios, *De tralatione Bibliæ, & novarum interpretationum reprobatione* librum edidit Parisiis PETRUS SUTOR, Doctor Theologus, professione Cartusianus; in quo LXX. Interpretum & Latinæ Vulg. auctoritatem tueri conatur: non modo Interpretes LXX. sed & ipsum Hieronymum divinitus transtulisse, & utramque interpretationem esse authenticam contendit. Hebræorum tamen Codicum non impugnat fidem, sed differentias plerasque quæ intercedunt Versionibus cum textu Originali statuit adscribendas esse Spiritui S. de differentiis vero in historiis; *generatim* (inquit) *dici potest, cum varietas, sive controversia apparet in historiis rerum gestarum, inter Hebræos codices & interpretes, si quid reperitur ita diversum, ut verum utrumque esse non possit, illud scriptorum errori adscribendum est. Et eo casu Hebraicæ linguæ, ex qua in aliam per interpretes facta est tralatio, magis credendum.* Ad Lyrani tamen objectiones contra editionem Lat. sic respondet: *Dum Lyranum videris tralationem Jeronymi passim carpere, dicas eum vesanire, dicas & eum Veritatem Heb. integram atque incorruptam, nunquam vidisse. Et esto Hebraicum suo tempore fuisset inviolatum, eum nihilominus, vel literas Heb. non satis calluisse, aut certe Judæos, quos habuit*

eruditores, veritatem Heb. vel non habuisse, vel certe celasse. Edidit idem anno sequente, de eodem argumento *Antapologiam adversus Erasmi Apologiam.*

17. Veteri Test. ex Hebræo de novo convertendo annos 25. impendit, opusque illud ante annum 1518. absolvit SANCTES PAGNINUS, Lucensis, S. T. D. Concionator Apostolicus, Prædicatorii Ordinis; & postea cum libros Apocryphos, tum N. T. è Græco transtulit: totiusque voluminis Biblici translationem edidit *Lugduni* an. 1528. & *Clementi* VII. nuncupavit; duasque alias postea ejusdem Operis editiones ipse emisit. Epistola ejus ad Papam dedicatoria sic se habet: meretur enim quæ hic maximam partem edatur, cum rara admodum sint ea volumina; nec comparet in posterioribus editionibus quas alii post mortem Auctoris edidere.

Leo X. tuæ Beatitudinis frater, cui tu Clemens Pontifex Maxime, veluti jure quodam hæreditario suffectus es, in moderanda Petri navicula, me quum Romæ agerem, accito, quam olim elucubraveram utriusque Instrumenti translationem, ut sibi ostenderem, benigne ac perhumaniter injunxit. Is quum aliquot vidisset quinterniones, & ex iis cætera suo præclaro expendisset ingenio, volo, inquit, ut meis impensis totus transcribatur liber, & typis exacte revisus excudatur. Tum, ut novit tua Beatitudo, non modo pro Scribis, verum etiam pro parandis iis, quæ opus erant excusioni impensas suppeditavit, & sequenti deinde anno nonnulla excusa fuerunt. Sed proh dolor! illo post hæc brevi ex humanis subtracto, gravi omnium mærore, intermissa sunt omnia. Quo vulnere saucius, quum neminem cernerem, qui meis lucubrationibus suppetias ferret, Italia demigrandum censui, Avenionemque concessi cum ejusdem urbis reverendissimo Legato, ubi peracto ferme triennio, quum mei non fierem voti compos, cum ob chalcographorum penuriam, tum ob impensarum inopiam, Lugdunum petere decrevi. — Rogatus à Civibus illis Florentinis, concionari statui in proxima Quadragesima, quod multos audierim Lutheriana infectos hæresi. Qua peracta, Deo operante, non citra animarum multarum lucrum, quum jam Florentini Cives inter se statuissent certam pecuniæ summam quotannis pro alimentis, & aliis quæ forent opus mihi exhibendam, summo studio ac omni cura, ut nostra scripta excuderentur operam dare cœpi, impressisque Hebraicis Institutionibus, impensas omnes suppeditantibus Francisco nepote meo, ac Dominico Berto affini meo, Jacoboque de Giuntis bibliopola Florentino, cœpimus nostram utriusque Instrumenti translationem excudere una cum libro de interpretatione Nominum tum Heb. tum Græcorum, quæ arcanis reperiuntur in literis. Quod eo lubentius effeci, certior ab amicis factus, quod hisce studiis summopere delectaris, favesque admodum. Clemens Quintus Pont. Max. indicto Viennæ Concilio, ut essent in Christianorum Academiis, qui Hebræas, qui Græcas publice profitentes literas sanxit; tu jam coactis viris aliquot peritis, novam piissime translationem condis sacrarum literarum, ut quæ in iis vel temporum vetustate, vel librariorum incuria, aut hæreticorum malitia, sunt admissa peccata, errataque possit lectionis sacræ fides restitui. Eo enim periculosius in iis peccatum admittitur, quo sublimiora sunt quæ tractantur. Quæ, si quo casu male tradita accipiantur, hæreticis, perversisque hominibus, sinistram errandi ansam, infidelibus risum nostri atque contemptum præbitura sunt. Quam quidem ad rem, quantum afferat commoditatis multiplex linguarum cognitio, ignorat nemo. Nam quum arcanæ sacræque literæ Hebraice aut Græce fuerint scriptæ, absque linguarum peritia non potuerunt ad nos commigrare, ut interim taceam rerum maximarum utiliumque mysteria, quæ in Nominum latent interpretationibus. Sed plerique alienis (ut aiunt) lubenter cernentes oculis, & alienis ambulantes pedibus, non sincere sacras tractantes literas, Habemus, inquiunt, in manibus, & D. Hieronymi translationem, & Nominum Heb. expositionem, quid insuper opus est alia editione? — Hieronymi ego studium

æmulatus imitatusque multis annis sacras versavi literas, Hebræorumque in easdem Commentaria, ut rosis è spinis, & melle è favis, circumstrepentibus apibus, lectis, studiosis sacrarum literarum, quæ multo tempore, multis vigiliis didiceram, citra invidiam communicarem, viamque panderem præclaris ingeniis ad excutienda divinæ sapientiæ mysteria, quæ ego vel ob ingenii tarditatem, vel ob eruditionis sermonisque inopiam præstare non valeo, ut in Dei templo non duo æra minuta, ut ego cum paupercula vidua in gazophylacium, sed aurum, argentum, uniones, cæterosque lapides pretiosos offerre queant. Nos ut pauperes agricolæ, novale spinis tribulisque plenum sarculo nostrarum lucubrationum repurgavimus, aperuimus ut valuimus, campum, ut illi sato optimo semine, uberes metant segetes. Nos quippe fontem luto, cœnoque perturbatum utcunque purgavimus, quo ipsi è purissimo fonte hausta dulci aqua, & suam & aliorum possint restinguere sitim. Quibus, si hæc minima placere cognoverimus, hoc est simplicem utriusque Instrumenti translationem, ac librum de Nominum Interpretatione, post hæc edemus, & Annotationum libros 6. in V. & N. Instrumentum, ut rationem eis reddamus, quid, cur mutatum sit, & diversas explicemus interpretationes, quæ unica interpretatione, aut unico verbo reddi non possunt. — Vetus Instrumentum omni qua valuimus diligentia ac vigilantia fideque juxta Hebraicam vertimus Veritatem. — Verbum verbo reddidimus (ubi reddi potuit) ut arcanis (quantum fas est) literis deferremus, simul ac iis, qui Hebræas perdiscere cupiunt literas, faceremus satis. Periphrasi tamen nonnunquam uti opus fuit, quod sensus altas commode exprimi non potuerit. Quod omnes fecerunt Interpretes, præcipue D. Hieronymus, ut in nostris annotamentis commonstrabimus, in quibus & diversa & complura plerumque exprimentur sensa iisdem ex verbis, & D. Hieronymum pro nostra virili defendemus, quem ut sanctum, ut peritissimum, & colimus, & adoramus, cujus editionem in V. Instrumento neque convellimus, neque damnamus, neque mutamus, neque calumniamur ullo pacto, quanquam ab illo plerisque dissentimus in locis, quod & aliis usu venit Doctoribus, qui in summa Christiana fidei consentientes, aliud legunt, ut Cyprianus, ut Hilarius, ut Ambrosius, ut Augustinus, apud quos non modo diversa, sed & pugnantia comperiuntur: quanquam eam quæ passim legitur, D. Hieronymi germanam editionem haudquaquam esse arbitramur. Nam omnia ferme Nomina, tam in Græcis, quam in Latinis Codicibus sunt corrupta, & tot pene sunt varietates, quot codices, —— ut interim taceam quæ à librariis sunt depravata, & eruditulis & parum attentis mutata. —— Quot sint præterea Glossemata textui inserta, qui vel Lyræ legerunt Commentaria, haudquaquam ignorant. —— Ad hæc multis in locis in suis Commentariis D. Hieronymus aliter legit atque exponit, quam in communibus habeatur Codicibus, imo & pleraque retractat, & se deceptum verbi ambiguitate ob transferendi celeritatem ingenue fatetur. Melius, inquit, reor proprium errorem reprehendere, quam dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere. Quis enim fuit unquam ita doctus, qui alicubi non sit hallucinatus. Arbitror Virum illum sanctum multa alia, si occurrissent, aut sibi ostensa fuissent, eadem causa, aut certe sui Præceptoris imperitia, ne dicam impietate, retractasse. Qui Hebræas, qui Græcas degustarunt, aut professi sunt literas, hanc nostram editionem cum Hebraicis in Veteri, & cum Græcis in Novo conferant Instrumento, & exacte expendant, & quod minus assecuti sumus ingenii tarditate, aut sicubi aberravimus moneant, doceant, emendent amice, præsertim tuæ Beatitudinis Novi Interpretes, quos eruditos esse haudquaquam addubitamus, qui sua in translatione eos invenient censores, qui fuerint ipsi in aliena. ---- Ut interim taceamus quod & me & omnia mea Sedi Apostolicæ, omni qua valemus humilitate submittimus, ac Parisiensi Academiæ. --- Proinde communi editioni, quæ Divi putatur Hieronymi, quoad fieri potuit, Hebraica monente sententia, nos ipsos accommodavimus. &c. ---- Ex Lugduno Cal. Jan. MDXXV.

Annota-

Annotationum libros 6. quos promittit *Pagninus*, in quibus ait se rationem reddidisse quare in multis locis à Latina Vulg. dissenserit, non videtur edidisse. In alio autem Opere, nempe in *Isagoga ad Literas Sacras*, edita Lugduni MDXXXVI. postea Coloniæ MDLXIII. Textum Heb. omnibus Versionibus longe anteponit, & nunquam fuisse falsatum, *quod modo* (inquit) *multi dicunt*, contendit. Qui liber una cum *Isagoga ad mysticos sacræ Scripturæ sensus*, dicatus est *Joanni de Bellay* Cardinali & Episcopo Parisiensi, & præfixam exhibet Epistolam *Symphoriani Campegii* ad *Franciscum à Turnone* Cardinalem & Antistitem Bituricensem, qua præclaris extollitur *Pagninus* laudibus, tanquam Vir excellens, pietate ac doctrina illustris.

In Epistola Nuncupatoria ad *F. de Claro monte* Card. & Legatum Avinionensem, præfixa illius *Enchiridio expositionis vocabulorum Haruch, Thargum &c.* quod edidit Romæ 1523. hæc habet: *Hac Dei providentia factum esse non ambigo, ut hac tempestate Hebræa lingua hactenus obsoleta, obliterata, exotica, non modo in Latium, verum etiam in totam pene Christianam Remp. commigraverit. In qua non modo Apostoli, Patriarchæ, verum etiam Dominus Jesus, idemque Deus locutus est, in qua totum V. Instrumentum (nostræ religionis fundamentum) scriptum esse hæsitat nemo. —— In quo Dei omnipotentiam &c. —— haurire nobis datum est, & eo fælicius quo hæc non è cœnoso gurgite, aut semiturbido canali; sed è fonte ipso purissimo vivæ & dulcis aquæ, ex ipsis Hebræorum archetypis. Quæ ego æstimans, attendens, considerans, multis insomniis, elucubrationibus, studiis, laboribus, cursisque, multis annis, & Hebraicæ & Græcæ linguæ operam impendi, congessi, coacervavi, multaque collegi, ut mandem literis, quod frugiferum fructuosumque sit, quod conducere arbitrer omnibus, præsertim ad capessendam Heb. linguam. &c.* Operi isti subtexitur Privilegium ei concessum ab *Hadriano P.* quod Bibliis etiam, sicut antedictum est, præfigitur.

In Præfatione *Hebraicarum Institutionum* ad *Fredericum Fregosium*, Archiepiscopum Salernitanum; *Post Latinas* (inquit) *Græcasque literas diu versatas, cœpisti & Hebraicis navare operam, ut è sacris literis (quæ hominem instruunt ad salutem) veluti è favis mella divinorum excuteres sensuum: & relictis cœnosis rivulis, lacunisque, è lympido sacrarum literarum fonte, aquas haurires salutares. Verum enimvero quum te hisce in literis (quæ subdifficiles sunt) laborantem conspexissem (quod idoneo carebas præceptore) de te posterisque bene mereri peroptans, Institutiones Heb. quas olim elucubravi, rescribere orsus sum. —— Quanquam sint plerique suis studiis, suaque lingua contenti, qui post D. Hieronymi interpretamenta, Hebraicis literis operam dare supervacaneum putent. Quibus primum dicendum est, hanc linguam (ut & cæteræ) propria habere idiomata, proprios habere tropos, & peculiares loquendi modos, quos aliena exprimere lingua ita significanter, aut impossibile, aut certe perdifficile sit. Quo fit, ut non modo ornatus, verum etiam & sensus nonnihil patiantur & injuriæ & jacturæ sacræ literæ, etiam per fidos interpretes translatæ: ut interim taceam, quod in alienam linguam translatæ, semper ad intelligendum difficiliores, ingratiores, nonnunquam alienæ, ne dicam aliæ sunt, vel ob Interpretum ignorationem, vel ob linguæ Lat. paupertatem. Sacris præterea in literis ob easdem causas sunt pleraque non interpretata tam Hebræa, quam Græca vocabula, quæ ob harum ignorationem linguarum depravate & scribuntur & pronuntiantur. —— Multa præterea ob librariorum incuriam sunt vitiata, immutata, corrupta: quæ non nisi per viros linguarum peritos emendari possunt: Hebræa vero volumina nec una in dictione corrupta reperies. Quocirca explodenda est illorum sententia, qui dicunt, Sensum quærimus, non verba. Unde enim nisi ex ipsis verbis, sensus elicitur? quæ si quispiam ignoraverit, quo pacto auctoris sensum assequi poterit? Sed Hieronymum (inquiunt) habemus linguarum peritissimum, qui nobis utrumque transtulit Instrumentum:*

strumentum: non est operæ pretium ut curam, operam, studiumque impendamus literis Hebraicis pro Arcanis literis. Tanquam suopte gladio confodi nequeant. dicant mihi, Ante Hieronymi tempora (immo Hieronymi tempestate) num fuerunt viri doctissimi, qui Hebraicam, qui Græcam, qui Latinas callebant literas? Quid opus erat Hieronymi translatione? Sed emendatiora (inquiunt) sunt Latina exemplaria Græcis & Hebraicis: citantes illud Hieronymi in Epistola ad Desiderium, quæ Arcanis præponitur literis: Emendatiora sunt exemplaria Latina quam Græca, Græca quam Hebræa. Ut interim taceam quod Hieronymi pervertunt sensum: si Latina exemplaria sunt emendatiora, ut quid Hieronymus tot annis in Hebræis transferendis desudavit? quid opus erat ejus translatione? Cur nobis tradidit inemendatiora? quare pro illis digladiamur? &c. —— Optarim præterea ut Hieronymi mihi germanam ostenderent translationem: quæ enim passim legitur, non est Hieronymi incorrupta translatio, ut in Epistola ad Clementem Pont. Max. (præfixa Bibliorum translationi) *multis ostendimus argumentis. Præterea Hieronymum fuisse hominem, & potuisse errare sua in translatione, vel ob sui præceptoris imperitiam (ut interim taceam impietatem, quod Christianus non esset) vel ob ipsius Hieronymi celerem editionem, inficiabitur nemo. Quippe & ipse Hieronymus veritatis amator, & retractare quæ erravit, & se deceptum verbi ambiguitate, ob transferendi celeritatem, suis in Jesahiahu commentariis fateri non est veritus. &c. —— Labor D. Hieronymi nostræ non debet patrocinari negligentiæ, sed pellicere ad linguarum studia, præsertim Hebrææ & Græcæ, ne semper alienis cernamus oculis, ne alienis ambulemus (ut aiunt) pedibus, ne Sacras tractemus literas non instructi linguis ipsis quibus editæ sunt, sine quibus, ut par est, profecto tractari nequeunt.*

Hæc *Sanctes Pagninus*, vir tantus & tam inter Pontificios Catholicus. Observant autem nonnulli Pontificiorum, ut *Raynaudus* in Mantissa ad Indiculum SS. Lugdunensium, & post eum *Miræus* in Biblioth. Eccles. *non omnia illa quæ apud Pagninum displicent, esse revera ab eo profecta. Pleraque enim Genevensium interpolatorum nequitiæ adscribenda esse, tametsi ementito loci chalcographiæ nomine, in lucem sint edita, & mala fide pro Pagnini lucubrationibus venum exposita.* At quænam sunt illæ *Pagnini* lucubrationes? Designatur, opinor, illius *Linguæ Heb. Thesaurus*, qui ex *Merceri* & *Cavallerii* recognitione prodiit Lugd. 1575. & prohibitus est in *Romano Indice*. Opus illud ait *Possevinus Genevæ* impressum fuisse sub nomine *Gryphii* Lugdunensis Typographi.

Glossas ejus in Biblia, juxta editionem anni 1542. expurgarunt Hispanici Theologi recentiores, ut videre est in eorum Indice, & apud *Possevinum Apparat. S.*

18. Illius Translationi, in suis ipsius editionibus, præmittuntur Privilegia Paparum HADRIANI VI. & CLEMENTIS VII. Auctori concessa sub annulo Piscatoris. *Hadriani* Privilegium, quod etiam præfigitur ejus *Expositioni vocabulorum Haruch &c.* sic se habet:

Dilecto filio Magistro *Sancti Pagnino* Lucensi Ordinis Prædicatorum regularis observantiæ, Congregationis Thusciæ.

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem: Cum nobis exponi feceris, te multa egregia opera ad sacras literas enucleandas, & ad perdiscendam Hebræam, Chaldæam, Græcamque linguam ad Dei ejusque Ecclesiæ honorem, communem utilitatem, characteribus Hebraicis, Chaldaicis, Græcisque prope diem editurum: idque sine magnis impensis facere non posse, nos damno & jacturæ, quibus facile affici posses si ab aliis imprimerentur, occurrere volentes, cum tu præcipue is omnium primus extiteris, qui hanc hominibus commoditatem attuleris, mandamus &c.

— XI. *Maii* MDXXIII. *Pont. nostri an.* I.

Clementis:

Clementis: Dilecto Filio *Sancti Pagnino* Lucensi Ord. Præd. Theologiæ Professori.

Dilecte fili &c. Cum sicut nobis exponi fecisti, pro communi eorum utilitate, qui bonarum artium, & præsertim Hebraicarum literarum, ac sacræ Scripturæ studiosi sunt, opera quædam, viz. Bibliæ translationem, & in eandem annotationes, ac librum de Heb. Nominum interpretatione, necnon Hebraicas Institutiones, ac Psalterium cum annotationibus, ac brevi expositione, à te compofita, nunquam antehac impressa, tuis sumptibus imprimere cupias, &c.
— VI. *Junii* MDXXVI. *Pont. nostri an.* 3.

19. Facultas ab Ordine habita imprimendi libros. *In Exemplari literarum reverendissimi Generalis nostri Ordinis, quod incipit: In Deo filio sibi charissimo reverendo Patri Magistro Sancti de Luca S. T. P. provinciæ Romani Ordinis Prædicatorum, Frater Franciscus Silvester, Ferrariensis S. T. P. ac totius præfati Ordinis generalis Magister, & servus, salutem, & Spiritus S. consolationem. Volens honestissimis petitionibus vestris morem gerere, præsertim quia plurimum insudastis in literarum studiis, & in transferendis libris de Hebr. & Græca lingua in Lat. præsentium tenore concedo &c. — Item inhibeo omnibus me inferioribus sub pæna absolutionis à suis officiis, ne audeant vos per se, vel per alios impedire quocunque modo, quin possitis facere imprimere libros à vobis compositos, vel traductos ex Hebræo vel Græco in Lat. &c.*

20. In ejusdem Operis laudem, deque Scripturis vertendis, extat FRANCISCI PICI, Comitis Mirandulani, literis non minus quam natalibus illustris, virique piissimi, Epistola ad *Pagninum*, his verbis conscripta anno 1518. *Dici non facile posset, quantum honestæ sinceræque voluptatis perceperim, quam ingenti fuerim perfusus animi gaudio, quum tuis literis factus sum certior, perductas esse (ut aiunt) ad umbilicum in V. T. interpretationes tuas. Quid enim aut jucundius aut utilius omnibus, qui Sacris versantur in literis, contingere potuit, quam summa & diligentia & cura ex Hebræa in Latinam translata linguam divina illa monumenta? Ego quidem (ut de me dicam) post Latinas & Græcas literas multis laboribus versatas, cum nihil aut parum profecisse videar, ut antiqua ipsa nostræ religionis arcana prorsus haurirem, nisi & Hebræas perdiscerem, conducto Hebræo Isacio, Jochanæ illius, quem Johannes Picus patruus meus sibi magistrum adscivit, filio, eo usus sum præceptore. Sed bellis, quæ plurima mihi illata sunt impeditus, & quibus incumbebam voluminibus absolvendis distractus, quam parum à calce promoverim, tu ipse testis, cui me postea erudiendum tradidi. Nam quanquam matura ætate, & etiam provecta, nonnulli magnos in literis Hebræis progressus fecerunt, haud tamen (par referas pari) si à primis (ut aiunt) unguiculis, stridentia illa & anhelantia verba resonaverint. Quo magis probandus labor ille tuus, & egregia pertinax diligentia in impendendis annis quinque super viginti translationi tuæ, quia non senes modo & decrepiti, sed pueri balbutientes, & infantissimi (modo Latinæ linguæ penitus ignari non fuerint) compotes futuri sunt omnium mysteriorum. —— Tantum abest, ut qui te summis efferre laudibus deberent, capere ansam calumniæ merito possint. Inania enim illa objectamenta, laboraße Hieronymum in utroque Testamento, ac partim interpretis, recognitoris partim & castigatoris officio perfunctum: quo fieri uti frustra tantum operæ insumatur in vertendis in nostram linguam literis Sacris. Nam præter antiquam illam ipsius Hieronymi censuram, in eos homines, qui quod ipse interpretaretur sacra, iniquo ferebant animo, nec post 70. Interpretes, post Theodotionis & Aquilæ editionem, post Hexoplos Origenis, novi quicquam saporis admittebant in animum, & præter novam illam Erasmi, qua vituperationibus hujusmodi, ac multa quidem & eruditione & diligentia cum respondet verbis, tum factis ostendit, se*

in castigando laudem, & quidem præcellentem mereri, non inanis laboris nomine, aut condemnari, aut suspectum haberi debere. Illud certe ausim affirmare, si integram illam sententiam legeremus, quam rogatis Damasi Pontificis tulit Hieronymus: cum ea exemplaria, quæ cum Græca consentirent Veritate, decrevit; Si diligentiam ejus in V. T. vertendo inviolatam conservatamque haberemus, si obelos & asteriscos agnosceremus, & præter ea, si execrationes ejus ad illos, qui ejus ipsius describebant libros, viguissent usque ad nostra tempora, frustra tum laborare qui facta facerent. At quum utrumque Test. non parum multis locis vitiatum, qui Græce & Hebraice sciunt, animadvertant, qua injuria id condemnare, quod laudibus ornari maxime inter bona judicia convenit? An Clemens Pontifex de libris ediscendis, & libris transferendis legem tulit in Concilio Viennæ habito? Quis autem nova & corrupta exemplaria, veteribus & incorruptis conferat? Qui linguas à quibus per diversos traduces ad Latinos devenere non noverit. Fuit & Augustini illius magni sententia, relata à Gratiano inter Pontificia decreta, V. Testamenti fidem, de voluminibus Hebræis examinandam. Nam Novi quidem veritatem præter Hieronymum, & innumeros alios, ipse quoque Augustinus sanxit, Græci normam sermonis desiderare. Quod si Hieronymi & Augustini seculo, in literis peregregie florenti, tanta erat difficultas incorruptæ servandæ lectionis, quid post Gothos & Vandalos sumus aliud dicturi quam multa confusa, corrupta pleraque fuisse? Sicubi autem vicinia literæ suasit, interpolandum aut invertendum quippiam, quod ignari facilius perciperent aut indoctorum insinuavit pertinacia discipulis delendum aut inducendum, quo magis ipsorum sententia fulciretur. Ut igitur qui de turbidis fluentis sincere potare nequeunt, ad purum fontem pro restinguenda siti, jure se conferunt, ita qui in variarum utriusque [deesse videtur, *Testamenti*] *translationum, quibusdam quasi Labyrinthis fatigati, Regium iter non facile inveniunt, ad originem, h. e. ad Græcæ & Hebraicæ linguæ primordia, unde illa ipsa Labyrinthi fila religata ducuntur, sese recipere debent. Quibus tu quantum attinet ad V. T. non suffragatus modo fueris, sed laborem dempseris, si se tibi qui eas ignorant literas, plane crediderint. Vale, Cal. Junii 1518.*

21. CLEMENTEM VII. Papam Viris quibusdam literatis demandasse provinciam Scripturarum de novo vertendarum, sive ad Heb. veritatem castigandarum, ex *Pagnini* ad illum Præfatione supra descripta intelligimus. Quod etiam testatur *Jo. Campensis* in Præfatione Psalmorum, qui addit illum *6. Judæis* & totidem *Christianis* opus commisisse: *Quemadmodum audio hunc nostrum summum Pontificem Clementem* VII. *ante nuperrimam Romanæ urbis expugnationem tentasse, ut viz. ea provincia sex Judæis, & sex Christianis Hebraice peritis mandaretur.* Ejusdem rei mentionem facit *Jo. Cochlæus* Præf. in Discept. *De novis ex Heb. translationibus*: ubi ait, *Clementem* VII. *voluisse per quosdam tum ex Christianis tum ex Judæis, linguarum peritos, restituere V. Testamenti certam & ab omni mendo repurgatam lectionem.* Et *Steuchus Eugubinus* Præf. in Recogn. ubi ait *Judæos impulisse nuper Romanum Principem, ut nova, eo jubente, fieret editio.*

22. *Psalterium* de novo ex Hebræo ad verbum ope aliorum vertit THOMAS DE VIO CAJETANUS Cardinalis, ipse linguæ istius expers, *conversumque* edidit cum Commentario suo, *Clementique* VII. dicavit an. 1530. Venetiis, cum hac inscriptione: *Psalmi Davidici ad Hebraicam veritatem castigati, & juxta sensum quem literalem dicunt enarrati &c.* sive, *Liber Psalmorum ad verbum ex Hebræo versorum, ad literam accuratissime enarratus &c.* præmissis etiam ipsius Papæ & Senatus Venetorum Privilegiis. In ipso exordio hæc habet Cardinalis: *Divinorum Psalmorum librum juxta literalem sensum quum incepissem exponere, comperi nullum apud nos haberi textum talem qualis est in sua origine, lingua scil. Hebræa. Et propterea assumpta illa quæ nomine B. Hieronymi circumfertur interpretatione*

juxta

juxta Heb. Veritatem, & collata cum ea quæ circumfertur nomine LXX. *Int. & cum 4. aliis modernis interpretationibus ex Hebræo immediate, adhibui duos linguam Hebræam scientes (alterum Hebræum, magistrum linguæ illius, alterum Christianum) cum pluribus vocabulariis linguæ illius: & coram me (exigente significationes dictionum Heb. in lingua nostra Lat. vel vulgari, & eligente significationem quæ magis quadrare contextus visa est) feci per singula verba vocatam B. Hieronymi Interpretationem reduci ad respondendum Hebræo textus de verbo ad verbum. Et sic conflata est nova istæc interpretatio Psalmorum de verbo ad verbum consona textui Hebr. quem exponere studui secundum sensum tantummodo literalem. Fuit autem tanti laboris necessitas; quia nisi textus adsit talis qualis est in sua origine, jam non textus exponitur nisi divinando, sed exponitur textus ut intellectus est ab illo interprete. Testor ego quod inter hos labores dicebatur mihi ab Interpretibus, dictio Heb. sonat hoc, sed non apparet sensus nisi mutetur in hoc alterum. Respondebam ego auditis omnibus significationibus, Non sit vobis curæ si sensus non apparet, quia non est vestri officii exponere, sed interpretari, interpretamini mihi sicut jacet, & relinquatis expositoribus curam intelligendi, traducite textum ut jacet in Heb. & communem relinquatis nobis & Hebræis curam intelligendi textum sic obscurum: si ego non intellexero, alius intelliget. Sicque curavi ut de verbo ad verbum textum haberem Psalterii qualem habent Hebræi: utinam assecutus sim. ---- Desines mirari mutilam hanc interpretationem, & Hebraicæ linguæ paubertati id tribues. Cupies proinde mecum universi Testamenti Vet. interpretationem sic mutilam habere: & utinam talis habita fuisset à priscis patribus: quia jam haberemus expositum textum ipsum sacræ Scripturæ, & non textum confectum interpretum arbitrio.*

Idem in Præf. Com. in Pent. quæ eidem *Clementi P.* dicavit: *Det Dominus Jesus Christus ut assequar intentum; intendo autem juxta Hebraicam Veritatem textum exponere, ubi diversa occurrerit sententia in vulg. editione & in Heb. textu. Nam ipsius Mosis textus, non interpres ejus exponendus est. Non enim interpretis Græci aut Latini, sed ipsius tantum Heb. textus auctoritas est, quam complecti cogimur, & complectimur fideles omnes.* F. ANT. FONSECA Lusitanus in Epistola Dedica. editionis Parif. 1539. ad Ferd. Menesium Jamacensem antistitem: *Cum videret vir doctissimus quantum lucis Hebraica lingua huic operi afferre posset, dum hæc commentaretur, usus est ad eam rem doctissimis Hebræorum, quos, ut referunt, ingenti mercede compensabat.*

Exordio Com. in libros Historiales V. T. ait se ad eos exponendos excitatum fuisse in primis difficultate rei gestæ, vel quia obscure traditur, *vel quia secus Interpretes eam reddiderunt.* Hebraica nusquam non præfert, & in Cap. 1. Jud. *Expositoris* (inquit) *officio fungitur interpres, & utinam bene.*

Extant ejusdem Comm. in *Parab.* & *Eccles. ad Veritatem Heb. Castig.* quæ scripsit an. 1534. æt. suæ 66. Prophetarum libris ad eandem Veritatem castigatis Commentario suo illustrandis immortuus est. *Thomæ Strozæ* Florentini, qui Com. ejus in Parab. &c. edidit an. 1545. & *Jo. Salviato* Card. nuncupavit, Admonitio ad Lectorem: *Advertant pii Lectores, quod præmissis Com. expletis eorum auctor dedit textum ad Veritatem Heb. traductum, & à se jam expositum potiori pro cautela, eisdem quibus usus fuerat in hujusmodi traductione, nonnullis aliis similiter Hebraicum idioma callentibus adjectis: ut simul denuo inspicerent, si traductus textus exponendus sibi primo traditus in aliquo per incuriam à pura textus Heb. Veritate discreparet. Et cum ipsi totum Heb. textum maturius & exactius librassent, ipsum duntaxat Paravolarum Salomonis textum in quibusdam paucis locis aliter quam antea sunt interpretati, annotantes hujusmodi correptiones, & a primis deviantes interpretationes, in margine. Quas auctor morte præventus non potuit*

non potuit propriis in locis suis inferre Commentariis, & illis expositionem accommodare. &c.

Eodem modo T. N. libros omnes (præter *Apocalypsin*) *ad Græcorum Codicum Veritatem castigatos* exposuit: dicatis libris Historicis *Clementi* P. Epistolis *Carolo* V. Imp. Exordio Com. in Mat. *Et quia* (inquit) *Vulgata Editio totius N. T. quandoque minus fida est, & nos non Interpretes, sed verum textum intendimus exponere, ideo adhibuimus studium nostrum, ut textus corrigeretur judicio peritorum in utraque lingua. Quod ubique facimus quando sententiæ diversitas esset: ubi autem eadem est sententia, pertransimus; nisi apud Joannis Evangelium & Epistolam ad Rom. propter arduam enim utriusque materiam exactius studuimus correctioni literæ. Et ne oporteat millies repetere, Græce sic habetur, noverint omnes mutationes fieri apposita sola præpositione pro, & superflua aut deficientia significari, superfluit aut deficit: subintelligendo semper, juxta textum Græcum.*

23. An. 1529. Venetiis prodiit AUGUSTINI STEUCHI Eugubini, *Canonici* tunc Regularis S. Salvatoris, postea Episcopi in Creta Kisami, & demum Sedis Apostolicæ Bibliothecarii, *Veteris Test. ad Veritatem Heb. Recognitio*, complectitur vero ea pars tantum libros Mosaicos. In cujus Præfatione ad *Marinum Grymanum* Card. *In Hieronymi* (inquit) *editione sunt qui multa aut veriora aut clariora esse desiderent. Atque ea tanti momenti quibusdam visa sunt, ut persuasum sit eis hanc editionem non esse ipsius Hieronymi. Ex quibus omnibus sapientissimus quisquam intelligere poterit, non sine causa me aggressum hoc opus, in quo & Veritas Heb. & reliquorum editiones breviter, & clare omnes conferrentur: Sed in primis de nostræ editionis veritate quæreretur, cui non cessant derogare petulanter Hebræi, & hi qui Hebræis assentiuntur.*

In Præf. ad Lectorem editionem Lat. Vulg. Hieronymi esse contra Paulum Forosem Proniensem Episcopum contendit, istius esse *tantam elegentiam, tantam proprietatem, tam mirabili prudentia eam vitare Hebraismum, seseque nostræ phrasi accommodare, ut alterius esse, quam Hieronymi ut credat adduci ipse non posset.* Se quoties eam cum Heb. Veritate contulerit, *toties in magnas ipsius Interpretis laudes erupisse, admiratum tantam majestatem, tantam in transferendo prudentiam, tantum judicium, tantum leporem, tantam perspicuitatem, cujus semper sit nomen benedictum, quando aliud pro tanto munere solvere non possumus. — In qua si quid aut mendosum reperitur, aut ab Heb. Veritate dissonum, aut additum, aut detractum, vel nullius esse momenti, aut scriptorum vitio contigisse. Si qua vero alia est causa, ostendetur* (inquit) *à nobis toto opere.* Ait *Judæos apud principes Christianos, si quando de his rebus sermo inciderit, maximis assertionibus jactasse, Latinam editionem corruptam depravatamque esse: itaque impulisse etiam nuper Romanum principem, ut nova eo jubente fieret editio, quam minime fuisse necessariam. — Ad eam sæpenumero recurrere ipsos Hebræos, sicut ipse pleraque loca apud eos notaverat.*

In LXX. esse *quædam quæ apertissimam præ se ferunt Græci sermonis imperitiam, alia in quibus maxima Heb. linguæ ignoratio deprehenditur, dura alia, & vix intelligibilia.* Sic ad Gen. 36. *Cogimur vel inviti, fateri LXX. linguæ Heb. non usquequaque peritos fuisse.*

Quin & post tanta Latinæ Vulg. Encomia, est ubi eam quoque erroris arguere non reformidat: ut ad Exod. 34. ubi Vulg. *Et ignorabat Moses quod* cornuta *esset facies sua*: *Vox ambigua*, inquit, *fecit in Editione errorem: Non enim habetur in contextu Heb. faciem Mosis fuisse cornutam, sed radiantem fuisse cutem. — Et mirum quod Hieronymus non considerata veritate Heb. non adverterat etiam quid LXX. transtulissent, qui bene hunc locum transtulerunt.* Ad Lev. xi. *Ophiomachum*] *Nescio quamobrem LXX.* (*nam ab illis accepit Hieronymus*) *verterint eo modo vocem Heb. &c.* Ad Num.

Num. VIII. *Quamobrem nescio an nostra editio probanda est &c.* Cap. XI. *Quasi dolentium præ labore*] *magis placet sententia Sept. qui* רע *quæ vox Hebræis dolorem & pravitatem significat, pro eo quod est pravum acceperunt.* Ad Deut. XXVII. *Qui dormit cum omni jumento*] *Miror Hieronymum quod vocis significationem non distinxerit. — verum etiam id peccatur à* LXX. Ita alibi haud raro, ut ad Gen. IX. &c.

Eodem modo recognoscebat *ad Heb. Veritatem* libros *Job* & *Psalmorum.* In Job XV. Lat. Vulg. his verbis reprehendit: *Hieronymus vocem Heb. themurato, quæ sonat commutationem, vicem credit esse pro pretio. Hebræi tamen, quod melius, idque loquendi consuetudo comprobat, accipiunt id pro vice ejus &c.* In Psal. I. editionem vulg. perstringit: *Quod* LXX. *dixerunt* in, *melius juxta Heb. permansit, constitit.* Sic passim. Ibidem asserit *expositoribus Hebræorum in explicandis nominibus omnem fidem adhibendam esse.*

In Psalmorum Procœmio de novis ætatis suæ Interpretibus hæc habet: *Fuerunt hac tempestate quemadmodum olim apud Græcos, multi qui ex Hebræorum fontibus Psalterium transferrent, quibus tot tamque variis interpretationibus imperiti turbantur, arbitrantes nulla ratione sacras literas intelligi posse, ut quarum tot tamque inter se differentes sint interpretes. His, ut dixi, perturbatio propter imperitiam accidit. Qui transferunt non sunt, ut ipsi putant, inter se tantopere discordes: sed quod cæteri turbulentius, obscuriusque transtulissent, cum videatur aliis melius apertiusque transferri potuisse, novas editiones aggrediuntur, semperque ad majorem claritatem aliqua fit accessio. Nec verum est, Heb. linguam, quod tot quotidie novis interpretationibus sacræ literæ misceantur, quod aliquæ voces diversis sensibus exponantur, inusitatam, dissimilemque cæteris linguis esse non intelligibilem, sed ut cuique lubuit in omnes sensus venientem. ---- Cur igitur quisquam varietatem in sacris literis abominetur, cum sit omnium linguarum is mos atque ritus. Ob hanc igitur causam nobis illa via maxime placuit, ut nullam denuo interpretationem molientes, sed hanc nostram vulgatam cum fontibus Heb. cum Græca tralatione conferentes, Hebræos, Græcos, Latinosque interpretes consulentes, unum totius veritatis corpus efficeremus.*

Edidit idem *Steuchus* anno 1534. singularem tractatum, in quo probat, *Vulgatam Editionem esse D. Hieronymi.* Ubi inter alia, ait *Sanctem Pagninum virum optimum, & pari doctrina atque probitate præditum* testari se non in eversionem vulgatæ editionis, sed ut collatione tralationis suæ hæc editio magis interdum clarescerect. — Hebræorum puncta vocalia Hieronymi temporibus recentiora esse statuit probatque. De suis editionis vulgatæ reprehensionibus, *libenter* (inquit) *citraque omnem ruborem fateor, interdum me suspicatum à fonte aut vero sensu interpretem variasse, posteaque errorem potius fuisse meum cognovisse. Et nunc hanc profero vocem, longe facilius esse, ut ego errem in annotando atque observando, quam interpretes in transferendo. Quem nos nec carpsimus unquam (Deus avertat à nobis tam stultam audaciam) nec si verba porrexerunt iniquis hanc vel fictam, vel veram suspicionem (id est qua suspicarentur, vel fingerent se suspicari) animum illuc vel minimum spectantem habuimus.* Audi tamen quæ proxime subdit: *Denique norimus etiam D. Hieronymum hominem fuisse, & quem aliquid effugere, licet non tam facile, potuerit. Duo sunt genera eorum, quæ nos effugiunt: unum eorum quæ prorsus ignoramus: alterum non ignoramus quidem, sed vel aliqua causa diversum sentire coegit, vel aliud intendente animo. Hoc postremum, & Hieronymo & mihi fateor accidere potuisse, idemque sæpe magnis contigit viris.* — Postea: *Et hæc est vera ejus Hieronymi, nobilissima, inclytaque tralatio, omnibus antiquis, aut futuris unquam usque ad rerum consummationem editionibus longe præcellens. Quod ad Hieronymum attinet, libentissime fatemur, facilius fuisse ut tum in Pentateucho, tum*

tum reliquis libris nos laboremus in annotando, & exponendo, quam Hieronymus in transferendo. Longeque propensius esse, ut nostrum quam ejus caliget judicium, dum credimus aliquid eum effugisse, quod nos potius effugit, ab illo quidem bene versum, à nobis bene animadversum, non ita. Cum vero vel diversum quid à fonte annotamus, vel nostram editionem dicimus interdum aliquo casu prolapsam, non esse interpretis æqui asseveramus, clamare, nos aut interpretem, aut interpretationem damnasse. —— Sicut LXX. *Interpretes non damnabat Hieronymus, rursum transferens, in quo sæpe ab æmulis suis queritur se accusatum: sic ipsi, Latina exemplaria ad Hebraica, & Græca recognoscentes, non damnamus, sed recognoscimus, locaque variantia annotamus.*

In Responsf. ad Erasmum: *Nemo præferret, opinor,* LXX. *Hebraicæ Veritati. Ego, si quando præfero* LXX. *Hieronymo, ex Hebraico facio, non contra ipsum fontem. —— Duplices sunt errores in fidem: & in dogmatibus & in Scripturis, ut secus aliquid legatur, quam sit legendum. Illud genus primum, in Ecclesia certum est, esse non posse. Non enim errare potest Ecclesia. Secundum genus potest inveniri, sicut invenitur interdum, ut legantur codices secus, quam sint legendi. —— Tota nunc Ecclesia legit:* Et interfecta est terra, *pro* infecta. *Ubique canitur,* Quadraginta annis proximus fui generationi huic: *cum dicendum sit,* fastidio habui generationem istam, *vel hujusmodi. Canitur semper;* Ut videam voluntatem Domini; *cum dicendum sit,* voluptatem.

24. *Erasmi* sententiam de Textus Hebr. Græcique præstantia nusquam tangit, aut taxat ALBERTUS PIUS, Princeps Carpensis, in Opere isto, quod ex professo in illum conscripsit anno 1530. etsi alia ejus dogmata diligenter exquisiverat refutanda, eaque speciatim, quæ scribit de Scripturarum Canone, perstringit. In Notis vero, quas adjecit Erasmi Responsioni ad suam *Exhortationem*, hæc habet: *Tuam industriam non accusavi in vertendo N. T. sed in edendis Paraphrasibus, cujus rei neminem habes auctorem, illius autem complures & præ cæteris D. Hieronymum, cujus tamen laborem non probavit D. Augustinus: sed variæ sunt hominum sententiæ: & de eo quod problematicum est, undique sunt rationes. Verum siqua utitur Ecclesia, editio Hieronymi est, quod probabile videtur, cum Præfationes extent, videretur te plus ausum esse, quam deceret. Et quomodocunque res se habeat, tanto minus probari potest ipse conatus, quanto magis à recepta editione recederes, præsertim in vocibus Latinis, quibus Græca interpretaris, diversa significantia, ut e. g. logos, quod Græce cum sermonem tum dictionem importat, cum antiqua utatur dictione, tu potius sermonem voluisti, ut illud, In principio erat verbum, vertisti tu, erat sermo. Cum tamen Verbum expressius significet, quod Evangelista intellexit, quam Sermo, qui orationem ex pluribus dictionibus contextam significet. Similibus enim uti potius ostentationis esse videtur, quam pacis, & vere pietatis studiosi. Et quæ Hieronymum causæ moverunt ad noviter vertendum, tibi patrocinari non valent. Primo quod id fecerit requisitus à Pontifice Maximo, citra cujus jussum id tentare non ausisset: secundo nulla tunc temporis communis editio esset generaliter recepta; sed quotquot essent codices, tot variarent, ut ipse testatur, Damaso scribens. Nunc autem una est communis & vulgata editio, recepta ab omnibus Ecclesiis.* Subdit, *Græcos codices* in multis *variare, & deprehendi eos quibusdam in locis esse depravatos.*

25. FRANCISCUS TITELMANNUS, apud Lovanienses Theologiæ Prælector, elucidationi Psalmorum ed. 1531. subjecit collationem Heb. textus & Paraphrasis Chald. cum editione vulg. Cujus Præfatione ostendit se editioni Vulg. Psalmorum, etiam ubi ab Heb. discrepat, favisse. Scripsit idem *Prologum Apologeticum pro ed. Vulg. N. T.* quem præmisit elucidationi suæ Epistolarum Paulinarum: eum vero omisit in editione (quam solam vidi) an. 1553. quo ipso anno ex hac vita migravit.

26. An.

26. An. 1532. utrumque T. ex Veritate Heb. & Græca in Italicum sermonem traductum edidit, & *Francisco* I. Gallorum Regi nuncupavit, ANT. BRUCIOLUS, homo Pontificius. Quod impressum est *Venetiis* cum Senatus Privilegio.

27. JO. CAMPENSIS, dum literas Heb. Lovanii in Coll. *Buslidiano* profiteretur, *Psal.* & *Ecclesiasten* juxta Heb. Ver. paraphrastice reddidit, & aliquot post annis publici juris fecit, dicatos *Jo. Dantisco*, Culmensi Episc. Regis Poloniæ apud Cæsarem Oratori. In Epist. Ded. an. 1532. scripta: *Quis* (inquit) *fuerit auctor editionis, qua Ecclesia utitur, mea non multum refert, hoc unum tantum affirmo, indignam esse quæ D. Hieronymo tribuatur, constat hunc per omnia Græcam editionem sequutum, vertisse quicquid vertit, cujus non minus obscurus est auctor, quam est nostræ hujus.* Affirmat LXX. Pentateuchum duntaxat vertisse, deinde pergit: *Hæc paucis hic non fine causa commemorare libuit, propter receptam sed perniciosam persuasionem in Græcis de* LXX. *& Latinis de Vulg. editione, quod ea fit D. Hieronymi, atque ob id in neutra quicquam mutare ex ipsis Heb. fontibus liceat, cum extet juxta Heb. Ver. editio alia, quam certissimum est esse ipsius Hieronymi, quamvis Ecclesia, nescio quomodo, eam non receperit. Qui ergo nunc conatur melius quiddam afferre, quam usu receptum est, non diversum ab Hieronymo cum injuria sanctissimi & doctissimi viri facit, sed idem penitus quod olim faciebat ipse. — Ego tantum nativum quendam gustum horum Psalmorum dare volui, futurum sperans ut olim Ecclesiæ consensu totum V. T. doctis, & linguarum peritis in nostram linguam transferendum committatur &c.* Impressum est hoc opus apud Pontificios sæpius, primo Parisiis 1533. Lugduni deinde apud *Gryphium* 1534. postea Argentinæ & Coloniæ apud *Gymnicum*. Præfigitur ipsius JO. DANTISCI Epigramma in laudem operis: De *Johanne* hoc *Campensi* monent Monachi Casinates qui ediderunt *Jo. Bap. Folengii* Commentariorum in Psal. editionem posteriorem an. 1585. eum non fuisse eundem cum *Johanne* illo *Campano* qui in sanctissimam Trinitatem librum scripsit, quod nonnulli autumarunt, sed fuisse *virum omnino pium, & usquequaque Catholicum, Heb. literas tum Lovanii, tum Veronæ sub Matthæo Giberto ejus urbis Antistite magna cum laude publice docuisse, eique summa necessitudine in omni vita conjunctissimum fuisse.*

28. JO. GENESIUS SEPULVEDA, Cordubensis, S.T.D. & Caroli V. Imp. Historicus, in Epist. ad Erasmum scripta [a] an. 1533. Versionem Lat. T. N. reprehendit & ex Græco aliter locum interpretatur. In alia [b] ad eundem Epistola 1534. obnititur illius opinioni de Græco quodam Bibliothecæ Vat. exemplari utriusque Test. literis majusculis exarato, quod multum conveniebat cum Lat. ed. vulgata, à vulgatis Græcis exemplaribus longe diversum. Id licet magnæ antiquitatis speciem præ se ferebat quoad Novum Test. suspicabatur Erasmus, in Ecclesiarum unione mala fide fuisse conscriptum. Respondet *Sepulveda*: *Quod pertinet ad librum Pontificium, Græcos codices N. T. Græcorum quorundam vel malitia, vel levitate fuisse depravatos, ad ipsum, quod scribis, fides esse debet indubitata, quod in Græcorum ad sanitatem redeuntium fœdere inito cum Ecclesia Romana, cautum fuerit, ut Græci codices ad Romanam lectionem emendarentur, quomodo enim poterant clarius utrique contestari, exemplaria Romana lectionem veram & germanam retinere, Græcorum esse vitiata? Nam quod ais Græcam lectionem ex Græcis auctoribus esse petendam, diceres aliquid, si rationem Græci sermonis affirmares à Græcis commodius, quam à Latinis explicari, at libros archetypos fundamenta nostræ religionis continentes, qui Græce fuerunt à suis auctoribus scripti, cur non credamus sanctius, gravius, & incorruptius asservatos esse in scriniis ac bibliothecis Ecclesiæ Rom. quæ caput est Christianorum, & semper fuit norma Catholicæ pietatis, quam in Græcia, quæ sæpe fuit hæreticorum, & levissimorum hominum fraudibus, & motu* rerum

[a] Ep. 3. lib. 1.
[b] Ep. prox.

rerum novarum agitata? — *Adde quod libri tutiores ab injuriis esse solent, & minus à parum doctis scholia sæpe cum Scriptura confundentibus vitiari, ubi à paucioribus vel leguntur, vel intelliguntur: nisi forte hoc dicis, placuisse in fœdere, ut dictio Græca emendaretur ad Latinam, quod nec est probabile, præterquam in certo aliquo loco, & nunquam factum fuisse certum habeo: nam articulum quem citas ex aurea Bulla, licet duas aureas Bullas in libro Conciliorum perlegerim, invenire nusquam potui.*

29. Jo. Driedo S. T. apud Lovanienses Professor in Opere *de S. Scripturis*, quod edidit an. 1533. & *Johanni* III. Lusitaniæ Regi dedicavit, ubi fuse disputat de Scripturarum originalium Versionumque auctoritate, ostendit nonnullorum fuisse sententiam, Versionem Lat. Vulg. ab Hieronymo *docente Spiritu S.* fuisse factam, *nullo prorsus in loco à suo fonte deviam, eique standum esse, tanquam Scripturæ divinæ in suo fonte suaque origine.* Cui sententiæ ipse reclamat, hasque statuit propositiones, *Spiritum S. loquentem in* LXX. *Intt. se pro loco & tempore personis accommodasse justa ratione ad tempus aut tacentem aut prætereuntem, ac figuris obumbrantem nonnulla suis locis, temporibus & personis revelanda.* — *Exemplaria Heb. non esse de industria à Judæis universaliter corrupta ac depravata, neque ante Christi adventum, neque post illum usque ad D. Hieronymi tempora, neque post Hieronymum ad hæc usque tempora; nec Græces Novi T. codices fuisse de industria universaliter falsatos. Quamvis apud Græcos & Hebræos jam forsitan varii reperiantur codices, qui inter se vel scriptorum incuria, vel inscitia discrepant, magnæ tamen dementiæ esse, habere eos suspectes tanquam falsatos, in illis locis in quibus consentiunt universi.* — *Editionem vulgatam qua Ecclesia nunc utitur, tam Veteris quam N. T. nec penitus esse aliam ab Hieronymiana, nec penitus eandem.* Quod multis Exemplis probat, ut etiam ab Hieronymo multa reprehendi quæ in ea hodie comparent. Subdit, *Non esse tamen ulla neque Evangelica præcepta neque fidei mysteria in ea editione vel prætermissa vel obscure designata, quæ non in eadem apertissimis locis sunt declarata. Quamobrem non oportere eam, ex veris suis exemplaribus Latinis bene castigatam, aut contemnere, aut passim rejiciendo aut improbando contemptibilem in Ecclesia facere: sed honorare antiquitatem, atque simplicitatem illius jam inveteratæ atque receptæ: ex cujus sive solæcismis, sive sententiis minus forsitan apte versis, neque comprobatur, neque fovetur ulla hæresis, in qua fidei nostræ mysteria sufficienter declarantur, in qua neque est quicquam quod præstet occasionem errandi perniciose. Unde neque in Græcis Hebraicisque exemplaribus esse ullum Christianæ fidei mysterium, ullumve salutis humanæ dogma necessarium, quod hactenus aut fugerit, aut latuerit Latinorum Ecclesiam, aut sit omissum aut contrarie positum in editione nostra Lat. quamvis in ea sint loca nonnulla, aut ambigue, aut obscure, aut minus congrue posita, quæ hactenus etiam eruditissimi Patres toleraverunt: non quod ignoraverint aut approbaverint errores, sed quia viderint nihil periculi in fide & moribus pendere ex hujusmodi locis, vel non prorsus à suo fonte deviis, vel etiam aut sic, aut aliter versis.* — *Quemadmodum* LXX. *Intt. editio in multis ab Hebraico fuerat devia, quam tamen & olim Christus & Apostoli ejus sic honoraverunt, ut non solum non contemnerent, sed & uterentur illa, corroborantes ex eadem nostræ fidei primordia: nihilominus ex Heb. fonte, ubi opus erat citantes etiam ea, quæ apud* LXX. *non reperiebantur: sic & hanc nostram editionem hactenus honoravit Ecclesia Lat. quamvis secundum censuram sanctorum Patrum, Ambrosii, Hieronymi, & aliorum etiam antecessorum quibusdam in locis non ignoraverit forsitan nonnulla devia esse à vetustissimorum Græcorum & Hebræorum exemplaribus: sciens aliud esse eum, qui Scripturam edidit, hallucinatum esse: aliud vero eum, qui Scripturam in aliam linguam transtulit non recte esse interpretatum.* — *Quapropter non arbitremur absurdum esse, sermonem S. Scripturæ translatum ex suo fonte in linguam aliam, examinare,*

examinare, recurrendo ad suam originem, & excutere si forte interpres deviaverit à sensu ejus qui scripsit. Et id unicuique eo usque licitum est donec universalis Ecclesiæ auctoritate fuerit definitum editionem illam in omnibus fonti suæque origini consonam esse. Insuper & definitione hujusmodi facta, adhuc liceret pro intelligendis locis obscuris recurrere ad Scripturam in suo fonte ---- Hieronymus noluit Ecclesiæ dare suam translationem tanquam divinam, & in omnibus authenticam, & consonam Scripturæ in suo fonte editæ. Nam & ipse diversis in locis arbitrio Lectoris reliquit, aut probare, aut improbare, si sic aut aliter transferatur. ---- Quemadmodum Heb. linguæ periti non indigent LXX. *Intt. editione, si habeant V. T. Hebraico fonte suo editum & castigatum, ita & Græcæ linguæ periti non indigent in Evangeliis, in Scripturisque Apostolicis translatione Latina, habentes N. T. in suo fonte, suaque origine.* --- Post alia multa, his tandem concludit verbis: *Editionem Lat. nunc inveteratam & in usum uniformiter per universas Ecclesias receptam, & in Commentariis Patrum citatam, non convenit propter minuta quædam, & forsitan minus recte versa repudiare, & loco ejus novam recipere. ---- Si passim censeatur publicè amplectenda nova quælibet editio, ab erudito quovis profecta, miris novitatibus tumultuabuntur Latina sacræ Theologiæ publica studia & exercitia. Non hæc dicimus, quod alias editiones ab eruditis intentione pia & non subdola editas refutemus, aut contemptibiles atque inutiles censeamus: sed quod publicam hujus lectionem arbitremur non esse mutandam propter editiones novas, etiam à viris quantumvis eruditis profectas: quibus tamen suum honorem tribuimus in privatis studiis, legentes illas tanquam explanationes quasdam & elucidationes, magnopere adjuvantes studia nostra, ad intelligendum loca vel obscura, vel ambigua, vel per scriptorum incuriam depravata in editione nostra.*

Quæ fuerit sententia GERARDI MORINGI, qui Com. in *Ecclesiasten* edidit eodem an. 1533. facile colligitur ex hisce illius in Præfatione verbis: *Jam primum sequimur Vulgarem Editionem Lat. sive quod non incommoda omnino sit, judicio etiam peritorum, sive quod hanc publico usu adhuc Ecclesia probat Catholica, à cujus prærogativo suffragio discedere neque honestum, neque tutum. ——Postremo adjicimus, sicubi videtur, Hebræa & Græca, ut si cui libeat videre quam interdum diverse legant ab hac nostra vulgari editione, plenius ibi videat. Nam subinde plane ex diametro cum hac nostra dissident. Quæ quidem diversitas unde primum nata sit, quanquam hujus instituti non est ostendere, tamen, ut obiter dicam, fieri potuit; alicubi propter diversitatem exemplarium, alicubi propter diversitatem characterum Heb. ut librarius dormitans pro tsade, legerit ain; & è diverso pro caff, beth, & ita in reliquis, unde tamen vox tota sæpe pendet; alicubi, propter multiplicem ejusdem vocis Heb. significationem, ut interpres hic, in hoc significatum accepit, alius in aliud; alicubi, propter alias causas, quas in præsentia persequi non est lubitum.*

30. FRANC. GEORGIUS, Venetus Minoritanus, *Problematis in S. Script.* an. 1536. Paulo III. dicatis Editionem Vulg. *falsam traductionem*, & *mendosam editionem* vocare solet, textum vero Heb. *Veritatem literæ*, & *verum textum*. Quæ loca notantur in *Ind. Expurg. Hispanico.*

31. LILIUS GREGORIUS GYRALDUS *Thesauri Critici* parte 2. Dial. 11. ‘LXX. *Interpretes Ezechielis locum ita interpretati sunt,* ϗ τὰς ‘κεφαλὰς αὐτῶν ὐ ξυρήσονται, ϗ τὰς κόμας αὐτῶν ψιλώσουσι, *quod Hieronymus* ‘*ita Latine vertit*, Capita sua non radent, & comas suas non ad pres‘sum tondebunt: *fortasse MELIUS dixisset*, cutem non nudabunt; ‘*id enim* ψιλόω *significat*.’ Idem in *Historia Deorum Syntagm.* 3. laudat PAULUM PASSETHUM, quod ex ipsis fontibus interpretabatur Scripturas: *Vinculo etiam bonarum disciplinarum jungimur, & sacrarum in primis literarum, in quibus tu ita invigilas, & tales progressus facis, ut paucos in hac tua juvenili ætate senes & provectos, pares in eis interpretandis habere*

habere videaris: nimirum, ut qui ex ipsis fontibus haurias, hoc est, ex Hebræis literis, quas multo studio & sudore es assecutus, nullos prætermittens labores, nullis etiam sumptibus parcens.

32. FRANC. FLORIDUS SABINUS, Præfat. *Lectionum Subcisivarum* ad Rudolphum Pium Card. 1539. *Erit cur meliora à nobis propediem expectes, cum aliquandiu in Græcis Latinisque versatus, assiduam posthac sacris Theologiæ studiis operam dare constituerim: in quibus, ut commodius versari possem, biennium jam Hebræorum literis vacavi, in futurumque vacabo, quoad sine cortice in illis vacare valeam. Quod me intra paucissimos menses, ut spero, consecutum intelliges.*

33. GERARDUS WELTWIKUS, seu VELTUYCKUS, in libro quem *de Judaicis Disciplinis & earum Vanitate* edidit Venetiis an. 1539. *Hæc est sententia mea de libris vestris. Luce clarius est, Masoram esse ex discrepantia codicum, neque aliud præstitisse auctores Masoræ, nisi quod contulerunt inter se discrepantes codices, delegisse autem quod optimum illis visum est. Idemque de punctatione dicimus. Punctatores nempe fuerunt homines docti, & in plerisque locis appositissime punctarunt, estque lectio linguæ sacræ, id est, textus Heb. melior & emendatior lectione librorum nostrorum Græcorum & Latinorum, hoc est, Vulg. Vers. & Translationis LXX. Intt. At non tamen per miraculum servata est sine errore sive lapsu. Quod facile est deprehendere ex collatione librorum sacrorum, qui easdem res narrant, ut sunt libri Samuelis & Chronicorum. Isthic enim videre est literas vel omissas vel additas. Unde cum bono Deo proposui aliquando demonstrare multiplices in textu Heb. lapsus, sive errores*

a Cit. à Capello Crit. Sacr. l. 1. c. 3.

34. An. 1542. Venetiis prodiere Biblia ISIDORI CLARII, Brixiani, Abbatis Casinatis, postea Episcopi Fulginensis, cum hac inscriptione: *Vulgata editio Veteris ac Novi Test. quorum alterum ad Hebraicam, alterum ad Græcam Veritatem emendatum est diligentissime, ut nova editio non facile desideratur, & vetus tamen hic agnoscatur.* In Præfatione sic loquitur Auctor: *Multa quidem docte & superioribus seculis tractata in divinos libros sunt, & hac ætate nostra, quam ego hoc nomine auream appellarem, nisi se Ægyptii cum Israelitis permiscuissent: & alii nova in Latinam linguam Versione, alii Commentariis, alii utraque re Christianam Remp. ditare pro se quisque conati sunt: sed duo mihi deesse adhuc videbantur. Nam in his horum omnium studiis atque laboribus editio illa, qua totus Christianus orbis utitur, ac semper, ut facile conjecto, usurus est,* nondum squalorem suum deposuerat, *nec ei quisquam* errores, quibus innumeris pene scatebat, *adimere adhuc curaverat: quæ res eo magis reprehensione digna mihi videbatur, quo eorum major esset hac ætate copia, qui huic malo mederi potuissent. Alterum erat, quod desiderabam, ut scil. ea loca, quæ in utroque sunt Testamento obscuriora, & aliqua egent luce, ita plana fierent, atque ea brevitate explicarentur, ut nihilominus uno volumine sacrorum bibliorum opus claudi posset: quod non mediocri sane futurum fuisset adjumento, non multitudini solum, cui minus suppeditat ea librorum supellex, verum iis etiam, quibus locupletioris bibliothecæ copia est. Cum enim quis in promptu, atque in ipso divinorum librorum volumine habet, unde sese ex incidentibus in litera difficultatibus explicet, tranquilliora tum animo, quasi complanata via, & sublatis offendiculis conficit sua spatia, & jucundius piis immorari meditationibus potest. Hanc ego geminam provinciam, & corrigendæ, viz. hujus editionis, & lucis afferendæ locis difficilioribus aggressus sum, atque ea ratione, ut viri docti, qua in utraque hac parte sese exercuerunt, amare me de hac re debeant, qui profitear, me ex eorum lucubrationibus non exigua accepisse adjumenta, præsertim in ipsa bibliorum correctione, ut quicquid hic profectum sit, ipsis eorumque vigiliis referri acceptum velim: quanquam accedere & ipsi,* quæ Dei est benignitas, ad Hebræos fontes possumus: *sed & tutius & minus invidiosum fuit, hac ingredi via,*

via, ne plus aliquid unus, quam tot eruditi viri, qui hactenus scripserunt, viderer sapere voluisse. Verum quod ad castigationes pertinet, consilium id fuit meum, non ad vivum, quod aiunt, omnia resecare, sed ubi vel nihil, vel perparum immutaretur de sententia, indulgendum consuetudini judicavi: *atque hisce tamen locis admonere lectorem in Scholiis soleo, quo pacto Hebræa se habeant*: *alioqui* si statera aurificis, & non populari potius quadam trutina uti voluissem, *offensæ fuissent omnino Ecclesiæ aures, neque id quod cogitaveram, esset consecutum, ut scil. Vulgata editio agnosceretur. Neque vero id à me sine exemplo factum est, atque adeo validissima auctoritate, cum illi ipsi Apostoli ac Evangelistæ frequentissime, cum proferunt Scripturarum testimonia, minime curent exactam illam Hebraicæ Veritatis explicationem: ut nonnunquam diversa, atque Hebraica habent, si verba tantum contemplere, scripsisse videantur: quæ tamen res ingentem præ se, quod scil. ab ipsis staret veritas, ferebat significationem. Verum etsi ea, quam diximus, usi fuerimus moderatione*, loca tamen ad [a] OCTO MILLIA annotata atque emendata à nobis sunt. *At vero quod reliquum esset, optarim ego, ut primates Christianæ Reip. patres, si quid minus à me in hac parte perfectum est, operam darent, ut, quando maxima jam laboris pars confecta est*, quicquid restat, *absolveretur: nam fieri non potest, ut unus assequi possit omnia, idque in tam pene præcipiti (non mea tamen magis, quam aliorum culpa) festinatoque negotio. Quale igitur cunque id est, quod communi Ecclesiæ Christi largiri jussus sum &c.* Post Opus hoc editum à Paulo III. an. 1547. ad dignitatem Episc. evectus est Auctor: obiitque an. 1555. hoc elogio in marmore sepulchrali ornatus; *Vita & moribus integerrimus, exemplo & verbo admirabilis, doctrina clarissimus Christiana, Græcaque, Hebraica, Latina, &c.*

[a] Ingenti memoriæ lapsu *octoginta millia* ponit Waltonus in Proleg.

35. Eodem anno 1542. *Antuerpiæ* ex ædibus *Jo. Steelsii* prodiit *Novum Test.* (Latinum) *brevibus variarum tralationum* (sic titulus habet) *Annotationibus illustratum, ad vetustissimorum utriusque linguæ exemplarium fidem nunc demum diligentissime emendatum: adjectis Scholiis & doctis & piis, Auctore Isidoro Clario Brixiano.* Textus prorsus idem est cum Latino Vulgato: lectio veterum Codicum Latinorum cum Græcis libris congruens in margine exteriori collocatur: quæ Viri literati è Græcis codicibus aliter in sermonem Lat. converterunt, quam vetus Interpres transtulerit. *Asteriscos & obeliscos non omisimus* (inquit Editor:) *illos, ut quæ in Græcis libris amplius erant, elucerent: istos vero, ut quod in veteri tralatione abundabat, juxta Græcum exemplar confoderemus, Origenem & Hieronymum sequuti.*

36. *De novis ex Hebræo Translationibus S. Scripturæ Disceptationem* an. 1544. edidit Jo. COCHLÆUS, Canonicus Vratislaviensis, qua *Lutherum* aliosque impugnat, qui novas Versiones ex Hebræo confecerant: Et ipsum *Hieronymum*, cujus exemplo se ii defendebant, culpare non veretur. *Ut igitur verum fatear, non per omnia injuste reprehensus mihi videtur propter novam ex Heb. translationem à Ruffino Hieronymus, quia per eam illo tempore permulti ex Catholicis turbati ac scandalizati fuerunt.* Ait *majores utilioresque fuisse Theologos, Scripturarumque sacrarum expositores & verbi Dei ad populum præcones, antiquos Patres, qui nova Hieronymi interpretatione usi non sunt, quam posteriores fuerint. — Non videre se quam tuto aut secure potuerit Hieronymus plus confidere Barrabæ Judæo, quam translationi* LXX. — *Cum* LXX. *Interpretes tam clara & antiqua Christianorum testimonia habeant, nihil contra eos præsumere debere Translatores novos.* Disceptationem suam sic tandem concludit: *Nolim quidem per hæc sanum & pium Heb. linguæ studium reprobare, cum sit illa prima & Originalis, Cui veram Dei cognitionem & sacrarum literarum intelligentiam debemus & acceptam referimus. Sed novorum detestor superbiam & insolentiam translatorum & expositorum,*

positorum, qui pluris faciunt hujus linguæ cognitionem, quam obedientiæ disciplinam, quam Rom. Pontificum & sanctorum Patrum doctrinam & auctoritatem, quam Ecclesiæ pacem & unitatem, quam Dei & proximi charitatem. Cum tamen interim scientia sua vane inflati neque concordent inter sese, neque perfectam illius linguæ cognitionem habeant, nihil aliud efficientes inani studio & labore suo, quam ut populos nostros in antiqua Ecclesiæ fide conturbent, & Judæis semetipsos deridendos præbeant, dum se multa scire putant, quæ Judæorum judicio prorsus ignorant. Horum igitur perversa studia, scandalosas novationes, & malitiosos adversus Catholicam Ecclesiam conatus, non ipsam Heb. linguæ peritiam, reprobo ac detestor.

37. Ex istius opusculi Præfatione discimus MARCELLUM Cardinalem, postea Papam, constitutum sibi habuisse, ex antiquissimis & probatissimis undique collectis utriusque T. exemplaribus Latinis, Editionem Vulg. in integrum restituere.

38. FRANCISCUS VATABLUS, Heb. linguæ Professor Parisiensis, qui ob. an. 1547. quanti textum Heb. æstimaverit præ omnibus translationibus, videre est in illius Annotationibus. De Versione Lat. quæ ei à nonnullis tribuitur, alibi erit dicendum.

39. Hac ætate de Ecclesia præclare meruit ROBERTUS STEPHANUS Parisiensis, Typographus Regius, sacris libris corrigendis atque edendis: ob quæ tamen multa à Theologis Parisiensibus passus est. Ab eis primo nonnihil in eum tentatum est anno 1522. quum à vitrico suo *Simone Colineo* impressum fuisset N. T. quia tunc ejus typographiæ præerat: ad ignem rapiendum esse vociferabantur, qui hujusmodi sacros libros tam corruptos imprimeret, corruptionem prædicantes quicquid à fæce inscitiæ vulgaris, cui assueverant, repurgatum erat. Postea majores in eum tragœdias excitarunt, quum Biblia an. 1532. edidisset. Rursus nova debacchatio, ob Biblia edita 1540. in quibus multa ex vetusto codice reposuit, veram lectionem Heb. Codicibus congruentem ad margines notans. Novæ rursus flammæ ob Novi Test. editionem an. 1541. Sed omnium longe ardentissimæ ob Biblia denuo ed. 1545. in quibus Versioni Vulgatæ adjunxit è regione novam *Tigurinam*, adjectis etiam Scholiis quibusdam *Vatabli*. Edidit paulo post N. T. Græcum, majore forma, in quo quidam consuluerunt, ut mutaret locum 1 Cor. 15. 51. *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*; & objurgarunt, quod non obtemperasset. An. 1547. à Doctoribus Sorbonicis exhibiti sunt adversus illum Secretiori Regis Consilio articuli quidam, scil. catalogus *errorum notatorum in Bibliis ejus diversis temporibus excusis, partim in marginalibus appendicibus, partim in summariis & indicibus, partim in Annotationibus Bibliorum an.* 1545. *impressorum.* His molestiis fatigatus, puriorem que religionem publice profiteri cupiens, *Genevam* tandem se recepit, ibique optime de Ecclesia bonisque literis commereri perrexit, & an. 1552. *Responsionem ad censuras Theologorum Parisiensium* edidit.

CAP. XIV.

De Concilii Tridentini *Decreto, & Disceptationibus supra Edit Vulgata. A Pontificibus Romanis in Bibliis corrigendis quid præstitum fuerit post Decretum Trident. Editionum* Sixti V. *&* Clementis VIII *diversitas ac repugnantia. Congregationis Cardinalium de mente Concilii Declaratio*

DE sententia & traditione Ecclesiæ Latinæ usque ad Concilium *Tridentinum*, hucusque vidimus. In illo Concilio sub *Paulo* III. an. 1546. infelici temeritate à paucis quibusdam Episcopis Editio Vulg. Latina

Latina declarata est *authentica*, nec QUOVIS PRÆTEXTU in parte ulla *rejicienda*. Neque hoc tamen effectum est absque ingenti Theologorum doctiorum oppositione.

2. Post Sessionem 3^m, quum in Cœtibus variis de Canone S. Scripturæ ac Traditionum auctoritate fuisset disceptatum, statutum est *Feb.* 18. [a] ut de corruptelis S. Literarum ageretur. Habebatur *Feb.* 20. peculiaris Patrum & Theologorum delectus ad observandas circa divina Volumina corruptelas, usque opportune consulendum. Hi erant *Filholius* Archiep. *Aquensis*, *Marcus Vergerius* Sinogalliensis Episcopus, & Antistites *Cavensis*, *Stabiensis*, *Phanensis*, *Bituntinus*, *Asturiensis*, generalis Augustinianorum Præfectus *Seripandus*, *Alphonsus à Castro*, & *Ricardus Cenomanus* Franciscani, atque *Ambrosius Catharinus* Dominicanus. Præscriptum erat, ut bis saltem in menses singulos, privatim convenirent Theologi ac Doctores; invitatis etiam eo Patribus, ut frequentes adessent fructum inde sibi decerpturi, & animum illis addituri; ea tamen lege, ut ipsi silerent, ne Theologis fieret temporis libertatisque diminutio.

a Pallavicin. Hist. Concil. Trident. l. 6. c. 11. &c.

In generali Conventu *Feb.* 26. denunciabat *Polus* Card. Legatorum ac Præsidum unus, *Lutheri turbinem, quo Ecclesiam convolvit, è nullo alio specu prorupisse, nisi ab audacia oppugnandi tum legitimam auctoritatem, tum Versionem S. Voluminum, in quibus doctrinas suas fundat Ecclesia.*

Mart. 17. Patres & Theologi delecti supradicti ad Cœtum supremum retulere corruptelas ab ipsis adnotatas, & excogitata remedia. Quatuor autem circa literas sacras abusus præcipui observati sunt. Primus erat, *Tanta Versionum varietas, qua Divini Verbi veritas reddebatur incerta. Huic malo visum erat occurri posse unica ex cunctis Versionibus tanquam legitima constituta; ea viz. quæ maximam obtinebat auctoritatem ex Ecclesiæ usu communi, adeoque Vulgata nuncupabatur.* Alter fuit, *Mendorum copia, quæ Biblia tam Latina quam Græca & Hebraica contaminaverant. His non aliter dicebatur prospici posse, quam si Pontifex ea denuo diligenter correcta typis edenda curaret, eorumque exemplar singulis Episcoporum Sedibus traderet.* Tertio loco observarunt, *Suo quemque arbitratu divinas Literas detorquere.* Quarto, *Typographorum vitium, qui sacra Volumina imprimebant desumpta ex corruptis exemplaribus, simulque pravas expositiones adjiciebant.* Quibus in Cœtu generali addebatur 5^tus, nempe mos S. Literas vertendi in linguas vernaculas.

Ista Congregatione *Madruccius* Germaniæ Episcopus pro Scripturis vernaculis contendens; *Ego*, inquit, *memoria retineo Dominicam precationem, Fideique Symbolum Germanice tradita, & communiter addiscuntur cum pari pietatis sensu & emolumento à Germaniæ Populis. Utinam nunquam huc advenissent literarum Græcarum Hebraicarumque Professores! nimirum his nunc ærumnis non divexaretur Ecclesia.*

3. In eadem & aliis Congregationibus Apr. 1. & 2. cum de auctoritate Latinæ Vulg. disputaretur; [b] ALOYSIUS Monachus Catanensis, *B. Hieronymi*, *Cajetani*, & Decreti *Ut Veterum*, auctoritatem pro textu Originali contra translationem in medium proferebat. Si Concilium corrigeret translationem juxta verum textum, Spiritum sanctum, qui Conciliis in articulis fidei adsistit, ab errore illud immune servaturum esse: talemque translationem ita emendatam, *authenticam* fore. Ullam vero absque tali examine approbari posse cum ulla certitudine adsistentiæ Spiritus sancti, se non dicturum, nisi à Concilio id decerneretur, siquidem in ipso sanctorum Apostolorum Concilio, non sine magna inquisitione ad decreta processum est. Hoc vero cum opus 10. annorum esset, nec suscipi posset, sibi satius videri res in eodem relinquere statu, quo per annos jam 1500. permansissent, ut Latinæ translationes ad Textus Originales examinarentur ac probarentur.

b Sarpius in Hist. Concil. Trident.

Urgebat contra pars major Theologorum, necesse esse, ut illa translatio, quæ olim in Ecclesiis lecta fuerat, & in Scholis usurpata, pro divina & authentica haberetur; se alias causam Lutheranis tradituros esse, innumeris hæresibus jannam aperturos, totiusque Christiani orbis pacem nunquam non perturbaturos. Doctrinam Ecclesiæ Romanæ, reliquarum matris ac dominæ, magnam partem fundari à Papis Theologisque Scholasticis super locum aliquem Scripturæ, quem si cuilibet esset facultas examinandi, utrum bene esset translatus, ad alias Versiones vel ad textus Originales recurrendo, novos hosce Grammaticos cuncta esse turbaturos, & Judices arbitrosque Fidei fore: & loco Theologorum, ac Canonistarum, ad Episcoporum Cardinaliumque dignitates prælatum iri. Inquisitores contra Lutheranos procedere non posse, nisi Hebraice Græceque callerent, quoniam illis in promptu responsio erit, non ita se Textum habere, falsamque esse translationem. Novitatibus, quæ in mentem cujusvis Grammatici venerint, sive ob malitiam sive ob ignorantiam Theologiæ, modo commento aliquo Grammatico confirmari possint, nullum fore finem. Constare, postquam Lutherus Scripturas vertere cœpisset, quot diversæ contrariæque translationes in lucem prodierant, quæ tenebris æternis sepeliri mererentur, & quoties ipse *Lutherus* Versionem suam mutaverat; nullam factam fuisse istius editionem novam sine mutatione aliqua notabili, non unius aut alterius loci, sed locorum simul permultorum: hæc licentia si omnibus concedatur, eo brevi perductum iri rem Christianam, ut nemo sciat quid credere debeat.

Rationibus hisce quos major pars applaudebat, adjiciebant alii, quod si Dei providentia Testamentum Vetus authenticum Synagogæ, Novumque authenticum Græcis dedisset, non dici possit sine Derogatione, Ecclesiam Romanam cæteris magis dilectam, hoc magno beneficio caruisse; atque ideo credendum esse, quod idem Spiritus sanctus, qui libros sacros dictaverat, dictavit etiam illam translationem quam receperat Ecclesia Romana. Hoc difficile dictu putabant nonnulli; assertionem itaque emolliebant, & dicebant, Interpretem habuisse non quidem Propheticum aut Apostolicum Spiritum, sed spiritum quam proxime tali accedentem. Et si quis Spiritum Dei Interpreti concedere nollet, illum tamen Concilio denegari non posse; & cum Editio vulgaris approbata fuerit, Anathemate in eos, qui illam non receperint denunciato, immunem illam ab errore fore, non per Spiritum illius qui scripserat, sed Synodi, quæ eam pro tali receperat.

ISIDORUS CLARIUS, Abbas tunc Benedictinus, de quo in Capite præeunte, hanc opinionem impugnavit historica narratione, de variis Versionibus in Ecclesia Græca veteri usitatis, & de utraque Versione Latina à *Gregorio M.* usurpata; auctoritate etiam *Augustini* & *Hieronymi.* Mirandum esse dixit, si Hieronymo, Versionis Vulgatæ quoad maximam partem auctori, tribuatur inspiratio divina, qui ipse affirmat, se talem non habuisse. Sentire se Editionem Vulgatam cæteris cunctis præferendam esse, & adprobandam, ita tamen ut ad textum originalem corrigatur, & omnes prohibeantur facere aliam: illam solam emendandam esse, cæteras omnes abolendas.

ANDREAS VEGA, Franciscanus, media quadam inter eas opiniones incedebat via. Translationem ex linguis Originalibus corrigendam esse, statuebat. Neque hoc tamen repugnare quominus dicatur Ecclesiam Latinam Editionem Vulgarem pro authentica habere: nempe id sic intelligi debere, ut de fide & moribus nullus in ea sit error, etsi in rebus quibusdam minutulis, sive dictionibus erretur. Editionem Vulgatam per annos jam 1000. ab Ecclesia tota ad examen revocatam fuisse,

fuisse, & exinde constare, nullum in ea quoad fidem ac mores reperiri errorem: & hac ratione in usu habitam fuisse ab antiquis Conciliis, atque sic debere semper teneri ac adprobari, pronunciarique authenticam; h. e. ut legi possit sine periculo, & prohibeatur tantus numerus integrarum Versionum, non tamen impediantur diligentiores, quin ad Originalia Hebræa & Græca confugiant.

[a] *Parecus* Cardinalis postulabat, non modo ut Vulgaris Ed. cunctis reliquis anteferretur, sed & ut cæteræ omnes repudiarentur, præsertim eæ, quæ ab Hæreticis essent confectæ; quod etiam postea ad LXX. Intt. Versionem ampliabat. Contrà *Bertanus* disputabat: Versionum varietatem semper apud fideles sanctis Patribus comprobantibus usitatam. Quisnam ausurus prohibere LXX. Intt. translationem, qua in Psalmis utitur Ecclesia? Antiquitus, cum fraus ac suspicio non adeo invaluerant, ne illas quidem, quas Hæretici ediderant, uti *Theodotion &c.* fuisse rejectas. Proinde haud fas esse, eas nunc proscribere, præsertim cum illarum Auctores tanquam hæretici solenniter promulgati non sint, adeoque nec ipsorum nomina hæreticorum pœnis subjaceant. Versionem unicam uti legitimam agnoscendam quidem esse, reliquas neque comprobandas, neque improbandas. Satis hoc esse ad obstruenda hæreticorum ora, blaterantium, doctrinam Catholicorum legitimam esse non posse, cum libri, quibus ceu fundamentis innitebantur, adulterinis versionibus conflarentur. a Pallavic.

Per eam occasionem dubitatum est, An certum exemplar S. Literarum non modo Latinum, sed Hebraicum & Græcum, constituendum sit, prout quibusdam placebat; quod *Madruccius* ad reliqua pariter idiomata deducendum putabat. Potior tamen pars censuit, satis esse id peragi in Latina Versione, cujus sermo in regionibus, ubi Christiana Religio efflorescit, & quibus per eas sanctiones consulebatur, à cunctis percipitur non idiotis, & ad S. Literas interpretandas non ineptis; adeoque posse tanquam certam regulam adhiberi, ad discernenda in cæteris linguis sincera exemplaria à depravatis.

Disceptatum etiam est de Vulgatæ Auctore. *Sotus Hieronymo* eam tribuebat, negabant alii.

De eo utrum anathemate feriendi essent, qui eam non reciperent, necne, diu multumque disputabatur. Damnare singulos tanquam hæreticos, qui eam non reciperent in loco aliquo particulari, nullius forte momenti, nimis rigidum videbatur, ut testatur Historia Concilii *Sarpiana*. Anathema itaque in ea parte omissum.

In cœtu [b] peculiari coram *Marcello Cervino* Legato Martii 23. prospiciebatur, quo pacto mendis, quæ scriptorum vitio irrepserant in plerosque codices, purgarentur: sed habita ratio est, monente Episcopo *Bellocastrensi*, ne ansa præberetur hæreticis (quos vocabant) cavillandi, perinde quasi dum reciperetur simul Vulgata, simul etiam declararentur ipsius exemplaria tanquam corrupta, liber idem comprobaretur eadem opera, simulque improbaretur. Quare decretum ita conformandum putarunt: *Curandum esse, ut in posterum Vulgata Editio quam emendatissime imprimeretur.* b Pallavic.

4. His in Congregationibus disceptatis stabilitisque, in *Sessione* demum 4ta Apr. 8. ad Decretum processum est. De libris Canonicis sic se habet Decretum proxime antecedens: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina Editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit — anathema sit.* De ipsius Versionis authentia decretum his verbis sequitur.

Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere

 posse

posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit innotescat; statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & Expositionibus, pro authentica habeatur; ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat. Mandat idem Decretum *ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quam emendatissime imprimatur.*

5. *Mirum autem quibusdam* (uti inquit *Paulus Sarpius*) *videbatur, quod 5. Cardinales, & Episcopi tantum* 48 *de rebus tanti momenti, nunquam antea decisis, decretum tam facile statuere sint ausi.* At vero à Præsulibus linguarum prorsus ignaris, ut Patres illi ut plurimum erant, quid aliud erat exspectandum, quam ut suæ, suorumque inscitiæ ea ratione patrocinarentur consulerentque? De Ecclesiæ Romanæ Præsulibus audiatur quæ habet Secretarius quidam Papalis in Epistola ad Dominum suum: [a] *Ego vero, Beatissime Pater, plane affirmo, nihil posse à nobis fieri periculosius & perniciosius, quam si finantur* (Protestantes) *in Concilio, quæ voluerint loqui. Negare enim non possumus, quin inter ipsos multi sint solide docti, & diu versati atque exercitati in ipsis Bibliorum fontibus, & in veteribus scriptoribus: norunt etiam linguas Græcam atque Hebræam. Itaque si hi congrediantur cum nostratibus, multa certe imminebunt pericula. Scis enim tuos Episcopos esse fere literarum rudes, voluptati autem ac deliciis deditos. &c.* Huc spectat etiam alius Scriptoris Pontificii istius seculi dictum: *Spernunt*, inquit, *non modo EPISCOPOS, verum etiam THEOLOGOS*, quasi *Episcopi* nulli essent *Theologi*. Memorat quoque [b] *Espencæus*, sibi fassum fuisse Episcopum quendam Italum haud imperitum, Italiæ Episcopos noluisse *Theologiæ* operam dare, ne *Haretici* fierent. Qualescunque fuerint Patres Tridentini sive quoad prudentiam civilem, sive etiam quoad eruditionem, de Vulgatæ tamen præstantia & auctoritate judicium ferre non poterant, nisi totam cum Textibus Originalibus aliisque Versionibus contulissent, singulaque ipsi critice expendissent. Nam flocci pendendum est eorum judicium, quotcunque sint numero, & quanticunque alias sint, qui judicant de re quam non intelligunt.

[a] Ap. Hotting. Thes. Philol.

[b] Com. in Ep. ad Titum.

6. Quum primum *Romæ* audiretur, Decretum hoc factum fuisse, [c] Aulici istic degentes initio illud acriter damnabant, objicientes multa Vulgatæ menda nec Amanuensibus nec Typographis adscribi posse: ac certe debuisse in Decreto denuntiari, eam esse recognoscendam & emendandam. Tantumque ea de re obmurmuratum est, ut deliberatum fuerit de impressione illius Decreti tantisper retardanda, dum nonnullis adjectis reconcinnaretur: quod tamen alii vociferabantur elevaturum esse existimationem Synodi, & ansam hæreticorum irrisionibus præbiturum. His de rebus scripserunt *Roma* Apr. 17. ad Legatos conjunctim *Farnesius* Card. ad *Cervinum* privatim *Maffeius*. Rescribunt ad *Farnesium* Legati, ad *Maffeium* seorsum *Cervinus*, nihil ab ipsis opponi, quod à Concilio non fuisset mature perpensum: consensisse omnes, tutissimam Versionem esse Vulgatam; quippe cui *tam diuturno tempore nunquam hæreseos nota fuit inusta, tametsi in aliquo loco videatur ab Heb. locutione discrepare, humilique serpat stylo, nec extra barbarismum aliquem, aut solæcismum. Cum enim satis liqueat ab Hebræis atque hæreticis multa fuisse loca in sacris Paginis depravata, haud apparet* (inquiunt) *quo tutius confugiendum sit, quæ præterquam quod Caput est Christianæ Reip. peculiari Dei privilegio ac beneficio semper perstitit absque hæreseos labe, cum perpetua & nunquam interrupta successione Pontificum.*

[c] Pallav.

Addebant postea, Tridenti quoque animadversa fuisse Vulgatæ menda; se tamen noluisse idcirco illam universe pronuntiare mendosam: arbitratos

arbitratos & honorificentius & conducibilius esse, si reipsa remedium adhiberetur, exemplari, ad exsequendum Decretum, mendis purgato in lucem edito, & à Pontifice ac Synodo comprobato.

Hujusce rei rationes esse: Primo, quia alia res est exemplarium depravatio, alia Versionis in seipsa. Deinde, quia utcunque se res haberet, neque necessarium erat, neque commodum, disertis verbis à Concilio affirmari, inesse quidquam labis, quamvis ex accidente, ac minimum, in exemplaribus omnibus, & universa specie Interpretationis Vulgatæ, ne argumentum porrigeretur cavillationibus, quas inde deducerent hæretici. Aiebant postremo, cum satis animadversum esset illius Decreti pondus, ne unam quidem syllabam in eo fuisse prætermissam, quæ examine tam diligenti discussa non fuerit, ut compluribus nimis id religiosum videretur. Hæc *Pallavicinus* Card. in Historia sua: qui subdit, hanc Legatorum responsionem vituperationem in commendationem apud *plerosque* Romæ convertisse, & eandem apud alios saltem in epochen, seu sustentationem judicii: idque *Maffeium* significasse in aliis ad *Cervinum* literis.

7. His statutis, visum est [a] Patribus, quosdam deputare, qui editionem illam sedulo emendarent, imprimique curarent. Deputati sunt in Concilio quidam, Opusque inceptum est, verum inopinato à Papâ Paulo III. ad Legatos suos, Concilii Præsides, pervenit mandatum, quo jussi sunt non procedere ulterius in Bibliorum correctione, donec à consessu Romano Cardinalium, cui commissa est provincia Concilium regendi, constitutum esset, qua ratione sit procedendum. Hoc mandato accepto, jusserunt Legati, ut ad se deferretur quod præstitum jam fuerat in Bibliorum emendatione, ut ne ulterius progrederentur Deputati, donec nova acciperent jussa. Finitum tandem est, post longam suspensionem, Concilium, confirmataque sunt à Pio IV. illius Decreta, anno 1563.

[a] Sarpii Hist.

8. Anno proxime sequente *Pii* IV. auctoritate editus est *Index Librorum Prohibitorum*, qui *Tridentinus* nuncupatur, à Tridentina Synodo per Patres ad hoc munus electos confectus; in quo prohibetur *Isidori Clarii* Bibliorum Præfatio. In Regula 3. sic habetur:

Librorum Veteris Test. Versiones Viris tantum doctis & piis judicio Episcopi concedi poterunt: modo hujusmodi Versionibus tanquam elucidationibus vulgatæ Editionis, ad intelligendam sacram Scripturam, non autem tanquam sacro Textu, utantur.

Versiones vero Novi Test. ab auctoribus hæreticis *factæ, nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet.*

Si quæ vero annotationes cum hujusmodi quæ permittuntur Versionibus, vel cum Vulgata Editione circumferuntur, expunctis locis suspectis à facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicæ, aut Inquisitione Generali, permitti eisdem poterunt, quibus & Versiones.

Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi Viris piis & doctis poterunt.

Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus & prolegomena præcidantur: ejus vero textum, nemo textum Vulgatæ Editionis esse existimet. Qui Index postea à *Sixto* V. & rursus à *Clemente* VIII. auctus ac promulgatus est.

Legimus apud *Bellarminum* de Verbo Dei lib. 1. cap. 10. in *Indice Librorum Prohib. à Paulo* IV. *edito*, damnari Editiones quasdam Versionis Vulg. ab hæreticis, vel suspectis Impressoribus factas: pro *Paulo* IV. legendum est *Pio* IV. nam nullum Indicem edidit *Paulus* IV. *Pii* IV. decessor. [b] *Chemnicium* in errore sequitur *Bellarminus*, hunc [c] *Gretserus*, & [d] *Sacroboscus*.

[b] Examine Conc. Trid.
[c] Def Bellarm. lib. 2. cap. 10.
[d] Def. Concil. Trident. par. 2. cap. 6.

In *Indice Expurgatorio* Madritensi, qui prodiit anno 1640. in Regula IV. ea quæ modo posuimus, sic immutantur: *Versiones Bibliorum tam V. quam N. T. ab auctoribus Hæreticis adornatæ, in universum prohibentur. Ab hac regula excipitur Versio Erasmi N. Test. permissa, ut & ejus Paraphrases.*

Permittitur pars illa, quæ est V. Testamenti, ex Bibliis quæ vulgo Vatabli vocantur, emendata juxta Expurgationem isto Indice sancitam: pariter volumen ipsum, aut partes eorundem Bibliorum, quod sancti Officii jussu ab Universitatibus examinatum & recusum Salamanticæ anno D. 1584. & quod nunc denuo Expurgatorio hujus Indicis emendatur; dummodo ad hanc normam correctum fuerit; & tam in hoc quam in illa Editione, nova versio adhibeatur, non ut Textus Authenticus, sed ut elucidatio ad majorem & faciliorem Vulgatæ intellectum.

Ex Bibliis Isidori Clarii Brixiani, tollantur Prologus & Prolegomena, & præterea quod notatur in hujus Indicis Expurgatorii classe a. *in verbo* Isidorus Clarius: *& hoc pacto permittitur liber, hac cautione, ut nemo habeat pro textu Editionis Vulg.*

9. Ab eodem Pio IV. juxta Decretum Tridentinum, lectissimis quibusdam Cardinalibus, aliisque Viris doctis demandata est provincia Editionem Vulg. castigandi, ut quam emendatissime ederetur. Idemque institutum post mortem ejus prosecutus est *Pius* V. Verum ob alias Conventus istius occupationes, vel, ut scribit *Jo. Mariana*, [a] quia rei difficultate deterriti sunt illi, quibus ea cura est imposita, intermisso opere, non multum effectum est ante annum 1585. quo ad Pontificatum evectus est Sixtus V. Quamvis de *Gregorio* XIII. testatur *Genebrardus* in Chronico, illum *S. Biblia Lat. ad pristinam integritatem redegisse. Sixtus* V. serio aggressus est opus, delectis congregatisque, qui sibimet subsidio essent, Viris eruditis, linguarum peritis. Et anno demum 1589. è prelo in publicum emisit, præfixa *Bulla* sua, qua *statuit ac declarat, Editionem hanc suam sine ulla dubitatione aut controversia censendam esse eam quæ à Concilio Trident. pro authentica recepta est*; & *pro vera, legitima, authentica, & indubitata tenendam esse*: districtius inhibens, ne ulla unquam prodeat editio, *particula ulla vel minima mutata, addita, vel detracta*: & si quæ prodeat, decernens, eam *nullam fidem, nullamque auctoritatem habituram esse.*

[a] Pro Ed. Vulg. cap. 21.

Sixto V. brevi post è vita sublato, suppressa est, quantum fieri potuit, à succedentibus Papis illius Editio, tanquam minus accurata ac perfecta. Editionem novam aggressus est Gregorius XIV. quam perfecit ac evulgavit Clemens VIII. anno 1592. à vera *Sixtina* illa in multis non modo diversam, sed ei plane repugnantem, ementito tamen titulo *Sixtinam* inscriptam. Atque hæc ea ipsa est, quæ hodie tanquam authentica sub falso *Sixti* V. nomine vulgo circumfertur.

10. Editionis *Sixtinæ*, etsi nunc perraræ, exemplaria duo vidi, alterum in Bibliotheca Bodleiana, alterum apud reverendissimum D. *Joannem Morum*, Antistitem Norvicensem, Virum mihi multis nominibus colendum ac venerandum, instructissimæ librorum supellectilis collectorem doctissimum simul atque humanissimum. Lectiones varias illius Editionis atque Clementinæ summa cura ac diligentia collegit, & anno 1600. in libello *Bellum Papale* exinde inscripto, edidit *Thomas Jamesius* Bibliothecarius Bodleianus, præmissis etiam utriusque *Præfationibus*. Easdem Præfationes, quamvis etiam à *Sixtino Amama* in *Antibarbaro Biblico* habeantur editæ, in hoc quoque Opere in perpetuam rei memoriam, exhibendas esse duxi, cum præcipuis quibusdam lectionibus repugnantibus, ne nescius sit Lector diligens, quale fuerit illud inter duos Pontifices *infallibiles* Bellum, & quantum à se invicem recedant

dant

dant Editiones illæ duæ *authenticæ*, à Papis Romanis & Congregatione Cardinalium probatæ.

Sixti V. *Præfatio præfixa Bibliis fuit.*

Sixtus Episc. Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Æternus ille cælestium, terrestriumque rerum omnium conditor ac moderator Deus, Ecclesiam sanctam veluti deliciarum Paradisum, sua ipsemet dextera, tanquam providus Agricola, variis plantis, stirpibusque mirifice consevit, simulque uberrimo sacrarum eandem scripturarum fonte, pluribus quasi fluviis in universum terrarum orbem diffusis, sic irrigavit, ut sancta mysteria, oraculaque divina, quæ sacris continentur libris, sicut in cunctarum gentium salutem parabantur, ita à tribus illis potissimum enunciarentur linguis, quæ in omnium auribus nationum maxime percrebuerunt, nec non sanctissimæ Crucis titulo consecratæ, Salvatoris nostri Regnum, Hebræis, Græcis ac Latinis literis prædicarunt, callidissimus ac nequissimus humani generis hostis, cujus invidia mortis aculeus, cujus superbia peccandi magisterium fuit, nullum non movit lapidem, ut cælestem divini verbi sementem quantum in ipso erat, aut nascentem opprimeret aut exstirparet enatam, aut adultam vitiaret, id vero præcipue omni conatu ac machinatione tentavit, ut sacrorum quædam corruptissimæ Bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas sub pietatis figura delitesceret, ac populis scoria pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte sanies obtruderetur. Cumque non in Hæreticis tantum, sed in Catholicis etiam quibusdam, tametsi consilio dissimili, subortum sit nimium quoddam nec plane laudabile studium, & quasi libido Scripturas Latine interpretandi: idem malorum omnium artifex Satanas per illos, licet nihil tale cogitantes, ex hac ipsa tam incerta, ac multiplici versionum diversitate & varietate sumpta occasione, sic miscere omnia, atque in dubium revocare, & si fieri posset, rem eo perducere contendit, ut dum Scripturarum verbis diversi interpretes aliam atque aliam formam, ac speciem induunt, nihil in iis certi, nihil rati ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas sine magna difficultate reperiri posse videretur, ita ut hoc seculo valde timendum fuerit, ne in priscum illud editionum Chaos rediremus, de quo B.[a] Hieronymus *inquit: Apud Latinos tot sunt exemplaria quot Codices: & unusquisque pro arbitrio suo addidit vel subtraxit, quod ei visum est; & utique non potest verum esse, quod dissonat. Itidemque sanctus*[b] Augustinus *dixit, Latinos Scripturarum interpretes nullo modo numerari posse. Ut enim (ait) cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguæ habere videbatur, interpretari ausus est. Quare huic morbo sacrosancta Tridentina*[c] *Synodus mederi cupiens statuit ut ex omnibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum Latinis editionibus, ipsa Vetus, ac Vulgata, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia probata est editio, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. Hæc autem Vulgata editio cum una esset, variis lectionibus in plures quodam modo distracta videbatur. Quarum licet nonnullas, aut veterum Codicum, aut sanctorum Patrum invexisse auctoritas, plurimæ nihilominus vel ex injuria temporum, vel ex librariorum incuria, vel ex impressorum imperitia, vel ex temere emendantium licentia, vel ex recentiorum interpretum audacia, qui Ecclesiæ filii cum sint, minus tamen Ecclesiæ doctoribus, quam Judæorum Rabbinis morem sibi gerendum putarunt: vel demum ex hæreticorum scholiis ad marginem, captiosisque fallaciis obrepserant. Et quamvis in hac tanta lectionum varietate nihil hucusque repertum sit, quod fidei, & morum causis tenebras offundere potuerit; verendum tamen fuit, ne crescente magis ac magis in dies addendi, detrahendique temeritate, hæc probatissima Scripturarum Editio, quam vinculum pacis, fidei unitatem, charitatis nexum, dissentientium consensionem,*

[a] In Præfat. in Jos. & in Præf. quat. Evangel. Tom. 3.

[b] Lib. 2. c. 11. de doctr. Christiana. Tom. 3.

[c] Sess. 4. decreto de editione & usu sacrorum librorum.

consensionem, certissimam in rebus dubiis normam esse oportebat, plerisque contra, schismatis, & hæresis inductio, dubitationum fluctus, involutio quæstionum, discordiarum seges, & piarum mentium implicatio multiplex evaderet. Quod in 70. interpretum Græca editione beatus [a] Hieronymus, *in Latina vero sanctus* [b] Augustinus *olim accidisse commemorant. tanta autem labes ne adhuc ulterius serperet, sensimque in Vulgatam editionem nostram manaret, sapienter eadem œcumenica Synodus Tridentina decrevit ut hæc ipsa Vetus, & Vulgata editio posthac quam emendatissime imprimeretur. Verum quia nihil profuisset hujus Editionis auctoritatem gravissimo sanxisse decreto, si illius quæ germana esset lectio nesciretur, sacerque textus ita disputantium pateret arbitrio, ut is, qui adversus perfidum hostem, tanquam validissimus mucro districtus fuerat, idem & clypeus fieri posset, quo debilitati jam, cæsique hostis latera tegerentur. Id igitur nos indigne ferentes, eoque indignius, quod per hosce jam viginti duos annos, qui à dicto Tridentini Concilii decreto, ad nostri usque Pontificatus exordium interfluxerant, licet hujusmodi opus aliquando cæptum fuerit, tamen ob alias fortasse occupationes intermissum, nullumque huic imminenti malo remedium adhibitum fuerat: ac propterea tanto impensiore cura ac studio id prosequendum censentes, quanto magis, & ab omnibus Dei Ecclesiis expetitur, & à synagogis Satanæ reformidatur; cum primum ad Apostolicam beati Petri sedem divina nos miseratio, meritis licet imparibus evocavit; nihil tandem antiquius habuimus, quam ut primo quoque tempore, optatissimam istam Vulgatæ editionis emendationem aggrederemur. Itaque viros complures doctos, qui sanctarum Scripturarum, sacræ Theologiæ, multarumque linguarum scientia, ac diuturno variarum rerum usu, acrique, cum aliquid discernendum est, judicio, ac solertia præstarent, delegimus, ac simul congregavimus, ut in germana, sinceraque sacri textus editione perquirenda, strenue laborarent, nobisque adjumento forent. Nos enim rei magnitudinem perpendentes, ac proinde considerantes, ex præcipuo, ac singulari Dei privilegio, & ex vera, ac legitima successione Apostolorum Principis* [c] *B.* Petri, *pro quo Dominus ac Redemptor noster, ab æterno Patre pro sua reverentia procul dubio exauditus, non semel tantum, sed semper rogavit ut ejus fides, non humana carne, & sanguine, sed eodem Patre inspirante ei revelata, nunquam deficeret: cui etiam* [d] *Dominus injunxit ut cæteros Apostolos in eadem fide confirmaret:* [e] *qui denique, sicuti confidimus, divinam pro nobis opem usque ad consummationem sæculi, Ecclesiæ Catholicæ promissam, implorare non cessat, ad nos in ejusdem Petri Cathedra, in qua ejus vivit potestas, & excellit auctoritas, Deo sic disponente constitutos,* [f] *totum hoc judicium proprie, ac specialiter pertinere, Dei omnipotentis auxilio suppliciter invocato, & ipsius Apostolorum Principis auctoritate confisi, ob publicam sanctæ Dei Ecclesiæ utilitatem haudquaquam gravati sumus, inter alias Pontificiæ solicitudinis occupationes, hunc quoque non mediocrem accuratæ lucubrationis laborem suscipere, atque ea omnia perlegere, quæ alii collegerant, aut senserant, diversarum lectionum rationes perpendere, sanctorum doctorum sententias recognoscere: quæ quibus anteferenda essent, dijudicare, adeo ut in hoc laboriosissimæ emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit in consulendo, noster autem in eo, quod ex pluribus esset optimum, deligendo: ita tamen, ut Veterem multis in Ecclesia abhinc sæculis receptam lectionem omnino retinuerimus. Novam interea Typographiam in Apostolico Vaticano Palatio nostro ad id potissimum magnifice exstruximus, atque ad ejus curam, Congregationem aliquot sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & insigne Collegium doctissimorum virorum fere ex omnibus Christiani orbis nationibus, & celeberrimis studiorum Generalium universitatibus, amplis, opulentisque redditibus donatum deputavimus, ut in ea emendatum jam Bibliorum volumen excuderetur: eaque res quo magis incorrupte perficeretur, nostra nos ipsi manu correximus, si qua prælo vitia obrepserant, & quæ confusa, aut facile confundi*

a In Præfat. in Esdram & Nehemiam. Idem in priori Præf. in Paralipom. Tom. 3.

b Epistola 10. ad Hieron. tom. 2.

c Hebr. 5.

d Luc. 22.

e S. Leo serm. in Nativit. SS. Petri & Pauli.

f S. Leo serm. 2.

confundi posse videbantur, ea intervallo scripturæ, ac majoribus notis, & interpunctione distinximus. Cæterum, nostri ne hujus consilii, institutique rationes ignorentur, sed potius universæ Ecclesiæ Catholicæ, ipsique posteritati notissimæ, ac testatissimæ relinquantur, cunctique facile intelligant, quisnam ordo in hoc opere conficiendo, quæ lex, ac methodus inita, quæ indagandi veri norma à nobis servata sit: illud sane omnibus certum atque exploratum esse volumus, nostros hos labores, ac vigilias, nunquam eo spectasse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut Vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præscripto, emendatissima, pristinæque suæ puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu, styloque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur. In hac autem germani textus pervestigatione, satis perspicue inter omnes constat, nullum argumentum esse certius, ac firmius, quam antiquorum, probatorumque Codicum Latinorum fidem, quos tam impressos, quam manuscriptos, ex Bibliothecis variis conquirendos curavimus. In quacunque igitur lectione plures vetustiores, atque emendatiores libri consentire reperti sunt, ea jure optimo, tanquam primigenii textus verba, aut his maxime finitima, retinenda decrevimus. Id vero ad germanam editionem constabiliendam, præsidium sicubi desideratum est, tunc sanctorum Patrum, veterumque expositorum enarrationes, quibus diversa scripturarum loca, & libros illustrarunt, subsidio fuere: in quibus, quidquid è re nostra observatum fuit, id in hujus operis partem adscitum est. In iis tandem quæ neque Codicum, neque doctorum magna consensione satis munita videbantur, ad Hebræorum, Græcorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde Latini interpretis errata corrigerentur, sed ut in eorum verborum locum, quæ, cum apud Latinos ambigua sint, potuissent, quo non oporteret, inflecti, certum aliquid, atque indubitatum sufficeretur, sive ut, quod apud nos variantibus Codicibus inconstans, diversum ac multiplex erat, id uniforme, consonum, uniusque modi, ipsorum fontium veritate perspecta, sanciretur. Sapienter enim B. [a] Hieronymus in explanandis S. Scripturis doctor maximus admonebat, ut quemadmodum in novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, ad fontem Græci sermonis, quo novum Testamentum est scriptum, recurri solet: ita si quando inter Græcos Latinosque diversitas est in veteri Testamento, tunc ad Hebræam recurramus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis: quod etiam B. [b] Augustinus iis, qui Scripturam tractant, inter alias regulas tradidit. Laudabilem itaque sanctorum Patrum consuetudinem religiose secuti sumus, dum in iis, quæ apud Latinos nimis ambigue dicta, seu variata habentur, Hebrææ, Græcæque linguæ fidem, & Codices inspeximus; sed, ne id licentius fieret quam æquum erat, solers cautio adhibita fuit. Neque enim ignoramus multos esse, qui plerasque Latinæ hujus editionis voces, ac locutiones, proprie, aut eleganter, aut perspicue, aut breviter, aut copiose magis, aut tanquam verbis ad verba demensis, à Latino interprete verti potuisse existiment. Verum de his minuta nimium, & angusta concertatio videtur: neque enim tanti sunt, ut non iis & antiquioris Ecclesiæ religio, & sanctissimorum Patrum jure anteponatur auctoritas: prorsusque indignum est, [c] B. Gregorio teste, ut sub Donati regulis verba cælestis oraculi restringantur: ac tanta per se est Vulgatæ editionis auctoritas, tamque excellens præstantia, ut majorem desiderare, penitus inane videatur. Qui namque in ea libri continentur (ut à majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) retenti sunt partim ex communi, & antiquissima quadam editione Latina, quam sanctus [d] Hieronymus Vulgatam editionem, B. [e] Augustinus Italam, sanctus Gregorius Veterem translationem appellant, quam sanctus itidem Augustinus cæteris, quæ tunc plurimæ in usu erant, etiam præferendam censuit, quod esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ; partim ex sancti Hieronymi translatione adsciti fuere, quibus idcirco quantus honor deferendus sit, is facile intelligit, qui eorum Interpretis dignitatem agnoscit. Fuit enim sanctus Hieronymus (ut inter cæteros

Rrr idem

a In Epist. ad Suniam & Fretellam tom. 3.

b Lib. 2. Doct. Chr. cap. 14. & 15. tom. 3. & lib. 11. contra Faustum cap. 2. tom. 6.

c Ep. ad Leand. in Expos. Job cap. 5.

d Comment. in Isaiæ cap. 49. tom. 4.

e Lib. 2. de Doct. Christ. cap. 15. tom. 3.

idem B. [a] Augustinus *testatur) Græco, Latino, & Hebræo eruditus eloquio, & ex occidentali ad orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, literisque sacris, ad decrepitam usque vixit ætatem: atque omnes, qui ante illum ex utraque orbis parte de doctrina Ecclesiastica scripserant, pene vidit, aut legit: eumque non modo* Augustinus, Chromatius, Paulinus, *cæterique sanctissimi Episcopi, sed etiam* Damasus *Pontifex Rom. de Scripturarum locis consulebant. Nec immerito tantam apud omnes nominis celebritatem, in sanctarum præsertim Scripturarum scientia, adeptus fuerat. Cum ad eam consequendam, nullis vigiliis, nullis peregrinationibus pepercerit, & doctissimos quosque in Gallia audiverit:* Constantinopoli Gregorium Nazianzenum, Alexandriæ Didymum, *& alios alibi conquisiverit, usus denique clarissimis Hebrææ linguæ Magistris: non enim uno aliquo doctore contentus fuit, sed plurimos, eosque eruditissimos adhibebat: non rerum modo, verum etiam nominum sedulus indagator.* [b] *Quinimo & loca ipsa, quæ in Scripturis sæpe commemorantur, inspexit, idque ad intelligentiam Scripturarum summopere sibi profuisse testatur. Quicunque igitur tanti Interpretis sanctitatem, ingenium, eruditionem, solertiam, Magistros, labores, illud in quo vixit seculum, cum linguarum omnium, ac præsertim Hebrææ studia florerent, diligenter spectaverint; facile judicium damnabunt eorum, qui aut tam eximii Doctoris Lucubrationibus non acquiescant, aut etiam meliora, seu paria præstare se posse confidunt. Multo sane rectius sanctus* Isidorus, *venerabilis* Beda *Presbyter, sanctus* Remigius, Alcuinus, Fortunatus, Rabanus Maurus, *sanctus* Anselmus, *B.* Bernardus, Haymo, Ricardus, *&* Hugo Victorini, Petrus Cluniacensis, Rupertus Abbas, *aliique complures egregii doctores, qui per mille ab hinc annos in Ecclesia claruerunt, qui* Hieronymi *versione ita in omnibus disputationibus, enarrationibus, declamationibus usi sunt, ut cæteræ, quæ pene innumerabiles erant, quasi lapsæ de Catholicorum Patrum manibus obsoleverint. Ideoque legimus apud sanctum* [c] Isidorum, *quoniam de Hebræo in Latinum eloquium sanctus tantummodo* Hieronymus *sacras Scripturas convertit, ejus Editione generaliter omnes Ecclesias usquequaque uti, eo quod veracior est in sententiis, & clarior in verbis. Et ante* Isidorum *B.* [d] Gregorius Magnus *fere idem senserat. Nec Latini modo Patres, sed Hebræi quoque, Græcique cum Latinos alios interpretes negligant, aut ignorent,* Hieronymum *tamen amplissimo suo testimonio, & honore dignum esse censuerunt. Nam de Hebræis idem* [e] Augustinus: *de Græcis autem ipsemet sanctus* Hieronymus *scribit, à Sophronio viro optime erudito Psalterium, & Prophetas quos* Hieronymus *ex Hebræo in Latinum verterat, in Græcum eleganti sermone translatos fuisse. Quemadmodum ergo laudabile est, ubicunque nostri Codices ipsi per se aut conciliari, aut intelligi non possunt, linguarum externarum præsidia quærere; ita, cum id necessarium non est, levissimis de causis majorum nostrorum sanctitatem, sapientiam, consensum, vetustissimamque Ecclesiæ consuetudinem non vereri, temeritas plane, pertinaciaque censenda est. Atque idcirco B.* Hieronymus, *qui Hebræos, Græcosque interrogandos esse dubiis in rebus admonet; idem etiam sentit, eo non nisi parce, & quanto rarius fieri potest (ne, quæ longo recepta sunt usu, fluctuent) recurrendum. Qua de causa, ad novi Testamenti translationem, quamvis hortante* [f] Damaso *Pontifice, tardior fuit, pium appellans laborem, sed periculosam præsumptionem judicare de cæteris, ipsum ab omnibus judicandum, senis mutare linguam, & canescentem jam mundum in initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter, vel indoctus, cum in manus volumen sumpserit, & à saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem falsarium illum clamitans, & sacrilegum,* [g] *qui audeat in veteribus literis addere, mutare, corrigere? Notissimumque est illud de Jonæ cucurbita, quæ in Veteri editione legebatur; pro qua cum* Hieronymus *hederam posuisset, quodam in Africa Episcopo interpretationem* Hieronymi *in Ecclesia lectitante, factus est tantus tumultus*

[a] Ep. ad Leand. in expositionem Job. cap. 5. lib. 1. contra Julianum Pelagianum. tom 7.

[b] In Præf. libri Paralipom. ad Domnionem & Rogatianum tom 3.

[c] Lib. 1. de officiis divinis cap. 12.

[d] Lib 20. Moral. c. 24. tom. 2.

[e] Lib. 18. de civit. Dei, c. 43. tom. 5. De viris illustribus in Sophronio.

[f] In Præf. quatuor Evangel. tom. 3.

[g] Epist. 10. & 11. tom. 1.

tumultus in plebe propter unius verbi dissonantiam, [a] *ut coactus sit Episcopus,* Sess. 4.
ne sacerdotio dejiceretur, damnare quod legerat. Quare merito sacra Tridentina [b] *Synodus veteris Vulgatæ editionis libros non aliter, quam prout in* Sess. 4.
Ecclesia legi consueverunt, pro canonicis suscipiendos decrevit. Nos autem ut hæc Vetus editio, quæ nunc prodit nostro excusa prelo, ejusdem Synodi præscripto modis omnibus responderet, non solum veteres, & ab Ecclesia receptos loquendi modos conservavimus, sed etiam Apocrypha rejecimus, authentica retinuimus. Nam tertium & quartum Esdræ *libros inscriptos, & tertium* Machabæorum, *quos Synodus inter Canonicos non annumerat, assentientibus etiam in hoc prædictis Cardinalibus Congregationis super Typographia Vaticana deputatæ, ab hac editione prorsus explosimus. Orationem etiam* Manassæ, *quæ neque in Hebræo, neque in Græco textu est, neque in antiquioribus Manuscriptis Latinis exemplaribus reperitur; sed in impressis tantum post Librum secundum* Paralipomenon *affixa est, tanquam insutam, adjectam, & in textu sacrorum librorum locum non habentem, repudiavimus. Nonnullas etiam aliquando sententias, quæ aliunde accersitæ, Vulgatæ editioni interpositæ erant, neque in antiquis exemplaribus, neque in sanctorum Patrum Commentariis inveniebantur, delevimus. Hanc denique editionem à variis, qui vitio multorum irrepserant, erroribus accurate emendavimus, & purgavimus, atque in pristinam veritatem summa diligentia restituimus. Neque vero est quod quispiam miretur, si aliqua sacræ scripturæ loca aliter in sanctis quibusdam doctoribus legerit, quam in hac editione conscripta sunt. Nam* Ambrosius, Augustinus, *& alii plurimi septuaginta Interpretum editionem plerumque secuti fuerunt. Ad Laudem igitur & Gloriam Omnipotentis Dei, Catholicæ fidei conservationem, & incrementum, ac sacrosanctæ universalis Ecclesiæ utilitatem, hac nostra perpetuo valitura constitutione, de eorundem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Typographia Vaticana deputatorum consilio & assensu, quorum opera, & industria, in hac ipsa Vulgatæ editionis emendatione, in rebus præsertim gravioribus usi sumus, & ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, ac declaramus, eam Vulgatam sacræ, tam veteris, quam Novi Testamenti paginæ Latinam Editionem, quæ pro authentica à Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione, aut controversia censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optime fieri potuit, emendatam, & in Vaticana Typographia impressam in universa Christiana Rep. atque in omnibus Christiani orbis Ecclesiis legendam evulgamus, decernentes, eam prius quidem universali sanctæ Ecclesiæ, ac sanctorum Patrum consensione, deinde vero generalis Concilii Tridentini decreto, nunc demum etiam Apostolica nobis à Domino tradita auctoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica, & indubitata, in omnibus publicis privatisque disputationibus, lectionibus, prædicationibus, & explanationibus recipiendam, & tenendam esse. Districtius vero inhibemus, ne unquam perpetuis futuris temporibus, novæ vulgatæ editionis posthac Bibliorum sine expressa Apostolicæ Sedis licentia textus imprimatur: neve quisquam privato, aut peculiari suo sensu aliam editionem sibi confingere, neve hanc ipsam Veterem Vulgatam à nobis, ut præfertur, restitutam editionem, intra decem annos à datis præsentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi, quam in nostra Typographia Vaticana, imprimere audeat vel præsumat. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo sanctas Scripturas typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso, eodemque Inquisitoris hæreticæ pravitatis ejus Provinciæ, vel, si Inquisitor in ea Provincia non sit deputatus, Episcopi ejusdem loci manu propria subscripto, juxta illud, ne minima quidem particula mutata, addita vel detracta. Postquam vero Libri sacri sic fideliter excusi fuerint, nec tunc quidem vendantur, aut evulgentur, nisi prius delato rursus ad Inquisitorem, vel deficiente Inquisitore, ad Episcopum exemplari ab eis antea subscripto,*

scripto, iidem libri juxta illud impressi, cum eo diligenter, & accurate collati, & Inquisitoris, vel in eventum prædictum, Episcopi signo, aut Chirographo quod inter se prorsus concordent fidem faciente, & attestante, approbati extiterint. Verum, quoniam ex variis, quæ hactenus ad marginem adscribi consueverant, lectionibus illud sequitur incommodi, ac molestiæ, quod, cum primum hujusmodi varietas oculis objicitur, lectoris animum ab eo, quod tunc instat agendum, avocat, illumque alieno plane tempore ad ea, quæ in Codicibus dissonant inter se conferenda traducit, nec facile est in tanta lectionum multiplicitate Scripturas inoffenso pede percurrere, & ea quasi silva diversitatis oblata, quæ quibus præponenda sint, internoscere; Nos optimum factu, piisque omnibus gratum fore arbitrati, ut Ecclesiæ filii ab his perplexitatibus, ejusdem Ecclesiæ judicio, liberentur, utique eos, quibus unum baptisma, una fides, una spes vocationis est, dissentiens non dividat lectio Scripturarum, quarum potissimum indifferens consensio eos debuit in unitatem Spiritus copulare; Auctoritate, & tenore præmissis mandamus, ut Vulgatæ editionis Biblia posthac non nisi uniformia imprimantur, nec aliquid à textu diversum in margine scribatur. Quæ vero antehac quibuscunque in locis impressa sunt, juxta hunc nostrum textum ad verbum, & ad literam corrigantur. Idque tam impressis, quam in imprimendis Missalibus, Breviariis, Officiis Beatæ Mariæ Virginis, Psalteriis, Ritualibus, Pontificalibus, Ceremonialibus, & aliis Ecclesiasticis Libris, quoad eas tantum Scripturæ lectiones, & verba quæ ex Vulgata editione sumpta, atque in iisdem libris inserta fuisse constat, ubique servetur. Si quis autem Typographus in quibuscunque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam nostræ, & S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quam non subjectis, Biblia sacramque Scripturam intra decennium prædictum quoquo modo; lapso autem decennio aliter quam juxta hujusmodi exemplar ab Inquisitore, seu, in ejus defectum, ab Episcopo sibi tradendum, etiam minima aliqua particula mutata, addita vel detracta, aut ad marginem, vel in textu adscripta, etiam per modum scholiorum, annotationum vel glossæ, typis mandare, aut sic quidem codices impressos & emendatos, sine tamen dicto signo, & attestatione, quod cum priori exemplari, sibi, ut præfertur, tradito concordent, vendere, venales habere, aut alias edere vel evulgare; aut, si quis Bibliopola à se, vel ab aliis quibusvis, etiam ad hanc usque diem, vel in futurum, ante vel post Dat. præsentium literarum impressos libros, seu imprimendos, à præfata per nos restituta, & correcta Editione in aliquo discrepantes, vel juxta eam ad unguem non emendatos, ac simili Inquisitoris, seu Episcopi, subscriptione non approbatos, seu cum additionibus, aut variis lectionibus ad marginem conscriptis excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumpserit; is qui in supradictis casibus, sive eorum quolibet nostræ huic constitutioni non paruerit, ultra amissionem omnium librorum & alias temporales arbitrio infligendas pœnas, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat, à qua, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam pro tempore existente Rom. Pontifice absolvi non possit. Quod si Inquisitor, aut Episcopus aliud exemplar ab eo quod in Vaticana Typographia impressum est, quoquo modo discordans Typographo ad imprimendum tradiderit, vel impressum suo signo, aut subscriptione approbaverit, quod revera ab eo discordet; in eum, si Antistes fuerit, etiamsi Archiepiscopali, Primatali, Patriarchali, vel alia majori præfulgeat dignitate, interdicti ingressus Ecclesiæ; si autem inferior, excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam ex nunc per præsentes ferimus, ita ut ab alio, quam à Rom. Pontifice absolutionis, aut relaxationis beneficium consequi nequeat. Et nihilominus tam Inquisitor, seu Episcopus ipse, qui hujusmodi libros à præfata impressione Vaticana differentes approbaverit, quam etiam Typographus, seu Bibliopola, qui nostris superius expressis præceptis, ac prohibitionibus in aliquo non obtemperaverit, in Congregatione Cardinalium sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem

vitatem pro tempore deputatorum, se coram Judice, vel Judicibus ab eadem Congregatione delegatis, de hujusmodi facto in districto judicio rationem reddere teneatur, ac pro modo culpæ, severis pœnis ejusdem Congregationis, seu Judicis, vel Judicum, ab ea deputandorum arbitrio puniatur. Ceterum si Manuscripta, vel Impressa Biblia hujus etiam vulgatæ editionis, ob Characterum venustatem, seu ob aliquod insigne Codicis ornamentum, sive ob impressionis præstantiam, vel ob notationes ad marginem scriptas asservantur, & juxta nostrum hoc exemplar emendata non fuerint, ea in iis, quæ huic nostræ Editioni non consenserint, nullam in posterum fidem, nullamque auctoritatem habitura esse decernimus, ac declaramus: Mandantes universis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & locorum etiam Regularium Prælatis, per universum orbem constitutis, ut præsentem Constitutionem in suis quisque Ecclesiis, Provinciis, Civitatibus, Diœcesibus, & Jurisdictionibus curent perpetuo, firmiter & inviolate ab omnibus observari, contradictores & inobedientes per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, atque in Generalibus, Provincialibus vel Synodalibus Conciliis editis, nec non quarumcunque Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum atque Universitatum, etiam Studiorum Generalium, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore pacifice observatis Privilegiis quoque, Indultis & literis Apostolicis, illis, eorumque vel earum Prælatis, Superioribus, & personis per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine & alias sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, & sæpius approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi de consensu certarum Personarum, vel nisi sub certis modo & forma inibi expressis, derogari possit, & alias factæ derogationes nullæ sint eo ipso, ac pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica & expressa mentio habenda, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret. Tenores hujusmodi pro expressis habentis ad effectum præsentium duntaxat derogamus, ac nolumus illa cuiquam adversus præmissa in aliquo suffragari; aut, si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem præsentes literas in valvis Basilicæ Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ de more publicari, & intra quatuor menses, eos, qui citra montes sunt; qui vero ultra montes, intra octo menses à die publicationis hujusmodi numerandos perinde arctare & afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent: Decernentes ut earum transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, ac Sigillo Prælati Ecclesiastici obsignatis, eadem ubique habeatur fides, quæ ipsis originalibus exhibitis, vel ostensis haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostri statuti declarationis, decretorum, voluntatum, prohibitionis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli *Apostolorum ejus se noverit incursurum.* Dat. *Romæ* apud sanctam Mariam, Anno Incarnationis Dominicæ 1589. Kalendis *Martii.* Pontificatus nostri Anno Quinto.

Præfatio ad Lectorem præmissa Editioni *Clementis* VIII. quæ in locum *Sixtinæ* Præfationis successit.

In multis magnisque Beneficiis, quæ per sacram Tridentinam Synodum Ecclesiæ suæ Deus contulit, id in primis numerandum videtur, quod inter tot Latinas editiones divinarum Scripturarum, solam veterem ac vulgatam, quæ longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata fuerat, gravissimo Decreto Authenticam declaravit. Nam, ut illud omittamus, quod ex recentibus editionibus non paucæ ad hæreses hujus temporis confirmandas licenter detortæ videbantur: ipsa certe tanta versionum varietas, atque diversitas magnam in Ecclesia Dei confusionem parere potuisset. Jam enim hac nostra ætate illud fere evenisse constat quod sanctus [a] Hieronymus *tempore suo accidisse testatus est, tot scilicet fuisse exemplaria, quot codices; cum unusquisque pro arbitrio suo adderet, vel detraheret. Hujus autem veteris ac vulgatæ editionis tanta semper fuit auctoritas, tamque excellens præstantia, ut eam cæteris omnibus Latinis Editionibus longe anteferendam esse, apud æquos Judices, in dubium revocari non posset. Qui namque in ea Libri continentur (ut à majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) partim ex sancti* Hieronymi *translatione, vel emendatione, suscepti sunt; partim retenti ex antiquissima quadam editione Latina, quam S.* [b] Hieronymus *communem & vulgatam, sanctus* [c] Augustinus *Italam, sanctus* [d] Gregorius *veterem translationem appellat. Ac de veteris quidem hujus, sive Italæ editionis sinceritate atque præstantia præclarum sancti* [e] Augustini *testimonium exstat in secundo libro de Doctrina Christiana, ubi Latinis omnibus dictionibus, quæ tunc plurimæ circumferebantur, Italam præferendam censuit, quod esset, ut ipse loquitur, verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. De sancto vero* Hieronymo *multa exstant veterum Patrum egregia testimonia: eum enim sanctus* Augustinus *hominem doctissimum, ac trium linguarum peritissimum vocat, atque ejus translationem ipsorum quoque Hebræorum testimonio veracem esse confirmat. Eundem S.* [f] Gregorius *ita prædicat, ut ejus translationem, quam novam appellat, ex Hebræo eloquio cuncta verius transfudisse dicat: atque idcirco dignissimum esse, cui fides in omnibus habeatur. Sanctus autem* [g] Isidorus *non uno in loco* Hieronymianam *versionem cæteris omnibus anteponit, eamque ab Ecclesiis Christianis communiter recipi ac probari affirmat, quod sit in verbis clarior, & veracior in sententiis.* [h] Sophronius *quoque, vir eruditissimus, S.* Hieronymi *translationem non Latinis modo, sed etiam Græcis valde probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Psalterium & Prophetas ex* Hieronymi *versione in Græcum eleganti sermone transtulerit. Porro qui secuti sunt, viri doctissimi,* Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anselmus, Petrus Damiani, Ricardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, *cæterique omnes, qui bis nongentis annis in Ecclesia floruerunt, sancti* Hieronymi *versione ita sunt usi, ut cætera, quæ pene innumerabiles erant, quasi lapsæ de manibus Theologorum, penitus absolverint. Quare non immerito Catholica Ecclesia S.* Hieronymum *doctorem maximum, atque ad Scripturas Sacras interpretandas divinitus excitatum ita celebrat, ut jam difficile non sit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certe paria præstare se posse confidunt. Cæterum ne tam fidelis translatio, tamque in omnes partes Ecclesiæ utilis, vel injuria temporum, vel impressorum incuria, vel temere emendantium audacia, ulla ex parte corrumperetur, eadem sacrosancta Synodus Tridentina illud Decreto suo sapienter adjecit, ut hæc ipsa vetus ac vulgata Editio emendatissime, quoad fieri posset, imprimeretur: neque ulli liceret eam sine facultate & approbatione Superiorum excudere. Quo Decreto simul Typographorum temeritati ac licentiæ modum imposuit, & Pastorum Ecclesiæ in tanto bono quam diligentissime retinendo,*

[a] Præf. in Jos.
[b] In cap. 49. Isaiæ.
[c] Lib. 2 de Doctrina Christi. cap. 14.
[d] Epist. Dedic. ad Leandrum cap 5. in fin.
[e] Ubi supra. Lib 18. de Civ. Dei cap. 43.
[f] Lib. 2. Moral 24.
[g] Lib 6. Etymol. cap. 5.
[h] Lib. 1. de Divin. Off. 12.

nendo, & conservando, vigilantiam atque industriam excitavit. Et quamvis insignium Academiarum Theologi in Editione vulgata pristino suo nitori restituenda magna cum laude laboraverint; quia tamen in tanta re nulla potest esse nimia diligentia, & codices manuscripti complures & vetustiores summi Pontificis jussu conquisiti, utque in urbem advecti erant; & demum, quoniam executio generalium Conciliorum, & ipsa Scripturarum integritas ac puritas ad curam Apostolicæ Sedis potissimum pertinere cognoscitur; ideo Pius IV. Pontifex M. pro sua in omnes Ecclesiæ partes incredibili vigilantia, lectissimis aliquot sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque cum sacrarum literarum, tum variarum linguarum peritissimis Viris, eam Proviuciam demandavit, ut vulgatam edit. Lat. adhibitis antiquissimis codicibus manuscriptis, inspectis quoque Hebraicis Græcisque Bibliorum fontibus: consultis denique veterum Patrum commentariis, accuratissime castigarent. Quod itidem institutum Pius V. prosecutus est. Verum conventum illum ob varias, gravissimasque Sedis Apostolicæ occupationes jamdudum intermissum, Sixtus V. Divina Providentia ad summum Sacerdotium evocatus, ardentissimo studio revocavit; & opus tandem confectum typis mandari jussit. Quod cum jam esset excusum; & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Biblia preli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit. Id vero cum morte præventus præstare non potuisset, Gregorius XIV. qui post Urbani VII. duodecim dierum Pontificatum Sixto successerat, ejus animi intentionem exsecutus perficere aggressus est, amplissimis aliquot Cardinalibus, aliisque doctissimis Viris ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque, & qui illi successit, Innocentio IX. brevissimo tempore de hac luce subtractis; tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII. qui nunc Ecclesiæ universæ gubernacula tenet, opus, in quod Sixtus V. intenderat, Deo bene juvante perfectum est. Accipe igitur, Christiane Lector, eodem Clemente summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia veterem ac vulgatam sacræ Scripturæ Editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse, minime dubitandum. Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis, Hebræis Græcisque fontibus, & ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata lectione sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt, tum quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandum S. [a] Hieronymus non semel admonuit: tum quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minus puri atque integri evaserunt; tum denique quia sacræ Congregationi Amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis Viris ad hoc opus à Sede Apostolica delectis propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare; sed ipsam veterem, ac vulgatam Editionem Lat. à mendis veterum librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati, ac puritati, quoad ejus fieri potuit restituere; eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur juxta Concilii Oecumenici Decretum pro viribus operam dare. Porro in hac Editione nihil non Canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum, apponere visum est: atque ea causa fuit, cur liber tertius & quartus Esdræ inscripti, quos inter Canonicos libros sacra Tridentina Synodus non annumeravit, ipsa etiam Manasse regis Oratio, quæ neque Hebraice, neque Græce quidem exstat, neque in manuscriptis antiquioribus invenitur, neque pars est ullius Canonici libri, extra

[a] Epist. ad Suniam & Fretellam præ Evangel. ad Damasum.

Canonicæ

Canonicæ Scripturæ seriem posita sint: & nullæ ad marginem concordantiæ (quæ posthac inibi apponi non prohibentur) nullæ notæ, nullæ variæ lectiones, nullæ denique præfationes, nulla argumenta ad librorum initia conspiciantur. Sed sicut Apostolica Sedes industriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, præfationes sancti Hieronymi, *& alia id genus in aliis editionibus inseruerunt; ita quoque non prohibet quin alio genere characteris in hac ipsa Vaticana editione ejusmodi adjumenta pro studiosorum commoditate, atque utilitate in posterum adjiciantur; ita tamen ut lectiones variæ ad marginem ipsius Textus minime annotentur.*

Clemens P. Octavus ad perpetuam rei memoriam.

Cum sacrorum Bibliorum vulgatæ editionis Textus summis laboribus ac vigiliis restitutus, & quam accuratissime mendis expurgatus, benedicente Domino, ex nostra Typographia Vaticana in lucem prodeat; Nos, ut in posterum idem Textus incorruptus, ut decet, conservetur, opportune providere volentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium districtius inhibemus, intra decem annos à data præsentium numerandos, tam citra, quam ultra montes alibi quam in nostra Vaticana Typographia à quoquam imprimatur. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo hanc sanctarum Scripturarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso, cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de Textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquod occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur. Si quis vero Typographus in quibuscunque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam nostræ & S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quam non subjectis, hanc eandem sacrarum Scripturarum editionem intra Decennium prædictum quoquo modo, elapso autem decennio, aliter quam juxta hujusmodi exemplar, ut præfertur, imprimere, vendere, venales habere, aut alias edere vel evulgare, aut si quis Bibliopola à se vel ab aliis quibusvis, post datam præsentium, hujus Editionis impressos libros, seu imprimendos à præfato restituto & correcto Textu in aliquo discrepantes, seu ab alio quam à Typographo Vaticano, intra decennium excusos, pariter vendere, venales proponere vel evulgare præsumpserit, ultra amissionem omnium librorum, & alias arbitrio nostro infligendas pœnas temporales, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat: à qua nisi à Rom. Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit. Mandamus itaque universis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum & locorum, etiam regularium Prælatis, ut præsentes literas in suis quisque Ecclesiis & jurisdictionibus ab omnibus inviolate perpetuo observari curent ac faciant. Contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac in Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, ac quarumcunque Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum, atque Universitatum, etiam Studiorum generalium juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac literis Apostolicis in contrarium quomodocunque emanatis, & emanandis: quibus omnibus ad hunc effectum latissime derogamus, ac derogatum esse decernimus. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem, in judicio & extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibita vel ostensa. Dat. *Romæ*, apud S. *Petrum* sub Annulo Piscatoris, die 9. *Novembris*, 1592. Pontif. nostri Anno 1. *M. Vestrius Barbianus.*

Innumeras varietates in *Jamesiano Bello Papali* videre poterit Lector: præcipuas vero in alio opusculo sermone Anglico conscripto, cui tit. *De*

De Corruptione Scripturæ, Concil. & Patrum, ad capita quædam reduxit *Jamesius*, & ex eo S. *Amana*; quas infra subjecimus.

Sententiæ & voces, quæ in Edit. *Clement.* leguntur, in *Sixtina* desiderantur.

Num. 30. 11. *Uxor in domo viri &c.* usque ad finem versus.

Prov. 25 24. *Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, & in domo communi.*

Mat. 27. 35. *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem.*

Lev. 20. 9. *Patri matrique maledixit.*

Jud. 17. 2, 3. *Reddidit ergo eos matri suæ: Quæ dixerat ei, consecravi & vovi hoc argentum.*

1 Reg. 4. 21. *Quia capta est arca Dei.*

3 Reg 12 10. *Sic loqueris ad eos.*

2 Paralip. 2. 10. *Et vini viginti millia metretas.*

Sententiæ & voces à *Sixto* interpolatæ, à *Clemente* expunctæ.

1 Sam. 24. 8. *Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut descendens in prælium perierit: Propitius mihi sit Dominus ut non mittam manum meam in Christum Dom.*

1 Sam. 25. 6. *Ex multis annis salvos faciens tuos, & omnia tua.*

2 Sam. 6. 12. *Dixitque David, Ibo & reducam Arcam.*

2 Sam 8. 8 *De quo fecit Salomo omnia vasa ærea in templo, & mare æneum, & columnas & altare.*

2 Sam. 19. 10. *Et Consilium totius Israel venit ad Regem.*

Prov. 24. ult. *Usque quo piger dormies? Usque quo de somno consurges?*

Sap. 1. vers. penult. *Injustitia autem mortis est acquisitio.*

Hab. 1. 3. *Quare respicis contemptores & taces, conculcante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem.*

Mat. 24. 41. *Duo in lecto, unus assumetur, & unus relinquetur.*

Act. 14. 6. *Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum: Paulus autem & Barnabas morabantur Lystris.*

Act. 24 18, 19. *Et apprehenderunt me clamantes, & dicentes, tolle inimicum nostrum.*

2 Joh. 2. 11. *Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini.*

Manifestæ contradictiones aut contrarietates inter Edit. *Sixti* & *Clem.*

Ex. 23. 18. S. *tuæ.* C. *meæ.*

Num. 34. 4. S. *ad meridiem.* C. *à meridie.*

Deut. 17. 8. S. *inter lepram & non lepram.* C. *inter lepram & lepram.*

Jos. 2. 18. S. *signum non fuerit.* C. *signum fuerit.*

Jos. 4. 23. S. Deo *nostro.* C. *vestro.*

Jos. 11. 19. S. *quæ se non traderet &c.* C. *quæ se traderet.*

Jud. 14. 3. S. *tuo.* C *meo.*

1 Sam. 4. 9. S. *nobis.* C *vobis.*

1 Sam. 20. 9. S. *à me.* C. *à te.*

2 Sam. 9. 11. S. *tuam.* C. *meam.*

2 Sam. 22. 36. S. *mea.* C. *tua.*

1 Reg 7. 9. S. *intrinsecus* C. *extrin.*

2 Ezræ 4. 22 S. *vobis.* C. *nobis.*

Psal 136. 9. S. *suos.* C. *tuos.*

Prov. 19. 23. S. *Qui affligit Patrem & fugit matrem.* C. *fugat.*

Sap. 2. 11. S. *Injustitiæ.* C. *justitiæ.*

Sirach 7. 4. S. *ab homine.* C. *à Domino.*

Ibid. 8. 8. S. *nolumus.* C. *volumus.*

Ibid. 21. 15. S. *insipientia.* C. *sapientia.*

Ibid 51. 26. S. *In sapientia ejus luxit anima mea & ignorantias meas illuminavit.* C. *& insipientiam ejus luxi: animam meam direxi ad illam.*

Ezech. 14. 22. S. *egredientur.* C. *ingredientur.*

Hab. 1. 13. S. *Quare non respicis?* C *quare respicis?*

Heb 5. 11. S. *interpretabilis.* C. *ininterpretabilis.*

2 Pet. 1. 16. S. *indoctas.* C. *doctas.*

Discrepantiæ in numeris.

Ex 32. 28. S. *triginta tria millia.* C. *viginti tria M.*

Ex. 24. 5. S. *vitulos duodecim.* C. *vitulos.*

2 Sam. 15. 7. S. *quatuor.* C. *quadraginta.*

Ibid. 16. 1. S. *duobus utribus vini.* C. *utre vini.*

1 Reg 4. 42. S. *quinque millia.* C. *quinque & mille.*

2 Reg 14. 17. S. *viginti quinque.* C. *quindecim.*

Ibid. 25. 19. S. *sex.* C. *sexaginta.*

2 Chr. 13 17. S. *quinquaginta millia.* C. *quingenta millia.*

Ibid. 25. 5. S *triginta millia.* C. *trecenta millia.*

Ibid. 32. 29. S. *urbes sex.* C. *urbes.*

Ezræ 2 65. S. *sexcenti.* C. *septingenti.*

Ibid. 2 v. penult. S. *quadraginta millia.* C. *sexaginta millia.*

2 Ezræ 7. 12. S. *octingenti.* C. *ducenti.*

Ibid. 7. 21. S *nongenti.* C. *nonaginta.*

Ibid. 7 66. S. *sexcenti.* C. *trecenti.*

2 Mac. 13. 15. S. *quatuordecim.* C. *quatuor.*

Marc. 2. 1. S. *post dies octo.* C. *post dies.*

Joh. 6. 13. S. *ex quinque panibus ordeaceis & duobus piscibus.* C. deſunt *& duobus piscibus.*

Differentiæ aliæ notabiles.

Gen. 24. 24. S. *Filia sum Bathuelis filii Nachor quem peperit ei Melcha.* C. — *filii Melchæ* — *ei Nachor.*

Deut. 17. 12. S. *Qui autem superbierit, obedire nolens sacerdotis imperio, ex decreto judicis moriatur homo ille &c.* C. — *& decreto* —.

Jos. 3. 17. S. *contra Jordanem.* C. *contra Jericho.*

1 Sam. 3. 2, 3. S. *nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* C *oculi ejus caligaverunt, nec poterat videre: Lucerna Dei antequam extingueretur.*

1 Reg. 2. 28. S. *ad Salomonem.* C. *ad Joab.*

2 Reg. 15. 19. S. *in Thersam.* C. *in terram.*

Judith 1 2. S *fecit muros ejus in altitudinem 70 Cub.* A *Sixto* V. prius excusum est, *in latitudinem*, qua voce objecta chartula substitutum est, *in altitudinem.* Clemens è Græco, *in latitudinem* restituit.

Ibidem S. *in latitudinem 30. Cub.* C. *in altitudinem 30. Cub.*

Job 31. 7. S. *Si secutus est oculus meus cor meum.* C. *si secutum est oculos meos cor meum.*

Psal. 41. 3. S. *ad Deum fontem vivum.* C. *ad Deum fortem vivum.*

Prov. 20. 25. S. *deverare sanctos.* C *devotare sanctos.*

Sap. 6. 11. S. *qui — custodierint justa, juste justificabuntur.* C. *qui — custodierint justitiam, juste judicabuntur.*

Sap. 18 9. S *Patri omnium decantantes laudes.* C. *Patrum decantantes laudes.*

Sirach 16 9. S. *peregrinationi illorum.* C. *peregrinationi Loth.*

Ibid. 24. 41. *Ego quasi fluvius Dorix.* C. *Ego quasi fluvii Dyorix.*

Ibid. 38. 25. S. *Sapientiam scribe.* C. *Sapientia scribæ.*

Ibid. 42. 9. S. *adultera.* C. *adulta.*

Ibid. 46. 17 S. *Vidit Deum Jacob.* C. *vidit Deus Jacob.*

Isai. 46. 12. S. *justum.* C. *avem.*

Jer. 17. 9. S. *cor hominis.* C. *cor hominum.*

Ibid. 50. 39. S. *fatuis ficariis.* C. *faunis ficariis.*

Bar 3. 23. S. *terræ.* C. *Merrhæ.*

Ibid. 6. 26. S. *humeri illis apponentur.* C. *munera eorum illis apponentur.*

1 Mac. 12. 19, 20. S. *quod miserat Oniares Spartiatarum: Oniares Jonathæ sacerdoti magno salutem.* C. *quod miserat Oniæ: Arius rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno salutem.*

Ibid. 15. 22 S. *Arabæ — & Sampsamæ.* C. *Ariarathi & Lampsaco.*

2 Sam. 6. 8. S. *in pariete erat.* C. *in parte erat domus.*

11. Cum bello hoc Papali proſtrata jaceat Pontificum ſimul & Verſionis Vulgatæ auctoritas, eorum cultores ad varia effugia ſe conferunt. In Præf. Ed. *Clementinæ* fingitur, *Sixtum* V. *eo quod animadvertiſſet, non pauca in Biblia ſua PRELI vitio irrepſiſſe, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus ſub incudem revocandum cenſuiſſe ac decreviſſe. Id vero morte præventum præſtare non potuiſſe.* Ita quoque *Gretſerus*, aliique vulgo. At vero, ex ipſis, quas Lectori ob oculos attulimus, lectionibus variis, aliiſque innumeris, quas videre eſt apud *Jameſium*, quæ nullo modo Typographorum incuriæ adſcribi poſſunt perſpicue liquet, quam ab omni veritate commentum illud abhorreat. Inter eas, quas in medium adduximus, multæ ſunt, quas Typographo *Sixtino* non poſſe attribui, res ipſa docet; & in ipſis illis levioribus, quæ facile Typographo adſcribi poſſe videantur, convenit fere paſſim editio *Sixtina* cum *Lovanienſi*, adeo ut neque eas Typographo eſſe adſcribendas, res ſit certiſſima.

Porro conſtat *Sixtum* V. in Bibliis ſuis excudendis ſummam curam adhibuiſſe, & poſtquam excuſa ſunt, curaſſe Typographica vitia, & ſi quid aliud in melius reſtituendum videbatur, emendari, vel manu ſcil. vel nova impreſſione chartulis quibuſdam vocibus glutine ſuperinductis: ut omnibus ſuis numeris ac apicibus abſolutiſſima fieret Editio. In *Bulla* ſua teſtatur *Sixtus*, *SEIPSUM manu ſua correxiſſe ſi qua PRELO vitia obrepſerant, & quæ confuſa, aut facile confundi poſſe videbantur, ea intervallo ſcripturæ, ac majoribus notis & interpunctione diſtinxiſſe.* Locorum manu ipſius *Sixti* vel aliorum poſt Impreſſionem, aut novæ impreſſionis ſuperinductione, in ſingulis exemplaribus correctorum indicem exhibet *Bellum Papale*. Quanta cura ac diligentia Editioni ſuæ caſtigandæ exornandæque operam dedit *Sixtus*, teſtatur quoque *Angelus Roccha*, in *Bibliotheca Vaticana Commentario illuſtrata* edita proximo poſt anno, nempe 1591. In Bibliotheca Pontificia in honorem *Sixti* V. hæc habetur literis aureis Inſcriptio:

Sacram Paginam ex Concilii Tridentini præſcripto quam emendatiſſimam divulgari mandavit.

Quarta quæ ſequitur Inſcriptio (inquit *Roccha*) *ingentem indicat curam, & vere Pontificiam quam Sixtus* V. *toto ſuſcepit conatu pro Bibliis vulgatæ Editionis emendandis, & imprimendis juxta Concilii Tridentini præſcriptum. Qua in re præſtanda tot ac tantos die noctuque perpeſſus eſt labores, quantos unquam verbis explicare nemo poſſet, ut mihi perſuadeo, qui hujus generis labores reipſa videns non ſemel tanquam oculatus teſtis obſtupui. Univerſa enim Biblia, antequam prælo committerentur, ad verbum perlegit, etiamſi quotidie in omnes Chriſtiani orbis curas & graviſſimas quidem totus incumberet, & in dies ſingulos, res ſane pias, & heroicas, ac Pontifice dignas produceret. Sacroſanctam igitur paginam perlegit univerſam, & emendavit: atque ita, ut omnes ſacri Codices, juxta ejuſdem Concilii Decretum cum omnibus ſuis partibus legantur, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata latina Editione habentur. Nec eo contentus, univerſa item Biblia ſic emendata, & recenter impreſſa de integro perlegit, ut omnia fideliter recognita in lucem prodirent. Quam rem Inſcriptio, quæ infra legitur, apertis hiſce verbis breviter patefacit.* Et ex his quoque verbis colligitur, nihil *Rocchæ* innotuiſſe de ulla per *Sixtum* ipſum Editionis ſuæ revocatione. Nec ante Editionem Bibliorum *Clementinorum*, de iſtius ſuppreſſione aut revocatione decretum ullum in manus cujuſquam venit, aut quicquam unquam inauditum eſt. Quod dicit *Baldwinus* Jeſuita Biblia ejus excudi cœpta fuiſſe, non vero fuiſſe abſoluta, hoc ſolum indicat eum ea nunquam vidiſſe. Quod alii reſpondent, propoſitum quidem ſibi habuiſſe *Sixtum*

Biblia

Biblia sua una cum *Bulla* evulgare, sed morte præventum id non fecisse, vel exinde falsitatis arguitur, quod in varias Christiani orbis regiones exemplaria multa distracta sunt.

Locum illum Deut. 29. 23. ubi in Lat. Vulg. legebatur, *sulphuris & salis ardore comburens*, pro *solis*, *Sixtus* V. substituit *salis* ex Heb. sine ulla exemplarium Lat. auctoritate: ut vel inde appareat quantum ipse Textui Heb. præ Latina Versione deferret.

12. Annis ante 3. nempe 1587. ejusdem *Sixti* V. auctoritate prodiit Testamenti Vet. Versio Græca LXX. juxta exemplar Vaticanum, præfixa ipsius *Bulla*, qua, eadem temeritate, *vult & sancit, ad Dei Gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, ut Vetus Græcum Test. juxta* LXX. *ita recognitum & expolitum, ab omnibus recipiatur, ac retineatur, quo potissimum ad Latinæ Vulgatæ Editionis, & veterum sanctorum Patrum intelligentiam utantur. Prohibens, ne quis de hac nova Græca editione audeat in posterum, vel addendo, vel demendo, quicquam immutare. Si quis autem aliter fecerit, quam hac sanctione comprehensum est, eum in Dei Omnipotentis, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli indignationem incursurum.*

13. In Editione sua Bibliorum Vulg. loca plusquam 2000. juxta textus Originales Heb. ac Græc. restituit *Clemens* VIII. quæ in Bibliis *Sixtinis* male se habuere. Et in Præfatione Editionis *Clementinæ* modeste agnoscitur, quod quamvis *eam Editionem cæteris omnibus emendatiorem puriorem que esse minime dubitandum sit, illam tamen omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est.* Et nonnulla, *quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta fuerunt, ad offensionem populorum vitandam.* Subjicitur quidem *fortasse* Hebræos Græcosque codices hodiernos, ubi ab hac Editione discrepant, *tam longo tempore identidem describendo minus puros ac integros evasisse.* Id vero non asseritur, sed tantum *fortasse* dicitur, & *facile credendum esse id fieri potuisse.*

14. Ut omnes Versionis Vulg. Editiones ac Codices juxta suam Editionem castigari jussit *Sixtus* V. sic præcepit idem ubique fieri *tam in impressis, quam in imprimendis Missalibus, aliisque libris Ecclesiasticis, quoad eas tantum Scripturæ lectiones, & verba quæ ex Vulg. Editione sumpta, atque in eisdem libris inserta fuisse constat.* Quem locum non recte intellexit [a] *Simonius*, cum dicit *Sixtum* V. jussisse *Missalia &c.* ad suam Editionem per omnia castigari. Loquitur enim *Sixtus* non de omnibus Scripturæ portionibus, quæ in *Missalibus &c.* insertæ sunt, sed tantum de illis, quas constabat ex Versione eadem vulgari fuisse desumptas. In libris enim *Ecclesiasticis* antiquioribus ex Veteri Versione Itala dicta desumpta sunt plurima.

[a] Append. Hist. Crit. V. T.

Quæ ex Veteri Versione in libris illis inserta fuerant, ea nonnulli in novis eorum editionibus ad Versionis Vulgatæ textum reformabant. Quod fieri prohibuit *Clemens* VIII. in *Bulla* ed. 1604. *Progressu temporis sive Typographorum, sive aliorum temeritas & audacia effecit, ut multi in ea quæ in his proximis annis excusa sunt Missalia, errores irrepserint, quibus vetustissima illa sacrorum Bibliorum Versio, quæ etiam ante B. Hieronymi tempora celebris habita est in Ecclesia, ex qua omnes fere Missarum introitus, & quæ dicuntur Gradualia & Offertoria, accepta sunt, omnino sublata est. Epistolarum & Evangeliorum textus, qui hucusque in Missæ solemniis prælectus est, multis in locis perturbatus: ipsis Evangeliis diversa, ac prorsus insolita præfixa initia: plurima denique passim pro arbitrio immutata sunt, cujus rei prætextus fuisse videtur, ut omnia ad præscriptum sacrorum Bibliorum Vulgatæ Editionis revocarentur. &c.*

15. An. 1576. sub *Gregorio* XIII. cum in Academia quadam Jesuitarum dubium oriretur de eo, utrum in omnibus apicibus Versioni Vulgatæ acquiescendum sit, res perlata est ad Generalem Cardinalium

Congregationem, quæ aperte pro Vulgata sententiam tulit. Quam ex Bibliotheca Cardinalis Bisciæ edidit *Leo Allatius* Animadversionibus in Antiq. Etrusc. *Dubitatur in quadam Universitate, quæ Societatis Jesu curæ commissa est, quo pacto intelligendum sit Decretum illud, quo sancta Tridentina Synodus, enumeratis Libris Sacris, sic statuit; Si quis libros ipsos integros omnibus partibus suis, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & Vet. Vulg. Editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit. An, scilicet, eo pacto, ut in fide, errare censeantur, qui asseruerint aliquid repugnans vel minimæ periodo aut membro enumeratorum Librorum, etiam cum in ea re sint appositæ lectiones Græci contextus, aut Hebraici; an potius ii tantum, qui integrum aliquem ex his libris, aut eorum partem aliquam rejecerint, de qua aliquando fuerit controversia, num Canonica & Sacra esset: quo pacto quidam, in V. Test. dubitarunt de Cantico Trium Puerorum, & de Historia Susannæ; in Novo autem de ultimo capite Marci, & de initio octavi capitis Evangelii Joannis. Die 17. Januarii 1576. Congregatio Generalis per S. L. A. S. Montalt. Sixt. Caraf. censuit, nihil posse asseverari, quod repugnet vulgatæ Latinæ Editioni, etiam quod esset sola periodus, sola clausula, vel membrum, sive vox, vel dictio sola, vel syllaba, iotave unum; & acriter reprehendit Vegam, qui lib. 15. de Justificat. cap. 9. tam audacter locutus est. Quo ad oppositionem Textus Græci, & Hebraici, cum Latina Vulg. lectione, remittit Interrogantem ad tertiam Regulam Indicis, sub Pio IV. editam.* Hæc confessus iste, etiam multis annis antequam Versio Vulg. prodiret emendata.

Juxta [a] *Pinedam*, qui ejusdem Declarationis meminit, sic concluditur: *Et acriter reprehendit Vegam, qui lib. 15. de Just. c. 9. tam audacter locutus est, quoad oppositionem textus Græci aut Ebr. cum Lat. Vulg. Editione.* Extat quoque exemplar editum Coloniæ 1609. una cum aliis consimilibus Declarationibus, in quo non comparent ea quæ de *Vega* dicuntur, sed illis omissis, sic finitur: *Quoad oppositionem autem textus Græci aut Ebr. cum Lat. Vulg. Ed. Congregatio remisit ad tertiam regulam Indicis sub Pio IV. editam.* Neque mentio fit *Vegæ* in *Jo. Gallemarti* Annotationibus ad Concilii Trid. decreta, ubi finis Declarationis istius describitur; hac etiam subjecta notula: *Etiam dicendum est, quod ne vel periodus, vel una clausula, vel dictio, vel syllaba, iotave unum repugnet in veteri vulgata linguæ Lat. Editione.* Commemoratur eadem Declaratio in *Petri Vincentii* editione Concilii Trid. Panormitana, ubi una cum aliis Declarationibus adjunctis dicitur edit. fuisse *auctoritate Apostolica ex quarto volumine Decisionum novissimarum Rotæ Romanæ.* Exemplar penes se fuisse, memorat [b] *Suaresius*: in quo *Vegæ* reprehensio habebatur. De istius autem Declarationis auctoritate sic [c] *Serarius. Primo* (inquit) *respondeo, istiusmodi Declarationum, sive Judicum sententiæ, sive Doctorum opiniones, sive sapientum responsa, sive hujusmodi aliud quippiam sint, auctoritatem, uti par est, reverendo, dubitari posse, an sine depravatione ac mendo editæ sint. Typothetæ operæque aliæ, ac istarum herus hæretici fuerunt. &c.* Hoc frustra. [d] *Simonio* videtur probabile eam pro lege nunquam, ne in ipsa *Roma*, fuisse receptam, sed quod aliis multis ejusdem Congregationis Declarationibus accidebat, insuper habitam fuisse; siquidem ipse Card. *Pallavicinus* opinionem prorsus contrariam amplexus est, nempe illam *Vegæ*, quæ in Declaratione hac diserte damnatur. Ait [e] alibi, eam nunquam *editam* fuisse.

[a] De rebus Salom. lib. 4. c. 8.

[b] De fide Disp. 4. s. 3.

[c] Proleg. Bibl. c. 19. Q. 11.

[d] Hist. Crit. T. V. l. 2.

[e] Disquis. Crit. cap. 20.

An. 1603. Correctorium juxta Editionem *Clementinam* edidit *Franc. Lucas Brugensis*, quo collegit præcipua atque insigniora, quæ in ea Editione restituta sunt, loca; indicatque eam quæ rejecta est lectionem.

CAP.

CAP. XV.

Post Decretum Tridentinum, quantæ turbæ inter Pontificios, præsertim in Hispania, *de Textus Heb. & Versionis Vulg. auctoritate. Quinam Pontificii Versionem Vulg. Textibus originalibus prætulerint. Eorum complures post illud etiam Decretum Textibus origin favere. Multos in Vulgata errores etiam Interpretis agnoscere. Opinio* And. Vegæ, Jac. Laines, Dom. Soti, Ad Sasbout, Rod. Bain, Fr. Forerii, Hier. Oleastrii, Il. Levitæ, G. Wicelii, Mich. Medinæ, Gul. Hameri, Jo. Benedicti, Laur. Villavicentini, Sixti Senensis, Ariæ Montani, Gor. Becani, Jud. Ravesteyn, And. Masii, Nic. Sanderi, Lovaniensium, Gilb. Genebrardi, Did. Payvæ Andradii, Alv. Gomezii, Fr Lucæ Brugensis, Jul. Rugerii, Dom. Bannes, Barth. de Medina, Marci Marini, Jo Maldonati, Rob. Bellarmini, Baronii, Pet. Figuerii, Fr. Riberæ, Jos. à Costa, Ant. Possevini, Pet. Lopez, Alph. Mendozæ, Chr. à Sacro bosco, Jo. Marianæ, Lud. Legionensis, Nic. Serarii, Pet. de Palentia, Phil Gamachæi, Th. Malvendæ, Gul. Estii, Ferd. Escalantii, Mat. Raderi, Pet. Lansselii, Ad. Contzen, Lucæ Waddingi, Marii Calasii, Leon. Marii, Sim. de Muis, Val. Flavignii, Laur. Forerii, Jo. D'Espieres, Jos. de Voisin, Jo. de la Haye, Pet. Dan. Huetii, Card. Pallavicini, Nat. Alexandri, Rich. Simonii, Pauli Pezronii, Mich. Lequieni, Martianayi, Du Pin, Episcopi Meldensis, Pauli V. § 6, &c ad 77. *De sententia etiam* Gul. Lindani, Melch. Cani, Alph. Salmeronis, Th Stapletoni, Hect. Pinti, Pauli Grysaldi, Hier. de la Rua, Greg. de Valentia, Jo. Lorini, Jac. Gordoni Huntlæi, Lud. Turriani, Dom. Garciæ, Jac. Gretseri, Jo. Azorii, Lud Tenæ, Fr. Suaresii, Jac. Bonfrerii, Jac. Tirini, Jo. Morini, §. 78. ad 95. Morinum *ipsum, Textum Heb. Versioni Lat revera prætulisse.* 96. *Regulæ Jesuitarum quid hac de re decreverint.* 98. *Biblia Heb. à Pontificiis depravata.* 99. Sinensibus *à Missionariis permissa Biblia juxta Græcam Versionem.* 100. *Pontificiorum sententiæ variæ de Auctore Latinæ Vulg.* 101. *Eorum effugia, qui divino afflatu factam fuisse credunt* 102. *In ea emendanda quid præstiterit* Nic. Zegerus, 10. *Quid* Lovanienses & Hentenius 27. *Quid* Lucas Brugensis, 31.

POST Decretum Concilii Trident. de Versionis Vulg. authentia an. 1546. sancitum, de istius auctoritate, utrum Textibus ipsis originariis, ubi ab ea discedunt, an tantum Versionibus cæteris, præferri deberet, acerrime inter se disceptare cœperunt Ecclesiæ Romanæ Cultores.

a. Pro Translatione contra Textus Orig. decertant in primis *Leo Castrius*, Decanus Salmanticensis, *Prolegomenis Com. in Es.* & in opere grandiusculo inscripto, *Apologeticum pro lectione Apostolica & Evangelica, pro Vulgata B. Hieronymi, & pro Translatione τῶν* LXX. Ed. 1585. *Nic. Ramus* ex Minorita Episcopus Cubæ, cujus extat liber *De auctoritate Editionis Vulgatæ*; *Petrus Carbonarius*, Metropagita Carthusianus, in opusculo *De Heb. Veritate* Ed. Pragæ 1590. *Montoia* in libro *Editionum*, [a] Gregorius *de Valentia*, Professor Ingolstadiensis; [b] *Franc. Sylvius*, Prof. Duacensis; [c] *Jo. Hartus*, Anglus; [d] *Jo. Pineda* Hispalensis; [e] *Jac. Gordonus Huntlæus*, [f] *Jac. Gordonus Lesmorius*, [g] *Jo. Ferdinandus*, [h] *Marinus Marsennus*; [i] *Guido Michael le Jay*; [k] *Jo. Bapt. Villalpandus*; [l] *Leo Allatius*; [m] *Anglo-Rhemenses*; cum *Franc. Turriano*, *Delrione*, *Nierembergio*, & [n] *Claudio Frassenio*. His etiam addendi [o] *Gul. Lindanus*, [p] *Melchior Canus*, [q] *Alphonsus Salmeron*, [r] *Th. Stapletonus*, [s] *Hector Pintus*, [t] *Paulus Grysaldus*, [u] *Hieronymus de la Rua*, [x] *Jac. Gretserus*, [y] *Jo. Azorius*, [z] *Jo. Lorinus*, [a] *Lud. Turrianus*, [b] *Do-*

a L. 8. Analys. cap. 5. ed. 1591. & Ep. ad Serarium an. 1590.
b Controv. l. 1. Q. 2. art. 4. Ed. 1639.
c Colloq. cum Rainoldo Ed. 1598.
d De rebus Salom. lib. 4. c. 8. Ed. 1609.
e Controv. 1. cap. 6. &c. ed. 1612. f Tract. de verbo Dei, ad finem V. T. ed. 1632. g Præf. l 4. Thes. Script. h In Georgii Ven. Poblem. 107. i Præf. Bibl. Paris. k Tom. 3. in Ezech. pag. 306. l De Antiq. Etrusc. m Præf. N. T. n Disquis. Bibl. c. 6. o De opt. gen. interp. p De locis Theol. lib. 2. c. 13, 15, 21. q Proleg. Bibl. 3. r Controv. 6. lib. 11. cap. 12. s Com. in Dan 7. t Decis. fid. Cathol. u Controv. Theol. x Def. Bellarm. y Instit. Moral. l. 8. c. 3. z Præf. in Psal. a Disp. in Thom. b Quæst. super Gen.

minicus Garcias, [a] *Lud. Tena* cum Magistro ejus [b] *Deza* Jesuita, [c] *Franc. Suaresius*, [d] *Jac. Bonfrerius*, [e] *Jac. Tirinus*, [f] *Jo. Morinus*, cum toto (ut opinor) indocto Theologorum Romanensium vulgo. *Est communis opinio*, inquit *Lud. Turrianus*, *multorum Theologorum hoc tempore*. *Nostra ætate*, inquit [g] *Mariana*, *Theologi quidem statuunt tempora jam esse mutata, post promulgationem Concilii Trid. probataque Vulg. Versione, Græca & Ebræa uno impetu concidisse.* Indicis Expurgatorii Compilatores Hispani, ex *Marianæ* tractatu *Pro Ed. Vulgata* multa tanquam ei non satis faventia deleri jubent. *Nec TEXTUM*, inquit *Marsennus*, *aut Versionem ullam recipimus præter Vulgatam Lat.*

a Isag. in S. Script.
b Cujus opus, sed medituio citat *Tena* Diss. 4. §. 2.
c De Fide Disp. 5. §. 3. n. 10.
d Præloq. in Pent.
e Controv. 2. n. 9.
f Exercit. Bibl.
g Pro Vulg. Lat.

3. Nititur horum opinio partim auctoritate *Declarationis Cardinalium*, cui esse acquiescendum existimant *Allatius*, *Pineda*, *Suaresius*, *Tena*, *Turrianus*.

4. Quamvis autem in eo conveniunt, quod ad Vulgatam Lat. ad Fontes Orig. sit recurrendum; non omni tamen ex parte inter se consentiunt. Eorum nonnulli *Vulgatam* Divini Spiritus adflatu confectam volunt; alii statuunt Interpretem singulari tantum providentia ab omni errore custoditum fuisse; alii ut infra ostendemus, errasse eum interdum, confitentur. Nonnulli Textum Heb. consulte & malitiose depravatum fuisse à Judæis, asserunt; alii, tantum librariorum incuria. Textum Heb. etsi non Latinæ Vulg. at Græcæ tamen Versioni præferunt complures; alii Codices Heb. *Græcis* etiam posthabent, ut *Nic. Ramus*, qui Versionem Lat. in editione *Complutensi* inter Heb. & LXX. positam comparat Christo crucifixo inter duos latrones, per *Hebræum* intelligens Latronem malum, per LXX. bonum. *Franc. Turrianus* in Defens. contra Ant. Sadeelem: *Ego, Antoni, ut tu dicis, non veni ad autographum Heb. quia nec Hebraice scio, nec mihi hoc loco Hebraice scire opus erat: Contemnere* LXX. *& Hebraicum præferre, quid aliud est quam assentari Judæis? Montoia* statuit Versionem LXX. debere esse apud Græcos æque authenticam, ac Latinam apud Latinos. Textum *Heb.* Test. Veteris, & *Græcum* Novi, non magis *Fontes* dici posse quam editio Lat. asserit *Gregorius de Valentia*. Sic *fons Scripturæ* dicitur *Gusdoni le Jay*: *Pro certo & indubitato apud nos esse debet Vulgatam Ed. quæ communi Catholicæ Ecclesiæ lingua circumfertur, verum esse ac genuinum Scripturæ fontem.* Juxta *Carbonarium*, Textus Heb. *sine Lat. Versione est pene inutilis*. *Prateolus* denique Cardinalem *Cajetanum* ob ea quæ scribit contra translationem Vulg. inter *Hæreticos* connumeravit: quam censuram justo severiorem fuisse *in virum adeo pium atque illustrem* fatentur alii.

5. Quantas turbas, in Hispania præsertim, excitaverit dissidium de Textus Heb. Latinæque Vulg. auctoritate his verbis docet *Joannes Mariana* in Exordio scripti *Pro Editione Vulg. Opus molestum suscipimus, multaque difficultate impeditum, periculosam aleam, ac qua nescio an ulla disputatio his superioribus annis inter Theologos, in Hispania præsertim, majori animorum ardore, & motu agitata sit, odioque partium magis implacabili, utque adeo, ut à probris & contumeliis, quibus se mutuo fœdabant, ad tribunalia ventum sit: atque quæ pars sibi magis confidebat, adversarios de Religione postulatos gravissime exercuit, quasi impios, superbos, arrogantes, qui divinorum librorum auctoritatem, atque ejus interpretationis fidem, qua Ecclesia utitur passim &* Vulgata Editio *nuncupatur, audacter elevarent, novis interpretationibus prælatis invectisque contra divinas leges & humanas, Concilii Trid. decreta non ita pridem promulgata. Tenuit ea causa multorum animos suspensos exspectatione, quem tandem exitum habitura esset, cum viri eruditionis opinione præstantes, è vinculis cogerentur causam dicere, haud levi salutis existimationisque discrimine: miseranda virtutis conditio, quando pro laboribus, quos susceperat maximos, compellebatur eorum à quibus defendi par fuisset,* odia,

odia, accusationes, contumelias tolerare, quo exemplo multorum praeclaros impetus retardari, viresque debilitari atque concidere necesse erat. Omnino fregit ea res multorum animos alieno periculo considerantium, quantum procella immineret libere affirmantibus quae sentirent. Itaque aut in alterum castra transibant frequentes, aut tempori cedendum judicabant. Et quid facerent? cum frustra niti neque fatigando (ut ille ait) *aliud quam odium quaerere, extremae dementiae sit. Plerique inhaerentes persuasioni vulgari libenter in opinione perstabant iis placitis faventes, in quibus minus periculi esset haud magna veritatis cura. &c.* Persecutionem hanc passi sunt, qui Textui Originali patrocinabantur, utpote numero cedentes Sacerdotum indoctorum turbae: quorum agmen duxisse videtur *Leo Castrius* ille, Judaeorum hostis infensissimus. Eos vero, ut tanta animorum contentione Versionis Vulg. patrocinium susciperent, movisse videtur in primis argumentum istud, quo utitur *Melchior Canus*, ipse etiam Hispanus, de *Inquisitoribus* Haereticae pravitatis, quod non secus possent Haereticos in jus vocare, aut refutare, utpote statim ad Textus Originales provocaturos.

Veritati Heb. testimonium luculentissimum perhibent alii complures Pontificii scriptores, iique non infimi subsellii, Decretum Trid. aliter interpretantes, ita ut intelligendum sit de Versione Vulg. non Textibus Origin. sed tantum aliis Versionibus opposita. Ideo vero *authenticam* à Tridentinis Patribus declarari existimant, quia nullum continet in *fide* & *moribus* perniciosum errorem.

6. An. 1548. Opus suum *De Justificat.* edidit, & *Petro Pacceco* Card. Giennensi Praesuli dicavit ANDREAS VEGA Salmanticensis, qui ipsi Concilio Tridentino, tunc cum Decretum hoc sancitum est, (uti supra ostensum) interfuit, & de Versionis auctoritate illic disseruit. In illius Operis lib. 15. cap. 9. haec leguntur: *Sed ne erres, ut facis, circa approbationem Vulg. Editionis, audi obiter haec pauca. — Synodus non approbat menda, quae linguarum periti, & in sacris literis mediocriter versati, in ea deprehendunt. Approbavit duntaxat Vulg. Editionem repurgatam à mendis, quae vitio Scriptorum vel Chalcographorum in ea obrepserunt. Nec eam tanquam è coelo delapsam adorari voluit. Interpretem illius, quisquis ille fuerit, sciebat non fuisse Prophetam, nec nos meruisse hactenus quenquam, qui eodem in omnibus spiritu sacras literas à propria & nativa lingua in alienam linguam transfuderit. Ac proinde nec combuit, nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam, qui aliquando docent melius potuisse aliqua verti, & uno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spiritum S. sensus, vel certe alios commodiores quam è vulgata editione possent haberi. Sed in honorem vetustatis & honoris, quem ei jam à multis annis detulerant Concilia Latina, quae sunt ea usa, & ut certo scirent fideles, quod & verissimum est, nullum inde haberi posse perniciosum errorem, & tuto illam & citra periculum posse legi, ad coercendam etiam confusionem, quam affert multitudo translationum, & temperandam licentiam nimiam cudendo semper novas translationes, sapienter statuit, ut ista uteremur in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, & expositionibus. Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defoedatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset, atque ideo adjecit, ne quis illam quovis praetextu rejicere auderet.* Neque hoc affirmat modo, qui ipse praesens fuit, sed ipsius Praesidis Concilii (postea Papae, *Marcelli* II. nomine) testimonium luculentissimum adfert. Audi sis quae sequuntur: *Et hanc fuisse mentem Synodi, nec quidpiam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis & ex aliis consuetis approbationibus Concilii potes colligere. Et ne dubites de his, verissime possum tibi allegare pro his amplissimum & observantissimum Dominum SANCTAE CRUCIS CARDINALEM, de pietate & de literis & studiosis omnibus*

omnibus optime meritum, qui illi Sessioni & aliis omnibus præfuit, ac pridie quidem quam illud Decretum firmaretur, & postea non, opinor, semel mihi testatus est, nihil amplius voluisse Patres firmare. Itaque nec tu, nec quispiam alius, propter hanc approbationem Vulg. Editionis, impeditur, quominus ubi hæsitaverit, ad fontes recurrat, & in medium proferat quicquid habere potuerit, quo juventur & locupletentur Latini, & Vulg. Editionem ab erroribus repurgent, & quæ sensui Spiritus S. & ipsis fontibus sunt magis consentanea, assequantur.

7. Pro eadem re Testimonium JACOBI LAINES, Ordinis Jesuitarum Præpositi Generalis, qui Concilio quoque, eidemque Sessioni, aderat, producit [a] *Jo. Mariana. Nobis idem sciscitantibus Romæ, cum ibi Theologicas scholas explicaremus, non aliud responsum dedit* Jac. Laines, *nostri tum Ordinis Præpositus Generalis, pietatis studiis, eruditionis opinione, morum suavitate, atque ingenii candore mirabilis, quem honoris causa nominare volui, & quoniam Concilii Tridentini magna pars fuit, quippe cui plurimum à cæteris Patribus deferebatur, & omnibus actionibus interfuit.*

[a] Pro Ed. Vulg. cap. 21.

8. DOMINICUS SOTO, Segobiensis, Carolo V. à Sacris Confessionibus, qui etiam Concilio interfuit, in Prooemio Com. in Epist. ad Rom. ed. 1550. ubi de variis Versionibus nuperis breviter disserit, satis clare subindicat, commendatam fuisse à Concilio Versionem Vulg. præ aliis tantum Versionibus. *Cum his justissimis de causis nuperrime sancta Synodus Veterem Editionem ex universis* (de Versionibus tantum locutus fuerat) *unam elegerit ac receperit, eandem nos defendendam suscepimus, atque ab istorum novatorum* traductionibus *pro virili nostra vindicandam.* Is male à nonnullis accensetur illis qui Vulgatam ipsi textui Originali in omnibus antepofuerint.

9. ADAMUS SASBOUT, Delphius, Divin. Scripturarum apud Lovanienses Professor, qui ob. 1553. Commentariis in Esai. ad Codices Heb. passim confugit, vocesque originales explanat. In cap. 6. vulgatam lectionem rejicit: *Et plena erat domus*] *partem hanc Hebræi non habent, neque Hieron. neque in vetustioribus Lat. exemplaribus invenitur: sed ex editione* LXX. *videtur inserta per indiligentiam aut inscitiam alicujus — quare emendandi sunt Codices nostri — juxta Hebraicam autem Veritatem est hoc modo &c.*

10. An. 1553. *Epanorthoten* i. e. *Castigationes N. T.* edidit *Tacitus Nicolaus Zegerus*, Minorita, quibus Vulgatam Versionem restituere totis viribus nititur. Ait Græcorum Codices, præsertim paulo antiquiores longe esse corruptiores quam Latinorum: eos vero qui paulo habentur castigatiores, *non nisi sua ætate restitutos esse, idque etiam in nonnullis locis (ut videtur) ex fide Latinorum.* De corruptelis vero codicum etiam Latinorum fatetur eas tantas esse, *ut non nisi perplexæ fuerit difficultatis comprobare ac demonstrare, quæ in ipsis haberi ac censeri debeant pro germanis, Apostolicis, & intemeratis.* Editionem N. T. exceptis Evangeliis non esse Hieronymi, sed hujus emendationem, *si non quoad Evangelia, certe quoad reliquos libros intercidisse: studiosum vero quempiam, ac probati hac in re judicii hominem, circa Hieronymi tempora, recognitionem fecisse librorum reliquorum, nempe eorum, quorum recognitionem ab Hieronymo editam videbat non recipi; & fortasse etiam totius N. T.* Suspicatur vero hanc Latinæ Versionis reparationem receptam fuisse sub Papa Gelasio circa an. 495. quod in libros & scriptores Catholicos distinxerit ab Apocryphis; multaque ediderit ac statuerit ad cultum pertinentia Ecclesiasticum.

Julium III. P. cui opusculum dedicat, hortatur ac orat, ut *hunc suum laborem, primum quidem eruditis aliquibus viris committeret discutiendum & examinandum, seu etiam pro ipsorum judicio consilive castigandum, ac deinde*

Editionem N. T. juxta Castigationes suas adprobaret, & Apostolica auctoritate confirmaret, & pro germana atque authentica ubique terrarum legendam committeret, posthabitis iis editionibus, quæ huic adversentur.

11. RODOLPHUS BAIN, Anglus, linguæ Heb. Parisiis Professor Regius, Com. in Prov. ed. 1555. una cum Vulgata Versione aliam ex Heb. factam conjungit.

12. FRANCISCUS FORERIUS, Olyssiponensis, Tridentinis Patribus, qui Indici librorum Expurgatorio compilando deputati sunt, à secretis, Esaiam Prophetam ex Hebr. vertit, suamque Versionem adjuncto Commentario ipsi *Concilio Tridentino* nuncupavit an. 1563. In Epistola ad *Concilium Tridenti* data hæc leguntur: *Apud neminem vestrum controversum esse, sed apud omnes, ut pios decet, certum atque concessum puto, eam operam non esse parum laudandam, quæ summo studio suscepta est ad pristinam auctoritatem veteris, docti ac sanctissimi Interpretis confirmandam; quam hoc tempore impiorum iniquitas labefacere conata est, præsertim cum superioribus annis hoc idem sanctissimum Concilium, ut par erat, nulla ex parte diminutam esse voluerit. Quæ ego certe si non perfeci, saltem volui: ob eam enim causam rursus Hebræa in Lat. sermonem converti, ut verbum pro verbo reddens, quoad ejus fieri potuit, ostenderem in Commentario sententiam, quam Vulgatus Interpres reddidit, ab Heb. verbis non abhorrere. Non tamen eo inficias esse aliquot locos, qui ab eo fortasse* magis commode *converti potuerint; sed iidem ipsi, qui in eum illudunt, & tragœdias maximas excitant, mea sententia, sæpe ita verterunt, ut fœdius verti vix possint; ob eamque rem nihil esse causæ cur eorum nomine de ejus auctoritate vel minimum quidem detrahatur.* Quantum is fontem Heb. Latino rivulo prætulerit, dubitare nemo potest, qui illius Commentarios vel leviter inspexerit. Ne ipsum quidem Prophetæ nomen juxta Vulgatum legit Interpretem, sed *Jesaiam* appellat: atque *id petere* dicit *ipsam analogiam & orthographiam nominis.*

13. HIERON. OLEASTRIUS, Ord. Præd. & hæreticæ prav. in urbe Olyssipone Inquisitor, qui Concilio Trid. interfuit, Præfat. Com. in Pent. quæ absolvit an. 1557. & Henrico Card. Portugalliæ Principi, & Legato à Latere, dicavit, asserit *nullum extimescendum scandalum, & nullum fore incommodum, si Paulus* IV. (cujus tempore scribebat) *ad instar Damasi, vulgatam Versionem ad fontes corrigendi provinciam Viris linguarum peritis demandaret.* Ibid. *Hieronymo non plus tribuendum in sua Edit. si tamen illius est, quam sibi velit ipse tribui. Ipse vero, utpote Vir Sanctus, se aliquando hallucinatum ingenue fatetur, suamque Versionem in multis emendasse. Quæ non in eum finem produximus, ut Virum sanctum traducamus, sed ut doceamur, eum non Prophetam, sed hominem fuisse.* In explicationibus suis Pentateuchi *Pagnini* Versionem sequitur. [a] *Gretserus* illum ob studium Heb. Veritatis *Commentatorem Hebraizantem* appellat. Vertit idem ex Heb. *Isaiam* Proph. suamque Versionem in Com. explanat, cui attexit etiam Vulgatam: in Præfatione monens, *esse mentis suæ in Prophetis, quemadmodum in omnibus aliis S. Scripturæ libris, non aliquam editionem interpretari, sed Veritatem ipsam Heb. non quod interpretationes, aut interpretes rejiciat: sed quia* (inquit) *nescimus an verum ac genuinum Heb. Veritatis sensum assequuti sint.*

[a] Tract. de novis Translat. cap. 1.

Ab *Hectore Pinto* Com. in Ezech. cap. 9. elogio hoc ornatur: *Fuit ejus mors luctuosa suis, acerba patriæ, gravis Viris doctis, eum viderint è vita migrasse virum sapientia & eruditione, & Christiana pietate præstantem, & eximium quoddam Ordinis Prædicatorum ornamentum.*

14. An. 1559. *Defensionem Veritatis Heb.* adversus *Gul. Lindanum*, discipulum olim suum, edidit Jo. ISAACUS LEVITA, ex Judæo, Romanæ Communionis Christianus, & linguæ Heb. apud Colonienses Pro-

 fessor,

fessor, quam Reinhero à Bucholtz Abbati Corbeiensi dicavit. Promittit idem librum alium, quo ait se responsurum argumentis ab aliis quibusdam contra Textum Heb. allatis.

15. GEORGIUS VICELIUS, Vir eodem tempore clarus, dicebat, quod, *si quis se privaret Hebraicorum Bibliorum lectione, se tota Theologia privatum esse, existimaret.* Is. Levita in Epist. Dedic. Edidit is librum contra *Lutheri* Versionem Germanicam, tanquam male in multis locis ex Heb. redditam.

16. MICHAEL MEDINA, Hispanus, in Synodo Trid. Theologus Regius, in *Christiana Paraenesi*, sive *De recta in Deum fide*, ed. 1564. lib. 7. cap. 17. contendens non aliunde quam ab Ecclesia, petendam esse Scripturarum intelligentiam, *Ratio* (inquit) *eorum, qui ab Hebraeis S. Scripturae germanum sensum hauriendum opinabantur, haud aliud persuadet, quam quod Hebraicae linguae peritia, magnopere ad S. Scripturae parandam eruditionem & cognitionem proficiat: quod nunquam negabimus. Nam & ob hoc olim ejusdem linguae cathedras instituit Ecclesia, atque utinam eadem Ecclesiastica constitutione, ad eas frequentius colendas Theologi adigerentur. Faelicius enim (sat scio) in earundem S. literarum studio & interpretatione quidam versarentur. Itaque aliud est sanctas Scripturas Hebraicae linguae cognitione juvari, aliud Rabbinorum, quos etiam ejus linguae ac idiotissimorum ejusdem, peritia destitutos, sat scimus in earundem interpretatione imitari, quod est absurdissimum. Est autem Hebraicae ac aliarum quarumcunque linguarum quibus Scriptura continetur, etiam exactissima cognitio, ad amussim Ecclesiastici magisterii exigenda; praesertim cum sciamus, facilius esse multo Hebraica aut Graeca originalia vitiari, quam tantam Patrum antiquitatem & auctoritatem corrumpi. Fidelis ergo sanctarum Scripturarum interpres, linguarum quidem juvatur praesidio, verum quousque Ecclesiasticae & Religionis regula non videtur obsistere. nam alioqui (quod est multo facilius) non Ecclesiam errasse, sed vitiosos esse Hebraicos aut Graecos prototypos existimabit: quod in Heb. praesertim lingua, in qua tot sunt in forma & imagine consimiles characteres, etiam si dolus Judaeorum absit, docti non ignorant posse saepe accidere.*

In his non loquitur de auctoritate *Versionis Vulg.* sed fidei & traditionum Ecclesiae. Alibi viz. cap. 10. à Versione Vulg. confugit ad codices Heb. nempe disputans adversus eos, qui Scripturas esse faciles intellectu exinde probant quod dicitur verbum Dei esse *lucernam*, & praeceptum Domini esse *lucidum*: observat ibi HEBRAICAM VERITATEM habere ברה *barah, id est, purum aut sincerum.*

17. GUL. HAMERUS, Ord. Praed. Com. in Gen. Ed. 1564. quoties loca Scripturae citat, sive librorum aliorum, sive etiam *Psalmorum*, ipsum textum Heb. adducere solet; & in illud cap. 32. fol. 204. ait interpretem Vulgatum in Hosea errasse: *Quod vero nos legimus, Vae illis cum recessero ab illis, sive in recessu meo, depravatio est scribarum, qui contra naturam ipsius dictionis punctaverunt* בשרי, *quod significat in recessu meo, cum punctandum esset* בְּשָׂרִי *id est caro mea.*

18. JO. BENEDICTUS, Parisiensis, qui Biblia Vulg. recognovit, & edidit Parisiis 1564. & rursus 1573. in iis non solum librariorum errata, verum etiam Interpretum ipsorum, agnoscit. Ait se *Codices Latinos cum Heb. Graecisque contulisse, ut veriorem Editionie Vulg. sensum integritati suae restitueret. Nec tamen tantum vetustati tribuere, quin Ecclesiae usum, & qui passim legitur, & cantatur in templis textum pro captu reformaret.*

19. LAURENTIUS VILLAVICENTINUS, Xeresanus, Augustinianus, *De recte formando Theologiae studio*, Antuerpiae 1565. lib. 1. cap. 9. *Quod si ne sic quidem dubitationem omnem ex animo revellunt, postremum refugium habes ad Veritatem Heb. tanquam ad sacram anchoram, quam Deus mirabili providentia per tot secula incorruptam servavit. Itaque ex limpidissimo*

ſimo hoc fonte ſuavem & ſiti ſedandæ accommodum guſtum hauries, quem ex procul inde deductis rivulis nunquam eras percepturus. Qua quidem ratione & D. Auguſtinus in obſcuris locis V. T. adire libros Heb. in N. autem T. Græcos monuit, cujus verba relata ſunt in Canonibus Diſt. 8. Can. Ut veterum. Nec vero credemus abſque gravi cauſa factum, quod totum V. T. Hebraice, Novum autem Græce, voluerit Deus evulgari. Idcirco nimirum id factum, ut harum linguarum diſcendarum cura perpetua teneremur. Nec dubium, quin ideo plura Hebraice, quam Græce, ut illi linguæ candidati Theologiæ æque ſtudioſe atque huic intenderent.

20. SIXTUS SENENSIS in *Biblioth. Sancta* ed. 1566. & *Pio* V. Papæ nuncupata, lib. 8. ubi de Tranſlationibus Scripturæ ex profeſſo tractat, textui Hebr. aperte favet, & Vulg. Verſionem excuſat: *Ad illud vero, in quo noſtram Vulg. Edit. cujuſcunque ea ſit, ceu ab Heb. Veritate diſcrepantem accuſant, dicimus, quod quanquam in verbis aliquando ab Hebr. diſcordet, ubique tamen in ſenſus veritate, & ſententiæ unitate concordat. Nec mirum eſt, ſi in verbis quandoque ab Heb. diſſentit, cum ea, ut dictum eſt, non pure & ſimpliciter ſit ex Heb. fonte deducta, ſed permiſtim & confuſe ſumpta ex duabus Hieronymi editionibus, quarum ipſe alteram de Heb. fonte, alteram de Græca Veritate traduxit. Quanquam neque in verbis ipſis Editio noſtra, ſi diligenter conſiderata fuerit, ab Heb. Veritate diſſentiat, niſi in dictionibus quibuſdam, in quibus neceſſario coguntur Interpretes ab exemplaribus evariare, & nonnihil inter ipſos diſſentire, cum ſcil. eis occurrunt voces quædam ambiguæ & incertæ &c.* Editionem Vulg. T. Novi in multis diſerte damnat: *De erroribus vero, quos Hieronymus in Veteri Tranſlatione annotavit, & recentiores in hac Nova Edit. pariter annotarunt, ingenue fatemur & nos, multos errores ab Hieronymo emendatos in veteri traductione & ſimiliter in hac noſtra nova Edit. nonnullas inveniri mendas, ſolœciſmos, barbariſmos, hyperbata, & multa parum accommodate verſa, & minus Latine expreſſa, obſcure & ambigue interpretata, itemque nonnulla ſuperaddita, aliqua omiſſa, quædam tranſpoſita, immutata, ac vitio ſcriptorum depravata, quæ* Sanctes Pagninus, Th. Cajetanus, Franc. Forerius, & Hier. Oleaſtrius, *Viri ex Dominicano Ordine eruditiſſimi, interpretationibus & explanationibus ſuis indicarunt. Non tamen ex his ſequitur, Eccleſiam uſque in hanc diem non habuiſſe veram, ſinceram, integram, ac fidelem N. T. editionem: quia etſi in ea ejuſmodi errata inveniantur, certum eſt tamen, neque in nova Ed. aliquid unquam inventum eſſe, quod fuerit vel à veritate Chriſtianæ fidei devium, falſumve, ac mendax, vel contrarium dogmatibus ac regulis orthodoxis, vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præjudicium veritatis omiſſum, vel adeo depravatum, ut occaſionem pernicioſe errandi attulerit, vel hæreſibus ac pravis dogmatibus materiam & fomenta præſtiterit, vel ita obſcure & ambigue verſum, ut myſteria noſtræ fidei occultaverit, aut non ad ſufficientiam, & quantum ſatis eſt ad ſalutem, explicaverit.* Alibi dicit, *interdum quoque contingere poſſe, ut aliqua in Codicibus Heb. vel malitia, vel negligentia, vel imperitia ſcriptorum prætermiſſa ſint &c.* At eodem libro Hær. 2. Exemplarium Heb. integritatem prolixe defendit, quamvis credidit, ex male intellectis *Juſtini M.* verbis (qui loquitur tantum de Cod. *Græcis*) Hebræa quædam exemplaria à Judæis fuiſſe olim malitioſe depravata. *Quare cum neque univerſalis, neque magna fuerit Vet. Scripturæ corruptio, facile ex pluribus Codd. in quibus integra remanſerant, quæ in aliis vitiata fuerant, Hebraica lectio ad priſtinam ſinceritatem reſtitui potuit, ac reipſa reſtituta eſt ab Hieronymo, & aliis eruditis Patribus. unde ſtultum eſt, & ſine ratione, velle nunc aſſerere, Heb. Codices olim in locis illis fuiſſe falſatos, in quibus univerſi omnium Hebræorum Codices, tam recentes, quam vetuſti, conſentiunt. Neque vocalium punctorum additio facta à Judæis quicquam derogat perpetuæ divinorum voluminum ſinceritati.*

Nam etsi nunc Hebræi, adjectis punctis sub consonantibus, aliter interpretentur, atque aliter intelligant Scripturam, quam debeant, non tamen illam adeo universaliter per hanc punctorum adjectionem depravare & contaminare possunt, ut veterem suam integritatem non semper retineat: sublatis enim Rabbinorum punctis, semper veterem scripturam cum suis radicalibus, & servilibus literis in sua puritate integram, & incorruptam necesse est remanere. Quamvis (ut verum fatear) nullum mihi unquam videre contigit Hebræorum volumen, in quo puncta consonantibus addita, ita redderent significationem verborum diversam ab antiqua illa significatione, ac sensu, quam tempore Origenis, Eusebii, Epiphanii, & Hieronymi habuerunt, ut ex ea diversitate quicquam absurdi in his, quæ ad dogmata fidei nostræ pertinent sequeretur. Quos tamen errores, mendas ac depravationes D. Hieronymus in Vet. Ed. N. T. se consulto reliquisse testatus est, & Ecclesia similiter in Nova Ed. ex professo reliquit. non quia tot eruditissimi ac sanctissimi Ecclesiæ Patres ea errata vel non agnoverint, vel approbaverint, sed quia ad ea dissimulanda justis se causis impelli viderint. Primo quod animadverterint nihil periculi in fide ac moribus ex his tam levibus erratis imminere. Deinde ne fideles importunæ ac nimium exactæ correctionis novitate offenderentur, quorum aures usque ab infantia vetus illa Ed. occupaverat. Postremo ut versatam illam Ed. venerarentur, quæ nascentis Ecclesiæ fidem educaverat, & crescentis roboraverat, & evexerat, utque sanctam ac venerandam illam simplicitatem antiqui Interpretis, qui non sermonis ornatum, sed historiæ veritatem quæsivit, sua ipsorum approbatione honorarent, & vestigia majorum suorum sequerentur, qui eosdem errores sacra quadam pietate ducti, tolerarunt exemplo sanctorum Apostolorum, qui quamquam scirent editionem LXX. *Interpretum in multis redundare, & in multis deficere, eam tamen non contempserunt, sed ubique eam prædicaverunt, & ex ea prima fidei nostræ fundamenta jecerunt. Temerarium igitur est, imo plane hæreticum, propter leves quosdam defectus, qui in nostra Vulg. Ed. citra ullum fidei ac morum detrimentum, reperiuntur, eam spernere & abjicere, novasque & prophanas in locum ejus hæreticorum translationes introducere: præsertim post Oecumenici Concilis Tridentini decretum, cujus verba Vulgatam Ed. comprobantia sic habent:* Sacrosancta Synodus &c. Lib. 7. *Dicimus, eum Græcum Codicem (N. T) qui nunc in Ecclesia legitur, eundem illum esse quo Ecclesia Græca temporibus Hieronymi, & longe antea usque ad tempora Apostolorum usa est, verum, sincerum, fidelem, & nullo falsitatis vitio contaminatum. &c.* Versionem ibidem Textui Græco postponit, tanquam *Græcæ veritati non satis respondentem.*

21. Ben. Ariam Montanum, Hispalensem, Philippo II. Hispan. Regi aulicum & sacellanum, Concilio Trid. aliquando interfuisse, ipse testatum reliquit: & non modo interfuisse, verum etiam à Patribus istius Concilii in mandatis accepisse, ut sacrarum Script. interpretationi perpetuis operis vacaret, testatur *Petrus Valentia* in Præf. quam præmisit illius in Psalmos 31. priores Commentariis. Is, quanto in pretio Textus Originales habuit, alta voce loquuntur Versiones interlineares utriusque Testamenti, & opera egregia, quam impendit Bibliis Regiis quadrilinguibus edendis anno 1568. &c.

In Prolegomenis Bibliorum suorum scriptis an. 1571. Versionem Vulg. erroris arguere non veretur. *Psal.* 110. *Græcus Interpres vertit* ἀρχὴ, *ex quo Latinus, principium reddidit, cum vertendum fuerit, principatus.* Ibid. *Quanta vero integritate sacra Biblia in ea lingua, quæ sancta appellatur, semper conservata fuerint (etsi non desunt qui unius Justini M. opinione adducti aliter sentiunt) plerique doctissimi Viri constanter asseverarunt; idque à nobis etiam, quoad efficere poterimus, aliquando etiam demonstrabitur.* Commentatione de varia Heb. librorum scriptione & lectione an. 1581. ait *Ecclesiam ipsam minime permissuram fuisse, ut aliquid de consueta & constanti*

constanti omnium Heb. exemplarium lectione mutaretur, hoc profecto cum primis intellexeramus, vel ex eo quod tot jam seculis retro elapsis, ex quo sermo ille ortus est, quo querebatur an aliqua lectioni Heb. mutatio Judæorum vel incuria, vel inscitia, vel industria, ac fraude acciderit, necne; tamen nihil Romana Ecclesia de ea re adversus eas, quæ nunc constant, lectiones decernendum duxerit, nihilque decreverit. —— Catholicæ Ecclesiæ prudentiam auctoritatemque perpetuo sequemur, cujus nullum deliberatum aut certum de hac re hactenus exstat decretum vel judicium, quanquam identidem argumentum hoc ad singulares disceptationes abreptum noverimus, tamen prudentissima ac piissima Romana Ecclesia, nec apicem, nec iota unum de communi Heb. lectione mutari hactenus passa est, sive libri punctis instructi fuerint, sive caruerint.

An. 1572. ad Gregorium XIII. Legatus nomine Regis Hispaniarum missus est, ut ei Exemplar *Bibliorum Regiorum* offerret. Postea vero à Theologis Hispanis accusatus est quasi impietatis, quia Paraphrasin Chaldaicam, quam tanquam fabulis plenam Card. *Ximenius* omiserat, in illis inseruit, & non parvas ab eis passus est molestias, adeo ut *Apologiam* in lingua vernacula Hispanica scribere coactus sit, in qua respondit adversariorum objectionibus, eorumque quæ passus est narrationem pertexuit. Apologia hæc illius manuscripta, ex *Gadibus* olim à nostratibus expugnatis in Angliam advecta est, & in Bibliotheca Bodleiana reposita. *Jamesius*, tum Custos Bibliothecæ, eam se Latine editurum pollicebatur, quod factum non fuisse dolendum est. Nam hodie non amplius illic comparet, quærendo saltem eam invenire mihi non contigit.

Thuanus scribit illum *ob egregiam admodum operam* in editione Bibliorum Regia navatam, *sibi æmulos tanto odio accendisse, & in iis* Leonem Castrensem, *qui de* LXX. *Interpretibus commentarium scripsit, ut ad causam dicendam citatus Romam, vix venia impetrata, pro tantorum laborum præmio secessum in Bætica sua, in quo se bona conscientia fretus sacrorum librorum lectione ac lucubratione solaretur, acceperit.*

Fortunatus Fanensis in Præf. Bibliorum scribit accepisse se à *Bellarmino* per literas, coram *Gregorio* XIII. habitum fuisse consilium de Bibliis Regiis suspendendis, donec expurgarentur; expurgationem vero eo tetendisse, ut ab illis exemplaribus Chaldaica Paraphrasis removeretur; cujus expurgationis curam ipsimet Bellarmino, tum nondum Cardinali, demandatam fuisse. Ab hujusmodi persecutorum rabie sibi metuens *Arias*, subtimide interdum loquitur, ut in Comment. præcit. *Interim vero dum aliud ab Ecclesia edocti fuerimus, cujus decreta & fidem secuturos nos profitemur, existimamus ac tenemus bona Biblia Hebraica, bona item Græca, bonaque Latina apud illam esse & fuisse.* Paulo post: *Nec vero de Vulg. Versione hic agimus, quam ipsi observamus perpetuo, & observandam semper duximus.* Hinc quoque in Præfat. T. Novi: *Vulgatam illam Novi T. interpretationem, qua jam multis seculis & etiamnum utitur Romana Ecclesia, cæteris, quæ hodierno die exstant, omnibus semper anteponendam duximus. Hæc enim sine dubio & gravissima & tutissima omnium est. Cum vero interdum orationis difficultas postulabat, ut ab ea recederetur: id ita à nobis est præstitum, ut non eam corrigamus, cæterisve postponamus, sed potius aliarum adjumento eam explicemus.*

In Commentariis posthumis in Psalmos, ad Psal. 10. Lectorem Commonefacit, se in quorundam Psalmi illius versuum interpretatione, *non Latinæ Ed. Vulg. sed Hebraicæ interpunctionem sequi.*

22. Biblia illa Regia, usque adeo probavit GREGORIUS XIII. Papa, ut *Opus vere aureum* appellat in literis ad *Philippum R.* Eidem operi inchoato benedictionem transmisit PIUS V.

23. Goropius Becanus in Præf. *Orig. Antuerp.* ad Philippum R. an. 1569. ait illum ea Bibliorum editione *non omnes modo præsentis ævi homines, sed omnem etiam posteritatem sic obligaturum, ut multo magis eum sint laudaturi, quam si totam Asiam subjugasset. Ariam Montanum* egregiis effert ibidem laudibus: nec veretur alibi Vulgatum Interpretem erroris coarguere, ut fatetur [a] *Pineda.*

[a] De rebus Salom. l. 4. c. 8, 9.

24. Judocus Ravesteyn, Tiletanus, Doctor Lovaniensis, in *Propugnaculo Concilii Trid. contra Chemnicium*, dicato Duci Albano, 1568. *Dicimus Synodi Patres, eruditissimos plerosque & sanctissimos viros, haud ignorasse Latinam editionem vet. & vulg. quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia ipsa probata est, multis in locis obscuram esse, & in ea quædam non satis proprie & commode esse dicta quod de Emphasi multorum vocabulorum August. in Ep. 59. palam dicit: Vocabula, inquiens, secundum Græcum eloquium discernenda sunt: Nam nostri Interpretes vix reperiuntur, qui ea diligenter & scienter transferre curaverint. Quædam etiam fortasse longo temporum usu, & librariorum incuria vel mutata, vel mutilata, vel addita esse; eaque ex fontibus ipsis debere, aut licere magis proprie & commode reddere & explanare, aut errores, si qui irrepsisse, vel mutando, vel mutilando, vel addendo certo deprehendantur, corrigere & emendare. Id enim sine ulla reprehensione Catholicos enarratores cum Christiana modestia, & sine temeraria arrogantia passim facere cernimus, & suam sententiam ac emendationem etiam in scriptis suis testari. Non vetant igitur Patres, ut Vetus & Vulg. Editio Lat. diligenter ab explanatoribus cum fontibus conferatur, & si quid certa ratione comperiatur cum fontibus non satis quadrare, id commodius ac magis proprie, aut etiam magis vere explanare & transferre. Sed hoc solum est quod Synodus constituit, ut Vetus & Vulg. Editio Lat. quæ per multa secula cum reverentia & honore usitata est in omnibus Ecclesiis, nullo prætextu rejiciatur. Qua constitutione reprimere conatur arrogantiam nostri præsertim temporis hominum, inani scientiæ persuasione inflatorum, & linguarum mediocrem fortasse peritiam consecutorum insolentissimam temeritatem. Qui, quia vident in Vulg. illa & antiquissima Ed. & in Ecclesiis tantopere usitata, inesse quædam aut minus proprie & commode posita, aut etiam incuria librariorum mendam aliquam irrepsisse, aut denique Interpretes alicubi Christi & Apostolorum sensum non satis adsecutos, mox eam totam rejiciunt, & de gradu suo ejicere conantur, & suas versiones aut aliorum hominum hæreticorum, & Lutheri, Calvini, Bullingeri, Brentii, Seb. Munsteri, Buceri, Oecolampadii commendare & obtrudere. Hoc enim est editionem aliquam rejicere, eam de suo loco quem obtinet detrudere, & eam tanquam publico usu & honore indignam abjicere, aspernari, & contemnere. Quod non est censendus facere, qui editionem in omnibus Ecclesiis receptam, & multorum seculorum usu approbatam & commendatam sic suscipit, ac veneratur, ut tamen eam ad fontem diligenter conferat, & ex fonte illustrat quæ obscura sunt, & explicat quæ ambigua, aut denique etiam corrigit, ubi certo deprehenditur vel vitium aliquod irrepsisse, vel Interpretem Scripturæ sensum non plene assecutum, nihil tamen temere aut mutat, aut corrigit.*

25. Andreas Masius in Epistola Dedicat. ad *Philippum* II. Hispan. Regem præfixa Editioni suæ Josuæ 1571. *Cum plerique Hebraice nescirent, quæ lingua in S. Literis optimo jure principatum tenet, illam unam interpretationem* (LXX.) *quippe cujus secundum Heb. Veritatem maxima erat auctoritas, omnes illi, sive illi Latini fuere, sive Græci, sunt secuti.* Præfat. ad Lectorem quid dicat de Editione Græca LXX. dicta, vide supra in lib. 2. cap. 10. Eadem Præfatione ad finem: *Nunc porro paulum de me deprecabor, petamque à Lectoribus, ut ne, cum dicam, sive in Commentariis, sive in Annotationibus meis, Interpretes, aut Græcos, aut Latinum errasse, ipsos me viros, aut eorum, ut ab ipsis scriptæ editæque sunt, interpretationes arguere putent, sed eam, quæ nunc habetur depravatam scri-*

pturam

pturam. Nam etsi negare nemo potest, homines illos fuisse, tamen in res vetustatis auctoritate probatas petulantius invehi, easque contumacius labefactare & pervertere velle, hominis esse confidentis, seque gloriose ostentantis, ego certe existimo; à quibus vitiis semper abesse volo, & videri cupio quantum qui longissime. Sed Græcam interpretationem esse multis depravationibus perversam confusamque, demonstratum à me superius est. Latinam autem existimo illam quidem, ut vulgo etiam creditur, D. Hieronymi esse: sed quin jam olim idem illud ei acciderit, quod de Græca diximus, mihi nulla est dubitatio. Quæ enim ante eam aures omnium atque animos occupaverat Latina, de Græcis expressa, quis non existimet multis in locis, quadam præjudicata confirmataque opinione, placuisse magis, præsertim hominibus, qui nullum adhibere judicium ipsi possent, Hebraicæ linguæ prorsus rudes? Et, si non in eorum quæ Hieronymus reddiderat locum passim supposita, at certe hic, illic, in margine adscripta fuisse, unde post, librariorum errore, magna sit nata scripturæ confusio? Inspicias modo ejus Commentarios, & statim comperies quam nihili fecerit Versiones cum Heb. comparatas. Ad Jos. 3. 16. Latinum Interpretem mala lectione Versionis Græcæ deceptum asserit: Montis vocabulum ὄρος, quod apud eos quoque nullo sensu legitur, equidem opinor olim ab homine non minus temerario quam imperito in margine scriptum, qui putabat priorem syllabam verbi הרחק montem significare, tandem librariorum errore in ordinem sacrorum verborum esse relatum. Esse autem mendum hoc pervetustum, argumento est, quod & Latinum, & eo longe antiquiorem Syrum fefellerit.

26. NIC. SANDERUS, Anglus, qui obiit an. 1580. pro Heb. Codicum Veritate tractatum scripsit, cujus meminit Jo. Mariana in [a] Epistola ad eum conscripta: Disputationem tuam pro Heb. Codicum Veritate, quam Alvarus Gomesius, de literis ac de me bene meritus tuis verbis cognoscendam misit, cupidissime legi. —— Disputationis perspicuitas, modestia, atque eruditio multum mihi probabantur, atque argumenti acumen, quo ex Vulgatæ Ed. fide, quam adversarii convellendo Hebraica stabilire maxime conabantur, Hebraicos Codices incorruptos esse, defendis: cum iis ipsis aut omnibus, aut plerisque, qui vitii accusantur, locis, haudquaquam à Latinis Hebraica discrepare convincas: neque posse Heb. Codices repudiari incolumi Vulgatæ Edit. auctoritate. Quo in argumento, quoniam suscepti patrocinii fortissimum præsidium est, amplificando, illustrandoque exemplis, magna pars disputationis consumitur. Tridentini Decreti explicatio mirifice mihi placet, ita à Patribus Latina probari, ut neque Hebraica, neque Græca, de quibus mentio non est facta, nec disceptatio ulla erat, ea lege repudientur. Quod vero locis, quibus Hebraica à Latinis discrepant, post multa remedia ad concordiam excogitata doctissime, atque explicata, ubi nulla via se ostenderit utrosque Codices conciliandi, Ecclesiæ sententiam exspectari jubes, qua pronuncietur utri Codices contaminati sint: id consilium mihi fortasse facile persuadebis, adversariis autem probare qui possis? &c. Codices Heb. nunquam fuisse à Judæis studiose depravatos, contendit.

[a] Quæ exstat in libro Marianæ pro Edit. Vulg. cap. 8.

Idem de Visib. Monarch. ed. 1571. lib. 7. observat Apostolos & Evang. pene semper sequi LXX. Nec tamen ideo (inquit) vel Heb. Codices damnamus, vel novas translationes fieri prohibemus. Ait quantam fidem Judæi præstiterint in suis codicibus conservandis, Ecclesiam Dei nec facile scire, nec temere affirmare posse. Potuisse vero fieri, ut corrumperentur ab iis. — Græcos codices Ecclesiam Græcam, Latinos Latinam semper magna fide tutatam esse. Latinam tamen Ecclesiam laudem præripuisse Græciæ hac in parte. Ob quas causas (inquit) Synodus Trid. neque Heb. codices, neque Græcos contemnens, sed utrosque in sua fide & auctoritate relinquens, nec tamen quam incorrupte servati sint, definiens, id unum recte decernit; Vulgatam Ed. &c. Quo decreto nec fontes consulere vel Hebræorum vel Græcorum Codicum (quod quidam secus, & id prave intellexerunt) nec etiam vetamur id inde repe-

tere,

tere, quod utilitatem Ecclesiæ Dei afferre queat. Denique nec ipsam veterem Edit. à mendis purgare, & suæ veritati restituere prohibemur. Tantum salva sit fides Catholica, contemptusque absit.

27. An. 1573. cum viderunt Lovanienses, nullam editionem Latinam correctam Pontificum Rom. jussu & auspiciis hactenus prodiisse, ipsi novam ediderunt; electis Professoribus quibusdam suis, qui eam fideli diligentia è Codd. MSS. ad fontes etiam divinarum literarum collatam corrigerent. Cum deprehensum est discrepare Lat. Translationem à fonte ex quo fluxit, non raro id annotatum est: quo fine? *non quod Versio* (inquiunt) *Vulgata ad eum modum putetur corrigenda*: hoc subtimide; *sed*, ut addunt, *quandoque, quod talia sint, ut videri verisimiliter possit ea ab Interprete translata in aliis Latinis scriptis reperiri; quandoque, quod ejusmodi sint ut eorum cognitio non parum conferat.*

Anno uno vel altero post Decretum Trid. Lectiones varias Bibliorum Lat. ediderat *Hentenius* Lovaniensis, sed nulla instituta cum Textibus origin. collatione.

28. Anno 1574. Epistolam[a] *De puritate fontis Heb.* ad *Ariam Montanum* scripsit GILB. GENEBRARDUS, literarum Heb. Lutetiæ Professor Regius. In qua de mente Patrum Trid. loquens: *Tantum comparat Concilium* (inquit) *Vulgatam cum cæteris ejusdem generis, propter recentiorum Hæreticorum & aliorum novatorum temeritatem, qui novas subinde Versiones expetunt, veteres fastidiunt, proque innata novarum cupiditate antiqua novis posthabent.* Præfat. in Psalmos ad Gregorium XIII. P. scripta, promittit se pari modo in reliquos Scripturæ Vet. libros scripturum ut Adversarii *plane perspiciant, sese in eo, in quo aliquid esse, quin & plurimum valere se putant, prorsus nihil esse, seque frustra bellum nostræ editioni indicere, tandemque ipsam pernoscant per omnia pulcherrime suo archetypo congruere, aut certe longe minus ab ipso discrepare, quam recentiorum quorumlibet versiones, istorum præsertim, qui hac nostra memoria sese vulgo eo nomine plurimum efferunt ac ostentant: & eadem opera admonecantur uti linguis non tam ad condendas novationes, quam ad comprehendenda discendaque sanctissima antiquorum monimenta, locosque in eis involutiores illarum linguarum beneficio evolvendos. Linguarum enim fateor cognitionem esse necessariam, seorsum in sacrarum literarum studio, ad multarum sane rerum præstantissimarum & maximarum notitiam, adeo ut me cum D. Hieronymo contentiosis persuasionisve nostrorum quorundam egregios illos fontes tum Hebræos tum Græcos, unde præcipua nostræ religionis manarunt capita, vel arguentium, vel pro nihilo aut minimo putantium, valde pudeat.*

[a] Ed. ab Ant. Hullio ad calcem Psalm. Heb. 1650.

29. DIDACUS (seu JACOBUS) PAYVA ANDRADIUS, Lusitanus, qui unus erat ex præcipuis Doctoribus Concilii Trid. in Sessionibus posterioribus sub *Pio* IV. in Defensione Concilii contra *Chemnitium* 1575. Gregorio XIII. P. nuncupata; eorum impugnat sententiam, qui exemplaria Heb. à Judæis fuisse malitiose corrupta statuunt, nec non eorum qui Auctorem Editionis Vulg. divino & infallibili spiritu fuisse præditum arbitrantur: istius plurima loca reprehendit ac corrigit: tandemque concludit, juxta *Andreæ Vegæ*, quem laudat, sententiam, Concilii Trid. mentem hanc fuisse, quod nullus in ea, quoad fidem ac mores, reperiatur perniciosus error: quamvis hisce mox verbis Romanæ Sedis Pontifici aduletur. *Hæc vero à me omnia dicta sunt, non ut quicquam de Concilii mente atque sensu statuam, quem à Romano Pontifice verum atque integrum accipere debemus, sed ut exponam quid mihi ex doctorum virorum scriptis magis esse veritati & rationi consentaneum videatur, in eam tamen sententiam iturus libentissime, quam nobis Apostolica Sedes amplectendam proposuerit, à qua quidem cum Veterem Vulg. Lat. Ed. quam emendatissimam acceperimus, omni erimus cura atque dubitatione liberi.*

Ait

Ait se *minime eorum studia damnare velle, qui sacra scripta summo studio atque labore de Græcis Hebræisque transferunt. Quomodo enim sine ingrati* (inquit) *animi conscientia eorum accusare velim diligentiam, qua me sæpius fuisse adjutum, negare non possum? — Principio demonstrabo, valde inconsiderate a quibusdam fuisse existimatum, Latinæ Editioni ideo plus esse fidei, quam Heb. voluminibus habendum, quod hæc Judæorum fuerint perfidia corrupta & adulterata, illa vero integra & incorrupta in Ecclesia Catholica permanserit. —— Si vero Legis & Prophetarum sententias, quæ Christianæ religionis mysteria continent, diligenter expendamus, facile quidem videbimus, non solum in Heb voluminibus non desiderari, sed multo aptius plerumque Hebræa quam Latina ea ipsa exprimere. — Quinetiam qui Hebræa pie & religiose tractant, multo in illis ampliora (propter linguæ fœcunditatem) de Christo testimonia, quam in Latinis, Græcisque offendunt. —— Unde etiam est, ut quamvis Vulg. Interpres quamplurimis fuerit Spiritus S. muneribus mirifice exornatus, minime tamen inde efficiatur, eum neque minimis in rebus labi potuisse, Hebræaque vol.* (*quod maxime hinc volunt nonnulli persuadere*) *omnibus in locis esse vitiata, in quibus à Veteri Lat. Ed. quavis ratione dissentiunt. Quæ non eo animo à me dicta sunt, ut Vulgatæ Ed pondus ac dignitatem elevare aliqua ex parte velim, quam omnibus, quæ ad hunc usque diem editæ fuere, plurimum præstare, singularique Dei munere fuisse Ecclesiæ tributam agnoscam, sed tantum, ut rationum vim expendam, & quibus sit fundamentis illius dignitas & excellentia stabilienda, planum faciam. Nam quemadmodum eos qui illius præstantiam & auctoritatem invadunt, nefarios atque sacrilegos duco, ita qui insolentes & minime necessarias laudes in ipsam conferunt, veris eam spoliare arbitror: Quocirca ita oportet Vulg. Editionis præstantiam & dignitatem tueri, ut Hebræos fontes, unde salutares ad nos rivuli emanarunt, nequaquam obstruamus, quos consulto corruptos contaminatosque fuisse, valde temerarium Augustinus Hieronymusque existimarunt. Atque vicissim ita Heb. voluminum antiquitatem venerandamque canitiem colere & observare debemus, ut Vulg. Editionis pondus & majestatem non deprimamus, neque illis in rebus* (iis scil. quæ ad mores fidemque spectant) *eam accusari patiamur, quæ gravissimo Interpreti maculam aliquam inurunt. — Nam cum Heb. etiam volumina, non tanquam aliena, sed tanquam propria & peculiaria Ecclesia habeat, atque veluti sacra suscipiat, ex emendatis Hebræis aut Græcis, vitiata Latina corrigi permittit, quemadmodum vicissim ex Latinis Hebræa* (intelligit puncta vocalia, & errata quædam librariorum) *Græcaque expurgare non semel licet. — Est advertendum, Tridentinam Synodum ita Vulg. editionem commendare, ut errores qui in eam vel librariorum incuria, vel aliquorum fortasse audacia sunt invecti, nimium velit expurgatos. —— Sine ulla temeritatis nota possunt Latina ex Hebræis Græcisque corrigi, quamvis Latina omnia consentiant. —— Græcorum N. T. voluminum incredibilis varietas me inducit, ut existimem Vulg. Editionem, cum omnia exemplaria consentiunt, non posse ex Græcis emendari, nisi aut librariorum negligentia, aut rabularum audacia manifesto deprehendatur: tunc enim non aliter, quam si inter se dissiderent, ad Græca vetustiora & probatiora erit provocandum.*

30. ALVARUS GOMEZIUS, Hispanus, qui ob. 1580. quam Theologo necessariam censuit linguarum Heb. & Gr. cognitionem, edocemur ex Vita Card. *Ximenii* ab eo conscripta. *Intelligebat* (inquit) *Vir prudens sacrorum voluminum lectionem cunctis, qui sacris initiati sunt, sed præsertim Theologis maxime esse necessariam, nullibique magis eosdem illos rerum Theologicarum studiosos dormitare, quam in ea versanda tractandaque, idque potissimum è trium linguarum ignoratione, Heb. Gr & Lat.*

41. FRANCISCUS LUCAS, Brugensis, in Tract. *de Chaldaica S. Scripturæ Paraphrasi*, quem an. 1577. scripsit jussu Theologorum Lovan.

Primum locum obtinet Hebraea Veritas, ut origo & mater, proximum Lat. Versio, qua post Hieronymum Ecclesia utitur; tertium Græca interpretatio, qua primitiva Ecclesia est usa. &c.

Scripsit idem Commentaria in quatuor Evangelia, non modo juxta Latinam Vers. verum etiam adjuncto, & ob oculos proposito fonte *Graco*, ed. 1606. Lectiones varias, quas collegit, in textum Græc. & Lat. seorsum ad finem edidit, quoniam, uti ait, intellexerat, Pontificis summi mentem esse, ut lectiones variæ ad marginem ipsius sacri Textus minime annotarentur. Quarum Præfat. ad Card. *Bellarminum*, dat. 1605. illum hortatur, ut *eas ad Papam referret, at illius auctoritate, quod minus, in Graco Latinove Evangeliorum Textu, emendatum hactenus esse possit, perfectiori integritati ac nitori restituatur.*

Edidit idem an. 1579. *Notationes* in tota Biblia Lat. ad varias lectiones & correctionem textus spectantes; quarum Præfatione ad Card. *Sirletum*, Interpretem Vulg. *minus commode* interdum vertisse haud obscure subindicat: *Quæ si quid subinde minus commode fortasse vertat, non aliunde ipsa emendetur, sed ex doctorum virorum id scriptis dicatur.*

32. Julius Rugerius, Secretarius Apostolicus, *De S. Scripturæ Obscuritate & Interpretatione &c.* Rom. 1583. cap. 44. *Cujus aures ferre poterunt, Hebraicam editionem à Spiritu S. eisdem verbis dictatam, à Prophetis conscriptam, ab Ezra restitutam, à Christo retitatam & explanatam &c. à qua omnes Editiones, velut à parente & fonte suo fluxerunt, correctiones derivarunt, & discrepantiæ Interpretum ac Librariorum culpa exortæ sæpius sublatæ sunt, nunc explosam & damnatam esse? —— At multo etiam minus Græcam N. T. Edit. damnatam esse illos affirmantes æquo animo audire poterimus, cujus auctorem Christum Dominum, & Spiritum S. esse non dubitamus &c. Sed nec* LXX. *Interpretum conversionem explosam esse eosdem dicentes facile feremus. — Dicimus itaque Trid. Concilii Canonem cæteris quidem omnibus Latinis Vulgatam Vet. Edit. anteponere, & canonicam auctoritatem eidem tribuere, Græcarum autem ac Hebraicarum nullam vel expressam vel tacitam mentionem facere. — Non damnavit igitur nec explosit Heb. & Græcas editiones, quas omnia superiora Concilia amplexa fuisse, atque usu & testimonio commendasse certum est, sed nec eisdem Vulg. Lat. editionem prætulit, quam solis Latinis omnibus anteponendam statuit.* Addit tamen Versionem Latinam, quamvis nec eam incorruptam putet, puriorem esse quam vel textus Heb. T. V. aut Græcus Novi, aut Versio LXXviralis: nempe textum Heb. cum alias tum in punctis vocalibus contaminatam existere. Tandem concludit, *Triplicem hunc esse funiculum, quem disrumpi non posse sapiens prædicabat, Hebraicam scil. Græcam, & Lat. Editionem, quæ mutuo se complectuntur, confirmant, juvant, corrigunt, explicant: eas vero omnes utendas Ecclesiam possidere, quibus defectiones (si quæ sint) suppleat. Latinam autem Edit. ita puram, integram, & incorruptam nunc esse, ut nullum omnino mendum in ea deprehendatur, quod cum Fidei Regula, & Divina Doctrina pugnet; quibus salvis Verbi Dei auctoritatem, & Ecclesiæ dignitatem ac usum nec convelli nec labefactari.*

33. Dominicus Bannes, Professor Salmanticensis, qui Com. in *Thomæ* primam partem dicatis *Bonello* Card. an. 1584. Q. 1. Artic. 8. fuse, pro *Scholastico*, de hac re disputat. Editionem Vulg. Hebraico posthabuisse, vel hinc aperte cognoscimus, quod sententiam suam proferre vix audet. *In re* (inquit) *tam gravi expectanda est Ecclesiæ Catholicæ censura. Unde neque audeo, neque debeo Ecclesiæ judicium mea sententia prævenire. Scio quidem, si ab Ecclesia interrogarer, quid viva voce responderem: interim pio justoque silentio me contineo. Hoc unum duntaxat dixerim, vehementer me desiderare, ut contentio hæc inter pios Theologos summi Pontificis auctoritate decideretur, ac componeretur: alioquin si Ecclesia prudente*

dente & sciente hæc inter Theologos varietas permittitur, perinde est, ac si Ecclesia diceret, unusquisque in suo sensu abundet, dummodo fidei veritas, Ecclesiæque auctoritas defendatur. Addit quidem, *temerarium esse, velle propria auctoritate atque privata Editionem Vulg. corrigere, non solum in locis, in quibus Interpretis inadvertentia aliquis error esse putatur, sed etiam in locis, in quibus scriptorum Latinæ Edit. vitio erratum esse creditur, dummodo ii sint antiqui, & qui in Ecclesia communiter ita leguntur.* Eorum tamen reclamat sententiæ, qui Interpretem fuisse divino Spiritu imbutum statuunt. *Ego quidem mea ex parte respondeo, quod Latina Editio Vulg. majoris auctoritatis est, propterea quod ab Ecclesia, ut authentica approbatur, quam propterea quod Latinus Interpres spiritum, ut aiunt, quasi Propheticum habuerit.* Heb. Textus incorruptionem agnoscit, ac tuetur: *Multi sunt Viri doctissimi, qui Heb. exemplarium magis rationibus & testimoniis integritatem defendendam suscipiunt, tametsi ingenue fateantur, paucula quædam loca errata non tam Judæorum malitia, quam humana incuria fuisse. Videatur de hac re Dominus Paya D'andrada. Et quidem ego postquam abhinc annos octo* [a] *Heb. linguæ operam dedi, quantum satis est, ut Rabbinorum sectatores non me fallant, aut quasi ignorantem spernant, quamvis olim opinatus fuerim, Heb. exemplaria non minus quam Græca esse corrupta: jam tamen experientia ipsa convictus, ea incorrupta esse, nisi in locis quibusdam paucis negligentia potius quam Judæorum malitia judico. Cujus rei facile mihi esset plurima argumenta adducere, nisi Scholastici Doctoris officium timerem excedere. — Qui assereret Heb. exemplaria usque adeo esse corrupta, ut nullius sint utilitatis, hic non multum piam operam Ecclesiæ præstaret ad conversionem Judæorum, quos ab illorum libris erroris convincimus. Cæterum si Heb. exemplaria in omnibus, in quibus cum Latina Edit. Vulg. concordant, incorrupta sunt, profecto in paucis erunt vitiata, nisi forte in Psalmis, in quibus Editio Lat. LXX. Interpretum Editionem sequitur, jam tamen D. Hieronymi castigationibus correcta, & fortassis in aliis ab Ecclesia corrigibilis.*

[a] Sixtinus Amama Antibarb. pag. 125. ait illum dicere, *se in extrema senectute Hebræam linguam didicisse ne amplius ab hæreticis illuderetur.* Male.

34. Bartholomæus de Medina, Doctor itidem Salmanticensis, errores esse in editione Vulg. agnoscit. Audiatur de eo *Bannes* ipsius condiscipulus: *Adduco etiam in medium assertionem doctissimi Magistri fratris Bartholomæi de Medina, meique olim condiscipuli. Is quidem cum ante annos* 12. *priorem sententiam circa editionis Vulg. omnimodam incorruptionem amplecteretur, oppositumque opinantes pro quodam zelo plus nimio fortassis reprehenderet, tamen postea difficultatem hanc attentius meditatus scripsit in Commentariis super tertiam partem D. Thomæ q.* 10. *artic.* 2. *circa solutionem ad primum referens expositionem Ambrosii lib.* 5. *de fide cap.* 8 & *D. Hieronymi super Mat. cap.* 24. *asserentium, quod Marci* 13. *dum dicitur, De die autem illa nemo scit, neque angeli neque filius; illa particula, neque filius, addita fuerit ab Arrianis. Referens etiam sententiam Magistri Soto in* 4. *d.* 43. *q.* 2. *artic.* 2. *prope finem asserentis, hæresim esse affirmare, quod illa particula non sit de textu, adjecit, Verum hæc censura acerba est. Nam editio Vulg. approbatur in Concilio Trid. in locis qui ex sententia Patrum vitiati non sunt, hic vero locus ex sententia Patrum est vitiatus. Hæc ille.* Bartholomæus ipse in Præf. Expositionis Thomæ quam edidit 1577. profitetur se *linguæ Heb. & Græcæ esse studiosissimum, easque in veneratione habere, & suspicere.* Ibidem tamen subjungit, se *editionem Vet. Lat. sacrorum librorum pro authentica, irrefragabili, planeque divina juxta decreta sacri Concilii Trid. habere atque suscipere: neque unquam ab ea latum unguem discedere.* Et Theologorum Hispanicorum sui temporis morem deridet, qui Græca & Hebræa nusquam non perstrepere solebant.

35. Consensisse secum plurimos alios Doctores testatur idem *Bannes*: *Plurimos autem alios commemorare possem viros Catholicos, ac doctissimos, mihique de facie notos, qui in hanc sententiam summa cum modestia Ecclesiæ*

Catholicæ judicium exspectantes, tamen vehementer inclinant. Imo vero si res hæc sola ratione definienda esset, persuasum habent, in hac nostra Lat. Ed. Vulg. quædam loca esse errata Interpretis inadvertentia. Nam librariorum vitio, qui Latinam Ed. prelis excuserunt, nemo ambigit, quædam esse errata.

36. MARCUS MARINUS, Brixianus, in Præf. *Thesauri linguæ Sanctæ*, scripta 1581. non modo Textus Heb. auctoritatem tuetur, verum etiam Punctorum vocalium antiquitatem: & Lat. Vulg. Versionem se parvi revera pependisse perspicue docet, etsi dicit eam *non esse aspernendam, quin potius summopere amplectendam & admirandam ob perspicuitatem & puritatem.*

37. JO. MALDONATUS, Hispanus Jesuita, qui ob. 1583. Com. in Matt. I. 11. lectionem Lat. Vulgarem rejicit, locumque emendat ex MS. Græco: *Epiphanio in hoc assentior, ut existimem scriptorum vitio aliqua verba intercidisse, quibus significetur Joacim filium Josiæ genuisse Jechoniam. — Itaque totum locum sic restituendum puto:* Josias autem genuit Joacim & fratres ejus in transmigratione Babylonis (*quemadmodum Stapulensis affirmat se in antiquo quodam Græco Codice legisse*) Joacim autem genuit Jechoniam.

38. An. 1584. Salmanticæ prodiere Biblia cum Scholiis *Vatabli* & duplice translatione, altera Vetere, altera Nova (Leonis Judæ) præfixa hac Censura generali per Theologorum Salmanticensium Complutensiumque Senatum: — *Insuper ubi diversa est Versio Nova & Vulgatæ non contraria, neque etiam fidei Catholicæ & Ecclesiæ traditioni repugnans, admitti quidem potest, suo tamen servato honore & dignitate Vulgatæ Ed. juxta Sancti Concilii Trid. Decretum, ita ut Vulgata Ed. vera habenda sit & certa præ aliis omnibus, & magis JUXTA HEB. VERITATEM, reliquisque sit præferenda Editionibus.*

39. ROB. BELLARMINUS, Jesuita, postea Cardinalis, in *Controversiarum* Opere, Sixto V. dicato 1586. lib. 2. refutat *Cani* & *Jacobi Christopolitani* sententiam, qui *Zelo quidem bono, sed non secundum scientiam, omnino contendunt, Judæos in odium Christianæ fidei studiose depravasse, & corrupisse loca multa Scripturarum. — Non tanti esse momenti errores textus Heb. ut in iis, quæ ad fidem, bonosque mores pertinent, Scripturæ S. integritas desideretur. — Græcos Codices N. T. non esse corruptos generaliter: nec tamen esse fontes purissimos, & non esse tutum semper Latina ad Græca corrigere. — Calvini* (inquit) *mendacium est, decrevisse Tridentinos Patres minime esse audiendos eos, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falsum coarguunt. Hoc ideo mendacium voco, quod nihil ejusmodi in Decreto Concilii legatur. Nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt, sed solum ex tot Latinis Versionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent, & (quod Ecclesiæ gravitatem, & constantiam decebat) antiquam novis, probatam longo usu recentibus adhuc, ac, ut sic loquar, crudis: denique unam multis inter se dissentientibus, & pugnantibus prætulerunt. —* Versionis Auctores [a] non fuisse infallibili spiritu imbutos, *nec Ecclesiam ita eam approbasse, ut asseruerit nullos in ea librariorum errores reperiri: sed certos nos reddere voluisse, in iis præsertim, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione Interpretum errata. — Negari non posse, quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis Versionum, quando constat, fontes non esse turbatos: nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere, certe vix dubitari posse, quin sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinenda quam Græca, ita etiam vigilantior fuerit in suis codicibus à corruptione defendendis. — Quatuor temporibus licere nobis recurrere ad fontes Heb. & Græcos. 1. quando in nostris Codd. videtur esse error librariorum. 2. quando Latini Codd. variant, ut non possit certo statui, quæ sit vulgata lectio. 3. quando verba*

[a] Cap. 11.

aut sententia in Latino est anceps, possumus recurrere ad fontes, si forte ibi non sit ambiguitas. 4. *ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam.* ---- [a] *Cum videmus in Latino textu, facile potuisse aliquid mutari à librariis propter literarum similitudinem, & non potuisse in Hebræo, dicimus errorem librariorum esse in Latino: cur hoc loco, ubi facile fieri potuit error in Hebræo, & non in Græco* (de Psalmorum versione loquitur) *vel Latino, non etiam dicemus, in Hebræo errore librariorum textum esse immutatum?* ---- [b] Ait Ecclesiam nonnullos versiculos in Editione Vulgata Psalmorum (Psal. 13.) licet sint addititia, *pati, ea de causa, quoniam sunt etiam ipsius sacræ Scripturæ partes quædam* (nempe aliunde ex errore illuc invectæ) *& quoniam sine turbatione & scandalo populi non possent auferri, cum longo jam tempore ibi fuerint, quomodo etiam patitur nonnullos errores typographorum.* Versionem LXX. Græcam [c] *adeo corruptam & vitiatam exstare, ut omnino alia esse videatur.* ---- *Catholicos non debere admittere textum Heb. esse corruptum, ubicunque à Græco discrepat, ne fateri cogantur, Vulgatam Edit. Lat. totam quoque esse corruptam, quippe excepto Psalterio, Latina Edit. cum Heb. Codd. magis convenit, quam cum Græcis.*

a Cap. 13.
b Cap. 2.
c Cap. 6.

In Epistola scripta an. 1603. ad *Fr. Lucam Brugensem*, postquam acceperat illius librum de correctionibus Romanis, hæc habet. *De libello ad me misso gratias ago, sed scias velim, Biblia Vulg. non esse à nobis accuratissime castigata, multa enim de industria justis de causis præterivimus quæ correctione indigere videbantur; variæ lectiones quæ in Bibliis Lovaniensibus habentur & in quas tu librum utilissimum scripsisti, mihi videbantur omnino addendæ.* De Editione loquitur *Clementina*, in cujus correctorum numero se fuisse indicat. *Si videro* (addit) *textum ipsum certo in melius alicubi posse mutari, significabo id summo Pontifici & Cardinalibus deputatis, sed tu ipse plane vides, non facile hujusmodi mutationes in sacro textu esse faciendas, quamvis utilissimum sit, ut viri docti tum de variis lectionibus, tum de judicio peritorum hominum tui similium, admoneantur.* Citatur hæc Epistola à *Luca Brugensi* in Præf. Collectionis locorum quæ adhuc emendari possunt, quæ edita est ad finem Bibliorum *Antuerp.* 1618.

40. Ibid. adducit *Brugensis* hæc verba ex Card. BARONIO, sive ex literis illius jussu à *Jo. Bapt. Bandino*, Typographiæ Vaticanæ Præfecto, scriptis ad *Moretum* 1604. *Fateor in Bibliis nonnulla adhuc superesse, quæ in melius mutari possunt.*

41. PETRUM FIGUERIUM Lusitanum, qui hoc tempore vixit & obiit circa an. 1595. textum tantum Hebraicum pro Scriptura sacra agnovisse, apparet ex illius Com. in Psalmos & Prophetas. Ab Hebraicæ linguæ studio & peritia vulgo cognominabatur *Hebraicus.*

42. FRANC. RIBERA, Jesuita, Comment. in 12. Prophetas, quos Archiepiscopo Valentino dicavit 1587. Ed. Vulgatam passim pro virili defendit, & in Hab. n. 13. ait istius *auctoritatem sibi sanctam & inviolabilem esse*: eam tamen textui Originali minime præfert. Præfatione; *in universo opere* (inquit) *Vulgatam Lat. transl. quam Ecclesia semper probavit & cæteris prætulit, ego semper sequar, ac pro virili parte defendam.* — *Reliquas non aspernabor, utar eis potius, nisi ubi huic adversantur, aut id habent, quod si teneas, nequeas id tenere quod est in illa. Verum tam in hac defensione, quam in obscurissimorum locorum elucidatione necesse habeo sæpe ad fontes, id est ad Hebræa, & ad Græca confugere, ut Origenes & Hieronymus, & doctissimi quique omnibus seculis fecerunt.* — *Sed habeo magnum Ecclesiæ lumen Hieronymum, qui dum sese excusat, pro me etiam sæpe respondet, non se declamationes scribere, sed Scripturam explicare, quæ integre atque exacte sine his explicari non potest.*

43. JOSEPHUS A COSTA, Jesuita, in Opere *De Christo revelato*, Romæ 1590. Ed. & *Ant. Carrafæ* Card. nuncupato, lib. 2. c. 16. statuit

Latinam Ed. Vulg. hodie certissimæ esse auctoritatis, at nihilominus Heb. & Græcam esse Canonicam. Ait *nos suspicari non posse corruptionem Latinis Codicibus invectam, Hebraica contra, à scriniariis tantæ fidei servata non fuisse: quin potius multorum opinionem esse, non pauca à Judæis vitiata, vel à Rabbinis aliter dispuncta.* Subdit vero: *Hebraicam esse authenticam dubitare non possumus. Et quamvis Judaica perfidia atque invidia conata sit tantum nobis bonum eripere, fontemque ipsum sermonum Dei inficere: tamen nullo modo credendum est eis licuisse quicquid libuit. Neque defuere in Ecclesia docti viri, quorum studio conservati sunt Codices Heb. sacri: ex quibus certe atque ex veteri citatione Hieronymi, cæterorumque Catholicorum tuto potest Catholicus Doctor sacros sensus elicere, divina dogmata confirmare, Judæos ipsos evincere, Catholicæ denique Ecclesiæ judicium sententiamque defendere.* Cap. 10. *Cum multi errores ex negligentia, aut etiam malitia librariorum in sanctos Codices incesserint, cum manuscripta tenerentur omnia divina volumina, ac sæpe vitiatane an integra lectio sit, magnæ quæstiones clamoresque excitentur, velut in causa ad Judicem incorruptum, hoc est, primævam linguam, in qua Oracula cælestia accepimus, merito recurrere solemus.* Cap. 15. *Quorundam Catholicorum zelus nimius, omnes alias interpretationes abjicientium, atque explodentium præter vulgatam, ineptus haberi debet, quod secundum scientiam minime sit. Neque enim quoniam Ecclesia unam quampiam interpretationem usu decretoque probavit, continuo cæteras vel prohibuit, vel abjecit: sed retenta illius communis auctoritate, cuivis vel denuo interpretandi, vel aliorum interpretationibus utendi, integram facultatem reliquit. — Quam ob rem, ut Hexaplum olim Origenis a veteribus tantopere laudatum est, ita nunc qui vel inarrando vel commentando aliquid de privatis interpretationibus usurpat, nihil peccat, dummodo vulgatæ atque Ecclesiastico judicio probatæ editioni auctoritatem suam non detrahat. — Ea est vis & proprietas cujusque linguæ, ut persæpe unum verbum alterius linguæ non æquet aut impleat, quod conatur exprimere: diversæ autem interpretationes, quamvis conceptus videantur sæpe habere diversos, efficiunt tamen unum quendam perfectum, & ad primariæ linguæ vim maxime accedentem. Adde, quod divinæ Scripturæ altitudo tanta est, ut non possit una interpretatione exhauriri. — Quod si obscurum aliquid, aut dubium, aut etiam improprium Vulgata habeat Editio, illud explanare, diluere, ornare, non est injuriæ, sed officii plenum.*

44. ANT. POSSEVINUS, Mantuanus, Jesuita, in *Bibliotheca* Selecta [a] Ed. 1593. Versionem Vulg. appellat *columnam veritatis & portum, ad quem ex tot dissentientium Versionum fluctibus debeamus appellere.* Fatetur tamen *in Ebraica Script. tot esse sacramenta, quot literæ; tot mysteria, quot puncta: tot arcana, quot apices.*

[a] Lib. 2. c. 8.

45. PETRUS LOPEZ, Salmanticensis, an. 1596. *Concordiam sacrarum Editionum Heb. & LXX. cum Vulg. Madriti* edidit, & *Clementi* VIII. dicavit, qua textui Heb. patrocinatur, eosque refutat qui illum à Judæis consulto depravatum credunt; Editionem Vulg. *Clementinam* nævis suis non carere, nec magis esse *authenticam* quam Græcam LXX. nempe utramque *authenticam* dici posse, licet tot locis inter se discrepantem, statuit. Ait se, cum jussus esset à supremo Inquisitionis Concilio censuras librorum quorundam legere, perspicue comperisse, multa loca in Versione Vulg. ab Hæreticis fuisse corrupta. Existimat [b] *Simonius*, sumpsisse eum quasdam ex variis lectionibus pro hæreticorum corruptelis.

[b] Hist. Critic. lib. 3. cap. 17.

46. ALPHONSUS MENDOZA, Doctor Salmanticensis, Augustinianus, *Controv. Theol.* (Col. Agrip. 1603.) in Quæst. posit. 10. §. 2. *Dico, non posse vere dici Theologum, qui in Heb. literis non mediocriter fuerit institutus. At dicet* (addit) *Concilium Trid. translationem Vulg. recipit, approbat: Huic ergo fidæ translationi nihil opus est alterius linguæ, quam Latinæ*

tinæ cognitio. Respondeo neutiquam me in dubium vertere, an sacra Scriptura recte sit reddita Latine, sed an possit intelligi sine aliarum linguarum cognitione. Et quod non satis possit affirmo: quia quæcunque alia lingua translata sunt, tametsi melius verti nequeant, tamen radicitus non intelliguntur, nisi ad primam linguam recurramus. --- Quocirca quibus non contingit Hebraice scire, ut mihi fere nondum contingit, quamvis quantocyus ut spero, continget, hoc unum superest perfugium, ut fidos ac literales interpretes sibi deligant, quibus Thesein sacram possint adire Scripturam.

47. CHRISTOPHORUS A SACROBOSCO, Dubliniensis, Jesuita, in *Def. Decreti Trid. & Sententiæ Bellarmini, de auctoritate Vulgatæ Ed. Lat. adversus Whitakerum* (an. 1604.) quamvis ægre adducitur ut agnoscat in Ed. Vulgata reperiri nonnulla Interpretis errata, id tamen fateri demum cogitur: *Quædam denique etsi minus recte versa sunt, præjudicium tamen non faciunt, quod alicujus sit momenti.* Par. 4. cap. 5. Hinc Latinam Ed. ubi ab Heb. discrepet, non in omnibus præferre audet, sed tantum in illis quæ ad fidem aut mores spectent. Par. 1. cap. 3. *Alii graviter pugnant pro Græcis & Heb. codicibus. Sed quæstio ista indecisa, intacta, & doctorum disputationibus relicta est ab Ecclesia. --- Hoc unum dicemus, si Heb. aut Græca exemplaria quæ modo habentur, uspiam in iis quæ ad fidem aut mores Ecclesiæ attinent, dissideant à Vulgata Ed. Lat. tunc ea postponi oportere Vulgatæ Ed. — Cum dicimus nos habere Scripturam Latino sermone authenticam, aliud nihil volumus, quam nostram translationem esse verum Dei verbum, integrum, incorruptum: ex quo grex Christi doceri, & quæstiones de fide, ac moribus intrepide definiri queant: quo etiam modo authentica fuit LXX. Interpretatio, qua longe lateque patens Græcorum utebatur Ecclesia.* Par. 2. cap. 4. *Respondeo, Ecclesiam pronuntiasse Vulg. Lat. Ed. authenticam, & ad id auctoritatem habuisse, nec propterea eam prætulisse fontibus, aut an ea sola esset Scriptura sacra attigisse.*

48. JO. MARIANA, Hispanus, Societatis Jesu, in libro *Pro editione Vulg.* quem *Paulo* V. P. dicavit 1609. quemque an. 1606. *Joannes Garcia* Præpositus Provincialis approbatione sua præmunivit, se arbitrum constituit inter eos qui in Hispania de Heb. textus Versionisque præstantia tanto ardore decertabant. Quorum [a] *quidam* (inquit) *editionem Vulg. sugillant quasi multis vitiis fœdam, ad fontes identidem provocantes, unde ad nos ii rivi manarunt, ac contendentes, Græcorum Hebraicorumque Codicum collatione castigandam videri, quoties ab illis discreparit, linguarum peritia tumidi, Ecclesiasticam simplicitatem ludibrio habentes; quorum profecto audacia ac temeritas pronunciandi merito frænanda est. E contrario alii majori numero adversariorum odio nefas putant Vulgatam Ed. attrectare, atque in impiorum numero habent, si quis vel levem vocem castigare tentet, si locum aliquem aliter explicare contendat, quam vulgata interpretatio præ se ferat (quos imitari profecto non debemus) pusillo homines animo, oppleti tenebris, anguste que sentientes de Religionis nostræ majestate, qui dum opinionum castella pro fidei placitis defendunt, ipsam mihi arcem prodere videntur, fraternam charitatem turpissime violantes. Ait se extrema & devia vitata, quæ in præcipitia desinit, mediam viam tenere constituisse, qua fere in omni disputatione vitatis erroribus ad veritatem pervenitur.* [b] Ait se cum in Scholis *Romæ* & *Lutetiæ* divinos Libros explicaret, Editionem Vulg. omni ex parte tueri conatum fuisse: *linguis* [c] *addiscendis magnam ætatis & studiorum partem consumpsisse, eo tamen animo, ut Hebraica Græcaque Commentarii vice essent ad explicandam eam Scripturæ divinæ editionem, quam suscipit & probat Ecclesia.* Sed hæc quoque [d] subjicit: *Ecclesiam alicujus loci unam lectionem non ita probare, ut diversam lectionem improbet.* [e] Codices Hebr. malo animo à Judæis non fuisse corruptos ante Hieronymi tempora, postea vero fuisse aliquatenus à congregatione Tyberiensi an. 512.

[a] Cap. 1.
[b] Cap. 21.
[c] Cap. 8.
[d] Cap. 5.
[e] Cap. 7. 8.

Eos

a Cap. 9. [a] *Eos neque incorruptos esse omni ex parte, neque è contrario magno aliquo incommodo, atque in majoris momenti locis depravatos. Nemini licere privata auctoritate eos castigare. Hallucinari eos, qui contendunt illos ex Patrum scriptis, vel ex Versionibus Græca atque Latina castigare debere. Ecclesiam nullo unquam tempore Latinos Codices ita legisse atque probasse, ut Græcos aut Heb. rejecerit. Omnino absurdum videri divinas Scripturas, hoc est, testamentum quod Deus nuncupavit, & in quo Ecclesiam hæredem scripsit, in linguam Lat. transfusum modo conservari, amissum aut depravatum esse penitus & contaminatum in iis linguis, in quibus scriptum primo est, & literarum monimentis, ut ad posteros transmitteretur, commendatum.* [b] *Græcos fontes N. T. multis magnisque sæpe maculis esse turbidos.* [c] *A Decreto Tridentino, Græcis & Heb. exemplaribus suam relictam fuisse auctoritatem, quasi autographis & divino spiritu dictatis. Nec Latina ita probari, ut loca quædam apertius, aut etiam magis proprie verti posse negetur.* Denique cum *Vega*, aliisque, statuit, ac probat, in rebus minutioribus, quæ non ad fidem aut mores pertinent, multa esse in Versione Vulg. etiam Interpretis errata. *Potuit* (inquit) *Interpres labi, ut humanus, atque adeo lapsus est, nam in tanta rerum sylva atque varietate nunquam offendisse magis profecto miraculum esset, nec consentaneum humanæ imbecillitati.* — [d] *Neque nostra fides interpretatione nititur, nisi cum fontibus comparata, atque ex illis, ubi opus erit, præsertim Ecclesiæ Catholicæ judicio castigata.* De ratione castigandi Codicis Editionis Vulg. eundem adi cap. 24.

b Cap. 16, 17.
c Cap. 21.
d Cap. 23.

49. Lud. Legionensis, Professor Salmanticensis, qui ineunte hoc seculo claruit, [e] *Disput. de Vulgata Quæst. 2. Conclus. 3.* statuit, quod quando sunt variæ lectiones inter Vulgatam, & reliquos textus, nempe Græcum, vel Hebræum, liberum est sequi quam maluerit.

e Cit. à Lud. Tena, Isag. Diff. 7. §. 2.

50. Nic. Serarius, Jesuita, in Acad. Mogunt. Theologiæ Professor in *Prolegom. Biblicis*, quæ scripsit an. [f] 1608. statuit [g] textum Heb. à Judæis non fuisse studiose corruptum, nec ante Hieronymi tempora, nec hisce Domini annis amplius mille & ducentis, sed post Hieronymi tempora ante annum 500[m] malitiose ab illis fuisse depravatum in aliquibus locis, partim punctorum appositione, partim literarum quarundam immutatione. *Bellarmino* tamen assentitur, *errores, qui in Heb. hodierno sunt, non tanti esse momenti, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent Scripturæ S. integritas desideretur. Et totam variarum lectionum discrepantiam plerumque in dictionibus quibusdam positam esse, quæ sensum aut parum aut nihil mutant. Non tamen simpliciter ad hodiernum Heb. textum, tanquam ad amussim, revocandos esse omnes alios textus.* Eadem ponit de Græco Novi T. Utrum Versionis Vulg. auctores non humanis tantum præsidiis omnibus, sed & divino interpretationis munere instructi essent, in dubio [h] relinquit: *Synodum Trid. non* [i] *antetulisse Versionem Hebræis Græcisque fontibus: æquiparare vero Versionem emendativam fontibus emendatis.* Fontes tamen *prodesse ac plurimum prodesse* in 4. casibus à *Bellarmino* propositis. Cardinalium Declarationem de Versione in omnibus apicibus recipienda [k] non recipit, ut supra jam in fine præcedentis Capitis observavimus. Contra *Bellarmini Propugnatorem* statuit [l] Versione Vulg. meliorem posse fieri: nempe *ea quæ bona sunt fieri posse meliora, & Hieronymo aliquem existere posse doctiorem, linguarum callentiorem, diligentiorem, sanctiorem, Deo ipsi devotiorem, & gratiorem. Si vel Pontifex, vel Oecumenica Synodus unum vel plures doctissimos, linguarumque scientissimos, qui & virtute, fide, & timore Dei excellerent, uni ejuscemodi conficiendæ versioni admoveret, deinde confectam ab iis versionem totam vel uno aliquo tempore simul, vel paulatim & per partes diligenter examinaret ac expenderet,* Versionem hoc modo confectam perfectiorem fore. Quamvis [m] per Decretum *Clementis* VIII. in præsenti non liceat Bibliorum Lat.

f Ut patet c. 19. Q. 11. §. 3.
g Cap. 12. Q. 2.
h Cap. 19. Q. 8.
i Q. 12. §. 1.
k C. 19. Q. 11.
l C. 19. Q. 13.
m C. 19. Q. 21.

Lat. textum recudendo ne minimam particulam mutare, posse tamen ea ab Apostolica Sede recognosci, ita *ut correctior, perfectior, numerisque pluribus absolutior adhuc prodeat editio.*

51. PETRUS de PALENTIA, Dominicanus, linguæ Heb. his temporibus in Acad. Complutensi Professor, & Inquisitionis Censor, librum scripsit de concordia Interpretis Vulg. cum textu Heb. in quo conatus est ostendere ex proprietate linguæ Heb. concordasse eos in illis locis, ubi vulgo discordasse credebantur, *examinatis non minus quam septem millibus locis, etsi ante sua tempora tercenti tantum essent in controversia.* Hujus Operis meminit, sed necdum editi [a] *Lud. Tena.* [a] Isag. lib. 1. Diff. 3. s. 3, 4.

52. PHIL. GAMACHÆUS, Doctor Sorbonicus & Regius Professor, qui ob. an. 1625. in *Summa Theol.* sive Com. in primam partem Thomæ, Quæst. 1. cap. 12. *Notandum est circa Decretum Trid. intelligi id debere hoc sensu, ut vulgata Editio Latina præferatur cæteris omnibus Latinis: ut patet ex ipso Decreti contextu: sic enim diserte ait non parum utilitatis accessurum Ecclesiæ, si ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur, quænam pro authentica habenda sit, innotescat: loquitur ergo tantum de Latinis, moxque statuit authenticam esse veterem & vulgatam illam. Præterea Concilium nullam ibi prorsus facit mentionem Editionum Græcarum, aut Hebraicarum, ergo nec Latinam eis anteponit, quicquid dicat Gregorius de Valentia in sua Analysi lib. 8. cap. 5.* Subdit vero: *Nihilominus tamen etiamsi non anteponat, probabile est æquiparare ac adæquare, quemadmodum ex eo apparet, quod affirmet Latinam illam esse authenticam, & in lectionibus & prædicationibus retinendam, hinc enim sequitur esse ejusdem saltem momenti ac dignitatis cum ipsis Græcis, aut Heb. fontibus, ita ut aliæ editiones alias non impediant, sed potius omnes sint utiles, mutuamque operam præstent ad explicandas aliquando ambiguas voces, vel ad majorem sententiæ confirmationem, vel ad vim & energiam dictionum melius percipiendam, vel denique ad corrigendos librariorum errores, Latinorum per Græcos, aut Hebræos, ac vicissim horum per Latinos.*

53. THO. MALVENDA, Dominicanus, in Gen. 3. *Non est repudianda lectio hæc fœminea, Ipsa* (quam habet Vulgata) *Sed PRÆFERENDA profecto neutra,* Ipsum, *semen quod est Christus; vel potius Masculea,* Ipse *semen, quod Hebraice est masculinum* &c. Tantum abfuit ut is Versione Vulg. contentus esset, ut tota fere Biblia de Hebræo ipse converteret.

54. Scripturas Heb. nunquam fuisse à Judæis malitiose sive consulto depravatas contendit GUL. ESTIUS in Gal. 3. 10.

55. FERDINANDUS DE ESCALANTE in *Clypeo Concionatorum Verbi Dei,* (Ven. 1613.) lib. 6. cap. 34. De translatione LXX. Intt. [b] ait eam *opus egregium, augustum, & plane divinum, tantæ & tam venerandæ auctoritatis esse, ut summo jure sacrarium divini Eloquii dici mereatur.* Cap. xi. ait *totum N. T. Græce scriptum, sacram esse Scripturam. Nam licet Hæretici N. T. textum Græcum corrumpere conati fuerint, Doctores tamen Ecclesiæ vigilantissime eorum corruptelas annotasse, scil. Epiphanium, Ambrosium, & alios Patres, quorum cura, solicitudine, & diligentia errores omnes detectos & deletos esse.* Editionem [c] Vulg. non fuisse divinitus, sive instinctu Spiritus S. effectam, tamen [d] *adeo fideliter versam fuisse, ut nullus locus sit aut particula in qua non insit Scriptura divinitus inspirata:* nec *esse corrigendam* [e] *in rebus fidei per Heb. vel Græca exemplaria.* Textus tamen Heb. patronum ipse ex professo agit, [f] adversus *Melch. Canum, Lindanum, &c.* non fuisse malitiose corruptum à Judæis, nisi in punctis apponendis, & revera quoad consonantes *sacram Scripturam esse* contendit. quin & mysteria plura ad fidem nostram spectantia in Codicibus Heb. subindicari quam in Vulgatis. Aliorum Versionibus Latinis, ut *Pagnini, Clarii, Leonis Judæ, Montani, includi sacram Scripturam etiam ubi diversa,* modo non

[b] Cap. 6. [c] Cap. 23. [d] Cap. 22. [e] Cap. 28. [f] Cap. 3, 4.

contraria Vulgatæ, *continent sensa, quia varios sensus, quos reddunt voces Hebrææ, credibile est à Spiritu S. fuisse insinuatos, qui ob id linguam elegit Hebraicam, ad divina mysteria hominibus tradenda, quod fœcundissima sit, per quam sub unica dictiuncula plura nobis significare voluit.*

56. MATTH. RADERUS [a] Notis in Chronicon Alexand. Monachii 1615. *Universe loquendo, semper plus tribuit Ecclesia Hebraicæ, velut fonti, quam Græcæ inde derivatæ.*

[a] Pag. 15.

57. PETRUS LANSSELIUS, Jesuita, in *Disjunctione Calum. Casauboni* (Ed. 1615.) cap. 13. textum Heb. in aliquibus locis è Vulg corrigendum esse statuit, addit tamen: *In Concilio Trid. nulla mentio facta fuit textus Græci: neque ullo modo illud Concilium impedire potest desiderium recurrendi ad textum Heb. aut Græcum: fontes sunt & origines, unde certiorem doctrinam, unde majus lumen haurire datur.*

58. ADAMUS CONTZEN, Jesuita SS. Literarum in Acad. Mogunt. Professor, Politicorum (Mogunt. 1620.) lib. 5. cap. 23. *Libere affirmo Versionem Lat. ita probatam, ut tamen Græcis & Heb. fontibus maneat sua auctoritas.*

59. LUCAS WADDINGUS Hibernus, apud Salmanticenses Professor, in scripto *De Heb. linguæ origine, præstantia, & utilitate*, præfixo Concordantiis Heb. 4. vol. editis Romæ 1621. *Tanta fuit semper* (inquit) *apud me Vulgatæ Ed. authoritas, tantamque ei tribuit sacrosancta Synodus Trid. ut magnum nefas existimem, quidquam operosum & grave, vel alicujus momenti voculam in ea commutare. Nec ad eam corrigendam, vel temere corrumpendam vellem quempiam hac lingua Heb. uti, seu potius abuti. Si tamen ad summe correctam corrigendam non juvarit, juvabit perquam maxime ad non plene intellectam facilius intelligendam. &c.* Negat Judæos Scripturas suas malitiose corrupisse. Ex lingua Heb. non parvam utilitatem ait capturos esse Theologos, *ad varias translationes concatenandas, & magnam explicationum copiam, verborumque Lat. ex uno Hebræo, sylvam depromendam, multosque ex uno versiculo sublimes, doctrinæ populorum accommodos, conceptus eliciendos.. — Quantumvis optime omnia Latinitati donaverit Vulgatus Interpres, quæ Hebræo, Græco, aliove sermone conscripta sunt in sacro Textu, multa difficilius adhuc intelligi, ob illorum in quibus scripta sunt idiomatum ignorantiam. — Adjuvare quam maxime ad mentem Prophetarum &c. capessendam, vel Spiritus S. intentum perscrutandum, ipsius linguæ, in qua locuti sunt, peritiam. — Habere Scripturas in Heb. fonte multa nomina, quibus res, actiones, vestes, plantæ, animalia quadrupedia, volucria, & aquatilia Palæstinæ, finitimarumque regionum propria, significantur, nec adeo apte extra eam linguam explicantur.*

60. MARIUM CALASSIUM prædictarum *Concordantiarum* Auctorem, obiisse Psalmos *Hebraice* cantantem, testatur Auctor illius Vitæ *Concordantiis* præfixæ.

61. LEONARDUS MARIUS, Professor Colon. Prolegom. in Pent. (ed. 1621.) sect. 6. *Biblia vulgata per Concilii Trid. authentizationem hoc sunt secuta, ut in publicis Ecclesiæ actibus, aut Academiarum exercitiis eorum usus retineri ac recipi debeat. — Et quamvis per correctiones Romanas multum simus in onere correctionis sublevati, non sunt tamen hæ correctiones à Sede Rom. ita evulgatæ, quasi præcise nos obligent, aut quasi præter eas nullæ aliæ adhuc suggeri, aut disquiri possint; sed ut probabilissimæ correctiones, quas pia ergà sacras literas reverentia & observantia explicare, imo & augere possumus; ita tamen ut nemo privata auctoritate, quasi censor, aliquid novum corrigat, sed solum Ecclesiæ examinandum suggerat.*

62. *Assertionem Veritatis Heb. adversus Exercitationes Ecclesiasticas in utrumque Samaritanorum Pentateuchum, Jo. Morini*, edidit an. 1631. SIMEON de MUIS, Aurelianensis, Sacrarum Hebræarumque literarum apud

apud Parisienses Professor Regius, Ecclesiæ Suessionensis Canonicus & Archidiaconus. Cui subjecit animadversiones in ejusdem *Morini* Præfationem Editioni Parisiensi Versionis LXX. præfixam. Edidit idem an. 1634. *Assertionem Heb. Veritatis alteram*, contra Morini *Exercitationes Biblicas*: & an. 1639. *Castigationem Animadversionum Morini, seu Veritatis Heb. Assertionem tertiam.* Psalterium Heb. idem Latine vertit, & in suam Versionem prolixa Commentaria edidit an. 1630. De Versione Vulg. affirmat, quod *nondum ab erroribus Interpretis, qui illam edidit, est* [a] *castigata. — Si quis* (inquit) *novam ex Heb. Versionem velit cudere, vel antiquum Interpretem corrigere, si interdum hallucinatus videatur, poterit ipse plura mutare, præsertim si doctis scribat, qui ejusmodi mutationibus, modo in melius fiant, & citra fidei, ac doctrinæ Christianæ detrimentum, nunquam offenduntur. Alia enim est vulgi, alia doctorum ratio.*

[a] Assert. prima pag. 47.

63. *Orationem pro Edit. Heb. Authentica Veritate* an. 1646. Parisiis edidit VAL. DE FLAVIGNY, Doctor Sorbonicus, & Sacrarum Hebraicarum Literarum Professor Regius. Cujus exstant etiam Epistolæ quatuor *de Parisiensi Editione Bibliorum Polyglottorum, contra Abr. Ecchellensem. Ecchellensis* Epistolas tres *pro vindicatione sui contra calumnias Flavignii & Gabr. Sionitæ* edidit an. 1647. Anno proxime seq. prodiit *Gabr. Sionitæ Commonitorium Apologeticum ad Ecchellensem.*

Ejusdem *Flavignii* Approbatio præfigitur *Muisii Assertioni* primæ *Verit. Heb.* ubi ait, *de sacrosancta Ed. Heb. authentica Veritate nullum posse in posterum, invitis etiam ejus obtrectatoribus, amplius dubitare, suique muneris & officii rationem postulare, ut virili parte prospiceret, provideretque diligentissime, ne credendo Samaritanis hæreticis Veritas Heb. nobis eripiatur, aut excidat.*

64. Per Decretum Trident. nihil Heb. contextui derogatum fuisse statuit LAUR. FORERUS, Jesuita, [b] *Antiquitate Papatus*, 164 .

65. JOANNES D'ESPIERES, Monasterii *Aquicinctini* Prior, in libro *De auctoritate Textus Heb. Versionis* LXX. & *Versionis Vulg.* ed. Duaci an. [c] 1651. statuit *Textum Heb. esse authenticum, & irrefragabilis auctoritatis, quia Deo dictante, movente, inspirante, conscriptus est. Versionem Græcam esse authenticam, quia Deo movente, inspirante, illustrante confecta est, quia eadem usus est Christus, usi sunt Apostoli & Evangelistæ, qui prætermissis etiam iis, quæ habentur in textu Heb. sententias subinde allegaverunt ex V.T. juxta* LXX. *Versionem quoque Lat. Vulgatam, quam recipit & probat Ecclesia esse authenticam: tum quia à tempore Damasi P. hoc est à tempore S. Hieronymi ad hæc usque tempora usu recepta fuit, & ab Ecclesia approbata ut authentica: tum quia sanctissimum & sufficientissimum habet testimonium à Synodo Tridentina, quæ statuit & declarat eam esse authenticam.* Si omnes à se invicem in sensu discrepent, censet omnes tamen esse veraces, nempe unius & ejusdem loci plures esse posse sensus literales. Loca tamen multa in Vulgata adhuc emendanda restare [d] existimat.

[b] Germanice script. cit. ab Hotting. in Thes. Philol. pag. 135.

[c] Pag. ult.

[d] Pag. 274. &c.

66. JOSEPHUS DE VOISIN, Burdegalensis in Procemio *Pugionis Fidei* ed. 1651. integritatem textus Heb. defendit. Ait *evidentissimum esse hoc opus divinæ providentiæ, quod libri sacri fidei Christianæ testimonia complectentes integri inviolatique conservati sint apud ipsos hostes fidei Christianæ, ut de Codicibus eorum fidei nostræ mysteria, & dogmata probentur; ne forte quum legerentur in nostris, à nobis putarentur esse conficta.*

67. JOANNES de la HAYE, Concionator Regius, & in Gallia Minorum Procurator Generalis, Prolegom. *Bibliorum Max.* ed. 1660. statuit [e] *Deum nunquam permisisse omnes sacros Codices ab hostibus depravari.* [f] *Codices hodiernos Heb. esse authenticos.* [g] Hieronymum *in his quæ ad fidem moresque, & cætera gravioris ponderis, pertinent, assistentem habuisse Spiritum S. ad perficiendam suam versionem: at in rebus levioris momenti*

[e] Sect. 16. c. 1.

[f] Cap. 2, 3.

[g] Cap. 5.

sibi esse relictum, & humanæ suæ scientiæ: adeoque in iis errare potuisse. a Cap. 6. Versionem Vulg. *authenticam* declarari à Conc. Trident. [a] *comparatione ad solas alias Latinas, sic ut tantummodo Latinis, quæ circumferuntur, Versionibus omnibus antelata sit*: ideo scil. *quia nihil in ea inveniatur à veritate Christianæ fidei devium, falsum, aut mendax, vel contrarium dogmati*- b Cap. 7. *bus ac regulis orthodoxis.* [b] *Meliorem ea Versionem fieri posse.* [c] In ea ad- c Cap. 8. d Cap. 9. huc *superesse nonnullos errores, licet levissimos.* [d] *Si quæ fidei & morum quæstio exoriatur, non esse recurrendum ad Codices Heb. ut id quod est in Vulg. corrigatur & rejiciatur: sed in levioribus posse recursum haberi ad fontes Heb. ut emendetur. Præposterum fore, velle textum Heb. emendare per Vulgatam.*

68. PET. DANIEL HUETIUS, qui hucusque in Gallia floret, non minus doctrina, quam infulis Episcopalibus ornatus, in libro *De claris Interp.* existimare se Latinæ Vulg. suos nævos inesse, satis clare ostendit, dum de ea sic loquitur: *De Vulgata quid sentiam, & ab aliis judicari velim, plura post conspirantem Patrum & Ecclesiæ consensum dicere vereor ut hominis sit satis pudentis. Potius est, ut eam venerabili silentio obsignemus.*

69. SFORTIA PALLAVICINUS, Jesuita, in Hist. Concilii Trid. quam edidit Italice, & postea, Cardinalis jam creatus, recognovit ac auxit an. 1664. quamque Interpres Latinus *Clementi* X. Pontif. nuncupavit, e Lib. 6. c. 17. de mente Concilii sententiam *Vegæ* [e] complectitur. *Num forte inficiamur, in Editione Vulg. multa esse ambigua, obscura multa, quibus lux affundatur à Bibliis primorum idiomatum? Nonne illorum ope Catholici Interpretes passim utuntur? Nonne id etiam proxime post Concilii Decretum egerunt, quin & adhuc perdurante Concilio? quod palam facit, id non opponi sententiæ Patrum Tridentinorum. Aliud est, affirmare, Versionem aliquam esse legitimam, hoc est, neque data opera corruptam in quacunque parte, quantumvis minima, & ad præcipuam rei sententiam non spectante; neque unquam plane ex inconsiderantia ab archetypo difformem in iis quæ rem constituunt: aliud vero, affirmare, eidem inesse omnem claritatem, omnem vim, omnes alludendi concinnitates, quæ insunt archetypo. Primum de Vulgata Tridenti definitum est: alterum præstari per nullam translationem potest; cum singula idiomata suis propriis dicendi rationibus & excellant invicem & deficiant: unde in multarum dilucida explicatione rerum, alterum alteri respondere non valet. —Quoniam itaque verbum nullum in illis libris exaratum fuit absque Dei afflatu, adeoque absque significatione alicujus peculiaris veritatis, & absque alicujus altioris magisterii documento; ad has veritates & mysteria detegenda, quorum certam distinctamque notitiam in Ecclesia non quæsivit, sed voluit, ut in suo verbo lateret inexhausta vena, conferre plurimum valet linguarum intelligentia, quibus primo Divina Verba consignata sunt. Nullam igitur vim habet popularis illa ratio: Si Editio Vulg. proba est & legitima, ergo reliquæ malæ sunt, & insipienter iis utimur. Mendosa enimvero argumentatio. Fac, historia vel quævis alia Latina scriptio magni momenti Italico sermone mediocriter exponatur; si ea Italica expositio fidelis sit, legitima dici poterit, adeoque idonea iis litibus dijudicandis, quæ à rebus præcipuis ac momentosis in ea contentis dependent; sed non idcirco elaborari non poterit alia pariter Italica Versio magis vivida, magis propria, magis dilucida, vel in totum vel ex parte, quæ multa auctoris acumina explicet atque allusiones, in alia Versione minime declaratas.*

Neque quidquam amplius eo, quod hic dicimus, Decreti Trid. verbis ex necessaria ipsorum vi Vulgatæ tribuitur. Atque in hanc sententiam illa sunt interpretati, ac declararunt præstantissimi Theologi, etiam ex iis qui Concilio intervenere, & à me mox afferentur; non quod in animo mihi sit judicem agere vel patronum hujus vel illius interpretationis, sed ut ostendam, quicunque impugnat arctiorem & absolutissimam conformationem Versionis Vulg. cum locutione Divina, impugnari ab eo peculiarem Theologorum, non Ecclesiam Catholicam

licam universam, in qua interdictum non est cum altera classe sentire, minus arcte Decretum interpretante, utpote nixa ipsius verbis, quæ simpliciter Authenticam *illam Versionem appellant; simulque præcipiunt, ne illa in Concionibus, neve in Prælectionibus, aut in Commentationibus rejiciatur. Quod sane statuit, ipsi errores non inesse ad* Fidem Moresque *pertinentes; ac præterea in eadem nec fraudem, nec apertam discrepantiam, ne minimam quidem à Divina scriptione, nec ullam secum ipse repugnantiam contineri, in quibus illa si deficeret, nec authentica esset, nec digna quæ ab Ecclesia reciperetur. Non minoris quoque temeritatis esset, quamcunque è reliquis Interpretationibus Vulgatæ ex toto præferre. ——*

Quod autem Vulg. translatio exemplari primævo per omnes leviores minutasque particulas conformetur, nec ab illo declinaverit, vel in certa arbore, vel in certo animali, pro aliis alia exponendo, pia est aliquorum sententia; quam quidem qui respuat, non damnatur ab Ecclesia. Etenim, uti dicebam, Decretum minus arcte intellectum est ab auctoribus compluribus qui Synodo interfuere, vel cum iis qui interfuere sunt collocuti. Satis nobis sit aliquot adducere; ac primo quidem doctissimum Andream Vegam &c. Nec opus est, ad lumen illud propheticum, seu quasi propheticum, confugere &c.

70. In *Dissert. de Vulg Vers* ed. 1678. Textum Hebræum tuetur, errorefque Vulgatæ ex professo perstringit NATALIS ALEXANDER, Doctor Parisiensis. *Ideo* (inquit) *authentica dicitur Vulgata, quia nihil continet fidei & bonis moribus repugnans: & quia certa est regula fidei prout ab Ecclesia probata est, & in quantum cum originario textu convenit. Non sic vero authentica dicitur quasi fontibus Heb. vel Græcis præferenda, aut etiam conquanda. Latinis itaque Versionibus cæteris duntaxat Vulgatam nostram præfert Synodus Trid. relictis textibus orig. eodem in statu quo prius erant.* Negat *esse in Ecclesiæ potestate Versionem hoc sensu authenticam facere, quasi æqualis sit cum Textu primitivo auctoritatis. Vulgatam* contra eum defendit, & in multis Hebræo præfert CLAUDIUS FRASSENIUS, Collegii Gen. Minorum Parisiensium Guardianus, in *Disquis. Biblicis* 1682. Cui respondet *Natalis* in *Dissert. Eccles. Apologetica & Anticritica* ed. eodem anno.

71. RIC. SIMONIUS, Congregationis Parisiensis *Oratoriæ* Pater, in *Hist. Crit. V. T.* quam edidit circa an. 1680. in eorum concedit sententiam, qui Versionis Vulg. auctorem humanitus nonnunquam pati & Concilium Trid. alias translationes non penitus rejecisse, nedum Textum Heb. arbitrantur. Hieronymum reprehendit, quod à LXX. usque adeo recesserit. Vide lib. 2. cap. 11, 12, 13, 14. ubi Editionem Vulg. libere reprehendit. Ait alias omnes Versiones æque esse revera *authenticas*, ac *Vulgatam*, si earum Auctores pro virili, & absque dolo, textus originales interpretari conabantur: hoc tantum interesse inter alias & Vulgatam, quod Vulgatam esse *authenticam* agnoscere teneamur, alias non item. Adi eundem in *Disquis. Crit.* cap. 17. & 20. Negat alibi, *Concilia* posse his de rebus ferre sententiam. Hoc esse *Criticorum*, non *Conciliorum*, affirmat. In variis Tractatibus adversus *Is. Vossium* Heb. Veritatis patrocinium suscepit, eumque prostravit. In *Castigat. ad Opusc. Vossii de Orac. Sibyl.* ait *ætate nostra præstantissimos Ecclesiæ Rom. Theologos, usum Latinæ Edit. populo concedere, Veritatis Heb. cognitionem sibi reservare.* In Vita *Morini* asserit illum habuisse consentientes sibi Theologos Parisienses, quod Hebræos Codices evertens *illorum imperitiæ patrocinaretur.*

72. An. 1687. *Antiquitatem temporum restitutam* edidit PAULUS PEZRONIUS, Bernardinorum Prior Parisiensis; in qua impugnat Chronologiam cum Heb. textus tum Versionis Vulg. eique anteponendam esse LXXviralem contendit.

73. *Pezronio* respondet an. 1690. MICHAEL LEQUIENUS, Monachus Ord. Præd. Parif. in libello Gallice fcripto, cui tit. *Defenfio Textus Heb. & Verfionis Vulg.* Cujus parte priori afferit Heb. Textus auctoritatem, infra LXXviralem Verfionem non deprimendam; in pofteriori integritatem Fontium Heb. & Verfionis Vulg. in rebus Chronologicis vindicat. Contra eundem *Pezronium* fcripfiffe dicitur *Martianayus* Gallus Benedictinus, cujus extat *Canon Veritatis Heb.*

74. Præftantiam denique Textus Heb. & Vulgatæ Auctorem nonnullis locis erraffe, afferit L. E. DU PIN, Doctor Sorbonicus, & Parifiis Philofophiæ Prof. Regius, in [a] *Hiftoria Canonis Script.* nuper ed.

[a] Vol. 1. c. 7.

75. Pfalmorum Verfionem ex Heb. Hieronymianam una cum Vulgata è regione oppofita in Gallia nuper edi curavit Epifcopus ille percelebris *Meldenfis*.

76. PAULUS V. P. circa an. 1610. Brevi, ut vocant, Apoftolico decrevit, *ut in promotione ad gradus Doctoratus, & ad alios fui Ordinis honores, illi, cæteris paribus, præferantur, qui in cognitione trium linguarum ita profecerint, ut ad docendas illas apti fint.*

77. VALERIUS ANDREAS DESSELIUS, Juris Confultus, & Linguæ Heb. in Acad. Lovan. Profeffor, in [b] Differtatione, quam circa idem tempus publice habuit, quæftionem proponit, annon hæretici commodiffime convinci poffint, fi proprio quis eos jugulet gladio, quoties ad Scripturam & linguas provocant. *Circuitione opus non eft* (inquit) *de Linguis, quia eæ profeffionis meæ funt, ad nunc dicam, ad folum facrarum Scripturarum linguarumque, quibus eæ conditæ funt, fcopum collimandum effe. In manu palma erit, fæpe etiam ante conflictum. — Miramur in hæreticis linguarum & literarum ftudium, rident illi in plerifque noftrum contemptum earundem. Notam iftam eluamus, & cum principe illa fcientiarum jungamus linguarum fcientiam. Videbit mox quilibet, præter literas & linguas nihil fere in illis effe reliqui. In his pueros torquent adhuc rudimentarios, & ad altiores iftas Apoftolicas aditum patere volunt nulli, qui in trivialibus Scholis Græcas & Hebr. literas non didicerit: adeoque quorundam id apud eos ftatutum eft, ut non prius dignos fcientiarum dent titulos & honores, quam facti in linguis fructus profectufque fpecimen quis dederit. &c.*

[b] Ap. S. Amamam Anubarb.

78. Inter eos etiam quos recenfuimus tanquam præcipuos Editionis Vulg. patronos Fontiumque adverfarios, non defunt qui Latinum Interpretem erroris aperte infimulant. GUL. LINDANUS in lib. *De opt. gen. interp. Script.* quem edidit an. 1558. ex profeffo contra textus Originales, pro Editione Vulg. tanquam refutationem *Jo. Calvini & Georgii Majoris*, qui Decretum Tridentinum vellicaverant ac infectati fuerant; lib. 1. cap. 12. *Nullius*, inquit, *laboribus hoc decreto obftruitur, quo minus liceat Vulg. Verfionem* (*T. N.*) *de Græco affufa quafi luce declarare, & quæ fententiis obfcurioribus funt adumbrata, illuftrare: Rurfus, quæ verborum minus propriorum acyrologia vel catachrefi funt intricatiora ac perplexiora, inde haufta dictionum proprietate, explicatius fimul & evolutius enodare & verborum quafi luminibus vel elucidare, vel caftigare, vel adeo exornare.* Lib. 3. cap. 1. *Quod ad Lat. hanc vulgarem attinet tranflationem, haud fane illam omnibus abfolutam ducimus numeris, tantum abeft, ut id aut afferere, aut defendere fit animus. Ideoque initio præfati fumus, nos non plenum, imo vix femiplenum ejus in præfentia fufcepiffe patrocinium, fed cum in ea fint complures pericopæ, five capitula, æquo obfcurius & involutius reddita, imo quædam acyrologicus, quædam catachrefticus, quædam denique minus plene, adeoque minus bene ac vere transfufa, quod paulo poftea erit exemplis illuftrandum: non hic de Interpretis noftri iftius fimplicis aut vitiis aut virtutibus, quæ non funt nullæ, agitur: verum, quod modo diximus, de probatæ*

batæ lectionis fide, ac Sententiarum veritate, ut videlicet apud omnes constet verissimam, quod & Concilii Trid. habet Decretum, non aliunde certius solidam Scripturarum peti veritatem, germanamque purius hauriri lectionem, quam ex hac nostra Versione Vulg. Latina: ut vetustissima quidem, ita certe omnium fidelissima, atque ad probatissimorum Codicum Græcorum fidem transfusa. Utut ea igitur verbis est alicubi horridula, vocumque lenociniis compta minus, & ornata, aut sententiarum laminibus minus digne, quam forte par fuerat, illustrata: at nulla tamen aliarum omnium, sive quæ de Græco reddita sit, sive ad Græcorum fidem recens castigata, cum ea componi queat, nedum præponi, quod ad veræ lectionis fidem, atque sententiarum Veritatem attinet. —— De iis agendum superest rationibus quibus vulgaris hujus Editionis incommoda aut tolli queant aut mitigari atque sartiri: Hebraismos dico atque Græcismos, acyrologias atque catachreses, Latinique sermonis stribligines, & si quæ alia sunt in Interprete hoc vulgari orationis vitia: quibus haud dubium tam Psalmorum, quam Novi T. Latina Versio Vulgaris, locis non paucis est obscurata, item alibi impedita ne libere fluat: rursum alias duriuscule cohærens, perplexa etiam, ne dicam contaminata, aut Interpretis, si non ignorantia, certe oscitantia à plano sensu ac genuino deturbata. Cap. 3. *Istas justissimas veterum Patrum de Vulgari istthac tam Psalmorum quam N. T. Versione querelas, equidem optarim nos posse ire inficias. Sed quid cunctamur aliis quoque locis, Interpretum si non ignorantia, certe indiligentia, aut obscure aut improprie, aut à scriptoris sensu aliene translatis adacti, in illorum sanctiss. juxta ac doctiss. censorum ire sententiam?* Capite 6. ejusdem libri 3. probare nititur vulgatæ Versionis Psalterii & Novi T. auctores fuisse homines *Græcos*, nec Latine satis eruditos: & Psalterii præterea Versionem, non fuisse expressam ex interpretatione LXX. sed potius ex *Symmachi*: nec Novi T. Versionem eandem fuisse cum illa quam *Hieronymus* castigavit. *Non hæc* (addit) *eo à nobis dicta, quis velim existimet, ut Latinum nostrum sive Psalmorum, sive N. T. Interpretem cuiquam deridendum propinem, aut ejus auctoritatem usu & tempore corroboratam, aspernendam, sed quo homini diligentiori quam doctiori, majori fide quam Latinismi cognitione prædito, apud æquos harum rerum arbitros plus paratum sit patrocinii, quam majorem quæ apud Græcos legebantur, fideliter reddendi habuerit rationem, quam proprie, perspicue, aut significantissime exprimendi.* Cap. 10. *Quas modo aggredimur locorum S. Scripturæ classes, clarius necessarium linguarum Heb. atque Gr. commonstrant usum: ut enim emendata pura puta, atque certa tibi constet scripturæ lectio, at sensum tamen nondum habet semper apertum ac cuivis obvium: & si obvium aliquando, non tamen certum & indubitatum. Proinde hunc ex fontibus esse hauriendum aut illustriorem, aut pleniorem, aut denique veriorem ipsa nos sæpenumero res cogit.* Hæc *Lindanus.* Cujus testimonium de erroribus Versionis Vulg. eo majoris (inquit *Mariana*) ponderis est, quod is auctor studio defendendi Latina, Hebraicis Græcisque Codicibus parum æquus indicatur.

Idem in *Panoplia Evangelica*, ed. 1559. lib. 1. cap. 10. *Psal.* 77. *In parabolis aperiam os meum, loquar propositiones, vel ut* LXX. *problemata ab initio: — noster vulgatus Interpres vulgariter nimis expressit, loquar propositiones, inquiens, ab initio: quum reddendam fuisset aptius, eloquar, quæ ab initio abstrusa latuere, & hactenus fuere plerisque omnibus incognita. Hunc enim Davidicæ prophetiæ sensum à* LXX. *haud obscure indicatum dedit Matthæus sua veluti paraphrasi, si modo nos genuinam* LXX. *alicubi editionem hoc loco legimus. Nam editionem istam Psalmorum vulgarem, & Ecclesiis prope omnibus usitatam, à* LXX. *Interpretum auctoritate variare argumenta aliquam multa.* Ibid. cap. XI. ait Interpretem Latinum Psalmorum locum alium *improprie reddere*, quem *undequaque doctissimi* LXX. *Interpretes eruditissime, ut alia omnia converterint.*

Præfat.

Præfat. in Pfalt. quod an. 1567. Epifcopo Auguftano, ipfe tum Epifcopus Ruræmondenfis, nuncupavit, ait fe *pofteaquam varia linguarum variarum, variis etiam in regionibus contuliffet exemplaria, & per aliquot annorum Olympiades corrigendi Pfalterii in Ecclefia Latina ufitati fylvulam collegiffet, tandem eam cædere aggreffum effe, hoc eft, varias Pfalterii Latini lectiones Codicum Latinorum ac aliorum idiomatum, maxime vero Hebræorum, Chaldæorum, Arabicorum, ac in primis Græcorum collegiffe. — Se non dubitaffe in textum reponere, quod in Latinis repertum codicibus, licet rarioribus, fuffragio niteretur Græcorum, aut Hebræorum.* — Hæc demum fubdit: *Ad Synodum equidem pertinere arbitror abfolutam Pfalterii, ficuti & totius S. Scripturæ Canonicæ, caftigationem (de quo ad S. D. N. Pium V. Rom. Pontif. inter alia dudum fcripfimus) edere, aut ALIAM (fi videbitur aliquando) Ecclefiis in ufum quotidianum, faltem Pfalmorum, dare Verfionem ex* LXX. *aut Græcis alioqui emendatioribus, quam nofter Interpres fuit nactus, fidelis quidem ille, fed non diligentiffimus, nec caftigatiffimis ufus Codicibus. &c.*

79. Melchior Canus, Profeffor Salmanticenfis, & Epifcopus Canarienfis, qui Concilio Trid. in pofterioribus Seffionibus, fub Julio Pontifice, interfuit, quamvis Latinæ Ed. adverfus fontes patrocinium fufcipit in *Locorum Theolog.* opere, quod editum eft an. 1562. videtur tamen voluiffe eam eatenus tantum approbatam, quatenus fidem moresque fpectat. Sic enim Conclufiones ftatuit varias in lib. 2. cap. 13. *Prima Conclufio, quæ maxime rem caufamque continet, nam cæteræ funt quafi conjectariæ, Editionem hanc Vet. atque Vulg. quam poft tempora D. Hieronymi Latina Ecclefia ufurpavit, fidelibus effe retinendam in his omnibus, quæ ad fidem moresque fpectabunt.* 2. *Si qua morum & fidei quæftio inter Catholicos exoriatur, eam definiri oportere per Latinam hanc veterem Ed. &c.* 3. *In fidei ac morum difputatione non effe nunc temporis ad Heb. Græcave exemplaria provocandum &c.* 4. *In his quæ ad fidem & mores pertinent, non effe Lat. exemplaria per Heb. vel Græca corrigenda.* Sic cap. 14. ait Interpretem, fi Propheta non fuit, habuiffe tamen fpiritum quendam prophetico vicinum & proximum, *qualis* erat neceffarius ut Ecclefia Latina editionem facrorum librorum haberet, *quam tuto in fide & moribus fequeretur.* In 8. cafibus ad fontes recurrendum effe ftatuit, 4. illis quos diximus *Bellarminum* affignare, hos alios 4. adjiciens, 1. Ubi differitur cum infidelibus, 2. Cum emphafis eft in vocabulo Heb. aut Græco, 3. Ad eruendos plures fenfus, 4. Ad quædam vocabula, vel Heb. vel Græca percipienda, quæ in Ed. Latina remanferunt. Non magni hoc nobis momenti. Illud vero præcipue noto, quod ubi differit de erratis è fontibus corrigendis apud Gen. 3. non *ipfa*, quod agnofcit etiam editio *Clementina*, fed, *ipfe*, ex Heb. legendum effe ftatuit. Quem locum etiam ad Heb. corrigit *Lindanus*. *Hieronymus*, inquit *Canus*, *in Quæft. Heb. Gen.* 3. *legendum ait, Ipfe conteret caput tuum, non ipfa. Cum enim apud Hebræos neutro genere ad femen referatur, interpres rem fignificatam perpendens, in mafculino genere tranftulit, ipfe. Quod imperiti non intelligentes, vitiumque fcriptoris exiftimantes, fubftituerunt, ipfa.* Sic alibi de loco illo, Jo. 4. *Erat quidam regulus*; quæ lectio eft etiam *Clementinæ*: *Pro quo Græce* (inquit) βασιλικὸς, *hoc eft, de aula regia, feu Palatinus, ut Hieronymus in Efaiam annotavit. Videtur interpres Græce legiffe*, βασιλίσκος. *Græca vero exemplaria habent omnia* βασιλικὸς, *id eft, regalis feu regius. Qua ex re conjectura fit, Interpretem, Regalem, vertiffe, fed à fciolo, Regulum, effe fuppofitum.*

In locis illis ubi duplex juxta varia exemplaria invenitur lectio, ftatuit *Canus* neutri effe certo adhærendum quoad ufque Ecclefiæ decreto quænam fit verior innotefcat.

80. Al-

80. Alphonsus Salmeron, Toletanus, unus è primis Societatis Jesu Decemviris, & in Concilio Trid. Theologorum Papalium primus, in *Prolegomenis Biblicis*, quæ scripsit sub *Pio* V. circa an. 1567. Auctores Versionis Vulg. & Græcæ LXX. peculiari Spiritus S. ductu & assistentia Heb. literas Latinas reddidisse [a] statuit; *lectionem Heb. non esse sine plerisque vitiis, & corruptionibus, ut non sit per omnia illi temere fides habenda,* [b] *nisi judicium adhibeamus, ac diligenter omnia verba ponderemus,* contendit: Judæos eam post *Hieronymi præsertim* tempora corrupisse, *quo nobis in quibusdam locis veritatem de Christo eriperent.* [c] *Si Catholicæ Ecclesiæ filios nos præstare velimus in evolvendis & enarrandis sacris literis, in V. Testamento una opera, & Latinam Edit. ex Heb. Veritate profectam simul cum Versione Græca* LXX. *conjungendam esse, & utramque pro vero Textu Bibliorum asumendam esse, ut una alteri præluceat, & adjumentum intelligentiæ præstet, & utraque nostra studia, conciones, disputationes, & conscriptæ elucubrationes fulciantur.* De auctoritate vero Textus Heb. Versionisque Vulg. deque mente Concilii Trid. hæc habet in principio fere harum Disputationum in *Proleg.* 3. *Jam secundo loco ostendemus, non ita fuisse Vulgatam Hieronymi Editionem approbatam, ut propterea rejecta sint intelligenda, vel Græca, vel Heb. volumina: quod non est difficile ostendere. Nihil enim ibi* (in Concilio) *de exemplaribus aut Græcis, aut Hebraicis agebatur; tantum inter tot editiones Lat. quot nostra secula parturierant, quænam ex illis præstaret, sermo erat: & rejectis reliquis Latinis, unam hanc Vulgatam reliquis tanquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, ac suis fontibus, unde est orta, magis consentientem pronunciavit, atque huic soli, ut Commentariis, & Scholiis illustretur, contulit, ut illam ad conciones, lectiones, & publicas disputationes adhibeamus: atque adeo ut nullus sibi tantum arroget, aut tantum audeat, ut eam rejiciat, aut contemnat. Liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas profundius meditantur, fontes Græcos, aut Hebræos, quatenus opus sit, consulere, quo nostram vitio librariorum, vel temporum injuria corruptam emendare valeant, quo etiam eam dilucidius explicare, atque illustrare possint: non tamen ut eam, falso interpretatam, præsertim in rebus ad fidem vel bonos mores spectantibus, vel errorem intolerabilem continentem condemnent, ut hæretici frequenter impudentissime faciunt. — Voluit præterea sancta Synodus, ad hanc Latinam Edit. amplectendam, & in omnibus consectandam nos arctare, non quidem simpliciter, sed dummodo esset à vitiis, quæ in eam irrepserunt, & ab omnibus mendis, & erroribus emaculata, atque repurgata. Atque utinam labor in ea expurganda & recognoscenda inchoatus per peculiarem illustrissimorum Cardinalium, atque doctissimorum virorum deputationem à sanctiss. D. N. Pio* V. *indictam, tandem aliquando perficeretur: ita enim fieret, ut Latinam Bibliorum Editionem genuinam, & germanam magna cum totius Ecclesiæ, & studiosorum utilitate brevi haberemus. Interim dum hæc in lucem prodit, nemo vetat, quin apertos errores ex Heb. vel Græcis Codicibus, vel ex varia veterum Patrum lectione, vel ex constanti & aperta, corrigere, atque emendare valeamus: si tamen Ecclesiæ Dei, & meliora sentientibus, in re præsertim tanti momenti, judicium nostrum, ut par est, subjiciamus. At vero ubi Hebræa, vel Græca lectio diversa sit, non autem Editioni Vulg. contraria, modo Lat. interpretationem non respuamus, vel contemnamus, sed pro viribus, quoad ejus fieri posit, & tueamur, & explicemus, licebit nobis, salva Concilii Trid. Gen. auctoritate, sive Græci sive Heb. exemplaris lectionem variam producere, eamque uti verum Bibliorum textum expendere, & enarrare: nec tantum bonos mores per eam ædificare, verum etiam Fidei dogmata comprobare & stabilire, atque adeo ab illa sumere efficax argumentum, tanquam ex textu Spiritus S. Ita enim sæpe Hieronymus facere consuevit, qui in Com. super Prophetas, post explicatam lectionem Heb. variam ab illa* LXX. *Interpretum literam persequi, & expla-*

[a] Prolegom. 3.
[b] Proleg. 4.
[c] Proleg. 6.

nare solet. Hoc etiam à plerisque Catholicis scriptoribus, qui post Concilium Trid. aliquid scripto obsignarunt, observatum video; ut nemo temere in Latinam involet editionem, aut illam contumeliis afficiat: sed ubi illi illustratæ atque explanatæ fecerunt satis, Græca vel Hebræa, si diversa videantur, producant atque declarent.

Ex quibus nonnulla omni acceptione digna elicienda esse putavi. Primum est: Stultum esse, & prope hæreticum, Latinam Ed. aut contemnere, aut irridere, aut in ejus auctorem, quasi rudem & imperitum debacchari. Secundum: Per contrarium, stultum est in eum indignari, qui post expositam Ed. nostræ literam, ex fontibus Græcis, vel Hebræis aliqua, vel diversa, vel ad priorem illustrandam conferentia depromat. utrumque enim perinde vitiosum est, & ut extremum, à prudenti Interprete declinandum. Tertium: Si quando contingeret, ut aliud legamus in Vulg. & Lat. Editione, aliud vero in Heb. aut Græcis Codd. si non contradicunt, sed tantum sunt diversa, utraque lectio est recipienda, & Catholico sensu explicanda: si vero contradicant sibi invicem, sicut affirmatio & negatio, quod perrarum esse solet, adhibenda est diligentia, & omnis opera ponenda, si qua ratione illa possimus ostendere in speciem tantum, & non reipsa sibi adversari. —— Ubi vero nulla possit iniri concordia, illi lectioni magis esse standum, quæ magis cum præcedentibus & sequentibus consonaret, aut quæ magis conveniret cum Apostolicis & Evangelicis literis, aut quæ antiquiora & probatiora exemplaria pro se haberet, aut quæ à pluribus Patribus agnita est & probata; sive sit Hebræa, sive Græca, sive Latina.

81. TH. STAPLETONUS, Anglus, Jesuita, Professor primum Duacensis, postea Lovan. in [a]Opere *Controversiarum* ed. an. 1578. de Textu Hebræo modeste & reverenter loquitur, etsi Editionem Vulgatam præferat. *Equidem* (inquit) *inspectio fontium & originis ipsius Heb. vel Græcæ cum Latina aut alia aliqua versione diligentem collationem magnam vim habere ad illustrandam id quod obscurius & minus clare Interpres vertit, NON ASSECUTUS SEMPER genuinam linguæ phrasim, idioma, & gustum, facile concedo, & nemo doctus negaverit. Sed is modus tenendus est, ut nec rustice sacros illos fontes conculcemus, vel barbare explodamus, nec etiam id illis tribuamus, quod nullo modo tribuendum recta ratio docet. &c.* Codicum Heb. non *corruptionem*, sed *varietatem* potius asserit: *Neque Heb. Textum (maxime punctis adhibitis quibus nunc legitur) ab omni vel corruptione, vel certe varietate, liberum esse, certissimis argumentis deprehensum est.*

[a] Controv. 6. l. 11. cap. 12.

82. HECTOR PINTUS, Lusitanus, ex Hieronymiana familia, in Acad. Conimbricensi S. Scripturæ Professor, qui ob. 1584. quamvis Com. in Dan. 7. dicit *sacrarum Scripturarum Veritatem jam nunc non esse præcipue petendam ex Heb. & Græcis, sed ex Lat. Versione*, tanquam quæ *pura* sit & *inviolata*; quanto tamen in pretio Textum Heb. habuerit, constat passim ex Commentariis in Prophetas. Et in locis aliquibus, rejecta Versione Vulg. substituit suam, ut in Esai. 17. Et in Esai. 19. verba illa Editionis Vulg. *ad montem nominis Domini exercituum montem Sion*, absque ulla explicatione dimittit, utpote non comparentia *in exemplaribus Heb. nec in Græcis, nec in Versione Hieronymi.* Alibi intelligit Decretum Trident. de Versione Vulg. comparata, non cum Textibus Orig. sed tantum cum aliis Translationibus. In Dan. 3. *Non est cur Vulgatam Edit. contemnant & vituperent vani homines, cum juxta S. Conc. Trid. Decretum ea sit authentica: eamque ob causam aliis omnibus VERSIONIBUS antepósita. Possunt quidem ex Heb. & Græca VERITATE alii aliquando sensus depromi & hauriri veri, salutares, & excellentes: & ex pleno fonte mirabiles rivi deduci atque derivari. At non ideo est dicendum, falsam esse antiquam nostram Edit. Vulg. quæ omnibus aliis est verior, gravior, illustrior, & præstantior.* Sic in Dan. 7. *Cognitio linguæ*

gua Heb. est mirum in modum utilis ad intelligentiam V. T. similiter & Græca ad intelligentiam Novi.

83. PAULUS GRYSALDUS, Professor Perusinus, Ord. Præd. *Decis. Fidei Cathol.* ed. 1587. in voce *Biblia*, hanc Propositionem, *Bibliam qui vult exponere, ad Heb. linguam ac codices recurrendum est*, tanquam *Hæreticam* damnat. Idem tamen in voce, *Scriptura*, accedit eorum sententiæ qui in Latina Vulg. errores nonnullos esse fatentur, inter quos recenset TITELMANNUM, & ALOYSIUM LIPPOMANNUM. *A quibus*, inquit, *non discedunt recentiores nostræ familiæ.* Ait Concilium Trid. cum decernit Vulgatam non esse quovis prætextu rejiciendam, *loqui de his quæ ad fidem spectant, non de minimis: Ut Papa aliquando potest errare, ut homo, non ut Pontifex definiendo, sic & Scripturam posse in aliquibus esse depravatam, non tamen in his quæ sunt majoris ponderis.*

84. HIERONYMUS DE LA RUA, Professor Toletanus, in opere *Controversiarum* Gregorio XIII. nuncupat. & an. 1584. ed. statuit, *si qua fidei & morum quæstio exoriatur, nullo modo recurrendum esse ad Heb. codices, ut aliquid ejiciatur, quantumvis leve sit; vel ut aliquid emendetur, quantumvis minimum, sed standum esse in omnibus Editioni Vulg.* Addit vero: *Quæ assertio sic est intelligenda, non quod negemus, esse utilem recursum ad Heb. Veritatem, ut ex ea melius aliqua intelligantur cognitis phrasibus, idiomatibus, Hebraismis, modisque dicendi alienæ linguæ, utque plures sensus ex concisione linguæ orti accipiantur, quam ex verbis, ab eo, qui transtulit, positis, accipi possint.* Ibidem negat Heb. exemplaria communi Hebræorum consensu fuisse unquam corrupta; eaque manere sicut Hieronymi tempore fuere, contendit, aliqua saltem *in sua origine integra servata.*

De hoc argumento longe plenius tractat in secunda editione *Controversiarum* ed. *Madriti* 1619. ubi [a] asserit *nihil impedire aut Codicum Heb. fictam corruptionem, aut Synodi de authentica Editione definitionem, quin studiosi sacrarum literarum ex Heb. fontibus multas utilitates, necnon & commoditates haurire* [b] *valeant.* Concedit *sententiam quæ est in Codicibus Heb. vel Græcis (etsi perraro) congruentiorem & aptiorem esse pro rebus fidei confirmandis ea, quam expressit Latinus Interpres.* Hujus tamen sententiam, etsi minus apta sit & commoda, esse tamen magis authenticam, & Interpretem *ad eam ponendam sufficientibus rationibus fuisse motum à Spiritu Sancto.* Postea [c] asserit *Interpretem in singulis verbis non habuisse assistentiam peculiarem Sp. S. sed solum pro transferendo sine fidei errore, morumque vitio. adeoque in aliquibus non ita significanter nec ita commode transtulisse, quin potuerit melius & commodius vertere.* atque hoc concedi ait [d] *à fere universis sacrarum literarum studiosis.* [e] *Somniare eos*, qui putant Synodum Trid. *singula verba recipienda decrevisse.* [f] *Non esse impium affirmare, interpretem fuisse hallucinatum, cum in medium adfertur Scripturæ locus, ubi Interpres clare ostenditur à fonte devius, usque dum universalis Ecclesiæ authoritate sit definitum, editionem in omnibus suo fonti & origini consonam esse.* Denique, ad *Heb.* & *Græcos* codices recurrendum esse, cum ob alias causas, tum ob has, [g] *ut plures inde sensus accipiantur, quam potuerit exprimere Latinus Interpres:* [h] & pro agnoscendis erroribus & vitiis quæ in Versionem irrepserunt, *aut incuria librariorum aut depravatione hostium Ecclesiæ.*

a To. 1. p. 164.
b Pag. 206.
c Pag. 209.
d Pag. 211.
e Pag. 218.
f Pag. 219.
g Pag. 223.
h Pag. 227.

85. GREG. DE VALENTIA, Professor Ingolstadiensis, quamvis in *Analysi* Versionem Lat. textibus primogeniis diserte anteponit, tamen argumentis pro altera parte mature consideratis, ita moderatus est suam sententiam, ut an. 1590. Ingolstadio scripserit ad *Serarium* in hæc verba: *Summa, mi Pater, hæc est; existimare me auctoritate definitioneque Concilii Trid. Vulgatam Edit. Lat. omnibus Editionibus, cujuscunque sint idiomatis, fuisse prælatam; ita tamen sententiam meam veram esse putare, ut arbitrer posse quempiam sine periculo erroris de vi atque sensu Definitionis*

 illius

illius Concilii Trident. aliter opinari. Leguntur hæc apud *Serarium Prolegom.* cap. 19. Q. 12. §. 1.

86. Jo. Lorinus, Avenionensis, ex familia Jesuitarum, qui Romæ & Mediolani Theologiam professus est, Præfat. in Psalm. ed. 1611. *Editionem Lat. Vulg. non modo Psalmorum, sed totius quoque S. Script. ut nunc approbata est à Sede Apostolica, omnino certam & canonicam esse, ut certum pono.* Idem tamen in Psal. 26. 12. eorum impugnat sententiam, qui Scripturas Heb. à Judæis fuisse malitiose sive consulto depravatas existimant.

87. Jac. Gordonus Huntlæus, Jesuita Scotus, *in Epitome Controversiarum* (1612.) multa habet pro Vers. Vulg. & contra textum Heb. quibus *Glassius* respondet in *Philologia*. Idem tamen fatetur *recte & utiliter consuli Heb. textum, ut verus literæ sensus agnoscatur, quando Vulg. Versio Lat. est ambigua, aut minus aperta. Præterea ut intelligantur varia mysteria, quæ in textu Heb. latent, & verbis Lat. satis explicari non possunt: denique ut energia & emphasis illius sacræ linguæ plenius comprehendatur.*

88. Lud. Turrianus, Jesuita, Complutensis, *Disputationibus in Thomam* (1617.) eorum accedit sententiæ qui Versionis Vulg. omnimodam integritatem & αὐθεντίαν asserunt; idem tamen Heb. Codicum incorruptionem [a] defendit, *& fere doctores suæ ætatis eandem sententiam amplecti* affirmat: sed auctoritatem Ed. Vulgatæ magis nobis constare ob Ecclesiæ Decretum: ex aliis Versionibus diversos etsi non contrarios, sensus erui posse. *Observandum est* ([b] addit) *posse aliquando ejusdem loci esse duas lectiones diversas inter Lat. Codices, & tunc considerandum est quam habeat qualibet illarum auctoritatem. Si enim una magis sit in usu apud Patres & Ecclesiam, illa præferenda est: si vero dubia res sit donec ab Ecclesia declaretur, utraque potest retineri, quamvis si certo constet de litera Originali, ea Latina potius est recipienda quæ Originali respondet: quod si utraque cadere possit æque in Originalem, & utraque pariter est in usu Latinorum Patrum, antequam Ecclesiæ judicium de illis feratur, sub disjunctione utraque est amplectenda.* Quæstionem aliam movet his verbis: [c] *Difficilius posset quæri an quando vox Lat. secundum proprietatem habet diversum sensum ab Originali, sit præferendus sensus ille sensui vocis Græcæ aut Heb. ex una enim parte sensus Originalis videtur præferendus quando lectio Orig. est incorrupta; ex altera vero parte cum sit retinenda Lat. Vulgata lectio propriéque sit explicanda, ille sensus videtur præferendus quando secundum vocis Lat. proprietatem aptius cadit in eam. Aliqui hanc posteriorem partem defendunt, perfunctorie rem attingentes non hoc loco, sed explicantes interdum aliqua loca lectionis Vulg. propter rationem factam. Multis vero prior probabilis videtur, quia in tali loco licet sit retinenda Lat. Vulg. lectio, tamen ubi certo constat de lectione Orig. vox Lat. ita est sumenda, ut ex circumstantiis significet, vel tanquam ex causa, vel effectu, vel alio modo simili, id quod significat vox Græca Orig. hoc enim non est contra auctoritatem Vulg. lectionis, si retenta ea lectione trahamus verbum aliquod ad sensum Originalis vocis, qui ex aliis adjunctis vocibus lectionis Vulg. etiam colligitur, quæ doctrina pro variis Scripturæ locis observanda est.*

[a] Disp. 21. dub. 22.

[b] Disp. 2. dub. 4.

[c] Dub. 3.

89. Dominicus Garcias, Hebr. linguæ Professor aliquando Complutensis, postea Inquisitionis Regni Aragonum Censor, quamvis Ed. Latinam *sanctissimam nostram Vulgatam* appellare solet, & Interpreti Spiritum divinum & infallibilem attribuit, tamen in *Quæstionibus super Gen.* (ed. 1624.) super cap. 9. Q. 2. hæc habet: *Quod si nobis opponant, ex Vulgata Lectione non constat, Deum temporibus Noæ exhibuisse illud signum, &c. illis dicemus, quod si textum Heb. consulamus, adinveniemus illum legere de præsenti. — Et ad hoc dicendum textus Heb. nos impellit. &c.* Quæst. 3. *Quæ litera perseveratura erat una simul cum veteri originali*

originali Hebræo Testamenti antiqui usque in finem mundi in testimonium contra Judæos.

90. Iniquior Fontibus, quam ille quem defendebat, erat JAC. GRETSERUS, Jesuita, Professor Ingolstadiensis, in *Bellarmini Defensione*, quam in lucem dedit an. 1607. ubi [a] ait, *non recurrendum esse ad fontes, quia fontes sunt corrupti: sed veritatem indagandam esse ex Edit. Lat. vulgata, & ex Græca LXX. & aliorum interpretum.* [b] Et *fontes Heb. iis locis, ubi Vulgata Edit. vere plus habet aut minus, quam Heb. textus, non esse sinceros; sed id quod in Editione Vulg. exstat, in Heb. autem non exstat, excidisse, quocunque casu id acciderit.* — [c] *Deum Interpretis manum & calamum direxisse, ne usquam à Spiritus S. mente in translatione aberraret.* Est tamen ubi mitiorem se præbet, & Vulgatæ Edit. præcellentiam ad ea quæ spectant ad *fidem moresque*, restringere videtur; nempe paulo post verba novissime citata, ait, *Patres & ipsos communiter fideles habuisse hanc interpretationem pro tali, quæ Spiritus S. sententiam ubique assequatur, quod ad doctrinam & mores attinet: nec tamen hoc ipso* (inquit) *præfertur à nobis aut à Patribus, ipsi fonti Heb. & Græco; sed exæquatur; si quidem Hebræi ac Græci fontes cum Lat. vulg. Editione consentiant, sufficit nobis exæquatio, non postulatur prælatio. At si, quod ad dogmata fidei vel morum attinet, Græci & Heb. fontes à vulg. Versione discrepent; intrepide eam hujusmodi fontibus præferimus; utpote corruptis, quia decretum Ecclesiæ habemus, vulgatam Edit. nusquam à mente Spiritus S. deviare, quoad dogmata fidei & morum; non habemus autem hujusmodi decretum de Textibus Heb. & Græco, prout hodie exstant.* [d] Alibi: *Non ita probavit Ecclesia Editionem Lat. vulg. quasi nullum in ea reperiatur vocabulum non satis apte ex Heb. translatum; sed in iis, quæ ad dogmata fidei & morum spectant, hanc editionem declaravit esse authenticam.* [e] Rursum: *Nec tamen Ecclesia unquam adhuc declaravit eas ipsas lectiones, omnes & singulas, quæ in textum admissæ sunt, esse veras ac legitimas omnisque vitii expertes; sed tantum nobis exposuit vulgatam Edit. Lat. esse authenticam, quod attinet ad doctrinam fidei & morum; ita ut quicquid ex Hebr. aut Græcis fontibus in alterutro horum capitum cum vulgata Edit. Lat. non concordat, id tanquam non authenticum repudietur; potest autem vulgata Edit. hoc sensu & modo authentica esse, licet erratis librariorum non penitus careat.*

[a] Lib. 2. c. 2.
[b] Cap. 9.
[c] C. 10. p. 537.
[d] Pag. 560.
[e] Pag. 571.

91. JO. AZORIUS, Jesuita, *Institutionum Moral.* quas *Clementi* VIII. nuncupavit, lib. 8. cap. 3. etsi Editionem Vulg. non modo in rebus fidei ac morum, sed & in omnibus esse Canonicam statuit, ait tamen *exemplaria Heb. & Græca suam fidem & auctoritatem etiam nunc retinere, quam ante Concilium Trid. habebant: & si sensus Heb. vel Græcæ lectionis non sit Vulgatæ contrarius, sed solum ab illa diversus, illum à Concilio non improbari: sed permissum esse alios sensus diversos ex Heb. Codicibus eruere, ad aliorum in vita & moribus profectum juvandum, & promovendum.*

92 LUD. TENA, Professor Complutensis, postea Episcopus *Dertusensis*, [f] *Isagoga in S. Script.* quam edidit an. 1620. etsi Latinam Vulg. in singulis apicibus pro authentica & regula fidei habendam esse sta[&]tuit: Textum tamen Heb. incorruptum etiam esse contendit: eum vero minoris esse nobis auctoritatis, quia eum esse authenticum *fide* tantum *humana* credimus, cum Latinum esse authenticum credamus *fide divina*, ob Ecclesiæ scil. declarationem. *Ex hoc vero decreto* (inquit) *non solum non minuitur auctoritas Hebræorum & Græcorum Codicum, quin potius roboratur magis. Sicut si ex eadem stirpe essent duo fratres nobiles, unusque haberet probatam nobilitatem, & alius: secundum rem eadem esset utriusque nobilitas, non tamen quoad nos. Quia, ut sic, firmior esset, quæ probata est; cujus probatione alia non tantum non minuitur, sed amplius solidatur. Pariter etiam respondetur ad exemplum de fonte, & rivulo; quando*

[f] Diff. 3. § 4.
[&] Diff. 4. §. 2.

enim eadem certitudine, liquet puritas utriusque, tunc major est claritas fontis, saltem originative, secus tamen, quando certius constat rivuli puritas, ut in nostro casu. Ut eos reprehendit, qui, ut Heb. lectionem colant, valde detrahunt Vulgatæ; sic eos quoque, qui, ut Vulgatam extollant, Hebraicam & Græcam abjiciunt tanquam inutiles. *Media* (inquit) *via incedendum est, ut unicuique detur, quod suum est, simulque maneant honorati parentes, & filii. Quare merito sancti Doctores, & alii viri, nostra hac tempestate, omni eruditione referti, qui concionibus & scriptis, Dei Ecclesiam illustrant, ita Vulgatam interpretantur, ut ab Hebræis & Græcis Codicibus testimonia petant, Christianæ religioni valde consentanea, & utilia.*

93. FRANCISCUS SUARESIUS, Professor Conimbricensis, in opere *de triplici virtute Theolog. &c.* ed. 1621. *Disput. 5. de Fide, §. 3. n. 10.* quamvis neget admitti debere aliquid, quod Lat. Editioni contrarium sit, concedit tamen *admitti posse varias lectiones, & varios sensus, ex aliis linguis.*

94. JAC. BONFRERIUS, Jesuita, in Collegio Aquicinctensi sacrarum lit. & linguæ sanctæ Professor, in *Præloquiis* Pentateuchi ed. 1625. statuit [a] *Judæorum malitia nonnulla, sed non admodum multa, in Heb. textum irrepsisse errata*, nimirum per punctationem Masoretarum. Istiusmodi loca sex enumerat. Extra ea loca, in quibus de Christo, fideique Christianæ mysteriis agitur, *esse magnam auctoritatem textus Heb. majorem tamen Versionis Vulg. esse debere, quam textus Heb. & ubi cætera sunt paria, potius textum Heb. è Versione esse corrigendum, quam contra.* Addit, textum Heb. *plurimum prodesse ad diversos sensus literales, qui sub eisdem apicibus Heb. latere possunt, quos una sua Versione Latinum Græcumve idioma exprimere non potest; sive ad nova aliqua sensa, mysteriaque aliqua arcana detegenda, ad quæ Interpretes Concionatoresque manu ducunt Hebræa.* Eadem fere dicit de N. T. textu Græco; illi *universe loquendo*, & *cæteris paribus* præferendam esse Versionem, non vero semper, ubi à se invicem recedunt. Pauca [b] quædam recenset loca in Græco textu depravata. Nomen *AUTHENTICÆ* in Decreto Trid. *importare aliquid amplius, quam ut nihil sit in Vulgata quod fidei vel bonis moribus repugnet; verum etiam nihil in ea esse quod aperte falsitatis vel contradictionis alicujus possit revinci, etiamsi ad fidem vel mores non pertineat.*

[a] Cap. 13. §. 2, 3, 4, 5.

[b] Cap. 14.

Porro, inquit, *leviora cætera, an viz singulas voces ita apte verterit Hieronymus, ut commodius verti non possent; an singularum arborum, plantarum, gemmarum, animalium nomina ita expresserit, ut in eo nihil humani lapsus admiserit, nolim ego asserere, nec Concilii Trid. credo mentem esse. — Item, non est contra hoc Concilii Decretum, dicere videri aliquid additum vel demptum, quod sensui aliquo modo officiat; puta Exodi* 38. 25. *aliquid è nostro textu excidisse, id enim passim omnes asserunt, & Heb. textus & Editio* LXX. *perspicue id indicant. Jos.* 16. 8. *ubi habetur*, mare falsissimum, *additum est epithetum illud*, falsissimum, *quod neque Hebræa, neque* LXX. *habent, videturque omnino sensui officere.* Com. ad. Jos. 21. *Ego nihil hic mutandum censeo, donec aliter visum erit Christi Vicario, cujus est Bibliorum correctiones dare.*

95. JAC. TIRINUS, Jesuita Antuerpianus, in *Controversiis Fidei* [c] ed. 1632. ait *Latinam Ed. per omnia esse authenticam, sinceram & infallibilis fidei, non tantum quoad dogmata & mores, sed & quoad rerum gestarum historiam* At quam bene iste homo sibi convenit! Fateri mox cogitur, ei inesse errores quosdam, quos vocat *typographicos*, cum tamen non esse *typographicos* ipse optime scivit. "Nolo tamen illam excusare à mendis "typographicis, quæ hinc inde irrepserunt. v. 9. 2 Reg. 21. 8. *Michol* "ponitur pro *Merob.* 24. 13. *septem* pro *tribus* annis. 3 Reg. 7. 14. "*Nephthali* pro *Dan.* 1 Paralip. 4. 22. redundat solem. 5. ult. in *Labela* "redundat

[c] Controv. 2. n. 9.

" redundat *La.* 2 Paralip. 20. 1. *Ammonitis* positum pro *Idumæis*. 22. 2. " *quadraginta duorum*, pro *viginti duorum*. Et plura notavit *Franciscus* " *Lucas*, & nos sparsim suis locis. Sed hæc ut facile corrigi possunt, " ita res ipsas, dogmata, vel mores non concernunt." Quomodo dici possint *res ipsas* non concernere, *Tirinus* viderit: Id ego non video.

90. Inter omnes Hebraicorum Græcorumque fontium adversarios nemo aut doctius, aut vehementius rem egit, quam Jo. Morinus, Blesensis, Congregationis *Oratorii* Presbyter; qui cum è castris Reformatorum ad partes Pontificiorum transfugisset, nihil prius aut antiquius habuit, quam Scripturarum Origin. quas summe colunt ac venerantur *Reformati*, auctoritatem elevare, sibi tamen parum constans. Hoc animo, edidit 1. Præfationem in Sixti V. Biblia Græca recusa Parisiis an. 1628. 2. *Exercitationes in utrumque Samaritanorum Pentateuchum* 1631. 3. *Exercitationum Biblicarum de Hebræi Græcique textus sinceritate, germana* LXXII. *Interpretum translatione dignoscenda, illius cum Vulgata conciliatione, & juxta Judæos divina integritate, totiusque Rabbinicæ antiquitatis, & Operis Masorethici ara, explicatione, & censura*; partem priorem 1633. 4. *Diatriben Elenchticam de sinceritate Hebræi Græcique textus dignoscenda, adversus insanas Hæreticorum quorundam calumnias*, 1639. intelligit *Franciscum Tailorum* Anglum, & *Arnoldum Bootium* Belgam, qui *Examen Præfationis Morini in Biblia Græca de textus Hebr. corruptione, & Græci auctoritate*, ediderant. Accedunt *Appendix de locis Hebræi textus restitutis*; & *Animadversiones in* Musisi *Censuram Exercitationum Samarit.* Prodiit *Exercitationum Biblicarum* (Operis 25. annorum) pars posterior, adjuncta etiam priori, an. 1660. quum Auctor anno præeunte è vivis excessisset.

His libris nervos omnes contendere videtur, ut Scripturarum primævarum præsertim Heb. auctoritatem, quoad fieri possit, diminuat ac labefactet. Illum vero haud obscure colligitur majori in pretio habuisse Versionem LXX. quam ipsam Vulgatam Lat. licet hujus quoque Auctorem Divini Numinis adflatu fuisse adjutum asseveret. Textum enim Heb. haud raro reprehendit, ubi ei congruit Versio Latina.

Morinum vulgo hodie sequuntur, tanquam Ducem omnium fortissimum, quotquot Biblia Heb. arietare audent: pauci vero intelligunt, quid revera senserit *Morinus*. In Præfatione *Exercitationum Bibl.* non erubuit Editor, homo nequam, Lectori his verbis inanibus ac Thrasonicis fucum facere. *In id* (inquit) *strenue incumbit Morinus, ut* LXX. *Interpretum & Vulgatam S. Bibliorum Editiones sinceras & nativas vindicet, contra Veteres & Recentiores illos, qui eas ex Hebr. textu impugnare totis viribus contendunt, ut extra omnem Scripturas S. legendi regulam positi, suis somniis liberius indulgeant, & errores suos adversus Catholicam Veritatem impune profiteantur. Quocirca tales videas homines* (*Hæreticos dico*) *quos si viceris afferendo testimonia clarissima, cito ad Heb. textum, tanquam ad arcem, confugiunt, ut sub ejus obscuritate tuto caliginem veritati offundant. Mirum certe quanto cum fastu & arrogantia testimonia aliunde apertissima, illa sua Hebræa obvoluti caligine deludant, & Viris Ecclesiasticis insultent, quorum magna pars, utpote in Sacramentorum dispensatione aliunde satis occupata, aut Hebraicam non callet linguam, aut certe non ita callet, ut minutiorum vocabulorum, in quibus nidum Hæretici collocant, diligentiori exquisitioni vacare per tempus liceat; atque ita hi superbi Ecclesiæ hostes unum aut alterum Heb. verbum fastuose ostentando, quæstionem solvisse, & frementibus populis indecorum nobis, quanquam nihil minus, triumphum reportare videantur. Præsto adest in priore parte P. Morinus, & PORTENTOSAM Hebræi textus corruptelam & depravationem solidissimis argumentis vel ex ipsis Judæorum & Rabbinorum libris depromptis assidue demonstrat. Ita ut futile*

tile omnino & insanum videatur post tam apertam ejusmodi librorum pravitatem, Hæreticos his tueri armis, quæ ex Rabbinorum & Judæorum continuo affrictu rubiginem horrendam contraxerunt. &c. Quam PORTENTOSA sit, juxta *Morinum*, Codicum Heb. depravatio, discere est ex *Diatriba de Textus Heb. & Græci sincer.* cap. 12. ubi diserte affirmat, nec tot nec tantas esse textus Hebr. corruptelas, ut exinde *corruptus* dici possit. *Postrema calumnia*, (inquit) *quæ passim per totum libellum aspergitur, est, me Hebræum textum pro depravatissimo habere, atque omni mendarum genere plenissimo, adeo ut omnium pedibus abjici & proculcari debeat. Tantum abest, ut hoc scripserim, ut textum Heb. corruptum nunquam dixerim. Multas quidem mendas in eo esse, & à Judæis adnotari, multa quidem loca deprehendi, in quibus corruptelæ inessent, sæpius scripsi. Sed textum corruptum nunquam pronuntiavi. Sunt autem hæc longe dissimillima. Res aliqua talis denominatur vel à nobiliori, vel à majori sui parte. Non major pars, non nobilior depravata est. Multis in locis sunt mendæ; nonnullæ nullius momenti, nonnullæ de quibus difficile est judicare, utra sit sincerior & textui convenientior; nonnullæ quoque magni momenti sunt corruptelæ. Illa tamen omnia, si cum reliquo textu integro comparentur, & paucissima sunt, & minimi momenti. Ideo nec unquam scripsi textum istum simpliciter corruptum, nec talis nisi admodum improprie dici potest. Mendæ sunt plurimæ in textu Græco N. T. mendarum myriadas solus Beza suppeditabit: num ideo absolute dicetur textus ille corruptus? Vulgatæ Codices antiqui invicem comparati multas varietates exhibent, quis tamen Vulgatam absolute corruptam, præter Hæreticos insano odio adversus eam frementes, affirmabit? quum igitur textum Heb. ne corruptum quidem dixerim unquam, qua argumentorum complexione nisi prorsus sycophantica & insana, eum depravatissimum & pedibus conculcandum me scripsisse demonstrabunt? Sæpius quidem scripsi & in Præfatione mea, & in Exercitationibus in Hebr. textu mendas esse & varietates multas, illorumque risi fatuitatem, qui Judæorum Scribas aberrare non posse credunt, & eorum pervicaciam cum stoliditate conjunctam insectatus sum, qui innumeras varietates oculis conspicientes, & manibus contrectantes ad mysteria confugere malunt, quam mendam ullam confiteri. Sed hinc colligere textum Heb. esse corruptum, multo minus depravatissimum, & pedibus conculcandum, eorum sane est, qui rationis impotes quæcunque dictat furor, effutiunt.* Similia [a] ibidem sæpius: etsi in Opere *Exercitationum Bibl.* testimonia multorum congerit, qui textum Heb. malitiose à Judæis depravatum fuisse existimant, se tamen non eandem amplecti sententiam profitetur. Lib. 1. Exercit. 1. c. 4. §. 1. *Quapropter secundam sententiam semper amplexus sum, nuncque tanto confidentius eam amplector, quanto penitius & diligentius Judaicorum mysteriorum intimos recessus, & traditionum adyta penetravi. Ea autem profitetur, in Judæorum codicibus varias lectiones, errores, & corruptelas inesse, quædam iis deesse, nonnulla superesse. Sed hæc Judæorum partim præcipite aut negligente manu, partim ignorantia, partim transmigrationum, & variarum afflictionum sævitia, non autem malignis de causis contigisse.* Sic in scripto contra *Muisii Censuram Exercit. Samarit.* cap. 1. *Prima calumnia est, Nos in Exercitationibus nostris asserere Judæos de industria in odium religionis Christianæ sacros suos libros corrupisse. ---- ---- Semper nobis placuit magis aliorum sententia, qui mendas & corruptelas illas Librariorum incuriæ, oscitantiæ, hallucinationi, temporum injuriæ, & aliis fortuitis casibus tribuunt. Hanc sententiam ubique, nusquam aliam, amplexi sumus; imo aliam nobis non probari nonnunquam diserte significavimus &c.* Rursum pag. 366. *At hujus criminis ne semel quidem eos scripsi conscios esse, nusquam credidi, sæpius quantum in me fuit, eo crimine purgavi.*

[a] Pag. 198, 229, 230.

Samaritanos Codices Judaicis sive Hebraicis in Operibus suis haud obscure anteponit; at in Epistola ad *Tho. Comberum* scripta an. 1633.

Judaicos,

Judaicos, inquit, *Codices cæteris paribus esse Samaritanis quibuscunque præferendos nemo est opinor qui dubitet.*

Quamvis Auctorem Latinæ Vulgatæ, in ea condenda Prophetam fuisse, & speciali Spiritus S. afflatu ductum, plusquam uno loco asserit, alibi tamen fatetur Decreto Tridentino satisfieri, si quis dicat, nullum in ea reperiri errorem in fide & moribus. Lib. I. Exercit. VII. cap. 4. *Aliorum enim sententiæ nihil obest qui Vulgatam Vers. eatenus tantum probatam volunt, quatenus fidem spectat, bonosque mores, atque ut omnibus certum esset, nullo eam fœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset. — Quorum sententiæ tuto Catholicus acquiescere potest.*

In Epistola ad Card. *Barberinum* de *Capelli Critica Sacra* in lucem edenda dat. 1653. contendit *licere cuivis scribenti commentaria in sacrum Textum, aut quovis alio modo de re Theologica tractanti asserere, in Vulgata Ed. inesse aliquem librarii errorem, aut varias lectiones ex antiquis MSS. colligere, aut tueri lectionem aliquam antiquam esse significantiorem ea quæ retinetur in Vulgata, aut comparare textus Hebræum, Chaldaicum, Translationes Græcas cum textu Vulgatæ, licet sint plane diversi aut etiam contrarii, & horum textuum aliquem videri hoc loco commodiorem textu Vulgatæ — Hoc omnes Catholicos Tractatores asseruisse & occasione data fecisse. —— Si quis* (inquit) *numerum inire vellet Tractatorum Eccles. qui occasione data aliter interpretati sunt, vel ex Græco vel ex Heb. quam ferat Vulgatæ textus, qui varias Vulgatæ lectiones à textu diversas adnotarunt & amplexi sunt, qui eas cum Græcis, Hebraicis, Syriacis, & Chaldaicis Codicibus compararunt, edisseruerunt, convenientioresque aliquando textui sacro* καὶ ἐμφατικωτέρας *quam sit eo loco Vulgatæ textus, multitudine sane obrueretur.* Multorum profert testimonia de Concilii Trid. mente, quod liceat etiam ipsum Interpretem oscitantiæ insimulare, modo non rebus ad fidem moresque attinentibus. Tandem subdit: *Imo concesso quod nonnulli contendunt Vulg. Interpretem fuisse Prophetam &* θεόπνευστον *interpretationem condidisse (quam sententiam ut probabiliorem amplexi sumus, Exercit. nostrarum Biblicarum lib. 1. Exercit. 7. cap. 4.) nec sic tamen consequeretur nævos in Vulgata nullos esse, errores & oscitantias nullas; sequeretur equidem nihil horum ab Interprete commissum esse, sed Amanuenses in ea describenda nunquam aberrasse, cespitasse, oscitasse quis præstare audebit? Hoc esset in hæreticorum insaniam ruere qui Græcos & Hebræos codices, præsertim hos posteriores, volunt eadem puritate nunc excellere qua primum fusi sunt. —— Si errata librariorum, aut etiam Interpretis, quod rarissimum erit, in Vulgata superesse aliquando admittit Capellus, nihil mirum, cum Catholici plurimi id fateantur. Optat equidem Versionem fieri novam V. T. ex Heb. textu, in cujus Margine variæ lectiones undique selectæ collocarentur, sed hoc, ut mihi videtur, non præjudicat Concilii Decreto, quod tantum vult Vulgatam Lat. Ed. cæteris Translationibus præferri, & authenticam haberi, atque in Officiis Eccl. solam usurpari, & in disputationibus à nemine rejici; sed ex Heb. aut Græco interpretationem ad Originarii textus illustrationem condi nunquam prohibuit.*

De hac *Morini* Epistola, audiatur *Simonius* in illius *Vita*: *Digna est profecto hæc Epistola quæ in lucem edatur, ut Theologi præsertim Parisienses, quorum plerique Vulgarem Ed. adorant, eosque ferre non possunt, qui de nova ad contextum Heb. aut Græcum translatione paranda cogitant, discant ex illa quid de rebus Biblicis doctiores Theologi idemque rei Criticæ periti sentiant. In hac enim Morinus suam de isto argumento sententiam longe sincerius exponit, quam in suis Exercitationibus Biblicis, in quibus ad id unum attendit, ut Protestantibus aliisque contextus Heb. ac Græci N. Test. assertoribus sese opponeret.*

Morinum fuisse *judicii pauci*, observat alibi *Simonius*, scil. in [a] *Judicio de Responsione Vossii*, quod emisit sub nomine *Hieronymi à S. Fide*. Ubi & a Pag 34.

[a] Pag. 63. & hoc quoque addit [a] tam pervicaci illum animo fuisse, ut exactis jam tribus annis ab expugnata *Rupella*, hanc revera expugnatam fuisse firmiter negaverit, dixeritque vanos esse qui ea de re vagati fuerant rumores.

97. De *Morini*, aliorumque sententia hactenus. *Marcellus*, Electus Archiepiscopus Corcyrensis lib. 1. *Sacrarum Caeremon. sive Rituum Eccles.* §. 2. Caeremonias in Inauguratione summi Pont. observari solitas, describens, refert, quod *cum Pontifex pervenerit ad montem Jordanum, Judaei illi obviam sunt genu flexi, legem Pontifici offerunt lingua Heb. legem laudantes, & hortantes Pontificem, ut illam veneretur. Pontifex illis auditis, respondet, Sanctam Legem, Viri Hebraei, & laudamus & veneramur, utpote ab omnipotenti Deo, per manus Moysi, patribus vestris tradita est: observantiam vero vestram, & vanam interpretationem damnamus, atque improbamus, quia Salvatorem quem adhuc frustra exspectatis, Apostolica fides jampridem advenisse docet, & praedicat Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum.* Per *Legem* au-
[b] De textu Heb. dub. 1. tem intelligitur non totum Biblicum volumen quod existimat [b] *D. Espieresius*, sed Lex tantum Mosaica, ut apparet ex vocibus istis, *per manus Moysi.*

[c] Lib. 5. c. 10. 98. Apud *Ribadeneiram* in [c] Vita *Ignatii Loyolae*, legimus, illum, *cum timeret ne ex Heb. linguae necessaria cognitione aliquid discerent* Jesuiticae suae familiae fratres, *ex quo ad novas interpretationes perquirendas, novosque sacrae Scripturae sensus delaberentur; statuisse, ut illi Veterem Vulgatamque Editionem longo tot seculorum usu comprobatam, omnino retinerent, & magno etiam studio tuerentur. Quod Concilium etiam Tridentinum*, inquit Auctor, *suis postea decretis cavit & sanxit.* Nihil tale ab ipso *Ignatio* fuisse statutum, sed commentum hoc esse *Ribadeneirae*, persuasissimum habeo: Quid ipsi postea decreverint *Jesuitae*, ex eorum intelligimus *Constitutionibus*, quarum haec una est: *Linguae illae in quibus scriptae vel versae fuerunt Scripturae, prius aut posterius, ut Superiori pro varietate causarum occurrentium, ac diversitate personarum videbitur, disci poterunt. Itaque hoc ejus prudentiae relinquetur. Sed si linguarum studio nostri vacant, inter caetera ad quae discentium intentio feratur, illud sit, ut Versionem ab Ecclesia approbatam defendant.* Rursus inter *Regulas Provincialis* in libro cui tit. *Ratio atque institutio Studiorum Societatis Jesu auctoritate septimae Congregationis Generalis aucta*, Ed. Romae an. 1616. hae sunt:

Linguam Hebraeam, si commode possit, doceat sacrae Scripturae Professor, vel saltem aliquis qui sit Theologus: optandumque ut esset etiam linguarum peritus non solum Graecae propter Novum Test. & Versionem LXX. *Interpretum, sed etiam Chaldaicae & Syriacae, cum ex his linguis multa in libris Canonicis sparsim habeantur.*

Ibid. inter Regulas Professoris S. Scripturae: *Ex Hebraeis Graecisque exemplaribus, quod usui fuerit in eam rem proferat, breviter tamen; nec nisi cum vel ipsorum, Latinaeque Editionis Vulgatae aliqua diversitas conciliationis indiget, vel aliarum linguarum idiotismi ad majorem conferunt sive perspicuitatem, sive significationem.*

Aliarum Versionum sive Latinarum recentiorum, sive Chaldaicae, Syriacae, Theodotionis, Aquilae, Symmachi, nec errores, nisi & insignes, & in speciem probabiles suscipiat refellendos; nec ea vicissim praetereat, quae Latinae editioni vulgatae, fideique nostrae mysteriis valde faveant; praesertim si fuerint apud LXX. *Interpretes, de quibus honorifice semper loquendum est.*

Si quid in Hebraeorum Rabbinis, quod vel pro Latina Editione Vulgata, vel pro Catholicis dogmatibus utiliter possit afferri; id ita afferat, ut illis propterea non conciliet auctoritatem, nec ad eos aliqui afficiantur, praesertim si fuerint ex iis, qui post Christi Domini tempora scripserunt.

In

In cæteris Rabbinorum rebus conquirendis, aut etiam erroribus exagitandis, nisi valde celebres sint, non laboret: idemque servet in legendis quibusdam Christianis interpretibus, qui plus nimio Rabbinos secuti sunt.

Imo neque Punctis, quod Rabbinorum inventum est, confidat admodum; sed diligenter expendat quomodo noster vel LXX. *vel antiqui interpretes alit legerint, cum Puncta non essent.*

Ibid. inter Regulas Professoris Linguæ Hebrææ: *Inter cætera, ad quæ ejus intentio feratur, illud sit, ut Versionem ab Ecclesia approbatam defendat.*

Dum sacros libros interpretatur, non tam in rebus ac sententiis laboret, quam in vi ac potestate verborum, ac propriis ejus linguæ idiotismis, & in Grammaticæ præceptis juxta germanum auctorum usum observandis.

99. In Editione Bibliorum Regia, quæ prodiit Antuerpiæ 1572. eousque audaciæ processere Pontificii quidam, ut locum quendam in textu Heb. juxta Lat. Versionem depravarent. Is est Gen. 3. 15. ubi, quia Versio Lat. habet, *ipsa*, in Hebræo pro הוא, quod habent omnes aliæ editiones, substituerunt היא. Hoc ab eis mala fide substitutum fuisse testatus est *Raphelengius*, qui Editioni isti præfuit. Raphelengius *ipse*, inquit [a] *Ant. Walæus, adhuc vivens retulit, qui editioni Regiorum Bibliorum præfuit, hoc fraude quorundam Jesuitarum, sine ullo similis codicis exemplo fuisse impetratum.* Alii dicunt *Guidonem Fabricium Boderianum* hoc fecisse. In secunda Editione Antuerpiensi Bibliorum Interlinearium an. 1584. vera lectio הוא restituta est.

Neque etiam defuerunt olim, qui ipsos manuscriptos Codices Hebraicos è Versione Latina adulterare ausi sint. Tale erat istud *Psalterium* Hebraicum Anglicanum, quod memorat jactatque [b] *Lindanus*, quodque olim fuisse *Augustini* Archiepiscopi Cantuar. errore [c] ridiculo credidit. In quo reperti sunt versiculi illi, *Sepulchrum patens est guttur eorum &c.* quos adducit B. Paulus Rom. 3. ex variis Scripturæ locis; unde omnes postea simul in Græcos & Latinos Psalmi 13[tii] invecti sunt: in nullo vero alio Hebræo comparent. Eos vero esse supposititios, adulterinos, & à malo ac indocto homine, qui barbara Rabbinorum vocabula ab Hebræis discernere non valuit, ex Latinis in Heb. sermonem conversos, probat [d] *Isaacus Levita.* De eodem Psalterio testimonium hoc reliquit [e] *Arias Montanus. Neque liber*, inquit, *antiquus est, neque ab aliquo, qui Heb. linguam cognorit, scriptus; sed à Scriba Latinas eleganter pingendi literas non ignaro* LXXX. *aut ad summum* C. *abhinc annis depictus; brevis liber brevi charactere Heb. imitatione magis, & pingendi peritia, quam legendi notitia relato, adeo corrupte descripto, ut vix ullum verbum integritatem suam retinere videatur.*

100. *Sinensibus* Christianis hodiernis Scripturas tradidere Patres *Missionarii*, non juxta Heb. aut Lat. Vulg. sed juxta LXX. Editionem, quippe cujus Chronologiæ à Diluvio deductæ convenire magis videtur computatio *Sinensium*: nimirum ne eos, suæ gentis antiquitatibus fide summa addictos, offendat Hebræorum ac Latinorum computum, longe brevius eo quod in Græcis reperitur Bibliis.

101. De Auctore Editionis Vulg. inter Scriptores ipsos *Pontificios* haud convenit. Eam esse B. *Hieronymi* negarunt multi olim *Rogeri Baconi* temporibus, ut & *Raimundus Martini*, *Petrus Comestor*, & *Ricardus Armachanus*, cum recentioribus, [f] *Pagnino*, [g] *Paulo Forosemproniensi*, *Galatino*, aliis. His videtur accessisse [h] *Fronto Ducæus*, à quo hoc modo citatur: *S. Hieronymus, sive auctor Vulg. Latinæ.* Et certam hac de re sententiam se non audere proferre, fatetur [i] *Hieronymus de la Rua. Hieronymus in sua Editione, si tamen illius est*: inquit [k] *Oleastrius.* Nullnm librum præter *Ecclesiasten* esse ex Editione *Hieronymi* statuit *Ric. Pacæus.* *Proverbiorum* Versionem non esse *Hieronymi*, sed BEDÆ, autumarunt

[a] Loc. Commun. pag 75.

[b] De opt. gen. interp cap 3.

[c] Vide supra, ubi de Augustino Cant.

[d] Contra Lindanum lib. 1.

[e] Appar. Bibl. Reg.

[f] Præf. in Vers. suam.

[g] De die passionis Dom. lib. 2. c. 1.

[h] Annot. in Bibl. Op.

[i] Controv.

[k] Præf. Com. in Pent.

vulgo *Hugonis Carensis* ætate, ipso etiam assentiente. Duas Versiones ab Hieronymo factas fuisse existimavit *Baconus*, priorem, quæ Vulgata sit, posteriorem correctiorem, quam una cum Commentariis edidit. Hodie vulgo creditur Editionem totam Bibliorum, *Hieronymi* esse; neque desunt inter doctiores, qui totam, exceptis *Sapientia*, *Ecclesiastico*, *Machabæis* (quibus addunt nonnulli *Baruch* cum *Epistola Jeremiæ*) habuisse *Hieronymum* vel *Auctorem*, vel saltem *Correctorem* ut in N. Testamento, credunt. Alii rectius fatentur eam mixtam esse, constare nempe præcipue ex Editione *Hieronymiana*, partim vero ex vetustiore *Itala*, multis processu temporum *Hieronymianæ* admixtis. In his sunt *Driedo*, *Andradius*, *Mariana*, *Baronius*, & qui fuse hac de re disputant, *Bellarminus*, *De Verbo Dei lib.* 2. *c.* 9. *Serarius Proleg. cap.* 19. Q. 1, 2, 3, 4. *Ferdinandus de Esca ante* in *Clypeo Concionatorum l.* 6. *c.* 16, 18. Et *Lud. Tena*, *Isag. in S. Script. l.* 1. *Diff.* 6. §. 2. Aliis placet, mixtionem hanc factam fuisse, non ex veteri germana Versione *Itala*, sed ex ea Editione, quam è Græco ipse *Hieronymus* partim vertit, partim correxit, ita ut conflata

a Lib. 8. sit tota ex utraque Editione *Hieronymiana*. Sic [a] *Sixtus Senensis*, &

b Def. Bellarm. [b] *Gretserus*.

Psalterium Vulgatum ex *Symmachi* Versione Græca fuisse translatum suspicatur *Lindanus*. Alii totum V.T. vel ex *Aquilæ*, vel ex *Theodotionis*, vel ex *Chaldaica* Editione, vel ex omnibus fuisse translatum, existimant. Neque ex Heb. neque ex Græco, sed *ex alia quadam lingua*, fuisse con-

c Lib. 11. c. 1. versum, statuit *Armachanus*. Ex *Chaldaica*, [c] *Galatinus*, & ante illum *Raimundus Martini* Pug. Fid. parte 3. Dist. 3 cap. 11. §. 13. *Et nota* (inquit) *quod hoc Targum Hierosol. est illud forte quod à nostris dicitur* Editio Vulgata; *cujus auctor ignotus ad utilitatem simplicium exponentis modum magis quam interpretis dignoscitur habuisse.* Comestoris conjecturas varias in Gen. cap. 62. audiamus: *Patet ex eo & ex pluribus aliis locis, quod non est ista nostra pura translatio Hieronymi, sed forte est quædam prima quam compegit de Græco in Latinum ex translatione* LXX. *& translationibus aliorum. Quæ quod forte non inde magis visa est, apposuit manum ut puram faceret de Hebræo in Lat. quam non habemus nisi in* 12. *Prophetis. Vel forte potest dici quod ista nostra sit illa Vulgata quæ miraculose inventa est Hierosolymis.* Intelligere videtur Græcam illam *Quintam* quæ in urbe *Hierochuntina* reperta est; & ab aliis quibusdam *Vulgata* dicitur. *Marcus Marinus* Præf. Thesauri linguæ Heb. *Quis communis Editionis auctor fuerit, nondum consensu omnium apertum est. Steuchus noster arbitratus est, esse D. Hieronymi Editionem, quod à multis aliis pernegatur. — Nonnulli conjectant Editionem Hieronymianam interiisse, vel saltem ab aliquo æmulo emendatam, aut magis corruptam esse. Quidam insuper arbitrantur hanc Editionem Vulg. esse vel Theodotionis, vel Aquilæ, vel Symmachi, aut omnium, quam Latinus cultiori adornaverit stylo. Sed de re tam dubia alii viderint. Dubitatur igitur an hæc translatio facta sit ex Heb. lectione, an ex aliqua Græca translatione, quævis illa fuerit, vel tandem ex Chaldaica interpretatione, vel potius, ut mihi videtur, ex omnibus.*

Neque quo modo, quave ratione, facta sit mixtura ista, convenit. Approbatam fuisse *in Communi Concilio Latinorum, Græcorum, & Hebræorum*, somniabat *Armachanus*. At ubi, quando, à quibus? *Accidit* (in-

d Tom. 8. an. 331. §. 47. quit [d] *Baronius*) *post Gregorii tempora* (*quoto vero potissimum anno, quove auctore, incertum remanet*) *ut quoniam duæ simul Vulgatæ Editiones, Vetus & Nova, dissensionum ac contentionum interdum ministrarent occasionem; in diversa studia Fideles ea de re distraherentur ab invicem, dum alii Veterem, Novam alii sequerentur; & quisquis pro sua (ut assolet) contentiose dissereret, turbas cieret, alteramque defendens, in alteram minus digne inveheretur; essetque ea diversitas veluti seminarium jurgiorum, ac turpem redderet Ecclesiæ faciem,*

ctem, *dum in divinis laudibus cæterisque sacris officiis, alii aliam psallendo, legendo, concionando, tractando conjectarentur. ut hac ex parte pene divisa schismate Ecclesia videretur. Sed divino afflante Numine provisum est, optimeque consultum, ut ad Ecclesiasticum communem usum, una ex duabus, quæ usui omnibus esset Ecclesiis conflaretur, quæ Communis omnibus atque Vulgata uno nomine à cunctis diceretur, exploso illa Veteris & Novæ nomenclatura.* Hæc ille, sed ex mera conjectura. [a] *Marianæ* conjectura est, post *Gregorii M.* ætatem, *ex Versione Hieronymiana quosdam libros, alios rursus ex veteri, in commune volumen unumque corpus, aut publica Ecclesiæ auctoritate, aut doctorum hominum communi consensu, collatos fuisse: atque in iis ipsis libris quosdam locos ex illis, qui rejiciebantur libris, atque interpretatione immutatos fuisse Quo autem utrumque tempore, & qua ratione, sit factum, penitus* (inquit) *exploratum non habeo. Hieronymum* ipsum mixturam hanc fecisse in Versione condenda, arbitratur *Salmeron. Erasmus* in *Notis ad Quæst. in Gen.* dubitare videtur utrum *Hieronymus* admiscuit aliorum Editiones, vel loca quædam Ecclesia Hieronymiana Versione mutavit, vel scioli privata auctoritate ausi sint mutare Scripturam.

[a] Pro Lat. Vulg. c. 8.

A nonnullis fingitur, *Philonem* quendam, nescio quem, Editionis Latinæ fuisse auctorem. [b] *Munsterus*, inter Protestantes, *Ruffinum* nominat: *sive Ruffinus fuerit, sive quicunque alius.* Qui error exinde ortus videtur, quod in Decretis Pontificum Distinct. 15. dicitur: *Ruffinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici Operis edidit libros, nonnullas autem Scripturas interpretatus est.* Ubi per, *interpretatus est*, nihil aliud intelligendum est, quam *exposuit. Ruffinum* fuisse auctorem Versionis saltem librorum aliquorum, suspicari videtur, ante *Munsterum, Paulus* Episc. *Forosempronienfis*, qui ait, *Gennadium* testari *Ruffinum* libros quosdam Scripturæ vertisse: *Raro*, inquit, *Hieronymus suis Editionibus prologum solet præmittere, sed Epistolas præfatiunculas amicis transmissas in libro Epistolarum una cum aliis collegit, quod & Gennadius de Ruffino scribens innuere videtur, ubi dicit multos sacræ Scripturæ libros per Ruffinum fuisse traductos, qui suis prologis cognoscuntur, qui autem sine prologo reperiuntur ab alio interpretati sunt, qui prologum facere noluit, quod de Hieronymo dictum arbitror.* Mirandum, quemvis potuisse usque adeo errare de sensu verborum *Gennadii*, qui, non de libris Scripturæ, sed de priscorum quorundam Patrum opusculis Latine à *Ruffino* versis, evidenter loquitur *Maximam partem Græcorum bibliothecæ Latinis exhibuit: Basilii scil. Cæsar. Cappad. Episcopi, Gregorii Naz. eloquentis. hominis, Clementis Romani Recognitionum libros, Eusebii Cæsar. ex Palæstina Eccles. Historiam: Xysti sententias, Evagrii sententias, Pamphili Martyris adversus Mathematicos: horum omnium quæcunque præmissis prologis à Latinis leguntur, à Ruffino interpolata sunt: quæ autem sine prologo, ab alio translata sunt, qui prologum facere noluit.*

[b] Præf. in V. T.

PETRUS PITHÆUS in tractatulo *de Latinis Bibliorum Interpretibus*, cum *Nic. Zegero*, negat reliquos libros T. N. præter Evangelia in usu publico haberi ex emendatione *Hieronymi*; Versionem Epistolarum *Joban.* ait esse Veterem illam Translationem *vel meram, vel ab alio quopiam post Hieronymi tempora recensitam.* Translationes illas Librorum T. V. quæ non sunt Hieronymi, scil. *Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum*; ut etiam Novi, non esse unius Interpretis, ex styli diversitate satis argui. Versionem Ecclesiastici *plura habere antiquæ eruditionis*; eam vero quæ est Actorum Apostolicorum *reliquis elegantiorem puriorem que esse.* Ita *Zegerus*: *Totus N. Instrum. unum atque eundem esse Interpretem, non mihi fit verisimile, tum ob alia, tum quod in Act. Apost. sermo sit quam in cæteris non paulo purior atque elegantior. Actorum & Apocalypsis* Versionem editam putat postremo loco; prioris circa an. 220. posterioris circa an. 380. primum in usu fuisse. Nam qui antea scripserunt, di-

versa, ait, usi fuerunt. De Versionis N. T. reparatione, quem habuerit auctorem, & quando ab Ecclesia recepta, quid senserit *Zegerus*, superius loco suo ostendimus.

Ferdinandus de Escalante contendit non modo libros cæteros, verum etiam *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, *Machabæos*, *Jeremiæ* Epistolam, & *Baruch* in Bibliis Vulgatis exstare ex Versione Hieronymi: verum nullo idoneo argumento constat Hieronymum libros illos vertisse. Qui ex styli similitudine *Sapientiæ* & *Ecclesiastici* Versionem illius esse arbitrantur, eorum judicio non temere acquiescendum.

Adversus quendam virum doctum, qui eousque processerat ineptiarum, ut *Psalterium* Vulg. quod nunc in usu est, non ex Græco, sed ex ipso *Heb.* fuisse expressum, obstinate contenderet, disputat *Mariana*.

102. Qui Hieronymum existimant in Versione T. Veteris, & correctione Novi, non humano solum ingenio, sed divini Luminis ductu opus perfecisse, ita saltem ut errare non potuerit, ad ea quæ contra proferuntur ex ipsiusmet Commentariis, ubi ipse se non Deo dictante, sed humano ingenio, vertisse, quin & errasse, non raro testatur; hoc modo respondent: [e] *primo*, posse Interpretem aliquem dupliciter à Spiritu S. singulare in vertendo auxilium accipere. 1. quidem tam copiosum & efficax, ut statim quæcunque in mentem ei & sub manum veniunt, verba bona sint, & menti divinæ significandæ idonea: ita ut unum delere, aliud reponere opus nunquam sit. 2. minus copiosum & efficax; ita ut sua ipse Interpres expendere verba debeat, & lituras nonnunquam aliquas facere, idque vel statim post exiguum aliquod tempus, vel diuturno etiam, post primam illam Versionis structuram, tempore: tumque Versionem istiusmodi censendam quodammodo velut inchoatam, dum prout voluit Interpres, extremam ei absolutionis manum nondum adhibuit: perfectam vero, quando vel statim, vel diu post adhibuit. Sic dicunt in perfecta sua Versione nunquam errasse Hieronymum, licet in inchoata errasset; manum ei Versioni extremam tunc adhibuisse, quando eam postea, vel cum Commentariis, vel absque Commentariis recensuit. *Secundo*: Posse aliquem Spiritus S. auxilio supra naturam juvari, & gratia quapiam cumulatum esse; qui tamen tantum hoc in se bonum ignoret: prout in miraculorum dono apparuit sæpissime. cum præsertim hujuscemodi auxilia & gratiæ sint sæpissime non habitus, sed actus & quidem transeuntes.

[e] Apud Serarium Proleg. c. 19. Q. 8.

Cum urgetur, nonnulla ex illis locis, in quibus Hieronymus se errasse fatetur, nunquam fuisse ab eo in Versione correcta, sed hucusque incorrecta permanere, id quod nos ostendimus supra cap. 2. §. 7. respondent, errare eum non in Versione, sed in eo quod dicit se errasse: nempe nunc constare ex Ecclesiæ Decreto, ea recta esse, in quibus putabat Hieronymus se errasse.

Objicientibus, viros doctos, qui Hieronymo coævi fuere, quique insequentibus vixere seculis, nullum talem spiritum infallibilem in eo agnovisse, respondent, initio id non constitisse, sed experientia, maturoque judicio id tandem posteritati compertum esse, Multa interdum certis in quæstionibus latere, quæ vel usus, vel Spiritus S. progressu temporis, patefacit.

Sic dicunt etiam nonnulli Versionem Vet. quæ ante Hieronymum in usu fuit, ab Interprete Spiritu S. adjuto factam fuisse, licet postmodum ea fuerit deserta. *Theodotionem* quoque, tametsi Judæum & Apostatam, in Versione sua *Danielis*, qua usa est Ecclesia antiqua, assistentia divina ab omni errore immunem fuisse servatum.

Nescio quomodo, inquit *Cicero*, *nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum*: adde, & *Theologorum*.

CAP.

CAP. XVI.

Inter Theologos Religionis Reformatæ, quinam candide de Versione Vulg. Lat. & Græca loquuntur. 2. 5. *De sententia* Lutheri. 3. Zuinglii. 4. Lud. Capelli *deque ejus* Critica Sacra 6. *Punctorum Vocalium Heb. antiquitatem quinam Protestantes negent, quinam asserant. Historia istius Controversiæ.* 8.

DE Fontium ac Rivulorum puritate quid decreverint *Pontificii*, ostendimus: Quid vulgo *Reformati*, vix opus est ut dicamus. *Jos. Scaliger* Epist. 14. ad Sequinum: *Ea sane* (Versio Græca) *sive à* LXX. *sive ab uno, quod verius est, conscripta, mendosissima & falsissima est; & Latina, qua παμπληθεῖς utuntur, quæ ab ea propagata est, longe deterrima. Calvinus* affirmat, *vix tres esse in ea continuos versus, non insigni aliquo errore fœdatos.*

2. *Bellarminus* asserit *Hæreticos* (sic nos illi, ille nobis) *Versionis Latinæ odio*, Textui Heb. plusquam par est tribuere. *Reformatos* vero non usque adeo transversos egit studium partium, quin multi de Versione Latina longe mitius ac candidius loquantur, alii etiam honorifice. CONRADUS PELLICANUS in Præf. Com. super V. T. *Ubi sensus* (inquit) *est apud Hebræos etiam anceps, Veterum auctoritatem prætuli novis, & cum Hieronymo atque* LXX. *Græcorum Interpretibus malui dubitare, quam cum Judæis novitiis tanquam de re certa statuere.* Præf. Psalterii ex Heb. à se conversi, & Commentariis illustrati, ait se maluisse in suis Commentariis Vulg. Versionem præscribere, nisi ab aliis impeditus fuisset; additque: *Placeat venerandæ auctoritatis haberi translationem vulgarem in populo Christiano, & nostram hanc ei conferri non præferri.* In Præf. Com. posteriorum Psalterii, hyperbolice: *Tanta dexteritate, eruditione, & fide Hebraico quoad sensum concordare deprehendimus Vulg. Editionem Psalterii, ut eruditissimum pariterque piissimum, & vero prophetali spiritu præditum fuisse Interpretem Græcum, & Latinum, non dubitem; quanquam alicubi dissentiat à punctis Heb. quibus nunc Judæi utuntur, quæ olim non fuisse similia ambigere cogor, & quarundam literarum mutationem factam suspicio fit conferentibus singula diligenter.* Ob hoc elogium, à [a] *Franc. Junio* censuram hanc ipse commeruit: *Judicium hoc est particulare viri boni quidem, & pro suo illo seculo eruditi, sed in quo tum majorem cognitionem veritatis & linguæ, tum minorem in conjecturis judiciisque libertatem jure desideres.*

[a] In Bellarm.

Multa ex istis, quæ in Novi T. Versione reprehendit *Valla*, defendunt *Erasmus*, *Bullingerus*, *Beza*; qui etiam multa ab *Erasmo* ipso reprehensa tuetur. *Quam immerito* ([b] inquit) *multis in locis reprehendit Erasmus Veterem Interpretem, tanquam à Græcis dissentientem!* Defendit idem multa ex iis, quæ reprehenderunt *Lutherus* & *Castalio*. Sic ipse vicissim in quibusdam castigationibus suis temeritatis arguitur à *Castalione* & *Molinæo*.

[b] Præf. N. T. Ed. 1556.

Rob. Stephanus in N. T. editione Græco-Lat. an. 1551. *Veterem* (inquit) *Versionem negligendam non existimavi, quia eam multis in locis vetustissimi Græci exemplaris esse loco videbam.*

Interpretem Vet. Lat. esse *haud paulo meliorem, quam vulgo existimant*, affirmat *Drusius* in [c] Quæst. Heb. Idem in [d] Miscellaneis: *Negare nolo: multa Vetus Interpres prave convertit: sed idem quædam melius convertit quam Recentiores.*

[c] Lib. 2. Q. 81.
[d] Cent. 1. c. 41.

[e] Lud. de Dieu: *Si Vulgatum Interpretem, quisquis is tandem fuerit, doctum, imo doctissimum virum fuisse asseram, non me peccasse judicavero: suos habet nævos, fateor: habet & suos barbarismos, sed quin passim ejus fidem judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non possum.*

[e] Præf. in Evang.

[f] Paulus Fagius: *Non attendunt quid vel quem secutus fuerit Vulgatus Auctor. Cum enim à Veritate Heb. dissentire videtur, vel* LXX. *vel Paraphrasim*

[f] In c. 4. Versionis suæ Paraphr. Chald.

phrasim Chald. vel aliquem ex Rabbinis secutum fuisse, fere semper deprehendo. Non est itaque temere nata Vulgata Editio, ut quidam scioli stulte & imprudenter clamitant.

[a] De ratione interpretandi lib. 7.

[a] Laur. Humfredus: *Proprietati verborum satis videtur addictus Vetus Interpres, & quidem nimis anxie, quod tamen interpretor religione quadam fecisse, non ignorantia.*

Grotius Præfat. Annot. in V. T. *Annotavi autem quæ annotanda duxi ad Lat. Versionem pridem receptam, quam semper feci plurimi, non modo quod nulla dogmata insalubria contineat, verum etiam quod multum in se habeat eruditionis, quanquam in dicendi genere satis horrido, ad cujus explicationem verbis interdum usus sum nitidioribus.*

[b] Thes. Philol.

[b] Hottingerus: *Nunquam dubitarunt Reformati, nec dubitabunt in posterum, quin auctori ejus Ecclesia Christiana eo nomine multum debeat, quod Latinis quoque auribus tam peregrina lingua scripta mysteria regni Cœlorum fecerit intelligibilia.*

De Latinitate Veteris Bibliorum Versionis male accusata, libellum edidit *Albericus Gentilis*, Juris Consultus, gente Italus, in Acad. nostra *Oxon.* Professor Regius.

3. Lutherus, qui partim ex Editione Vulg. partim vero ex ipso fonte Heb. (ubi opus videbatur) Versionem suam *Germanicam* adornavit, & ante instauratam Evangelii lucem Græcæ & Heb. linguæ studiis se dederat, ut testatur [c] *Phil. Melanchthon*, in scriptis quibusdam posterioribus multa habet, quibus Textui Heb. hodierno minus favisse videatur: nempe in libris quos scripsit postquam ipsius Versionem carpsissent, eaque repudiata alias novas ab ea discrepantes ex Heb. cudissent quidam Reformati: quod indignissime ille ferebat ac stomachabatur.

[c] Præf in to. 2. Operum Lutheri.

Enarratione in Gen. quam exorsus est an. 1535. & absolvit 1545. paulo ante obitum; cap. 4. *Ad hunc modum fere ubique Rabbini depravant sententiam Scripturæ. Itaque & odisse eos incipio, & moneo, ut qui legunt eos, cum accurato judicio legant. Etsi enim habuerunt quædam, tanquam per traditionem ex Patribus, tamen ea varie depravarunt. Itaque Hieronymum quoque deceperunt.*

Præf. Com. de novissimis verbis Davidis: *Ad eundem modum cœperunt & nostra ætate inter paucos annos crescere & cumulari novæ Versiones, ut videatur nullus modus futurus esse, & tandem tot Editiones Bibliorum simus habituri (ut & antea illis temporibus accidit) quot existent semidocti ac scioli, qui sibi persuasionem alicujus eruditionis in lingua Heb. induent. — Atque ita necesse est fieri, ut subinde quærantur novi Interpretes, siquidem ad Judæorum calumniosa judicia de nostris Bibliis respicimus, cum tamen & ipsi tam variis & discrepantibus interpretationibus, Grammaticis distinctionibus, punctationibus, textus Bibliorum tam misere lacerent & discerpant, ut si ipsos interpretes sequi velimus, nunquam habituri simus Biblia una aliqua certa & concordi sententia enarrata aut intellecta, quoniam suam quisque Rabbinorum interpretationem aliis præferri vult. Quid? quod ipsi coguntur fateri, multis in locis se nondum intelligere suæ linguæ vocabula? tantum abest ut ubique puram & consentientem Bibliorum explicationem habeant, quod ad Grammaticam sententiam attinet, ut de Theologica taceam, cujus prorsus nihil habent. — Quare ego quidem illorum cavillationes nihil moror, nec tanti facio eorum judicia, ut propterea vel elementa Heb. cognoscere velim. Ac constat mihi mei judicii ratio. Nam certum est nos qui Christiani sumus, vere tenere mentem & sensum Scripturæ V. T. cum doctrinam Novi T. h. e. Jesu Christi cognitionem teneamus. — Quid Papæ cœtus queri potuit sibi deesse? annon librorum Novi T. (nam de Vetere nunc non dico) certam, perspicuam, ac luce clariorem lectionem habuerunt? Quid nunc nostris novarum sectarum auctoribus deest, annon & hi certe in N. T. libris doctrinam Evangelii certo & clarissime traditam*

ditam legunt? Quam tamen se non intelligere ac tenere, ipsi satis ostendunt. An vero propter uniuscujusque insani & Satanæ agitati cerebri furores & somnia, etiam Novi T. novam Versionem (quæ ad illius fanaticum sensum congrueret) edendam fuisse aut esse judicabimus? Quis hic futurus esset modus aut numerus novarum interpretationum? — Quare si mihi detur optio, ut aut Augustini & similium puriorum scriptorum enarratio & sententia (hoc est ipsorum Apostolorum) ex Scripturis retinenda sit, & simul eo, quo & ipse Augustinus destitutus est, carendum, quod aliquando à literis aut vocibus Heb. aberravit: aut Judæorum certæ & explicatæ voces (quales tamen nec ipsi per omnia se habere coguntur fateri) sine Augustini & veterum Scriptorum intelligentia: hic quid potius optaturus sim, facile est judicium. Scilicet Judæis multum valere dicerem, juberem illos, una cum suis interpretibus & apicibus literarum, abire quo digni sunt. — Profectò non est utilis Ecclesiæ operà & studia Rabbinorum & Grammatistarum Judaizantium interpretationes, & sententias in Ecclesiam invehendi. Nam — ipsa literæ seu textus à Judæis recepta superstitiosa observatio, & aliorum interpretum auctoritas & exempla, facile caliginem offundunt, ut interim amissa vera sententia & intellectu de Christo, ubi non oportuit, Judaicæ imaginationes nobis incautis obrepant. Quemadmodum omnibus Interpretibus video evenisse, nullo, ac ne Me quidem excepto. — Summa hæc est, Nisi nos operam & studium in enarrando huc conferimus, ut Scripturæ textus, quoad ejus fieri potest, ad sententiam scriptorum Apostolicorum in libris N. T. traditam, adversus Rabbinorum corruptelas accommodemus, omnino melius esset omisso studio Heb. linguæ, simpliciter retinere illam hactenus receptam & usitatam Versionem Bibliorum, quam tot novas Versiones cumulari (propter pauca quædam loca, ubi aut Heb. lectio alia est, aut quarundam vocum interpretatio nondum certa est) quibus nihil proficitur, nisi quod dissimilitudo & discrepantia lectionum memoriam legentium turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiorem quam fuerat, dimittit.

Postea in Comment. *De Judæis facile & vere responderi potest, quod ne ab ipsis quidem negari potest, nativam phrasin Heb. sermonis, in hunc usque diem nondum in lucem prolatam esse, & sæpe ipsis vim & significationem Heb. vocabulorum multorum ignotam esse, ut res ostendit, tantum abest, ut vim phrasis, figurarum, & idiotismorum in ea lingua noverint. Sed & in singulis vocabulis, & in structura, palam est eos fingendis æquivocationibus ludere, etiam ubi nihil necesse est, dubitantes, hærentes, quæritantes, velut aliquis indoctus Citharædus, easdem chordas oberrans, quæritat, ac pertentat, quænam reddere velit, quos vellet sonos aut numeros. Nam, ut in Latina lingua multo aliud est, Latine, aliud Grammatice loqui, ita & in Heb. lingua multum interest, Hebraice an Grammatice loquaris. Grammatice loqui nosse Judæos concesserim, etsi illud quoque parum dextre, quia de vocabulis rerum præsertim sæpe errant. Sed Hebraice, pure, proprie, & ad nativam veteris linguæ phrasin, id nunc quidem (postquam usus linguæ vernaculus desiit) impossibile judico.*

In cap. 31. *In ea opinione sum, quod non habeant Rabbini perfectam cognitionem Grammaticæ Heb. saltem in hac voce,* (el) *tanta est Babylon & confusio interpretationum. Ac congerunt quidem circiter 20. dictiones, quibus hanc unam explicare student, quarum nulla cum altera convenit. Non dubium autem est, multa vocabula, cum lateret adhuc lingua Hebræa, in sermone vernaculo & quotidiano longe aliter sonuisse, quam nunc, cum ex libris tantum excerpimus. Sicut aliud est Grammatice, aliud Latine loqui. Ideo non tam sermonis Grammatici & regulati, quam phrasium habenda est ratio. Judæorum autem Grammaticam vereor esse mutilam. Ideo Rabbini sæpe hallucinantur, saltem in aliquibus dictionibus. — Non igitur sumo mihi judicium in Grammatica Heb. nisi quod video Grammaticos laborare & sudare, sed nondum elaborasse, propter diversitatem phrasium, quibus solebant uti Hebræi in quo-*

tidiano usu linguæ, & Grammaticorum explicationem. — Ergo lingua Heb. ex magna parte intercidit, nec dum restituta est in integrum. Et si absque Novo Test. esset, nostri Rabbini nusquam certas sententias ex Veteri possent elicere. Novum T. plurimum contulit ad instaurandam & illustrandam linguam Heb. & Vetus T. In cap. 34. *Supra aliquoties dixi, plurima vocabula esse, quorum significatio etiam ipsis Hebræis ignota est. Ita intercidit usus, & cognitio hujus linguæ, ut haud unquam perfecte restaurari queat. Nec vocum tantum, sed & phrasium & constructionum multiplex & varia est obscuritas: qua fit, ut vim, & figuras, aut emphases plurimarum dictionum, & sententiarum ignoremus. Aut si qua ratione in integrum restitui poterit, per Christianos id fiat oportet; qui ex N. Testamento veram cognitionem Scripturæ S. habent. Judæi obscurant genuinum sensum suis æquivocationibus, distrahentes vocabula in varias & multiplices significationes, idque studiose faciunt, ad serendas quæstiones, & errores omnis generis. Sed diligens & bonus Grammaticus debet dare operam, ut varias significationes in unam quandam & certam redigat; quia necesse est unius vocis esse unam propriam & genuinam significationem. Monstret igitur radices singulas, & earum proprietates, postea figuras, metaphoras, allusiones, & phrases colligat. Hoc Rabbini non faciunt. Quia cadentibus rebus, cadunt etiam vocabula, & eorum significata, sicut Jure consultorum, Medicorum, Theologorum sermonem nemo intelligeret omissis rebus. &c.* In cap. 35. *Et tota lingua multo esset obscurior, si nos Christiani Latina & Germanica translatione Bibliorum eam non illustrassemus. Judæi enim cum dubitant de vocabulo, æquivocant, & multiplicant significationes, & magis obscurant suis glossematis.* In cap. 37. *Relinquo igitur hanc quæstionem Hebræis expediendam, scio enim multos idiotismos & phrases Heb. linguæ nobis periisse, quarum vim & proprietatem haud facile restituemus in integrum.* In cap. 42. *Ideo multarum vocum vim in hac lingua ignoramus: quia magna ex parte Grammatica positiva periit Hebræis. — Valde sudant Hebræi, & præcipue Rabbini, & hinc quoque apparet eos & rerum & Grammaticæ cognitione privatos esse. Neque quisquam potest restituere Heb. Grammaticam, nisi Christiani, qui tenent rem Scripturæ S. hoc est, Christum filium Dei, quo cognito, reliqua omnia fiunt plana, & perspicua. Facilis autem explicatio est, si phrasium & figurarum vim observemus. Non enim alia ulla lingua plus figurarum habet, quam Hebræa.* Ad cap. 43. *Non enim habent Judæi Grammaticam, multo minus sententiam verborum in sacris literis, ac genuina vocabulorum vis petenda est nobis ex contextu & exemplis.*

Consimiliter in Præf. Bibliorum suorum, post an. 20. à prima editione recognitorum (teste [a] *Cochlæo*) *Cum Hebræa lingua adeo interciderit, ut ne Judæi quidem satis ipsam intelligant, video quam non glossis eorum sit credendum. Si igitur aliquid lucis accedere Veteris T. libris potest, necesse est id à Christianis fieri, qui cognitionem Christi habent: sine qua linguarum quoque peritia parum est profutura. Atque ea quidem causa est, quod Hieronymus aliique veteres Interpretes, tam sæpe fiut hallucinati.*

[a] Tract. De novis Interpretibus.

In *Schem Hammephorasch*, (quod opusculum non habetur in editione illius operum *Wittembergensi*) ad finem: *Quamobrem Hebraistis nostris hæc sit præcipua cura, ut sacra Biblia antiqua à Judæorum expositionibus expurgent, ut ubicunque possunt, puncta, distinctiones, conjugationes, constructiones, significationes, & alia Grammaticalia mutare, & à Judæorum sensu avertere, ut cum Novo Testamento melius conveniant, ut id audacter & licite faciant. —— Hoc ipsum quippe illi nobis fecerunt. Ubicunque enim his mille quingentis annis potuerunt, Biblia punctis, distinctionibus, conjugationibus, &c. à nostro Messia, nostraque fide avertere, & à N. T. dissona reddere, magna & rabiosa diligentia id egerunt.*

Hæc magnus ille *Lutherus*. De quo illud (ut inquit [b] *Gesnerus*) *dissimulandum non est, virum fuisse vehementis ingenii, impatientem, & qui nisi per*

[b] In Biblioth.

per omnia sibi consentientes ferre nesciebat. Hæc, inquam, ille, quum in literis Heb. quibus leviter se tinctum agnoscit, ab aliis se facile vinci, Versionemque suam carpi ac repudiari, videret: partim etiam eo quod *Allegorica* potius quam literali Scripturarum expositione (uti ipse profitetur) delectabatur.

Inter eos autem, quos tanquam *Hebraistas* sive Rabbinorum sectatores perstringit, præcipuus erat *Munsterus*, qui cum in Notis ad hæc *Jonæ* verba cap. 2. *scio me iterum visurum Templum sanctum tuum*; dixisset: *Miror quo hic Lutherus respexerit, ut hanc sententiam negative verterit, quasi Propheta doluerit se amplius non visurum Templum Domini. Hoc Hebraïsmus non habet, nec Hebræorum expositores.* Respondit Lutherus: *Non esse curandos Hebraïstas Grammatistas, qui in sensu Scripturæ sunt Rabbinistæ, id est, animal sine intellectu.* Alii erant Tigurini Bibliorum Editores, qui cum ad *Lutherum* exemplar Bibliorum *Leonis Judæ* jam recens editorum eleganter compactum misissent, rescripsit ille magno cum stomacho ad Typographum in hæc verba: *Ne posthac sibi aliquid mittat, quod à Ministris Tigurinæ Ecclesiæ profectum sit, se enim nullum cum eis commercium posthac habere, & libros eorum nec recipere, nec legere velle. Nam Ecclesias Dei cum eis communicare non posse; multos quidem labores eos sustinere, sed irritos, & frustraneos: quandoquidem ipsi jam damnati sint, & alios quoque miseros homines secum ad inferos abducant. Se itaque damnationis & blasphemæ doctrinæ illorum nolle consortem esse, sed quoad vixerit, & precibus & libris oppugnare constituisse.* Hospinianus Hist. Sacramentaria an. 1544.

Neque tamen Versiones ullas Heb. textui anteposuit *Lutherus*, sed hunc solum pro textu vero & authentico semper habuit. Hoc solum sibi voluit, in Punctationibus & Distinctionibus Judæorum hodiernis non esse tuto acquiescendum, & vocum aliquarum significationes, ut etiam linguæ Heb. idiotismos quosdam, Rabbinis hodiernis ignotos esse. In aliis locis ejusdem Enarrationis in Gen. Grammaticæ Heb. necessitatem agnoscit, eamque à Judæis maxime petendam esse. Ad cap. 4. *Deinde non repugnat Grammatica, sed rem pulchre & varie illustrat. Sed Rabbini, quia nesciunt quid rei, non sublevantur quod sciunt quid nominis. — Hujus generis ineptias, etiam nostri recentiores Interpretes passim annotant, quibus tamen gratia debetur pro fideli labore, quod Grammaticum textum reddunt.* In cap. 16. *Non autem accipienda hæc eo modo sunt, quasi Grammatices* (Heb.) *studium damnem, quod omnino necessarium est: sed nisi cum Grammatica etiam ipsas res discas, nunquam fies bonus Doctor. — Grammatica quidem necessaria est & vera; sed ea non debet regere res, sed servire rebus.* In cap. 25. *Agnoscimus sane magnum beneficium esse, quod linguam Heb. à Rabbinis accepimus, sed cavendum est à Rabbinorum stercoribus. — Hoc ideo moneo, quia multi hodie ex nostris etiam Theologis nimium Rabbinis tribuunt in sententia Scripturæ explicanda. In Grammatica facile eos patior, sed vero sensu & intellectu carent.*

De eo testatur [a] *Hieronymus Besoldus*, Discipulus ejus; *Hortabatur nos ad studium Heb. & Græcæ linguæ, quo facilius inter se conferre & assequi Prophetarum & Apostolorum sententias possemus.*

[a] Præf. in tom. 4. Enarrat. Lutheri in Gen.

Ipse in libello *De Scholis erigendis*, sive *De pueris instituendis*, scripto ad Magistratus & Senatores Civitatum Germaniæ, de Linguarum Heb. Græcæque necessitate ac usu hæc habet: *Sed & hic video quid possis objicere, ut maxime inquit, Scholæ sunt habendæ, verum quo nobis Latina, Græca, & Hebraica lingua spectant, & reliquarum disciplinarum cognitio? An non possumus Biblia in linguam nobis vernaculam transfusa legere? — Respondeo: Jamdudum ætatem sciebam nos Germanos non nisi bestias mansuros, quo nomine nunquam non à finitimis regionibus male audivimus, nec immerito. —*

— *Artes liberales, linguarumque cognitionem, præterquam quod damnosæ non sunt, etiam ornatum uberiorem, decus, utilitatem cum ad sacras literas intelligendas, tum ad Reip. munia obeunda sunt allaturæ, posthabemus: verum merces peregrinas terra marique adportatas, quibus carere magno nostro poteramus compendio, utpote funditus nos exhaurientibus, ultro cupimus. Annon hoc est esse crassissimo stupore Germanam bestiam? Præterea si linguarum peritiæ alius non esset fructus quam quod omnipotentis Dei adeo nobile donum sit quo Germaniam nostram hac tempestate cumulata liberalitate præ cæteris pene gentibus omnibus donavit, id quod in primis vel solum nostram excitare debebat socordiam, adeoque titillanti quadam oblectatiuncula sopitum aut torpentem segnicie animum adficere. Videmus nimirum nisi Tiresia cæciores simus, quod his Universitatibus & Monasteriis semper reluctantibus, nunquam emergendi copiam concesserit Diabolus. Annon subinde contra emergentes linguas, ceu hæresin manifestariam omnibus furiarum habenis furierunt, atque incessanter eundem adhuc furorem furunt? Siquidem prospiciebat veterator ille futurum malum quod regno suo linguarum cognitio procuidubio esset illatura, ubi in lucem emersissent, cui multis seculis mederi non possit. Proinde cum prodeuntibus jam linguis obstare non potuit, cogitat eas ad paucissimos quoque religandas esse, ut per se tandem sterili paucitate cogente denuo arescant & concidant; astute. Ac sane parum gratus hospes Diabolo linguarum peritia, propterea eundem sic frugali culina tractare decrevit, ne diutina mansione premat hospitem. Quam veteratoris nequissimi vafriciem pauci nostrum sunt qui videant.* — *Nemo non ignorabat, quonam consilio divina sapientia linguas in lucem sineret prodire, donec re comperta videmus hoc Evangelii reparandi gratia factum esse, quod adhuc revelandum fuit, ut per hoc Papisticæ abominationis regnum aperiret & everteret. Quamobrem credimus & Græciam Turcarum ditioni subjugatam, quo per passim sparsos Græcos & fugatos, illorum lingua disseminaretur, auctores nimirum futuri etiam alienas linguas perdiscendi. Quanto igitur amore complectimur Evangelium, tam obstinate ab interitu linguas quoque vindicandas esse intelligimus. Neque enim temere est quod his duabus tantummodo linguis includi voluit Deus, Vetus quidem Testamentum Hebræa, Novum vero Græca. Quas cum tanti fecerit, ut etiam easdem Verbo suo conservando, quo nihil sacrius, elegerit, par est & nos illas ipsas præ omnibus cæteris tractare & colere, quam poterimus, honorifice. Siquidem Paulus hoc non pro vulgari honoris auctoramento linguæ Heb. jactat, quod hæc divinas promissiones complectatur.* — *Ad hunc modum ratione non dissimili & Græcorum lingua merito sancta dici possit, quod hæc N. T. Christianis exhibeat, atque ex hac tanquam fonte etiam in alias interpretum opera derivatum, ipsas quoque sanctificaverit. Hæc eo dicta sint, ut intelligamus Evangelium commode nunquam retenturos esse nos, nisi fiat linguarum auxilio. Vaginarum vice sunt linguæ, in quibus gladius ille Spiritus, nempe Verbum Dei, tenetur insertus.* — *Atqui, inquies, multi Patres sanctitate insignes beatorum sortiti sunt consortium, nihilominus tamen linguarum imperiti. Recte dicis. At quo tandem & hoc referendum putas, quod non raro à genuino Scripturæ sensu intellectuque exorbitaverint? Age, quoties saltem Augustinus in interpretando Psalterio ballucinatus est, non minus quam Hilarius: Imo omnes illi qui Scripturam citra linguarum accessionem interpretari conati sunt? Quanquam in uno aut altero loco nonnunquam recte dixerint, tamen semper in bivio consistentes nunquam fuere certi.* — *Recte sane dictum est Christum esse Dei filium, tamen quam ridicule tandem sonabat in adversariorum auribus, citata ex eo Ps. 109. hujus rei probandæ firmatione:* Tecum principium in die virtutis tuæ. *Quum tamen eo loci lingua Hebræa ne iota quidem de divinitate scriptum testetur. Porro si tam incertis & discrepantibus probationibus fidem nostram tueri conabimur, fidem Christianorum penitus deridendam adversariis nostris linguarum peritis propinabimus.* — *Quid hic*

hic aliud in culpa esse credamus, fidem nostram sic risui expositam, quam linguarum ignorantiam? Aliudque subsidium non esse, nisi linguas nosse. —— Itaque cum Christianis conveniat Scripturæ sacræ exercendæ studium, nefas est & non æstimandum dedecus, Christianum proprii Codicis esse ignarum, tum linguam & vocem Dei nostri non callere. At intolerabilius multo est dedecus, oblatas divinitus linguas non discere velle. &c.

Rursus Prælectione in Psal.45. quæ cœpta est an.1532. *Vocem Lamnazeah varie tractant Hebræi, nec est quod ullus vel Græcus vel Latinus præsumat se eam intelligere. Quare sæpe monui Hebræam linguam disceretis, nec eam ita negligeretis. Etsi enim ejus linguæ nullus alius esset usus, tamen pro gratiarum actione discenda erat, quod pars quædam religionis & cultus Dei est, eam linguam docere vel discere, quæ sola quicquid usquam divini est docet. Auditur enim in ea Deus loqui, audiuntur Sancti invocantes & maximas res gerentes, ut studium quod in hanc linguam discendam collocatur, Missa quædam seu cultus Dei merito vocari posset. Quare serio vos hortor, ne eam negligatis. Periculum enim est, ne Deus hac ingratitudine offensus, privet nos non solum cognitione hujus sanctæ linguæ, sed & Græcæ ac Latinæ, & totius religionis. Quam facile enim ei est excitare barbarum aliquem populum, ut hæ linguæ una intereant? Sed præterquam quod pars cultus divini est hoc studium, continet etiam maximam utilitatem. Si enim aliqui futuri sunt Theologi, sicut necesse est, neque enim omnes Jura aut Medicinam discemus, oportet eos esse munitos contra Papatum, & aliud otiosorum hominum vulgus, qui cum unam Hebræam vocem sonare didicerunt, statim putant se magistros hujus sacræ linguæ: Ibi nisi nos eam tenuerimus, tanquam asinis illudent & insultabunt. Sin autem nos quoque muniti fuerimus cognitione hujus linguæ, poterimus eis impudens os obstruere. Sit enim Diabolo & ejus ministris resistendum est. Arbitror autem habituros nos religionis nostræ hostes Hispanos, Gallos, Italos, & Turcas etiam: ibi certe cognitione Hebrææ linguæ opus erit. Scio enim quantum mihi contra meos hostes profuerit. Quare hac quantulacunque cognitione* infinitis millibus aureorum carere nolim. *Et vos quoque dabitis operam, qui aliquando docebitis Religionem, ut hanc linguam discatis, si non pecora campi, & indoctum vulgus haberi vultis, quod editis Germanicis libellis adjutum, utcunque Evangelia Dominicalia & Catechismum docet. Sed opus etiam est ducibus quibusdam doctrinæ, & oportet habere pugnatores, qui stent in acie contra aliarum nationum & Linguarum homines, qui sint Doctores, Judices, & Magistri in hac lingua.*

Apud [a] *Bellarminum*, [b] *Gretserum*, & alios, jactitantur quædam verba, tanquam *Lutheri*, quibus dixerit ob *Versionum varietatem* ad Decreta Concilii Gen. esse confugiendum. E libro *de Ver. Corporis Christi in Eucharistia*, sive, *Defensione verb. Cœnæ, Accipite, Comedite*, ea petuntur: *Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, ut propter diversas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem, Conciliorum Decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Longe vero falluntur ac fallunt, cum ea verba *Luthero* adscribunt. Verba ejus genuina hæc sunt: *Et quidem jamdudum oculi ejus* (Diaboli) *scintillant erroribus de Baptismo, Peccati origine, & Christi humanitate, inde tantum turbarum in sacris literis existet, tantum orietur dissentionum, & tantum exsurget sectarum, ut vere cum Paulo affirmare possimus: Mysterium iniquitatis nunc agit, quemadmodum etiam ipse prospiciebat post se multas sectas esse obërituras. Si hæc mundi machina per aliquot annos duraverit, iterum more patrum ad tollendas dissentiones humana quærentur præsidia, constituenturque leges & decreta ad conciliandam & servandam in religione concordiam.*

a De V. Dei lib. 1. c. 10.
b Def. Bellar. l. 2. c. 10.

De Versione Vulg. ex *Symposiacis* ejus Germanice scriptis proferuntur hæc verba à [c] *Serario*: *S. Hieronymus pro una persona satisfecit. Nulla enim privata persona tantum efficere potuisset.* Ait nihil in eo desiderandum

c Proleg. c. 19. Q. 6.

dum fuisse, nisi unius aut duorum sociorum opem: *Tunc Spiritum S. quoque excellentius se ostensurum, juxta dictum illud Christi; Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* In eisdem vero Colloquiis Symposiacis, censuram hanc cum LXX. Interpretum, tum Versionis Hieronymianæ habet, teste [a] *Gretsero*: *LXX. Interpretes, qui Hebraica Biblia in Græcam linguam transtulerunt, Hebraicæ linguæ imperiti expertesque fuere. Versio illorum valde est fatua & absona, quia contempserunt literam, modumque ac morem loquendi, ita ut S. Hieronymi Versio illorum translationi præferenda sit: quamvis Hieronymo summam injuriam irroget, quicunque illum pro Hebræo habet.* In Præfatione vero Bibliorum Germanicorum postremo à se recognitorum, hæc [b] habet: *Quanquam autem meum studium, quod in hanc translationem posui, commendare ipse nec debeam nec velim; hoc tamen certo confirmare possum, quod innumeris in locis sententiam clarius, & majore cum fide dependerim quam Hieronymus.*

[a] Tract. de novis Translat. cap. 9.

[b] Cochlæus de Novit. Interp.

De *Lutheri* sententia, quippe Capitis tam clari καὶ θαυμασίου, hæc disserere accuratius volui. De aliis, quantacunque sint, parcius.

De Rabbinorum ignorantia linguæ Heb. atque Scripturarum, eadem habet cum *Luthero*, Magistro suo, *Joannes Forsterus* Præf. Lexici Heb. in illius nimirum juratus verba: *Sæpe* (inquit) *vehementer demiratus sum Nostratium* (*ut pace ipsorum dicam*) *socordiam; qui absque ullo judicio Commentaria Judæorum, in quibus nulla lux, nulla notitia Dei, nullus spiritus, nulla ullius disciplinæ, seu artis vera, ac solida scientia, nulla linguarum, ac ne quidem Heb. linguæ est cognitio, amplecti maluerunt, quam ut ipsi considerarent voces ac earum significationes. —— Nihil igitur profuerunt nisi quod velut Bibliothecarii libros tantum sacros* (*quos Biblia vocamus*) *ac aliquot Grammaticos nobis suppeditarunt, at quod ad S. Scripturæ intelligentiam* (*ut jam dixi*) *atque etiam linguæ Heb. cognitionem attinet, præstiterunt, quod laudem mereatur, omnino nihil. Nam dictionaria & commentaria ipsorum plus obscuritatis, & erroris in Ecclesiam Dei invexerunt, quam lucis, & veritatis. Id, quod in nostratum Commentariis videre licet, cum* (*ut ipsis videtur*) *vox aliqua ambigua, aut obscurior sententia occurrit, allegant aliquot Rabbinos, & ut ipsi varie exposuerunt* (*raro enim aut nunquam inter ipsos convenit*) *ita referunt, postea lectorem dubium relinquunt: quis vero ipsorum recte senserit, & quem sequi oporteat, minime indicant: aut si indicant, quia vim vocabulorum ignorant, facile falsum pro vero amplectuntur, ut non ipsi tantum errent, & fallantur, verum etiam Lectorem fallant, & ita juxta Christi dictum accidat, cæcus si cæco dux fuerit, ut ambo in foveam cadant.* Hæc ille: sed qui, ut testatur *Simonius*, Rabbinos illos quos citat, nunquam legerat: Vocabula quædam recenset, quæ dicit à nullis Rabbinorum intellecta fuisse, quæ ipse tamen intellexerit.

4. Huldricus Zuinglius, si credimus [c] *Jo. Morino*, Præfatione sua in Esaiam LXX *Translationem Hebræo Textui longe præfert*: errat vero *Morinus*. Hodiernæ *Masoretarum* lectioni lectionem *Græcam* in multis præfert *Zuinglius*, & hæc quidem verba habet: *Cum LXX. totam chiliada ante natam Rabbinorum Grammaticen verterint sancta volumina, adparet plurimum fidei illis deberi, atque hinc factum esse, ut veteres Theologi tantopere eos commendaverint. Hinc modum quendam brevem studendi Hebraicis literis expiscatum esse arbitror. Quandoquidem citra Rabbinorum puncta Hebraicæ literæ pene sunt nobis illegibiles, jam velimus, nolimus, cogimur ea recipere, sed quum Hebraice volumus legere; nam alias dum Latine legimus & scribimus, ubi Hebraica Nomina incidunt, ipse malo cum Græcis & Latinis efferre, quam cum Rabbinis.* Agnoscit etiam *Græca nonnunquam melius*, quoad ordinem, *habere videri quam Hebraica. Id quod non alia factum esse ratione* putat, *quam quod Græcorum docti viderint*

[c] Exercit. 12. l. 2. c. 2. §.14.

derint negligi ab Hebræis nimis anxiam ordinis observationem, quæ tamen eis nullo pacto visa sit posthabenda esse. Contra vero (addit) *infiniti sunt loci, quibus manifeste deprehenditur* LXX. *& aliter & melius tum legisse tum distinxisse, quam Rabbini postea vel legerint vel distinxerint.* At quid tandem? Ut existimat LXX. Interpretes singulos certas quasdam partes Scripturarum seorsim sibi assignatas habuisse, sic affirmat eorum aliquos imperitissime pensum suum absolvisse: *quosdam ex eis deprehendi vix mediocriter Græcam linguam fuisse doctos: ---- quosdam felicissime interpretando facile probavisse mundo quantum antecelluerint eos, qui indocte provinciam istam gesserunt. Nactus est Isaias interpretem sese indignum. Sed jam longius esset per singulos libros ostendere, quam erudite aut minus traducti sunt. ---- Hoc non est omittendum, eam Interpretationem plurima incommoda, etiam post istam festinatam operam, esse passam: puta imposturas & importationes; nunc sciolorum, qui ex Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, aut Quintæ traductionis aliquid ingerere sunt ausi. Quoties enim deprehendimus duplices translationes? Nunc vero imprudentium, qui ut doctum, docti alicujus, qui ad marginem vel sensum suum, vel similem locum adscripserat, in codicem inciderunt, putarunt ex Canone & substantia Scripturæ esse: ac mox describendo retulerunt in suum exemplar. Adde quod non tantum in Jeremia, sed multis in locis multa videmus alio posita esse ordine, quam habeant Hebraica.* Quibus hæc subnectit: *Hæc de* LXX. *in hoc adduximus, ut ne nimis vili pendantur, qua in re peccasse videri poterit Hieronymus, nisi quod adversariorum indocta importunitas doctum Virum excusare potest: NEQUE EIS PAR AUCTORITAS TRIBUATUR ATQUE IPSIS HEBRÆORUM FONTIBUS.*

Addit, *sine ipsis non posse recte proficere sacræ linguæ studiosos*, utque in illis sit versandum ostendit. *Grammaticen*, inquit, *Hebræam credimus nunc non esse posthabendam, viderunt enim multa & Rabbini, sed perfunctorie, puta sic, ut non ignores illorum Canones: nec tamen eis aut ad miracula edificendis insenescas, aut secure fidas. Ut enim per variarum rerum imperitiam, puta rerum veterum & Cyclopædiæ, temere hallucinantur, ita in Christum perfidia contenebrati & excæcati, non satis firmi ac fidi sunt, ut eis tuto credas.* LXX. *vero Interpretationem omnibus & propter vetustatem anteferas, & propter dissimilitudinem in numerato habeas. Quæ duo sic accipi volo. Ducentos circiter annos ante Christum* LXX. *verterunt: quo sane tempore interciderat magna parte Judæis suæ linguæ cognitio, adhuc tamen in universum non conciderat. Hinc fiebat, ut essent qui probe verterent creditam sibi partem, aut forte datam: quales ferme fuerunt, qui Mosis libros transtulerunt. Essent simul qui hallucinarentur, cum ad ætatem Isaiæ, quæ doctissima fuit, tum ad linguæ Græcæ proprietatem. Hinc tot obliqua, torta, & nonnunquam etiam diversa. Quid ergo? ut, quod ad secundum attinet membrum in numerato habere eorum interpretationem: ea potissimum causa, ut si quo loco aliquis Interpretum sit lapsus, jam ex alio possis eum in locum restituere. Fieri enim nequit, ut si probe memineris similium locorum, aut vocum, aut constructionum, ut similes non possis expedire. Quamvis quidam sint qui similes nullos habeant: sed hi pauci sunt: & juxta fidei & circumstantiarum analogiam enodandi. Si ergo nunc quis mihi dicat, intolerabilem esse operam quam parem. Primum enim perhibes in eam linguam esse penetrandum, quæ sit Rabbinorum punctis tum vocalibus tum sententialibus vitiata non mediocriter. Deinde penetrandum esse instrumentis, quibus non tuto undique credas. Quis ergo judicium meum ita illustrabit, ut & apud illos videam, ubi depravaverint, & apud hos quid ipsi non viderint? — Fide instructus & rudimentis Heb. mediocriter imbutus, Græca quum probe tenueris, huc adi, & confer: non oscitans ne quid cæcam (quod dicitur) manum fallat, sed vigilans & alacer: ut memoriæ thesauro commendes, quæcunque ex Græcanica luce intellexisti, quo deinde possis,*

sis, quum similes tum voces tum locutiones obviam fiunt, quæ servaveris repetere. &c. Ait Hieronymum τῶν LXX. *opera ita videri adjutus esse, ut citra ipsam nullatenus esset legis interpres factus.* Præfatione in Gen. (id quod alibi jam me monuisse memini) Græcam *sive* LXX. *sive septem millium interpretationem* appellat.

5. Unus omnium (quos sciam) *Protestantium*, Is. Vossius Versionem Græcam ipsi Textui Heb. hodierno anteponit: ubicunque ea deseritur, ipsam quoque ibi deseri veritatem, contendens. De quo argumento tractatulos complures edidit contra *Schottanum*, *Hornium*, *Hulsium*, & novissime *Simonium*.

. De Græca Versione honorifice *Scaliger* ad Euseb. An. 1734. etsi fabulam LXX. Interpretum rejiceret: *Multa supersunt, quæ de Interpretatione* LXX. *Seniorum dici à nobis poterant, & quam utilis sit ejus translationis lectio, quamvis in multis ab Heb. fontibus longe recedens.* Sed in loco supra citato ex Epist. ad Seguinum, eam *mendosissimam & falsissimam* esse testatur. Eam *rarum & incomparabilem thesaurum esse, neminem negare posse,* [a] Lib. 2. c. 15. *nisi qui ab omni eruditione alienus sit*, asserit *Heinsius* in [a] *Aristarcho*.

De ea vero sic *Drusius* Observ. lib. 6. cap. 9. *Translatio ea, quæ vulgo apud Græcos habetur, quin* LXX. *Interpretum non sit, nemini hodie dubium esse arbitror. Nam si nihil aliud, innumeri in eo loci sunt, qui arguunt magnam imperitiam sermonis Ebr. sed & negligentiam singularem in legendo, & oscitantiam tantis viris indignam, qui in ea Editione non videt, nihil videt. — Non nego veteres habuisse Versionem* LXX. *sed eam quæ ad nos pervenit corruptam esse dico, sic adeo ut viris illis sine maxima ipsorum infamia tribui non possit.* Idem est, inter ipsos Pontificios *Pagnini* judicium, Isag. c. 9. *Nos summo studio, cura & diligentia* LXX. *interpretationem cum Hebræo contulimus, & tot invenimus addita, dempta, depravata, immutata, & ab Heb. prorsus aliena, ut mihi persuadere nequeam, illam esse* LXX. *Interpretum.* [b] Philol. S. pag. 59. Cui consentit [b] *Glassius* Philologiæ Sac. lib. 1. *Versionem Græcam hodiernam ita esse corruptam, mutatam, mutilatam, ut primæ illius integritatis & venustatis lineamenta magnam partem perierint*, affirmat [c] *Hottingerus*.

[c] Thes. Philol. pag. 3. 7.

Melanchthon in Præf. Editionis Basil. *Apparet non tam verborum delectum defuisse, quam diligentiam in distinguendis sententiis, quod eo accidit, quia & fontes non satis intellexerunt, & ad diligentiam formandæ orationis in Græca lingua non fuerunt adsuefacti. Postea etiam tot seculis multa membra confusius descripserunt indocti librarii.* Quanti is æstimaverit Hebrææ Græcæque linguæ cognitionem Scripturarum intelligendarum gratia, his [d] Orat. Tom. 4. pag. 471. verbis ostendit in Oratione [d] quadam: *Scio me vix primis labris degustasse Ebr. Græcas & Lat. literas. Sed tamen hoc ipsum quod didici quantulumcunque est, propter judicium de religione OMNIBUS MUNDI REGNIS, omniumque opibus longe antepono.*

Lightfootus in Act. Apost. 11. 8. *Interpretes Græci, quicunque tandem Judæorum illi fuerint, sensum aliquando de suo fingunt, idque non raro alienissimum à Veritate Heb. Et Græca vocabula frequentissime adhibent sensu alienissimo à vulgari idiomate Græcorum.*

Jo. Seldenus De Diis Syris l. 1. c. 14. *Sane Interpretes Græcos sæpius hallucinatos elementorum Heb. sive adfini figura, sive mala scriptione, quædam ita vertisse, ut ob eam solummodo rem ab Heb. veritate aberrasse videantur, plurimis demonstrari potest.*

Munsterus Præf. in V. T. *Ut interim taceam* LXX. *Interpretes non admodum peritos fuisse Heb. linguæ, id quod vel inviti cogimur fateri, alioquin in plurimis locis non tam fœde lapsi fuissent.*

6. Lud. Capellus, L. Hebrææ Professor Salmuriensis, in *Critica Sacra*, ex variarum Interpretationum *Græcarum*, *Chaldaicæ*, & *Latinæ*, discrepantiis à textu Heb. hodierno, varias Veterum Codicum Heb. lectiones,

ctiones, libertate ingenti, & in multis nimia, elicit. De Græca Versione sic loquitur l. 6. c. 10. *Magni equidem à nobis fieri debet, & maxima apud nos esse oportet in existimatione ac pene veneratione vetus illa omniumque prima S. Bibl. Translatio Græca, multum enim, imo omnia pene in S. Theologia illi debemus, omnem inquam, quam hodie habemus S. Bibliorum intelligentiam, adscribere illi nos oportet, tum quia una illa Translatione usa est tota primitiva & Christiana Ecclesia, & veteres S. Bibliorum Interpretes, à quibus omnem S. Theologiæ & librorum sacrorum intelligentiam habemus hodie, tum quia absque ea Translatione fuisset, nulla forte jam aut perexigua & valde obscura atque incerta esset linguæ Heb. cognitio, nullus pene illius apud nos usus.* Idem tamen fatetur [a] eam *misere corruptam atque fœdatam esse*: idque non in aliis modo Editionibus, sed etiam in ipsa [b] *Sixtina. Perperam ergo & frustra contendunt nonnulli, Sixtinam τῶν* LXX. *editionem esse puram putam atque incorruptam, ipsissimamque τῶν* LXX. *Translationem, cum in ea (vix minus quam in cæteris Editionibus) innumera pene occurrunt glossemata insulsa, & σφάλματα librariorum incuria, ἀβλεψίαι, incogitantia illapsa, aut etiam eorundem temeritate & audacia introducta.* [a] Lib. 6. c. 3. p. 390. [b] Pag. 319.

Quod in hoc suæ *Criticæ* opere, Versionum veterum discrepantias pleraque cum à se invicem, tum ab hodierno Heb. exemplari, adscribit *Capellus* diversitati veterum Codicum Heb. & Interpretum lectiones hodiernæ sæpe præfert; usque adeo offendit Theologos Reformatos sui temporis, ut per annos 16. manu tantum exaratum opus illud vagaretur, recusantibus omnibus illud prœlo mandare; obnitentibus speciatim *Sedanensibus*, *Genevensibus*, atque *Leidensibus*. Donec tandem ab ipsis Pontificiis Lutetiæ Parisiorum ederetur an. 1650. studio *Jo. Capelli*, Auctoris filii, ad Ecclesiam Rom. transfugæ, & auspiciis *Petavii*, *Mersenni*, & *Morini*; qui à Rege Galliarum facultatem imprimendi impetrabant. Romanæ Curiæ haud primum placebat, quod ipsorum Pontificiorum cura operaque in publicum prodire, idque Regio privilegio, fuerat permissum, quippe in quo Vulgata Latina sæpe reprehenderetur; ut patet ex Epist. Card. *Barberini* ad *Morinum*. Cui in Responsione satisfacere conatur *Morinus*. Pontificiis illis hoc satis erat, quod Textus Heb. hodierni auctoritas labefactari elevarique isto opere videbatur.

Pene integrum Caput, quod de hallucinationibus τῶν LXX. in *Critica* inseruerat *Capellus*, in illius autographo expungi subdole curavit *Morinus*, præcipuus eorum fautor. Cujus rei meminit ipse *Capellus* in *Apol. adv. Bootium*. In iis autem quæ ab editoribus omittebantur, negabat, uti ipse testatur, linguam Heb. fuisse τοῖς LXX. vernaculam: statuebat eos ex Chaldaicæ & Syro-Chaldaicæ, qua Judæi tum utebantur, linguæ affinitate potuisse studio ac diligenti sacrorum Scriptorum lectione, linguæ Heb. tunc deperditæ non mediocrem sibi comparare scientiam: potuisse etiam ad linguæ illius & sacrorum librorum intelligentiam ex patrum suorum traditione habere necessaria: *At eos* (subdit) *omnia vidisse, omnia intellexisse, nullibi lapsos esse aut hallucinatos, nemo dixerit, nisi qui Hebraice nihil scit, & qui eorum translationem cum Heb. textu non contulit, etiam in iis locis in quibus illi non secus quam nos hodie legerunt, ubi videre est frequentes eorum pueriles & pudendos lapsus, sæpe lapsus à genuina vocum & phraseon significatione & sacrorum Scriptorum mente atque scopo.*

Criticam autem *Capelli*, dum in scripto adhuc ferebatur, nec à se unquam visa fuerat, aggreditur & impugnat *Jo. Buxtorfius* Junior, in libro quem scripsit pro *Punctorum antiquitate* contra Capelli *Arcanum Punctationis revelatum*. Quare una cum *Critica*, *Defensionem* ejus edidit *Capellus*. Contra *Criticam* vero ex professo librum edidit idem *Buxtorfius* an. 1653. quem inscripsit *Anticriticam*, seu *Vindicias Veritatis Heb.*

In *Criticam* quoque edidit *Arnoldus Bootius* Epistolam ad *Jac. Usserium* Armachanum, an. 1650. quam inscripsit Epistolam *De Textus Heb. V.T. certitudine contra Capellum.*

Respondit ei *Capellus* in *Epistola Apologetica* ad eundem *Usserium* an. 1651.

Rursus ei respondit *Bootius* in *Vindiciis seu Apodixi Apologetica pro Heb. Verit. contra duos novissimos & infensissimos ejus hostes, Jo. Morinum & Lud. Capellum*, ed. 1653.

An. 1652. post acceptas à *Bootio Capelloque* Epistolas, Epistolam ad *Capellum* de hoc argumento rescripsit *Usserius*, qua *Bootio* se magis favere ostendit. Ea edita est ad finem *Syntagmatis Usseriani de* LXX. *Versione* an. 1655.

Rivetum quam offenderit *Critica Capelliana*, ipse docet in Epist. ad *Buxtorfium fil.* scripta an. 1645. *In iis quæ adversus Textum S.* (Capellus) *periculosis rationibus innixus, sub candoris & veri specie, meditatus est, video eum viris doctis & gravibus, sed in talibus non satis exercitatis, imposuisse, quorum nonnulli Criticen ejus extollunt, tanquam elimatum non solum, sed & pene necessarium opus.* In alia ad eundem Epist. an. 1648. *Si pessima illa & profana Critice, quam vir ille molitus est, & hostibus suscipiendam dedit, postquam ab Orthodoxis fuit rejecta, obtineret; actum esset de Scriptura tota V. T. quæ nihil aliud esset quam Cothurnus Theramenis, omnibus aptandus pedibus.*

Non tamen displicebat *Protestantibus* omnibus. SALMASIUS Lugduni Batavorum Editionem urgebat. CLAUDIUS SARRAVIUS, Curiæ Paris. Senator, fervido & indefesso studio, omni nisu & conatu, & commendatione sua, Criticæ istius Editionem non semel tentabat, ut testatur Auctor in Præf. Illiusque præmittitur carmen in laudem operis.

HUGO GROTIUS in Epist. ad Auctorem an. 1635. *In Sacra Critica nescio magisne indefessam sedulitatem mirari debeam, an uberrimam eruditionem, an judicium limatissimum: quæ tres laudes in hoc opere ita inter se certant, ut in ambiguo maneat cui de tribus prima palma debeatur. Sunt quidem nonnulla* (*uti recte notasti*) εὐδιάβλητα: *sed omnibus placere nemini datum est, minime vero iis quæ supra vulgus sapiunt. Contentus esto magnis potius quam multis laudatoribus: neque desperandum tamen, quin quod in aliis rebus sæpe, in hac quoque eveniat, ut paucos eminentes sequantur & illi qui tantum ad numerum valent. &c.*

SPANHEMIUS, ad quem suam *Criticen* an. 1640. *Genevam* miserat *Capellus* excudendam, spem ei fecerat excusum illic iri, & in Epist. rescripta ad Auctorem, *Opus eximium, & observationibus longe doctissimis refertissimum*, appellat. *Sunt nonnulli* (addit) *qui verentur ne eo abutantur illi quibuscum nobis pugna est, verum hanc eorum sententiam impugnavi, certo persuasus fore ut omnes amplissimum fructum ex docto isto ingenii tui fœtu percipiant.* Idem tamen *Spanhemius* postmodum in Epist. ad *Buxtorfium* an. 1647. ei gratulatur, *quod Adversarium tantopere se efferentem, solide & accurate refutarit, imo dejecerit plane, & ad ἐχεμυθίαν* (*si rationi cedere velit*) *redegerit.*

Neque desunt inter hodiernos, qui *Capellum* isto opere de Ecclesia bene meritum fuisse existimant.

Ipse præmonet *Capellus*, se *scire nonnulla in eo, quibusdam harum rerum non valde peritis, bonis alias licet, minimeque malis viris, visum iri prima fronte nove & periculose dicta: Sed si totum opus perlegatur, & æqua accurati judicii lance perpendatur, deprehensum iri ea esse plana, aperta, certa, & innoxia, quæ primo intuitu videri possent, ex præconcepta opinione, dubia, incerta, suspecta, & periculosa alea plena.* [a] Asserit *textum Heb. V. T. & Græcum Novi, non fuisse data opera, à Judæis & hæreticis corruptum atque depravatum,*

[a] Pag. 5.

depravatum, sed in integritate & puritate sua conservatum. Cui non obstare variam lectionem, quæ sensum non mutat, aut si mutat, perinde est utrum sequaris. Fontem dici purissimum, respectu & comparate ad translationes, quarum vix ullam esse tam accuratam & excussam; ut nihil omnino emendandum aut emaculandum in ea supersit, atque ex fonte ipso (quem semper puriorem rivulis fluere) corrigendum. [a] *Varias lectiones quæ in sacris libris occurrunt non esse ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ momentosas, in rebus quæ ad fidem & mores pertinent.* [b] *Codicem Heb. hodiernum emendatiorem atque emaculatiorem esse illo quo usi sunt* LXX. *Interpretes aliique. Lectionem quam hodie exhibet codex Hebræus, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, & longe frequentius sensum fundere meliorem, aptiorem, conciniorem, &c.*

a Pag. 386, 564.

b Pag. 304, 582.

Sic in *Criticæ* Defensione adversus *Buxtorfium* negat [c] se *in dubium vocare auctoritatem totius Codicis Heb. Quis id mihi tribuat nisi per insignem calumniam? Legat Censor nostram Criticam, videbit me ubique pro virili tueri auctoritatem & lectionem hodierni textus Heb.*

c Pag. 562.

Apologia contra Bootium, negat se velle Veteres Translationes pro totidem Heb. Veritatis exemplaribus esse habendas, asseritque *non omnem variationem Interpretis à textu Originario niti aut fundatam esse in diversitate Codicum originariorum: multam posse esse ab Interpretis ipsius hallucinatione, & deliberato facta mutatione, additione, & detractione.*

7. An. 1624. *Sixtino Amama Paræneſin* suam de excitandis SS. Linguarum studiis, Synodo Provinciali *Frisicæ*, celebratæ *Harlingæ*, offerente, decretum est à Synodo, *ut in posterum Theologiæ Candidati, quotquot ad examen Ministerii Eccles. admitti desiderabant, præter testimonia Senatus Acad. & Theologiæ Professorum, exhibeant etiam testimonia Professorum Ebr. & Gr. linguæ, quibus doceant, se in prædictis linguis eos saltem progressus fecisse, ut originalem Veteris Novique T. textum mediocriter possint intelligere; utque in Classe ista, cujus examini se offerunt, ejus quoque rei specimen edere teneantur. &c.* Insequente anno, quum Synodo *Frisicæ* habitæ *Doccomii* nonnemo obtulisset rationes quasdam pro abrogando Decreto *Harlingano*, Synodus illa *laudabile hoc Decretum* mutare recusavit. Synodi autem *Harlinganæ* exemplum secutæ sunt Synodi *Suyd-Hollandica* & *Groningana* an. 1625. *Ultrajectina* & *Leoverdiensis* an. 1626. & *Noort-Hollandica* 1627. *Franciscus Gomarus* in Epist. ad Synodum *Doccomiensem* gratulatur ei, quod *in Examine Candidatorum Theolog. & Græcæ & Ebrææ linguæ rationem habendam sanctissime & prudentissime, Gallicarum Ecclesiarum more, statuerit. Alioqui enim* (inquit) *verendum erat, ne quemadmodum sacrarum illarum linguarum studiis, patrum nostrorum memoria suscitatis, simul veritas pene sepulta emergere cœpit ac caput attollere; ita contra studiis hisce neglectis, in pristinam barbariem & veritatis jacturam relaberemur.*

8. De *Punctorum Vocalium* & *Accentuum* Heb. antiquitate, fuerintne ea *Mosis*, vel *Esdræ* saltem temporibus coæva, an à *Masorethis Tiberiensibus* adinventa, intercedit lis magna inter ipsos Theologos *Reformatos*. Excogitata fuisse à Doctoribus Masorethicis statuerunt ante *Reformationem*, *Raimundus Martini*, *Lyranus*, *Porchetus*, *Paulus Burgensis*, *Jo. Picus Mirandula*, *Politianus*, *Jacobus* Episc. *Christopolitanus*, atque *Galatinus*. *Reuchlinus* eâ ab *Esdra* fuisse excogitata existimat. Auctori *Margaritæ Philosophicæ* ed. 1512. placet, nonnulla quidem ex Punctis ab *Ezra* fuisse excogitata, sed non omnia: nempe aliqua eorum ipsis literis Hebr. fuisse coæva.

Post hos exortus est *Elias Levita*, Rabbinus Germanus doctissimus, cogn. *Grammaticus*, qui literas Heb. in Italia docuit, primo *Paduæ*, deinde *Romæ*, postremo *Venetiis*; & floruit ab an. 1517. ad 1544. quo *Venetiis* obiit. Is in libro cui tit. *Masoreth Hammassoreth*, Punctorum

novitatem, nempe ea excogitata fuisse à *Masorethis* Tiberiensibus, ex professo adstruit. Cujus libri præcipua quædam, imprimis *Præfationem tertiam*, ubi de hoc argumento speciatim tractat, ex Hebræo Latine edidit *Seb. Munsterus* an. 1539. sub tit. *Libri Accentuum Heb.* Longe fallitur [a] *Wasmuthus*, cum inter eos, quos putat illius auctoritate fuisse seductos, recenset *Reuchlinum* & *Jo. Picum Mirandulam*, qui uterque ante *Levitam* floruit, nec eadem fuit *Reuchlini* cum *Levitæ* sententia. [b] *Buxtorfios* quoque longe fugit ratio, cum dicunt *Levitam primum hanc sententiam excogitasse*, & excerpta ex illius libro à *Munstero* edita Viros doctos primum in hanc opinionem pertraxisse. Non modo ante excerpta ista Latine edita, sed & antequam suum librum scripsisset *Levita*, asseruerat idem, præter Scriptores supra citatos, *Robertus* noster *Wakfeldus*. Testatur autem *Levita* se librum illum scripsisse dum *Venetiis* ageret, & *Venetias Roma* abiisse post Urbis expugnationem, quæ accidit an. 1527.

Post librum *Eliæ Levitæ* editum, sententiam hanc de Punctorum novitate, tanta unanimitate amplexi sunt *Pontificii*, non alii modo, verum & ipsi Veritatis Heb. fautores præcipui, ut soli omnium, quos equidem noverim, [c] *Marcus Marinus* Brixianus, & [d] *Gul. Postellus* eorum antiquitatem diserte asserant. Eruditiss. *Masius* [e] dubitanter: *Sed illi* (LXX.) *Vocalium observationi, operam nullam dedisse videntur, quarum fortasse nullæ erant eo tempore notæ. Postellus*, homo insani capitis, autumat ea una cum ipsa lingua *cælitus data fuisse Adamo & Mosi, Israelitisque, sed pro mysterio, donec ex mysticis publica fecit Ezras scriba.*

Ut unum tantum aut alterum inter Pontificios universos, sic etiam inter *Reformatos* illius ætatis, duos tantum aut tertium invenio qui Punctorum antiquitati fuerint suffragati. Ii sunt *Cevallerii* bini, [f] *Antonius* & [g] *Petrus*, & [h] *Flacius Illyricus*. Longe plures diserte adversantur: [i] *Lutherus* ipse, [k] *Pellicanus*, [l] *Zuinglius*, [m] *Mercerus*, [n] *Fagius*, [o] *Calvinus*, [p] *Beza*, [q] *Musculus*, [r] *Petrus Martinius*, [s] *Mich. Neander*, [t] *Jos. Scaliger*, [u] *Schindlerus*, [x] *Piscator*. Quibus adde sis *Oecolampadium*, *Brentium*, *Munsterum*, *Drusium*, *Casaubonum*, *Erpenium*, [y] *Beyerlinckium*. *Chamierus* [z] in bivio hæret. *Ego nolim sane contendere, dum quid certius in alterutram partem aut ipse invenero, aut alii indicaverint. Cum hactenus viderim magnos viros dissentientes. — Possum concedere olim fuisse Codices absque punctis.*

Munsterus prius Punctorum antiquitati subscripserat, scil. in *Præf.* [a] *Bibliorum*: *Non sunt igitur puncta Vocalia novum quoddam Judæorum commentum, ut Steuchus & quidam alii similes existimant.* Et hoc, inquit *Buxtorfius Junior*, dicit, *licet Eliam maximi fecerit, ejusque scripta; in hac tamen quæstione minime ei assensum præbere potuit aut voluit.* Atqui minime liquet eum antehac unquam vidisse *Eliæ Massoreth Hammasoreth*. In *Heb. Grammatica*, quam edidit post *Biblia*, Punctorum vetustati totidem verbis reclamat. — *Caruit ergo exemplar ejus* (Interpretis) *punctis, sicut & omnia exemplaria antequam Judæi Tiberitæ has vocales notulas adjecerunt.*

Ita *Drusius* in scriptis prioribus dubie: Quæst. [b] Heb. *Raro* (inquit) *fuerunt adscriptæ*. De Tetragrammato: *Hoc voluerunt Masoretæ, qui Vocales addiderunt: si modo ab illis additæ sunt. Nam dubitari video.* Alibi absque omni dubio definite, quicquid dicit *Buxtorfius* præcitatus. De recta pronunc. L. Sanctæ, c. 4. *Locus postulat ut aliquid dicamus de ætate vocalium. Res ardua, & à variis varie tractata! Ego sic sentio, sonos earum semper fuisse, hoc est una cum literis natos: figuras nuperas, & post Hieronymum primum adscriptas. &c.* Vide in *Loca Difficil. Pent.* c. 25.

Scaligeri verba: *De apicibus & vocalibus Hebræorum tam mihi constat rem novam esse, quam eos falli, qui natos una cum lingua putant: quo nihil stultius dici potuit aut cogitari.*

a Vind. Heb. Ver. p. 11, 12.
b *Senior* Præfat. in Com. Masoreth. *Junior* de Punct. antiq. pag. 10.
c Præf. Thes. L. sanctæ.
d De Orig. c. 6. & De Hetruriæ orig. p. 113.
e Ad Jos. 3. 16.
f Rud. linguæ Heb.
g Notis in eandem Gram. Heb. ed. 1592.
h Clav. Script. part. 2. tract. 6.
i Vide supra.
k Præf. in Pent. & in Psal.
l Præf. in Ef.
m Comm. in Gen. 18. 3. in Eccl. 3. 19. in Amos. 2. 12. & alibi.
n In Targ. Gen. 47. 24.
o In Zach. 11. 7.
p De recta L. Gr. pronunc.
q Com. in Psal.
r Gram. Heb.
s Erotem. L. Heb.
t Epist. 243. ad Buxtorf.
u Schol. ad Gen. 15. 8. & in calce Quæst. in Pent.
x Lex. Pentaglot. passim.
y Apud Waltonum Proleg. 3. §. 39. accenietur *Zuingerus* Præf. in *Esaiam*: ubi perperam ponitur *Zuingerus* pro *Zuinglio*.
z Panstrat. lib. 12. c. 4. §. 15.
a Ed. an. 1534, 1535.
b Lib. 2. Q. 33.

Constat

Constat hanc fuisse communem *Reformatorum* doctiorum sententiam usque ad tempora *Jo. Buxtorfii* Sen. Professoris Basil. qui an. 1620. *Tiberiadem sive Com. Masorethicum* edidit, quo *Masoræ* Punctorumque auctoritatem stabilire totis nititur nervis: Vir sane doctissimus, quemque primum Christianorum omnium *Masoram* intellexisse agnoscit *Morinus*.

Contra illum Punctorum novitatem adstruit *Lud. Capellus*, in *Arcano Punctationis revelato* ed. 1624. qui primus ejus studiorum fœtus fuit. Quem librum, tacito Auctoris nomine, eoque inscio, sed non invito, *Erpenius* publici juris fecit, & Præfatione sua Lectori commendatum voluit.

Supervixit annis 5. *Buxtorfius*, obiitque an. 1629. A quo, etsi orbis literarius Responsionem avide exspectabat, nulla tamen parabatur. Et priusquam evulgaretur *Arcanum Punctationis*, quum schedas suas *Basileam* ad eum misisset *Capellus*, sciscitans quid de eo sentiret, & si quid haberet quod reponeret, rogans vellet benigne communicare, rescribebat *Buxtorfius* Epistolam, quam, propositis variis in utramque partem dubitandi rationibus argumentisque, postremo sic concludebat: *Hinc probe agnosco difficile esse argumentum de antiquitate Punctorum, interea etiam pessimas & periculosas consequentias ex novitate Punctorum non satis ex animo meo revellis; quæ etiam eo me pertrahunt, ut putem non expedire publice hanc quæstionem subtilius & profundius in Scholis, vel voce, vel editis libris tractare.* Testatur *Capellus* opinionem de Punctorum antiquitate *tacito jam omnium fere consensu paulatim fuisse receptam, & ubique inter Reformatos obtinuisse, & quidem tanta cum auctoritate, ut contra biscere vix cuiquam sine gravi invidia & omnium offensione liceret.*

Post annos 25. viz. an. 1648. edita est tandem Responsio à *Buxtorfio* filio sub tit. *Tractatus de Punctorum Vocalium & Accentuum in libris V. T. Heb. Origine, Antiq. & Auctoritate.* Adversus quem, *Arcani Punctationis Vindicias* reliquit *Capellus*. Quæ lucem non aspexere nisi multis annis post obitum ejus, qui accidit an. 1658. edente tandem Filio ejus *Jacobo Capello* an. 1689. Cui operi etiam inserta est Responsio ad Præfationem Tractatus *de Accentuum ratione*, à *Caspare Ledebubrio* Pomerano ed. 1647.

A partibus *Buxtorfiorum*, pro Punctorum antiquitate, stant vulgo Theologi Germani. Quod *Is. Vossio* stomachum vehementer movet. Præfat. Tract. de Orac. Sibyll. *Deplores*, inquit, *miserum hoc tempore Academiarum in Germania statum, in quibus striges istæ Rabbinicæ tam late dominantur, ut qui isthic vivunt eruditi sine suspicione hæreseos vix biscere audeant. Mirum Principes Germaniæ tantæ pesti non occurrere, & permittere, ut Judaismus ita impune grassetur, & ut à Lutheranis ipse quoque Lutherus hæreseos damnetur, quod puncta Heb. flocci fecit, & pro commento habuerit Rabbinico. Fierine potest, ut humaniores literæ feliciter tractentur, ubi Rabbinismus regnat, & ubi nulla excolitur Theologia, quæ non sit Rabbinica? &c.* Hodiernis accenset [a] *Wasmuthus* vetustiores illos [b] *Alstedium*, [c] *Gerhardum*, [d] *Tarnovium*, [e] *Hottingerum*, [f] *Glassium*, [g] *Laur. Fabricium*, & [h] *Jac. Martinium*. Quorum aliquos tamen, nimirum *Glassium* & *Hottingerum*, inter fautores sententiæ contrariæ recenset [i] *Christianus Ravius*, ipse licet Punctorum patronus: *Hottingerus* in *Thes. Philol.* p. 403. profitetur sibi *valde arridere* sententiam Auctoris *Margaritæ Philosophicæ*, qua statuitur, *non omnia puncta, quibus modo utuntur*, ab Ezra fuisse superaddita, *sed aliqua semper exstitisse*. Paulo post addit, se non dubitare Hebræos Vocalium expressas notas habuisse semper. *An vero* (inquit) *ab initio statim, hæ, quas habemus, vocales, consonis additæ sint, & figura & numero, in medio nunc relinquo.* Nec reperio apud *Glassium* in locis à *Wasmutho* citatis, quod pro antiquitate Punctorum vel minimum faciat.

a Vind. Heb.
b Encyclop.
c Exeg. loc. Com. c. 15. pag. 353.
d Explic. Ps. 4. pag. 103.
e Thes. Phil. l. 1. c. 3. p. 357, 402, 404.
f Philol. S. pag. 17, 18, 36, 38.
g Partit. Cod. S. c. 2. p. 8.
h De Verbo Dei, Disp. 12. pag 480
i Ep. ad Wasmuthum apud ipsum in Append.

Itaque merito etiam de cæteris, quos ille citat, dubitaveris: libri enim non sunt ad manum. Nec tanti res est, ut me valde pigeat.

Capello, adversus *Buxtorfios*, & Punctorum antiquitatem, aperte adstipulantur [a] *Ger. Vossius*, *Schickardus*, *Grotius*, *Bochartus*, *Salmasius*, *Rivetus*, *Usserius*, *Seldenus*, (Deus bone, quales quantique!) Quibus adjiciendi sunt *Sixtinus Amama*, *Alexander Morus*, *Jo. Prideauxius*, *Barth. Mayerus*, *Franc. Junius*, *Lud. de Dieu*, *Arnoldus Bootius*, *Jos. Medus*, *Frid. Spanhemius*, *Jo. Cameron*, *Gul. Eyrius*, *Theodoricus Hacspanius*, *Festus Hommius*, *Matth. Cotterius*, *Brianus Waltonus*, *Hermannus Conringius*, veneranda nomina. Verbo, asserit *Waltonus* operis *Capellani* lectionem *omnes fere à præjudicio liberos in hanc sententiam pertraxisse*: --- *& vix quenquam esse solidæ in Hebraicis doctrinæ, qui à Capello differt.*

[a] De multis ex his, vide Waltonum Proleg. 3. §. 39.

[b] *Grotius* affirmat, ita hoc *perspicuis argumentis à viris doctissimis demonstratum esse, ut id amplius inficiari, non nisi pertinacium sit.*

[b] In Mat. 5.18.

[c] *Schickardus*, strenuus licet prius Punctorum adsertor, ait se *valde mirari, superesse qui vocalium antiquitatem serio credant.* Existimat eos *non serio, sed ad ostendendam eruditionem Rabbinicam, vel aciem ingenii, vel ex contradicendi studio scripsisse.*

[c] De Jure Reg. Heb lib. 2. ed. 1625.

[d] *Rivetus* in Epist. ad *Capellum* an. 1625. *Arcanum tuum magna cum voluptate legi, & fateor ingenue, in tuam tu me pertraxisti sententiam.* Addit *Festum Hommium* eidem sententiæ post lectionem libri Capelliani manus dedisse. Et *Sixtinum Amamam* sibimet testatum esse, *in eo sibi esse plene satisfactum.*

[d] Ap. Capell. Crit. S. p.629.

Bootius (illius postea ob *Criticam* adversarius) [e] Epist. ad eundem an. 1645. *Arcanum Punctationis cum insigni fructu legi, quippe demptus mihi inde error, quem ex magni Buxtorfii libertate imbiberam de Punctorum cum literis coævitate.*

[e] Ibid.

Gul. Eyrius Cantabrigiensis, postea Canonicus *Eliensis*, in Ep. ad *Usserium* an. 1607. ubi monet quid præstiturus esset in opere quodam quod tum moliebatur (sed nunquam absolvebat) de Fontium sacrorum auctoritate, ait se constituisse hanc Propositionem probandam; *Hebraicam V. T. Scripturam iisdem vocalium & accentuum notis, quibus hodie utimur, antiquitus traditam fuisse.* In Epistolis [f] vero an. 1634. & 1635. ad *Capellum* scriptis, agnoscit contrariæ sententiæ veritatem tam clare ab eo demonstrari, ut *nemini* (*cui cerebrum non omnino periit*) *aqua hæreat, cum in hac non solum optimi, sed etiam docti ferme omnes apud nos antehac vel dubitaverint, vel etiam contra veritatem arma sumpserint.* Se olim libri *Zohar* ficta antiquitate fuisse deceptum.

[f] Ib. p. 630, &c.

Scripserunt quidem horum virorum doctissimorum complures ante editum à *Buxtorfio Fil.* Punctorum vindicationem. Esto: at multi ex illis opus illud *Buxtorfianum* legerant, nec tamen persuasi abiere. *Waltonus* in Introductione ad linguam Heb. & Chald. §. 5. *Quæ nuper edidit Vir quidam doctus* (*Buxtorfium* intelligit) *contra Capelli Arcanum, ita jejuna & frigida sunt, ut paucos, ni fallor, sibi consentientes habeat.*

Neque tamen defuere etiam inter nostrates, qui sententiæ *Buxtorfianæ* subscripserunt, & contra *Waltonum*, qui *Capellianam* in *Prolegomenis Biblicis* ex professo tuetur, libros ediderunt. Primus fuit *Jo. Owenus*, Independentium antesignanus, qui an. 1659. sermone Anglicano emisit *Vindicias Puritatis & Integritatis Textuum Heb. & Gr. V. & N. T. animadversionibus quibusdam in Prolegomena & Appendicem Bibliorum Polyglot. nuperorum.* Cui respondit *Waltonus* libro eodem anno vernacule edito. Alter erat *Josephus Cooperus*, qui an. 1673. Londini librum vulgavit hac inscriptione: *Domus Mosaicæ Clavis: sive Legis Sepimentum. In quo Punctorum Heb. adstruitur antiquitas: eaque omnia, cum accentualia tum vocalia, ipsis literis fuisse coæva, argumentis undique petitis demonstratur. Quæ*

vero

vero in contrarium ab Elia Levita *Primipilo*, Lud. Capello, *D. Doctore* Waltono, Jo. Morino, *&* Gordonio Huntlæo, *ejus affeclis & interpolatoribus*, *cum paucis aliis*, *in Castra* Eliana *arte veteratoria pertractis*, *adducuntur*, *multa cum fidelitate examini subjiciuntur*, *& diluuntur*, *quotquot sunt omnia*.

Theologos *Germanos* mirifice irritarunt *Prolegomena Waltoniana*. *Matthias Wasmuthus* Prof. *Rostochiensis*, postea *Kiloniensis*, edidit anno 1664. *Vindicias S. Heb. Scripturæ adversus impia & imperita multorum præjudicia, imprimis contra* Capelli, Vossii F. *&* Waltoni, *Auctoris Operis Anglicani* Πολυγλώττε, *assertiones falsissimas pariter ac perniciosas*. Edidit idem anno 1669. adversus *Conringium* librum, cui titulum dedit: *Pro S. Heb. Textu Vindiciarum Anti-Capell-Waltonianarum Pars III. sive Anti-Conringius Apologeticus. &c.* Cui libro scribendo occasionem præbuit nova Versio *Germanica*, quam *Saubertus*, *Conringii* gener, molitus est, an. 1665. auspiciis *Augusti* Brunsvic. & Luneb. Ducis: de quo molimine ad *Augustum* Ducem *Epistolam gratulatoriam* scripsit *Conringius*. In ea vero Epistola, quia nonnulli objecerant, V. T. libros sic verti haud posse, uti ne quid supersit *imperfectionis*, neque de Versione alicubi justa *dubitatio*, respondet *Conringius*, *eam vel ipsiusmet sacri Codicis Hebræi*, *aliqua sui parte conditionem esse*, *ut & ipse laboret suis dubiis & sua quadam incertitudine*. Hinc contra Epistolam istam *Programma* edidit *Wasmuthus*: & *Vindicationem* reponente *Conringio*, præfatum librum contra illum scripsit. Queritur istic *Wasmuthus*, *illud incomparabile opus Bibliorum Anglicanorum fœdissime deturpatum fuisse impiis & plane detestandis hypothesibus Capel-Waltonianis*. Et *Leusdenus* in literis ad illum scriptis, *miratur illud Opus Biblicum præstantissimum tali pessima Præfatione esse conspurcatum*: illiusque & *Capelli* sententiam ait *per totum Belgium improbari*.

Non contentus *Wasmuthus* contra *Conringium* fervidissimo studio scripsisse; alios Professores, ipsasque Academias integras, de Textus Heb. infallibili authentia ac *certitudine*, libello Appellatorio, in eum sollicitat. Quorum *Judicia* in *Appendice* congessit: viz. *Facultatum Theologicarum* in Academiis *Lipsiensi*, & *Greiphswaldensi*, Theologorum & Pastorum *Lubec. Hamburg.* & *Luneb. Christiani Ravii* Professoris *Upsaliensis*, *Gilberti Voetii*, *Andreæ Essenii*, & *Leusdeni* Professorum *Ultraject.*

His circiter temporibus, fervescentibus istiusmodi controversiis, ab Ecclesiis *Helveticis* decretum est, ut qui ad Ministerium sacrum, sive ad munus Professorum proveherentur, subscriberent omnes, *Sic sentio*, antiquitati Vocalium Hebr. non quidem *notularum*, sive apiculorum ipsorum hodiernorum, sed lectionis hodiernæ, ita ut nihil in Textu Heb. hodierno Punctato agnoscatur errorum. Hoc apud *Bernenses* & *Tigurinos* statuto, eorum auctoritate facta est, ut *Genevæ* lex eadem sancita sit. De ipsorum autem apiculorum antiquitate, fando audivi *Jo. Jac. Buxtorfium*, qui hodie apud *Basileenses* Heb. linguæ Cathedram regit, & Patri suo successit an. 1664. derelicto Avo Patreque in Adversariorum concessisse castra.

[a] *Zuinglius* non modo negat apiculorum antiquitatem, sed eos quoque ab hominibus imperitissimis fuisse appositos, affirmat in loco superius adducto ex Præf. in Esaiam, ubi & hæc quoque habet: *Hoc ambiguum non est tum tandem inventum esse*, *quum eis omnis ferme peritia perierit*. *Cujus rei argumenta sunt plusquam barbaræ voculationes*, *quibus* (*nisi quod veritas contaminari nequit*) *tantum non fœdant divina eloquia*. דריוש *annon sese offert quomodo legi amet? nempe* Darius: *Æque* כורש *si puncta indoctorum Magistrorum auferas*, *nonne sua se sponte legit* Κῦρος Cyrus? *Quæ ergo intemperiæ movent*, *ut pro* Darius *legant* Dariaves, *& pro* Cyrus *legant* Koresch? *Sic quum pro* יון *hoc est* Jon, Javan, *& pro* כרכר *hoc est* Carruca,

a Præfat. in Es.

ruca, Kirkar, & *sexcenta hujusmodi legant. Taceo enim quæ apud Danielem aperte comprehenduntur esse depravata ex Græcis allata vocabula. Quis non videt non alium Cacodæmonem quam inscitiam rerum priscarum, tam inurbanam persuasisse lectionem?* &c. *Zuinglio* adstipulatur *Is. Vossius.*

Alii media, quod fere semper tutius, incedunt via, Punctatoribus Masorethicis nec nimis detrahentes, nec nimium deferentes. *Calvinus*, in Zach. II. 7. *Scio, quanta industria veteres Scribæ puncta excogitarunt, cum jam linguæ non esset tam communis & familiaris usus. Qui ergo puncta negligunt, vel prorsus rejiciunt, certe carent omni judicio & ratione: sed tamen habendus est aliquis delectus.*

Mercerus in Gen. 16. 13. *Nolim quidem temere à judicio Masoritarum recedere, qui communicata inter se Bibliorum lectione, non sine magno, ut verisimile est judicio, cum docti essent, & in Scriptura exercitati, Bibliis puncta adhibuere. Verum ubi aliud sensus suadet, & insignior ac illustrior est sensus, si aliter legatur quam illi scripserint, præsertim si nihil de literis mutatur, non id piaculum judicarim, sed si tantum aliis punctis dictio aliqua legatur, non reformidarim ab illorum judicio recedere.*

Waltonus Proleg. 7. §. 24. *Licet puncta hodierna à Masorethis inventa sint; ipsorum tamen sonus sive vocales ipsæ, reliquis literis coævæ sunt: nec punctarunt textum Masorethæ pro libitu; sed secundum illam lectionem usitatam, quam à majoribus habuerant.* Idem §. 17. de Textus origin. authentia sententiam suam his aperit verbis: *Sententia nostra est, Textus Heb. Veteris, & Græcos N. T. semper fuisse, & adhuc esse authenticos, ad quos omnes de fide & religione controversiæ, omnesque Versiones probari & examinari debent. — Nec obstat, quod mendis ex errore Scribarum fortuito obnoxii sint, cum talia errata ex aliis Codicibus emendari possint, & quotidie emendentur. — Etsi Versiones, antiquæ præsertim, multum conferre possint, cum erratum in textum orig. casu irrepsit, ad veram lectionem indagandam & restituendam; tamen, generaliter loquendo, Versiones omnes secundum Textus originales corrigi & examinari debent.*

Capellus Arcano Punctat. c. ult. *Hodiernos punctorum, Vocalium, & Accentuum apiculos quoad figuram esse à Masorethis (qui illam excogitatam à se Consonis addiderunt, per multos annos huic operi incumbentes, neque enim simul cæptum & perfectum fuit illud opus) at non quoad rem ipsam illis apiculis significatam, quam non pro arbitrio confinxerunt, sed quam duntaxat (prout illius veluti genius, & natura postulabat, eosque eo veluti manu ducebat, prout etiam vocum à sacris Scriptoribus* θεοπνεύστως *consonarum figuris descriptarum series, ordo, & tota structura in orationis complexu id exigebat) apiculorum istorum figura ingeniose à se excogitata expresserunt fideliter, concinne, apte, & eleganter. Nec propterea* (addit) *aut Heb. textus hodierni veritatem & auctoritatem ab illorum hominum qui puncta addiderunt, auctoritate, ne quoad nos quidem, multo minus in se pendere concedimus, nec damus sine illorum Punctorum adminiculo nullum omnino aut incertum plane haberi posse textus Heb. sensum. Quando (uti demonstratum est) & si solæ perpetuo exstitissent Consonarum figuræ, nihilominus perpetuo haberi potuisset, & haberi etiamnum certo posset textus non Punctati sensus verus ac germanus. Ac proinde hoc dato (ut revera id damus) hosce apiculos esse à Masorethis, non propterea dicimus fidem nostram ultimo resolvi debere, vel in LXX. Interpretum translationem, vel in Vulg. Lat. editionem, quin eas contendimus & posse examinari, & revera examinandas ex textus Heb. licet non punctati cum illis translationibus facta collatione.*

Beza ait puncta Vocalia ab Heb. Grammaticis *divinissimo certe invento excogitata fuisse.*

Is. Vossii, qui nusquam non errat ubi ab aliis in his literis recedit, somnium peculiare est, Punctationem hodiernam non fuisse plene stabilitam

bilitam donec Biblia punctata edidisset *Bombergius*. Præf. Tract. de Orac. Sibyl. *Paulo sagaciores norunt, ne sex quidem effluxisse secula, ex quo primum usurpari cœperint puncta ista vocalia, quibus hodierni Hebræi onerantur Codices. Sciunt illi per integra tria vel quatuor secula acerrime inter se conflixisse Judæos, dum alii sic, alii aliter inducendas esse contenderent Vocales, & ne nunc quidem controversiam hanc fore sopitam, nisi Dan. Bombergius litem istam immenso diremisset pretio, conductis aliquot Judæorum CENTURIIS* (absurdum dictu!) *in quibus alendis totum suum dilapidavit patrimonium.*

Denique, Hebræi Textus *integritati* non officere, quod rejiciantur Puncta hodierna, fatentur etiam Pontificii, ut *Andradius, Bellarminus, Serarius, &c.*

Ut puncta autem hodierna excogitata fuisse à *Masorethis*, statuunt tot viri inter *Reformatos* præcellentes; sic etiam literas hodiernas, quibus exarati sunt Hebræi Codices, alias esse ab antiquis Hebræis: nempe has *Chaldaicas* esse, & primum ab *Ezra* post reductionem ex Captivitate fuisse usurpatas, veteresque characteres Hebræos eosdem fuisse cum *Samariticis*, vulgo concedunt: ut [a] *Scaliger*, [b] *Casaubonus*, [c] *Drusius*, [d] *Vossii*, [e] *Grotius*, [f] *S. Amama*, [g] *Bochartus*, [h] *Waserus*, [i] *Mayerus*, *Capellus*, [k] *Waltonus*, in quo ipsum [l] *Hieronymum*, cum multis [m] *Rabbinis*, & scriptoribus [n] *Pontificiis*, consentientem habent. Ex contraria vero parte stant [o] *Polanus*, [p] *Fr. Junius*, [q] *Broughtonus*, [r] *Fullerus*, [s] *Schickardus*, *Buxtorfius Junior*, [t] *Wasmuthus*, *&c.* adstipulantibus nonnullis cum inter Rabbinos tum inter [u] Pontificios. De hoc argumento singularem Tractatum edidit *Buxtorfius* inscriptum *De literarum Heb. genuina antiquitate.* Cui respondit *Capellus* in *Diatriba De veris & antiquis Hebræorum literis*, ed. 1645. [x] *Wasmuthus*, pro eo quo semper incalescit Zelo, *miratur simul ac dolet, quod ECCLESIA ANGLICANA, incomparabilem illam Operis Biblici* Πολυγλώττε *editionem, isto Capelli & Waltoni propudiosissimo Goliathismo contra sacrum Characterem Hebræum, horrendum in modum deturpari passa sit.*

9. *Historiæ Auctoritatis Textus Hebr. Versionumque Gr. & Lat. Vulg.* hic finem impono. Illud unum prius mouuero, Versiones, quibus utuntur Ecclesiæ *Orientales*, maxima ex parte è LXXvirali derivatas esse; & *Abulpharajium* Arabem in *Hist. Dynast.* Chronologiam Heb. à Judæis fuisse corruptam, verioremque esse LXXviralem, asserere. Errat tamen [y] *Vossius*, cum affirmat, *quotquot toto orbe fuere Ecclesias in* LXX. *solis acquievisse, nec ostendi posse gentem ullam quantumvis barbaram, quæ Christi nomen suscepit, quæ non simul horum susceperit tralationem, & quidem solam. Versiones omnes, Latinas, Syriacas, Arabicas, Armenicas, Persicas, Copticas, & Æthiopicas, ad solos* LXX. *Interpretes fuisse expressas.* Habent enim *Syri* Versionem etiam antiquissimam ex Heb. confectam; necnon aliam tertiam ex *Origenis* editione juxta Heb. sub *Asteriscis* suppleta obeliscisque notata traductam. Habent *Arabes* quoque Versionem nondum typis editam ex *Heb.* ipso factam, & aliam similiter ex editione *Origeniana* cum Obelis Asteriscisque expressam: cujus exstat Pentateuchus una cum Commentariis in Bibl. *Bodleiana*.

[a] In Euseb.
[b] Cont. Baron.
[c] Ad difficil. loca Exodi cap. 56.
[d] Gerardus Gram lib. 1. c. 9, 31.
[e] Notis ad lib. de ver. Relig. Christ.
[f] Antibarb.
[g] In Phaleg.
[h] De numinis Heb.
[i] Prodrom. Phil. S.
[k] Prolegom. 4. §. 29, &c.
[l] Prologo in Reg. Com. in Ezek. 9. & in Gal. 3.
[m] Vide Walton. Proleg. 4. §. 32, 33.
[n] *Galatino, Postello, Sixto Sen. Villalpando, Bellarmino, Bonfrerio, Guidone Fabricio, Morino, Aria Montano, Genebrardo,* multis aliis.
[o] Comment. in Ezek. 9. 4.
[p] Contra Bellarm. de V. D. cap. 1.
[q] Concentu S. Script.

[r] Miscel. Sac. lib. 4. cap. 4. [s] Bechin Happer. [t] Vind. Heb. [u] Baronio annal. tom. 2. *Kirchero* Oedip. Ægyp. Marco Marino Præf. Lex. Heb. Vide Wasmuth. pag. 36, 37. [x] Pag 29. [y] Præf. Append. libri de LXX. Interpr.

LIBER IV.

De cæteris Græcis Verſionibus,

ORIGENIS HEXAPLIS,

ALIISQUE EDITIONIBUS ANTIQUIS &c.

CAP. I.

De cæteris Græcis Verſionibus, Origene *vetuſtioribus*, *viz.* Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Quinta, Sexta, *&* Septima. *Nullam exſtitiſſe* LXX*virali priorem.* Platonem *cæteroſque Philoſophos iſtorum temporum è Scripturis nihil deſumpſiſſe.* §. 2.

IN libro præeunte quænam fuerit auctoritas Textuum Originalium, Verſionumque Græcæ LXX. titulo nobilitatæ, & Latinæ Vulg. per omnia ſecula, ea diligentia ac fide oſtendimus, ut majori diligentia vix quiſquam poſſit; fide, certe nemo. Optarim, licuiſſet iſtic finem imponere huic Volumini, quandoquidem ambo jam ſimus defeſſi, ſcribendo Ego, Lector legendo. At vero de aliis Græcis Verſionibus, *Origenis Hexaplis*, aliiſque Editionibus antiquis, dicenda quædam reſtant, quæ minime prætermitti debent. Age itaque, calamum, utcunque laſſi, reſumamus, atque iis de rebus, parum hactenus cognitis, ſed cognitu dignis atque neceſſariis, diſſeramus; à Lectore diligentiori ſi non gratias, at veniam ſaltem merituri.

2. Si credimus Commentariis, quæ olim ferebantur ſub [a] *Ariſtobuli* nomine, exſtitit olim quædam *Pentateuchi* Verſio Græca facta non modo ante LXXviralem, ſed & ante *Perſarum* imperium. *Ariſtobuli* teſtimonio acquieſcunt *Bellarminus*, *Gretſerus*, *Serarius*, *Poſſevinus*, cum multis aliis. [b] *Genebrardus* exiſtimat eam factam fuiſſe ſub *Manaſſe* R. Judæorum, temporibus *Pſammetici* Ægyptiorum R. quem Græcos coluiſſe, & locum eis dediſſe in Ægypto ad habitandum, teſtatur *Herodotus*; vel forte ætate *Amaſis*, Soloni & Cyro coævi, qui etiam Græcos multis beneficiis ad ſe allexiſſe dicitur. [c] *Rugerius* eam ante ipſos *Homerum* ac *Heſiodum* exſtitiſſe arbitratur, quoniam illi quoque, uti ait, ex Judaicis Scripturis nonnulla hauſerunt. Eandem à *Talmudicis* deſignari, ubi tradunt Seniores *Quinque*, Moſaicos libros vertiſſe, opinatur [d] *Jo. Gregorius* noſter. Eam mere fictitiam eſſe, & *Ariſtobulum* finxiſſe Verſionem quandam ante LXXviralem exſtitiſſe, quo probabile fieret *Platonem* alioſque illos veteres Græcorum Philoſophos, è Lege Moſaica quædam deſumpſiſſe, mihi res videtur certiſſima, & minime dubia. Non modo S. Patribus omnibus, verum etiam *Joſepho*, *Philoni*, atque ipſi *Pſeudo-Ariſteæ*, ignotam fuiſſe iſtiuſmodi Verſionem, conſtat. Qui omnes de LXXvirali tanquam omnium prima loquuntur. Atqui nonne vetuſtiorem quandam exſtitiſſe, vel exinde patet, quod è Lege Moſaica *Plato* ipſe multa deſumpſerit? Uno verbo reſpondeo, ex ipſis Scripturis ne verbulum quidem deſumpſerunt veteres illi Philoſophi. Non neſcio quid alii vulgo hac de re decreverint; ſed proferant vel unum locum ſive ex *Platone*, ſive ex aliis quibuſvis iſtorum temporum Philoſophis, qui hauſtus ſit è Scripturis. Scio apud *Clementem Alex.* jactitari *Numenii* Pythagorici

[a] Vide ſupra pag. 168.

[b] Chron.

[c] De lib. Canon. c. 38.

[d] Tract. de Cainane.

Pythagorici dictum: τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων. *Quid est Plato, nisi Moses Attice loquens?* Quo dicto si hoc sibi voluit, Platonem sua ex ipsis Mosis libris deprompsisse, errasse illum affirmare non vereor. Istiusmodi quorumvis effata apud me parum valent. Argumenta & exempla posco. Erravit etiam *Hermippus* si putavit (quod nonnulli asserunt) Pythagoram è libris Mosaicis multa fuisse mutuatum. Sed de libris Mosis nihil asserit *Hermippus*, loquitur tantum de Judæorum opinionibus: [a] ταῦτα δ᾽ ἔπραττε καὶ ἔλεγε, καὶ Ἰουδαίων καὶ Θρᾳκῶν δόξας μιμούμενος, καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτόν. *Hæc autem agebat atque dicebat Pythagoras, Judæorum & Thracum opiniones imitatus, ac transferens in semetipsum.* De aliis idem dicendum. [a] Apud Joseph. contra Ap. l. 1.

Quia Græci quicquid Judæorum ac Christianorum erat, contemnere solebant, ideo Patres & Scriptores *Apologetici* magno studio conati sunt evincere, Græcos multa è Scripturis, vel saltem à Judæis, accepisse. Me vero quod attinet, (liceat enim quod hac de re sentio libere proferre) tantum abest, ut sentiam eos è Scripturis ulla desumpsisse, ut, dum serio & absque præjudicio Philosophorum veterum scripta evolvo, vel nihil aut parum invenio, quod quovis modo à Judæis acceptum fuisse videatur. Græci omnia fere sua ab aliis acceperunt, sed pleraque ab *Ægyptiis*, alia à *Chaldæis*, alia à *Magis* aliisque Orientalibus; certe parum admodum à *Judæis*, gente omnibus invisa & inhospita. Mihi semper magis placuit *Lactantii* sententia, qui veteres illos Philosophos, *Judæos* ne quidem adiisse existimavit. Lib. 4. cap. 2. *Unde equidem solemus mirari* (inquit) *quod quum Pythagoras, & postea Plato, amore indagandæ veritatis accensi, ad Ægyptios & Magos, & Persas usque penetraßent, ut earum gentium ritus & sacra cognoscerent, (suspicabantur enim sapientiam in religione versari) & ad Judæos tamen non accesserunt, penes quos tunc solos erat, & quo facilius ire potuißent. Sed aversos esse arbitror Divina providentia, ne scire poßent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri, justitiamque cognoscere. Statuerat enim Deus, appropinquante ultimo tempore, ducem magnum cœlitus mittere: qui eam perfido ingratoque populo ablatam exteris gentibus revelaret.*

Si quid vero à Judæis acceptum in suam Philosophiam transtulerunt Græcorum Sapientes, didicerunt ea colloquendo cum Judæis, sive in ipsa forte Judæa, sive alibi potius terrarum. Quæ sententia est quoque *Augustini* de Civ. Dei VIII. 11. *In illa peregrinatione sua* (in Ægyptum) *Plato nec Jeremiam videre potuit tanto ante defunctum, nec easdem Scripturas legere, quæ non fuerant in Græcam linguam translatæ, qua ille pollebat, nisi forte quia fuit acerrimi judicii, sicut Ægyptias, ita & istas per interpretem didicit, non ut scribendo transferret, quod Ptolemæus pro ingenti beneficio, qui regia potestate etiam timere poterat, meruisse perhibetur: sed ut colloquendo quid contineret, quantum capere possit, addisceret.* Eandem sententiam amplexus est *Origenes*, *lib. 6. contra Celsum*: ἐγὼ δὲ οὐκ ἀπογινώσκω τινὰς ἀπὸ τοῦ Φαίδρου λέξεις ἀπό τινων Ἑβραίων μεμαθηκότα τὸν Πλάτωνα, ὡς δέ τινες ἀνέγραψαν, ἔτι καὶ τοῖς Προφητικοῖς ἐντυχόντα λόγοις, ἐκτεθεῖσθαι. *Illud nolim inficiari sententias istas, quæ in Phædro leguntur, Platonem hausisse ab aliquibus Hebræis, aut ut quidam scripserunt, ex lectis Prophetarum libris.*

Ex colloquiis commerciisque accepit *Hecatæus Abderites*, quicquid è Scripturis excerpsisse in libro *de Judæis* videatur: quem eorum commercio in Alexandri acie alibique usum fuisse, ipsemet testatur apud *Josephum contra Ap. lib. 1.* Ubi etiam *Ezechiæ* Pontificis Judæorum, qui una cum Ptolemæo Lagi in Ægyptum devenerit, mentionem faciens; *Hic*, inquit, *homo hunc honorem gerens, & assuetus esse nobiscum, assumens aliquos suorum, differentiam cunctam exposuit: & habitationem suam & conver-*

 sationem,

sationem, quam scriptam habebat pariter indicavit. Neque aliud dicendum de *Theodecte* & *Theopompo*, quem nonnihil e Scripturis in opera sua inseruisse tradit *Aristeas*, si modo id verum sit. Ex colloquio etiam cum Judæo, cujus meminit [a] *Clearchus*, quæ de dogmatibus Judæorum edoctus est, accepit *Aristoteles*.

[a] Apud Josephum contra Ap. lib. 1.

Pythagoram legisse Judæorum *Psalmos* ac *Prophetas*, existimat *Ambrosius* in Psal. 118. Serm. 2. non *Græce* vero, sed *Hebraice*, ut colligitur ex Epist. 6. ad *Irenæum*, ubi ostendere volens *Pythagoram Mosen* & Scripturas legisse, id esse verisimile probat hoc argumento, *quod ex populo Judæorum, ut plerique arbitrantur, genus duxerit.*

Non modo *Aristobulum*, sed & inter Patres *Clementem Alex. Eusebium*, *Chrysostomum*, *Theodoretum*, & *Justinum Martyrem*, credidisse Versionem ante LXX. exstitisse, agnoscit [b] *Waltonus*: sed male. *Clemens Alex.* tantum recitat *Aristobuli* verba. [c] Sic quoque *Eusebius*; qui de Præp. Evang. VIII. 1. satis clare subindicat, se credidisse Scripturarum Instrumentum nunquam fuisse ante LXX. Græce versum: ubi ait Divina providentia translationem LXX. fuisse factam, ut Scripturæ Gentilibus innotescerent, & divinæ Veritatis lux longe lateque diffunderetur, & nisi Deus eam mentem Ptolemæo R. divinitus immisisset, à Judæis suorum nobis Oraculorum cognitionem invidentibus, nullam unquam eorum copiam factum iri. E reliquis nemo vetustioris istius Versionis mentionem facit. *Justinum M.* autumasse *Ptol. Philadelphum* Regem nihil unquam inaudivisse de Judæorum Scripturis, nisi tunc cum Versionem fieri jussit, apparet ex his verbis: [d] ἔπειτα μαθὼν ὅτι ἀρχαίας τὰς τῶν Ἑβραίων γράμμασι γεγραμμένας σώζεσθαι ἀκριβῶς συμβαίνει, γνῶναι τὰ γεγραμμένα βουλόμενος, &c. *tunc, ubi cognovisset antiquos libros, Hebræorum conscriptos literis, diligenter asservari, cognoscere ea scripta volens, &c.* LXX. fuisse *primos* Interpretes statuit *Chrysostomus Serm.* 4. *in Gen. cap.* 1. *v.* 8. Quod faciunt etiam [e] *Epiphanius*, [f] *Hilarius*, [g] *Tertullianus*, [h] *Philastrius*, [i] *Hieronymus*, Anonymus in Præfat. Scholiorum *S. Basilio* adscriptorum &c. Ex LXX. Versione, non ex ulla vetustiore, desumpsisse Græcos quæcunque è Scripturis mutuati fuerint, arbitratus est [k] *Philastrius*: *Rex*, inquit, *accipiens postea interpretationem quotidie, cum consentientem in unum inveniret editionem omnium, jussit conscribi, atque poni in Templum, ut venientibus de Achaia, de Græcia, atque aliis provinciis, Philosophis, Poetis, & Historiographis cupientibus legendi copia non negaretur. Unde & maxime argumenta sumentes Philosophi, Poetæ, Oratores, atque Historiographi sicuti voluerunt ad sua paganitatis mendacia transtulerunt, aliisque nominibus rudes puerorum animos educentes, legem Dei divinam irritam seculo facere properarunt, impietatisque semina in sono verborum, in periculosis sententiis confirmarunt, quorum causa dicebat & Dominus* (Joh. 10.) *fures atque latrones eos fuisse in omnibus atque ab omnibus cognoscendos.*

[b] Proleg. 9. c. 6.
[c] Præp. Evang. l. 9. c. 6.
[d] Cohort.
[e] De Pond. & M.
[f] Enarrat. in Psal. 133.
[g] Apol. c. 18.
[h] Hær. post Chr. 94.
[i] De opt. gen. interp. c. 4. & Com. in Es. c. 19.
[k] Hær. post Chr. 90.

Danielis librum Alexandri M. ætate Græce exstitisse, ex eo probat [l] *Jo. Ferdinandus*, quod Alexander (ut inquit) Hierosolymæ quum esset, in eo legerit. At fallitur: [m] *Josephus* hoc tantum refert: *Ostensoque sibi Danielis libro, in quo Græcum quendam Persas debellaturum significat, hunc ipsum se esse interpretatus, lætus dimisit multitudinem.*

[l] Proœm. l. 2. Thes. Script.
[m] Antiq. l. 11. cap. 8.

Si credimus [n] *Is. Vossio* ex exemplari quodam Samariticis literis conscripto, quod postea in Ptol. Philadelphi Bibliotheca repositum fuerit, promanavit Versio illa prior, de qua *Aristobulus*. *Antequam*, inquit, *emendatum Legis codicem Ptolemæo transmitteret Eleazarus Pontifex, aliud quoque exemplar fuisse in Bibliotheca Alexandrina clare satis colligi potest ex Epistola Demetrii ad Ptolemæum. Sed exemplar illud non Chaldaicis sive Babylonicis, sed vero Samariticis literis idque satis negligenter erat descriptum, ipsis id attestantibus Judæis, qui jam illo tempore magis favebant Babylonicæ scripturæ,*

[n] De LXX. Interp. cap. 6.

scripturæ, quam Mosaicæ. Ex hoc exemplari proculdubio promanarat Versio, quæ ante LXX. *Interpretes in usu fuit, cujus præter alios mentionem facit Aristobulus Judæus. Verum quia hæc translatio* (addit V. D.) *minimo erat accurata, utpote facta ab homine forsan neque Hebraice neque Græce satis docto, idque è codice vitioso, ideo Demetrius apud Aristeam instigantibus Judæis hortatur Ptolemæum, ut ex accuratiori exemplari accuratior fiat translatio. Nullum itaque dubium, quin codex, quo* LXX. *usi sunt Interpretes, ad ipsam Esdræ editionem exactissime & fidelissime fuerit expressus, omninoque pro stultis habendi sunt qui eos vitiosum exemplar secutos esse contendunt. Vossio,* homini tam fœcundo in procudendis, quæ hypothesi suæ inserviant, comminiscendis, non aliter quam silentio respondendum censeo.

3. Post Versionem fictitiam antedictam, & ante LXXviralem, recensetur à Serario [a] LAGIANA; manifesto errore, siquidem ea quæ dicitur sub *Ptol. Lagi* confecta, non alia fuit quam ea quæ dicitur LXXviralis, quam nonnulli sub eo, alii sub *Philadelpho*, elaboratam tradunt. [a] Proleg. c. 16. Q. 1.

4. Errat rursum *Serarius*, cum HERODIANAM quandam post LXXviralem recenset. Cujus erroris ea causa fuit, quod *Justinus M.* LXX. Versionem sub *Herode* R. fuisse factam memoriæ lapsu prodidit: unde factam fuisse sub *Herode* Versionem quandam, *Serarius* aliique autumarunt. Si vero sub *Herode* pars ulla Scripturarum translata fuerit, ea exstat nunc in volumine LXX*virali* nominato. Nam Versio sola *Pentateuchi* est illa quæ ab Interpretibus LXX. dictis elucubrabatur.

5. Post varios illos Interpretes anonymos, quorum Versiones librorum variorum temporibus diversis factæ, in unum volumen collectæ, sub nomine LXX. Interpretum feruntur; primus fuit AQUILA, natione *Ponticus*, patria *Sinopensis*, Judæus Proselytus. Quem refert *Epiphanius* [b] *Hadriani* Imp. πενθερίδην fuisse, ab eoque Hierosolymæ instaurandæ præfectum; Gentilem primo, deinde Christianum, postremo Judæum. *Hadrianus*, inquit, *de urbe Hierosolymorum instauranda cogitans, Aquilam illum Scripturæ Interpretem, Græcum hominem,* καὶ αὐτῷ πενθερίδην, *Sinope, quod Ponti oppidum est, oriundum, reficiendæ urbi præficit. — Aquila vero Hierosolymis degens, eorumque, qui Apostolorum auditores fuerant, discipulos fide ac pietate florentes stupenda quædam prodigia curandis corporibus, ac cæteris id genus facientes animadvertens ---- horum consuetudine vehementer animo commotus Christianam Relig. amplectitur. Tum aliquanto tempore interjecto, Christianæ professionis sigillum uti petierat obtinet. Verum cum à priori usu moribusque non discederet, & vanissimis Mathematicorum artibus, quas apprime callebat, nimium tribueret, adeoque genesin atque horoscopum suum observaret indies, cum ob id à magistris objurgatus ac reprehensus, emendare sese nollet; imo vero pervicaciter obluctans falsa quædam minimeque cohærentia tueri ac defendere vellet; ut puta fatum, & quæ cum eo connexa sunt, rursus ab Ecclesia, tanquam ad salutem minime idoneus, ejectus est. Qua ignominia vehementer exacerbatus, & stolido quodam mentis æstu percitus, Christianam Relig. ejurat; & inter Judæorum Proselytos adscriptus, ac circumcisus est. Inde totum se Heb. literis ediscendis vehementi cum animi contentione tradidit.* Hæc ille. Quæ partim ut commenta Judæorum otiosorum non immerito rejiciunt doctiores, ut *Scaliger*, *Petavius*, *&c.* Πενθερίδην vertunt nonnulli *socerum*, alii *soceri filium*. Apud *Chronicon Paschale*, quod *Epiphanium* nominatim sequitur, legitur πενθερὸς *socer*. Affinem fuisse *Hadriani* Imp. nempe *filium soceri* ejus, fabulantur quoque *Talmudici*: qui illum etiam confundunt cum *Onkelo* Paraphrasta Chald. sequentibus eos in hoc errore, inter Christianos, *Bellarmino*, *Serario*, aliisque. [b] De P. & Ment. c. 14.

R. *David Ganz* in Chronologia Hebræa [c] de eo hæc habet: "*Aquila* "*proselytus* paraphrastice exposuit legem coram R. Eliezare & R. Jo- "sua, [c] Pag. 101.

« sua, uti exstat in Hierosolymitano cap. 1. Megilla. *R. Chaja inquit:*
« *Aquila proselytus legem interpretatus est coram Eliezare, & R. Jehosua,*
« *atque laudarunt eum, dixeruntque, pulcherrimus factus es inter filios homi-*
« *nis.* Juxta verba autem Auctoris Meor Enajim interpretatus est
« Aquila proselytus legem lingua Græca, uti dilucidis rationibus ibi
« disputat ac probat, Aquilam & Onkelos fuisse proselytos justitiæ,
« illosque duos eodem tempore fuisse, non tamen fuisse unum homi-
« nem duobus nominibus, sicuti multi autumant, nisi tantum, quod
« Onkelos factus proselytus sit antiquior, Aquila vero recentior disci-
« pulus R. Eliezaris & R. Josuæ factus. Onkelos enim proselytus fa-
« ctus est diebus Hillel & Sammai, & fuit tempore R. Gamalielis senio-
« ris: Aquila vero non est proselytus factus nisi longo tempore post
« excidium; dicunt enim in Semot Rabah sect. *Misphathim*: *Aquila di-*
« *xit Adriano Imp. Volo proselytus fieri.* Sic quoque ibidem in Tanchuma,
« & in Midrasch Bereschit Rabah ad versum: *Et vovit Jahakob votum:*
« *Novimus Aquilam non fuisse factum proselytum nisi tempore Adriani, qui*
« *devastavit Bither, 55. annis post excidium templi*". Idem [a] postea: *An-*
no 884. seu anno 4. Cæsaris Adriani, & anno 124. juxta computum Chri-
stianorum surrexit Akilos, *iis vocatus* Aquila, *ex insula Ponto in contermi-*
nis Græciæ, ubi fuerat sacerdos Idololatricus, atque factus est proselytus ju-
stitiæ, legemque interpretatus est idiomate Græco, ferme 374. annis post Ver-
sionem 70. Seniorum, uti scribit in libro Meor Enajim cap. 45. Hæc *Gan-*
zius iste cum aliis suis Rabbiniculis.

[a] Pag. 180.

[b] *Morinus* observat, quæ *Talmud Babylonicum* tribuit *Onkelo*, cæteros libros antiquos *Aquilæ* tribuere: v. g. Quod in tract. *Gbittin* fertur de *Onkelo* dicente, *Volo proselytus fieri*, id de *Aquila* refert *Schema Rabba* sect. 30. *Semel dixit Aquila Adriano Imp. Volo proselytus esse, & Israe-lita fieri.* Cumque *Adrianus* illi objiceret, nationis istius vilitatem, quantos ipse mactasset, quid in ea singulare animadvertisset, quod ad id faciendum commoveret: respondit: Minimus inter eos novit quomodo Deus mundum creavit, quid creatum est primo die, quid secundo, &c. quantum temporis elapsum est à creatione mundi, &c. Legem eorum, inquit Imperator, disce; sed circumcidi noli. Infit *Aquila*; ne seni quidem centum annorum discere licet, nisi ante circumcisus, &c. Eadem de *Aquila* referri in lib. *Tanchuma.* Sic quod dicitur *Talmudis Babylonici* Tract. *Megilla* cap. 1. *Onkelon* Proselytum Legem interpretatum esse ex ore R. Eliezeris & Josuæ: (*Dixit R. Jeremias: Est etiam qui dicat R. Chajam filium Abæ dixisse Onkelon Proselytum Thargum in legem composuisse ex ore RR. Eliezer & Josuæ:*) Talmud Hierosol. tribuere *Aquilæ*, ut in loco supra à *Ganzio* adducto. Hujus rei praxim scil. *Aquilæ* à RR. Eliezere & Josua instituti, legi in *Beresith Rabba* sect. 70. ubi inducitur *Aquila Proselytus* versuum quorundam sensum modo ab *Eliezere*, modo à *Josua* sciscitans. Idem fieri & iisdem in rebus in *Midras Coheleth* ad versum 8. cap. 7. Ejusdem *Aquilæ* & *Proselyti* & *Pontici* meminisse librum apud Judæos antiquissimum *Siphra* ad Parascham בהר סיני.

[b] Exerc. 8. l. 2. c. 6. §. 3.

Profert idem locum ex *Talmude* quo *Aquila* noster, sive *Onkelos* Chald. Paraphrastes, dicitur filius *Calinici*: *Onkelos filius Calonici* (קלניכים) *filii sororis Titi desiderans Proselytus fieri, ivit & ascendere fecit Titum per Magiam &c.*

Scribitur *Onkelos* a Rabbinis אנקלוס, *Aquila* vero עקילוס. In Talmude citatur aliquoties illius translatio, nusquam vero (ut supra jam monitum fuit) LXXviralis.

Jacobus de Valentia, Episc. [c] Christopolitanus, refert *Aquilam ex gentili factum Judæum propter quandam pulchram Judæam filiam cujusdam magni*

[c] Prol. in Psal.

divitis

divitis Rabbini Judæorum, adhibuisse studium sollicite literis Heb. & Chaldaïs ut placeret socero & cæteris Judæis propter lucrum.

Si [a] *Andream Masium* audiamus, *jam natu grandis* à Christianis ad Judæos defecit, ipsáque Hebræorum elementa tum demum discere cœpit. Id vero apud priscos scriptores scriptum non reperitur.

Fabulam *Epiphanianam* dum sequitur *Chronicon Paschale*, errorem hunc addit de suo, quod *Aquilam* dicit ab *Apostolis* in fide eruditum fuisse: cum doctum fuisse *à discipulis Apostolorum* asserat *Epiphanius*.

Gentilem primo fuisse, deinde Christianum, postremo Judæum, cum Epiphanio, tradit etiam *Synopsis sacræ Script.* B. Athanasio adscripta: Δευτέρα ἐστιν ἡ τοῦ Ἀκύλα. οὗτος ἀπὸ Σινώπης τοῦ Πόντου ὑπάρχων, καὶ Ἕλλην ὤν, ἐβαπτίσθη ἐν Ἱεροσολύμοις, καὶ πάλιν τὸν Χριστιανισμὸν ἀθετήσας, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις προστραμὼν, ἡρμήνευσε τὴν θείαν γραφὴν διεστραμμένῳ λογισμῷ ἐπὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως τοῦ λεπλωθέντος, μετ' τλ'. ἔτη τῆς τῶν οβ'. ἑρμηνείας. Ex ipso Epiphanio hæc desumpta sunt. Pro λεπλωθέντος vero, quæ vox est nihili, legendum λεπρωθέντος, ex *Scholio* inedito & *Euthymio Zygabeno*; juxta alios λεπλωθέντος. Pro ἀθετήσας *Scaliger* legi voluit ἀναθεματίσας, quod habuit etiam Scholion; sed nihil mutandum, cum legitur etiam apud *Chronicon Pasch.* ἀθετήσας.

Euthymius Præf. in Psal. *Secunda Translatio Aquilæ Sinopensis. Hic Græcus fuit, atque è Ponto: & Hierosolymis baptizatus: deinde cum offensus inimicusque effectus esset quibusdam Christianis, spreto baptismate, Judæis se adjunxit, & Scripturam transtulit sub Hadriano Imp. eo qui lepram passus est,* 330. *annis post translationem* LXX. *Hic itaque iratus Christianis, multa pervertit.*

Aretas, sive *Baanas* ejus Notarius, in Scholiis nondum editis in *Clementem Alex.* πρώτη αὕτη γέγονεν ἔκδοσις περὶ τα'. ἔτους τῆς μετὰ σαρκὸς πρὸς ἡμᾶς ἐπιδημίας τοῦ θεοῦ λόγου, καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. δευτέρα ἡ τοῦ Ἀκύλου μετὰ υλ'. ἔτη τῆς τῶν ο'. ἑρμηνείας ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ λεπρωθέντος.

Illum fuisse discipulum *R. Akibæ*, traditio erat Rabbinorum sive Nazaræorum Hieronymo coævorum, ut patet ex hujus Comm. in Es. 8. *Duas domus Nazaræi (qui ita Christum recipiunt, ut observationes legis veteris non admittant) duas familias interpretantur, Sammai & Hillel, ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi, quorum suscepit scholam Akibas, quem magistrum* Aquilæ *proselyti autumant, & post eum Meir, cui successit Johannan filius Zachai, & post eum Eliezer, & per ordinem Delphon: & rursus Joseph Galilæus: & usque ad captivitatem Hierusalem Josue. Sammai igitur & Hillel non multo prius quam Dominus nasceretur, orti sunt in Judæa &c.*

Fuisse illum genere *Ponticum* & *Judæum Proselytum*, inter omnes convenit. Ab *Hieronymo* Præf. in Job, ut & Præf. Com. in Dan. & rursus Com. in Hab. 3. appellatur *Judæus:* & in Catalogo Script. Eccles. *Ponticus Proselytus. Sic quoque* [b] *Eusebius:* προσήλυτος δὲ ὁ Ἀκύλας ἦν, οὐ φύσει Ἰουδαῖος. *Proselytus autem Aquila fuit, non natura Judæus.* Ante eos [c] *Irenæus: Aquila Ponticus, Judæus proselytus.* Sunt inter recentiores, qui *Epiphanium* sequentes, sed memoria lapsi, scribunt [d] illum fuisse *ex Judæo* Christianum, & deinde factum apostatam.

Floruit juxta *Epiphanium* anno Hadriani 12. post excidium Hierosolymorum annis 47. post LXX. Interpretes 430. & sic legendum est apud *Synopsin* ante citatam & *Euthymium*, non τλ'. 330. sed υλ'. 430. quod etiam habet *Scholion* quoddam *Synopsis*. Apud *Chronicon Paschale* refertur ad an. *Hadriani* 16. A recentioribus nonnullis refertur ad an. Chr. 90. ab aliis ad 96. ab aliis ad 128. ab aliis ad 130. ab aliquibus ad 131. Cæterum incerta omnino hæc sunt. Et ideo tantum ad an. Hadriani 12m. illum refert *Epiphanius*, quod existimavit eo anno Hadrianum urbem Hierosolymorum instaurare cœpisse. Vixisse illum sub Hadriano, non est

[a] Præf. Annot. in Jos.

[b] Demonstr. Evang l. 7. cap. 1.

[c] Lib. 3. c. 24.

[d] Jo. Ferdinandus Præf lib. 2. Thel. Script.

est cur dubitemus: & hoc etiam constat, illum Versionem suam edidisse antequam *Dialogum cum Tryphone Judæo* scripsisset *Justinus M.* ubi commemoratur ea tanquam à Judæis nuper jam usu vulgari recepta. *Tryphonem* autem existimant nonnulli eundem fuisse cum R. *Tarphone* Collega R. *Akibæ*. Ab aliquibus male creditur vixisse ante Christi tempora: cujus erroris hæc causa fuisse videtur, quod eundem fuisse cum *Onkeloso*, quem multi Christo antiquiorem faciunt, arbitrati sunt.

Illum novam Versionem cudisse, ut LXX. subverteret, & loca quædam quæ fidem Christianam confirmant, perverteret, auctor est Epiphanius: [a] τούτην δὲ ἀκριβῶς παιδευθεὶς, ἡρμήνευσεν οὐκ ὀρθῷ λογισμῷ χρησάμενος, ἀλλ᾽ ὅπως διαστρέψῃ τινὰ τῶν ῥητῶν, ἐντυχὼν τῇ τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνείᾳ· ἵνα τὰ περὶ Χριστοῦ ἐν ταῖς γραφαῖς μεμαρτυρημένα, ἄλλως ἐκδώσῃ, δι᾽ ἣν εἶχεν αἰδῶ, εἰς ἄλογον αὐτοῦ ἀπολογίαν. *Linguam Heb. cum egregie penitusque percepisset, ad interpretandum se contulit, non sincera animi inductione: sed ut quædam Scripturæ loca depravaret, adversus* LXXII. *Interpretes impetum omnem conatumque dirigens: atque ut expressa sacris literis de Christo testimonia aliter ederet; quo nonnullum pudori ignominiæque suæ* (ob apostasiam) *vel absurdum colorem & excusationem quæreret.*

[a] De P. & Mens. c. 15.

Reprehenditur similiter ab *Anastasio Sinaita*, & Auctore *Synopsis*, aliisque, tanquam in odium Religionis Christ. Versionem novam molitus. Pene verbum verbo reddidit: v. g. pro eo quod dicitur apud LXX. *Vixit Adam triginta & nongentos annos*, vertit is juxta idioma Heb. *Vixit Adam triginta annum, & nongentos annum*, ἔζησεν Ἀδὰμ τριάκοντα ἔτος, καὶ ἐννακόσια ἔτος. Quo nomine ab [b] *Epiphanio* merito reprehenditur, tanquam *qui insulsam ac rudem orationem conceperit, dum superstitiosa diligentia idem repetere vocabulum maluit, quam lectionis perspicuitati, ac facilitati consulere.* ὡς ἀπειρίαν παρέχει τῷ λόγῳ, οὐ τῇ τρανότητι τοῦ λόγου προσέχων. Nec verba solum & idiotismos, sed & verborum etymologias transferre conatus est. Hinc Hieronymo lib. *de Opt. Gen. Interp.* dicitur *Interpres contentiosus. Aquila* (inquit) *proselytus & contentiosus interpres; qui non solum verba, sed & etymologias verborum transferre conatus est, jure projicitur à nobis. Quis enim pro frumento & vino & oleo, possit vel legere vel intelligere*, χεῦμα, ὀπωρισμὸν, στιλβότητα, ([c] *Is. Vossius* ex Cod. MS. corrigit, στιλπνότητα) *quod nos possumus dicere*, fusionem, pomationemque, & splendentiam: *atqui non solum Hebræi habent* ἄρθρα, *sed ille κακόζηλος, qui syllabas interpretatur & literas, ut dicat*, σὺν τὸν οὐρανὸν, καὶ σὺν τὴν γῆν· *quod Latina lingua non recipit.* MSS. rectius, eodem monente *Vossio*, *Aut quod Hebræi non solum habent* ἄρθρα, *sed & πρόσαρθρα, ille κακόζηλος & syllabas interpretetur & literas, dicatque* σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν· &c. Signatur autem locus, qui in initio Geneseos occurrit. *Aquila* enim sic reddidit, ut testatur *Philoponus*, Ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ Θεὸς σὺν τὸν οὐρανὸν, καὶ σὺν τὴν γῆν.

[b] Ibid. c. 2.

[c] De LXX. Int. Præf. Append.

Alibi illum laudat *Hieronymus*, & aperte sibimet contradicens (id quod sæpe facit) ait illum *non contentiosius, ut quidam putant, sed studiosius verbum interpretari ad verbum.* Reperiuntur ea in Ep. 125. ad *Damasum*, Quæst. 2. Ibidem paulo post: *Aquilam vero, ut in cæteris, & in hoc maxime loco proprie transtulisse, omnis Judæa conclamat, & synagogarum consonant universa subsellia.* Rursus in Epist. 138. ad *Marcellam*, eum vocat *verborum Heb. diligentissimum explicatorem.* In Es. 49. *De Aquila autem non miror, quod homo eruditissimus linguæ Heb. & verbum de verbo exprimens, in hoc loco aut simularit imperitiam, aut Pharisæorum perversa expositione deceptus sit.* In Os. 2. *Denique Aquila diligens & curiosus interpres.* Non modo illius Versionem LXXvirali in locis quamplurimis interpretandis præfert, verum etiam in ea multa, quibus confirmentur dogmata Christiana, reperiri confitetur. In alia ad *Marcellam*

lam Epiſtola: *Jam pridem cum voluminibus Hebræorum editionem Aquilæ confero, ne quid forſitan propter odium Chriſti Synagoga mutaverit: & ut amicæ menti fatear, quæ ad noſtram fidem pertineant roborandam plura reperio.* Hieronymi auctoritatem ſequitur [a] *Eucherius*, ubi illum appellat *ſtudioſiſſimum tranſlatorem*. [a] Quæſt. in Exod.

[b] *Origenes* ait illum δουλεύειν τῇ Ἑβραϊκῇ λέξει, *Heb. dictioni ſerviiſſe.* Ab eodem quoque laudatur *Tom.* 3. *in Gen.* apud *Philocal.* c. 14. ὁ κυριώτατα ἑρμηνεύειν φιλοτιμούμενος Ἀκύλας· *Aquila, qui propriiſſime interpretari ſtuduit.* Et cum ab [c] eo, tum etiam ab [d] *Epiphanio*, præfertur interdum illius interpretatio LXXvirali. Joſephus Chriſtianus in Hypomneſtico nondum edito: Τίνες εἰσὶν οἱ τὰς ἱερὰς γραφὰς ἑρμηνεύσαντες; Πρῶτον ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἐν Ἀλεξανδρείᾳ οἱ οβʹ. τῶν Ἰουδαίων σοφοί . . . . δεύτερος δὲ Ἀκύλας ἑρμηνεύει ἐπὶ τοῦ βασιλέως Ἀδριανοῦ γεγονώς· ὃς ἐξ Ἑλλήνων ὢν καὶ προστεθεὶς τῷ Ἰουδαϊσμῷ, πονήσας περὶ τὴν Ἑβραΐδα ἐπιγνούς τε ὡς οὐκ ἀκριβῶς ἡρμήνευσαν οἱ οβʹ. σοφοὶ τὸ μὴ τὴν Ἑλλήνων φωνὴν ἀκριβοῦν, ἡρμήνευσεν ἀκριβέστερον. [b] Epiſt. ad Afric. [c] Vide ſupra p. 295. 7, 8, 9. [d] Vide ſupra p. 312, 313.

Judæos Helleniſtas illius Verſionem amplexos fuiſſe, tanquam literæ Hebraicæ inhærentem, oſtendimus ſupra *lib.* 3. *parte* 1. *cap.* 1. §. 5. teſtimoniis *Juſtini M. Origenis*, *Philaſtrii*, & *Anaſtaſii Sinaitæ*. Hinc quoque apud *Euſebium* Demonſtr. Evang. VII. 1. ἐν τοῖς αὐτῶν Ἰουδαίων ἀντιγράφοις, κατὰ τὴν Ἀκύλου μεταβολήν· *In ipſis Judæorum exemplaribus juxta Aquilæ Verſionem.* Ubi etiam animadvertimus illam una cum LXXvirali à *Juſtiniano* Imp. permiſſam fuiſſe *Helleniſtis*, quando omnes Judæos literis tantum Hebraicis in Synagogis uti juſſiſſent Magiſtri. Obſervavimus ibidem dici eam à Juſtino M. *Hebræorum* ἐξήγησιν, & editionem ejus *ſecundam*, nuncupari ab Hieronymo in Dan. 1. *Editionem Hebræorum, quæ* κατ' ἀκρίβειαν *legitur*: *Jo. Weemſium* & *If. Voſſium* perperam exiſtimare illius *editionem ſecundam* deſignari in *Novella Juſtiniani*, ubi prohibet Judæorum δευτέρωσιν, quod Interpres male vertit *ſecundam editionem*. Arbitratur *Voſſius*, editioni iſti *ſecundæ* [e] additas fuiſſe ab *Aquila* traditiones Judaicas, nempe tanquam annotationes ſive commentaria: eaſque *Aquilæ* traditiones Hebraice tandem fuiſſe converſas, & ex illis deſumptum & conformatum fuiſſe librum *Miſna*. Ex eiſdem *Hieronymum* magnam Hebraicarum traditionum partem deſcripſiſſe. *Epiphanium* autem, cum meminerit traditionum *Moſis* & *Akibæ*, nullam etiam mentionem feciſſe traditionum *Aquilæ*, quia eædem fuerunt traditiones *Akibæ* & *Aquilæ*, & ſuffecit Præceptorem nominaſſe, à quo illas habuerit *Aquila*: addit *Onkelon*, cujus traditionum mentionem faciant *Rabbini*, eundem fuiſſe cum *Aquila*. Hæc dogmata ſunt *Voſſiana*, quæ merito impugnat exploditque *Simonius*. Verſionem *Aquilæ* in *Novella Juſtinianea*, per δευτέρωσιν non deſignari, etſi *Secundam Editionem* vertit Interpres, vel exinde liquet, quod Judæis permittitur *Aquilæ Verſio*, prohibetur vero δευτέρωσις, ſine ulla diverſarum editionum mentione. Et alibi à nobis fuſiſſime oſtenſum eſt, omnes Judæorum traditiones communi vocabulo dictas fuiſſe δευτερώσεις. Nec *Traditionum* iſtiuſmodi *Aquilanarum* mentionem uſquam facit, vel alius quiſpiam veterum, vel ipſe *Hieronymus*, licet toties diverſarum illius Verſionis Editionum meminerit. In Jer. 13. *Verbum Heb.* נבל *Aquilæ prima editio, lagunculam; ſecunda ipſum* נבל. In cap. 22. *Pro ſterili in Hebr. ſcriptum eſt* עריר, *quod Aquilæ prima editio ſterilem, ſecunda* ἀναυξητόν, *id eſt, non creſcentem.* Citatur rurſus utraque in Ezech. 8. 16. 20. 22. 40. 42. 44. Seorſum citatur *ſecunda Aquilæ Editio* ibid. cap. 5. 18. 20. ad cap. 16. In Ezech. 5. 18. 20. dicitur *Interpretatio Aquilæ 2da*, ad cap. 22. *2da Aquilæ tranſlatio.* Ut in Dan. 1. dicitur *Editio Hebræorum, quæ* κατ' ἀκρίβειαν *legitur*; ſic rurſus in Ezech. 3. *Aquilæ 2da Editio, quam Hebræi* κατ' ἀκρίβειαν *nominant.* Citatur ſeorſum *Editio prima* in Ezech. 4. 27. [f] Duarum [e] Reſp. ad iteratas Simonii Object. p. 352. & ad Object. Simonii p. 84.

 Editionum

Editionum nullam mentionem reperi in Commentariis in *Esaiam* vel in *Prophetas Minores*: quare suspicor in aliis libris, Prophetis saltem, utramque inter se verbatim convenisse.

Volumen *Aquilæ* à Judæis dictum fuisse δευτέρωσιν testatur quidem *Anastasius*, qui ipse illud παράδοσιν, id est *traditionem* (quam & vox δευτέρωσις significat) appellat. Sed loquitur *Anastasius* de ipsa *Aquilæ Versione*. Quam ideo δευτέρωσιν appellavere Judæi, vel quia eam in er suas δευτερώσεις, tanquam magnæ auctoritatis habuerunt, vel quia facta est conformiter eorum *traditionibus*, vel quia à δευτερωταῖς in Synagogis legi solita est. *Anastasii* locus est in ὁδηγῷ cap. 6. ubi de *Aquilæ* Versione hæc habet: ὅπερ Ἀκύλας ἐπὶ τῆς παλαιᾶς γραφῆς πεποίηκε, παρερμηνεύσας ταύτην, καὶ τὰς πλείους χρήσεις καὶ μαρτυρίας τὰς περὶ Χριστοῦ διαστρέψας καὶ περικόψας, καὶ κατ' ἀντιπάθειαν πεπλανημένην ἔκδοσιν πρὸς ἀπώλειαν Ἰουδαίοις καταλείψας. *Quod Aquila in veteri Scriptura fecit, prava interpretatione complures sententias & testimonia de Christo pervertens, & mutilans, ex contrario quo ipse affectus est, studio falsatam editionem Judæis ad perniciem relinquens. Severum* hæreticum addit idem Alexandrinis suis fecisse, relinquendo eis librum, in quo loca Scripturæ perperam exponeret; τὸ αὐτὸ καὶ Σευῆρος πεποίηκε. Rursus paulo post: ταῦτα νομοθετήσας ὁ Σευῆρος, ὡς οἷα τῷ Ἀκύλᾳ, καὶ μαθητεύσας ἐν τῷ ἰδίῳ ἔθνει τῶν Ἀλεξανδρέων, ὡς τὴν λεγομένην παρ' Ἑβραίοις δευτέρωσιν, τὴν περιέχουσαν τῆς ὀρθῆς τῶν ἑβδομήκοντα ἑρμηνευτῶν τὴν ἀναίρεσιν, καὶ τοῦ θείου νόμου κατάλυσιν· *Atque ejusmodi leges tulit Severus, quales etiam ab Aquila latæ, docuitque suum Alexandrinum populum, velut dictam illam ab Hebræis* δευτέρωσιν, *quæ* LXX. *Interpretum legitimæ interpretationis abolitionem, divinæque legis dissolutionem, complectitur.* Cum Aquilæ δευτέρωσιν appellat παράδοσιν *traditionem*, de ipsa illius Versione apertissime loquitur: καὶ καθάπερ ὡς πρὸ βραχέως εἶπον, οἱ Ἰουδαίων παῖδες πάσας τὰς Μωσαϊκὰς, καὶ προφητικὰς ἐκδόσεις ἀφέντες, τῇ ὑπὸ Ἀκύλα παραδόσει καὶ πλάνῃ στοιχοῦσιν· οὕτω δὴ καὶ οἱ Σευήρου καὶ Ἰακώβου μαθηταὶ πάσας τὰς εὐαγγελικὰς καὶ γραφικὰς καὶ πατρικὰς χρήσεις ἀφέντες μᾶλλον παραχαράξαι καὶ διαφθεῖραι, ἢ τὴν Σευήρου ἐν τῇ τοιαύτῃ βίβλῳ νομοθεσίαν.

Fingit [a] *Vossius*, Versionem *Aquilæ*, *utpote quæ obscurissima & distortissima esset, & nullam sensus rationem habuisse videretur, multis etiam Judæis displicuisse: multisque Judæis magis placuisse, clarioremque & commodiorem visam fuisse Theodotionis translationem.* Judæos ullos prætulisse Versionem *Theodotioneam Aquilanæ*, nemo veterum, ni fallor, testatur.

Aquilæ temporibus, & ab ipso forte *Aquila* excogitatam fuisse divisionem librorum sacrorum in *Legem*, *Prophetas*, & *Hagiographa*, cum antea obtinuerat partitio in *Legem*, *Propheticos*, & *Hymnos*; conjectatur idem [b] *Vossius*. Ἁγιόγραφα, ineptum, uti dicit, vocabulum & contra naturam linguæ Græcæ formatum, ab *Aquila* suspicatur confictum fuisse, cujus Versionem ait plenam fuisse futilibus istiusmodi vocabulis. Vocem quoque γραφεῖα, qua *Hagiographa* interdum designantur, ab eodem fuisse confictam, [c] opinatur.

Si eidem [d] credimus, *Aquilæ* unicum fuit studium invertere ordinem verborum quem LXX. posuere Interpretes, ut hac ratione sensum Scripturæ obscuraret & in nihilum redigeret, & admirationi esset fatuis;

Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt.

Sed dum LXX. usque adeo deperiit *Vossius*, *Aquilæ* judex satis æquus esse non potuit. Æquior ei est [e] *Huetius*: *Aquila* (inquit) *nemo unquam majori castitate Ebraicam veritatem retulit, nemo fidem suam tam luculenter, verbis etiam ipsis annumerandis præstitit.*

a De Orac. Sibyl. c. 14.

b De Orac. Sibyl. c. 12.

c Resp. ad iteratas Simonii Object.

d Ibid.

e De cl. Interp.

6. Aquilam

6. *Aquilam* proxime secutus est THEODOTIO, *Ephesius*, alias *Ponticus*, secta *Ebionita*, vel *Judæus proselytus*, juxta alios ex *Marcionita* Judæus.

Quia Versio *Theodotionis* in Origenis *Hexaplis* post *Symmachi* posita est; hoc scil. ordine: *Aquila*, *Symmachus*, LXX. *Theodotio*: ideo vulgo eodem ordine recensebantur, scil. *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotio*. Et hinc existimavit *Epiphanius*, qui multos alios, viz. Auctorem *Synopsis*, *Euthymium*, &c. fefellit, *Theodotionem* vixisse post *Symmachum*. Recensetur eo ordine post *Symmachum* ab Hieronymo [a] sæpe: Qui & alibi LXX. juxta ordinem *Hexaplarem* post *Aquilam* & *Symmachum* collocat: [b] *In promptu sunt* 4. *Editiones*; *Aquilæ*, *Symmachi*, LXX. & *Theodotionis*. Alibi idem ante Symmachum recenset *Theodotionem*: ut Præf. Com. in Dan. *Quod Græci in Aquilæ & Theodotionis ac Symmachi editionibus lectitant*. Illum ante *Symmachum* vertisse subindicat idem Com. in Es. 58. ubi monet *Symmachum*, *in Theodotionis scita concessisse*. Recensetur etiam ante *Sym. Theodotio* ab auctore Veteri apud *Suidam*, ubi corrupte dicitur Θεόδοτος voce Κνίζων· Ἀκύλας, ἐρεθνῶν· Θεόδοτος, χαράσσων· Σύμμαχος, ἔχων ἢ συλλέγων.

[a] Præf. in Evang. Præf. in Versionem Esaiæ. Præf. in Eccl. Præf. in Job. Præfat. in Esdram. lib. 2. adv. Ruff. Præf. Chron. Eusebii.
[b] Lib. 2. adv. Ruff.

Eodem autem modo quo ipse *Epiphanius* aliique concludebant *Theodotionem* fuisse juniorem *Symmacho*, ex ordine quem tenuerunt in *Hexaplis*, sic quoque τοὺς LXX. fuisse juniores *Aquila* & *Symmacho* ex eodem ordine nonnulli oscitanter autumabant, uti meminit ipse *Epiphanius*: [c] τινὲς τοίνυν, ὡς ἔφην, ταύταις ταῖς βίβλοις ἐντυγχάνοντες, καὶ εὑρίσκοντες τὰς δύο Ἑβραϊκὰς ἐν πρώτοις κειμένας, μετὰ ταύτας δὲ τὴν τοῦ Ἀκύλου τεταγμένην, μετ᾽ αὐτὴν δὲ τὴν τοῦ Συμμάχου, ἔπειτα τὴν τῶν οβ΄. μεθ᾽ ἃς ἡ τοῦ Θεοδοτίωνος συντέτακται, καὶ ἑξῆς ἡ πέμπτη τε, καὶ ἕκτη, δοκοῦσι πρώτους ἑρμηνεῦσαι τὸν Ἀκύλαν, καὶ τὸν Σύμμαχον, τῶν οβ΄. κατὰ τὴν τάξιν τῆς θέσεως, ὅπερ οὐκ ἔστιν. *Sed cum illos libros* (Hexaplares sive Octaplares) *quidam ut diximus, & priores esse duas editiones Hebraicas vident, ac deinceps Aquilæ, tum Symmachi, inde* LXX. *Seniorum: deinde Theodotionis, postremo* V. *atque* VI. *Aquilam & Symmachum, pro eo, quo dispositi sunt, ordine ipsos* LXX. *antecessisse falso suspicantur*.

[c] De P. & Mens. c. 19.

Epiphanius perinsigni oscitantia, dum *Theodotionem* post *Symmachum* vixisse statuit, illum refert ad tempus *Commodi junioris, qui post Lucium Aurelium Commodum annis* 13. *imperavit*; hunc ad *Severi* Imp. tempora: Cum tamen *Severum Commodum* præcesserit etiam ipso fatente *Epiphanio*. *Post Aquilam* (inquit) *& illius interpretationem, succedit Hadriano Antoninus Pius, qui imperat annis* 22. *Hunc excipit Caracalla, qui & Geta, & Marcus Aurelius Verus dicebatur, annis* 7. *Illius tempore imperavit etiam L. Aurelius Commodus annis eisdem* 7. *Tum Pertinax menses* 6. *Severus annos* 18. *Cujus temporibus Symmachus exstitit. — Post hunc brevi post tempore, hoc est Commodo altero imperante, qui post L. Aur. Commodum* 13. *annis imperavit, Theodotio ad Judæos defecit*. Auctor *Synopsis* Athanasio falso adscriptæ, ab Epiphanio in errorem ductus, *Symmachi* Versionem *tertiam* appellat, Theodotionis *quartam*; & *Symmachum* ait vertisse sub *Severo*, *annis post Versionem Aquilæ* 56. Theodotionem *eo ipso tempore quo Symmachus sub Commodo*. Sic *Josephus Christianus* in *Hypomnestico* MS. Theodotionem post *Symmachum* collocat, & *Symmachum* ait vertisse *sub Severo & Antonino Geta*. τρίτος ἑρμηνευτὴς Σύμμαχος ἐπὶ Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου τοῦ Γέτα ἐπικεκλημένου γενόμενος. Interpolator *Chronici Paschalis*, dum *Epiphanium* in aliis sequitur, in ordine tamen & Chronologia, tanquam errore ejus perspecto, eum deserit, *Theodotionem* referens ad imperium *Commodi* & Consulatum *Marcelli* & *Æliani* i. e. an. Chr. 184. *Symmachum* vero ad tempora *Severi*, qui imperium suscepit an. 193. ob. an. 210. Ἐν τούτοις χρόνοις, (inquit) Σύμμαχός τις &c. Ex eo autem quod *Chronicon Paschale* Theodotionis editionem refert ad Consulatum antedictum, [d] *Ant. Pagius* existimat illum isto anno suum opus edere voluisse in honorem *Commodi* *Quinquennalia* Imperii post Patris obitum suscepti celebrantis.

[d] Crit. in Annal. Baronii an. 181. n. 4.

Nonnulli putant apud *Epiphanium*, ubi loquitur de *Symmachi* ætate, pro *Severi*, legendum esse *L. Veri*, ut vixerit *Symmachus* temporibus non *Severi* successoris Pertinacis, sed *L. Aurelii Commodi Veri*; *Theodotio*, sub alio *Commodo* ejus successore.

Mihi satis liquet *Epiphanii* verba esse multis nominibus inquinatissima, & ejicienda esse ista: Περτίναξ μῆνας ϛ'. Σευῆρος ἔτη ιη'. & postea vel legendum esse, ἐν τοῖς τοῦ Οὐήρου χρόνοις Σύμμαχος &c. vel *Epiphanium* nomen *Severi* indidisse *Vero*, nempe *M. Aur. Antonino Vero* Philosopho. *Theodotionem* enim vixisse sub *Commodo M. Aurelii* filio, ipse paulo post scribit: *Ab Antonino* (inquit) *Pio Romanorum Imp. series ejusmodi fuit: Antonino Pio successit M. Aurelius Antoninus, qui & Verus dictus est, annos* 19. *Post hunc Commodus alius imperat annos* 13. *cujus tempore Theodotionem exstitisse diximus, qui Quartæ Editionis auctor est. Commodo succedit Pertinax mens.* 7. *Huic Severus alius annis* 18. Obiit autem *M. Aurelius* an. Chr. 179. *Commodus* ejus F. an. 192.

Ab *Aquilæ* ad *Symmachi* Versionem annos 56. numerat Auctor *Synopsis*: unde dato, *Aquilam* vertisse an. *Hadriani* 12. colligitur *Symmachum* versionem suam emisisse an. D. 184. Alii pro νϛ'. substitui volunt μϛ'. 46. alii ν'. 50.

Si credimus *Cedreno*, *Eusebius Symmachum* refert ad imperium *Pertinacis*. Sed in illis *Eusebii*, quæ supersunt, scriptis, hoc non invenimus. *Cedrenum* autem secutus est *Scaliger*, cum in *Synagoga Hist.* hæc inseruit: ἐπὶ τούτου (Pertinacis) ἦν ὁ Σύμμαχος εἷς τῶν ἑρμηνευτῶν τῆς τῶν Ἑβραίων γραφῆς. Ἐβιωναῖος τὴν αἵρεσιν.

Sed, ut breviter quod res est, dicam; nec quo anno, neque quo regno præcise interpretationem suam concinnarit vel *Theodotio*, vel *Symmachus*, ulla certa ratione elici potest. Quicquid de eorum ætate apud veteres reperitur, vel sunt apertæ hallucinationes, vel incertæ imperitorum hominum conjecturæ. Hoc tantum scimus, *Theodotionem* Versionem suam edidisse antequam Opus *Contra Hæreses* scripsit *Irenæus*, à quo citatur, proindeque ante an. 176. vel 177. si recte hariolantur Viri docti de anno quo scripserit *Irenæus*. Et *Symmachum*, cum scripsit *Irenæus*, nondum suam Versionem edidisse, exinde confirmatur, quod dum *Aquilam* & *Theodotionem* citat, non citat tamen *Symmachum*, etsi cum illis convenientem, ubi eadem ratio fuit. Non est itaque cur dubitemus cum [a] *Petavio*, fitne *Symmachus* an *Theodotio* anteponendus.

[a] In Epiphan.

Fuisse *Theodotionem* ex secta *Hebionitarum*, qui partim Christiani, partim vero Judæi erant, nempe in Christum tanquam Messiam credentes, præcepta tamen cæremoniasque legis Mosaicæ cum Judæis observabant; pluribus in locis testatur *Hieronymus*. Qui tamen alicubi *Judæum* illum appellat: alibique dubitat, *Judæusne* fuerit an *Hebionita*. Epist. 89. ad August. *Ex Theodotionis editione ab Origene additum est. — præsertim cum ea quæ addita sunt, ex hominis JUDÆI atque blasphemi editione transtulerit.* Præf. Com. in Dan. *Volui habere nostros quod Græci in Aquilæ & Theodotionis ac Symmachi editionibus lectitant. Et si illi in tantis divitiis doctrinarum non contemnunt studia hominum JUDÆORUM, cur &c.* Ibidem meminit diversæ de eo sententiæ: *Juxta Theodotionem, qui utique post adventum Christi incredulus fuit: licet eum quidam dicant Hebionitam, qui altero genere Judæus est.* Hinc quoque Præf. in Ezram: *Judæos & Hebionitas legis veteris Interpretes, Aquilam viz. & Symmachum, & Theodotionem*: quia dubitabat utrum ex illis duo fuerunt *Judæi*, an duo *Hebionitæ*. Rursus Com. in Es. 2. *non mirum cur cæteri male interpretati sint, nec voluerint de Christo gloriosum quid dicere, in quem non credebant: viz. ut Judæi aut semi-judæi, id est Hebionitæ.* Alibi *Hebionitam* illum appellat. Præf. in Job nuncupatur *Judaizans hæreticus*. *Judæus Aquila*, &

& Symmachus ac Theodotio Judaizantes hæretici, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt. Sic lib. 2. adv. Ruff. *Hæreticum & Judaizantem* vocat. Expressius in aliis locis. In *Catalogo* dicitur *Theodotio Hebionæus.* Com. in Hab. 3. *Theodotio vere quasi pauper & Hebionita, sed & Symmachus ejusdem dogmatis, pauperem sensum secuti Judaice transtulerunt. — Isti semichristiani Judaice transtulerunt: Et Judæus Aquila interpretatus est ut Christianus.*

Fuisse illum patria *Ponticum, & unum ex successoribus Marcionis Sinopensis Hæresiarchæ, suisque partibus offensum ad Judæos defecisse, & circumcisum fuisse, dehincque Heb. lingua, & eorum literis institutum fuisse,* tradit [a] *Epiphanius*, & ex eo *Chronicon Paschale*, & *Josephus Christianus* in *Hypomnestico* MS. τὸ περὶ τ᾽ ἑρμηνευτὰ Θεοδοτίων Ποντικὸς τὸ γένος, καὶ αἵρεσιν Μαρκιωνιστής· ἐπιτέλα προσηλυθεὶς Ἰουδαίοις &c. a De P. & Mens. c. 17.

Juxta *Synopsin* Athanasio adscriptam, non *Ponticus*, sed *Ephesius* fuit. Eadem vero in hoc cum *Epiphanio* consentit, quod tradit eum *primo Hæresi Marcionis Pontici nomen dedisse, postea sectatoribus hæresis illius succensentem, Scripturam vertisse ad subversionem prædictæ hæresis.*

Sic quoque Euthymius: *Quarta fuit Theodotionis Ephesii: qui cum ex Marcionis hæresi esset: aliquando offensus suis cohæreticis, propriam interpretationem edidit, sub Imp. Commodo.*

[b] *Irenæus* ipse *Ephesium*, & *Judæum proselytum* vocat. *Non ergo vera est quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari scripturam, Ecce adolescentula in ventre habebit & pariet filium, quemadmodum Theodotio Ephesius, & Aquila Ponticus, uterque Judæus proselytus. Quos Ebionæi secuti, ex Joseph Christum prognatum ferunt.* Græca ex Eusebio petita: Ἀλλ᾽ οὐχ ὡς ἔνιοί φασι τῶν νῦν τολμώντων μεθερμηνεύειν τὴν γραφήν, Ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ ἕξει καὶ τέξεται υἱόν, ὡς Θεοδοτίων ἡρμήνευσεν ὁ Ἐφέσιος, Ἀκύλας ὁ Ποντικός, ἀμφότεροι Ἰουδαῖοι προσήλυτοι, οἷς κατακολουθήσαντες οἱ Ἐβιωναῖοι, ἐξ Ἰωσὴφ αὐτὸν γεγενῆσθαι φάσκουσι. Fuisse illum *Ephesium*, cum id afferat *Irenæus*, tam idoneus Auctor, eique coævus, dubitare non possumus. Utrum natu *Ponticus*, *Ephesius* incolatu, fuerit, quod nonnulli autumant, vel vice versa, judicent alii. Apud me non tantum valet *Epiphanii* auctoritas, quin suspicer illum ex errore eum *Ponticum* fecisse, quia *Marcionis Pontici* sectatorem fuisse audiverat. b Lib. 3. c. 24.

[c] *Galesinius* varias traditiones de illius religione inter se conciliat dicendo, illum primo fuisse *Christianum*, deinde *hæreticum*, modo *Marcionistam*, modo *Hebionitam*, post *Judæum*. Atqui inter veteres, qui dicat illum fuisse primo inter *Orthodoxos* numeratum, reperio neminem. Alii censent illum habitum fuisse à nonnullis pro *Hebionita*, quia *Marcion* quædam *Ebionis* dogmata suis admiscuerat. Sunt inter recentiores, qui *Theodotionem* fuisse *Tatiani* discipulum scribunt. c De Vers. LXX.

Cum dicit autem Epiphanius, Θεοδοτίων τις Ποντικὸς ἀπὸ τῆς διαδοχῆς Μαρκίωνος τοῦ αἱρεσιάρχου τοῦ Σινωπίτου, μηνιῶν καὶ αὐτὸς τῇ αὐτοῦ αἱρέσει. &c. quod dicit illum fuisse ἐκ διαδοχῆς Μαρκίωνος, Cl. [d] *H. Dodwellus* ita intelligit, quod primo Hæresis *initio* ipsum *Marcionem* audierit. Sic enim ait locutos fuisse illius seculi Scriptores, ut illi Apostolorum διάδοχοι habiti fuerint, qui ipsos audierint docentes Apostolos. Nec aliam vocis significationem pati verba sequentia, μηνιῶν καὶ αὐτὸς τῇ αὐτοῦ αἱρέσει· frustra enim adjecisset Epiphanius fuisse *Hæresis participem*, si hoc sibi dictione, ἐκ διαδοχῆς, voluisset, fuisse illum *Hæresis Magistrum.* Inde etiam de illius ætate hæc subinfert: "*Quod si Marcionem* (inquit) *ipsum* "*audierit Theodotion, qui tamen Marcion medio circiter* Pii *imperio decesserat;* Marci *certe potius temporibus*, quam *Commodi* suam Scripturarum "interpretationem edidisse verisimilius est. Si præsertim & illud *ad*"*damus Marcionem* Ponti (*ubi Hæresin professus est concivis, & ipse Pon*"*ticus, Theodotion*) *vix multis ante obitum annis esse potuisse.* Romæ *certe* d Dissert. 4. in Irenæum §. 42.

"*cum reperit sub* Aniceto Polycarpus. *Et* Romæ *illum obiisse necesse est*, "*si quidem ea vere fuerint sub* Aniceto *gesta, quæ tanquam sub* Eleuthero "*memorat* Tertullianus, *nempe illum* pœnitentiam confessum, cum con- "ditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturum, si cæteros quoque " quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventum esse. "*Grandævum certe oportet fuisse* Theodotionem, *si à proximis* Marcionis "*initiis ad* Commodum *usque pertigisset.*" Hæc *Dodwellus*. At pace summi Viri dixerim; Græca ista, μηνίων καὶ αὐτὸς τῇ αὐτοῦ αἱρέσει, dum vertit, *particeps hæresis*, non recte intellexit: quæ hoc significant (ut & ipse Interpres Latinus reddidit) *Theodotionem suis partibus OFFENSUM fuisse*, atque ideo ad Judæos defecisse. Itaque per, ἀπὸ τῆς διαδοχῆς Μαρκίωνος, nihil aliud intelligendum est, quam quod fuerit *Theodotio* unus ex *Marcionis* in schola *SUCCESSORIBUS*. Conjecturæ, quas addit de *Theodotione* Vir doctiss. sunt nimis incertæ & invalidæ, quam ut eas hic loci commemoremus.

Versio *Theodotionis* ad LXXviralem proxime accedebat, ei in plurimis consonans. Illum *non multum à veteribus discrepare*, testatur *Hieronymus Præf. Chronici Euseb.* Idem in Ecclef. 2. LXX. *vero & Theodotio, sicut in pluribus locis, ita & hoc quoque concordant.* Illum *inter novos* (Aquilam & Sym.) *& veteres* (LXX.) *medium incedere*, ait Præfat. in Evang. *Simplicitate sermonis à* LXX. *Intt. non discordare* notat Præf. in Psalt. *Theodotion, qui & in cæteris cum* LXX. *translatoribus facit*: Ep. 141. ad Marcellam. Nec verbum ex verbo, cum *Aquila*, nec sensum ex sensu, cum *Symmacho*, sed *ex utroque commixtum & medie temperatum genus translationis expressisse*, monet Præfat. in Job ex Heb. conversum. De illius cum Versione LXX. consonantia meminit quoque [a] *Epiphanius*: διὰ τὰ πλεῖστα τοῖς οβ'. συνᾳδόντως ἐξέδωκε· τρίβας γὰρ εἶχε οὗτος τὰς πλείστας ἀπὸ τῆς συνηθείας τῶν οβ'. *in plerisque cum* LXXII. *consentit, quod in eorum lectione tritus, ac longa consuetudine exercitatus fuerat.* Josephus Christianus: Theodotio προσηθεὶς Ἰουδαίοις καὶ ζηλώσας τὴν Ἑβραΐδα ἡρμήνευσε καὶ αὐτὸς τὰς γραφὰς, οὐ πάνυ τι τῶν οβ'. παραλλάξας. Ob hanc causam juxta illius Versionem, potius quam juxta *Aquilæ* aut *Symmachi*, in Hexaplis ab *Origene* inserta sunt ex Hebræo, quæ asteriscis sunt signata. Errat enim *Epiphanius*, qui dicit *Origenem*, ex *Aquila* & *Symmacho* præcipue, raro vero ex *Theodotione* quæ inseruit, desumpsisse. Non modo Versionem LXX. magna ex parte secutus est in Hebraicis interpretandis, sed & ei nonnunquam adhæsit, ubi ab Hebræo discordat. Scholion ad Psal. 87. 18. *Illud* πλήρειν *non est in Tetraselido apud* LXX. *neque apud Theodotionem.* Multa etiam additamenta apocrypha ex LXX. Versioni suæ adjecisse de additamentis ad librum Jobi his verbis testatur *Origenes* Ep. ad Africanum: Ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τοῦ Ἰὼβ, τὰ ἀπὸ τοῦ· Γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι, μεθ' ὧν ὁ Κύριος ἀνίστησιν ἄχρι τέλους· οὐ κεῖται παρὰ τοῖς Ἑβραίοις· διόπερ οὐδὲ παρὰ τῷ Ἀκύλᾳ, παρὰ δὲ τοῖς ο'. καὶ Θεοδοτίωνι τὰ ἰσοδυναμοῦντα ἀλλήλοις· *Sic & in* [b] *Jobo, ab his verbis*: Scriptum est ipsum resurrecturum, cum quibus Dominus resurgit: *usque ad finem quæcunque sequuntur, desunt apud Hebræos. Quapropter nec apud Aquilam exstant; sed apud* LXX. *& Theodotionem sunt, quæ inter se conveniunt.* Scholion apud *Catenam Junianam*, quod etiam nondum editum ex Cod. *Bodleiano* à Cl. [c] *Usserio* citatum est: Ἰστέον δὲ ὅτι μέχρι τοῦ· Πρεσβύτερος, καὶ πλήρης ἡμερῶν, Ἀκύλας καὶ Σύμμαχος ἐλθόντες, συνεπέραναν τὸ βιβλίον ὡς δὴ τῷ Ἑβραϊκῷ ἀκολουθοῦντες· ὁ δὲ Θεοδοτίων συμπεραίνει τοῖς ἑβδομήκοντα· *Sciendum autem est, Aquilam & Symmachum textum Heb. secutos, finem libro imposuisse, cum ad illa perventum esset*, Senior & plenus dierum; *Theodotionem autem ibidem definere, ubi* LXX. *concludunt.*

Ut sciatur quam rationem interpretandi secutus fuerit, exemplum adducit

[a] De P. & Mens. c. 17.

[b] 42. 17.

[c] De LXX. cap. 6.

adducit [a] *Simonius* ex Gen. 4. 4. ubi vertunt LXX. ἐπεῖδεν, & eodem sensu Lat. Vulg. *respexit*; *Theodotio* vero ἐνεπύρισεν, *inflammavit*. Quod convenit cum Rabbinorum traditionibus, qui asserunt *Cainum* sacrificium suum non fuisse Deo acceptum, ex eo collegisse, quod non *inflammatum* fuit.

[a] Hist. Crit. V. T. lib. 2. cap. 9.

Sunt qui censent, *Theodotionem* primum collegisse libros *Apocryphos*: Alii, si non omnes libros *apocryphos* collegerit primus, saltem omnia quotquot *Danieli* obtruduntur Hebræis ignota, ei vel tanquam auctori, vel tanquam editori accepta esse referenda. Et huic equidem sententiæ, ex parte, favisse videatur ipse *Hieronymus*. Com. in Jer. 1. *Historiam Susannæ* in editione *Theodotionea* sola fuisse repertam innuit. *Quod quidem & in Daniele, juxta THEODOTIONEM, scriptum est, ut ab arboribus* σχῖνε *&* πρῖνε, *ilice viz. & lentisco, scissio atque serratio adulteris presbyteris decernatur.* In Editione Lat. Vulg. ante Historiam istam, *Quæ sequuntur* (inquit) *usque ad finem libri, de Theodotionis editione translata sunt.* Post Canticum Trium Puerorum: *Hucusque in Hebræo non habetur: & quæ posuimus, de Theodotionis editione translata sunt.* De Historia vero *Bel & Draconis* nota talis non invenitur. Historiam vero *Susannæ* ante tempora *Theodotionis* notam fuisse, & in Biblica volumina τοῖς LXX. adscripta ex illius editione non irrepsisse, colligi potest ex *Origenis* ad *Africanum* Epistola. Τὰ δὲ παρ' ἡμῖν ἀντίγραφα, ὧν καὶ τὰς λέξεις ἐξεθέμην· τὸ μὲν ἦν κατὰ τοὺς ό. τὸ δὲ ἕτερον κατὰ Θεοδοτίωνα· καὶ ὥσπερ παρ' ἀμφοτέροις ἔκειτο τὸ περὶ τὴν Σωσάνναν, ὡς σὺ φῂς, πλάσμα, καὶ αἱ τελευταῖαι ἐν τῷ Δανιὴλ περικοπαί. *Sed nostra exemplaria, quorum etiam voces exposui, alterum erat juxta* LXX *Interpretes; alterum secundum* Theodotionem: *& sicut apud utrosque positum reperiebatur Susannæ, quod dicis figmentum; una cum ultimis in Daniele sectionibus.* Adde, quod si ex editione *Theodotionea* ad volumina τῶν LXX. dicta adnexa fuisset ista Historia, nec in exemplaribus LXX-viralibus vetustioribus comparuisset, videtur *Africanus* in Epistola ad *Origenem*, qua contra eam dubium movet, id fuisse objecturus, nimirum quod primum ex editione *Theodotionea* petita fuisset. Existimo igitur, *Theodotionem* Historiam illam, cum *Cantico* 3. *Puerorum*, ex voluminibus LXXviralibus dictis deprompsisse, correctiusque edidisse: atque hac de causa *Hieronymum* ea ex editione potius *Theodotionea*, quam ex Græca Vulgata, Latine vertisse. Huc accedit, quod ex *Cantico* 3. *Puerorum* locum adducit *Origenes* cum juxta *Theodotionem* tum juxta LXX. unde constat eorum editiones à se invicem haud parum discrepasse. Quæ vero ex *Theodotione* proferuntur, conveniunt cum hodierna editione Græca & cum Lat. *Hieronymi*. Ea hæc sunt: Καὶ περιεπάτουν ἐν μέσῳ τῆς φλογὸς ὑμνοῦντες τὸν θεὸν, καὶ εὐλογοῦντες τὸν Κύριον. — εὐλογεῖτε πάντες οἱ σεβόμενοι τὸν Κύριον, τὸν Θεὸν τῶν Θεῶν. ὑμνεῖτε καὶ ἐξομολογεῖσθε, ὅτι εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας τὸ ἔλεος αὐτοῦ. Hieronymi Versio: *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.* —(in fine) *Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum: laudate & confitemini ei, quia in omnia secula misericordia ejus.* Pro quibus in Editione LXX. hæc legebantur: προσηύξατο Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαὴλ, καὶ ὕμνησαν τὸν Κύριον. — εὐλογεῖτε πάντες οἱ σεβόμενοι Κύριον τὸν Θεὸν τῶν θεῶν· ὑμνεῖτε καὶ ἐξομολογεῖσθε, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τῶν αἰώνων. *Precabatur Ananias, & Azarias, & Misael, & laudarunt Dominum.* —*Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum, laudate & confitemini ei, quia in seculum misericordia ejus, & in seculum seculorum.* *Jo. Rod. Wetstenius*, in Notis ad *Origenis* Epistolam, contendit *Danielis* Additamenta reperta fuisse tantum apud *Theodotionem*, & ex illo apud editionem κοινὴν τῶν LXX. non vero in correctioribus eorum exemplaribus. Sed hoc nullo modo probari potest. Loquitur enim generatim de exemplaribus LXX. sine ulla distinctione κοινῶν & *Correctiorum.*

Correctiorum. Longe fallitur autem *Wetstenius*, cum dicit *Origenem* in illa Epistola exemplaria τῶν ό. variantia commemorare: loquitur enim tantum de *Theodotionis* & LXX. Editionibus in *Danielis* Additamentis inter se variantibus. In *Theodotionis* Editione non comparuisse *Esthera* additamenta, apparet ex notis eis ab Hieronymo in Lat. Vulg. appositis: ubi testatur se ea desumpsisse *ex Editione VULGATA, quæ Græcorum lingua & literis ferebatur; eaque nec in Hebræo, nec apud ullum ferri interpretum.*

Quamvis autem libros quosdam Apocryphos, qui in Hebræo non comparebant, complexa est editio *Theodotionea*, æque ac LXXviralis, tamen ipsas *Lamentationes Jeremiæ*, una cum *Aquila*, omisit; & *Symmachus* solus cum LXX. hac in parte convenit. *Origenes*: ἐκδόσις Ἀκύλα, καὶ Θεοδοτίωνος, ἐν τοῖς Θρήνοις, ὀ φέρεται, μόνου δὲ Συμμάχου καὶ τῶν ό. *Editio Aq. & Theodotionis, in Threnis, non circumfertur, sed solius Symmachi & LXX.*

Paralipomenωn Editionem Græcam, quæ hodie superest, esse *Theodotionis*, existimant [a] *Ger. Vossius*, & [b] *Grotius*; hoc scil. argumento, quod in aliis libris פסח vertitur πάσχα, in libro vero 2. Paralip. φασέκ, quomodo *Theodotionem* passim vertisse observat *Theodoretus Quæst. in Exod.* Verum hoc argumento, apparet potius, Versionem illam Bibliorum quæ nomine LXX. prænotatur, à diversis Interpretibus fuisse elaboratam, cum Editionem *Paralipomenωn Theodotioneam* vulgari usu fuisse receptam in locum LXXviralis, nulla veterum auctoritate confirmari possit. Vide supra lib. 2. cap. ult. §. 161.

a De arte Gram. l. 3.
b In Luc. 1. 5.

Duas fuisse editiones Versionis *Theodotioneæ*, observavit hactenus nemo. Est tamen apud *Hieronymum*, unde id inferri posse videatur. In Jer. 29. *Et ponam eos quasi ficus malas: quas Theodotio interpretatus est sudrinas; secunda, pessima: Symmachus, novissimas.* Per vocem, *secunda*, intelligenda est *secunda editio.* Sed suspicor locum hoc modo restituendum esse: *quas Th. interp. sudrinas: Aquilæ prima editio . . . . secunda, pessima: &c.*

Origenes in loco modo adducto, non solum exemplar *Danielis* LXXvirale vulgo dictum, sed & ipsum *Theodotioneum* appellat NOSTRUM, id est, *Ecclesiasticum.* Neque hoc sane temere. Illius enim temporibus ab Ecclesia vulgo recepta est Editio *Danielis Theodotionea*; posthabitâ LXXvirali; ut supra à nobis ostensum fuit lib. 3. parte 1. cap. 3. §. 8. ex variis *Hieronymi* testimoniis. Quibus illud quoque addatur, Com. in Dan. IV. 5. *Judicio magistrorum Ecclesiæ Editio eorum* (LXX.) *in hoc volumine repudiata est, & Theodotionis vulgo legitur: quæ & Hebræo & ceteris translatoribus. Unde & Origenes in nono Stromatum volumine asserit se quæ sequuntur ab hoc loco in Propheta Daniele, non juxta* LXX. *Intt. qui multum ab Heb. veritate discordant, sed juxta Theodotionis editionem disserere.*

Egregie hallucinatur hac de re [c] *Is. Vossius*: *Cum in nonnullis* (inquit) *aliis locis, tum præcipue cap.* IV. *Danielis, quod aberat in illis quibus usus est Origenes Interpretum* LXX. *exemplaribus, id ipsum apposuit ex Versione Theodotionis, sed sub asteriscis, ut adpareret illa non esse* LXX. *Interpretum verba, sed Theodotionis. Exinde præcipue factum, id quod Hieronymus toties crepat, Danielem non legi secundum* LXX. *Interpretes, sed secundum Theodotionem.*

c Resp. ad Object. Hullii cap. 35.

Quin & patet, observante *Usserio*, editionem *Danielis* Græcam, quæ hodie in Bibliis vulgo fertur, non esse LXXviralem, sed *Theodotionis.* Et sic diserte nominatur in vetustissimo *Renati Marchali* Prophetarum exemplari: Δανιὴλ κατὰ Θεοδοτίωνα. *Daniel secundum Theodotionem.* Quam vero studiose editionis illius, quæ LXX. tribuebatur, vestigiis *Theodotion* institerit, ut in aliis passim libris, sic quoque in *Daniele*, ostendit [d] idem Vir magnus, collatis quæ ex Danielis capite VII. apud *Justini*

d Syntag. de LXX. c. 6.

stini M. Dialogum cum Tryphone, & in IX. apud *Clementem Alex.* 1mo *Stromatum*, & *Tertullianum in libro adv. Judæos*, juxta LXX. supersunt, cum editione hodierna *Theodotionea*. In hac post *Hymnum 3 Puerorum* legitur: Καὶ Ναβουχοδονόσορ ἤκουσεν ὑμνούντων αὐτῶν, καὶ ἐθαύμασε, *Et Nabuchodonosor audivit laudantes illos, & obstupuit.* LXX. vero, ut testatur *Origenes*, habuerunt: Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἀκοῦσαι τὸν βασιλέα ὑμνούντων αὐτῶν, καὶ ἐθεώρει αὐτοὺς ζῶντας· *Et factum est, quum Rex illos laudantes audiret, ac videret eos viventes &c.*

Ut Rabbini veteres confundunt *Aquilam* Interpretem Græcum cum *Onkelo* Paraphrasta Chald. sic perperam existimant nonnulli *Theodotionem* eundem fuisse cum *Jonathan* Chald. Paraphrasta.

7. De *Symmachi*, Versionis IV^tæ conditoris, ætate, quod post *Theodotionem*, & post librum *adv. Hæreses* ab *Irenæo* conscriptum, editionem suam emiserit, superius diximus. Memoriæ lapsu *Is. Vossius* eum primum omnium post LXX. facit: *Castigat. ad Objecta Hornii*, ad cap. 4. *A temporibus LXX. Interpretum, usque ad Symmachi translationem, vel ipsius Origenis testimonio nulla alia facta est Versio.* Alibi ipse veritatem satis habuit perspectam. Illius Versionem ab *Origene* primum publici juris factam fuisse, ab eo scil. inventam apud *Julianam* quandam, *Symmachi* hæredem, arbitratur Cl. [a] *Dodwellus*. *A Juliana quadam* (inquit) *ad quam jure successionis pervenerant, acceptam* Symmachi *interpretationem primus, ut videtur, publicavit Origenes. Proinde* illius, *quocunque demum tempore floruerit, mentio tamen nulla exspectanda erat ante Origenem. Atqui ipsius Symmachi hæres illa ipsa erat Juliana. — In ipso persecutionis æstu latitantem Origenem à Juliana, quæ illum abscondidit, accepisse, scriptum ab Origene ipso in quodam Codice ait se reperisse Palladius. Nec aliam illam persecutionem quam Severi existimat Baronius. Utcunque certum est, eum à Symmacho ipso acceperit Juliana, & recenti adeo Symmachi memoria à Juliana etiam acceperit Origenes; non potuisse utique in eo falli, quod sub Severo Symmachum vixisse tradat Origenes.* Addit paulo post, *Symmachum Interpretationem suam in publicum dare ausum non fuisse.* In his ei minime assentior. *Palladius* in *Hist. Lausiaca* cap. 147. hæc habet: *Quædam nomine Juliana, virgo in Cæsarea Cappadociæ, dicta est esse & doctissima & fidelissima, quæ Origenem scriptorem fugientem gentilium insurrectionem excepit, eum duos annos occultans, suis sumptibus & suo ministerio virum alens. Inveni autem hæc in antiquissimo libro scripto versibus, qui quidem scriptus erat manu Origenis. Hunc librum inveni ego apud Julianam Virginem in Cæsarea, qui apud ipsam erat occultus. Dicebat autem se accepisse à Symmacho interprete Judæorum.* Librum illum, quem se à *Juliana*, *Julianam* vero à *Symmacho Interprete Judæorum*, accepisse scribit *Origenes*, tantum abest, ut constet fuisse ipsam Symmachi *Interpretationem*, ut potius constet eam non fuisse, sed alium quendam librum. Ejusdem rei meminit *Eusebius* Hist. VI. 17. ubi Commentariorum ejus in varios Scripturæ libros mentionem facit: Καὶ ὑπομνήματα δὲ τοῦ Συμμάχου εἰσέτι νῦν φέρεται, ἐν οἷς δοκεῖ πρὸς τὸ κατὰ Ματθαῖον ἀποτεινόμενος εὐαγγέλιον, τὴν δεδηλωμένην αἵρεσιν κρατύνειν. Ταῦτα δὲ ὁ Ὠριγένης μετὰ καὶ ἄλλων εἰς τὰς γραφὰς ἑρμηνειῶν τοῦ Συμμάχου, σημαίνει παρὰ Ἰουλιανῆς τινος εἰληφέναι, ἣν καί φησι παρὰ τοῦ Συμμάχου τὰς βίβλους διαδέξασθαι· *Exstant etiamnum Commentarii Symmachi, in quibus juxta Evangelium Matthæi prolixe disputans, supradictam hæresim* (Ebionæorum) *adstruere videtur. Atque hos Symmachi Commentarios una cum aliis S. Scripturæ interpretationibus* (sive expositionibus) *ab eodem elaboratis, testatur Origenes se à Juliana quadam accepisse, quam etiam dicit eos libros accepisse ab ipso Symmacho.* Cum dicit μετὰ τῶν ἄλλων ἑρμηνειῶν, *cum aliis interpretationibus*, perspicuum est intelligi non *Translationem*, quod putavit *Ruffinus*, sed *expositiones* quasdam Scriptura-

[a] In Irenæum Diss. 4. §. 40.

rum. *Ruffinus* postrema ea sic vertit: *Hæc ipse Origenes cum interpretatione ipsius Symmachi scribit se apud Julianam quandam reperisse.*

Tantum abest ut *Symmachi* Versio ab *Origene* primo reperta editaque fuerit, ut duæ istius exstiterint editiones. Quarum meminit Hieronymus in Jer. 32. *Symmachi prima editio, & LXX. & Theodotio solos interpretati sunt. Secunda quippe Symmachi vertit* διόλου. Rursus in Nahum cap. 3. *Symmachus* ἀποτομίας πλήρης, *quod possumus dicere crudelitate vel severitate plena: in altera ejus editione reperi,* μελοκοπίας πλήρης *i. e. sectionibus carnium & frustis per membra concisis.* Utrum Editio *secunda* ab *Origene* apud *Julianam* reperta fuerit, necne, judicent alii. Errat vero [a] *Franc. Junius*, cum dicit *Hieronymum* meminisse *triplicis* editionis *Symmachi*, itemque *Aquilæ*. *Agobardus* male innuit unum tantum ex tribus his Interpretibus duas editiones reliquisse. Epist. ad Fredegisum; *Fuerunt præterea aliqui venerandi & catholici Interpretes Latini, qui LXX. editionem in Latinum transtulerunt eloquium. Extra hos itaque multi fuerunt Interpretes reprehensibiles, sicut illi famosissimi interpretes Judaizantes, & hæretici, Aquila scil. & Theodosion ac Symmachus, ex quibus unus fecit duas editiones inter se dissonantes.*

a Controv. 1. l. 2. c. 5.

Symmachi prior Editio, nisi fallor, inquit [b] *Vossius, prodiit an. 5. Imp. Commodi, si verum est id quod Athanasius, Theodoretus, & Euthymius Zygabenus memorant, Symmachum interpretatum fuisse Scripturas sacras annis post Aquilam 56. Quod vero iidem scribunt Versionem hanc prodiisse sub Severo Imp. id de secunda Symmachi editione intelligendum videtur, cujus non semel meminit Hieronymus. Nisi potius illos lapsos esse existimemus, quemadmodum lapsi videntur, cum putant demum Commodo imperante Theodotionem suam adornasse Versionem.* Eos lapsos fuisse, & non respexisse ad varias ejus Editiones, mihi non videtur dubitandum.

b Præf. Append. ad lib. de LXX Interpr.

Erat Symmachus genere *Samaritanus*, postea Judæus, non quidem incredulus sive infidelis, quod putarunt Epiphanius aliique post eum multi, sed semichristianus, viz. Ebionæus. [c] *Epiphanius*: Σύμμαχός τις Σαμαρείτης τῶν παρ' αὐτοῖς σοφῶν &c. *Symmachus quidam Samaritanus ex eorum numero, qui apud illos sapientes habentur. Qui ambitione ac principatus cupiditate ductus, cum voti apud suos compos esse non posset, tribulibus iratus suis, ad Judæos transfugit, & inter proselytos professus iterato circumciditur. — Igitur ut Samaritanorum interpretationes everteret, tertiam est aggressus.* Ita Auctor *Synopsis*: οὗτος Σαμαρείτης ὤν, καὶ μὴ τιμηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἰδίου λαοῦ, ὡς φιλαρχίαν νοσῶν, τοῖς Ἰουδαίοις προσέρχεται, καὶ ἐκ δευτέρου περιτέμνεται. καὶ πρὸς διαστροφὴν τῶν Σαμαρειτῶν ἑρμηνεύει καὶ αὐτὸς τὴν θείαν γραφήν. *Hic cum Samaritanus esset, nec populo suo acceptus propter ambitionis morbum haberetur, ad Judæos sese recepit, ac secundo circumcisus est. Et ut Samaritanos subverteret, vertit & ipse divinas Scripturas.* Euthymius: *Tertiam translationem fecit Symmachus, patria Samaritanus: qui cum apud suos, quantum honoris optabat non assequeretur, Judæos adiit, & rursum circumcisus in Samaritanorum offensam, sacram interpretatus est Scripturam sub Severo Imp. Qui etiam ut Judæis placeret, quæcunque ad Christum pertinebant, non sane transtulit: annis 56. post editionem Aquilæ.* Epiphanium etiam nominatim sequitur *Chronicon Paschale*. *Eusebius* illum fuisse *Ebionitam* sive *Ebionæum* testatur. Hist. VI. 17. Τῶν γε μὴν ἑρμηνευτῶν αὐτῶν δὴ τούτων ἰστέον, Ἐβιωναῖον τὸν Σύμμαχον γεγονέναι. αἵρεσις δέ ἐστιν ἡ τῶν Ἐβιωναίων οὕτω καλουμένη, τῶν τὸν Χριστὸν ἐξ Ἰωσὴφ καὶ Μαρίας γεγονέναι φασκόντων, ψιλόν τε ἄνθρωπον ὑπειληφότων αὐτόν, καὶ τὸν νόμον χρῆναι Ἰουδαϊκώτερον φυλάττειν ἀπισχυριζομένων. *Sciendum porro est Symmachum, qui unus ex illis Interpretibus fuit, Ebionæum fuisse. Est autem Ebionæorum hæresis ita dicta, eorum qui Christum ex Josepho & Maria genitum, nudumque hominem esse dicunt, & legem Judaico more servandam esse contendunt.*

c De M. & Pond. c. 16.

Rursus

Rursus Demonstr. Evang. VII. 1. λέγεται δὲ ὁ Σύμμαχος Εβιωναῖος εἶναι· αἵρεσις δὲ ἦν αὕτη καλουμένων τινῶν Ιουδαίων εἰς Χριστὸν πιστεύειν λεγομένων, ἐξ ὧν ὁ Σύμμαχος ἦν. *Symmachus dicitur Ebionæus fuisse: secta autem hæc fuit Judæorum, qui eo nomine vocabantur, & in Christum credere dicebantur, ex quibus Symmachus fuit.* Hieronymus Præf. Com. in Dan. illum inter *Judæos* recenset, æque ac *Aquilam* & *Theodotionem*. *Volui habere nostros quod Græci in Aquilæ & Theodotionis & Symmachi editionibus lectitant. Et si illi in tantis divitiis doctrinarum non contemnunt studia hominum Judæorum &c.* Hoc dicit vero, quia *Ebionitæ* partim revera erant *Judæi*. Præf. in Job, à *Judæis*, una cum *Theodotione*, distinguitur, & *Judaizans hæreticus* vocatur: & *Hebionita* diserte appellatur Com. in Hab. 3. & in *Catalogo*. Errat [a] *Baronius*, cum dicit Hieronymum *sæpe testari*, *illum fuisse ex CHRISTIANO Ebionitam*. Denique se fuisse *Ebionæum* ipse demonstravit in *Commentariis* modo memoratis, ubi refert *Eusebius* eum eorum opiniones defendisse. Quid? quod in *Evangelium Matthæi* Commentarios istos conscripsit. Fallitur enim *Valesius*, cum *Eusebii* verba illa: πρὸς τὸ κατὰ Ματθαῖον ἀποτεινόμενος Εὐαγγέλιον, vertit, *ADVERSUS Evangelium Matthæi* (nostrum) *disputans*. Non modo enim *Nicephorus Callistus Eusebium* intellexit de Commentariis in Matthæum conscriptis, sed & ipse *Hieronymus*. *Catalogo* in Origene: *Theodotionis Hebionæi, & Symmachi ejusdem dogmatis, qui in Evangelium quoque* κατὰ Ματθαῖον *scripsit Commentarios, de quo & suum dogma confirmare conatur.* Eusebii verba sic vertit *Ruffinus*: *Sed & Commentarios quosdam Symmachus conscripsit, in quibus conatur de Evangelio secundum Matthæum auctoritatem suæ hæreseos confirmare.* Ensebium etiam de Commentariis in *Matthæum* scriptis intellexit [b] *Suidas*: Commentarios vero illos non *Symmacho* peculiariter adscribit, sed *Ebionæis*. *Origenes* (inquit) alias editiones in unum collegit, Ακύλα τοῦ Ποντικοῦ, καὶ Θεοδοτίωνος, καὶ Συμμάχου τῶν Εβιωναίων· αἵρεσις δὲ ἐστιν αὐτῶν, ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Κύριον εἶναι δοξαζόντων. οἵτινες τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ὑπεμνηματίσαν· δι' οὗ καὶ τὸ ἴδιον δόγμα βεβαιῶσαι σπεύδουσιν· *Aquilæ Pontici, & Theodotionis & Symmachi Ebionæorum. Ipsorum vero secta est hominum, qui Dominum solum hominem esse suspicantur. Qui Commentarios scripserunt in Matthæi Evangelium, per quod etiam suum illud confirmare student.* *Portus Suidam* sic intellexit, quasi voluerit *Theodotionem* & *Symmachum* Commentarios in Matthæum scripsisse.

Symmachum non modo nt Interpretem V. Testamenti, verum etiam ut Expositorem Novi commemorare videtur *Agobardus*, Epist. ad Fredegisum: *Hæc omnia idcirco dicimus, ut appareat, quia quam injuste à vobis criminamur, cum dicitis nos reprehensores Apostolorum & divinarum Scripturarum esse tam injuste, vel potius multos injustos quoscunque Interpretes, atque Expositores coæquatis Apostolis & Evangelistis, cum Symmachum & Paulum & Didymum & Joannem una defensione indifferentique laude dignos ducitis.* Respicere videtur ad expositionem Epistolarnm Paulinarum ab eo conscriptam. In Regio Codice Parisino 753. juxta *Labbei* Catalogum, Catena Patrum in libros Regum, conflatur ex *Cyrillo*, *Theodoreto*, *Diodoro*, *Origene*, *Symmacho*, *Hesychio*, *Didymo*, *Eusebio*, *&c.* Utrum vero revera designetur tantum *Symmachi* Versio, alii viderint. Quinetiam ex *Hieronymi* Com. in Ep. ad *Titum* cap. 2. deprehendimus *Symmachum* volnmen qnoddam *Latine* scripsisse: *Symmachus igitur pro eo quod est in Græco* (Psal.) περιούσιον, *in Heb.* סגלה *expressit* ἐξαίρετον, *id est, egregium vel præcipuum, pro quo verbo in alio volumine LATINO SERMONE utens, PECULIAREM interpretatus est.* Eodem illius Opere Latino usum fuisse *Agobardum* existimo. In volumine quodam Latino Bibliothecæ [c] *Vindobonensis*, recensetur is, etiam una cum *Aquila*, inter *Latinos Patres*: quod exinde factum videtur, quod à La-

[a] Ad an. 103. §. 15.

[b] Origene.

[c] Lambecius Com. de Bibl. Vindob. to. 3. pag. 29.

tinis quibusdam Patribus eorum Versiones citatæ sint. *Hebedjesu* in *Catalogo Scriptorum Chaldaicorum*, sive *Syriacorum*, auctor est adhuc exstare, inter eos, *Symmachi* libros nonnullos, quorum uni inscriptio, *de distinctione Præceptorum*.

A *Symmacho* nostro Ebionæi dicti sunt *Symmachiani*, licet aliter sentiat [a] *Baronius*; *Ebionæi* enim per *Symmachianos* manifesto designantur ab *Ambrosio* Præf. in Gal. *Omnis credens in Christum*, & *observans legem factorum*, *male intelligit Christum*: *sicut & Symmachiani*, *qui ex Pharisæis originem trahunt*; *qui servata omni lege*, *Christianos se dicunt*, *more Photini Christum non Deum & hominem*, *sed hominem tantummodo definientes*. Item ab [b] *Augustino*, ubi memorat *Symmachianos* & *Circumcisionem* & *Baptismum* tenuisse. Plane alius vero generis erant *Symmachiani* illi de quibus *Philastrius* cap. 63. 64. ab alio quodam *Symmacho* sic nominati; si tamen *Philastrius*, scriptor haud satis idoneus, non erraverit.

[a] Ad an. 203. §. 15.

[b] Contra Crescon. l. 1. c. 31.

Ut *Aquila* in sua Versione verbum ex verbo expressit, sic *Symmachus* sensum præcipue secutus est. Quo nomine sæpe ab Hieronymo in Commentariis, cæteris præfertur. Com. in Es. cap. 1. & 26. *Symmachus more suo manifestius*. Ibid. cap. 5. & Quæst. in Gen. & Com. in Eccles. cap. 9. *Symmachus more suo apertius*. Ita alibi sæpe. Et Procemio Chronici Eusebiani: *Difficultatem rei* (interpretandi) *etiam divinorum voluminum instrumenta testentur*: *quæ à* LXX. *Interpretibus edita non eundem saporem in Græco sermone custodiunt*. *Quamobrem Aquila*, & *Symmachus*, & *Theodotion incitati diversum pene opus in eodem opere prodiderunt*, *alio nitente verbum de verbo exprimere*, *alio sensum potius sequi*, *tertio non multum à veteribus discrepare*. Com. in Amos 3. *Hebræus qui me in Scripturis sanctis erudivit*, *tribulationem interpretatus est*, *nec renuimus ejus sententiam*, *quia & Symmachus*, *qui non solet verborum* κακοζηλίαν, *sed intelligentiæ ordinem sequi*, *ait*: *obsidio & circumdatio terræ*. Symmachum majorem claritatis rationem habuisse observat quoque *Theodorus Antioch.* ad Ps. 55.7. Ἀλλὰ καὶ τὴν Συμμάχου ἔκδοσιν &c. *Sed & Symmachi editionem conferentes*, *ostendimus*, *unamquamque dictionem secundum* LXX. *editionem in divina Script. positam fuisse*, *prout Symmachus in propria editione dixisse videtur*. — *Diversitas autem in hoc est*; *quod unus quidem ad sensum attendendo manifestius dixerit*, *dum alter obscurius significatioribus vocabulis sensum ex Heb. edere conatur*: *quod frequenter & fere in plerisque reperire licet*. *Unde* LXX. *quidem magis studuerunt*, *ut vim verborum*, *quæ in Heb. est*, *integram servarent*; *Symmachus vero visus est majorem claritatis habere rationem*, *sed illam non ubique pro conatu suo condigne assequi*: *frequenter enim dum claritati studet*, *quæ multum sane sensui dissentanea sunt apponit*. *Unde nonnulli*, *cum ad sequelam non attenderent*, *existimarunt*, *secundum obviam expositionem*, *Symmachi editionem meliorem esse quam* LXX. *quod non opportune omnia ab ipsis interpretata sint*: — *Cæterum quod* LXX. *quidem magis ad vim verborum attendant*, *Symmachus vero majorem claritatis habeat rationem*, *plurima investiganti suppetunt argumenta*: *unum autem alterumve ad totius dicti confirmationem apponatur*. &c.

Si fides sit Catalogo MSS. Græcorum *Constantini Barini* Constantinopolitani, à *Verderio* prius, deinde à *Possevino*, edito, superest etiamnum in nonnullis Græcorum Bibliothecis *Symmachi* Versio. Hæc enim ibi leguntur: *Symmachi Hebræi Interpretatio in Psalterium David*: *ejusdem Interpretatio in omnia volumina veteris divinæ Scripturæ*. Psalterium Græcum, quod hodie apud nos exstat, & unde translata est Editio Latina Vulg. non esse LXX. sed *Symmachi*, arbitratus est *Lindanus*, quia locus unus aut alter, *Symmacho* à veteribus tributus, in eo reperitur. Male. Loci tales in Editionem LXX. è glossis marginalibus irrepserunt. Magis errant alii quidam, qui totam editionem Bibliorum Latinam

nam Vulgatam existimant conversam fuisse vel ex editione *Symmachi*, vel ex *Aquilæ*, vel *Theodotionis*.

In Appendice Operis *de Re Accipitraria &c.* habetur Epistola fictitia *Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis ad Ptolemæum R. Ægypti*, Catalanica lingua de isto argumento. Ibid. *Falconum genera septem sunt: sicut dicunt Aq. Sym. & Theodotion; qui utique scribunt Ptolemæo R. Ægypti Epistolam, in qua ad ejus præcepta tractaverunt de avibus nobilibus. — Postremo ne tantorum auctorum Aquilæ Sym. & Theodotionis documenta &c.*

Solent *Aquila, Theodotio, & Symmachus commemorari* sub nomine τῶν τριῶν (Interpretum) *Trium*. Theodoretus in Es. 8. σαφέστερον δὲ οἱ τρεῖς ἡρμηνεύκασι· *Apertius autem Tres interpretati sunt.* Idem in Abdiam 1. καὶ τοῦτο δὲ σαφῶς οἱ τρεῖς ἑρμηνευταὶ νότον ἡρμηνεύκασι· *Hunc etiam uno consensu tres Interpretes austrum verterunt.* Hieronymus in Es. 7. *Et* LXX. *& tres reliqui.* Ibid. cap. 14. *Tres reliqui Interpretes.* cap. 15. *Nec ullus trium Interpretum.* In Ezech. 5. *Tres alii Interpretes.* Similiter apud *Eusebium* in Es. 13.

8. Aliæ tres Editiones exstitere Auctorum quorundam innominatorum, quas omnes vel per se, vel per alios reperit *Origenes*, inque lucem primus produxit. Non tamen fuere eæ totius voluminis Biblici, sed tantum paucorum quorundam librorum.

QUINTA juxta Epiphanium *Jerichunte* ab Origene reperta est in dolio una cum aliis quibusdam voluminibus Heb. & Græcis abscondita.

[a] *Epiphanius*: Τελευτήσαντος δὲ Σεβήρου διαδέχεται τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ Ἀντωνῖνος ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ὁ καὶ Γέτας ἄλλος, καὶ Καρακάλλος ἐπικληθεὶς, καὶ ποιεῖ ἔτη ζ. ἐν δὲ τῷ ἑβδόμῳ αὐτοῦ ἔτει εὑρέθησαν καὶ βίβλοι τῆς πέμπτης ἐκδόσεως ἐν πίθοις, ἐν Ἱεριχῷ κεκρυμμέναι, μετὰ ἄλλων βιβλίων Ἑβραϊκῶν καὶ Ἑλληνικῶν. *Mortuo Severo, succedit Antoninus ejus F. qui & Geta & Caracalla nominatur. Imperavit annos 7. Septimo vero anno Quintæ editionis libri Jerichunte in doliis reperti sunt, cum aliis Hebraicis ac Græcis.* Auctor *Synopsis*, Πέμπτη ἑρμηνεία ἐστιν ἡ ἐν πίθοις εὑρεθεῖσα κεκρυμμένη, ἐπὶ Ἀντωνίνου βασιλέως τοῦ Καρακάλλα ἐν Ἱεριχῷ παρά τινος τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις σπουδαίων. *Quinta interpretatio cum abscondita fuisset, in doliis inventa est sub Imp. Antonino Caracalla dicto, in Jericho; à quodam ex illis, qui Hierosolymis pietati (vel studiis) vacaverunt conflata.* Locum hunc Interpres Latinus sic male interpunxit, quasi Auctor voluerit, Versionem istam non *inventam* sed *factam* fuisse sub *Caracalla*. Euthymius: *Quinta certum non habet authorem, inventa est autem in Jericho, dolio operta, sub Caracalla Imp.* In Chronico MS. *Rabano Mauro* adscripto, dicitur inventa fuisse *Jerichunte* anno *Christi* 219. *Caracallæ* 7. Apud *Josephum Christianum* legimus, eam ab aliquibus adscriptam fuisse *fœminæ* tanquam auctori, & in *fœminæ* domo repertam fuisse: Πέμπτη δὲ ἔκδοσις εὑρέθη ἐν Ἱεριχῷ ἐν πίθοις χαλκοῖς κεκρυμμένη, οὐκ ἐπιγεγραμμένη τὸ ἑρμηνεία (lege τῷ ἑρμηνεῖ) φασὶ δὲ αὐτὴν ὑπὸ γυναικὸς ἑρμηνευθῆναι. τὸ καὶ ἐν οἰκίᾳ γυναικὸς εὑρεθῆναι σὺν πίθοις. *Quinta editio inventa est Jerichunte, in doliis æneis abscondita, Interpretis nomine non inscripta. Aiunt vero à muliere translatam fuisse, & in mulieris domo inventa fuisse dolia.* [a] De P. & Mens. 17.

Hieronymus in Præf. ad *Origenis Homilias* in *Cantica Cant.* ait ipsum scribere se *Quintam* editionem in *Actæo littore* invenisse. Proferuntur *Hieronymi* verba etiam à *Ruffino* Invect. 2. *Nam undecim voluminibus explicitis, quæ ad viginti usque versuum millia pervenerunt: primum* LXX. *Interpretes, deinde Aquilam, Sym. Theod. & ad extremum Quintam Ed. quam in Actæo littore invenisse se scribit, ita magnifice aperteque disseruit, ut &c.*

Errant itaque qui dicunt *Quintam* inventam fuisse *Jerichunte*, Sextam *Nicopoli ad Actium*. Atque ita Scholiastes ad *Synopsin*, appellat *Quintam*, quam *Synopsis Sextam* dicit; sed tempora male confundit; ἡ πέμπτη ἑρμηνεία ἡ ἐν πίθοις εὑρέθη κεκρυμμένη ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μαμμαίας παιδὸς ἐν Νι-

κώμῃ τῇ πρὸς Ἀκτίοις (l. Ἀκτίῳ) *Aretas* Scholiastes *Clementis Alex.* utramque opinionem confundit, dicens *Quintam* inventam quidem fuisse *Jerichunte*, sed sub *Alexandro Mammææ F.* πέμπτη εὑρέθη ἐν πίθοις ἐν Ἱεριχῷ ἐπὶ Ἀλεξάνδρου. [a] *Genebrardus*, aliique nonnulli, aiunt *Quintam Hierosolymis* fuisse repertam; ex eo decepti, quod ab Auctore *Synopsis* dicitur facta fuisse ab aliquo eorum qui *Hierosol.* studuerunt. Quod autem dicitur ἐν πίθοις fuisse abscondita, [b] *Musculus* perabsurde vertit, *in Pithis* sive *in Pythis*.

Complexa est hæc Quinta Editio Prophetas Minores, Psalterium, Canticum Canticorum, & ut videtur, Jobum. In Prophetis [c] *Minoribus* citatur haud raro ab [d] *Hieronymo*, in *Majoribus* nusquam, nec ab eo, nec ab ullo alio; in *Psalmis* à multis passim; in *Proverbiis* & *Ecclesiaste* nusquam. In *Cantico* citatur ab *Origene* in *Homil.* In *Jobo* citatum non invenio: *Olympiodorus* tamen in *Jobi* caput ult. alium quendam Interpretem adducit præter *Aq. Th.* & *Sym.* τὸ δὲ τετράδραχμον τοῦ χρυσίου, ὅπερ ἐστὶ νόμισμα τι. οὕτω γὰρ καὶ ἕτερος τῶν ἑρμηνευτῶν ἐξέδωκεν· Ἀκύλας δὲ, καὶ Θεοδοτίων, ἐνώτιον χρυσοῦν· ἐπίσημον δὲ, Σύμμαχος. *auri tetradrachmum, quod numismatis genus est; sic enim* Interpres alius *reddidit: Aquila vero & Theodotio, Inaurem auream; & Symmachus, Narium ornamentum.*

[e] *Isidorus Hisp.* & post illum [f] alii multi, Editionem *Quintam* imperite confundunt cum illa, quæ *Vulgaris*, seu κοινὴ nominabatur: *Fuerunt & alii Interpretes, qui ex Heb. lingua in Græcum Sacra eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, & Theodotion, sicut etiam* Vulgaris *illa interpretatio, cujus auctor non apparet; & ob hoc sine nomine Interpretis* Quinta *Editio nuncupatur. Præterea Sextam & Septimam Ed. Origenes miro labore reperit, & cum cæteris Ed. comparavit.* Augustinus de Civ. 18. 43. meminit tantum A. S. T. & *Quintæ* Editionis.

9. SEXTA Editio ab *Origene* inventa est, non *Nicopoli*, ut vulgo legimus, sed *Jerichunte*. Patet enim ex dictis, invertenda esse, quæ dicuntur de locis, ubi inventæ sint *Quinta* & *Sexta*. *Caracalla*, inquit *Epiphanius*, succedit *Antoninus* alius, qui imperavit annos 4. Secutus est Alexander filius Mammææ annis 13. Ἐν μέσῳ τῶν χρόνων τούτων εὑρέθη ἕκτη ἔκδοσις καὶ αὐτὴ ἐν πίθοις, κεκρυμμένη ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ἀκτίῳ. *Per hæc tempora Editio Sexta, quæ & ipsa in doliis latebat, Nicopoli ad Actium est inventa.* Ex eo quod dicit *Epiphanius*, ἐν μέσῳ τῶν χρόνων τούτων, *Baronius* perperam intelligit *annum medium* Alexandri Imp. quem observat fuisse ætatis Origenis 43[m]. [g] *Marianus Victorius* intelligit illud tempus, quod inter *Antoninum* & *Alexandrum* intercessit. Illa autem *Epiphanii*, ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ἀκτίῳ, *Cornarius* male vertit, *Nicopoli ad Orientem sita*, vocem ἀκτίῳ, ab ἀκτὶς, quod *radium solis* significat, derivans. E contra apud *Synopsin*, ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ἀρκτίοις, *Musculus* vertit, *Nicopoli Septentrionali*, quem errorem sequitur [h] *Baronius*. *Synopsis* hæc sunt verba: Ἕκτη ἑρμηνεία ἐστὶν ἡ ἐν πίθοις εὑρεθεῖσα, καὶ αὐτὴ κεκρυμμένη, ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μαμμαίας παιδὸς, ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ἀρκτίοις (l. Ἀκτίοις, vel Ἀκτίῳ) ὑπό τινος τῶν Ὠριγένους γνωρίμων· *Sexta & ipsa doliis inventa est, cum & ipsa abscondita fuisset, sub Alexandro Mammææ filio, Nicopoli ad Actium, à quodam Origenis familiari.* Interpres *Synopsis* Latinus hæc verba sic vertit, quasi dicatur non *inventam* fuisse, sed compositam à quodam Origenis familiari, sub Alexandro Mammææ filio. *Sexta & ipsa in doliis inventa est, antea sub Alexandro Mammææ F. Nicopoli ad Actium à quodam Origenis familiari composita.* Hoc si voluit Auctor, erroris ansam præbuisse videtur lectio prava apud *Eusebium* Hist. VI. 16. ubi dicitur Origenem ἀνιχνεῦσαί τινας τῶν ἑτέρων παρὰ τοὺς ἑβδομήκοντα τὰς ἱερὰς γραφὰς ἑρμηνευσάντων ἐκδόσεις· *Aliorum qui præter* LXX. *Interpretes S. Scripturæ interpretati sunt, editiones pervestigasse.* Pro ἑτέρων [i] *Suidas* legit ἑταίρων. Ἀνιχνεῦσαί τινας τῶν ἑταίρων παρὰ τοὺς ἑβδομήκοντα τὰς ἱερὰς γραφὰς ἑρμηνεύσαντας ἐκδόσεις. Quæ Portus sic reddidit:

[a] Chron.

[b] Versione Synopsis.

[c] Citatur etiam in *Hosea* in margine Cod. Card. *Barberini* cap. 4, 6, 7, 8, 9, 12.

[d] In Hos. c. 13. Joel 3. Amos 1. 4. Mich. 5. Nahum 1. 2. Hab. 2.

[e] Orig. lib. 6. cap. 3.

[f] Hugo de S. Victore de Script. c. 9.

[g] Schol. ad Hieron. l. 2. contra Ruff.

[h] An. 230.

[i] V. Ὠριγένης.

reddidit: *Et investigaret aliquas AMICORUM editiones, præter illos* LXX. *Interpretes, qui S. Scripturas sunt interpretati. Josephus Christianus* de Sexta hoc solum habet: Ἕκτη δὲ ἄλλη εὑρέθη ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ἀκτίοις, μετὰ τοῦ Ὠριγένους διωγμόν· Ἐξ οὗ αἱ ἑρμηνεῖαι τῶν γραφῶν εἰσι καὶ σώζονται. Euthymius: *Sexta sine Auctoris nomine reperta est Nicopoli apud Actium, sub Alexandro Mamm. Imp.* Auctor Præfationis ad Scholia in Psalmos S. Basilio adscripta ait eam inventam fuisse *Nicopoli Acatiæ*, l. *Actiæ*.

Comprehendit Editio SEXTA Prophetas *Minores*, librum *Psalmorum*, & *Canticum Cant.* Utrum alios aliquos libros, mihi non satis constat. In *Psalmis* non raro citatur; in Propheta *Habacuc*, ab *Hieronymo* ad cap. 2. & 3. In *Cantico*, apud Annotationes *Nobilianas* cap. 6. Insigni errore asserit [a] *Salmasius*, nec *Quintam* nec *Sextam*, ab *Hieronymo* usquam memorari. [a] De L. Hellenist.

Sunt qui credunt has Editiones *Quintam* & *Sextam* non fuisse proprie loquendo *Versiones*, sed coagmentatas fuisse ex aliis illis Versionibus LXX. *Aq. Theod.* & *Sym.* Verum hoc ex eo refellitur, quod aliquibus in locis ab omnibus illis dissentiebant.

A *Judæis* factas fuisse existimat *Hieronymus* lib. 2. adv. Ruff. *Magnis, ut scio, sumptibus redemisti Aquilæ, & Sym. & Th. Quintæque & Sextæ Editionis Judaicos Translatores.* Sextæ vero Editionis auctorem fuisse *Christianum* apparet ex illius interpretatione versus 13. Orationis Habacuc, quam ipse profert Hieronymus. *Sexta Editio prodens manifestissime Sacramentum, ita vertit ex Heb. Egressus es, ut salvares populum tuum per JESUM Christum tuum, quod Græce dicitur,* ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν τὸν Χριστόν σου. *Epiphanius*, cum dicit *Quintam* inventam fuisse *post Severi persecutionem*, videatur innuere se existimasse eam à Christiano quodam factam fuisse, & in dolio fuisse occultatam, sæviente ista persecutione, ut posteris conservaretur.

10. SEPTIMAM Editionem, etsi in *Hexaplis Origenis* exstantem, ignorabant *Epiphanius*, Auctor *Synopsis*, *Euthymius*, & *Josephus Christianus*. E quibus Auctor *Synopsis*, & *Euthymius*, quos vulgo sequuntur recentiores, pro *Septima* perperam recensent Editionem LUCIANEAM.

Editionem illam, quæ *Jerichunte* in dolio sub *Antonino Caracalla* inventa est, non aliam fuisse quam hanc *Septimam* ex *Eusebio* colligi posse [b] videatur. *Origenes* (inquit) aliorum quoque, qui præter LXX. Interpretes sacras Script. interpretati sunt, editiones, nonnullas denique interpretationes à tritis illis & vulgatis, Aquilæ scil. ac Symmachi ac Theodotionis diversas reperit. ὡς οὐκ οἶδ' ὅθεν ἔκ τινων μυχῶν τὸν πάλαι λανθανούσας χρόνον ἀνιχνεύσας, εἰς φῶς προήγαγεν. ἐφ' ὧν διὰ τὴν ἀδηλότητα, τίνος ἄρ' εἶεν οὐκ εἰδώς, αὐτὸ τοῦτο μόνον ἐπεσημήνατο, ὡς ἄρα τὴν μὲν εὕροι ἐν τῇ πρὸς Ἀκτίοις Νικοπόλει· τὴν δ' ἐν ἑτέρῳ τόπῳ τοιῷδε. ἔν γε μὴν τοῖς Ἑξαπλοῖς τῶν Ψαλμῶν μετὰ τὰς ἐπισήμους τέσσαρας ἐκδόσεις, οὐ μόνον πέμπτην, ἀλλὰ καὶ ἕκτην καὶ ἑβδόμην παραθεὶς ἑρμηνείαν, ἐπὶ μιᾶς αὖθις σεσημείωται, ὡς ἐν Ἱεριχοῖ εὑρημένης ἐν πίθῳ κατὰ τοὺς χρόνους Ἀντωνίνου τοῦ υἱοῦ Σεβήρου. *Quas quidem ille ex nescio quibus angulis erutas, in quibus jamdudum delituerant, primus in lucem produxit. Et cum obscurum incompertumque haberet cujusnam essent auctoris, hoc solum de ipsis adnotavit, alteram quidem à se repertam fuisse Nicopoli juxta Actium: alteram vero in alio quodam loco. Quinetiam in Hexaplis Psalmorum exemplaribus, post insignes illas 4. editiones, cum non Quintam modo, sed etiam Sextam ac Septimam apponeret versionem, rursus in principio unius notavit inventam illam fuisse Jerichunte in dolio, temporibus Antonini qui Severi filius fuit.* Pro, οὐ μόνον πέμπτην, ἀλλὰ καὶ ἕκτην καὶ ἑβδόμην, lego, cum *Valesio*, οὐ μόνον πέμπτην καὶ ἕκτην, ἀλλὰ καὶ ἑβδόμην, *non modo Quintam & Sextam, sed etiam Septimam*, & pro, ἐπὶ μιᾶς αὖθις, lego ἐπὶ αὐτῆς. Cum enim antea locutus sit *Eusebius* de Quinta & Sexta Editione ab Origene

[b] Hist. 6. 16.

reperta,

reperta, altera Nicopoli, altera alio in loco, hoc amplius addit, Origenem *in Hexaplis Psalmorum*, ubi *non Quintam & Sextam modo, verum etiam Septimam apposuit, in principio hujus notasse, inventam fuisse Jerichunte &c. Zonaram* autem hoc sensu plane Eusebium intellexisse, conspicuum est. καὶ τὰς πάντας ἡρμηνευκότων συναγαγὼν τὰ συγγράμματα, τῶν οβ΄. δηλαδὴ, τοῦ Ἀκύλα καὶ τοῦ Συμμάχου, καὶ τοῦ Θεοδοτίωνος, καὶ δύο ἄλλων ἀνωνύμων ἑρμηνέων (ἠγνόηνται γὰρ τὰ ἐκείνων ὀνόματα) ἐφιλοπόνησε τὰ τῶν Ἑξαπλῶν λεγομένων συγγράμματα. Ἐν δὲ τοῖς ψαλμοῖς καὶ ἑβδόμης μέμνηται ἑρμηνείας, ὡς ἐν Ἱεριχοῖ εὑρημένης. *Et colligens editiones eorum, qui Scripturas Hebr. interpretati sunt, viz.* LXXII. *Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & duorum aliorum Interpretum, quorum nomina ignorantur, volumina, quæ Hexapla dicuntur, compilavit. In Psalmis vero etiam Septimæ Interpretationis meminit, tanquam Jerichunte repertæ.*

a Lib. 5. c. 11. [a] *Nicephorus Callistus*, dum ex *Eusebio* scribit, omnia misere confundit ac perturbat: ὧν τὴν μὲν Ἰουδαῖός τις Ἀκύλας ὄνομα, πρὸς τὸ Ἑλληνικὸν μετερρύθμισε· καὶ μετ' αὐτὸν Σύμμαχος, ἄλλην δὲ Θεοδοτίων, καὶ ἕτερός τις ἀνώνυμος ἐκδεδώκασι· σοφοί γε καὶ κατ' ἄμφω δὴ τὰς παιδεύσεις ὄντες, τήν Ἑβραΐδα τε καὶ τὴν Ἑλληνα· ὧν αὐτὸς τὴν μέν φησιν εὑρεῖν, τῇ πρὸς Ἀρκτίῳ (l. Ἀκτίῳ) Νικοπόλει· τὴν δὲ ἐν ἑτέρῳ τοιῷδε τόπῳ· *Quarum editionum unam Judæus quidam Aquila nomine Græce vertit, post hunc Symmachus, aliam Theodotio, aliam deinceps innominatus quidam: qui sane omnes Hebraici & Græci sermonis egregie periti fuere. QUARUM TRANSLATIONUM quandam se Nicopoli, quæ ad Actium sita est, atque aliam alio tali quodam loco invenisse scribit.* Deinde subnectit: Ἐν δὲ τοῖς Ἑξαπλοῖς τῶν Ψαλμῶν, μετὰ τὰς τέσσαρας ἐπισήμους ἐκδόσεις, οὐ πέμπτην μόνον ἀλλὰ καὶ ἕκτην καὶ ἑβδόμην παραθεὶς ἑρμηνείαν ἐπισημαίνεται, ὡς ἐν Ἱεριχοῖ εὑρημένας ἐν πίθῳ κατὰ τοὺς χρόνους Ἀντωνίνου υἱοῦ Σευήρου. *In Psalmorum autem Hexaplis, post quatuor celebriores editiones, non quintam solam, sed & Sextam, atque adeo Septimam translationem se apposuisse ostendit, Jerichunte in dolio, temporibus Antonini Severi F. REPERTAS.*

b Lib. 6. c. 13. [b] *Ruffinus* in sua *Eusebii* Versione sive Compendio, sic locum oscitanter expressit, quasi Versiones plusquam *tres* Auctorum anonymorum repererit *Origenes. Ita ut præter istas quæ in usu sunt, Aquilæ, vel Symmachi, vel Theodotionis, inveniret etiam alias in absconditis ac secretis latentes: in quibus ne nomina quidem Interpretum reperit scripta. Hoc autem solum dicit de eis, quod aliam quidem in Actiaco littore apud Nicopolim, aliam in Hiericho, atque in ALIIS ALIAS repererit LOCIS.* Paulo post eadem oscitantia subnectit: *In Psalterio autem, & aliis nonnullis, interserit aliqua etiam de cæteris istis editionibus, quas quoniam sine nomine auctorum repererat, Sextam & Septimam editionem nominavit. Eusebii* denique verba apud [c] *Suidam* recitata *Æmilius Portus* perinepte sic interpretatur: & *alias quasdam à tritis vulgatis, & jam receptis interpretationibus discrepantes, illas scil. Aquilæ, & Symmachi, & Theodotionis, inveniret, quas ex arcanis quibusdam locis, nescio unde nactus, superiore tempore latentes, in lucem investigatas produxit.*

c V. πεζῶν.

d Resp. ad tertias Simonii Object. [d] *Is. Vossius* per ἐπὶ μιᾶς apud *Eusebium*, male intelligit, ἐπὶ μιᾶς σελίδος: Et una eademque columella ait *Sextam* & *Septimam* Versionem in Hexaplis exhibitam fuisse, *duabus dimidiatis pro una Versione computatis.* Quod fieri non potuit, cum non librorum diversorum, sed partim saltem eorundem fuerint Versiones illæ Sexta & Septima. In diversis itaque columellis dispositas fuisse necesse est. *Petavius* pro ἐπὶ μιᾶς αὖθις, substituit ἐπὶ μιᾶς πέμπτης· Audiamus vero quæ habet Cl. *Huetius* in *Origenianis*: *Eusebii* verba sic reddit: *In Hexaplis quidem Psalmorum, post insignes 4. Editiones, non Quintam solum, sed & Sextam & Septimam adjungens interpretationem, in singulas rursus columnas descripsit: utpote quæ Hierichunte reperta sit in dolio &c.* Deinde hæc subnectit: "Ἐπὶ μιᾶς (inquit)
"locutio

"locutio est Tactica, qua res significantur in unum versum collocatæ "à fronte ad tergum. Optime docet *Budæus* quid sint νῆες ἐπὶ μιᾶς πεπυγῶμαι, nempe naves ita instructæ, ut unica in fronte sit, reliquæ "pone sequantur in versum porrectæ. Ita ἐφ' ἑνὸς πλαγιάδιοι στρατιῶται, "milites sunt in unum versum à fronte ad tergum instructi. Hanc locutionem eleganter huc transtulit *Eusebius*: quoniam enim per longas & angustas columellas digestæ erant Editiones in Hexaplis, propterea ἐπὶ μιᾶς σεσημειωμένας esse dixit. Sua quoque vis inest vocabulo σημειῶ). σημειοῦν præter alias significationes, sonat etiam, *scriptum "aliquod ad aliud adjicere, adscribere.* Igitur ἐπὶ μιᾶς σεσημείωται, hoc "est, *in singulas columnas describens ad priores adtexuit.*" Hæc ille. Qui, etiam, ut *Eusebius* cum aliis, qui tradunt *Quintam* Editionem *Jerichunte* in dolio sub Imp. *Caracalla* fuisse inventam, concilietur, observat *Epiphanium* dicere una repertos fuisse libros alios, cum Hebraicos, tum etiam Græcos: ex his itaque fuisse Editionem quoque *Septimam*, opinatur *Huetius*.

Ex eo autem *Eusebii* loco, concludunt *Valesius*, *Huetius*, & *Vossius Septimam* Editionem *Psalmos tantum habuisse*. Alii etiam *Sextam* fuisse tantum *Psalmorum*, exinde conficiunt. Rectius ipse *Ruffinus* ait apud exemplaria Hexapla, *in Psalterio, & ALIIS NONNULLIS, interserta fuisse aliqua* ex Editione *Sexta* & *Septima*. De *Sexta* id falsum esse ex supradictis patet. De *Septima* mox patebit. Testatur enim *Hieronymus* cum *Sextam* tum etiam *Septimam*, *Prophetas Minores* habuisse. In Hab. 2. *Reperi exceptis quinque editionibus* (h. e. *præter 5. editiones*) *id est Aquilæ, Symmachi*, LXX. *& Theodotionis, & Quintæ, in duodecim Prophetis, & duas alias editiones, in quarum una scriptum est, &c.* In *Hieronymi* Comm. in *Prophetas*, nec *Sextam* nec *Septimam* editionem alibi quam in *Hab.* citatam reperio. Et ex hoc quoque loco apparet editionem *Quintam* non habuisse Prophetas omnes, sed tantum *Minores*: nec citatur unquam ab *Hieronymo* in Com. super *Prophetas Majores*.

Tantum abest ut editio *Septima* fuerit *Psalmorum* duntaxat, ut non immerito dubitaveris, utrum *Psalmos* omnino complexa sit, licet id constare videatur ex verbis *Eusebii*. Certe eam non fuisse *Psalmorum*, ex eo colligi posse videatur, quod ab *Hieronymo* nec in Ep. 135. ad *Sun.* & *Fret.* nec in 139. ad *Cyprianum*, nec 140. ad *Principiam*, nec 141. ad *Marcellam*, nec 145. ad *Damasum*, in quibus sæpe citantur 6. aliæ editiones *Psalmorum*, memoratur *Septima*. Sic etiam apud *Scholiasten* à *Nobilio* in suis Annotationibus editum, ad Psal. 48. *Quinta* οὐκ ὄψεται· *Aquila, Theodotio, Sexta*, LXX. οὐκ ὄψονται· *Symmachus* οὐ βλέποντες. Ad Psal. 118. *Aq. Theod. Sexta*, ἀπωθετιμῶντας· *Sym. & Quinta*, ἀθετιμῶντας. Ad Psal. 128. *Aq.* ὃ ἀρχῆθεν ἀνέθαλεν, ἐπεράσθη· *Theod. & Quinta Editio*, ἐκπατασθῆναι· *Sym.* ἐκκαυλῆσαι· *Sexta Ed.* ἐκστριφῶσαι. Nec ab eo, nec ab ullo Commentatore, citatur usquam *Septima*. Quid? quod nec ab ipso *Origene* in fragmento quod profert *Hieronymus Ep.* 138. *ad Marcellam*, ubi aliæ 6. Versiones de locis quibusdam *Psalmorum* citantur. Quin & nullam aliam *Psalmorum* exstitisse perspicue ibidem docet *Origenes* his verbis: *Atque ita cum talem UNIUSCUJUSQUE Editionis opinionem reperissemus. &c.* An dicendum, *Origenem* ea scripsisse antequam Editionem *Septimam* reperisset? Certe vel hoc dicendum, vel alia ratione corrigendus est *Eusebius*, elidendo scil. ista, καὶ ἑβδόμη. Hic loci non celandum est, *Hieronymum* ipsum [a] alibi testari, non modo *Quintam* & *Sextam*, sed & *Septimam* translationem fuisse *maxime eorum librorum, qui apud Hebræos versu compositi sunt*. Quinam autem libri metro sint conscripti, ipse docet Præf. in *Job* ex Heb. conversum; nempe *Job* maxima ex parte, *Psalterium*, *Lamentationes*, & *Cantica*. Præfatione

[a] Com. in Titum loco mox producendo.

tione in Versionem *Esaiæ*, *Psalmos* tantum & *Opera Solomonis* tanquam metro conscripta memorat.

In margine pervetusti Cod. Card. *Barberini*, qui Prophetas Minores complectitur, ad Orationem Prophetæ Habacuc, hæc adnotantur: Τὴν ᾠδὴν τῦ Αμβακὺμ ἐχ εὗρον συμφωνῦσαν ὅτε τοῖς ο'. ὅτε Ακύλα, ὅτε Συμμάχῳ, ὅτε Θεοδοτίωνι· ζήτησις ἐῶ εἰ τῆς ε'. ἢ τῆς ϛ'. ἐκδόσεώς ἐςιν. Ignorabat iste adnotator, Prophetæ illius Versionem *Septimam* exstitisse: nec mirum tamen, quandoquidem, ut apparet, *Hexapla* non consuluisset.

In margine *Marchaliani* exemplaris *Esaiæ*, citantur passim οἱ Γ. i. e. οἱ τρεῖς. Ostendimus supra, quod *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotio*, οἱ τρεῖς nominari solent: veruntamen necesse est ut in Codice *Marchaliano* alios ab illis intelligamus, cum οἱ Γ'. & Α. Σ. Θ. tanquam diversi sub eodem conspectu [a] sæpe citantur; & nonnullis in locis ad eandem vocem: ut cap. 42. 9. οἱ Γ. ἀναγγεῖλαι, Θ. βλαςῆσαι. Α. ἀναφωνῆσαι. & cap. 66. 8. ὅμοιως οἱ Γ. οἱ ο'. Η. ὁμώως Α. Θ. Num istinc inferre liceat *Quintam*, *Sextam*, & *Se-Septimam* editionem *Esaiam* comprehendisse, easque per τὰς Γ. in eo exemplari intelligi? Sed *Esaiam* in eis non fuisse comprehensum, aliunde manifestum videtur: & si per τὰς Γ. designentur tres illi Interpretes anonymi, unde est quod separatim ne semel quidem citentur? Placet itaque conjectura *Waltoni*, designari tres vulgares editiones *Pamphili*, *Luciani*, & *Hesychii*, quæ maxima ex parte inter se conveniebant.

[a] P. 262. 269. 295. 375. 412. 419.

[b] *Sixtus Senensis* negat *Septimam* Ed. in Origenis *Hexaplis* aut *Octaplis* locum habuisse. Quod refellitur non modo ex ipsis *Eusebii* verbis, si modo ea recte se habent, aliisque Scriptoribus, qui eum sequuntur: verum etiam ex *Hieronymo* in *Catalogo*; ubi ait *Origenem, præterea Quintam & Sextam & Septimam editionem, quas etiam nos* (inquit) *de ejus Bibliotheca habuimus, miro labore reperisse, & cum cæteris editionibus COMPARAVISSE*, i. e. in Hexaplis. Idem Com. in Epist. ad *Titum* cap. 3. *Unde & nobis curæ fuit omnes Veteris Legis libros, quos vir doctus Adamantius in exempla digesserat, de Cæsariensi Bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare, in quibus & ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta, & Græcis literis tramite expressa vicino, Aquila etiam & Symmachus*, LXX. *quoque & Theodotio suum ordinem tenent. Nonnulli vero libri, & maxime hi, qui apud Hebræos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent, quam Quintam & Sextam & Septimam translationem vocant, auctoritatem sine nominibus Interpretum consecutas. Hæc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit, ut non magnopere pertimescamus supercilium Judæorum, solutis labiis, & obtorta lingua, & stridente saliva, & rasa fauce gaudentium.* Editiones *Quintam*, *Sextam*, & *Septimam*, *licet quibus censeantur auctoribus ignoretur, tamen ita probabilem sui diversitatem tenere, ut auctoritatem sine nominibus meruerint*, testatur rursus *Hieronymus Præfat. Chronici Euseb.*

[b] Bibl. lib. 8.

[c] *Jo. Wowerius* contendit alias quasdam fuisse ἀνωνύμες Versiones præter 5[m], 6[m], & 7[m]: nempe aliam ab illis fuisse quam commemorat B. *Augustinus* De Civ. lib. 18. & *Quintam* dici testatur, his verbis: *Sacra eloquia transtulerunt Aq. Sym. Theodotio, sicut etiam est interpretatio illa cujus auctor non apparet, & ob hoc sine nomine Interpretis Quinta Editio nuncupatur.* Hanc, inquit *Wowerius*, cujus meminit *Augustinus*, oportet fuisse antiquam & usu receptam, cum *Vulgaris* appellatur ab *Isidoro Hisp. cum Nicopolitana* (inquit) *brevi nascentibus aliis occidit.* Hæc ille: Sed non digna sunt quæ refutentur.

[c] De Script. Interp. cap. 9.

Ut nec illa quæ habet [b] *Hugo de S. Victore*, qui asserit *Sextam* & *Septimam* ab ipso *Origene* fuisse factas. *Secundam* (inquit) *& tertiam & quartam translationem fecerunt Aquila, Symmachus, Theodotion. Quorum primus, viz. Aquila, Judæus: Symmachus vero & Theodotion Hebionitæ heretici fuerunt.*

fuerunt. Obtinuit tamen usus ut post LXX. *Intt. Ecclesiæ Græcorum eorum reciperent exemplaria & legerent: Post hæc accessit Quinta, quæ Vulgaris dicitur: quæ quodam tempore in Hierico reperta est. Sed quis auctor ejus fuerit, usque hodie ignoratur. Sextam & Septimam Origenes fecit, cujus codices Eusebius & Pamphilus vulgaverunt.*

Græcorum horum omnium Interpretum fragmenta, collegit ac edidit *Jo. Drusius.*

CAP. II.

De Origenis Hexaplis, Octaplis, & Tetraplis. Hexapla *&* Octapla *fuisse eadem volumina* 1. 2. 3. Pentaselidon *quid* 3. *Doctorum virorum hallucinationes variæ.* 4 *&c. Textum* Samariticum *in Hexaplis non fuisse comprehensum* 7. *Utrum* Tetrapla *post* Hexapla *contexta fuerint.* 8. *De ratione ordinis editionum variarum in Hexaplis.* 10. Asteriscorum, Obelorum, Limniscorum, *&* Hypolimniscorum, *descriptio & usus.* 11. *Quæ suppleta sunt in* LXX. *sub Asteriscis, ex* Theodotione *potissimum fuisse desumpta.* 13. *In Editione* LXX. *Hexaplari reducta fuisse, quæ confusa sunt, ad ordinem Textus Heb.* 15. *Utrum in Hexaplis in versus divisæ fuerint Scripturæ.* 16. *Editionem* LXX. *asteriscis & obelis signatam, fuisse eandem cum Hexaplari.* 17. *In* Tetraplis *nullos fuisse Asteriscos & Obelos.* 18. *In Hexaplis non fuisse duas τῶν* LXX. *editiones.* 19. *Asterisci & Obeli in aliquibus vulgaribus Codicibus.* 20. *De Editione* Κοινῇ. 11. 19. &c. *Editionem τῶν* LXX. *Hexaplarem fuisse puriorem.* 19. 22. *Non tamen immaculatam.* 23. 24. *Origenem non ex uno aliquo exemplari, sed ex variis, eam adornasse.* 23. *Editio* Hexaplaris *&* Κοινὴ *quomodo differebant in Psalmis.* 25. *quomodo in Esaia.* 26. Hexapla &c. *quo tempore composita.* 28. *Origenes ob illud opus inter* Interpretes *male recensitus.* 29. *Hexaplorum autographum in Bibliotheca Cæsariensi.* 30. *Editionem τῶν* LXX. *Hexaplarem à* Pamphilo *&* Eusebio *publici juris factam fuisse.* 31. *Cur* Palæstina *dicta.* ibid. *Illius quæ supersunt reliquiæ.* 32. *In Editione Theodotionis nullos appositos fuisse Asteriscos &c.* 33. *De* S. Pamphilo. 34. Eusebii *in bis literis quanta auctoritas.* 35. *Quare eam emiserunt editionem. Hexapla quam rara Hieronymi tempore.* 36. *De* Origenis *&* Pierii *Exemplaribus Novi Testamenti.* 38.

DE Origenis HEXAPLIS, sive OCTAPLIS, & TETRAPLIS, multi scripsere, perpauci vero recte, nemo plene. Primus omnium ex professo docteque de illis tractavit *Jac. Usserius*, Antistes Armachanus, in *Syntag. de Ed.* LXX. *Interpretum*: sed aliquando dormitat etiam *bonus* ille *Homerus*. Cl. *Huetius* in [a] *Origenianis* de illis copiose ac erudite disserit. Neque is tamen veritatem ubique assecutus est, neque omnia complectitur, quæ videntur scitu digna.

[a] Lib. 3. c. 1. sect. 4.

HEXAPLA & OCTAPLA idem opus fuere; in quo columellis variis è regione appositæ sunt, & simul sub aspectum datæ, Editiones variæ T. V. 1. Textus Heb. characteribus Heb. 2. Textus idem literis Græcis, 3. Versio *Aquilæ*, 4. *Symmachi*, 5. LXX. 6. *Theodotionis*, 7. *Quinta*, 8. *Sexta*, 9. *Septima*. Quia vero Editio *Septima* comparuit tantum in libris Scripturæ paucissimis, ideo, quasi nulla istius habita ratione, volumina illa nominata sunt, non *Enneapla*, sed *Octapla* sive *Octaselida*. Et quia *Quinta* & *Sexta* non comparuere in prioribus libris, sed tantum in quibusdam ex posterioribus, idcirco ab aliis, idque frequentius (sive ab ipso etiam Auctore) appellata sunt, *Hexapla*, i. e. *Sextuplicia*, à 6. variis columellis, quæ in libris prioribus conspiciebantur. In alio opere, columellis 4. conjunxit *Origenes* tantum 4. Editiones, *Aquilæ*, *Sym.* LXX. & *Theodotionis*; quæ volumina à 4. columellis nuncupata sunt *Tetrapla*, h. e. *Quadruplicia*. En tibi jam vera descriptio ac ratio istorum voluminum celeberrimorum, de quibus reperiuntur tot & tantæ doctorum Virorum hallucinationes. Mecum vero hac in parte omnino consentire Eruditiss. *Huetium* nuper

 animadverti.

a De Doctr. & lib. Orig. animadverti. *Hexaplorum* autem nomen deducit [a] *Erasmus* non à numero ἕξ, sed à verbo ἐξαπλόω, *explano*: male, ut patet cum ex re ipsa, b Cent. 3. c. 10. tum ex aliis illis vocabulis, *Tetraplum* & *Octaplum*. Sic quoque [b] *Magdeburgenses*: *Hoc opus ἑξαπλᾶ dicitur, quemadmodum Epiphanius legit: seu* c Praef. Glossae Ordinar. *potius ἐξαπλᾶ, ut Erasmus, à simplici explanatione.* Alius [c] quidam incertus: *Dicti isti libri fuerunt ἑξαπλᾶ ab ἕξ Graece, quasi sextupla. Vel dicitur ἐξαπλᾶ, quasi liber habens 6. translationes rectas vel rectificatas.*

d Cap. 18. 19. 2. Secundum *Epiphanium* in [d] libro *de Pond. & Mens.* (cujus auctoritate recentiores vulgo in fraudem inducti sunt) *Hexapla* & *Octapla* diversa fuere volumina. Ea vero describit ille his verbis: *In persecutione Decii Origenes quamvis multa sit passus, martyrii exitum minime est adeptus. Qui Caesaream Stratonis primum, inde Hierosolyma sese conferens, paululum istic moratus, Tyrum postea concessit. Ubi annorum 28. spatio degens, cum severissimam, uti ferunt, vitae disciplinam instituit, tum ad Scripturarum enarrationem animum adjecit:* ὅτι καὶ τὰ Ἑξαπλᾶ, καὶ τὰς δύο τῶν Ἑβραϊκῶν σελίδας ἄντικρυ ἐκ παραλλήλου μιᾶς ἑρμηνείας πρὸς τὴν ἑτέραν συνέθηκεν, ἑξαπλᾶς τὰς βίβλους ὀνομάσας, καθάπερ μοι ἄνω διὰ πλάτους εἴρηται. Εὑρὼν δὲ τῆς πέμπτης, καὶ ἕκτης ἐκδόσεως τὰς βίβλους, καθ' ὃν εἴπομεν τρόπον, καὶ μὴ γνοὺς, τίνες εἶεν οἱ ἑρμηνεύσαντες αὐτὰς, καθ' οὓς εὑρέθησαν χρόνους, ταῖς πρὸ αὐτῶν τέσσαρσιν ἀκολούθως τῇ παραθέσει συνυφήνας, τὴν μίαν πέμπτην ὠνόμασεν, ἐπιγράψας διὰ τοῦ πέμπτου στοιχείου τῆς πέμπτης τὸν ἀριθμὸν, καὶ δηλώσας τὸ ὄνομα· ὡσαύτως δὲ καὶ τὴν τὸ ἐπίσημον ἐπιγράψας τὸ τῆς ἕκτης ἑρμηνείας ὄνομα ἐδήλωσεν· ἀλλὰ καὶ τεχνικῶς τοῦτο εἰργάσατο, ὅπερ τῶν φιλολόγων τινὰς λανθάνει. ἐντυγχάνοντες γὰρ τοῖς Ἑξαπλοῖς, ἢ Ὀκταπλοῖς· Τετραπλᾶ γάρ εἰσι τὰ Ἑλληνικὰ, ὅταν αἱ τοῦ Ἀκύλα, καὶ Συμμάχου, καὶ τῶν οβ'. καὶ Θεοδοτίωνος ἑρμηνεῖαι συντεταγμέναι ὦσι. τῶν τεσσάρων δὲ τούτων σελίδων ταῖς δυσὶ ταῖς Ἑβραϊκαῖς συναφθεισῶν, Ἑξαπλᾶ καλεῖται. ἐὰν δὲ καὶ πέμπτη καὶ ἡ ἕκτη ἑρμηνεία συναφθῶσιν, ἀκολούθως τούτοις Ὀκταπλᾶ καλεῖται. τινὲς τοίνυν, ὡς ἔφην, ταύταις ταῖς βίβλοις ἐντυγχάνοντες, καὶ εὑρίσκοντες τὰς δύο Ἑβραϊκὰς ἐν πρώτοις κειμένας, μετὰ ταύτας δὲ τὴν τοῦ Ἀκύλα τεταγμένην, μεθ' ἣν καὶ τὴν τοῦ Συμμάχου, ἔπειτα τὴν τῶν οβ'. μεθ' ἃς ἡ τοῦ Θεοδοτίωνος συντέτακται, καὶ ἑξῆς ἡ πέμπτη τε καὶ ἕκτη. &c. *Quo tempore Hexapla illa sua composuit, Hebraicis duabus columellis adjectis; atque unam ex adverso alterius opposuit, eosque libros Hexaplos nominavit, uti supra copiosius explicavimus. Porro cum Editionis V. & VI. libros eo, quo diximus, modo reperisset, nec de auctoribus constaret, habita temporum quibus inventa sunt ratione, primum ad superiores illas 4. consequenter unam attexuit, quam Quintam appellari voluit, & inscripta quinta litera, ordinem illius ostendit. Idem & in Sexta fecit, quam episemo superscripta, editionis Sextae nomine vulgavit. Qua in re singulare quoddam inest artificium, quod eruditos plerosque latere solet. Qui cum Hexapla, vel Octapla legunt: (nam Tetrapla 4. Graecis Editionibus constant; cum nimirum Aquilae translatio priore loco posita, tum Symmachi, deinde* LXXII. *ac postremo Theodotionis in unum corpus conflantur. Quibus si Hebraicae duae editiones accesserint, Hexapla vocantur. Quod si V. & VI. Editionem adjunxeris, consequens est, ut Octapla nominentur.) Sed cum libros illos quidam, uti diximus, evolvunt, & priores illas duas editiones Heb. vident, ac deinceps Aquilae, tum Symmachi, inde LXX. Seniorum, deinde Theodotionis, postremo V. atque VI. &c.* Cum nullam mentionem *Septimae*, tanquam in *Octaplis* exstantis, faciat *Epiphanius*, liquet illum Volumina illa accurate nunquam pervolvisse, vel istius tum oblitum fuisse, cum illa scripsit. Nam ex illis quae superius dicta sunt, certissimum est, in illis eam voluminibus fuisse repertam. Et hac de causa, *Hexapla* ab *Octaplis* diversa fuisse existimavit, quod cum *Tetrapla* & *Octapla* vidisset, ex altero illo *Hexaplorum* nomine conjectatus est, tertiam quandam exstitisse Editionem. *Octaplorum* autem descriptionem, absque ulla mentione aut *Hexaplorum* aut *Tetraplorum*, ex *Epiphanio* descriptam,

ſcriptam, habes in Præfatione Pentateuchi Arabici, cujus exſtant bina exemplaria inter MSS. *Laudina*, cujus partem Latine edidit Cl. [a] *Edv. Bernardus. Interpretationum librorum prædictorum reperiebantur in manibus Judæorum 6. exemplaria, quæ omnia concinnavit, & inter ſe contulit Origenes. — Hæ Interpretationes cum in Origenis manus incidiſſent, ille animadverſa magna illa quæ inter eas erat in verbis diſcrepantia, cum ſenſu convenirent, eſſeque quæ redundarent alicubi, & deficerent in ſola verborum explicatione, in bonum ordinem opus ſumma cura redegit, contulitque cum Hebræorum libris, poſtquam linguam populi illius & ſcripturam calluerat, & ex his omnibus Volumen grande confecit, quod in* 8. *ordines diſpeſcuit. Horum* 1[us] *continebat Scripturam Heb. ſermone ac literis Heb.* 2[dus] *Scripturam Græcam, ſermonem vero plane Hebraicum inſtar præcedentis, ut ita Græce ea legerent, qui ſcripturam Heb. nequaquam callerent.* 3[tius] *Verſionem Aquilæ, aut ſignum* (A) *Alpha Græcum, primam ſcil. nominis ejus literam appoſuit.* 4[tus] *Verſionem Symmachi, quam appoſita prima nominis ejus litera* Σ *notavit.* 5[tus] *Verſionem LXXII. quam literis Ain & Beth numerum* LXXII. *exprimentibus notavit.* 6[tus] *Verſionem Theodotionis, quam litera* Θ *prima nominis ejus litera notavit.* 7[us] *Interpretationem Jerichunte inventam, cujus Auctoris nomen cum lateret, litera He, ſigno numeri quinarii eam notavit.* 8[us] *Verſionem Nicopoli inventam, cujus itidem Auctor, cum nomine notus non eſſet, Sexti notam ei indidit, quam litera Vaw, ejus numeri indicio, ſignavit. — — Atque hæc ſumma eſt eorum quæ narrantur de ſex iſtis Verſionibus Græcis, quæ in manus Symmachi* (*l.* Origenis) *pervenerunt, ex quibus conflatum eſt volumen illud, quod in* 8. *ordines diſpeſcuit, titulo Octapla.*

[a] Ad finem Ariſteæ Oxon.

Hexapla vero & *Octapla*, non diverſa fuiſſe volumina, ſed prorſus eadem, quicquid dicit *Epiphanius*, argumentis evidentiſſimis evinci poteſt. 1. Teſtimonio luculentiſſimo *Euſebii*, auctoris longe magis, quin & maxime, idonei. Qui de hac *Origenis* opera ex profeſſo agens, commemorat tantum *Hexapla* & *Tetrapla*: & *Hexapla* comprehendiſſe Verſiones omnes teſtatur. Hiſt. VI. 16. Ἐν γε μὴν τοῖς Ἑξαπλοῖς τῶν Ψαλμῶν μετὰ τὰς ἐπισήμους τέσσαρας ἐκδόσεις, οὐ μόνον πέμπτην, ἀλλὰ καὶ ἕκτην καὶ ἑβδόμην παραθεὶς ἑρμηνείαν, ἐπὶ μιᾶς αὖθις σεσημείωται· ὡς ἐν Ἱεριχοῖ εὑρημένης ἐν πίθῳ κατὰ τοὺς χρόνους Ἀντωνίνου τοῦ υἱοῦ Σεβήρου. ταύτας δὲ ἁπάσας ἐπὶ ταυτὸν συναγαγὼν διελών τε πρὸς κῶλον, καὶ ἀντιπαραθεὶς ἀλλήλαις μετὰ καὶ αὐτῆς τῆς Ἑβραίων σημειώσεως, τὰ τῶν λεγομένων Ἑξαπλῶν ἡμῖν ἀντίγραφα καταλέλοιπεν. ἰδίως τὴν Ἀκύλου καὶ Συμμάχου καὶ Θεοδοτίωνος ἔκδοσιν ἅμα τῇ τῶν ἑβδομήκοντα ἐν τοῖς Τετραπλοῖς ἐπικατασκευάσας. *Quinetiam in HEXAPLIS Pſalmorum exemplaribus* (*Portus* apud *Suidam* ridicule vertit, *in ſexta interpretatione Pſalmorum*) *poſt inſignes illas* 4. *editiones cum non Quintam modo ſed etiam Sextam ac Septimam apponeret Verſionem* (de hoc loco vide quæ diximus cap. præced.) *rurſus in principio unius notavit, illam inventam fuiſſe Jerichunte in dolio, temporibus Antonini filii Severi. Has igitur omnes interpretationes cum in unum corpus collegiſſet, & per certa cola ac membra diſtinxiſſet, & ſibi invicem è regione oppoſuiſſet, una cum ipſo Heb. Textu; HEXAPLORUM nobis exemplaria reliquit. Separatim vero Editionem Aquilæ & Symmachi ac Theodotionis cum* LXX. *Interpretum Verſione in TETRAPLIS digeſſit.* Euſebium pene verbatim ſequitur *Zonaras*. 2. In *Renati Marchali* Codice *Eſaiæ* & *Ezechielis*, ubi dicitur illud exemplar ex *Origenis* Hexaplis deſcriptum fuiſſe, & cum Tetraplis collatum, *Octaplorum* nulla fit mentio. Digniſſima ſunt ea quæ hoc in loco proferantur. Editum autem eſt Exemplar Eſaiæ *Marchalianum* una cum *Procopii* Commentariis à *Jo. Curterio*, hac nota præfixa: Μετελήφθη ὁ Ἠσαΐας ἀπὸ ἀντιγράφου τοῦ ἀββᾶ Ἀπολιναρίου τοῦ κοινοβιάρχου, ἐν ᾧ καθυπέκειτο ταῦτα· Μετελήφθη ὁ Ἠσαΐας ἐκ τῶν κατὰ τὰς ἐκδόσεις ἑξαπλῶν. ἀντεβλήθη δὲ καὶ πρὸς ἕτερον ἑξαπλοῦν, ἔχον τὴν παρασημείωσιν ταύτην· Διώρθωται ἀκριβῶς πᾶσαι αἱ ἐκδόσεις. ἀντεβλήθησαν γὰρ πρὸς τε-

τετραπλῶν Ἠσαΐαν· ἔπι δὲ καὶ πρὸς ἑξαπλῶν. πρὸς τούτοις, καὶ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, ἕως τοῦ ὁράματος Τύρου, ἀκριβέστερον διώρθωται. εὐπορήσαντες γὰρ τῶν μέχρι πάλιν τοῦ ὁράματος Τύρου, τόμων ἐξηγητικῶν εἰς τὸν Ἠσαΐαν Ὠριγένους, καὶ ἀκριβῶς ἐπιστήσαντες τῇ ἐννοίᾳ καθ᾽ ἣν ἐξηγήσατο ἑκάστην λέξιν καθ᾽ ὡς οἷόν τε ἦν, καὶ πᾶν ἀμφίβολον κατὰ τὴν ἐκείνου ἔννοιαν διωρθωσάμεθα. πρὸς τούτοις συνεκρίθη ἡ τῶν ἑβδομήκοντα ἔκδοσις, καὶ πρὸς τὰ ὑπὸ Εὐσεβίου εἰς τὸν Ἠσαΐαν εἰρημένα. καὶ ἐν οἷς διεφώνουν, τῆς ἐξηγήσεως τὴν ἔννοιαν ζητήσαντες, πρὸς αὐτὴν ἐδιωρθώσαμεν. *Descriptus est Esaias ab exemplari patris Apolinarii Cœnobiarchæ, in quo ad finem isthæc adjiciuntur:* Desumptus est Esaias ab Editione HEXAPLORUM: collatus autem cum HEXAPLO alio, in quo ista adnotantur; *Accuratæ editiones omnes correctæ sunt. Collatæ enim fuerunt cum TETRAPLO Esaiæ, & cum HEXAPLO. Adhæc ab initio etiam, usque ad Visionem Tyri, accuratius emendatus est. Usi enim sumus ad finem usque Visionis, quæ de Tyro est, Tomis Origenis; in quibus Esaiam explicat: & sedulo advertentes quo sensu singulas dictiones sumpsisset, quantum potuimus, omne dubium ex sensu ipsius correximus. Præterea collata est etiam quæ LXX. virorum est editio, cum iis, quæ in Esaiam scripsit Eusebius; atque in quibus erat varietas, ex indagato explicationis sensu eam ipsi quoque correximus.* Ante *Ezechielem* hæc nota apposita est: Μετελήφθη δὲ ἀπὸ ἀντιγράφου τοῦ ἀββᾶ Ἀπολιναρίου τοῦ κοινοβιάρχου, ἐν ᾧ καθυπέκειτο ταῦτα· Μετελήφθη ἀπὸ τῆς κατὰ τὰς ἐκδόσεις ἑξαπλῶν, καὶ διωρθώθη ἀπὸ τῶν Ὠριγένους αὐτοῦ τετραπλῶν, ἅτινα καὶ αὐτοῦ χειρὶ ἐδιώρθωτο, καὶ ἐσχολιογράφητο. ὁ Εὐσέβιος ἐγὼ σχόλια παρέθηκα· Πάμφιλος καὶ Εὐσέβιος ἐδιωρθώσαντο. "*Desumptus est ab exemplari patris Apolinarii Cœnobiarchæ, in quo adjiciun-* "*tur quæ sequuntur:* Exscriptus est ab editionum HEXAPLIS, & cor- "rectus adhibitis Origenis ipsius TETRAPLIS, quæ etiam manu ejus "emendata sunt, & scholiis illustrata. Ego Eusebius scholia adjeci. "Pamphilus & Eusebius correxerunt." Servatur hoc exemplar Prophetarum apud Jesuitas Parisienses Claromontanos sub titulo Codicis *Rupefucaldiani*; in quorum manus devenit post mortem Cardinalis *Rupefucaldii*. In illius vero Bibliothecam ex *Marchaliana* translatum est. 3. Inter tot loca ubi ab *Hieronymo* & *Theodoreto &c.* citantur *Hexapla*, commemorantur nnnquam *Octapla*: quod fieri non potuisset, si *Octapla* fuissent diversa & potiora volumina. 4. A *Scholiasta* Græco commemorantur tantum *Octaselida* & *Tetraselida*, nusquam *Hexselida*, quæ tamen haud dubio commemorasset, si ab aliis utrisque fuissent diversa. Ad Psal. 86. τὸ (ρῶ) κατὰ προσθήκην ἔκειτο εἰς τὴν τῶν ό. ἐν τῷ Τετρασελίδῳ, ἐν δὲ τῷ Ὀκτασελίδῳ μήτηρ Σιών. *Illud ρ per additionem positum est in Vers.* LXX. *in Tetraselido. In Octaselido autem est,* μήτηρ Σιών. Ad Psal. 87. ἀπ᾽ ἐμοῦ] *apud* LXX. *in Tetraselido positum est,* ἐπ᾽ ἐμοῦ, *super me, ne forte erratum sit in Octaselido,* ἀπ᾽ ἐμοῦ. Ad Psal. 131. *& requiem*] οὗτος ὁ στίχος οὐκ ἔκειτο ἐν τῷ Τετρασελίδῳ, παρὰ τῷ Θεοδοτίωνι μόνῳ, ἀντὶ τοῦ, τοῖς βλεφάροις μου, ἔκειτο, τοῖς κροτάφοις μου νυσταγμόν· ἐν δὲ τῷ Ὀκτασελίδῳ, παρὰ μόνοις τοῖς ό. ἔκειτο ὠβελισμένον. *Hic versus non est positus in Tetraselido. Apud solum Theodotionem, pro* Palpebris meis, *positum est,* temporibus meis dormitationem. *In Octaselido autem apud solos* LXX. *positus est obelo notatus.* Tetraselidon rursus citatur ad Psal. 12. 72. & 117. *Octaselidon* ad Psal. 136. Deniqne *Epiphanius* ipse in eodem opere *De Pond. & Mens.* nempe cap. 7. *Hexapla* etiam complexa fuisse 6. Versiones testatur: τὰς ἓξ ἑρμηνείας, καὶ τὴν Ἑβραϊκὴν γραφὴν Ἑβραϊκοῖς στοιχείοις, καὶ ῥήμασιν αὐτοῖς ἐν σελίδι μιᾷ συνθεὶς, ἄλλην σελίδα ἀντιπαράθετον οἱ Ἑλληνικῶν μὲν γραμμάτων, Ἑβραϊκῶν δὲ λέξεων πρὸς κατάληψιν τῶν μὴ εἰδότων Ἑβραϊκὰ στοιχεῖα, εἰς τὸ διὰ τῶν Ἑλληνικῶν εἰδέναι τῶν Ἑβραϊκῶν λογίων τὴν δύναμιν. καὶ οὕτως τοῖς λεγομένοις ὑπ᾽ αὐτοῦ ἑξαπλοῖς ἢ Ὀκταπλοῖς, τὰς μὲν δύο Ἑβραϊκὰς σελίδας, καὶ τὰς ἓξ τῶν ἑρμηνευτῶν ἐκ παραλλήλου ἀντιπαραθεὶς, μεγάλην ὠφέλειαν γνώσεως ἔδωκε τοῖς φιλοκάλοις. *Cum ad editiones 6. Hebraicam adjecisset, suis ac propriis vocibus, literisque constantem, & una columella comprehensam,*

hensam, aliam insuper & oppositam addidit, quæ Heb. voces Græcis literis ac figuris exaratas contineret: ut qui Hebraice nescirent, Græcorum elementorum beneficio Hebraicarum sententiarum vim ac potestatem intelligerent. Itaque in voluminibus ab eo dictis HEXAPLIS VEL OCTAPLIS, cum Hebraicas duas paginas 6. Interpretum editionibus oppofuisset, plurimum studiosis hominibus ad eruditionis ac doctrinæ copiam utilitatis attulit. Idem rursus in *Panario* Hær. 64. Versiones 6. & 2. columellas Hebraicas in *Hexaplis* fuisse comprehensas, diserte testatur: *Origenes*, inquit, *Tyri apud Ambrosium vitam agens magnis vigiliis ingentique otio enarrandæ Scripturæ laborem prosecutus est.* ὅθεν τὸ πρῶτον αὐτὸ ἐπιμελῶς ἐφιλοτιμήσατο, συναγαγεῖν τὰς ἑρμηνειῶν, Ἀκύλα, Συμμάχου, τῶν τε Ἑβδομήκοντα δύο, καὶ Θεοδοτίωνος, Πέμπτης τε καὶ Ἕκτης ἐκδόσεως, μετὰ παραθέσεως ἑκάστης λέξεως Ἑβραϊκῆς, καὶ αὐτῶν ὁμοῦ τῶν στοιχείων, ἐκ παραλλήλου δὲ ἀντικρὺς δευτέρα σελίδι χρώμενος κατὰ σύνθεσιν Ἑβραϊκὴν μὲν τῇ λέξει, [a] Ἑλληνικοῖς δὲ τοῖς γράμμασι, ἑτέραν πάλιν πεποίηκε σύνθεσιν· ὡς εἶναι μὲν ταῦτα καὶ καλεῖσθαι Ἑξαπλᾶ, ἐπὶ τὰς Ἑλληνικὰς ἑρμηνείας, δύο ὁμοῦ παραθέσεις τῆς Ἑβραϊκῆς φύσει, δι' Ἑβραϊκῶν καὶ Ἑλληνικῶν στοιχείων. ὥστε εἶναι τὴν πᾶσαν παλαιὰν Διαθήκην δι' Ἑξαπλῶν καλουμένων, καὶ διὰ τῶν δύο Ἑβραϊκῶν ῥημάτων. Ταύτην ὁμοῦ πᾶσαν τὴν πραγματείαν ὁ ἀνὴρ μετὰ καμάτου πεφιλοτίμηται. *Primum ei studium fuit 6 in unum Interpretationes conferre, Aquilæ, Symmachi,* LXXII. *Theodotionis, una cum Editione* V. *ac* VI. *quibus singulas Hebraitas dictiones propriis elementis perscriptas addidit: tum ex adverso altera in columella contextum alterum fecit ex Hebraicis dictionibus Græcis literis exaratis. Hunc in modum volumina illa, quæ Hexapla dicuntur, composuit: quæ præter Græcas editiones duas insuper Hebraici sermonis columnas contiuent, alteram Græcis elementis conscriptam: adeo ut Vetus omne Testamentum tam Hexaplis ejusmodi, quam duplici Hebraicorum vocabulorum contextu comprehensum fuerit. Hoc opus summo ille cum labore perfecit.* Quem locum *Epiphanii* nominatim sequitur *Cedrenus* dum sic scribit: Τοῦ δὲ Ὠριγένους ἔν τε ἀγρυπνίαις καὶ πολυπειρίαις ὑπερβαλλούσης, καὶ σχολῇ μεγίστῃ τὸ περὶ τὰς γραφὰς διαλάμποντος κάματον, καὶ πᾶσαν τὴν καλουμένην τῶν Ἑξαπλῶν πραγματείαν καὶ τῶν λοιπῶν ὁ ἀνὴρ μετὰ καμάτου πεφιλοτίμηται. οὐ μόνον γὰρ τὰς ἐπισήμους ἐκδόσεις κατὰ ταὐτὸν συνήγαγεν, ἀλλὰ καὶ πέμπτην καὶ ἕκτην κατὰ σὺν χρόνους τούτους ἐν Ἱεριχῷ παρατυχὼν ἐν ἑνὶ πίθῳ, ταύτας συνέταξεν· ἐπὶ ταὐτὸν ἐν πάσας συναγαγὼν, διελὼν δὲ καὶ ἀντιπαραθεὶς ἀλλήλων μετὰ αὐτῆς τῆς Ἑβραίων σημειώσεως τὰ τῶν λεγομένων Ἑξαπλῶν ἀντιγράφων εὐφυῶς μάλα καὶ ἐπισημώνως ἐκ πολυπειρίας κατεσκεύασεν. *Origenes vigiliis ac industria incredibilibus opus divinæ Scripturæ elaboravit, ac quæ appellantur Hexapla, & reliqua omnia magno labore confecit. Non enim tantum insignes istas editiones collegit, sed & V. & VI. Jerichunte in dolio inventas adjecit; omnibusque in unum compositis, dispositisque, ita ut ordine inter se omnia sibi, Hebraicoque etiam quem addebat textui responderent, Hexapla ista scite admodum atque docte pro sua peritia concinnavit.*

[a] *Huetius* corrigit Ἑλληνικῶν sed nihil mutandum.

3. Observat *Huetius* Epiphanium in loco quem citavimus è libro *de Pond.* videri subindicare, in prima columna Hebraica Græcis literis fuisse depicta, in secunda Hebraicis. Quod ex Hieronymo & *Ruffino* refutat. Atqui non necesse est, ut verba illa Epiphanii sic intelligamus. Neque illum hoc sibi voluisse puto.

In aliquibus postea *Tetraplorum* exemplaribus adjiciebatur Textus Heb. literis tantum Græcis exaratus: unde à numero *Columellarum* quinario *Pentaselida* dicta sunt. Ab interprete *Epiphanii* σελὶς minus recte vertitur *pagina. Ruffino* tamen in uno loco *pagina* & *Columella* videntur usurpari tanquam voces synonymæ. Invect. 2. adv. Hieron. *In propriis paginis vel columellis editiones eorum singulas quasque descripsit* (*Origenes*) &c. *Pentaselidorum* mentio habetur in Margine Codicis *Marchaliani* ad Es. 3. 25. οἱ γ'. στίχοι οἱ ὑποκείμενοι οὐκ ἔκειντο ἐν τῷ Πενταοελίδῳ, οὐδὲ Ὠριγένης ἐξηγούμενος τούτων ἐμνήσθη· *tres versus sequentes non sunt in Pentaselido, neque eorum*

eorum meminit in sua Enarratione Origenes. Pentaselidi formam repræsentat nobis margo antiquissimi Cod. Card. *Barberini* ad Hos. XI. 1. quam supra nos exhibuimus pag. 246.

Et ex eo specimine perspicue erroris arguuntur illi qui varias Versiones in voluminibus ab *Origene* compositis, unam sub altera fuisse dispositas, non in totidem columellis deorsum descendentibus, existimant. Quod etiam patet ex Hieronymi Com. in Cap. 3. Ep. ad *Titum*, ubi testatur, *Hebræa propriis fuisse characteribus descripta, & Græcis literis tramite ex vicino.* Patet etiam ex vocabulis Τετρασέλιδον & Ὀκτασέλιδον. *σελὶς enim columella est. Hexaplorum* itaque sive *Octaplorum*, in libris ubi 7. fuere Versiones, hæc forma fuit.

Heb. Charact. Heb.	Heb. Charact. Græcis.	Α.	C.	LXX.	Θ.	έ.	ϛ'.	ζ'.

4. De hisce Voluminibus mirifice hallucinati sunt Viri eruditi. Multiplici hallucinatione *Abulensis* Com. in Hieron. Præf. in Pent. *Origenes* (inquit) *in scribenda Biblia sic se habuit, quod Veritatem Heb. primo posuit vertendo in Græcorum eloquium. Deinde* LXX. *Interpretum translationem. Deinde Theodotionis, Aquilæ, & Symmachi translationem; post Quintam, Sextam, & Septimam editionem cum magno labore conjunxit & invenit. Has autem omnes translationes in quolibet folio libri margini per 7. distinctas columnas locavit: distinguens istas translationes asterisco & obelo, ut superflua confodiat, & quæ minus dicta sunt, asterisco quasi illuminet.— —Erat illa Biblia Origenis magna, ut in una Biblia 7. Bibliæ essent conjunctæ. —— In una columna ponebat translationem Theodotionis post translationem Interpretum, & in superfluis ponebat obelum, & in diminutis vel corruptis in una vel alia ponebat asteriscum ad emendandum, vel elucidandum, & tunc correctio cum asterisco & obelo erat in utraque translatione &c.*

Errore etiam multiplici *Magdeburgenses*: *Antequam explicationes Sacrarum literarum Origenes ordiretur, collationes fecit Versionum diversarum sacrorum Bibliorum. Primum enim Versioni* LXX. *quæ tum fuisse videtur vulgatissima, adjunxit Aquilæ Pontici, Theodotionis, & Symmachi editiones, repertas à se, multo tempore absconditas: aliam quidem Nicopoli in Actiaco littore, aliam aliis in locis, sicut ipse scribit: Indicavit Eusebius lib. 6. cap. 17. His postea superaddidit Quintam, Sextam, & Septimam, quas dixerunt editiones &c. —— Deinde separatim digessit Versiones Theodotionis, Aq. & Sym. cum* LXX. *atque hoc opus à quadruplici ordine appellavit* τετραπλᾶ.

a Lib. 3. [a] *Sixtus Senensis* hæc volumina non fuisse omnia *Origenis*, sed ab aliis quibusdam partim composita fuisse credidit. *Ex quorum editionibus varia multarum translationum volumina tam ab Origene, quam ab aliis Græcis collecta sunt; & ex his alia quidem Tetrapla, alia Hexapla, alia Octapla dicta sunt.* Sex columnas Hexaplorum, inter quas enumerat

b Lib. 4. ipse duas Hebraicas, vocat *sex* TRANSLATIONES. [b] Alibi *Tetrapla* & *Hexapla* confundit, dicens *Hexapla* dicta etiam fuisse ab Origene *Tetrapla*, propter quatuor Versiones in iis contentas.

De Bibliorum horum ratione mire fluctuat quoque, nugaturque doctiss. *Petavius* Animadvers. in Epiphan. Postquam *Tetrapla, Hexapla, Octaplaque*, tanquam distincta descripsisset, observat Eusebium *Septimæ* Editionis, tanquam in Hexaplis insertæ meminisse: "At quænam, inquit, ἑϐδόμη illa fuit? Græcane, an Hebraica? Græca in "Octaplis nulla præter sex fuit. Si Hebraicam intelligit, non ἑϐδόμην modo, sed ὀγδόην etiam in Octaplis adjecit Origenes: nempe eandem Hebraicam Græcis literis exaratam. In Hexaplis vero non sex "Græcas, sed quatuor duntaxat exhibuit. Quare mirus est Eusebii lo-"cus:

"cus: &, nisi fallor, mendosus. Expungenda igitur hæc arbitror, ἢ "ἑβδόμην. Tametsi apud Nicephorum etiam in Græco Cod. MS. Bibl. "Vien. ex Eusebio translata reperio. Quinetiam vitiosa illa esse cre- "diderim: ἐπὶ μιᾶς αὖθις. Pro quibus rescribo, ἐπὶ μιᾶς πέμπτης. Quinta "enim Editio Jerichunte in dolio est inventa: cui soli titulus erat illi "præfixus. Illud porro consideratione dignum est, quod ab Eusebio "post illa verba subtexitur: ταύτας δὲ αὐτὰς &c. i. e. *Has omnes Editio- "nes* (quas 7. enumeraverat) *in unum omnes conjiciens, & per columnas "dividens, ac sibi invicem opponens, cum Hebraica ipsa significatione*, (sic "locum *Petavius* vertit) *Hexaplorum nobis exemplaria reliquit.* Quibus "ex verbis conjicere licet, ἑβδόμην illam, si modo integra lectio est, "Hebraicam esse suis literis conscriptam, ad quam ἡ σημείωσις, hoc est "eadem Hebraica Græcis expressa literis accesserit. Atqui Octapla jam "erant, non Hexapla. &c.

Salmasius in lib. *de Ling. Hellenist.* errore plane in tanto Viro erubescendo: *Nusquam*, inquit, *Hieronymus Quintæ & Sextæ editionis meminit: & cum Hexapla vocitat, intelligit Tetrapla Græcanica, cum Diplis Hebraicis, quæ Hexapla faciebant. — Apparet ex his Origenem quatuor tantum editiones inter se comparasse, & composuisse in Tetraplis, quæ cum duobus Hebraicis textibus Hexapla illa Ecclesiis dedicata continebant. — Sed & veteres Patres, ex quibus composita Catenæ, ut vocant, in diversos V. T. libros leguntur, nunquam citant varietates Translationum è Quinta & Sexta Editione, sed ex quatuor illis tantum, quas invicem composuerat Origenes, ex quibus Tetrapla fecerat, & cum gemino Ebraico ἑξαπλᾶ.*

Josephus Scaliger in delineatione Hexaplorum sive Octaplorum, quam exhibet *Heinsius* in *Sacris* suis *Exercitationibus*, Columnas Hebraicas post omnes Græcas conjicit: aliter vero in *Scaligerianis*.

Sixtus Senensis, *Baronius*, *Frassenius*, aliique, dicunt in *Tetraplis* primum locum tributum fuisse τοῖς LXX. Quod errorem esse, ex ipso constat *Epiphanio*, qui in *Tetraplis*, æque ac in *Hexaplis*, tertio loco dispositam fuisse Editionem LXX. diserte testatur. Non modo in *Tetraplis*, verum etiam in *Hexaplis* quoque (quæ ab *Octaplis* distinguit) LXX. ante cæteros locum obtinuisse, scribit [a] *Joannes de la Haye.* In *Hexaplis* addit *Frassenius* fuisse tantum Versiones 6. absque columnis Hebraicis, qnas in *Octaplis* fuisse adjectas.

[b] *Cujacius* ait *Octapla* dicta fuisse ab *octo*, quas continebant, *Versionibus.* Quot quidem tunc non exstitere. Sic quoque [c] *Marianus Victorius*, qui hunc errorem de proprio adjicit, quod *Octapla* non ab Origene, sed ab alio quodam postea fuere composita. *Has sex Editiones* (inquit) *Origenes in uno collegit libro, & per totidem columnas altrinsecus positas, distribuens, ἑξαπλᾶ à numero appellavit: sicut duabus aliis postea additis, octupla quidam alius.*

[a] Prolegom. Bibl. Max.
[b] Ad Novel. Justin.
[c] Schol. in Hieron. l. 2. adv. Ruff.

5. Veritatem attigere *Hen. Valesius*, postque eum *Is. Vossius*, dum *Hexapla* & *Octapla* non diversa, sed eadem fuisse volumina, statuunt: cæterum in eo à veritate aberrant, quod statuunt cum *Epiphanio*, Hexapla dicta fuisse à sex Versionibus in iis comprehensis: siquidem non sex tantum, sed septem Versiones complexa sint. Aiunt septuplicem fuisse Versionem tantum Psalmorum (quod falsum est) & ideo *Origenem* non *Heptapla*, sed *Hexapla* ea dici voluisse. Sed vero à nobis diserte facit *Ruffinus* in Historiæ *Eusebianæ* Versione, ubi asserit *propter hujusmodi compositionem*, h. e. ob duas columellas Hebraicas, & quatuor alias Aquilæ, S. LXX. & Theodotionis, *exemplaria ipsa ab Auctore nominata fuisse ἑξαπλᾶ, i. e. sexiplici ordine conscripta.*

6. *Nicetas* in *Thesauro*, dum de Hexaplis scribit, evincit se ea nunquam vidisse. Ait in iis contentas fuisse 5. editiones Græcas, inter quas

primum locum obtinuisse LXX. post 2. columellas Hebraicas (in quo errore versatur etiam *Heinsius*) *Hexapla* tamen fuisse dicta à 6. columellis, quia duæ columellæ Hebraicæ pro una tantum habebantur. Græca ejus hæc sunt: Τιθεὶς γὰρ τὴν Ἑβραϊκὴν λέξιν ἐν μιᾷ σελίδι, γράμμασιν Ἑλληνικοῖς, καὶ τὰς δύο σελίδας ἀντὶ μιᾶς λογιζόμενος ὡς ἰσοδυνάμους, ἔπειτα κατὰ τρίτην, μᾶλλον δὲ δευτέραν σελίδα, τὴν ἑρμηνείαν τῶν ἑβδομήκοντα δύο. εἶτα τὴν τοῦ Ἀκύλα, ἔπειτα τὴν τοῦ Συμμάχου· μετέπειτα τὴν Θεοδοτίωνος, εἶθ' οὕτω τὴν πέμπτην ἔκδοσιν· καὶ τοῦτον τὸν τρόπον πᾶσαν τὴν παλαιὰν διαθήκην συντέθηκε διὰ τῶν Ἑξαπλῶν. Auctoris mentem non cepit [a] *Is. Vossius*, cum ex his verbis subinfert Hebraica Hebræis eademque Græcis literis descripta fuisse in *una* columella, non in duabus. Liquet enim voluisse *Nicetam*, in duabus quidem ea descripta fuisse columellis, sed quia tantundem valebant, ideo in indenda operi appellatione pro una duas fuisse habitas. Idem *Vossius* (sicut alibi jam monuimus) male existimat *Sextam & Septimam Versiones in una eademque pagina exhibitas fuisse, duabus dimidiatis pro una computatis Versione*: atque inde factum fuisse, ut licet 7. versiones continerentur, tamen quasi sex tantum essent, Hexapla appellarentur. Alibi [b] tamen, sibimet ipsi parum constans, cum *Valesio* dicit, quod *quamvis in Psalmis septima quoque accederet Versio, Hexaplorum tamen remansit appellatio, quia septima illa Versio in aliis deficeret libris.*

[a] Resp. ad tertias Simonii Object.

[b] Resp. ad Object. Criticæ Sacræ.

Fallitur rursus *Vossius*, cum non modo in *Hexaplis*, verum etiam in *Tetraplis* exstitisse columellas Hebraicas existimat.

7. Errore sibi peculiari (& peculiari quidem, nisi plurimum fallor, in sempiternum permansuro) arbitratur idem Vir doctus, non solum Textum *Hebræum*, sed & *Samariticum* in *Hexaplis & Tetraplis* locum habuisse. Quod conficit ex hisce Eusebii verbis; Τοσαύτη δὲ εἰσήγετο τῷ Ὠριγένει τῶν θείων λόγων ἀπηκριβωμένη ἐξέτασις, ὡς καὶ τὴν Ἑβραΐδα γλῶτταν ἐκμαθεῖν, τάς τε παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἐμφερομένας πρωτοτύπους αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφάς, κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι· ἀνιχνεῦσαί τε τὰς τῶν ἑτέρων παρὰ τοὺς οβ'. τὰς ἱερὰς γραφὰς ἡρμηνευκότων ἐκδόσεις. &c. ut supra. Quæ sic recte vertit *Valesius*: *Tantam porro curam ac diligentiam in divinis Scripturis perscrutandis adhibebat Origenes, ut Hebraicam etiam linguam didicerit, & authenticos Scripturarum libros Hebraicis scriptos literis, qui apud Hebræos habentur, sibi compararet: aliorum quoque qui præter* LXX. *Interpretes sacras Scripturas interpretati sunt, editiones pervestigaverit. &c.* In scripto de Tralatione LXX. Int.[c] ait *Vossius* hinc constare *imprimis Origeni curæ fuisse ut Samaritanum codicem prototypis Hebræorum literis descriptum sibi compararet. In Hexaplis, uti* LXX. *tralatio, similiter quoque primam paginam, quæ Hebræum exhibebat codicem, fuisse notulis grammaticalibus distinctam. Quas* σημειώσεις *vocari ab Eusebio. Sicubi itaque discreparet exemplar Samariticum à codicibus Judaicis, varietatem illam in margine signatam fuisse. Si quid abesset aut redundaret in alterutro exemplari, id asterisco aut obelo fuisse notatam. Plerasque Samaritici codicis lectiones, quæ in scriptis ac Catenis Patrum occurrunt, non aliunde quam ex Origenis Hexaplis fuisse depromptas.* In Resp. ad Object. Criticæ Sacræ, sibimet ipsi contradicens, ait, non variantes Samaritici Codicis lectiones in margine annotatas fuisse, sed ipsum contextum Samariticum Pentateuchi duabus Hebraicis columellis fuisse adjunctum, adeo ut in Pentateucho septem fuerint in *Tetraplis* columellæ. Ibidem contendit *ab omni prorsus ratione alienum esse, prototypas Hebræorum literas apud Eusebium de aliis quam de Samariticis interpretari, cum & Africanus & ex illo Syncellus Samariticum codicem vocent* τὸ Ἑβραϊκὸν πρῶτον καὶ παλαιότατον καὶ ἀληθὲς, *alterum vero quo Judæi utantur,* τὸ Ἑβραϊκὸν κατὰ Ἰουδαίους. *Absurdum omnino esse credere Africanum habuisse exemplar Samariticum, non autem amicum ejus Origenem. Denique manifestum esse apud Eusebium pro* πρωτοτύπους, *legendum esse* πρωτοτύποις· eum vero Hebræos characteres

[c] Cap. 29.

racteres πρωτοτύπους appellare non potuisse, cum in Chronico, ex *Africano* ipse testetur priores iis fuisse *Samariticos*. In Resp. ad iteratas Simonii Object. *Adeone*, inquit, *ineptus fuit Eusebius, ut postquam dixit Origenem Hebræam quoque addidicisse linguam, tanquam rem magnam addat, illum quoque Hebræum sibi comparasse exemplar ubique inter Judæos obvium?* Germana habet in Resp. ad tertias Simonii Object. Quæ omnia tanquam plane futilia facile rejicio. Αἱ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἐμφερόμεναι πρωτότυποι γραφαί, nihil aliud esse possunt, quam *primigeniæ Scripturæ quæ apud Judæos circumferuntur*. Et temere & precario constantem omnium codicum lectionem πρωτοτύπους in πρωτοτύποις commutat Vossius. Quin, ut recte monet *Simonius*, si Eusebins de libris *Samariticis* locutus fuisset, non dixisset παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, sed παρὰ τοῖς Σαμαρείταις. Porro quomodo potuere *Hieronymus*, *Ruffinus*, *Epiphanius*, qui Hexapla nobis describunt, Samariticum textum omittere? At unde, inquit Vossius, nisi ex illis voluminibus, quid codex habuerit Samaritanorum ediscere potuerunt Patres? Respondeo, non cum *Huetio* & *Simonio*, id eos didicisse ex Græca quadam Samaritici codicis Versione, sed verum esse, in margine quorundam Bibliorum Ed. *Origenianæ*, varietates Samariticas fuisse adnotatas, quod patet ex Præfat. Pent. Arab. in Bibl. Bodl. Utrum vero ab ipso *Origene*, vel ab *Eusebio*, vel ab alio paulo juniore, adnotatæ fuerint, incertum. Potuerunt etiam Patres, quid in certis quibusdam locis haberet textus Samariticus, ab ipsis Samaritanis edoceri.

8. Origenem *Tetrapla* post *Hexapla* compegisse existimavit *Valesius*, assentiente *Huetio*. Unde ista *Eusebii* verba: ἰδίως τὴν Ἀκύλου &c. ἔκδοσιν ἅμα τῇ τῶν ο'. ἐν τοῖς Τετραπλοῖς ἐπικατασκευάσας· vertit; *Postea vero editionem Aquilæ, S. ac Th. cum* LXX. *Int. Versione seorsum in Tetraplis digessit*. Atque hoc ex verbo ἐπικατασκευάσας, quod ex MSS. 3. reposuit, constare existimat. Nempe putat *Origenem*, cum animadvertisset *Hexaplorum* codices nimio sumptu ac labore indigere, *Tetrapla*, quorum usus foret facilior, edidisse. Mihi magis placet recepta ab *Usserio*, aliisque opinio, eum primo *Tetrapla*, & deinde adinventis Editionibus V. VI. & VII. *Hexapla* concinnasse; cum pro ἐπικατασκευάσας, alii Codices, aliæque Editiones, & *Suidas* habeant, ἐπισκευάσας: Non enim verisimile videtur, voluisse Origenem reliquas *Græcas* Versiones in secunda editione omittere, tametsi *Hebraicas* fortasse columellas omittere voluisset. Neque quidem videtur volumina ista ab ipso *Origene* fuisse edita; sed aliquot annis post mortem ejus, à *Pamphilo* & *Eusebio* publici juris facta fuisse. ἰδίως, *seorsum*, quod habet *Eusebius*, non videtur *Zonaras* recte intellexisse, cum pro ea voce substituit ἰδιαίτατα. Reprehendit *Valesius Wolphium*, quod ἰδιαίτατα verterit *rectissime*: mihi potius videtur reprehendendus ipse *Zonaras*. Rursus fallitur *Valesius*, cum ex voce ἰδίως *seorsum* vel *separatim*, subinfert, singulas versiones in *Tetraplis seorsum* collocatas fuisse, non è regione sibi invicem oppositas, sicut in *Hexaplis*. Voce enim ἰδίως respicitur, non ad versiones inter se in *Tetraplis* dispositas, sed ad *Hexapla*. Nimirum hoc sibi voluit *Eusebius*, in alio quodam *peculiari* & *seorsum* confecto opere quatuor tantum insigniores Versiones fuisse editas. Et asserit *Hieronymus*, *Valesio* ipso fatente, in *Tetraplis* quoque Versiones è regione fuisse dispositas in diversis columellis: Præf. ad Chromatium in Paralip. *Origenes non solum exempla composuit* 4. *editionum, è regione singula verba describens; ut unus dissentiens statim, cæteris inter se consentientibus arguatur*. Origenem *Tetrapla* in margine manu sua emendasse, scholiisque illustrasse, deprehendimus ex Nota, quam supra descripsimus, præfixa Ezechieli in Codice *Marchaliano*. In quibus Scholiis, quoties & quam va-

rie editio κοινὴ ab ea, quæ genuina τῶν LXX. censebatur, discederet, ostensum ab eo fuisse, existimat *Usserius*.

9. In Schedis quibusdam *Jo. Croij*, quas vidi aliquando *Arnoldi Bootii* manu exaratas, de *Heptaplis* hæc habentur: "Heptapla ab Origene "composita fuisse non animadvertit Epiphanius, sed id nos docet Eu-"sebius Hist. 6. 17. eaque in Psalmis composita fuisse ex 4. prioribus "Versionibus, & 5. 6. & 7ma. Illius verba, ut Suidæ, qui eum sequi-"tur, corrupta sunt; pro ἐξαπλοῖς enim apud utrumque legendum est "ἑπταπλοῖς. Hanc emendationem confirmat Christophorsonus Latinus "Interpres, atque loquitur, & testatur res ipsa; cum enim scribunt "Eusebius, Nicephorus, & Suidas Origenem composuisse 4. priores "editiones cum 5, 6, & 7^{a}, necesse est, ut volumen *Heptaplorum* no-"mine inscriptum ediderit. Id quoque significat Hieronymus in Ca-"talogo: *Præterea* 5^{m}, 6^{m}, 7^{m} *editionem, quas etiam nos de ejus biblio-"theca habuimus, miro labore reperit, & cum cæteris editionibus compara-"vit.* At quomodo posteriores istas cum prioribus editionibus com-"parare potuisset, nisi *Heptaplorum* composuisset volumen? In *Hexa-"plis* antem ant *Octaplis* 7^{m} non descripserat editionem." Hæc *Croius*: cui ego minime assentior. Quare *Hexapla* ab *Eusebio* dicerentur, licet in aliquibus Scripturarum libris revera essent *Enneapla*, in superioribus ostendimus; nempe quoniam in prioribus libris sex tantum columellæ conspiciebantur.

10. Quare in his voluminibus, LXX. Editionem post *Aquilæ* & *Symmachi*, & ante *Theodotionis*, cæterasque, collocarit *Origenes*, *Epiphanius* hanc reddit rationem: Ὠριγένης πεπεισμένος τὴν τῶν οβ. ἔκδοσιν ἀκριβῆ εἶναι, μέσην ταύτην συνέθηκεν, ὅπως τὰς ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν ἑρμηνείας διελέγχῃ· *Origenes cum* LXX. *Interpretum editionem accuratissimam esse persuasum haberet, mediam omnium esse voluit, ut ad eam utrinque dispositæ cæteræ, tanquam ad amussim exigi redarguique possent.* Quæ ratio est futilissima. Vera causa mihi hæc fuisse videtur: *Aquilæ* & *Symmachi* versiones ante LXX. disposuit *Origenes*, quia propius ad Heb. accedebant; *Theodotioni* vero post LXX. sedem tribuit, quia licet Hebræo magis consonabat, ex ipsa tamen LXX. Versione verbatim permulta descripsit.

Huetius opinatur *Origeni* hoc fuisse causæ, cur ita Interpretationes illas digereret: viz. quia ad Hebraica maxime accedebat *Aquila*, ideo hunc illis proxime adjunxit. Quoniam ab iisdem plus reliquis recedebat *Symmachus*, utpote sententiarum quam verborum retinentior, idcirco cum *Aquila* conjunctus est, ut ex illius cum *Aquila* conflictu, qui abierant in diversa, & extrema fuerant persecuti, veritas eliceretur. Subnexi sunt illis deinde Interpretes LXX. & *Theodotio*, qui *commixtum & mediæ temperatum genus translationis expressere*; quia ordo studiorum postulat, ut intricatam quæstionem & incertam disceptaturi, extremas primum & oppositas exploremus sententias, inde ad temperatas & medias progrediamur. Hæc ille.

Philastrius ait, *Aquilæ interpretationes in medio librorum* (Hexaplarium) *nunquam poni, sed dextræ lævæque adsignari*, tanquam qui non recte senserit de Filio Dei. *Et ut contrariæ* (inquit) *& non plenæ veritatis ita leguntur à plurimis.* Ex quibus verbis intelligimus, in nonnullis *Hexaplorum* editionibus variam fuisse Versionum, pro scribentis arbitrio, dispositionem. At vero non videtur *Philastrius* in hisce voluminibus tam versatus fuisse, ut illius sit assurgendum auctoritati. *Huetius* de eo quod dicit ille, hæc habet: *Aquilæ*, inquit, *interpretatio in Tetraplis priore loco ponebatur; qui locus diverso respectu vel dexter erat, vel sinister: legentium respectu sinister erat, dexter libri ipsius. Itaque alii dextro loco situm esse, alii sinistro scripserant. Id cum legisset Philastrius*, existimavit

existimavit Aquilam in aliquibus Tetraplorum exemplaribus dextrum tenuisse locum, in aliis sinistrum.

11. Exemplaria τῶν LXX. *Origenis* ætate alia fuerunt castigata & accurata, alia Editionis vulgatæ, quæ Κοινὴ dicebatur. Hac tanquam corrupta insuper habita, accuratius illud alterum exemplar in *Hexaplis Tetraplisque* inseruit Origenes. Quod etiam in Hexaplorum voluminibus, *Asteriscis Obelisque* notavit, suppletis quæ deerant ex Hebræo juxta *Theodotionis* potissimum Versionem, & quæ redundabant, *Obelisco* confossis. De *Asteriscorum* & *Obelorum* usu apud veteres Grammaticos disputavimus jam supra lib. 2. parte 1. cap. 4. §. 7.

Asteriscus stellulæ radiantis formam imitabatur, & crux erat decussata cum interspersis 4. punctis in hanc formam ⁜, vel ⁜, sive ⁜. Alii vulgo 6. radios fingunt ✳. Scriptoribus ætatis barbaræ *astericus* dicitur; qui nomen deducunt ab *aster* & *icon*.

Obolum fuisse *jacentem virgulam* testatur [a] Hieronymus. Et juxta *Epiphanium* παραπλησίως γράφεται τῇ καλουμένῃ γράμμῃ, *lineæ haud dissimilis fuit*. [a] Ep. ad Sun. & Fret. In illius tamen Editione *Petaviana* male repræsentatur sub *ensis* figura: in *Cornariana* longe absurdius sub forma *Crucis* ✕. Illam fuisse *quasi notam unciæ*, scribit *Augustinus*: In exemplari vero Syriaco *Masii*, sub ea linea punctum passim subscribitur: cujus puncti tamen non meminere veteres ante citati. Apud priscos autem Græcos Grammaticos duplex fuit *obelus*, *simplex* & *punctis signatus*. Cujus distinctionis meminit *Laertius* in *Platone*; ubi scriptum legimus in antiquis operum Platonis Codicibus duplicem obelum fuisse usurpatum: alterum ὀβελὸν simpliciter nominat; alterum ὀβελὸν περιεστιγμένον, *obelum punctis undique notatum*; Id est, altero supra, subter altero, hoc modo ÷. [b] *Isidorus Hisp.* [b] Orig 1. 20. meminit *Obeli superne appunctati*, qui *ponitur in iis de quibus dubitatur utrum tolli debeant necne*. De simplici obelo *Eustathius* ad Il. α΄. ὁ ὀβελὸς, ὅς ἐστι γραμμή τις εὐθεῖα, παρατιθεμένη μὲν στίχων ἤτοι ἐρσένων ἔξω. Usu vulgari significat ὀβελὸς *veru*; & *veru* sæpe ab Hieronymo dicitur hæc notula Grammaticalis. Apud *Aristophanem* [c] scribitur ὀδελὸς, more nimirum [c] Acharn. Bœotico, teste Scholiasta.

Alias insuper notas in Editione sua Hexaplari adhibuit Origenes, quæ *Lemnisci* & *Hypolemnisci* dicuntur. *Epiphanius Lemniscum* sic depingit ÷, quæ forma est unius speciei *Obelorum*. *Hypolimniscum* vero hac forma ÷ quæ figura est *Obeli* in libris *Masii* Syriacis usurpati. In eisdem vero Codicibus Syriacis *Limnisci* linea non recta ducitur, sed utrinque leviter in partes diversas inflectitur. Et *Hypolimniscus* est lineola punctis omnibus destituta, nempe eadem cum veteri Obelo *simplici*. Harum vero notarum ineptissimam reddit Epiphanius rationem; nempe credens LXXII. Interpretes per paria in conclavibus 36. disclusos, Versiones 36. elaborasse in additis & omissis & passim sensu inter se consonantes, in quibusdam vero dictionibus dissonantes: ait hinc provenisse lectiones varias exemplarium τῶν ο΄. & omnium Versionum 36. exemplaria *Origenis* ætate extitisse, quibus illum collatis, *Limnisco* notasse quæ in paucis quibusdam eorum repetitæ, & quidem rarius, occurrerint; *Hypolimnisco* vero, quæ ab uno tantum Interpretum Pari usurpatæ fuerint. *Epiphanium* in hac conjectura secutus est Auctor Præfationis *Pentateuchi Arabici* Bibliothecæ Bodl. & *Hesychius* in Psalmos: Quorum omnium verba jam [d] alibi citata sunt, & in medium prolata. [d] L. 2. c. 6 §8. P. 150. &c. [e] *Isidorus Limniscum* describit eodem modo quo *Epiphanius*; de istius [e] Orig. 1. 20. vero usu, ait *apponi in iis locis quæ S. Scripturæ Interpretes eodem sensu, sed diversis sermonibus transtulerunt*. *Hypolimniscum* vocat *Antigraphum*, & sic delineat ⟋. *Antigraphus* (inquit) *cum puncto apponitur, ubi in Translationibus diversus sensus habetur*. Isidorum sequitur de *Limnisci* &

a Præf. Com. Procopii in Es.

Hypolimnisci usu a *Jo. Curterius*. *Masii* vero conjectura est, *Limnisco* fuisse notata, quæ plurium Codicum testimonio confirmata sunt; *Hypolimnisco*, quæ pauciorum. Eique suffragantur *Valesius* & *Huetius*. De eorum usu quid senserit *Armachanus*, mox ostendetur.

Terminabat autem istarum omnium Notarum vim atque efficacitatem nota alia cuneoli effigie, ad finem verbi aut verborum complexionis apposita, ut videre est passim in *Josua* à *Masio* evulgato. Quam notam etiam in sua *Estheræ* Editione adjecit *Armachanus*.

12. Jam vero quam accurate & superstitiose Versionem LXX. per asteriscos supplevit *Origenes*, ex hoc exemplo dignoscimus: *Epiphanius* memorat, quod cum Hebræi habent apud Gen. *Et vixit Adam* 30. *annos & 900. annos*: LXX. vero, *Vixit Adam triginta & nongintos annos*: post *triginta* Origenes cum Asterisco apposuit *annos*.

13. *Epiphanius* ait illum ex *Aquila* potissimum & *Symmacho*, raro vero ex *Theodotione*, deprompsisse quæ Asteriscis signata sunt: ὁ ἀστερίσκος ὅπης ἔνθα παρακεῖται, σημαίνει τὸ ἐμφερόμενον ῥῆμα ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ κεῖσθαι, καὶ ἐμφέρεσθαι παρὰ Ἀκύλᾳ καὶ Συμμάχῳ, σπανίως δὲ καὶ παρὰ Θεοδοτίωνι· *Asteriscus ad quamcunque vocem apponitur, eam in Hebræo contineri, & ab Aquila, & Symmacho expressam, raro etiam à Theodotione significat.* Quam parum in his voluminibus exercitatus fuerit *Epiphanius*, vel ex hisce dignoscimus. Res plane contrario modo se habebat, uti recte animadvertit ante nos Antistes *Armachanus*. Pene semper ex *Theodotione* petita sunt ea, rarissime ex aliis, ut ex *Hieronymo* apertissime liquet. Præf. in Pent. *Origenes editioni antiquæ, translationem Theodotionis miscuit, asterisco & obelo omne opus distinguens &c.* Præf. in Paralip. ex Heb. translata: *Et certe Origenes non solum exempla composuit* 4. *Editionum è regione singula verba describens, ut unus dissentiens, statim cæteris inter se consentientibus arguatur: sed quod majoris audaciæ est, in editione* LXX. *Theodotionis editionem miscuit, asteriscis viz. designans &c.* Præf. in Job ex Heb. versum: *Omnia Vet. Instrumenti volumina Origenes obelis asteriscisque distinxerit, quos vel additos vel de Theodotione sumptos, translationi antiquæ inseruit.* Præf. in Psalt. quod ex hac editione Origeniana in Lat. convertit; ait, ea quæ asteriscis sunt signata, *addita fuisse de Heb. voluminibus, juxta Theodotionis duntaxat editionem, qui simplicitate sermonis à* LXX. *Interpretibus non discordat.* In eandem sententiam sæpius alibi. Non omnia tamen ex *Theodotione* petita fuisse ipse itidem docet verbis illis: *quos vel additos, vel de Theodotione sumptos.* Et nonnulla ex *Aquila* fuisse desumpta, testatur ad Ef. 2. *Quiescite ergo ab homine cujus &c.*] *Hoc prætermisere* LXX. *& in Græcis exemplaribus ab Origene sub asteriscis de editione Aquilæ additum est.* Ita *Origenes* ipse Tract. 8. in Mat. ait se, *quæ non fuerunt posita apud* LXX. *EX EDITIONIBUS CÆTERIS addidisse convenienter Hebræo.* *Eusebius* quoque ad Esaiæ cap. 34. cum ex *Versionibus cæterorum* addidisse, quæ asteriscis illustravit, commemorat. μὴ κείμενον ᾗ ἐν τῇ τῶν ό. ἑρμηνείᾳ μετ᾽ ἀστερίσκων ἐκ τῆς τῶν λοιπῶν ἑρμηνείας προσετέθη. *Hoc in* LXX. *Interpretatione minime positum, ex aliorum interpretatione cum asteriscis est adjunctum.* Nonnulla etiam ex *Theodotione* sub asteriscis adjecit, quæ in ipso Hebræo non comparebant, ut patet ex hoc Scholio ad 1 Reg. 14. 42. Ταῦτα μέχρι τοῦ, Καὶ κατεκληρώθη, ἐν μόνῃ κεῖται τῇ ἐκδόσει Θεοδοτίωνος. διὸ ἠστέρισται αὐτὰ ὡς ἐν μιᾷ ἢ δευτέρᾳ ζυγῇ τῶν ἑβδομήκοντα κείμενα, οὐ μὴν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ. *Hæc usque ad illud* [*& sorte capitur*] *in sola editione Theodotionis sunt posita; quamobrem sunt ea asterisco notata, tanquam posita in una aut secunda conjugatione ipsorum* LXX. *non tamen in Hebræo.* Quid vero per ista, *in una aut secunda Conjugatione ipsorum* LXX. Scholiastes sibi voluit, non intellexit *Nobilius*, ad ea hæc adnotans: *Ex quibus Scholiastis verbis, & aliis hujusmodi,*

modi, quæ alibi afferuntur, colligi potest plures fuisse editiones, quæ nomen LXX. *retinerent, & interdum quidem in eodem codice positas, & quasi conjugatas, unam tamen altera puriorem.* Neque locum recte intellexit *Usserius*, qui Græca sic vertit: *tanquam posita in uno sive secundo ordine ipsorum* LXX. Alluditur autem à Scholiasta ad eorum sententiam, qui Interpretes LXX. per paria in diversis conclavibus interpretatos fuisse, & singulorum Parium Versiones exstitisse *Origenis* temporibus, crediderunt.

14. Quale fuerit hoc *Origenis* opus, non intellexit [a] *Rivetus*, cum hæc scripsit: *Aliam* (inquit) *editionem* LXX. *Interp. adornare aggressus est, in qua per discrimina notarum indicabat quid in Hebræo exstaret, quid ex aliis interpretationibus adjectum, quid detractum. Adjecta appositis obeliscis confodit; detracta, aut si quæ Theodotionis irrepserant, asteriscis notavit.* Nec bene rem intellexit *Woweriu*s, qui sic [b] scribit: *Origenes adjecta appositis obeliscis confodit; detracta vero, aut si quæ Theodotionis irrepserant, asteriscis notavit.*

[a] Isag. c. 10. §. 29.
[b] De LXX. Interp.

15. In Codicibus *Hexaplorum*, videntur ea quæ ordine confusa ac perturbata apud LXX. erant, qualia multa sunt præsertim in Jeremiæ prophetiis, reducta fuisse ad ordinem textus Heb. reliquarumque Editionum, ut uno conspectu cum aliis ob oculos proponerentur. Nam ut pulchre instituerentur parallelæ columellæ, necesse fuit, ut Græca passim Hebraicis altera ex parte responderent. Hæc sententia est quoque [c] *Nobilii*, [d] *Morini*, & [e] *Usserii*. Hinc vero confirmatur, quod in Codice Jeremiæ MS. obeliscis & asteriscis juxta editionem ex *Hexaplis* desumptam interstincto, qui servatur in Bibliotheca Reginæ nostræ, idem qui in Hebræo, servatur capitulorum ordo. Et in illo Codice, in quem commentabatur *Theodoretus*, exhibetur idem. In omnibus vero ante *Origenem* Codicibus LXXviralibus, magnam fuisse in Jeremia confusionem Capitum, ipse docet in Epist. ad *Africanum*: Πολλὰ τοιαῦτα καὶ ἐν Ἱερεμίᾳ κατανοήσαμεν, ἐν ᾧ καὶ πολλὴν μετάθεσιν καὶ ἐναλλαγὴν τῆς λέξεως τῶν προφητευομένων εὕρομεν· *Multa hujusmodi* (addita & detracta) *animadvertimus in Jeremia; in quo etiam magnam invenimus transpositionem & mutationem eorum, quæ prædicuntur.* Testatur quoque [f] Hieronymus *ordinem Visionum* in illo Propheta *apud Græcos & Latinos omnino confusum fuisse.*

[c] Annot. in Jer. 25.
[d] Exerc. Bibl.
[e] Cap. 9.
[f] Præf. in Jeremiæ Versionem.

16. Quinetiam, si *Valesio* credimus, ut Editiones in *Hexaplis* sibi invicem magis responderent, & facilius inter se, & cum textu Heb. compararentur, in *cola*, seu *versus* suos aliis è regione respondentes, singulæ divisæ sunt. Quod elicit ex istis *Eusebii* [g] verbis: ταύτας ἁπάσας ἐπὶ ταὐτὸν συναγαγὼν διελών τε πρὸς κῶλον· καὶ ἀντιπαραθεὶς ἀλλήλαις μετὰ καὶ αὐτῆς τῆς Ἑβραίων σημειώσεως, τὰ τῶν λεγομένων Ἑξαπλῶν ἡμῖν ἀντίγραφα, καταλέλοιπεν· i. e. Interprete Valesio: *Has omnes Interpretationes cum in unum corpus collegisset, & per certa cola ac membra distinxisset, & sibi invicem è regione opposuisset una cum ipso Heb. textu, Hexaplorum nobis exemplaria reliquit.* Christophorsonus vero τὸ, διελών τε πρὸς κῶλον, reddidit, *columellis inter se distinxit.* Suffragatur ei [h] *Petavius*, qui vertit, *per columellas dividens.* [i] *Nicephorum* quoque *Eusebium* de *columellis* tantum intellexisse liquet, cum, ex eo scribens, his utitur verbis: τὰς τοιαύτας πάσας ἐκδόσεις, ἀντιπαραθεὶς ἀλλήλαις, καὶ διελὼν ἐν μιᾷ ἑκάστῃ σελίδι, μετὰ καὶ τῆς Ἑβραϊκῆς παρασημειώσεως· *Hasce Editiones inter se componens & distinguens per totidem columellas, una cum textu Heb. Suidas*, in Ὠριγένης, habet, διελθὼν τε πρὸς κῶλον· quæ *Æm. Portus*, menda non perspecta, interpretatur, *cum membratim perlegisset.* Contendit tamen *Valesius*, *cola* esse versus seu membra sensum integrum absolventia: & hanc primam fuisse Scripturarum in versus sive commata divisionem, quam *Hieronymum* in sua Latina Bibliorum

[g] Supra cit.
[h] In Epiph.
[i] Hist. 5. 11.

bliorum editione imitatum fuisse. Huic vero sententiæ opponi possit, quod *Hieronymus*, ubi de suo instituto in Scripturas dividendo in cola seu versus loquitur, & illud *novum scribendi genus* appellat, mentionem nullam facit *Hexaplorum Origenis*, sed tantum dicit, se opera *Tullii* & *Demosthenis*, quæ eodem modo distincta fuerint, imitari. Vide locum supra adductum pag. 363. *Psalmos* & Opera *Salomonis* semper solita fuisse & Græce & Latine per colorum & commatum distinctionem exarari videtur innuere *Hieronymus* in Præf. ad Translationem Esaiæ: *Nemo cum Prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos existimet apud Hebræos ligari, & aliquid simile habere de Psalmis & operibus Salomonis.* De *Danielis* libro, tanquam in *versus* distincto, loqui videatur ipse *Origenes* in Epist. ad *Africanum*, ubi versus illos ἔπη dicit. Καὶ αἱ τελευταῖαι ἐν τῷ Δανιὴλ περικοπαὶ, οὕτω καὶ ταῦτα ἐν ἔπεσιν ὡς εἰκασμῷ εἰπεῖν τυγχάνοντα διακοσίοις, καὶ πρός· *Et ultimæ in Daniele sectiones, ita quoque ista, versibus (ut conjectura dicam) ducentis & aliquot.* Cæterum per ἔπη seu *versus* nihil aliud quam *lineas* hoc in loco designat *Origenes*.

[a] *Jo. Croius* Observat. in N. T. probat *Origenem* Epistolam ad Galatas in Commata divisisse, ex eo quod dicit *Hieronymus* Præf. ad Gal. *Scripsisse illum in dictam Epistolam quinque propria Volumina, & decimum Stromatum suorum librum, commatico super explanatione ejus sermone complevisse.*

17. Vulgo creditur Editionem τῶν ό. quæ sub Asteriscis suppleta, Obelisque notata est, ab *Origene* elaboratam fuisse post *Tetrapla* & *Hexapla* sive *Octapla*. Sic statuunt [b] *Sixtus Senensis*, [c] *Bellarminus*, [d] *Kimedoncius*, [e] *Jo. de la Haye*, Auctor Præfationis Lat. Versionis τ̃ ό. ut etiam [f] *Rivetus*, [g] *Episcopius*, [h] *Heinsius*, &c. At vero in ipsis *Hexaplis* appositas fuisse Asteriscorum Obelorumque &c. notas, indiciis variis luculentissimis constat. En tibi testem *Hieronymum* apud *Ruff.* Invect. 2. *Sed & Origenes asteriscos fecit; ex translatione Theodotionis assumens, ut componeret volumina, quæ appellantur Hexapla.* Scholion ad 1 Reg. 14. Ταῦτα ἐν τῷ Ἑξαπλῷ ἠστερίσκηται ὡς ἐκ Θεοδ. προστεθέντα· *Hæc in Hexaplo sunt notata asterisco, quippe quæ ex Theodotione sint apposita.* Ad 3 Reg. 14. Μετὰ τοῦτο ἐν τῷ Ἑξαπλῷ κεῖται τὰ κατὰ τὴν νόσον καὶ τὴν τελευτὴν Ἀβιὰ τοῦ υἱοῦ Ἱεροβοὰμ μετ' ἀστερίσκων· *Posthæc in Hexaplo ponuntur, quæ pertinent ad morbum & mortem Abiæ filii Jeroboam cum asteriscis.* Sic apud Psalmorum Scholiasten, loco superius citato, dicitur vox quædam in *Octaselido obelo notata fuisse.*

[a] Cap. 8.
[b] Bibl. l. 4.
[c] De Verbo Dei l. 2. c. 5.
[d] De scripto Dei Verbo 5. 1.
[e] Proleg. Bibl. Max.
[f] Isag. cap. 10. §. 29.
[g] Instit. lib. 4. §. 1. c. 21.
[h] Aristarcho l. 1. c. 10.

18. Nullas fuisse in *Tetraplorum* Textu Obeliscorum & Asteriscorum &c. notulas, sed illas tantum in *Hexaplis* sive *Octaplis* fuisse repertas, colligitur ex Scholio in Ps. 131. supra in §. 7. producto. Contrarium vero videatur liquere ex istis *Hieronymi* Præfat. Paralip. ad Chromat. *Et certe Origenes non solum exempla composuit 4. editionum, è regione singula verba describens, ut unus dissentiens statim cæteris inter se consentientibus arguatur. Sed quod majoris audaciæ est, in editione* LXX. *Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans quæ minus fuerant, & virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita.* Sed loquitur hic Hieronymus, non de *Tetraplis*, sed de *Hexaplis* ipsis: quorum 4. tantum editiones commemorat, quia illæ longe insigniores fuere, & in maxima eorum parte fuere tantum 4. Non desunt qui pro *exempla* legendum censent *Hexapla*. Verum iis haud temere accesserim. Solet enim Hieronymus in aliis locis compluscu̇lis *exemplum* pro, *exemplar*, uti.

Psalterium Hexaplorum Origenis ipsius manu fuisse emendatum, commemorat Hieronymus Com. in Psal. 4. *A fructu frumenti & vini eorum repleti sunt] Id quod in plurimis codicibus invenitur, & olei eorum, cum vetustum Origenis exemplum Psalterii revolverem, quod ipsius manu fuerat emendatum: nec in Hebræo, nec in cæteris editionibus, nec apud ipsos* LXX. *Interpretes reperi.*

19. Duas

19. Duas fuisse editiones Versionis τῶν ό. in *Hexaplis*, nimirum alteram Κοινὴν seu *Vulgatam*, asteriscis obelisque notatam, alteram vero puriorem, quæ germana τῶν LXX. editio habebatur, existimat Cl. *Usserius*. Quod exinde probat, quia Hieronymus in aliquibus locis testatur *asteriscos* & *obelos* usurpatos fuisse in Editione VULGATA; ut in Præf. Com. in Dan. *Origenes de Theodotionis opere in Ed.* Vulgata *asteriscos posuit, docens defuisse quæ addita sunt; & rursus quosdam versus obelo prænotavit, superflua quæque designans.* Sic in Ezech. 16. *Hoc quod secundo dicitur,* Vulgata *editio non habet; sed de Theodotionis editione additum est.* Sed morem *Hieronymi* non satis intellexit Vir summus. Non enim in illis locis editionem quæ vocabatur Κοινὴ, per *Vulgatam* intelligit *Hieronymus*, sed Græcam τῶν ό. in genere. Nimirum cum loquitur de variis editionibus Versionis Græcæ, Κοινὴν & *Vulgatam* appellare solet eam quæ vulgari usu recepta pro minus correcta habebatur: Et cum loquitur de Græca Versione & Textu Hebræo, Versionem istam in genere appellare solet Ed. *Vulgatam*, quia illa, non Textus Heb. vulgari usu recepta est; sive, ut ipse [a] loquitur, quia ea Editio *toto orbe vulgata est.* Hanc consuetudinem esse Hieronymi ex sexcentis constat exemplis, quæ passim occurrunt, præsertim in Commentariis. v. g. ad Es. 26. ad voces illas, *Sed & spiritu meo in præcordiis meis &c.*] *Volumus* (inquit) *& Hebraicum sequi, &* vulgatam ed. *non penitus præterire: & hac rerum necessitate compellimur, diverso ordine atque sermone diversas intelligentias quærere. Igitur quod dicitur, de nocte: juxta* LXX. *hujus capituli (ut diximus) principium est, juxta Heb. finis superioris, licet possit etiam juxta* LXX. *in fine accipi superioris testimonii, ut sit sensus &c.* Ad cap. 30. *Multum in hoc loco* LXX. *editio, Hebraicumque discordant. Primum ergo de* vulgata ed. *tractabimus, & postea sequemur ordinem veritatis (Heb.)* Alibi ad eundem Prophetam: *Quia multum inter se Hebraicum distat & vulgata editio, ideo utrumque posuimus &c.* Sic in Jer. l. 4. *Utramque Editionem ex integro posui, ut & Heb. veritas, & difficultas vulgatæ ed. facilius cognoscatur.* Præf. in Ezech. ex Heb. translatum: *Sed &* vulgata *ejus editio non multum distat ab Hebraico. Unde satis miror, quid causæ exstiterit, ut si eosdem in universis libris habemus interpretes, in aliis eadem, in aliis diversa transtulerint.* Alia loca innumera prætereo. Unum tantum addere lubet: Lib. 5. Com. in Es. ad illa verba; *Ne læteris Philistæa*] *Philistæos autem* (inquit) *Palæstinos significat: quos alienigenas* Vulgata *scribit editio.* Per *Vulgatam* hic intelligi LXX. in genere, cum ex re ipsa liquet, tum ex eo quod alibi sæpius observat, LXX. *Palæstinos* vocare *alienigenas.* Ibid. lib. 6. *Philistim, quos nunc Palæstinos vocant & semper a* LXX. ἀλλόφυλοι *i. e. alienigenæ transferuntur.* In Ezech. c. 16. *Palæstinos, quos indifferenter* LXX. *alienigenas vocant.* Rursus, in Joel. 1. *Videamus autem quid Philistim, & urbes ejus peccaverint, quos* LXX. *semper alienigenas transtulerunt.* Duas autem Editiones Versionis LXX. in Hexaplis non fuisse comprehensas, apparet ex illis veteribus auctoribus qui de eorum scripserunt constitutione, qui de una tantum columella Versioni isti assignata loquuntur.

[a] L. 18. Com. in Es.

Sententiam *Usserianam* improbavit simul ac refutavit *Hen. Valesius*; at vero nec ipse veritatem assecutus est, cum respondit; *Origenem editionem antiquam seu vulgatam primum emendasse, collatis inter se multis exemplaribus, deinde obelis & asteriscis distinxisse. Quamobrem* (inquit) *editio illa* LXX. *quæ in Hexaplis legebatur, partim erat* κοινὴ, *partim non erat: erat quidem* κοινὴ *quia desumpta erat ex editione* κοινῆ, *seu vulgata. Non erat autem proprie* κοινὴ, *propterea quod & multis locis emendata fuerat ab Origene, & ex Theodotione aliisque Interpretibus passim suppleta.* Quod non respondisset Vir doctus, si modo animadvertisset, solere *Hieronymum*

LXX. in genere, ut opponitur Hebræo, *Vulgatam* nuncupare. Eadem cum *Valesio* habet *Frassenius*, qui oculis tantum alienis videt.

Eodem autem modo Editio Græca in genere, ut opponitur Editioni Hebraicæ, appellatur κοινὴ *vulgaris* apud Scholion Codicis *Barberini* ad Zach. 12. 10. ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο] ἔτω μὲν οἱ ό. ὁ ᾗ Θεοδοτίων ἐποίησε, Καὶ ἐπιβλέψονται πρὸς με ὃν ἐξεκέντησαν. ἐσημειωσάμεθα δὲ, ὅτι ἐπί τινων οἱ Ἀπόστολοι τὸ Ἑβραϊκὸν, ϰ̀ ἐ τὸ ἐν τῇ κοινῇ τεθείκασι. *Sic habent* LXX. *Theodotio vero fecit, Et aspicient in me quem transfixerunt. Notavimus autem in quibusdam locis Apostolos Hebraicum, & non quod in vulgari est, ponere.* Ita apud *Origenem* ipsum *contra Celsum* lib. 5. Καὶ ταῦτά γε μαθοῦσα ἡ Σεπφώρα, λαβοῦσα ψῆφον, περιέτεμε τὸ παιδίον ἑαυτῆς. κατὰ μὲν τὰ κοινὰ, τῶν ἀντιγράφων λέγειν ἀναγεγραμμένη τὸ, Ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου· κατὰ δὲ τὸ Ἑβραϊκὸν αὐτὸ, Νυμφίος αἱμάτων σύ μοί. *Quod non ignorans Sepphora, scrupo arrepto, circumcidit suum filium, affata secundum vulgata exemplaria, Stetit sanguis circumcisionis mei pueri: secundum Hebræum vero, Sponsus sanguinum tu mihi.*

Editionem autem Κοινὴν non fuisse in *Hexaplis*, testatissimum fecit ipse *Hieronymus* in Ep. ad *Sun.* & *Fret.* sic scribens: *Breviter illud admoneo, ut sciatis aliam esse editionem, quam Origenes & Cæsariensis Eusebius, omnesque Græciæ tractatores,* Κοινὴν, *id est, Communem appellant, atque Vulgatam, & à plerisque nunc* Λυκιανὸς *dicitur, ALIAM LXX. INTERPRETUM, QUÆ ET IN* Ἑξαπλοῖς *REPERITUR, & à nobis in Lat. sermonem fideliter versa est, & Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesiis decantatur.* — Κοινὴ *autem ista, hoc est Communis Editio, ipsa est, quæ &* LXX. *Sed hoc interest inter utramque, quod* Κοινὴς *pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta editio est. EA AUTEM QUÆ HABETUR IN* Ἑξαπλοῖς, *& quam nos vertimus, ipsa est, quæ in Eruditorum libris incorrupta & immaculata* LXX. *Interpretum translatio reservabatur. Quicquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est, quin ita & ab Hebræorum auctoritate discordet.* Et quod illa Editio, quæ *Obelis* Asteriscisque ab Origene signata est, non fuit Κοινὴ, sed purior illa, quam Hieronymus sæpe τῶν LXX. nomine ab ea distinguit, ipse docet in plerisque locis ejusdem Epistolæ: *De octavo Psalmo* (inquit) *Quoniam videbo cælos tuos: Et dicitis quod tuos, in Græco non habeatur. Verum est, sed in Heb. legitur Samecha, quod interpretatur, cælos tuos, & de editione Theodotionis in* LXX. *Interpretibus additum est sub asterisco.* Rursus: *Psalmo 17. Grando & carbones ignis. Et quæritis, cur Græci istum versiculum secundo non habeant interpositis duobus versibus. Sed sciendum quia de Hebraico, & de Theodotionis editione,* LXX. *Interpretibus sub asterisco additum sit.* Paulo post: *In 24°. Confundantur omnes iniqua agentes: Et dicitis quod, omnes, in Græco non habeatur:* αἰσχυνθήτωσαν οἱ ἀνομοῦντες, *i. e. confundantur iniqua agentes: & bene; nam nec in Heb. habetur, sed in* LXX. *sub veru additum est.* In eadem Epistola multa alia habet similia, à Græco vulgari, LXX. distinguens, & hanc editionem *asteriscis* & *obelis* notatam fuisse commemorans. In alio autem Loco ejusdem Epistolæ hæc habet: *In eodem* (Psal. 67. 25.) *Viderunt ingressus tui, Deus; pro quo in Græco scriptum sit:* ἐθεωρήθησαν αἱ πορεῖαί σου ὁ θεὸς, *i. e. visi sunt ingressus tui, Deus. Quod in Heb. ita est, rau helichotheca elohim, quod Aquila, & Symmachus, & Theodotion, & Quinta Sextaque Editio interpretati sunt: Viderunt itinera tua Deus, & quod sequitur, Itinera Dei mei regis, qui est in sancto. Ergo à nobis ita legendum est: Viderunt ingressus tuos, Deus: & scriptoris vitium relinquendum est, qui Nominativum posuit pro accusativo: licet IN* LXX. *ET IN* Ἑξαπλοῖς *ita repererim,* ἐθεώρησαν τὰς πορείας σου: *& pro eo quod est* ἐθεώρησαν, *h. e. viderunt, in multis Codicibus* ἐθεωρήθησαν: *quod & obtinuit consuetudo.* Videatur his verbis LXX. distinguere ab ea editione, quæ in

in *Hexaplis* habebatur: Sed eandem editionem puriorem intelligit, prout extra *Hexapla* tum ferebatur.

Editionem puriorem fuisse illam quæ Asteriscis notata est, testatur quoque *Eusebius* Demonstr. Evang. l. 8. ὅθεν καὶ παρὰ τοῖς ἀκριβέσιν ἀντιγράφοις τῆς ἑβδομήκοντα, τὸ, σὺ, μετὰ ἀστερίσκου προσθέσεως πρόσκειται· *Quocirca in accuratis* LXX. *Interpretum codicibus illud*, tuam, *asterisco apposito adjectum est*. Sic *S. Basilius* Homil. 4. in *Hexaem.* ait τὰ τῶν ἀντιγράφων ἀκριβῆ *exquisitissima* LXX. *exemplaria obelo fuisse notata.* Unam tantum fuisse editionem τῶν ο'. in Hexaplis, eamque fuisse correctiorem, confirmat Scholiastes 3. Reg. 6. ἔν τισι μὲν τῶν ἀντιγράφων, παρακείμενα κεῖται· ἐν δὲ τῷ Ἑξαπλῷ καὶ τοῖς ἀκριβεστέροις ἐξήκοντα.

Theodoretus Interp. in Psal. de Editione τῶν LXX. *Hexaplari*, tanquam unica, eaque puriori & ad Heb. propius accedente loquitur. Ad Psal. 64. Ταῦτα ὅτι τὸ Ἑβραϊκὸν ἔχει, ὅτι οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ, ὅτι οἱ ο'. ἐν τῷ Ἑξαπλῷ. Ad Psal. 65. Οὐδὲ ταύτην τὴν προσθήκην τὸ Ἑβραϊκὸν ἔχει, οὐδὲ οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ, οὐδὲ οἱ ο'. ἐν τῷ Ἑξαπλῷ. Psal. 73. Οὔτε ὁ Ἑβραῖος, οὔτε οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ, οὔτε μὲν οἱ ο'. ἐν τῷ Ἑξαπλῷ πληθυντικῶς, ἐν τοῖς ἁγίοις, τεθείκασιν. Psal. 118. 59. ὁ Ἑβραῖος δὲ τὰς ὁδούς μου ἔχει. ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἄλλοι ἡρμήνευσαν ἑρμηνευταὶ, καὶ οἱ ο'. ἐν τῷ Ἑξαπλῷ· *Hebræus habet vias meas, & sic etiam cæteri Interpretes verterunt*, & LXX. *in Hexaplo.* Psal. 145. Τοῦτο δὲ οὔτε παρὰ τῷ Ἑβραίῳ, οὔτε παρὰ τοῖς ἄλλοις εὗρον ἑρμηνευταῖς, οὔτε παρὰ τοῖς ο'. ἐν τῷ Ἑξαπλῷ. Ad Psal. 100. Editionem Hexaplarem simpliciter LXX. nominat, ut ab aliis fieri solet. Οὔτε δὲ παρὰ τῷ Ἑβραίῳ, οὔτε παρὰ τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς, οὔτε παρὰ τοῖς ο'. ταύτην εὑρήκαμεν τὴν προσθήκην.

Sententiam suam de duplici editione Versionis LXX. in Hexaplis, astruere conatur *Armachanus* ex illis *Hesychii* verbis quæ supra adduximus lib. 2. cap. 6. §. 7. ubi eandem cum *Epiphanio Lmniscorum* reddit rationem, nempe eos appositos fuisse illis dictionibus in quibus δύο ζυγαὶ Interpretum convenirent. Infelici admodum conjectura arbitratur *Armachanus*, designari ab *Hesychio* duos ordines editionis τῶν ο'. Hexaplares; atque hanc proinde *Limniscorum* & *Hypolimniscorum* falsissimam assignat rationem: *Ego*, inquit, *in hac editione Lemniscis, vel unico, vel nullo puncto signatis, Eusebium & Pamphilum usos fuisse existimaverim, ad voces eas denotandas, quæ in puriore editione* τῶν LXX. *aliter legerentur. Cum enim in Hexaplis duo essent* τῶν ο'. *ordines, unus qui sinceriorem eorum editionem illam, alter qui* Κοινὴν, *sive Vulgatam, obelis & asteriscis distinctam, exhiberet: in posteriore hac, à priore jam sejuncta, per simplices Lemniscos varietas lectionis in priore ordine repertæ, est signata; quemadmodum in aliis libris, per Hypolemniscum unico puncto signata ejusmodi lectio denotari solebat, quæ in uno tantum, per Lemniscum duobus punctis* ⁓ *insignitum, ea quæ in utroque simul* τῶν ο'. *ordine inveniretur: quod posterius Hesychius me docuit &c.*

20. Post edita vero Origenis Hexapla, in quibus editio purior asteriscis obelisque notata est, solebant multi quæ in suis Codicibus Vulgaribus deficiebant aut redundabant, ad eorum exemplum sub asteriscis supplere, aut obelis confodere. Hinc apud Hieronymum Præfat. libri 16. Comment. in Es. legimus: *Omnes Græciæ tractatores, qui nobis eruditionis suæ in Psalmos Commentarios reliquerunt, hos versiculos veru annotant, atque prætereunt, liquido confitentes, in Hebraico non haberi, nec esse in* LXX. *Interpretibus, sed in Ed. Vulgata, quæ Græce* Κοινὴ *dicitur, & in toto orbe diversa est.*

21. Observat *Usserius*, in communi editione addita fuisse nonnulla ex ipsa LXX. sub asteriscis: At locum istum, unde id probat, non recte intellexit Vir præstantissimus. Est Scholion Codicis *Marchaliani*, ad Es. 23. 13. Τούτων τῶν ἠστερισμένων Ὠριγένης ὡς τῶν ο'. μέμνηται ἐν τῷ κε'. τόμῳ τῶν εἰς Ἠσαΐαν. Quod *Usserius* sic vertit: *Horum asterisco signatorum, tan-*

quam EX LXX. DESUMPTORUM meminit Origenes in 25. tomo eorum, qui in Esaiam ab eo sunt editi. Scholiastes nihil aliud voluisse videtur, quam quod ea quædam verba, quæ asteriscis signata sunt in LXX. tanquam ex *Theodotione* invecta, *Origenes* ipse in Com. Es. commemoret tanquam ipsorum LXX. genuina verba.

22. In ejusdem Codicis *Marchaliani* Scholiis citantur sæpenumero οἱ ό. & sæpe etiam ό. sine articulo. In uno vero loco ponuntur simul utrique, οἱ ό. & ό. tanquam diversi, ut ad Es. 24. 5. οἱ ό. διεσκέδασαν. Α. ἠκύρωσαν. Θ. Σ. ὁμοίως ό.. Sed mendum ibi subesse existimo. ut *Hieronymus* in Epist. ad *Sun.* & *Fret.* Editionem puriorem Hexaplarem à Vulgari distinguit nomine LXX. sic è contra Scholiastes iste per ό. & οἱ ό. intelligit Codices *Vulgares*. Textus enim in quem scribit, ex *Hexaplis* ipsis descriptus est.

Commentator Anonymus in Catena in Psalmos, Editionem *Hexaplarem* simul citat & LXX. per LXX. intelligens Codices quosdam bonæ notæ, qui extra *Hexapla* ferebantur: ad Psalmi 65. titulum, εἰς τὸ τέλος, ᾠδὴ ψαλμοῦ ἀναστάσεως· *In finem, Canticum Psalmi Resurrectionis*: Τὸ ἀναστάσεως, inquit, οὐδαμοῦ κείμενόν τινες πάλιν προσέθηκαν· οὐδὲ γὰρ ἐν τῷ Ἑξαπλῷ κεῖται, ἀλλ' οὐδὲ παρὰ τοῖς ό. ὡς οὐδὲ ἡ τοῦ προλαβόντος τῆς ἐπιγραφῆς προσθήκη ψαλμοῦ· *Vocem hanc Resurrectionis rursus aliqui apposuerunt, cum nullibi haberetur: nam neque in Hexaplo, sed neque apud* LXX. *ponitur, ut neque præcedentis Psalmi inscriptionis adjectio.*

A Κοινῇ distinguuntur Codices accuratiores nomine LXX. à *Theodoro Heracleota* ad Psal. 129. 4. & à Scholiasta Codicis Card. *Barberini*, à quo etiam innuitur, diversitatem illam exemplarium etiam ante Apostolorum tempora fuisse. Ad Zach. 12. Ἀναγκαίως ἐσημειωσάμεθα, ἵνα γνωσθῇ ὅτι ἀδιαφόρως οἱ Ἀπόστολοι ποτὲ τῇ τῶν ό. ἄλλοτε τῇ Κοινῇ, ἄλλοτε τῷ Ἑβραϊκῷ ἀκολουθοῦντες παρατίθενται τὰς χρήσεις· *Necessario notavimus, ut cognoscatur Apostolos indifferenter aliquando editionem* LXX. *alias Communem, alias Hebraïcam, in citationibus sequi.*

Origenem ipsum Editionis Κοινῆς meminisse animadvertit *Hieronymus* in loco superius citato ex Epist. ad *Sun.* & *Fret.* Et in scriptis, quæ adhuc supersunt, meminit ipse differentiæ exemplarium *communium* & *accuratorum*; hæcque ipse ab illis distinguit τῶν LXX. titulo. Ad Psal. 138. 1. Ἐν ἐνίοις ἀντιγράφων πρόσκειται, Ζαχαρίου εἰς τὴν διασποράν. τοῦτο δὲ οὔτε παρὰ Ἑβραίοις, οὔτε παρὰ τοῖς ό. οὔτε παρὰ τοῖς ἄλλοις εὗρον ἑρμηνευταῖς· ἀλλά τις, ὡς ἐβουλήθη νενοηκὼς τὸν ψαλμὸν, τῆς ἐπιγραφῆς ἐποιήσατο τὴν προσθήκην· *In nonnullis Exemplaribus apponitur, Zachariæ in dispersionem. Hoc autem nec apud Hebræos, nec apud* LXX. *nec apud alios Interpretes inveni: sed aliquis cum Psalmum intellexerit, ut voluit, hujus inscriptionis additionem fecit.* Exemplarium accuratorum meminit tom. 6. Com. in Joh. Διὸ καὶ γέγραπται, ὅτι δίκαιος κύριος καὶ δικαιοσύνας ἠγάπησεν. οὕτω γὰρ ἐν τοῖς ἀκριβέσιν ἀντιγράφοις εὕρομεν, καὶ ταῖς λοιπαῖς παρὰ τοὺς ό. ἐκδόσεσι, καὶ τῷ Ἑβραϊκῷ· *Hanc ob causam etiam scriptum est* (Psal. 10. 8.) *Justus Dominus, & justitiam dilexit: sic enim in accuratis exemplaribus cæterisque traductionibus juxta* LXX. *& ipso Hebraico invenimus.* Editionum diversarum τῶν ό. mentionem facit in Lament. 1. apud Scholia *Nobiliana*: *Juxta Symmachum, & secundum aliam* ἐκδοχὴν (l. ἔκδοσιν) *ipsorum* LXX. *&c.* Hinc erroris arguuntur, qui putant distinctionem inter editionem κοινὴν & puriorem, ab *Origenis* correctionibus initium habuisse.

23. Nullum tamen *Origenis* tempore tam purum exstitit exemplar, quin necesse habuerit ille editionem τῶν ό. Hexaplarem ex variis Codicibus inter se collatis conficere: ut testatur ipse Com. in Matt. verbis supra in libro præcedente [a] prolatis: Et de omnium Codicum Græcorum in Nominibus propriis corruptelis, conqueritur [b] *Com. in Joan.* Sic

[a] Pag. 294. 5. 6.
[b] Vide supra pag. 295.

in

in Ezech. 4. οὐκ ἀγνοῦμεν δὲ, τινὰ τῶν ἀντιγράφων ἔχειν ρʹ. καὶ νʹ. ἡμέρας. καὶ ἄλλας (lege ἄλλα) ϛ. καὶ ἑκατὸν ἡμέρας, καὶ τὰ πλείονα δὲ ϛ. καὶ ϙ. ἡμέρας. ἀλλ' ἐπισκεψάμενοι ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσι, εὕρομεν τ. εἶναι καὶ ϛ. ἡμέρας. *Non ignoramus autem quædam exemplaria habere 150. dies, & alia 190. dies: & plura quidem 190. dies. Sed consideratis cæteris editionibus invenimus esse 390. dies.* Rursus itaque fallitur *Userius*, cum dicit *Origenem* editionem quam invenerit in Bibliotheca *Alexandrina*, tanquam puram & immaculatam, in Hexaplis reposuisse. In Epistola ad *Ambrosium* apud *Cedrenum*, si modo genuina ea sit, ait: οὔτε γὰρ δειπνῆσαι ἔστιν ἡμῖν ἀντιβάλλουσιν, οὔτε δειπνήσασιν ἔξεστι περιπατῆσαι καὶ διαναπαῦσαι τὰ σώματα. ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς καιροῖς ἐκείνοις φιλολογεῖν καὶ διορθοῦν τὰ ἀντίγραφα ἀναγκαζόμεθα, οὔτε μὴν ὅλην ἐπὶ θεραπείᾳ τοῦ σώματος τὴν νύκτα ἔξεστιν ἡμῖν κοιμᾶσθαι, ἐπὶ πολὺ τῆς ἑσπέρας τῆς φιλολογίας παρατεινούσης. ἐῶ δὲ λέγειν καὶ τὰ ἕωθεν μέχρι τῆς θ. ἔσθ' ὅτε καὶ δεκάτης ὥρας. *Non cœnare nobis permittit Exemplarium collatio: neque à cœna deambulare, aut corpus quiete reficere: sed etiam illo tempore literas tractare, & exemplaria emendare cogimur, nec reficiendi corporis causa totam dormire noctem nobis conceditur: ne dicam de matutinis laboribus, qui ad nonam, sæpe vero ad decimam producuntur.*

24. Editionem *Hexaplarem* fuisse *incorruptam & immaculatam* LXX. *Interpretum translationem* dicit *Hieronymus* in Ep. ad *Sun. & Fret.* verbis supra citatis. Sic in Ezech. cap. 4. meminit Codicum τῶν LXX. *qui non sunt scriptorum vitio depravati.* Alibi vero de editione LXX. generatim loquens, ait eam cum alias, tum in nominibus propriis fuisse corruptam. In Ezech. lib. 12. *Diligentem*, inquit, *& studiosum lectorem admonendum puto (si tamen scientia Scripturarum, & non vanis oratorum declamationibus ducitur) ut sciat omnia prope verba Heb. & nomina, quæ in Græca & Lat. translatione sunt posita, nimia vetustate corrupta, scriptorumque vitio depravata, & dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Heb. facta sunt Sarmatica, imo nullius gentis, dum & Hebræa esse desierint, & aliena esse non cæperint.* Ibid. paulo post: *Volui breviter ostendere quantum temporis longitudine, imo scriptorum vitio, & ut apertius loquar, imperitia, ab Heb. Veritate discrepet antiqua translatio, præcipueque in Heb. nominibus.* In eundem Ezech. lib. 2. cap. 5. *Multoque melius fuerat transferre quod scriptum est, quam rei male translatæ patrocinium quærere. Nec hoc dicimus ab illis factum, quia vetustas auctoritatem dedit: sed per multa secula, scriptorum atque lectorum vitio depravatum.* In Præfat. in Paralip. ex Heb. versa, prætendit causam hanc fuisse, quia LXX. *Editio pura, & ut ab eis in Græcum versa est, non permansit. Theodoretus* in Jonam cap. 3. lectionem τῶν ό. etsi omnia consentirent exemplaria, fuisse corruptam existimat: nempe τοὺς τὴν ἀρχὴν ἐγγεγραφότας ἁμαρτεῖν περὶ τοῦτο, εἶτα οὕτω γενέσθαι πάσι τῶν ἀντιγράφων τὴν ἔκδοσιν· *eos qui initio scripserunt in hoc errasse, deinde in omnia exemplaria hanc editionem permanasse.* Ex dictis autem patet errare *Waltonum*, cum affirmat *omnes scriptores veteres puram, & sinceram judicasse* editionem illam quæ in *Hexaplis* exstabat. Hoc tamen certo certius, habitam fuisse apud omnes pro editione longe omnium optima.

Fallitur quoque *Hieronymus*, cum dicit, quod *quicquid ab hac* editione Hexaplari *discrepat, nulli dubium est, quin ita & ab Hebræorum auctoritate discordet.* Nam in paucis quibusdam locis cum Hebræo magis conveniebat editio ista Κοινὴ, quam purior illa *Hexaplaris*: nimirum quia ex aliis Versionibus *Aquilæ, Sym.* aut *Theod.* nonnulla à librariis emendata fuerant. [a] *Userius* vero apud *Hieronymum* pro, *Hebræorum*, legendum putat, *eorum*, ut sensus sit: ubicunque Κοινὴ sive Communis editio aliam ab ea, quæ in Hexaplis *incorrupta & immaculata* LXX. *Interpretum translatio* habebatur, lectionem exhiberet, nulli dubium esse posse,

[a] De LXX. cap. 4.

quin hæc ab *eorum*, i. e. LXX. Interpretum, *auctoritate discordaret.* Cæterum cum in voce, *Hebræorum*, cuncta consentiant exemplaria, & sensus eam satis commode ferat, mutandam non esse existimo. *Hieronymus* autem ipse meminit locorum quorundam Psalmorum, ubi Κοινὴ magis quam *Hexaplaris* cum Hebræo consensit: Ep. ad *Sun.* & *Fret.* *De* 18°. *exultavit ut gigas ad currendum viam suam: & dicitis quod in Græco* (Κοινῇ) *non habeatur*, ἀγαλλιάσεται ὡς γίγας δραμεῖν ὁδὸν *i. e. exultabit ut gigas currere viam: sed hoc* (i. e. suam) *nos sub veru additum* (in Hexaplis) *reperimus, & in Heb. non esse manifestum est.* Sic paulo post: *In* 24°. *confundantur omnes iniqua agentes: & dicitis quod,* omnes, *in Græco* (Κοινῇ) *non habeatur: sed* αἰσχυνθήτωσαν οἱ ἀνομοῦντες, *i. e. confundantur iniqua agentes: & bene: nam nec in Heb. habetur, sed in* LXX. (i. e. in Hexaplis) *sub veru additum est.* Alia quædam loca animadvertet Lector diligens in Collationibus *Hexaplaris* & Κοινῆς, quæ sequuntur.

25. In libro *Psalmorum* quomodo discordaret Κοινὴ ab *Hexaplari*, intelligimus ex *Hieronymi* ad *Sun.* & *Fret.* Epistola toties citata. Loca varia collegimus atque subjecimus, ea vero quæ magis conveniunt cum *Heb.* asterisco (*) quæ magis cum editione *Romana*, hac notula (†) quæ cum Codice *Alexandrino* (‡) signavimus. In columna vero posteriore non integra passim loca, sed tantum verba illa, in quibus Editiones differunt, apponenda duximus. Latina autem quæ adjiciuntur, sunt juxta Hieronymi Versionem, quæ nunc *Gallicana* dicitur, ex ipsa Editione *Hexaplari* confectam, prout in Epistola præfata exhibentur.

Psal.	vers.	Hexapla.	Κοινή.
5.	6.	οὐ παροικήσει σοι πονηρός. *Neque habitabit juxta te malignus.*	πονηρευόμενος. † ‡
	9.	Κατεύθυνον ἐνώπιόν μου τὴν ὁδόν σου. * *Dirige in conspectu meo viam tuam.*	σου τὴν ὁδόν μου. † ‡
6.	11.	Αἰσχυνθείησαν καὶ ταραχθείησαν σφόδρα πάντες οἱ ἐχθροί μου. *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei.* * † ‡	σφόδρα deest.
7.	9.	Κρῖνόν με, Κύριε, κατὰ τὴν δικαιοσύνην μου. *Judica me, Domine, secundum justitiam meam.* * † ‡	σου.
16.	8.	Φύλαξόν με ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ. *Custodi me, ut pupillum oculi.* * † ‡	με, Κύριε.
17.	47.	Ζῇ Κύριος καὶ εὐλογητὸς ὁ θεός μου. *Vivit Dominus & benedictus Deus meus.* * † ‡ Heb. hodiernus, *petra mea.*	μου deest.
22.	5.	ποτήριόν μου. *calix meus.* *	σου. † ‡
30.	5.	σὺ εἶ ὑπερασπιστής μου. *Tu es protector meus.* *	ὁ ὑπερασπιστής μου Κύριε. † ‡
31.	2.	Οὐδέ ἐστιν ἐν τῷ πνεύματι αὐτοῦ δόλος. *Nec est in spiritu ejus dolus.* *	στόματι αὐτοῦ † ‡ (ex *Symmachi* Versione.)
36.	23.	θελήσει *volet.* * †	θελήσει σφόδρα. ‡
39.	14.	Κύριε εἰς τὸ βοηθῆσαί μοι πρόσχες. *Domine in adjutorium meum respice.* * †	μοι σπεῦσον. ‡
40.	7.	Καὶ εἰ εἰσεπορεύετο τοῦ ἰδεῖν. *Et si ingrediebatur, ut videret.* † *	εἰ deest. ‡
41.	11.	Ονείδιζόν με, οἱ θλίβοντές με. *Exprobraverunt mibi, qui tribulant me.* †	οἱ ἐχθροί μου. ‡

47.

Psal.	vers.	Hexapla.	Κοινή.
47.	5.	Οἱ βασιλεῖς συνήχθησαν. *Reges congregati sunt.* *	βασιλεῖς αὐτῆς. † & ‡ τῆς γῆς. Sic etiam Versio vetus *Itala.*
	9.	Εν μέσῳ τοῦ ναοῦ σου. *In medio templi tui.* *	λαοῦ σου. † ‡
58.	12.	Μήποτε ἐπιλάθωνται τοῦ λαοῦ μου. *Ne quando oblevifcantur populi mei.* *	τοῦ νόμου σου. † ‡
60.	6.	Οτι σύ, ὁ θεὸς ἐξήκουσας τῶν εὐχῶν μου. *Quoniam tu, Deus exaudisti orationem meam.* *	ὁ θεός μου. † ‡
62.	2.	Εδίψησέ σοι ἡ ψυχή μου. *Sitivit tibi anima mea.* † ‡	σε.
67.	25.	Εθεώρησαν τὰς πορείας σου, ὁ θεός. *Viderunt ingressus tuos, Deus.* *	ἐθεωρήθησαν αἱ πορεῖαι σου, ὁ θεός. † ‡
71.	18.	Εὐλογητὸς Κύριος ὁ θεός, ὁ θεὸς Ισραήλ. *Benedictus Dominus Deus, Deus Israel.* *	ὁ θεὸς Ισραήλ. † ‡
	19.	Καὶ εὐλογητὸν τὸ ὄνομα τῆς δόξης αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα. *Et benedictum nomen Majestatis in æternum.* *	εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ εἰς αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. † ‡
72.	7.	Εξελεύσεται ὡς ἐκ στέατος ἡ ἀδικία αὐτῶν. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* *	ἐξελεύσεται. † ‡
	11.	Πῶς ἔγνω ὁ θεός; *quomodo scit Deus?* * † ‡	ὁ θεὸς deest.
	28.	Τοῦ ἐξαγγεῖλαι πάντα τὰ ἀπαγγέλματά σου. *Ut annunciem omnes prædicationes tuas.*	πάσας τὰς αἰνέσεις σου. † ‡
73.	8.	Καταπαύσωμεν. *comburamus.* *	καταπαύσωμεν *quiescere faciamus.* † ‡
	23.	Μὴ ἐπιλάθῃ τῆς φωνῆς τῶν ἐχθρῶν σου. *Ne obliviscaris vocis inimicorum tuorum.* *	τῶν ἱκετῶν σου. *deprecantium te.* † ‡
76.	6.	Εσκαλλον τὸ πνεῦμά μου. *Scopebam spiritum meum.* * † ‡	ἔσκαλλε τὸ πνεῦμά μου.
76.	9.	— — — — — — — — — — —	συνετέλεσε ῥῆμα. In nulla alia Editione comparuerunt; nec hodie comparent.
77.	31.	Καὶ ἀπέκτεινεν ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν. *Et occidit pingues eorum.* (Sic enim legendum apud Hieron.) * † ‡	ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν.
	72.	Εν ταῖς συνέσεσι. *in intellectibus.* *	ἐν τῇ συνέσει. † ‡
85.	15.	Ο θεός. * † ‡	ὁ θεός μου.
88.	19.	Τότε ἐλάλησας ἐν ὁράσει τοῖς ἁγίοις σου. *Tunc locutus es in Visione Sanctis tuis.* *	τοῖς υἱοῖς σου. † ‡
89.	2.	Σὺ εἶ θεός. *Tu es Deus.* * † ‡	θεὸς abest.
90.	2.	Αντιλήπτωρ μου εἶ. *Susceptor meus es tu.* † ‡	* μου εἶ.
101.	10.	Απὸ προσώπου τῆς ὀργῆς καὶ τοῦ θυμοῦ σου. *A facie iræ & indignationis tuæ.* *	τῆς ὀργῆς σου. † ‡
104.	42.	Οτι ἐμνήσθη τοῦ λόγου τοῦ ἁγίου αὐτοῦ, τοῦ πρὸς Αβραὰμ τὸν δοῦλον αὐτοῦ. *Quoniam memor fuit verbi sancti tui, quod habuit ad Abraham puerum suum.* * † ‡	αὐτοῦ, ὃν διέθετο πρός.
109.	2.	Ράβδον δυνάμεώς σου ἐξαποστελεῖ Κύριος. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus.* *	δυνάμεως ἐξαποστελεῖ σοι. † In ‡ deest & σου & σοι.

Psal.	vers.	Hexapla.	Κοινή.
109.	2.	Κατακυρίευε ἐν μέσῳ τῶν ἐχθρῶν σου. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* * †	καὶ κατακυριεύσεις. ‡
118.	109.	Η ψυχή μου ἐν ταῖς χερσί μου διὰ παντός. *Anima mea in manibus meis semper.*	χερσὶ σου. † ‡
137.	2.	Ὅτι ἐμεγάλυνας ἐπὶ πᾶν τὸ ὄνομα τὸ ἅγιόν σου. * †	ἐπὶ πάντας. ‡
138.	4.	Ὅτι οὐκ ἔστι λόγος ἐν γλώσσῃ μου. *Quia non est sermo in lingua mea.* * In † & ‡ legitur λόγος ἄδικος.	ἔστι δόλος ἐν (ex 6ta editione.)

26. Eadem loca, sed minus, ni fallor, accurate, collegit *Armachanus*, quædam perperam prætermittens, alia interserens quæ non erant interserenda. Nec ullam eorum cum Codice *Vaticano* & *Alexandrino* instituit is collationem. Subjecit idem [a] similes inter Editionem puriorem & Κοινὴν differentias ex margine & textu *Marchaliani* Codicis *Esaiæ*; sed ordine inverso eas lectiones *Marginales*, quæ erant τῆς Κοινῆς, Editioni puriori; & *Textuales*, quæ erant purioris, τῇ Κοινῇ passim male adscribit. Nos varias eas lectiones cum exemplari etiam *Vaticano* & *Alexandrino* collatas, hoc modo vere repræsentamus.

[a] Cap. 14.

Es.	vers.	Hexapla.	Κοινή.
1.	29.	αἰσχυνθήσονται. †	καταισχυνθήσονται. ‡
2.	12.	ταπεινωθήσονται. † ‡	ταπεινωθήσεται.
3.	9.	ἀνήγγειλαν. † ‡	ἀπήγγειλαν.
	17.	ἀποκαλύψει. ‡	ἀνακαλύψει. †
5.	2.	Σωρήκ. † ‡	ἐκλεκτήν.
	14.	τὸ στόμα αὐτοῦ. * † ‡	τὸ στόμα.
	16.	ἐν κρίματι. † ‡	ἐν κρίσει.
	28.	οἱ πόδες. † ‡	αἱ ὁπλαί.
6.	5.	κατανένυγμαι. † ‡	ἐσιώπησα.
9.	3.	κατήγαγες. † ‡	οὐκ ἐμεγάλυνας.
	8.	θάνατον דבר. † ‡	λόγον דבר.
10.	4.	ὁ θυμός. ‡	ἡ ὀργή. †
	24.	ἐπάξω. † ‡ ἐπάγω.	ἐπαρεῖ.
	30.	Καῖσα.	Λαῖσα. * †
	33.	οἱ ὑψηλοὶ τῇ ὕβρει ταπεινωθήσονται.	οἱ μετέωροι ταπεινωθήσονται.
11.	4.	ταπεινοὺς τῆς γῆς. † ‡	πτωχοὺς τῆς γῆς.
	7.	ὡς βοῦς. † ‡	ὡς βουκόλιον.
14.	1.	γειώρας גר. † ‡	προσήλυτος.
	17.	τοὺς ἐν ἀπαγωγῇ. † ‡ ἐπαγωγῇ.	τοὺς δεσμούς.
16.	4.	ἐπὶ τῆς γῆς. ‡ sed † ἀπό.	ἐκ τῆς γῆς.
18.	7.	ἀπὸ λαοῦ μεγάλου. † ‡	ἀπὸ λαοῦ φοβεροῦ.

Es.	vers.	Hexapla.	Κοινή.
21.	15.	διὰ τὸ πλῆθος τῶν φευγόντων. ‡	διὰ τὸ πλῆθος τῶν πεφονευμένων. †
22.	1.	πολέμου, ‡ vel πλεμων. †	πολέμων.
24.	5.	διαθήκην. † ‡	διεσκέδασαν διαθήκην.
25.	1.	γένοιτο. † ‡	πιστή.
26.	14.	οἱ νεκροὶ ζωὴν οὐ μὴ ἴδωσιν, οὐδὲ ἰατροὶ οὐ μὴ ἀναστήσωσι. † ‡	οὐ μὴ ἀναστήσωσιν οἱ νεκροί, οὐδὲ ζωοποιήσωσι.
29.	17.	μικρόν. † ‡	μικρὸν βραχύ. *
38.	6.	σώσω σε. ‡	ῥύσομαί σε. †
40.	4.	εἰς ὁδοὺς λείας. * ‡	εἰς τὰ πεδία. †
41.	16.	λικμήσεις. † ‡	λικμ. αὐτούς. *
43.	23.	οὐκ ἐδούλωσας, ‡ ἐδούλευσας.	οὐκ ἐδούλωσά σε (al. οὐ κατεδουλωσάμην σε) †
49.	10.	διψήσουσιν. † ‡	διψάσουσιν.
	23.	οἱ ὑπομένοντές με. † ‡	οἱ προσδοκῶντες με.
	24.	ἐὰν αἰχμαλωτεύσῃ τις ἀδίκως, σωθήσεται. † ‡	αἰχμαλωτίζων δίκαιον περισωθήσεται.
50.	1.	ποῖον τοῦτο βιβλίον;	ποῖον τὸ βιβλ. † ‡
	2.	τί, ὅτι ἦλθον; † ‡	διότι ἦλθον;
	9.	βοηθεῖ μοι. ‡	βοηθήσει μοι. †
51.	12.	τίνα εὐλαβηθεῖσα ἐφοβήθης. ‡	τίς οὖσα ἐφοβήθης. †

Es. vers.	Hexapla.	Κοινή.	Es. vers.	Hexapla.	Κοινή.
51. 23.	τὰ μετάφρενά σου. ‡	τὰ μέσα σου. †	62. 1.	σωτήριόν μου. † ‡	σωτήριον αὐτῆς. *
52. 12.	πορεύσεσθε. † ‡	ἀπελεύσεσθε.	8.	ὤμοσε Κύριος κατὰ τῆς δόξης αὐτοῦ. † ‡	ὤμ. Κ. κατὰ τῆς ἰσχύος αὐτοῦ.
57. 12.	ὠφελήσουσι. ‡	ὠφελήσει. †			
59. 10.	φυλαφήσουσιν. † ‡	διαψυλαφήσομεν.	66. 8.	εἰ καὶ ἐτέχθη ἔθνος; ‡ εἰ ἐτέχ.	ἢ καὶ ἐτέχθη ἔθνος; †
13.	ἀπὸ ὄπισθεν. ‡	ὄπισθεν. †			

Κοινὴν secutus est Codex Card. *Barberini*, qui Prophetas complectitur, ut patet ex Scholio ad Hos. 5. 3. ubi οἱ ό. citantur tanquam à textu discrepantes: οὐκ ἀπέςη ἀπ.] α΄. οὐκ ἀπεκαλύφθη ἐξ ἐμοῦ. σ΄. οὐκ ἐλάθησαν. θ΄. καὶ οἱ ό. οὐκ ἄπεσιν ἀπ' ἐμοῦ. Et in Zach. 1. 2. οἱ ό. à Κοινῇ distinguuntur.

27. Turpiter errant, qui Editionem Κοινὴν & *Origenianam* asteriscis signatam omnino eandem faciunt. Hoc tamen in errore versantur [a] *Bellarminus*, [b] *Gretserus*, [c] *Possevinus*, [d] *Cornelius à Lapide*, aliique multi. *Origenes*, inquit *A-Lapide*, *post composita Hexapla &c. rursus* LXX. *vitiatos correxit, idque adeo probe, ut ab omnibus* Κοινή, *i. e. Communis habita sit & dicta hæc ejus editio.* *Gretserus* addit, idcirco *Hieronymum* dicere editionem Κοινὴν corruptam esse, *quia cum alii, tum potissimum & præ cæteris multa immiscuerat ex Theodotione Origenes, quippe primus auctor hujus* Κοινῆς *& Vulgatæ Editionis.*

a De verbo Dei 2. 5.
b Def. Bellar. 2. 5.
c Appar. S. v. Biblia.
d Proœm. & Encom. S. Scrip. §. 2.

Per Ed. Κοινὴν *Vulgarem* Isidorum Hisp. perperam intelligere *Quintam*, jam alibi à nobis observatum fuit. *Isidorum* autem in errore sequuntur *Ranulphus Cestrensis*, aliique non pauci.

[e] *Franc. Junius*, qui credidit LXX. Interpretes vertisse tantum *Pentateuchum*, & alios sub *Herode* R. totas Scripturas vertisse, ait Κοινὴν fuisse eandem cum *Herodiana.*

e In Bellarm. Controv. 1. l. 2. c. 5.

28. [f] *Abr. Bzovius*, qui Octapla ab Hexaplis distinguit, dicit *Origenem* circa Consulatum *Modesti* & *Probi* annos 43. natum, cum *Sextam* Editionem *Nicopoli* apud *Actium* littus in doliis occultatam, repertam esse didicisset, ut 5. jam elaboratis illam quoque adjungeret, in Græciam per Palæstinam iter fecisse, & in itinere Cæsareæ munus suscepisse Presbyterii. Tyrum postea delatum, ibique degentem, Octapla composuisse. Existimat quoque [g] *Spondanus*, cum *Eusebius* causam profectionis *Origenis* in Græciam non explicet, eam fuisse ut *Sextam* Editionem eo anno repertam, reliquis adjungeret. [h] *Huetius* existimat illum Hexaplorum opus inchoasse, dum apud *Julianam*, *Symmachi* Interpretis hæredem, Cæsareæ in Cappadocia, flagrante sub Maximino Persecutione sexta, lateret, maximam ibi nactum librorum supellectilem, & Interpretationum præsertim Scripturæ, quas in suos usus *Symmachus* collegerit, cum ipse suam adornaret. Jam primam quidem eorum descriptionem animo præformasse, cum versaretur Alexandriæ, nonnullasque ad id Scripturæ Interpretationes eum collegisse & contulisse, *Eusebium* videri significare: quas & magnis ipsum sumptibus redemisse ait [i] Hieronymus. *Cæsareæ* vero *Cappadociæ* serio manum operi admovisse, *Tyri* penitus absolvisse. "Hinc (inquit) intelligitur *Epiphanii* "ratio, *Tyri* ea elaborata fuisse testificantis, hoc est partim *Tyri*, par-"tim in iis locis, in quibus moram fecit *Origenes* 28. annorum decursu, "quos *Tyri* actos *Epiphanius* falso arbitrabatur. Commode vero ad "eam lucubrationem referri potest, quod de se dicit *Origenes* apud *Sui-*"*dam*, solitum esse sibi, ἐν καιροῖς ἀνέσεως φιλολογεῖν, καὶ ἀκριβοῦν τὰ ἀντί-"γραφα. Facile enim persuadeor, succisivis horis varia ipsum exem-

f Hist. Eccl. l. 3. ad an. 227. &c.
g Ad an. 230.
h Origen. l. 1. c. 3. §. 3.
i Apol. 2. in Ruf. c. 9.

"plaria simul contendisse, qui labor ad condenda Hexapla erat vel-"uti [illegible].

29. *Origenes* ob illustrem hanc operam in edendis *Hexaplis*, Versioneque LXX. emendanda atque supplenda, inter ipsos *Interpretes* à nonnullis male recensetur. [a] Jacobus de Valentia: *In quibusdam Ecclesiis Græcorum legebatur traductio Origenis, & in aliis traductio Luciani. Origenem Scripturas ex Hebræo transtulisse*, ait [b] *Possevinus*. Sic quoque [c] *Lutherus* & *Abulensis*. Tanquam *Interpres* citatur ab [d] *Hildephonso Toletano*: *Multiplicans*, inquit, *multiplicabo dolores tuos, & conceptus tuos. pro quo Symmachus afflictiones tuas, dixit: Origenes vero, & Theodotio, necnon &* LXX. *tristitias tuas dixerunt & gemitus. Comestor* ait illum *primo sub Alexandro* LXX. *correxisse cum asterisco & obelo; postea transtulisse sine istis.* Eadem habet [e] *Hugo Cardinalis*. Alii illum auctorem fuisse Versionum *Sextæ* & *Septimæ* dictarum tradidere, ut *Hugo de S. Victore* superius citatus ad finem Capitis præced.

[a] Prol. in Psal.
[b] Appar. S. v. Biblia.
[c] Præf. Com. de ult. verbis Davidis.
[d] De Virgin. Mariæ.
[e] Com. in Hieron. Præfat. in Jos.

30. *Hexapla* autem & *Tetrapla* post *Origenis* obitum per annos circiter 50. delituisse videntur, donec tandem à *Pamphilo* & *Eusebio* ejus amico, Cæsariensi postmodum Episcopo, in Ecclesiæ Cæsariensis Bibliotheca reperta sunt, & in lucem prolata, vel illuc potius, Bibliothecam instaurante *Pamphilo*, aliunde (à *Tyro* forte) translata.

Origenis ipsius Exemplaria αὐτόγραφα in Bibliotheca Cæsariensi reposita sunt, ubi ea pervolvit *Hieronymus*, & apographa inde descripta nactus est. Com. in Psal. 2. *Non sic impii*] *Id quod secundo dicitur, non sic, in Hebræis voluminibus non habetur: sed ne in ipsis quidem* LXX. *Interpretibus. Nam in Exemplis Origenis in Cæsariensi Bibliotheca legens, semel tantum scriptum reperi.* Com. in Epist. ad Titum cap. 3. *Nobis curæ fuit omnes veteris Legis libros, quos Vir doctus Adamantius in exempla digesserat, de Cæsariensi Bibliotheca descriptos ex ipsis authenticis emendare. In quibus & ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta, & Græcis literis tramite ex vicino. &c.* In Catalogo ait se *Quintam* & *Sextam* & *Septimam* Editionem, *de ejus Bibliotheca habuisse.*

31. Iidem *Pamphilus* & *Eusebius*, conjuncta opera, Editionem LXX. asteriscis obelisque in *Hexaplis* signatam emendarunt, indeque descriptam publici juris fecerunt, Ecclesiisque *Palæstinis* tradiderunt. Quanto applausu excepta fuerit ab Ecclesiis omnibus, tum ea Editio, tum grande illud *Hexaplorum* opus, indicavimus jam in *lib. 3. parte 1. cap. 5.* Editio autem illa ab Ecclesiis *Palæstinis* in usum publicum communemque recepta, *Palæstinæ* nomen sortita est. Unde tandem in usum vulgarem ab omnibus Ecclesiis *Antiochiam* inter & *Ægyptum* est recepta. Hæc ratio nominis mihi magis placet, quam aliæ illæ ab *Armachano* commemoratæ: viz. vel quia in *Palæstina*, dum apud *Cæsaream* commoraretur, ab *Origene* fuerit elaborata; vel quod à *Pamphilo* & *Eusebio* ex *Hexaplis* in *Cæsariensi* Bibliotheca repositis desumpta, emendata, & seorsum evulgata est. *Palæstinos* autem Codices appellatos fuisse, ex *Hieronymo* cognoscimus Ep. 107. ad Chromatium: *Palæstinos Codices, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt.* Neque solum in Palæstina partibusque vicinis Antiochiam inter & Ægyptum, vulgari usu recepti sunt, verum etiam *in omnibus Ecclesiarum Bibliothecis*, fuisse repertos; & *vix unum aut alterum inventum fuisse librum, qui* addita sub asteriscis *non haberent*, [f] affirmat idem. Hoc vero posterius sensu hyperbolico intelligendum est, quod Codices quamplurimi ista haberent: Ut dicit quoque [g] *Augustinus*, *MULTOS codices has notas habentes usquequaque diffusos esse Græcos & Latinos.* Et hoc quoque voluit Hieronymus, non libros pene universos fuisse editionis ipsius *Origenianæ*, sed in omnibus pene voluminibus fuisse nonnulla si non in ipso textu,

[f] Ep. ad Aug.
[g] De Civ. 18. 43.

textu, at in margine saltem, ex ea sub asteriscis suppleta. Atque hinc factum est, quod nullum nunc reperiatur exemplar, in quod non irrepserint aliqua ex Editione Origeniana. A *Syris* etiam & *Ægyptiis*, in Biblia sua translata fuisse supplementa illa una cum asteriscis, commemorat [a] Hieronymus: *Omnes Christi Ecclesias tam Græcorum, quam Latinorum, Syrorumque & Ægyptiorum hanc sub asteriscis & obelis Editionem legisse*, affirmans.

32. Supersunt adhuc non paucæ istius reliquiæ. Libri *Esther* Editionem *Origenianam*, una cum altera è regione opposita, publici juris fecit ex *Arundelliana* Bibliotheca *Usserius* an. 1655. ad finem *Syntagmatis de Editione* LXX. *Interpretum*. Asteriscos habuit ipse Codex MS. obelos vero adjecit *Usserius*. Fragmenta quædam *Pentateuchi*, necnon *Josuæ* & *Judicum*, obelis asteriscisque notata habuit *Claud.* [b] *Sarravius* Senator Parisiensis, cujus variæ lectiones exhibentur in Tomo 6. Bibliorum *Waltonianorum*. *Esaiæ* & [c] *Jeremiæ* Prophetiæ asteriscis insignitæ servantur in Bibliotheca Reginæ nostræ serenissimæ. *Esaiæ* Codex *Marchalianus* sive *Rupefucaldianus* (qui & *Ezechielem* aliosque Prophetas habuit) à *Jo. Curterio* una cum Commentariis *Procopii* an. 1580. quæ addita sunt sub *asterisco* in margine exhibet: *obeli* vero omittuntur in honorem, ut creditur, Versionis LXX. Illud vero exemplar transcriptum est ex *Apollinarii* cujusdam Codice, descripto ex ipso *Hexaplo*, ut legimus in Præmonitione, quam supra videre [d] est.

In Biblia etiam *Syriaca* & *Arabica* translati sunt editionis *Origenianæ* Asterisci & Obeli. Quorum supersunt huc usque exemplaria quædam. *Andreas Masius* habuit aliquot sacræ historiæ libros, qui & conversi in linguam *Syrorum*, & scripti sunt *Alexandriæ* anno ab *Alexandro* M. 927. h. e. ante hos annos ferme 1100. conversi sunt (uti ille monet) ad verbum de Græco exemplari, quod *manu Eusebii* ad *Origenis libros, qui in Cæsariensis Ecclesiæ bibliotheca observabantur, fuerat emendatum*. In quibus libris *Syriacis* (sive *Syricis*, ut *Masius* loquitur) appositæ sunt Obelorum, Asteriscorum, Limniscorum, & Hypolimniscorum notulæ. Et ex iis librum *Josuæ* Græcum iisdem notis instruxit ac edidit an. 1574. utinam & cæteros. Exemplaria duo Pentateuchi MSS. ex Græco in Arabicum versa, eisdem Obelis & Asteriscis insignita, habemus in Bibliotheca *Bodleiana*, quorum variantes lectiones in sexto Volumine Bibliorum *Waltonianorum* exhibentur.

B. *Hieronymum* ex eisdem Bibliis *Origenianis* Editionem suam Latinam, quam ex Græco fecit, obelis asteriscisque distinxisse, suo loco [e] monuimus. In exemplaribus vero eorum librorum, qui ex ista Versione hodie supersunt, negligentia scriptorum vulgo ejectæ sunt istæ notulæ. Liber vero *Job* eisdem interstinctus in Bibliotheca *Bodleiana* asservatur; & *Psalterium* Lat. eisdem distinctum, cum *Brunonis Herbipolensis* Commentariis, edidit an. 1531. [f] *Jo. Cochlæus*.

33. Conjectatur *Armachanus* Theodotionis Editionem in *Daniele* à *Pamphilo* & *Eusebio* obelis & asteriscis, reliquo operi congruenter convenienterque distinctum fuisse; indeque hac editione tam longe lateque propagata, effectum fuisse, ut pro vulgata τῶν ο'. editione Christianæ Ecclesiæ Theodotionem in *Daniele* legerent. In qua conjectura summo Viro minime accedo. Nam ut Theodotionis editionem fuisse in ullo libro obelis asteriscisque distinctam nusquam legimus, sic constat illius editionem *Danielis* ante *Pamphili* & *Eusebii* tempora, superstite ipso *Origene*, ab Ecclesia fuisse receptam; unde *nostra*, i. e. Ecclesiastica Editio ab ipso, in Epist. ad *Africanum*, dicitur.

[g] *Baronius* asserit non modo in *Daniele*, sed in omnibus libris, editionem *Theodotionis*, idque ab ipso *Origene*, *asteriscis & obelis appositis* fuisse

[a] Præf. Com. in Dan

[b] Asservantur nunc ille membranæ (nam eædem esse videntur, uti recte me admonuit eruditiss. *Grabius* meus) inter libros *Is. Vossii*

[c] In Codice qui alios etiam Prophetas continet, ubi *Ezechiel* quoque, sed rarius, Asteriscos suos habet.

[d] Fragmentorum quorundam *Exodi* & *Levitici*, Bibliothecæ *Thuani*, asteriscis obelisque notatorum, mentionem facit *Morinus* Exercit. 9. lib. 1. c 4. Et fragmentorum similium *Levitici* & libri *Judicum* in Bibl. *Colbertina* nunc exstantium meminisse dicitur *Montfaucon* in Diario Ital. nuper edito.

[e] Lib 3 part. 2. cap. 2. § 3.

[f] *Job* & *Psalmos* cum Asteriscis edidit nuper *Martianæus* in Hieronymi Bibliis. Asservantur etiam *Psalmi* cum Asteriscis in Bibliotheca *Lambeth* & *Cantuariensi*.

[g] Ad an. 184. § 4.

fuisse censura notatam; atque hoc ab *Hieronymo* tradi. Loca vero, quæ ex *Hieronymo* adducit, eo neutiquam spectant. Loquitur is de editione LXX. non de *Theodotionis*. Vana itaque sunt ista: *Usi sunt igitur Patres Theodotionis interpretatione, adhibita censura Origenis: at non sic quidam hæretici, de quibus Philastrius. &c.* Neque illud non vanum, quod ibidem dicit, causam quare *Danielem* à *Theodotione* translatum in frequentiorem usum recepit Ecclesia, hanc fuisse, *quod ad coarguendos Judæos plurimum valere conspicerent, si ea editio afferretur, quæ ab infensissimo Christianorum hoste, Judæorum tamen studiosissimo, fuisset elaborata.* Non enim tantum in disputationibus adversus Judæos afferri solebat, sed in usum communem ab Ecclesia recipiebatur, idque quia in *Daniele* editio LXX. mire deficiebat, ut diserte testatur *Hieronymus*. Sed hæc obiter in hoc loco.

34. De S. PAMPHILO Martyre, *Eusebii* hoc in opere adjutore, & amico summo, unde *Eusebius Pamphili* cognomen obtinuit, hoc habemus explorati, fuisse illum gente *Phœnicum*, civitate *Berytium*, *Pierii* in urbe *Alexandrina* discipulum, deinde *Cæsaream Palæstinæ* commigrasse, in eaque Ecclesia Presbyterii gradum sortitum fuisse. Bibliothecam ibi construxisse, in qua inter alia celebriorum Ecclesiæ Scriptorum opera, *Origenis* quoque, undique collecta, & maximam partem sua manu descripta reposuit. Scripsisse pro *Origene Apologiam*. Martyrium passum fuisse an. 309. Vitam denique ejus ab *Eusebio* fuisse literis consignatam. *Origenis Hexapla*, una cum aliis ejusdem operibus undique conquisitis, ab eo fuisse *Cæsareæ* reposita videtur colligi posse ex *Hieronymi* Ep. ad Marcellam: *Beatus Pamphilus Martyr, cujus Vitam Eusebius Cæsariensis Episcopus tribus ferme voluminibus explicavit, cum Demetrium Phalereum & Pisistratum in sacræ Bibliothecæ studio vellet æquare: imaginesque ingeniorum, quæ vera sunt & æterna monumenta, toto orbe perquireret: tunc vel maxime Origenis libros impensius prosecutus, Cæsariensi Ecclesiæ dedicavit: quam ex parte corruptam, Acacius dehinc & Euzoius ejusdem Ecclesiæ Sacerdotes in membranis instaurare conati sunt. &c.*

35. EUSEBIUS notior est, quam ut de eo hic loci aliquid dicam. Illius auctoritati de exemplarium sacrorum puritate, plurimum deferunt antiqui. *Apollinarii* Codex Hexaplaris Esaiæ, unde desumptus est *Marchalianus*, dicitur collatus fuisse *cum Tomis Origenis*, & *praeterea cum iis quæ in Esaiam scripsit Eusebius*. Et in ejusdem *Apollinarii* codice Hexaplari *Ezechielis* adnotatum hoc est: *Correctus adhibitis Origenis ipsius Tetraplis; quæ etiam manu ejus emendata sunt, & scholiis illustrata. Ego Eusebius scholia adjeci. Pamphilus & Eusebius correxerunt.* Loca integra habes in hujus Capitis sectione 2. Scholion in Psalterium Græcum Vaticanum, Psal. 12. οὐκ ἔκειτο παρ' οὐδενὶ ἐν Τετρασελίδῳ, οὔτε ἐν τῷ Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου, οὔτε ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ· *non est positus apud ullum in Tetraselido, neque in exemplari Eusebii Pamphili, neque in Hebraico.* Aliud in Psal. 117. οὗτοι οἱ β'. στίχοι οὐκ ἔκειντο ἐν τῷ Τετρασελίδῳ παρ' οὐδενὶ, οὔτε παρὰ τοῖς ό. οὔτε εἰς τὸ Εὐσεβίου· *Hi duo versiculi non ponuntur in Tetraselido apud ullum, neque apud* LXX. *neque in libro Eusebii.* Aliud ad Psal. 136. ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις. εἰς τὸ Εὐσεβίου, τῷ Δαυὶδ, ἐπιγέγραπτο· καὶ ἔξω, ἀνεπίγραφος παρὰ τοῖς γ'. ἐν τῷ Ὀκτασελίδῳ ὁμοίως, τῷ Δαυὶδ, ἐπιγέγραπτο παρὰ μόνοις τοῖς ό. *Sine titulo apud Hebræos. In libro Eusebii tantummodo inscriptum est*, τῷ Δαυὶδ, *& extra* (significat forte ad marginem, ait *Nobilius*) *sine titulo apud 3. illos. In Octaselido item apud solos* LXX. *inscriptum est illud*, τῷ Δαυὶδ. Exstat *Constantini* Imp. ad *Eusebium* [a] Epistola, qua jubet eum exemplaria 50. Scripturarum describi & ad se mitti curare, in usum Ecclesiarum Urbis *Constantinopolitanæ*: *Consentaneum*, inquit, *imprimis videtur, ut plures quoque in ea construantur Ecclesiæ. Accipe igitur libenti animo id*

[a] Vita Constantini IV. 34.

quod

quod facere decrevi. Visum est enim id significare prudentiæ tuæ, ut 50. Codices S. Scripturarum, quarum apparatum & usum maxime necessarium Ecclesiæ intelligis, in membranis probe apparatis, ab artificibus antiquariis venuste scribendi peritissimis describi facias; qui & legi facile & ad omnem usum circumferri possint. &c. Juxta hoc mandatum, *Eusebius* continuo ad Imperatorem misit *in voluminibus magnifice exornatis terniones & quaterniones.* Neque potest dubitari quin Editionem suam *Palæstinam* in illis Exemplaribus miserit, etsi paulo post usu vulgari recepta sit *Constantinopoli* editio *Lucianea*. Ut *Origenes* autem ob id quod præstitit in Hexaplis conficiendis, *Interpres* à nonnullis perperam nuncupatur; sic quoque *Eusebius* ob hanc operam Editioni *Origenis* emittendæ navatam à *Sixto Senensi* dicitur Scripturas ex Heb. in Græcum vertisse. Recensetur à *Senensi* inter ejus opera, *Librorum omnium V. T. qui in Canone Hebræorum sunt, in Græcam linguam translatio.* Cujus ait meminisse *Socratem* lib. 1. & *Sozomenum* lib. 2. l, quære: sed frustra, certo scio, quæres.

36. Existimat doctiss. *Huetius* Hexaplorum volumina in manibus versata fuisse, etiam antequam à *Pamphilo* & *Eusebio* accurata est editio asteriscis obelisque signata, & eam ob causam ex Hexaplis seorsum emisisse eos Editionem prædictam, quia Hexaplis sæpius descriptis à Librariis omissæ sunt asteriscorum notæ. "Cum frequenter (inquit) ex-"scriberentur Hexapla in Ecclesiarum doctorumque Hominum usum, "novis in dies deformabantur sordium inquinamentis; cum præsertim "asteriscorum & obelorum adnotationem vel insuper haberent Libra-"rii, vel non satis diligenter administrarent: unde ingens incidebat "rerum perturbatio, confusis & permistis cum LXX. Seniorum inter-"pretatione *Theodotionis* additamentis. *Misericordia & veritas*, inquit "*Hieronymus* in Epist. ad Sun. & Fret. *Obviaverunt sibi: Et dicitis quod* "*in Græco, sibi, non habeatur:* ἔλεος κ̀ ἀλήθεια συνήντησαν, *i. e. Misericor-*"*dia & Veritas concurrerunt; nec in Heb. habetur, & apud* LXX. *obelo* "*prænotatum est. Quæ signa dum per scriptorum negligentiam à plerisque* "*quasi superflua relinquuntur, magnus in legendo error oboritur.* Loquitur "de editione τῶν ό. quæ Hexaplis inerat. Degenerante ergo magis ma-"gisque hac editione, restituere eam conati sunt *Eusebius* & *Pamphi-*"*lus*, ex ipso αὐτογράφῳ, quod erat in *Cæsariensi* Bibliotheca; restitu-"tam vero & seorsum magna diligentia descriptam publicaverunt. At-"que ea Editio Palæstina dicta est. Hæc *Huetius*. Sed, pace ejus dicere liceat, plurimum fallitur. Si cum *Hieronymus* ista scriberet usque adeo depravati sunt Hexaplorum Codices, non tamen exinde consequitur, eos fuisse ante *Pamphili Eusebiique* Editionem pervulgatos, & apud Ecclesias communi usu receptos. Nec loquitur *Hieronymus* de depravatione Editionis τῶν ό. quæ Hexaplis inerat, sed de sua ipsius *Psalmorum* Editione Latina quam ad Editionem *Origenianam* confecerat. De qua ad eum scripserant *Sunia* & *Fretela*, objicientes, quod nonnulla in ea reperissent, quæ in Græca sua (κοινῇ) Versione τῶν ό. non comparebant. Respondet *Hieronymus* se istiusmodi dictionibus Asteriscos apposuisse, sed *Suniam* & *Fretelam* ex eo fuisse deceptas, quod in ipsarum exemplaribus, librariorum incuria asterisci fuerant omissi. Hanc fuisse *Hieronymi* mentem perspicue cuivis constabit, qui Epistolam illam attentius perlegerit.

Hieronymi certe ipsius ætate rarissima fuerunt, ob molem sumptusque, *Hexaplorum* exemplaria: velut ex eo colligitur, quod Comm. in Hab. monet se REPERISSE, præter 5. Editiones, scil. Aq. Sym. LXX. Theod. & Quintam, *in* 12. *Prophetis & duas alias Editiones.* Si communes & vulgatissimi fuissent Hexaplorum Codices, in quibus exstabant duæ illæ Editiones, qui dicere potuit Hieronymus, se eas *reperisse*? De

illis tanquam minime vulgo cognitis, sed pene ignotis, manifesto loquitur.

37. Non injucundum fuerit, in argumento gravi, subtexere quæ habet *Hugo Carensis* iste Cardinalis de Eusebii Pamphilique editione: Com. in Hieronymi Prologum in Jos. *Eusebium Pamphili*] *Eusebius Pamphili unum nomen est unius Expositoris, alius ab illo Pamphilo, qui translationem Origenis vulgavit. De quo dicitur in Prologo supra allegato*: Eusebius & Pamphilus Codices ab Origene elaboratos vulgaverunt: *forte transferendo de Græco in Latinum. Vel ipse Origenes transtulit* LXX. *de Græco in Latinum. Erat enim scolus utriusque linguæ. Vel forte Eusebius Pamphili sunt duo nomina: & ibi punctus Eusebium, & postea Pamphili.* Audi rursus eundem nugatorem de constitutione *Hexaplorum* vocisque etymologia. *Hexaploys*] *id est, exemplaribus: ab hexa quod est sex, & ploys, quod est asser, q. d. pro Græcorum hexaploys, i. e. loco sex translationum Græcarum, i. e. à Græcis sumptarum, scil.* LXX. *Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Eusebii Pamphili, Origenis.*

In Præfatione *Glossæ Ordinariæ* tribuuntur Hexapla, non *Origeni*, sed aliis quibusdam *Origene* recentioribus; *Deinde quidam volentes habere omnes istas translationes, simul scribebant libros, sic eas ordinantes, quod in medio cujuslibet folii ponebant 6. columnas à summo deorsum descendentes, ponentes in prima verba translationis primæ, in secunda secundæ, & sic in aliis.* Cujusmodi errore versati sunt alii quidam jam supra memorati, nempe *Sixtus Senensis*, & *Marianus Victorius*.

Ab *Anastasio Sinaita* videntur attribui non uni sed pluribus: [a] *Et qui Hexapla digessere.* Idem vero alibi: [b] *Et ab eo qui Hexapla composuit.*

[a] In Hexaem. lib. 7.
[b] Lib. 12.

Galesinius & *Genebrardus* Origenem reprehendunt, eique culpæ vertunt, quod editionem hanc τῶν LXX. asteriscis signatam elaboraret, utpote qui illis Versionem LXXviralem corruperit. Hoc dicunt auctoritate Hieronymi, cujus mentem tamen non intellexerunt. Vide supra pag. 293.

38. *Origenis* ejusdem, *Adamantii* à flagrantibus studiis cognominati, ut etiam PIERII, Doctoris Alexandrini, exemplaria quoque Novi Testamenti magno in pretio habebantur tanquam omnium purissima. Eorum mentionem reperio apud Hieronymum ad Matth. 24. *In quibusdam Latinis Codicibus additum est*, neque Filius, *cum in Græcis, & maxime Adamantii & Pierii exemplaribus hoc non habeatur adscriptum.* Rursus in Gal. 2. *Sed hoc quia in exemplaribus Adamantii non habetur, omisimus.*

39. De Bibliis *Origenianis* citavimus supra nonnulla ex Præfatione Pentateuchi Arabici Bibliothecæ Bodleianæ Asteriscis Obelisque signati, prout partim edita est Latine ad calcem Historiæ *Aristeanæ* apud nos non ita pridem editæ. Supersunt alia, quorum pene oblitus fueram, partim quidem evidenter falsa, sed partim tamen notatu non indigna: quæ hic simul libet subtexere. *Quod ad easdem autem versiones, num ex eodem exemplari Hebraico translatæ fuerint aut ex diversis exemplaribus inter se discrepantibus in aliquibus ob causam prædictam, ego nescio, Deus novit: cum de veritate rei apud nos non constet. Hoc autem novimus, in sensu apud omnes summam esse convenientiam, non obstantibus lectionum varietate & quæ in verbis est alicubi repetitione. Ut autem pateat eorum quæ diximus & explicuimus, veritas; convenit ut describamus tibi aliqua de principio Legis prout in textu Hebraico habentur, & ab omnibus Interpretibus prædictis versa, ut inde percipere possis, volente Deo, quid sit quod in hac Epistola nostra volumus.*

Reperimus igitur primum ordinem classis primæ libri istius, qui à Symmacho (*lege* Origene) *concinnatus fertur Hebraïce exaratum, eumque sonare verba, Bereshith bara Elohim eth hashamaim veeth haaretz. Quorum verborum secundum linguæ Hebraicæ proprietatem interpretatio est: Primo crea-*

vit Deus Elementum Cœlorum & Elementum terræ: in 2do ordine eadem Hebraica literis Græcis exarata invenimus: in 3tio Versionem Aquilæ, In principio creavit Deus Cœlos & Terram: in 4to Symmachi, Primo creavit Deus Cœlos & Terram: in 5to Versionem LXXII. Primo creavit Deus Cœlos & Terram: in 6to Versionem Theodotionis, Primo creavit Deus Cœlos & Terram: in 7mo Versionem Quintam, Primo creavit Deus Cœlos & Terram: in 8vo Versionem 6tam, Primo creavit Deus Cœlos & Terram. Atque ita processit oratio in octo ordinibus, perrexitque singula ordine describendo: quoties vero ad particulam vel verbum, quod in uno solum interprete reperiretur, non in reliquis, aut in textu Hebraico, non in Interpretum aut omnium aut aliquorum Versionibus, perveniret, illud solum in isto ordine descripsit; apud illum interpretem qui verbum illud omiserat, vacuum duntaxat spatium relinquens. Eodem modo, siquid occurreret quod in textu Hebraico non reperiretur, spatium vacuum in textus Hebraici serie reliquit, nihil in eo scribens: atque ita in cæteris omnibus siquid ab interprete aliquo omissum fuerat, usque ad finem libri. Idemque factum in omnibus libris omnibusque eorum Versionibus & ordinibus. Absoluto demum & perfecto quanta fieri potuit diligentia opere isto, novum aggressus est, singulas inter se versiones omnesque cum veritate Hebraica conferendi; adeo ut ex illis librum selectum, perfectum, omnibusque numeris absolutum concinnarit, in quo radicis, fundamenti, & medii ordinis, & quasi cæterarum causæ locum obtineret versio LXXII. uti præfatum. Primo siquidem libri Geneseos versiculo, prout à LXXII. versus est, descripto, viz. Principio creavit Deus Cœlos & Terram; eum deinde contulit cum tribus Interpretationum ordinibus ei præmissis, atque etiam cum illis quæ illam sequebantur. Eum nempe in finem Versionem τῶν LXXII. in ordine mediam collocaverat, quo facilius institueretur collatio. Cumque omnes in hujus versiculi interpretatione consentientes videret, (uno excepto Aquila, qui loco, Primo, In principio substituit,) particulam in ipso libro signo quodam notavit, adscriptis ordine literis minutis in margine operis, In principio, eodemque signo notatis quo in libro notabatur verbum Primo, iisque primam nominis Aquilæ literam A superimposuit, indicans Aquilam solum ex omnibus istis Interpretibus interpretatione hujus particulæ à cæteris discessisse, atque hoc modo perrexit, singulas literas, singula verba, singulosque versus notis suis signando. Atque hoc ita factum, quod Versionem LXXII. nulla ex parte imminutam libri textum constitueret, adscriptis in margine ordine quodam quæcunque ab illa diversa essent in reliquis Versionibus, notatis signis suis istis Versionibus; quæ primæ nominum eorum, qui eas confecerant, literæ erant. Quod si particulæ aliquæ in Versione LXXII. occurrerent, quas in textu Hebraico inter conferendum non reperiret, neque in cæteris Interpretibus, eas in libri textu inscripsit quidem, sed signis suis notatas, linea nimirum, cui nullum apponitur punctum, ad hanc formam —— hujusmodi linea Græce ὀβελὸν nominavit. &c. (Quæ interferuntur de Limniscis & Hypolimniscis, videantur supra pag. 153.)

Cum autem ad verbum aliquod differens perveniret in aliqua arearum, scil. in textu Hebraico, vel aliquo Interpretum præter LXXII. quod necessarium duceret libri textui inserendum, inseruit ei in signum stellæ quatuor punctis circa crucem figura adscripta ad hanc formam ※, quam Græce Asteriscum, id est, stellulam nominavit. Ubicunque igitur reperitur hujusmodi Asteriscus literæ, nomini, verbo, aut lectioni appositus, hoc tibi indicio est occurrere illud vel in textu Hebraico, vel Interpretum aliquo, præter LXXII. Quare ei insuper primam nominis ejus, apud quem habetur, literam adscripsit. Porro unam notam communem omnibus, in quibus aliqua fuit discrepantia, sive Obelo, id est, simplici linea; sive Hypolimnisco, i. e. linea puncto supposito; sive Limnisco, i. e. lineæ duobus punctis insignita, notanda, qua clauderetur, adscripta differentia sive particulæ sive nominis sive verbi, sive sententiæ adhibuit; quam Completoriam nominavit, hujusmodi figura descriptam ⌐3.

Quod

Quod si discrepans illud quod textui libri inseri deberet, in textu Hebraico reperiretur, non in aliis areis, illud Asterisco solo notavit, non apposita libri Hebraici alia aliqua nota. Si vero in aliquo trium Interpretum Versioni LXXII. *præmissorum obtigisset differentia, sive occurreret illud in quo discreparet in textu Hebraico sive non,* Theodotionis *sententiam reliquis prætulit, quod ad* LXXII. *propius accedere soleret: illudque ex ejus Versione desumptum textui inseruit, asterisco primaque nominis ejus litera notatum. Discrepantias vero in* Aquila & Symmacho *repertas in margine adscripsit, prima nominis eorum litera signatas. Quod si tres illi illud textui insertum eodem modo interpretati essent, illi literas* Α. Σ. Θ. *Elif, Sin, & The, nominum ipsorum initiales adscripsit, cujus rei in signum literam* Γ. ℨ *numeri ternarii notam adhibuit, unaque asteriscum apposuit. Quod si discrepantia illa textui inserta ex Versione Quinta vel Sexta desumeretur, illud asterisce, unaque nota ad indicandum utrius eorum esset,* Ε. ϛ. *quintus an sextus, insignivit. Atque hoc totum est, quod spectat ad illud quod in ipso libri textu* (ἐδάφει) *scribebatur, lineasque ac asteriscos ei appositos, literasque nominum Interpretum initiales. Estque hæc Norma & Canon, quo de omni ex quo constat* ἐδαφος, *seu textus libri, dijudicari possit, num verum recteque positum sit, an erratum tollendumque ex libri textu illud in quo ista est discrepantia, quodque signis istis notatum. Quod si lectionem atque orationem absque his invenias perfectam & æquabili tenore procedentem, illud æquabile & verum esse scias. Quod si non recto ordine & æquabili tenore procedat, scias erratum hîc incidisse: quod conjectari σὺν Θεῷ poteris. Porro in areola quadam exterius adscripsit differentias quotquot reperiebantur in Interpretum antiquorum Versionibus eodem signo unicuique verbo discrepanti atque illi quod ei in textu respondebat interius exteriusque adscripto, atque exterius insuper prima nominis ejus à quo adhibitum fuerat, litera, prout superius explicatum est. Verum extra etiam in margine libri in areola isti rei destinata characteres apposuit Hebraicos, quibus constat magnum & magnificum illud nomen, quod apud Hebræos Shem Hammephorash audit. Quia scil. invenerat Origenes in scriptura Hebraica literas Domini nomen continentes, quæ sonare videbantur Yeh Yeh, vel Yeh Veh, cum Vaw Hebraicum Ye referat, vix ullo inter ea apparente discrimine, uti ex adscriptis videre est:* ׳ *enim ita pingunt, eodemque fere modo* ו, *ita ut tota fere discrepantia à prolatione petenda sit. Cum autem inter legendum ad aliquem ex his locum, in quibus literæ istæ occurrunt, pervenerint Judæi, illo, quod sonare videntur literæ istæ inter se compositæ, relicto, nomen Adonai substituunt; ut cum dicatur, Dixit Dominus Mosi, quod prout scribitur, esset, Dixit* Jehovah *Mosi, inter legendum proferetur, Dixit* Adonai *Mosi. Atque ita hoc nomen legunt. Nomen autem* Adonai *interpretanti est* Dominus. *Hinc factum, ut Interpretum nonnulli nomen hoc quasi* Adonai *scriptum esset,* Dominum *nempe reddiderint: alii ad literas primigenias animum advertentes in textu* Dominum *posuerint, in margine vero literas adscripserint, quales apud Hebræos pinguntur illarum formæ. Quod magno apud Græcos errori ortum dedit, qui adeo altas inter eos radices egit, ut etiam ad Syros propagatus fuerit. Is unde originem sumpsit, tibi paucis explicabo. Quandoquidem Hebræis, quoties literas pingunt, mos est à dextra sinistrorsum in scribendo pergere; Græcis vero è contra à sinistra dextrorsum; cum viderent Græcorum scribæ figuras istas literarum Hebraicarum Græcorum* Pi & Iota, Π. Ι. *referre, easque Græcanicas esse putarent, necnon eas prout sonant non proferre Hebræos animadverterent, eis juxta Alphabeti sui rationem, quæ illi quam sequuntur Hebræi contraria est, à sinistra dextrorsum pergendo, compositis, loco characterum Hebraicorum Græcos substituerunt hoc fere modo,* ΠΙ ΠΙ. *Cumque postea librorum istorum versionem è lingua Græca in Syriacam aggrederentur Syri, transtulerunt literas istas, decepti errore qui primo è lingua Hebraica fluxerat, & in libris suis*

ad

ad marginem adscripserunt Fi Fi, nota ei numeri LXXII. *imposita*, &c. *Ain & Be scilicet. Atque hæc origo fuit erroris qui Fi Fi in libros sacros invexit. Sublatus est deinde à nonnullis in multis exemplaribus iste error, ita ut ab aliquibus scriberetur Fi Fi, ab aliis Yehoveh, cum tamen de hoc inter omnes conveniat, denotari isto,* Yehovah. *Si ideo reperias scriptum* Yehovah *aut Yeh Yeh, vel characteres additos Hebraicos; scias ita in textu Hebraico haberi, licet in ejus versione dissenserint Interpretes.*

Aliud præterea in margine libri reperitur, cui adscriptum Origenis nomen; literæ etiam & verba quasi in erroris (indicium) quæ in margine in areola quadam apponuntur una cum eo quod in libro est inter legendum adjungenda, nullius tamen Interpretum signo notata: quorum quædam in textu Hebraico reperiuntur, quædam non. Occurrunt insuper exterius in margine libri verba quædam quasi ad confirmandum illud quod in textu legitur adhibita, nullo notata signo. Quinetiam & verba Græca & Syriaca ad elucidanda ea quæ in textu sunt adhibita, quæ tenuis ductus circulo notantur. Quinetiam libris ipsis præmisit scriba Capitula quædam, ex quibus paucis percipere possis quid in universo libro contineatur.

Collatus est etiam Liber Legis, qui in manibus Judæorum reperitur cum eo, qui apud Samaritanos habetur. Reperitur autem in codicibus Samaritanis redundantia quædam & repetitio ultra illud quod recipiunt Judæi: quæ vel in unaquaque pagina infra textum vel ad calcem libri notata, uti lecturus & percepturus es σὺν θεῷ.

Contulit insuper inter se exemplaria ista Hebraica summa cura Lucianus, & si quid vel deficiens vel redundans deprehenderet, illud in locum suum restituit, particulæ quam emendavit initiali nominis præfati litera apposita, scil. litera Lam. Ubicunque igitur in his libris literæ aut verbo appositum signum LXXII. *aut literas numerum eorum indicantes, hanc lectionem ab illis esse scias, illosque ita inter Interpretes vertisse. Ubicunque autem lineas vel sine puncto, unove vel duobus punctis insignitas, illam à quibusdam è* LXXII. *atque ubi aliquid asterisco notatum vel in textu vel extra in margine, tale esse illud quod à* LXXII. *omissum. Quodcunque nota libros Hebraicos denotante est signatum, scil.* ܝܥ *literis Ain Be & Ra, illud scias in textu Hebraico reperiri; sin vero litera Elif in textu vel ad marginem, illud apud Aquilam lectum: si litera sin, à Symmacho sumptum; si litera* ⊖, *à Theodotione: si* E. *He, è Versione quinta: si litera* ϛ. *Vaw, è sexta. Quod si adscribantur literæ Elif Vaw & Ra,* ξ *ipsa esse Origenis; si demum litera Lam,* Λ. *Luciani esse. Hæc sunt quæ σὺν θεῷ scire debes.*

Dicit Auctor Præfationis, *Origenem* postquam *Octapla* composuisset, novum opus aggressum fuisse, nempe in margine Editionis LXX. variantes lectiones reliquarum editionum sub *Asteriscorum*, *Limniscorum*, & *Hypolimniscorum* signis apposuisse, in ipso vero contextu τῶν LXX. ubi aliquid redundaret, posuisse *Obelos*. Conspicuum est ab eo designari ejusdemmodi Exemplar, cum *Marchaliano* Prophetarum. Et ex eo cognoscimus præter varias lectiones reliquarum Versionum Græcarum, comparuisse etiam in illis Exemplaribus, Pentateuchi *Samaritani* varietates, sive ab *Origene* (ut dixi) ipso, sive ab *Eusebio*, sive ab aliquo paulo recentiore collectas. Nesciebat vero, *Origenem Asteriscos*, &c. in ipsis *Hexaplis* seu *Octaplis* inseruisse: nec videtur scivisse, eum TETRAPLA concinnasse, & varias lectiones quas in margine adjecit *Origenes* in ipsis *Tetraplorum* voluminibus fuisse adjectas. In hoc vero gravissime errat, quod putavit Versiones etiam *Quintam* & *Sextam* totum Scripturarum volumen comprehendisse, & eas in principio *Geneseos* adducit. Quod purum putum figmentum est. Ex eo autem quod nihil repererat de earum in illo loco à Versione LXX. discrepantia, concludit eas eodem modo vertisse, adeoque eis eadem verba affingit. Inter

omnes vero, quotquot exstant, Commentatores, licet toties citentur in principio Geneseos Interpretes cæteri, citatur à nemine, nec eo in loco, nec unquam in *Pentateucho*, Translatio *Quinta* aut *Sexta*.

CAP. III.

De Editionibus Græcis post Origenis tempora. Luciani. 1. Hesychii. 2. Joannis Josephi. 3. *Biblia à* Basilio M. *correcta*. 4. *de* Arami *Versione, eam non aliam fuisse quam Latinam Hieronymianam*. 5. *De* Sophronii *Versione* Exhieronymiana. 6. Patrophilum *&* Apollinarium *nullas Editiones confecisse*. 8. 9. *De Notis Marg. Codicis* Marchaliani. 10. Philastrii *error de Versione* 30 hominum, *& de alia* 6. hominum. 11. 12. *Editio* Heracliensis. 13. *Nullam fuisse Vers. Græcam textus* Samaritici 14. *Editio Græco-barbara Judæorum*. 15. *Christianorum*. 16 Macedonica *fictitia*. 17. *De Editione* Complutensi, Aldina, Vaticana: *deque hujus Versione Lat.* Nobilii. 18. *Autographum* (*quod dicitur*) LXX. *Interpretum quo tempore perierit. Deque Bibliotheca & Exemplari* Serapei. 19.

EODEM circiter tempore quo Editio *Origeniana*, *Pamphili* & *Eusebii* opera, in publicum prodiit, prodiit quoque Editio LUCIANI Martyris, Antiocheni Presbyteri, quæ ab Ecclesiis *Constantinopolitana* & *Antiochena*, & in omnibus regionibus inter eas civitates interjacentibus, communi usu recepta est. ut ostendimus jam supra in libro 3. pag. 303. ubi etiam proferuntur testimonia *Suidæ* in v. Λουκιανὸς, & *Synopsis Athanasio* adscriptæ, ex quibus colligitur *Lucianum* in Editione vulgari emendanda consuluisse non modo exemplaria diversa, verum etiam Textum Hebræum. *Simeonis Metaphrastæ*, quem secutus est *Suidas*, verba hæc sunt, in Actis *Luciani*: Οὗτος τὰς ἱερὰς βίβλους ἰδὼν πολὺ τὸ νόθον εἰσδεξαμένας, τοῦ τε χρόνου λυμηναμένου πολλὰ τῶν ἐν αὐταῖς, καὶ τῆς συνεχοῦς ἀφ' ἑτέρων εἰς ἕτερα μεταθέσεως, καὶ μέντοι καί τινων ἀνθρώπων πονηροτάτων, οἳ τοῦ Ἑλληνισμοῦ προεστήκεσαν, παρατρέψαι τὸν ἐν αὐταῖς νοῦν πειρασαμένων καὶ πολὺ τὸ κίβδηλον ἐν ταύταις ἐνσπειράντων· αὐτὸς ἁπάσας ἀναλαβὼν ἐκ τῆς Ἑβραΐδος ἀνενεώσατο γλώττης, ἣν καὶ αὐτὴν ἠκριβωκὼς ἐς τὰ μάλιστα ἦν, πόνον τῇ ἐπανορθώσει πλεῖστον εἰσενεγκάμενος. *Hic quum sacros libros multa adulterina recepisse vidisset (quod & tempus ipsum multa in eis corrupisset, & continua aliorum ex aliis descriptio, atque improbissimi homines, Hellenismi patroni eorum sensum pervertere tentassent, multaque adulterina in eis interseruissent:) eos ipse omnes in manus assumens, ex lingua renovavit Hebraica, quam ipsam quoque maxima ex parte callebat, maximo labore in illam emendationem collato.* Quæ verba ex *Metaphrasta* nominatim adducit ipse Suidas in alio loco, nempe in v. νοθεύειν. ἐν τῇ τοῦ μακαρίτου λογοθέτου μεταφράσει &c. Quod imperite vertit Æmilius Portus; *in interpretatione beati historici*: cum Λογοθέτης cognomentum fuerit *Simeonis Metaphrastæ*. In *Synopsi* male dicitur TRANSLATIO. Sic quoque à *Niceta*, Metropolita Heracliensi, in Commentariorum Psalterii Procemio, citante *Armachano*: Ἐπὶ Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ τῶν τυράννων, ἱερομάρτυς Λουκιανὸς ἀνὴρ οὐχ ἧττον τὰ Ἰουδαίων ἀκριβωσάμενος ἢ τὰ ἡμῶν, τὰς ἐκείνων βίβλους εἰς τὴν ἡμετέραν διάλεξιν μετεποίησεν ἀκριβῶς τε καὶ ἀσφαλέστατα, ἡμεῖς δὲ καὶ τὴν τοιαύτην ἔκδοσιν σεβαζόμενοι, τῇ τῶν οβ. προσκείμεθα μάλιστα.[a] &c. *Sub Diocletiano & Maximiano tyrannis sanctus Martyr Lucianus vir non minus in Judæorum quam in nostrorum scriptis exacte versatus, illorum libros in nostram dialectum optime atque accuratissime* transtulit. *Nos vero ejusmodi Editionem venerantes, eam quæ est* LXXII. *maxime præferimus. &c.*

[a] Vide supra pag. 338.

Synopsin quoque sequitur *Euthymius* in suorum Psalterii Commentariorum Præfatione: Ἔπειτα δὲ τῆς παλαιᾶς γραφῆς μεθερμηνεύσεις γεγόνασι. —

Ἑβδομη

Ἑβδόμη δὲ προσέβη παρὰ Λουκιανοῦ τοῦ μεγάλου ἀσκητοῦ καὶ μάρτυρος· ὃς ταῖς προῤῥηθείσαις ἐπιστήσας ἐκδόσεσι, καὶ τοῖς Ἑβραϊκοῖς φιλοπονώτερον ἐντυχὼν καὶ ἀκριβωσάμενος, ἔκδοσιν ἰδιόκληρον καὶ μηδὲν ἐλλεῖπον ἢ περιττὸν ἔχουσαν, Χριστιανοῖς ἐποιήσατο. *Septem fuere translationes Vet. Test. —— Septima prodiit à Luciano magno Eremita & Martyre: qui omnibus his editionibus visis, & cum Heb. Veritate diligentissime & magno cum labore collatis, propriam editionem nihil mancum, & nihil habentem superfluum, Christianis tradidit.* Rectius vero in iis quæ sequuntur: αὕτη συνᾴδει τῇ τῶν ο΄. τὰ παρεφθαρμένα τῶν ἄλλων ἀθετοῦσα· *Hæc cum* LXX. *Interpretum editione consentit, & quæ ab aliis depravata fuerant, reprobavit.*

Quo in loco post *Luciani* Martyrium inventum fuit opus ipsius mann exaratum, his verbis addit *Synopsis*: ἥτις δὴ καὶ ἑρμηνεία μετὰ τὴν ἄθλησιν καὶ μαρτυρίαν τοῦ αὐτοῦ ἁγίου Λουκιανοῦ, τὴν γεγονυῖαν ἐπὶ Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ τῶν τυράννων, ἤγουν τὸ ἰδιόχειρον αὐτοῦ τῆς ἐκδόσεως βιβλίον, εὑρέθη ἐν Νικομηδείᾳ ἐπὶ Κωνσταντίνου βασιλέως τοῦ μεγάλου παρὰ Ἰουδαίοις ἐν τοίχῳ πυργίσκου περικεχρισμένῳ κονιάματι εἰς διαφύλαξιν. *Quæ sane post ipsius certamen & martyrium, quod sub Diocletiano & Maximiano tyrannis sustinuit, libro viz. propria ipsius manu scripto comprehensa Nicomediæ* (nbi Martyrii coronam reportavit) *sub Constantino magno Imp. apud Judæos in pariete turriculæ calce circumlito, quo custodiæ gratia posita fuerat, inventa est.*

Eadem pene verbatim habet *Euthymius*, & *Athanasii* Scholiastes ineditus. *Aretas* Clementis Alex. Scholiastes nondum editus, ex eadem *Synopsi*, sed brevius: Ἑβδόμη ἡ τοῦ ἁγίου Λουκιανοῦ τοῦ μεγάλου ἀσκητοῦ καὶ μάρτυρος, εὑρεθεῖσα μετὰ τὴν ἄθλησιν αὐτοῦ, ἰδιόχειρον ἐν Νικομηδείᾳ, ἐπὶ Κωνσταντίνου παρὰ Ἰουδαίοις ἐν πυργίσκῳ κεκονιαμένῳ.

Ut errant hi Scriptores, cum Editionem *Luciani* appellant *Translationem*; sic rursus fallnntur, cum *Septimam* dicunt: nescientes nimirum exstitisse *Septimam* quandam in *Hexaplis Origenianis*. Quem eorum errorem sequuntur vulgo recentiores. A multis etiam asseritur Editionem *Lucianeam* eandem omnino fuisse cum illa, quæ Κοινὴ, sive *Vulgaris*, dicebatur. Cni errori ansam dederunt hæc verba *Hieronymi* in Epist. ad Sun. & Fret. *Aliam esse editionem, quam Origenes & Cæsariensis Eusebius, omnesque Græciæ Tractatores* Κοινὴν, *i. e. Communem appellant atque Vulgatam, & à plerisque nunc* Λουκιανὸς (corrignnt nonnulli Λουκιανοῦ, sed nihil ego muto) *dicitur: aliam* LXX. *Interpretum, quæ & in* ἐξαπλοῖς *Codicibus reperitur.* Loquitnr istic *Hieronymus* de Ecclesiis tantum *Constantinopolitanis* atqne *Antiochenis*, ubi, quia jam usu vulgari recepta fuerat Editio *Lucianea*, vix ulla alia Κοινὴ noscebatur. In *Catalogo* hoc tantum dicit, quod *usque nunc quædam exemplaria Scripturarum Lucianea nuncupentur.* Ex hoc errore ortus est alius de *Psalterio Luciani* ab *Hieronymo* Latine translato; nempe ex eo quod legerant Editionem Psalmorum *Vulgatam* ab eo fuisse conversam, & putabant *Vulgatam* & *Lucianeam* fuisse omnino eandem. Nec tamen per *Vulgatam*, cum tale quid legerent, intelligere debuerunt Κοινὴν, sed Græcam τῶν LXX. *in genere.* In errore autem isto versari *Brianum Waltonum*, & *Natalem Alexandrum*, jam [a] supra à nobis fuit animadversum; quibus accensendi sunt [b] *Bellarminus*, [c] *Bonfrerius*, [d] *Serarius*, aliique.

Hinc etiam [e] *Paulus Forosemproniensis* contendit *Psalterium* Lat. Vnlgatum ex Editione *Lucianea* conversnm fuisse, hoc argumento, qnod in duobus locis lectionem exhibeat, quam *Hieronymus* testatur nullam aliam Editionem præter *Lucianeam* habnisse: viz. Psal. 73. δεῦτε καὶ καταπαύσωμεν τὰς ἑορτὰς τοῦ Θεοῦ ἀπὸ τῆς γῆς. Et Ps. 5. 9. ἕνεκα τῶν ἐχθρῶν μου κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου. Atqni nnsquam dicit *Hieronymus* has lectiones Editioni *Lucianeæ*, stricte sic dictæ, proprias fuisse, sed Κοινῇ. Ex Editione autem *Communi* in Psalterium Lat. Vulg. multa irrepsere. In

[a] Pag. 351.
[b] De Verbo Dei lib. 2.
[c] Præloq. in Pent.
[d] Proleg. Bibl.
[e] De Die Pass. Domini l. 2

eodem antem errore de Psalterio Lat. Vulg. quod ex Editione *Luciani* conversum sit, versatur [a] *Christophorus à Sacrobosco.*

Ingenti errore ait [b] *Jo. Ferdinandus* Editionem *Septimam* fuisse *Luciani*, & simul Κοινὴ, & tamen ab *Origene* fuisse inventam.

[c] *Frassenius* etiam plurimum fallitur, cum *Euthymium* aliosque reprehendit, quod Editionem, quæ revera *Septima* fuerit, *Luciano* adscribant. Non enim Editionem alienam *Luciano* falso attribuunt: sed in hoc tantum errant, quod illius Editionem *Septimam* appellant, alterius istius, quæ revera fuit *Septima*, ignari.

Non desunt qui *Lucianum* Versionis Latinæ Veteris *Italæ* nominatæ auctorem fuisse, errore perabsurdo, autumarunt.

Causam autem quare novam Editionem molitus sit *Lucianus*, hanc perperam assignat [d] *Jo. Weemsius*, quod Editio *Origeniana* jam labes nimias contraxerat. Sic male dicit [e] *Baronius Lucianum* & *Hesychium* tantum emendasse exemplaria *Origeniana*, quæ *Obelis* demum & *Asteriscis* Scriptorum vitio caruerint.

Nec assentior Eruditiss. [f] *Dan. Huetio*, qui Editiones *Luciani* & *Hesychii* diversas quidem ab *Origeniana* fuisse statuit; sed eas tamen, æque ac *Origenianam*, & in illius imitationem, Obelis Asteriscisque fuisse instructas. Quam suam sententiam hoc argumento adstruit, quod *Hieronymus* in Epist. 89. ad August. scribit, *vix unum aut alterum inveniri librum, qui ista non habeat.* Sed sufficit ad *Hieronymi* mentem explicandam, si dicamus, in omnia pene exemplaria, post *Luciani* & *Hesychii* tempora, irrepsisse nonnulla ex Editione *Origeniana*, sive in marginem, sive in contextum, pro scriptorum arbitrio. Neque stricte intelligendus est *Hieronymus*, sed sensu hyperbolico, ut alibi à nobis jam monitum fuit. Et dubito quidem Ego, utrum *Lucianus* & *Hesychius* Editionem *Origenianam* unquam oculis usurparint, necne: quandoquidem eam à *Pamphilo* primum & *Eusebio* in lucem fuisse emissam verisimilius videtur.

Temere etiam, & absque ullo Auctore, loquitur [g] *Martinus Martini*, cum dicit *Luciani* editionem fuisse mixtam quandam ex aliis omnibus conflatam.

Ad oram Codicis Card. *Barberini* citatur sæpiuscule *Luciani* Editio cum notula λ. nempe ad Amos 3. 12. Mich. 7. 2. Joel 2. 3. Jon. 1. 6. Soph. 1. 12. Agg. 1. 10. Mal. 1. 6. Ibidem 3. 10. ubi legitur ἐν οἴκῳ ὑμῶν, scribitur λ super ὑμῶν. In Codicum sacrorum marginibus citatum fuisse *Lucianum* per literas λ memorat quoque *Theodoretus*. Nonnulli posuerunt simplcem λ sive Λ ut testatur *Arabs* ille, cujus verba protulimus in fine Capitis præcedentis. Qui idem credidit *Lucianum* ipsum notam istam singulis apposuisse quæ ipse in sua Editione [h] emendabat.

De Auctore *Luciano* qui plura volet, adeat is Cl. *Cavei* Hist. Lit. Script. Eccles. ad an. 294. & D. *Edw. Stillingfleeti*, Episcopi nuper Wigorniensis, Patroni, dum vixit, nostri summe venerandi, summique Viri, *Vindicationem Doctrinæ de Trin.* vernacule conscriptam pag. 41. &c.

2. Eisdem quoque ipsis temporibus Editionem suam adornavit HESYCHIUS, Editionem Κοινὴ recensendo. Quem tamen nonnulli *Interpretem* male appellant. Eam autem recepit *Alexandrina* & *Ægyptus*, vicinarumque regionum Ecclesiæ: adeo ut *totus* Græcorum *orbis*, velut testatur Hieronymus, *hac inter se trifaria varietate* Editionum *Pamphili*, *Luciani*, atque *Hesychii*, *compugnaret*. Citatur [i] alibi Editio *Hesychiana* ab Hieronymo sub titulo *Exemplarium Alexandrinorum*. Memoriæ lapsu ait [k] *Simonius*, *Exemplaria, quæ ab Hesychio castigata fuerant, appellata fuisse* Constantinopolitana; *& quæ Lucianus correxerat*, Alexandrinorum nomen

[a] Def. Conc. Trid.
[b] Procem. l. 2. Thes. Scrip.
[c] Disquis. Bibl.
[d] Exercit. Div. lib. 1.
[e] An. 231.
[f] Origen. l. 3. cap. 2.
[g] Hypotypos. Theol. l. 1. c. 4.
[h] *Morinus* Exercit. 9. lib. 1. cap. ult. meminit fragmentorum quorundam Biblioth. *Thuanæ*, quæ Editionis *Luciani* fuisse existimat, sed nullo fretus argumento idoneo.
[i] Com. in Es. 58. 11.
[k] Disquis. Crit. pag. 148.

nomen reportasse. Una cum V. Test. *Novum* quoque, vel saltem *Evangelia*, recensuit *Hesychius*, quod fecit etiam ipse *Lucianus*. Eorum autem T. Novi, sive Evangeliorum, Editiones Latine conversæ fuisse videntur, sed parum probatæ sunt, ob nonnulla quæ interseruerant. Hieronymi hac de re verba vide supra pag. 303. Hinc apud *Gelasii* & Synodi *Romanæ* Decretum: *Evangelia quæ falsavit Lucianus, Apocrypha. Evangelia quæ falsavit Hesychius, Apocrypha.* Omnino verisimile est, eundem fuisse hunc *Hesychium* cum *Ægyptio* illo Episcopo ejusdem nominis, quem in decima Persecutione Martyrium subisse scribit [a] *Eusebius*. Adeo ut omnes tres Editionum variarum curatores Martyrii corona, idque in eadem Persecutione, insigniti fuerint. *Sixtus Senensis* Editionem hanc minus recte adscribit *Hesychio* cuidam Monacho Palæstino, Hilarionis socio, qui sub Imp. Constantio claruerit an. 360. Alii, pejore errore, *Hesychio* Presbytero Hierosolymitano, quem *Nicephorus* temporibus Theodosii junioris floruisse scribit. [a] Hist. 8. 25.

3. Joannis Josephi Editionem Græcam Test. Veteris commemorat *Theodoretus* in Dissertatione MS. in Prophetas & [b] Editiones, notula λ Λουκιανοῦ, ιω Ιωάννου Ιωσήπου editionem significari solitam fuisse ostendens. *Josephum* tanquam Interpretem citat idem *Theodoretus* Quæst. 24. in Exod. Τὸ δὲ Πάσχα ὁ μὲν Φίλων ἡρμήνευσε διαβατήρια· ὁ δὲ Ιώσηπος ὑπέρβασιν· ὁ δὲ Σύμμαχος ὑπερβάσεις· ὁ δὲ Θεοδοτίων, Φασὲκ, αὐτὴν τὴν Εβραίαν τεθεικὼς φωνήν· *Pascha vero Philo interpretatus est diabateria (i. e. sacrificia quæ pro transitu fiunt) Josephus autem hyperbasin (i. e. transgressionem) Symmachus vero hyperbases (i. e. transgressiones) Theodotion, Phasech, Hebraica voce non mutata.* Sic rursus Quæst. 10. in Josh. Τὴν δὲ ψιλὴν ὁ Ακύλας στολὴν ἡρμήνευσεν· ὁ δὲ Ιώσηπος χλανίδα· *Psilen Aquila stolam interpretatus est; Josephus, penulam.* Eodem modo ibid. Quæstione inseq. Sed vero in illis locis non alium intelligit, quam *Flavium Josephum* in *Antiquitatibus*. Utrum idem fuerit *Joannes* ille *Josephus*, Editionis novæ Corrector, cum *Josepho* Christiano, cujus *Hypomnesticon* ex Cod. MS. aliquando citavimus, aliorum permitto judicio. Mihi perquam verisimile videtur. [b] Ap. Jo. Phelippæum Præf. in Oseam, cit. ad Userio.

4. S. Basilium, Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, Scripturarum Codicem correxisse, ex *G. Syncello* intelligimus. Qui scribit, ad manus suas pervenisse codicem ex Cæsariensi Bibliotheca delatum, in cujus præfixa inscriptione significabatur, quod ex exemplari à magno *Basilio* collato emendatoque exscriptus fuerat. *Syncelli* ipsius verba jam [c] alibi à nobis fuere adducta. [c] Lib 3. p. 316.

5. Versionis Græcæ Arami cujusdam meminisse videtur *Theodorus Mopsuestenus* in Opere, *Contra asserentes peccare homines natura, non voluntate*, apud *Photii Bibliothecam*: [d] Διαπραίνεται μὲν αὐτῷ (inquit *Photius*) ὁ πρὸς αὐτοὺς ἀγὼν ἐν λόγοις πέντε. πρὸς δὲ τοὺς ἀπὸ τῆς δύσεως τοῦτο τὸ νόσημα νενοσηκότας γράφει τὸ βιβλίον. ὧν καὶ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγὸν λέγει γενέσθαι, ἐκεῖθεν μὲν ὁρμώμενον, τοῖς δὲ τῆς ἀνατολῆς ἐπιχωριάζοντα τόποις, καὶ συντιθέντα λόγους ὑπὲρ τῆς καινοποιηθείσης αὐτῷ αἱρέσεως, διαπέμπειν τοῖς τὸ πατρῷον ἔδαφος οἰκοῦσιν, ὑφ' ὧν καὶ πολλὰς ἐκεῖσε πρὸς τὸ οἰκεῖον φρόνημα ἑλκύσαι, ὡς καὶ ἐκκλησίας ὅλας τοῦ ἀτοπήματος πληρωθῆναι. Αραμ δὲ τὸν ἀρχηγὸν αὐτῶν, οὐ γὰρ ἔχω σαφῶς εἰπεῖν, εἴτε ὀνομάζει, εἴτε ἐπονομάζει. τοῦτον δὲ πέμπτον Εὐαγγέλιον προσαναπλάσαι λέγει ἐν ταῖς τοῦ Εὐσεβίου τοῦ Παλαιστίνου βιβλιοθήκαις ὑποπλαττόμενον εὑρεῖν· καὶ ἀπώσασθαι μὲν τῆς θείας καὶ παλαιᾶς γραφῆς, ἣν οἱ ἑβδομήκοντα συνεληλυθότες ἐκδεδώκασι μεταφέρειν, καὶ δὴ καὶ τὴν Συμμάχου καὶ Ακύλα, καὶ τῶν ἄλλων· ἰδίαν δέ τινα καὶ καινὴν ἐπιχειρῆσαι συντάξαι· μήτε τῶν Εβραίων, ὥσπερ ἐκεῖνοι, ἐκ παιδὸς ἀσκηθέντα, μήτε τὸν τῆς θείας γραφῆς νοῦν ἐκδιδαχθέντα, Εβραίων δέ τισι τῶν χαμαιπετῶν ἑαυτὸν ἐκδεδωκότα, ἐκεῖθεν θαῤῥῆσαι ἰδίαν ἔκδοσιν ἀναγράφειν· *Ea disputatio 5. libris absolvitur, quos adversus Occidentales hac labe infectos scripsit. Inde enim oriundum hæresis hujus auctorem in Orientis modo* [d] Cod. 177.

regionibus versari, librosque de recens ab se excogitata hæresi compositos ad populares suos in patriam transmittere narrat, ut jam ibi multos per hanc artem in suam pertraxerit sententiam, integrasque adeo Ecclesias absurdis illis imbuerit opinionibus. Aram *vero illorum librorum auctorem, sive nomine, sive cognomine, incertum, appellat. Hunc etiam quintum Evangelium confinxisse, illudque dixisse se in Eusebii Palæstini Bibliothecis repersisse, ait. Rejecta præterea divini ac veteris Test. versione, quam* LXX. INTERPRETES SIMUL CONVENIENTES *ediderunt, ut & Symmachi, & Aquilæ, aliorumque interpretatione, propriam quandam suam novamque conficere ausum: cum neque Hebraicæ linguæ, ut illi, à puero assuevisset, neque mentem S. Scripturæ didicisset: Hebræis tantummodo quibusdam abjectæ sortis in disciplinam se tradidisse, atque hinc propriam sibi editionem conscribere aggressum.* Hoc vero in loco non alium intelligi, quam *Hieronymum Stridonensem*; neque aliam Versionem, quam illius Latinam, quæ partim etiam Græce traducta est, cum Cl. Viris *Allixio* & [a] *Caveo* omnino existimo. *Allixius* pro Ἀρὰμ substituit Ἱερόν· *Schottus*, Photii Interpres, ab infausta τῆ ἀρᾶ significatione dictum arbitratur: *Caveo* placet ideo Hieronymum *Aram* ficto nomine appellari, quia in *Syria*, seu *Aram*, majorem vitæ partem transegit, ibique & libros, quos impugnat *Mopsuestenus*, scripsit, & Scripturas ex Hebræo convertit. Certe totus hic locus Hieronymo quam optime congruit.

[a] Vide ejus Hist. Lit. Scrip. Eccles. p. 759.

6. *Hieronymi* Versionem Latinam fuisse totam à *Sophronio* Græce translatam crediderunt nonnulli, ut [b] *Genebrardus &c.* quibus *Huetius* etiam assentiri videtur. At vero non totam, sed tantum *Psalmorum* & *Prophetarum* Versionem à *Sophronio* fuisse in linguam Græcam traductam testatur ipse Hieronymus in *Catalogo Script. Eccles. Opuscula mea in Græcum eleganti sermone transtulit, Psalterium quoque & Prophetas, quos nos de Hebræo in Latinum vertimus.* Non desunt qui arbitrentur Versionem etiam quam è Græco τῶν LXX. elaboravit Hieronymus, è Latino fuisse iterum Græce redditam. Huetius: [c] *Fertur item Sophronius, Hieronymi necessarius, excusam ab eo ad Ebraicam veritatem, non Psalterii Prophetarumque modo, sed totius etiam Testamenti Vet. Interpretationem Græce reposuisse, plurimumque eo labore Græcorum pietatem ac studia provexisse. Prior etiam Hieronymi Editio, è LXX. Senum Interpretatione derivata, è Latino Græce iterum versa, à Græcis studiose, ut ipse refert libro 2. in Ruff. suscepta est.* In hoc clariss. Viro minime accedo. Sed gravissime certe fallitur. Loquitur enim ibi Hieronymus de Interpretatione sua ex Heb. derivata, nimirum de illis libris, quos exinde in Græcum traduxerat *Sophronius*: *Unde mihi putabam bene mereri de Latinis meis, & nostrorum ad discendum animos concitare, quod etiam Græce versum de Latino post tantos Interpretes non fastidiunt.*

[b] Chron.

[c] De Claris Interp.

7. Ipsam Græcam τῶν LXX. editionem ab Hieronymo fuisse castigatam ac emendatam, tradunt nonnulli, inter quos *Bellarminus*: sed male, ut [d] supra jam fuit ostensum.

[d] Lib. 3. p. 355.

8. PATROPHILUM, Scythopolis Palæstinæ Episcopum, in prima Nicæna Synodo clarum, *omnem Heb. Scripturam Græce vertisse anno* 300. *illiusque translationis meminisse Gregorium, Laodicenum Episcopum, in Vita Eusebii Emeseni,* asserit *Sixtus Senensis*, quem sequitur [e] *Konigius*: manifesto errore. *Gregorius* enim (seu potius *Georgius*) Laodicenus, hoc tantum dicit: ἐκ νέας τῆς ἡλικίας τὰ ἱερὰ μαθὼν γράμματα· ἔπειτα τὰ Ἑλλήνων παιδευθεὶς παρὰ τῷ τηνικαῦτα τῇ Ἐδέσῃ ἐπιδημήσαντι παιδευτῇ· τέλος ὑπὸ Πατροφίλου καὶ Εὐσεβίου τὰ ἱερὰ ἡρμηνεύθη βιβλία· ὧν ὁ μὲν ἐν Καισαρείᾳ, ὁ δὲ τῆς ἐν Σκυθοπόλει προΐστατο ἐκκλησίας. *Et à puero sacris literis institutus, Græcas postea disciplinas à quodam magistro qui tunc temporis Edessæ degebat, percepit: tandem vero sacra volumina ei exposita sunt à Patrophilo & Eusebio: quorum hic*

[e] Bibliotheca.

hic Cæsariensem, ille Scythopolitanam regebat Ecclesiam. Citatur hic locus à [a] *Socrate*. Post quem à [b] *Sozomeno* res sic refertur: ὕστερον δὲ ἐξηγηταῖς Εὐσεβίῳ τῷ Παμφίλου, καὶ Πατροφίλῳ τῷ προϊσαμένῳ Σκυθοπόλεως, τὰς θείας βίβλους ἠκρίβωσε· *tandem vero expositoribus usus Eusebio Pamphili, & Patrophilo Scythopolitano Episcopo, ad summam sacrorum voluminum notitiam pervenit.* Ex iisdem autem locis perperam collegit idem *Senensis Eusebium* etiam *Cæsariensem* Scripturas ex Heb. vertisse. Quem errorem ejus perstrinximus in Capite præced.

[a] Lib. 2. c. 9.
[b] Lib. 3. c. 6.

9. Apollinarium, Apollinarii F. Episcopum Laodiceæ, Editionem quandam mixtam Bibliorum, ex Interpretum omnium Versionibus conflatam, elaborasse, existimant eruditi, inducti testimoniis quibusdam Hieronymi, quæ à nobis supra lib. 3. parte 1. [c] cap. 7. §. 14. in medium allata sunt. *Conatum fuisse Apollinarium* (inquit [d] Baronius) *divinorum librorum translationes omnes in unum assuere tradit S. Hieronymus, qui tamen opus minime probavit.* Sixtus [e] Senensis: *Secutus est autem in expositionibus suis, aliquando Symmachi Versionem, aliquando vero editionem quandam ex omnibus Editionibus à se ipso conflatam, de qua Hieronymus in secundo contra Ruff. libro.* [f] Possevinus: *Hieronymus in Apol. contra Ruff. & in Ep. 65. & 152. scribit conatum eum fuisse divinorum librorum translationes omnes in unum assuere, quod tamen opus ab Hieronymo probatum non est.* [g] Huetius: *Novam quoque ex aliis omnibus Editionem conflare ausus est Apollinarius; Symmacho tamen præ reliquis sese pressius adjungens. &c.* His etiam accedit *Usserius*; ut alios missos faciam. Sed falluntur omnes. Loquitur enim Hieronymus non de ulla Bibliorum Editione ab *Apollinario* confecta, sed de illius tantum Scripturarum explanationibus, in quibus *fine ullo judicio* translationes omnes commiscuerat, secutusque fuerat. Et intelligi tantum illius Explanationes, confirmant hæc verba ad cap. 4. Eccles. ubi de aliis Commentatoribus cum verba fecisset: *Laodicenus*, inquit, *interpres res magnas brevi sermone exprimere contendens, more sibi solito etiam hic locutus est: De commutatione, inquiens, bonorum in mala, Ecclesiastæ sermo est.* Neque talem Bibliorum editionem tacuisset Hieronymus in *Illustrium Virorum Catalogo*, ubi memorat illum scripsisse *in S. Scripturas fere innumerabilia.* Ad eundem spectant ea verba in Prologo Esdræ ex Heb. conversi: *Primum enim magnorum sumptuum est & infinitæ difficultatis, exemplaria* (cæterorum Interpretum) *habere omnia: deinde etiam qui habuerint, & Hebræi sermonis ignari sunt, magis errabunt, ignorantes quis è multis verius dixerit. Quod etiam sapientissimo cuidam nuper apud Græcos accidit, ut interdum Scripturæ sensum relinquens, uniuscujusque Interpretis sequeretur errorem.*

[c] Pag. 318.
[d] An. 377.
[e] Biblioth. in Apollinario.
[f] Appar. Sac.
[g] De Claris Interp.

10. *Apollinarium Cœnobiarcham*, è cujus exemplari descripto ex *Hexaplis* & collato cum *Tetraplis*, transcriptus est Codex *Marchalianus* (ut in capite superiori videre est) si quis suspicetur eundem fuisse cum *Apollinario* prædicto (postea) Episcopo Laodiceno, ei certe non adversabor. Ad oram autem *Marchaliani* Codicis Esaiæ, à *Curterio* editi, inter collationes variorum Interpretum, ab *Eusebio* partim, partim vero à recentioribus adjectas, occurrunt non modo οἱ Γ. verum etiam οἱ Δ. nempe ad Es. 9. 15. αὕτη ἡ ἀρχή] οἱ Δ. αὐτὸς κεφαλή. Rursus ad Es. 26. 14. οἱ δὲ νεκροὶ] Α. ἀποθνήσκοντες οὐ μὴ ζήσωσιν Ῥαφαΐμ. Θ. οὐ μὴ ἀνάστωσιν οἱ νεκροὶ· οὐ μὴ ζωοποιήσωσι. οἱ Δ ὁμοίως τ' ό. Designari puto τοὺς LXX. juxta *Tetrapla*. In Card. *Barberini* exemplaris Prophetarum margine occurrit eadem litera; Amos 4. 9. θάνατον] Δ. πληγήν. Α. λοιμόν. Joel. 2. 1. συγχυθήτωσαν] συγχυθήσονται. Δ. ἀβάτῳ ξηρασίᾳ. Jon. 1. 2. Νινευὶ] γονὴν ὡραιότητος. Δ. κατασκαπτὴν χαρᾶς. Utrum τετραπλᾶς his locis, an Διόδωρος aliquis in Commentariis, designetur, aliorum esto judicium. Ibidem autem ad Hab. 3. 1. ubi in Cod. Vat. legitur προσευχή, adnotatur οἱ Δ προσευχή. Sic ante Orationem

tionem Habacuc, ΔΔ. Προσευχὴ Αμβακκὺμ &c. Qua nota denotari videntur *Diodori* cujusdam (*Tarsensis*, puto) Commentarii.

In eodem Cod. *Marchal.* occurrit aliquoties Π. ut ad Ef. p. 119. βούτυρον καὶ μέλι φάγεται] Π. φάγε) βούτυρον. Ibid. πῶς] Π. ἴσως. pag. 166. χερσὶ] Π. μω. pag. 190. Κύριος] Π. ια pag. 214. ἐχῖνοι] Π. σειρῆνες. pag. 580. ἐγὼ εἰμὶ] Π. ἐγὼ εἰμὶ αὐτός. *Curterius* & *Waltonus* existimant intelligi *Pamphili* editionem. Mihi potius videtur designari editionem Πεντεπλίδου, quia alibi occurrit οἱ Π κατὰ Φ. ut pag. 219. qui locus sic videtur intelligendus: LXX. *in Pentaselido juxta editionem Philonis*, vel, *juxta Philonis Commentaria.* Floruit anno 400. *Philo Carpathius*, qui in Scripturas Commentaria quædam edidit. Isne fuerit, an alius, haud dixerim. *Philonem* Judæum Philosophum, intelligi existimarim, nisi obstarent isti οἱ Π.

Occurrit alibi Φ. ut pag. 281. δαιδαν] Α. Σ. Δωδανίμ. Θ. Δαιδάν. Φ. δαιλάν. Ibid. φλεγόντων] οἱ ο. πεφονευμένων. οἱ Γ. μαχαίρων. Φ. κατὰ τὰς ο'. In quibus locis quid Φ. sibi velit, se plane nescire fatetur *Usserius.*

Pag. 234. legitur M. tanquam pro nomine Interpretis. οἱ ἀπεσταλμένοι] Α. Μ. ἀπ' αὐτῆς. Sed pro M. proculdubio legendum est Σ. i. e. *Symmachus.*

Pag. 218. occurrit ♀. ut πατάξεις] ♀ ἐπάταξεν. Qua nota designatur *Origenes* in Commentariis, seu *Tomis.* Eadem rursus pag. 295. ♀ ὡς τῶν ο'. μέμνηται ἐν τῷ κε'. τόμῳ τῶν εἰς Ἠσαΐαν. Hæc Scholia autem quæ adjiciuntur in Margine Codicis *Marchaliani*, omnes ipsius fuisse *Eusebii* existimavit *Usserius*: sed vero ut id credamus nihil necesse est.

a Hær. post Christ. 91.

11. Versionem TRIGINTA HOMINUM commemorat [a] *Philastrius*, Episc. Brixiensis: *Est hæresis, quæ iterum post Aquilam triginta hominum interpretationem accipit, non illorum beatissimorum* LXXII. *qui integre inviolateque de Trinitate sentientes, Ecclesiæ Catholicæ firmamenta certissima tradiderunt interpretantes Scripturas. Isti triginta in multis Aquilam sunt secuti, unde ab Ecclesia Catholica & istorum non suscipitur interpretatio, quæ continetur in libris authenticis.* Suspicatur *Usserius* in margine Codicis Card. *Barberini*, ubi legitur οἱ Δ, legendum esse οἱ Λ, ut intelligantur illi *homines triginta* Philastriani; conjectura certe infelicissima, quandoquidem in loco plusquam uno, lectione sibi constante, legitur οἱ Δ. Nec ab ullo alio scriptore, præter unum *Philastrium*, memoratur ista *triginta hominum* translatio. Visne, quid ipse sentiam, scire? Paucis accipito. Cum *Luciani* editionem in Bibliorum Græcorum marginibus sub litera Λ vel λ. (quæ non modo illius nominis initialis est, sed & numeri 30. nota) citatam invenit, *triginta* quorundam hominum interpretationem designari putavit.

12. Meminit idem, illeque solus, interpretationis alius SEX VIRORUM. *Est hæresis* (addit) *quæ iterum sex Virorum interpretationem postea editam vult sequi, non illorum priorum sanctorum, qui* LXXII. *aliis modis interpretari desiderant, & non parvum errorem incurrit, diversa itidem sentiens de fide Catholica.* Et hoc quoque esse errorem non dubito; ex eo nimirum exortum, quod in Marginibus Bibliorum editionem *Sextam*, sub episemo ς citatam (quod fieri solet) repererat.

13. *Editionis* HERACLIENSIS, è qua Historiæ Susannæ Syriaca Versio confecta sit, mentionem habemus ante editionem *Susannæ* Syriacam. *Scribimus præterea librum Danielis parvuli*: *Historiam Susannæ, ex Editione Heracliensi.* Designatur, ni fallor, Editio *Theodotionis*, qui *Ponticus* fuisse creditur, ubi sita est *Heraclea.* Atque hoc ex eo fit magis probabile, quia monet quoque *Hieronymus* in principio Versionis Latinæ Vulgatæ istius narratiunculæ, se eam *transtulisse ex Theodotionis editione.*

14. Exstitisse olim Versionem Græcam Legis Mosaicam ex Codice *Samaritano* derivatam, quam Patres secuti fuerint, quotquot Textum

Samariticum

Samariticum citant, existimant [a] *Huetius*, [b] *Simonius*, & *Hottingerus*, (quorum prius affirmat hoc *certo certius esse*) sed nulli certo argumento nixi. Versionis talis Græcæ nec vola nec vestigium extat. Et facile potuerunt Patres quidam pauci, quamvis Codicem *Samaritanorum* legere non potuerint, quid tamen in hoc vel illo loco (ut paucissimi sunt loci, quos citant) haberet, commonere, ab ipsis *Samaritanis* edocti. Ut minime sit necesse Versionem Græcam confingere. Quin & Biblia quædam vetusta illorum temporum, Textus *Samaritici* lectiones variantes in margine adnotatas habuisse, in Capite præced. ostendimus. In eadem cum illis sententia fuit [c] *Morinus*. *Samaritanorum* (inquit) *sacra volumina revolvere*, *atque ut pluribus prodessent*, *lingua Græca donare*, *emxissime contenderunt Patres*. *&c.* Idem alibi: *Quis de hujus Scripturæ Samaritanæ pretio dubitare potest*, *quam Patres tanti fecerunt? quam Græce translatam*, *ut semper illis præsto esset*, *habere voluerunt?* [d] Hottingerus hanc *Græcam Samaritanorum Versionem antiquitate LXXviralem superare* autumat, *& facile*, inquit, *si quibus Samaritanorum historiæ explorata sunt*, *concedent*, *tutissime ad Alexandri Magni*, *Samaritanis faventissimi Principis*, *tempora eam referendam esse.*

[a] Origen.
[b] Hist. Crit. V. Test.
[c] Exercit. in Pent. Samarit. p. 2. 253.
[d] Thes. Philol.

15. Pentateuchum in lingua Græcobarbara, sed literis Hebraicis, excudi curaverunt Judæi Constantinopolitani, nempe in Pentateucho quodam Polyglotto, qui continet etiam Translationem *Hispanicam*, characteribus similiter Hebraicis, una cum Textu Heb. & Paraphrasi Chaldaica. Versione ista Græcobarbara utuntur vulgo (sed non in Synagogis) Judæi, quotquot linguam illam habent vernaculam, præcipue vero *Karraitæ* Constantinopolitani. Sunt vero *Karraitæ* Judæorum secta, quæ recipit tantum Scripturas; *Rabbanitasque*, & traditiones *Talmudicas* damnat. De eorum Pentateucho *Græco* hæc habet *Ant. Legerus* ad *Buxtorfium*: *Editus est* (inquit) *tempore Solimani*, *Turcarum Imperatoris*, *Constantinopoli A. M.* 5307. *una cum Haphtarot*, *& quinque Megilloth*, *Hebraice*, *Græce*, *& Hispanice*, *addito etiam Targum Onkeli*, *& Commentario R. Solomonis*. *Nam* (addit idem) *Constantinopolitani Judæi*, *ex iis oriundi*, *qui ante multa secula eo migrarunt*, *Græce S. Scripturas legunt*, *& sunt fere Karraitæ*. *Qui autem non ita pridem eodem ex Hispania sedes transtulerunt*, *qui plerique omnes Rabbanitæ sunt*, *Hispanice S. Scripturas lectitant.* Testatur idem *Legerus* in Epist. ad *Hottingerum*, *Karraitas* Constantinopolitanos jactare se reliquias esse veterum Hebræorum, qui ibi habitabant tempore Constantini Magni, *S. Scripturam ibi Græca lingua*, *sibi vernacula*, *privatim & publice lectitare*, *& ejus notitia liberos suos imbuere.* Illic tamen superesse hodie tantum 70. Suo tempore vixisse Constantinopoli *Karraitas* 500 scribit *Benjamen Tutelensis* in *Itinerario*. Ex ista Versione locum hunc adducit *Seldenus de Jure Nat. Gent. lib.* 2. *cap.* 11. [e] טון קיריו אפטוש אניתמטי, τ̃ κύριο αὐτὸς ἀναθίματι, *Dominum ipse execratur*. A *Simonio* etiam citatum reperio.

[e] Num. 15. 30.

Extat etiam liber *Jobi* lingua Græca vulgari, à Judæis Constantinopolitanis una cum textu Heb. impressus.

16. Aliam Versionem totius Scripturæ V. & N. T. in linguam Græcobarbaram, in usum plebis Christianæ fieri imprimique curavit *Cyrillus Lucaris* Patriarcha Constantinopolitanus, prius Alexandrinus.

17. [f] *Galesinius* inter eas Versiones, quæ ex LXX. derivatæ sint, enumerat MACEDONICAM. Quænam autem ea fuerit, viderint alii. *Galesiniani* certe cerebelli fœtus est.

[f] De LXX Int. Pag. 53.

18. Exemplaria quædam melioris notæ notata manu PHILONIS JUDÆI, S. IRENÆI, & CLEMENTIS ALEXANDRINI, commemorare videtur *Anastasius Sinaita* Patr. Antioch. in Hexaem. lib. 7. *Audis quod ex quo ingressa est* (*tanquam quædam natura*) *divina insufflatio*

inter natum corpus Adami; statim Scriptura non simplici nomine appellavit, sed (utpote quod Christus non solum esset Deus) Deum & Dominum eum composite nominavit, quomodo in sinceris ac non adulteratis antiquisque exemplaribus diligentissime scrutati invenimus: iis, inquam, quæ notata fuerant à Clemente, *&* Irenæo, *&* Philone Philosopho, *& ab eo qui Hexapla composuit.* Paulo post: *Si ergo essent sensibilia (dicit Clemens, & veteres, qui eum secuti sunt interpretes) paradisi & quæ sunt eorum intermedia duo signa; invenientur (aiunt) bestiæ &c.* Postea: *Veteres ergo Ecclesiarum Interpretes, Philo, inquam, Philosophus & tempore æqualis Apostolis, & celebris Papias Hieropolitanus, Joannis Evangelistæ discipulus, & Irenæus Lugdunensis, & Justinus Martyr & Philosophus, & Pantænus Alexandrinus, & Clemens Stromateus, & eorum asseclæ spiritualiter sunt contemplati de Christi Ecclesia ea quæ scripta sunt de Paradiso.* Lib. 9. *Postquam dixit, Et ædificavit Dominus Deus costam; faciens perfectum punctum magnus* Clemens, *& tunc versus faciens initium subjunxit:* Quam accepit ab Adam in mulierem: *& mihi videtur pie admodum attendisse dictionem. Nam Theodotion quoque sic distinxit idem verbum.* An potius designat exemplaria ab illis *citata*? Hoc equidem credo, cum varia hæc loca considero.

19. Ex Editionibus antedictis *Origeniana*, *Lucianea*, & *Hesychiana* promanarunt, quotquot exstant, Versionis Græcæ exemplaria integra hodierna. Nullum tamen reperitur quod unam aliquam Editionem puram atque sinceram exhibeat, sed omnia mixta sunt partim ex illis, partim ex Κοινῇ Editione; nonnullis etiam ex aliis istis Versionibus *Aquilæ*, *Theodotionis*, *Symmachi*, *&c.* subinde admixtis. Libens tamen agnosco Editionem, quæ hodie superest, Græcam quoad partem longe majorem, eandem esse cum illa, quæ Patrum antiquorum temporibus pro *LXXvirali* habebatur. Non enim accedo eorum *Protestantium* sententiæ, qui ut Græcæ Versionis auctoritatem deprimant, negant eam, quæ hodie exstat, eandem esse cum illa quæ Patrum temporibus, sub nomine τῶν LXX. ferebatur. Neque placet quod de eadem habet [a] *Martinus Martini*, homo ipse Pontificius, & Professor Salmanticensis: *Universæ*, inquit, *supradictæ Versiones, cum suis asteriscis & obelis prorsus periere, & tantummodo vestigia illorum manserunt in monumentis antiquorum Patrum. Præterea nec authorem hujus Græcæ translationis certo cognoscimus; nec an sit una ex supradictis, aut ex omnibus illis sit conflata, compertum habemus.* Quæ sæpe attrectantur manibus, contaminari; & quæ toties transcripta sunt, quoties Biblica fuere, volumina in multis mutari ac coinquinari, necesse est.

[a] Hypot. Theol. lib. 1. cap. 4.

Versionem Græcam primus omnium prælo mandavit Card. *Ximenius*; verum antequam illius Biblia *Complutensia* in lucem prodiere, per tres aut quatuor annos, licet absoluta, *Ximenio* jam morte sublato, apud Typographos latentia; Editionem aliam Venetiis emisit *Aldus Manutius* an. 1518. Ex variis Græcis Codicibus condita est Editio *Complutensis*, ei operam navantibus in primis *Demetrio Cretensi*, *Ferd. Pintiano*, *Lopes Stunica*, & *Francisco Vergara*. In ea, ut erat consentaneum in Bibliis Polyglottis, librorum & Capitum quorundam mutatus est ordo, ut cum Textu Heb. & Latina Vulgata è regione conveniret. Quin & majori subinde libertate utebantur Editores, de qua [b] *Flam. Nobilius* ita loquitur: *Origenis Editionem hac ex parte imitandam sibi statuerunt, ut quæ in Hebraico erant, si in* LXX. *deessent, ex alia interpretatione explerent: in eo autem ab Origenis instituto discesserunt; quod quæ apud* LXX. *supererant, quæque Origenes satis habuerat obelo notare, ipsi sæpenumero rejecarunt: ac præterea delectu ipsarum etiam dictionum habito, collatisque exemplaribus, non modo Bibliorum, sed etiam Græcorum Commentariorum, ubi varia se offerebat lectio (quod frequentissime evenit) eam probarunt ac retinuerunt, quæ ad*

[b] Præf. Vers. Lat. Ed. Sixtinæ.

ad Hebraicam propius accederet: quamvis id, aut libris destituti, aut tædio victi, non perpetuo fecerint. Sic multis exemplis ostendit [a] *Usserius, quæ in libro Job apud* LXX. *haberi, & Hebræo abesse, in Epistola ad Africanum notavit Origenes, ab hac Editione exulare: & illa, quæ in Hebræorum textu exstare, in* LXX. *vero desiderari significavit idem, hic conspici omnia.* Ob hanc cum Codicibus Heb. consonantiam, in maximo pretio à nonnullis habebatur Editio *Complutensis*, verum eo longius ab antiqua Versione Græca, qua usi sunt Patres, & à germanis ejus Exemplaribus recedit.

Editio *Aldina*, sive *Veneta*, ex multis vetustissimis exemplaribus undique conquisitis, *Andreæ Asulani* studio prodiit. De qua hoc [b] *Andreæ Masii* judicium est, *esse illam quidem simplicis interpretationis* LXX. *Seniorum exemplum; sed haud parum, neque ab omni admistione verborum Theodotionis liberum.* Observat [c] *Usserius*, eam sequi interdum non LXX. sed *Aquilæ* lectiones, & varia in eam glossemata irrepsisse.

Quoniam hæ Editiones non satis sinceræ videbantur, Patres Concilii Tridentini, de nova castigatius expolienda consilium inierunt, ut ex Actis nondum pervulgatis [d] scriptum legimus. Cæterum nihil ab eis est effectum aut decretum. Tandem *Sixtus* V. dum adhuc Cardinalis esset, auctor fuit *Gregorio* XIII. ut LXX. Interpretum Biblia ad fidem probatissimorum codicum emendarentur. A *Gregorio* itaque, hujus expolitionis constituendæ munus demandatum est *Ant. Carafæ* Cardinali, postea Bibliothecæ Vat. præfecto, qui operam dedit, ut in celebrioribus Italiæ Bibliothecis optima quæque exemplaria perquirerentur, atque ex iis lectionum varietates descriptæ ad se mitterentur. Quibus, doctorum hominum, quos ad id delegerat, industria, & judicio Card. *Sirleti* (quem in locis obscurioribus sibi consulendum proposuerat) persæpe examinatis, & cum exemplari vetustissimo Vaticano diligenter collatis, intellexit, cum ex ipsa collatione, tum è sacrorum veterum scriptorum consensione, Vaticanum codicem non solum vetustate, verum etiam bonitate cæteris antecire. Curavit itaque editionem ad Vaticanum exemplar emendandam; vel potius exemplar ipsum, quod ejus valde probaretur auctoritas, de verbo ad verbum repræsentandum, accurate prius, sicubi opus fuit, recognitum, & Scholiis etiam Græcis auctum. Editorum judicio ante tempora B. Hieronymi, non infra, exaratus est iste Codex; sed eorum judicio non facile acquiescendum est, siquidem tantum ex forma characterum, quia *majoribus literis, quas vere antiquas vocant*, scriptus est, conjecturam faciunt. Nam literas istiusmodi majusculas [e] diu post Hieroymi ætatem in usu fuisse constat. In omnibus, nisi ubi characteres præ vetustate oculorum aciem fugiebant, vel manifestus apparebat librarii lapsus, ne latum quidem unguem, ut aiunt, ab illius libri auctoritate discessum est, ne in iis quidem, quæ si minus mendo, certe suspicione mendi videbantur non carere; nisi quod totum in Capita juxta Latinum Vulgatum diviserint. Nulla enim in toto exemplari Capitum (male addit *Waltonus*, nec vocum; id enim non dicunt Editores) divisio fuit. In libro tamen 4. Prophetarum, distinctio quædam apparebat subobscura, illi pene similis, quam describit *Dorotheus*. Maccabæorum libri abfuerunt, atque item liber Genesis usque ad caput XLVII. longo ævo consumptis membranis; & liber item Psalmorum à Psalmo CV. usque ad CXXXVIII. nimia vetustate mancus fuit. In his itaque supplendis usi sunt inprimis aliis duobus libris, qui ad ejus vetustatem proximi quidem, sed longo proximi intervallo, accesserunt, uno Veneto, ex Bibliotheca *Bessarionis* Card. & eo quoque grandioribus literis scripto; altero, ex Magna Græcia advecto, qui cum Vaticano ita in omnibus consensit,

[a] Syntag. c. 8
[b] Annot. in Jos.
[c] Cap. 8.
[d] Ant. Caraf. Præf. Ed. Vaticanæ.
[e] V. Rocchæ Biblioth. Vat. Append. pag. 407.

ut credi possit ex eodem archetypo descriptus esse. Præter hos magno etiam usui fuerunt libri ex *Medicea* Bibliotheca Florentiæ collati, qui Vaticanas lectiones multis locis aut confirmarunt aut illustrarunt. Post octennii circiter laborem prodiit opus an. 1587. *Sixto* V. dicatum, illiusque præmunitum diplomate, in quo sancitur, *ut ita recognitum & expolitum, ab omnibus recipiatur & retineatur*, & prohibetur, *ne quis de hac editione audeat in posterum, vel addendo, vel demendo, quicquam immutare.*

Prodiit anno sequente Editionis *Vaticanæ* Latina Versio cum *Flaminii Nobilii* Annotationibus. Versionem ipsam fuisse *Nobilii* vulgo creditur, negant vero nonnulli, ob ea quæ leguntur in Card. *Carafæ* Epistola Dedic. ad Papam: *Eadem Biblia nunc iisdem (quantum fieri potuit) verbis, quibus usi sunt Latini Patres, auctoritate Sixti* V. *Latine reddita, & Fl. Nobilii, Viri utriusque linguæ peritia, multiplicique eruditione excellentis, notationibus illustrata sub felicissimo ejusdem Sixti* V. *nomine emittuntur.* Et ipsius fuisse *Carafæ*, testari videtur Papa in sua, quæ præmittitur, *Bulla*: *Eadem Biblia STUDIO ejusdem dilecti filii nostri Ant. Carafæ Card. in Lat. conversa &c.* Cæterum ab eodem auctore, quo ipsæ *Annotationes*, h. e. à *Nobilio*, concinnatam fuisse, perspicue hæc demonstrant Præfationis verba; in quibus etiam quid in Versione fuerit præstitum, indicatur. *Quod in hac Editione Lat. cumulatius est factum, quo Lectori alios libros adeundi laborem minueremus: ut pauca jam in aliis etiam impressis libris bene habeant, quæ in nostris NOTATIONIBUS non reperiantur. Quod autem ad* Latinam Interpretationem *pertinet; diligenter operam dedimus, ut quæ ipsius S. Scripturæ partes à Lat. Patribus alicubi recitantur, eas eodem modo atque ab ipsis sunt recitatæ, nisi aut illorum inter se, aut nostri Exemplaris varietas obstaret, poneremus; in reliquis quas recitatas non invenimus, eadem verba, easdem loquutiones, quantum res ipsa ferret, retineremus. Prorsus autem ubi nobis integrum fuit, ingenue profitemur, incultam nos illam sequutos interpretandi rationem, in qua verbum verbo redditur, paulo durioris constructionis reprehensionem parum veritos. —Ac multa tamen in* Notationibus *dicta sunt, quæ ad istam asperitatem leniendam faciant.* De ipsa autem Versione prohibetur quoque in *Bulla* Papæ, *ne quis eam aliter*, quam tunc prodiit in lucem, *imprimere, edere, aut publicare, neve ei quicquam vel minimum addere, aut detrahere, aut illam aliqua ex parte immutare, quovis prætextu audeat vel præsumat, nisi specialem ad id à nobis, vel pro tempore existente Rom. Pontifice licentiam obtinuerit.*

Hanc Editionem non modo tanquam *germanam*, sed tanquam pene *immaculatam* τῶν ο'. Versionem extollit *Morinus*. *En tibi*, ([a] inquit) *Christiane Lector, post tot secula intermortuam, redivivam tibi sistit summus ille Pontifex sanctam illam ipsam Editionem, quam solam Apostoli suffragiis suis comprobaverunt, & Ecclesiis commendaverunt.* [b] Alibi *opus admirandum & plane divinum* appellat. *Habes*, addit, *in illa Rom. Editione divinam illam* LXX. *Int. Editionem, translationem quam fieri potest ab omnibus mendis & irrepsionibus castigatam & puram, pristinoque nitori & integritati redditam.* De istius denique integritate in *Exercitationibus* Biblicis prolixe disputat. *Opus* quoque *plane divinum, ac divinitus inspiratum*, appellat [c] *Baronius*. Eam esse *authenticam*, etiamsi erratis levioris momenti non careat, enunciant [d] *Jo. Desspieresius*, & [e] *Jo. de la Haye*.

At vero usquequaque esse germanam τῶν ο'. Editionem, non ipsi Editores crediderunt. Card. *Carafa* ait eam *ad* LXX. *Interpretationem, si non toto libro, majori certe ex parte, quam proxime accedere.* Et alii Editores in Præfatione aiunt eo spectasse industriam suam, ut Editio illa ad LXXviralem, *quantum per veteres libros fieri poterat, quam proxime accedere.*

[a] Præf. Editionis suæ.

[b] Exercit. 9. lib. 1. c. 1.

[c] Annal. Apparat. n. 119.

[d] De textu Heb. &c.

[e] Proleg. in Bibl. §. 18. c. 1.

accedere. Et *Nobilius* monet, se in Notationibus posuisse alias lectiones, ex quibus boni aliquid excerpi posse videbatur, *quoniam nihil usquequaque integrum est, & alias quoque Interpretationes conferre non est inutile.* Editionem hanc *omnium quæ exstant maxime sinceram judicat* Waltonus, *tamen ex omni parte perfectam esse, non audet asserere.* [a] Mariana: *Neque negaverim Græca Biblia, quæ ante aliquot annos Romæ prodierunt, multo sinceriora esse quam reliqua, quæ causa in Pontificis diplomate* LXX. *Interpretum esse dicitur. Sed & ipsa ex aliis editionibus non pauca habere admixta, ex iis quæ dicta sunt à nobis plane intelligitur.* Existimat is non modo *Danielem* esse ex editione Theodotionea, verum etiam Libros *Esther, Judicum, & Josbuæ*, ex Editione Κοινῆ esse, etiam in exemplari Vaticano, contendit. [b] Jac. Bonfrerius: *Hæc omnium optima quæ hactenus in Romana Ecclesia prodierunt, etsi & hæc subinde à Veterum Patrum fragmentis diversa esse reperiatur; imo in nonnullis Scripturæ partibus tanta est hujus etiam Codicis à lectione ea, quæ apud sanctos Patres est, discrepantia, ut plane diversa Versio videri possit. Exemplo esse possit Canticum Debboræ; nam ubique fere ab Origenis, Augustini, Theodoreti, Procopii lectionibus hic codex in eo Cantico dissidet, cum Regius & Basileensis codex longe propius ad istorum Patrum lectiones accedant.* Non esse omni ex parte sinceram contendit etiam [c] *Serarius*: & demonstrat [d] *Usserius.* Audiendus insuper [e] *Capellus. Perperam & frustra contendunt nonnulli Sixtinam τῶν* LXX. *Editionem esse puram putam atque incorruptam ipsissimamque τῶν* LXX. *Translationem, cum in ea (vix minus quam in cæteris Editionibus) innumera pene occurrant glossemata infulta, & σφάλματα librariorum incuria, ἀβλεψία, incogitantia illapsa, aut etiam eorundem temeritate & audacia introducta.* Quin & ipse *Morinus* alicubi [f] fatetur se *negare nolle additamentorum Origenianorum ex Judæorum textu pauca quædam in Ed. Romana superesse, quæ forte fortuna in exemplar illud ex quo potissimum expressa est, irrepserant.* Idem in Ep. ad Patr. Junium de Cod. Alexandrino verba faciens: *Si codex aliquis daretur exacte ut tuus, & magna cum cura descriptus, quique Origenis ætate non esset inferior, cæteris paribus illi potius in rebus dubiis crederem quam Ed. Romanæ: nec nego multis in locis illam Ed. ex tuo utiliter corrigi posse.* Ibidem varios recenset Ed. Romanæ errores.

a Pro Ed. Vulg. cap. 15.
b Præloq. in S. Script. c. 13. § 8.
c Proleg. Bibl. c. 17. Q. 21.
d Syntag. pag. 88. &c.
e Crit. Sac. l. 4. c. 18. § 7.
f Exercit. 9. c. 3. § 6.

Affirmat *Is. Vossius*, hanc Editionem esse omnium quotquot exstant pessimam: [g] *Simonius*, videri eam meliorem & simpliciorem esse *Veneta*; omnium vero corruptissimam esse *Complutensem.* Exemplaris istius *Vaticani* antequam ederetur, his verbis meminit [h] *Albertus Widmenstadius*: *Græca Interpretatio, si usquam, certe in Vaticana Bibliotheca aureis majoribusque literis scripta, Basilii Zanchii doctissimi viri judicio, cui ego certis de causis facile assentior, adhuc exstat.*

g Hist. Crit. T. V. l. 2. c. 3.
h Præfat. in N. T. Syr.

Continere illud *Luciani* Editionem existimavit [i] *Andreas Masius*: *Continet* (inquit) *Vaticanus codex, longe quidem ille vetustissimus, Editionem simplicem τῶν ό. neque suppletam alia interpretatione: sed, nisi fallor, à Luciano Martyre emendandi studio nonnihil contaminatum, h. e. eam quam Κοινὴν vocare solebant.* Hoc vero refellit *Usserius*, observando, inter loca varia ex *Lucianea* apud Codicem Card. *Barberini* citata, in uno tantum convenire *Romanam.*

i Not. in Jos.

Codicem nostrum celebratissimum, *Alexandrinum* vulgo dictum, qui non modo literis majusculis, sed sine ulla verborum distinctione scriptus est, editionem *Hesychianam* continere, arbitrantur *Is. Vossius*, aliique Viri docti; sed levi argumento nixi, nempe quia ex Ægypto huc devenit. Eum autem ad Regem *Carolum* I. dono misit *Cyrillus Lucaris*, Patriarcha Constantinopolitanus, ante Alexandrinus, hac nota apposita: *Liber iste Scripturæ Sacræ Novi & Veteris Testamenti, prout ex traditione habemus, est scriptus manu Theclæ, nobilis fœminæ Ægyptiæ, ante*

L l l l 3 *mille*

mille & trecentos annos circiter, paulo post Concilium Nicenum. Nomen Theclæ in fine libri erat exaratum: sed exstincto Christianismo in Ægypto à Mahometanis, & libri una Christianorum in similem sunt reducti conditionem. Exstinctum ergo & Theclæ nomen & laceratum: sed memoria & traditio recens observat. Sic se habet notatiuncula. Credibilius vero videtur, pertinuisse Codicem olim ad quoddam Monasterium S. *Theclæ* nomini dicatum, atque ea de causa *Theclæ* nomen ei fuisse inscriptum. Utcunque hoc fuerit, Codicem illum non exhibere *Hesychii* Editionem, vel saltem non sinceram, apparet ex loco ab Hieronymo ex *Hesychiana* citato, qui in nostro Exemplari non comparet. Ad Es. 58. 11. "*Quod* "*in Alexandrinis Exemplaribus in principio hujus capituli additum est*: (Et "adhuc in te erit laus mea semper) & *in fine*, (Et ossa tua quasi herba "orientur & pinguescent, & hæreditate possidebunt in generationes "& generationes:) *in Hebraico non habetur, sed ne in* LXX. *quidem emen-* "*datis & veris exemplaribus. Unde obelo prænotandum est.*" Mutilus est hic Codex à Psal. XLIX. 20. ad LXXIX. 12.

Meminit *Vossius* Exemplaris Bibliothecæ *Christinæ* Reginæ, quod existimat esse ex Editione *Lucianea*, sed nullo certo argumento ductus. Servatur, ut opinor, nunc Codex iste Parisiis in Bibliotheca *Colbertina*. Illuc enim *Christinæ* Reginæ libri transmigravere.

Editiones sane variæ, *Origenis*, *Luciani* & *Hesychii*, intra unius circiter seculi, aut alterius curriculum videntur inter se usque adeo à librariis fuisse confusæ ac commixtæ, ut earum distinctio ferme penitus evanuerit. Hinc ne quidem apud *Cyrillum*, Patriarcham *Alexandrinum*, qui floruit initio sequentis seculi, reperiuntur additamenta *Hesychianæ* Editionis, de quibus loquitur Hieronymus.

De Codice Prophetarum *Marchaliano*, sive *Rupefucaldiano*, cujus toties fecimus mentionem, vide *Usserium Syntag.* pag. 101. à quo ne in errorem inducaris, cum dicit *Esaiam*, *Jeremiam*, & XII. minores Prophetas Κοινὴν Editionem continere; memineris velim, quod diximus in cap. præcedente, eum male existimasse Editionem illam, quæ Obelis & Asteriscis in Hexaplis notata est, fuisse Κοινήν. Addit Vir doctiss. in *Daniele* Theodotionis Editionem, sine ullis notulis aut scholiis illic haberi: in *Ezechiele*, Editionem ex *Communi* & *Theodotione* mixtam, locis sub Asterisci signo ex illo suppletis, in ipsum contextum plerumque receptis, non, ut in aliis, ad marginem tantum appositis. Ut vero ex eo Codice *Esaiam* edidit *Curterius*, sic priora quatuor *Hoseæ* Capita *Jo. Philippæus*. Prophetarum Codicem Card. *Barberini* continere Editionem Κοινὴν jam supra in Capite præeunte advertimus. In eo desunt *Esaiæ* Capita prima 26.

Ex tribus autem istis Editionibus, *Complutensi*, *Aldina*, & *Vaticana*, derivatæ sunt omnes quotquot habentur typis excusæ. *Complutensem* sequuntur *Biblia Regia* Antuerpiæ an. 1571. *Santandreana* Genev. 1596. *Commeliniana* 1599. & *Parisiensia* Polyglotta 1645. Ejusdem Editionis Latina Versio, quæ in Bibliis *Complutensibus* habetur, in *Aldinæ* Editionibus Basileensibus annorum 1520. & 1550. cum hac conjungitur, mutata tamen interdum, sed non satis fide, ut cum ea congrueret. Librorum Apocryphorum Editionem *Complutensem* expressit *Claudius Baduellus* in sua Lat. Versione, quam edidit *Rob. Stephanus* in Bibliis suis anno 1557.

Ab *Aldina* emanarunt omnes Editiones *Basileenses*, necnon *Argentoratensis* 1526. *Hamburgensis* 1596. & *Francofurtensis* 1597. reducto tamen in aliis magis, [a] in aliis minus, Librorum, capitum, & versuum quorundam ordine ad normam Codicum Heb. & libris Apocryphis, cum *Estheræ* & *Danielis* additamentis separatim ad finem rejectis. In *Francofurtensi*, refectis

[a] Vide Morinum Exercit. 9. cap. 5. §. 6. 7.

fectis *Aldinis*, substituuntur ex *Complutensi* quatuor penultima *Exodi* Capitula, & *Proverbiorum* Capitis 24. pars magna.

Ex *Romana* fluxerunt omnes Editiones *Anglicanæ*, *Londinensis* minore forma an. 1653. *Waltoniana* in Bibliis Polyglottis, & *Cantabrigiensis Pearsoniana* 1665. quæ postea apud Batavos recusa est. *Waltonus* adjecit lectiones variantes Editionis *Aldinæ* & *Complutensis*, item Codicis *Alexandrini*, *Marchaliani*, & Card. Barberini. In Londinensi Editione prædicta, observante *Usserio*, ad imitationem Germanicarum, librorum dispositio ad magis receptum à nobis ordinem conformatur, & Apocrypha ad finem collocantur; Psalmorum quoque nomenclatura juxta Hebræorum, non Græcorum, numerandi rationem retinetur. Exodi præterea cap. XXIV. versiculo 6. qui à Rom. Editione aberat, ex *Aldina* inserto: nonnullisque etiam in Capite ejusdem libri XXVIII. viz. versiculis 23. &c. ad 30. ex *Complutensi* partim additis partim substitutis: & *Jeremiæ* Propheticis ad Hebrææ Scripturæ ordinem reductis. *Londinensem* istam in omnibus, non revera *Vaticanam* (quod in libri Inscriptione dicitur) sequitur *Pearsoniana*.

De nova hujus Versionis Editione adornanda hæc optime monet magnus ille *Pearsonus*: *Quoniam hæc Seniorum Versio etiam S. Hieronymi tempore, corrupta fuit atque violata, danda est opera, ut ei pristina puritas restitui & redintegrari possit. Certum est Exemplaria quæ habemus, Complutense, Aldinum, Romanum, plurimum inter se, & ab Alexandrino discrepare, alios etiam Codices aliquarum S. Scripturæ partium satis antiquos, nunc cum eorum aliquo, nunc cum nullo convenire. Optime igitur fecerit, qui Codices omnes MSS. cum editis diligenter contulerit, qui varias lectiones non tantum ad Heb. Veritatem examinaverit, sed cum antiquissimorum Judæorum Philonis & Josephi, & vetustissimorum Patrum scriptis comparaverit, ac denique expositiones eas, quæ apud Lexicographos Scripturarios etiamnum exstant, vel potius delitescunt, inspexerit, atque ita nobis Editionem* LXX. *maxime puram adornaverit. Quale opus utinam aliquando Vir doctiss. Is. Vossius, qui optime potest, perficeret ederetque.* Is. Vossius non ea certe pollebat diligentia, ut tali tantoque operi par esset: Sed alium nunc habemus, qui & optime potest tale opus perficere, & jam quidem parat. Is est Amicus noster doctissimus *Jo. Ernestus Grabius*, qui novam Editionem meditatur, flagrantissimis suis studiis dignam, qua Orbem literarium egregie demerebitur. Quid autem præstantissimi Viri institutum sit, & quid ab eo sit exspectandum, ipsius verbis accipe, ex literis nudiustertius ad me datis: *Novam, quam in me suscepi, Editionem* LXX. *Interpretum ita, Deo juvante, elaborabo, ut ad Exemplar ab Origene in Hexaplis cum asteriscis & obelis exhibitum quam proxime accedat. Ope enim atque auctoritate MSS. Codicum partim, partim editorum Librorum quorundam, non modo obelos istis, quæ ab Hebræo codice absunt, verbis apponam, sed & ea quæ in vulgato τῶν ό. textu desunt, suis quæque locis, paulo minore tamen charactere, inseram, præfixis quidem asteriscis, ubi ea ab Origene ex Theodotionis vel Aquilæ aut Symmachi Versione addita constat; sine isto autem signo, ubi illa post Adamantii ævum incuria Librariorum exciderint. Menda quoque plurima, quæ hactenus irrepserunt, è medio tollam, adeo ut ultra bis mille loca ægra sanitati, mutila integritati restituam, ac ducentos, & quod excurrit, versus integros addam.* Juxta Exemplar *Alexandrinum* Editionem olim parabat, sed morte præventus perficere non poterat, *Patricius Junius*.

20. Quo tempore perierit ipsum autographum (quod vocant) LXX. Interpretum, quod in Bibliotheca Alexandrina reconditum fuerit, disquirunt eruditi: Nostra equidem parum refert quo tempore evanuerit exemplar illud quod creditur in Bibliotheca illa repositum fuisse, cum

cum illud non fuisse Interpretum ipsorum, quicunque ii demum fuerint, nedum Interpretum ullorum LXX. autographum, ferat nostra sententia. In gratiam tamen eorum qui vulgarem opinionem (ut diversa sunt hominum judicia) consectentur, de hoc quoque argumento pauca quædam subjiciemus.

LXX. Interpretum Exemplar autographum sive Originale in Bibliotheca *Alexandrina* etiam temporibus suis conservatum exstitisse, credidere nonnulli antiquorum Patrum. [a] *Justinus M.* Ἔμειναν αἱ βίβλοι καὶ παρ' Αἰγυπτίοις μέχρι τοῦ δεῦρο· *Libri apud Ægyptios permansere ad hunc usque diem.* [b] Irenæus: *Cum tanta igitur veritate & Gratia Dei interpretatæ sint Scripturæ, ex quibus præparavit, & reformavit Deus fidem nostram, quæ in filium ejus est*, & servavit nobis simplices Scripturas in Ægypto, *in qua adolevit & domus Jacob, effugiens famem, quæ fuit in Chanaan: in qua & Dominus noster servatus est, effugiens eam persecutionem, quæ erat ab Herode: & hæc earum Scripturarum interpretatio, priusquam Dominus noster descenderet, facta sit, & antequam Christiani ostenderentur, interpretatio facta sit. &c.* [c] Tertullianus: *Hodie apud Serapeum, Ptolemæi Bibliothecæ cum ipsis Hebraicis literis* (i. e. cum ipsis [d] Judaicis libris) *exhibentur.* [e] *Hilarius* ait Græcarum Scripturarum, qui in manibus terebantur, libros, cum illis quos Ptolemæo LXX. Interpretes ediderant, fuisse post D. Salvatoris passionem collata, & fideliter consonare reperta. Exemplar denique primævum etiam sua ætate in *Serapidis* templo asservatum fuisse, asserit [f] *Jo. Chrysostomus:* ἀπέθετο εἰς τὸ τοῦ Σαράπιδος ἱερόν· καὶ γὰρ ἦν Ἕλλην ὁ ἀνήρ· καὶ μέχρι νῦν ἐκεῖ τῶν προφητῶν αἱ ἑρμηνευθεῖσαι βίβλοι μένουσιν· *In Serapidis templum reposuit* (Ptolemæus:) *erat enim homo Græcus, & in hunc usque diem librorum Propheticorum Interpretatia ibi servatur.*

a Apol. 2.
b Lib. 3. c. 25.
c Apol. c. 18.
d Vide supra pag. 225.
e In Psal. 2.
f Orat. 1. adv. Jud. juxta Edit. Fran. Ducæi pag. 443. quæ juxta Ed. Savil. postremo loco collocatur to 6. pag. 373.

Atqui quomodo hoc fieri potuit, cum Bibliothecam Ptolemæorum Alexandrinam, tempore belli Alexandrini C. Cæsaris ante Christi incarnationem igne periisse evincit spectata summorum auctorum & probata fides? Contendit [g] *Baronius* ex isto *Tertulliani* testimonio (*Tertulliani* enim solius testimonium producit ille) falsum esse, conflagrationem istam Alexandrinam ad ipsam *Bibliothecam* pertigisse, nempe non credibile esse, potuisse id *Tertulliano* ignotum esse. Sed contra disertissima tantorum Scriptorum testimonia, [h] *Plutarchi*, [i] *Cassii*, [k] *Senecæ*, [l] *Livii*, [m] *Gellii*, ut & [n] *Ammiani Marcellini*, [o] *Orosii*, *&c.* quid possit proferri, non video. Certissimum est *Tertullianum*, *Chrysostomum*, atque adeo reliquos confudisse Bibliothecam *Ptolemaicam*, cum posteriore illa quæ, post *Ptolemaicam* concrematam, à *Cleopatra* Regina in *Serapeo* condebatur: & quoniam nonnihil inaudiverant de Græco exemplari in *Serapei* Bibliotheca asservato, credidisse illam Bibliothecam fuisse eandem cum *Ptolemaica*; & Exemplar istoc fuisse illud ipsum, quod *Ptolemæus Philadelphus* in sua Bibliotheca reposuisse credebatur. Bibliothecam autem *Serapei* diversam fuisse à *Ptolemaica*, eaque recentiorem; & *Ptolemaicam* fuisse in parte quadam Urbis *Bruchio* dicta; luculentissimum [p] habemus *Epiphanii* testimonium: Αἱ βίβλοι εἰς Ἑλληνίδα ἐκτεθεῖσαι ἀπετέθησαν ἐν τῇ πρώτῃ βιβλιοθήκῃ τῇ ἐν Βρουχίῳ οἰκοδομηθείσῃ. ἔτι δὲ ἑτέρα ἐγένετο βιβλιοθήκη ἐν τῷ Σεραπείῳ μικροτέρα τῆς πρώτης, ἥτις καὶ θυγάτηρ ὠνομάσθη αὐτῆς. *Libri in Græcum eloquium conversi, repositi sunt in prima Bibliotheca, quæ in Bruchio ædificata est. Postea autem alia facta est Bibliotheca in Serapeo, priore illa minor, quæ Filia illius nominata est.* Errat itaque [q] *Lipsius*, qui *Ptolemaicam* etiam in *Serapeo* collocat. Ad *Templi* Serapidis bibliothecam respicit quoque *Philastrius*, cum dicit *Ptolemæum* R. jussisse Scripturas translatas poni in TEMPLUM, ut quibusvis advenis legendi copia fieret. Perperam existimarunt [r] *Pamelius*, & [s] *Priorius*, quibus

g Ad an. 231.
h In C. Cæsare.
i Hist lib. 42.
k De Tranquil. Animi cap 9.
l Lib. 6. c. ult.
m Apud Senecam ibid.
n Lib. 22.
o Lib. 7. c. 15.
p De Pond. & Mens.
q Syntag. de Biblioth. cap. 2.
r Not. in Tertull. Apol. c. 18.
s Ibid.

fere

fere etiam assentitur *Baronius*, *Serapeum* non fuisse *Serapidis* Templum, sed locum *Serapidis* Templo vicinum. Conjicit *Valesius* tantum partem Bibliothecæ Ptolemaicæ Cæsareo incendio periisse. Et [a] *Genebrardus* fingit Versionem τῶν ό. cum cætera volumina perirent, singulari Dei providentia erga Gentes, in Ecclesiam paulo post colligendas, à flammis fuisse vindicatam. [a] Chron.

Dubitari etiam non immerito possit, utrum ad illud tempus, quo *Apologiam* suam scripsit *Tertullianus*, perduravit ipsa *Serapei* Bibliotheca *Cleopatrina*, quandoquidem testatur [b] *Eusebius*, *Serapidis templum Alexandriæ incensum fuisse* anno 2. Commodi Imp. Christi 182. Cæterum quidem nullo modo apparet, ita incensum tunc temporis fuisse Templum, ut totum fuerit combustum. Hoc certe constat, in eo postea instaurato exstitisse *Bibliothecam*; & cum ea, teste *Epiphanio*, nominata est primæ illius Ptolemaicæ *Filia*, eandem fuisse cum *Cleopatrina* censendum est. In ea vero reconditas etiam fuisse Versiones cæteras omnes affirmat *Epiphanius*: ἐν ᾗ ἀπετέθησαν αἱ τοῦ Ἀκύλα, καὶ Συμμάχου, καὶ Θεοδοτίωνος, καὶ τῶν λοιπῶν ἑρμηνεῖαι· *in quam Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, & aliorum Editiones congestæ sunt.* [b] Chron.

Bibliothecam *Serapeanam* ad illud usque tempus, quo scripsit *Jo. Chrysostomus*, non perdurasse, exinde conficit *Baronius*, quod *Serapidis* Templum à *Theophilo* Patriarcha Alexandrino, *Theodosii* M. jussu, funditus fuisse dirutum, testantur Scriptores. In hoc vero, duplici nomine errat. Neque enim *Theodosii* decretum de Templis Ethnicorum destruendis promulgatum est antequam *Orationes contra Judæos* scripsit *Chrysostomus*; eas scripsit enim, ut testatur Vitæ ejus Auctor anonymus, dum adhuc esset *Antiochiæ* Presbyter, sive Diaconus. Neque per illud *Theodosii* decretum funditus dirutum est *Serapeum*, sed in Ecclesiam Christianam conversum est. In *Theodosio* illo magno simul ac bono Imperatore tantus exarsit adversus simulachrorum cultum zelus, ut summam ei in hac etiam vita, & morte, felicitatem, tanquam zeli sui mercedem, fuisse concessam existimet [c] *Philostorgius*. *Gentium templa* (inquit [d] *Ado Viennensis*) *per totum orbem, jubente Theodosio, subvertuntur, ac pro eis Christi templa ubique micant.* [e] *Theodoretus* tradit *Theodosium* scriptis legibus τὰ τῶν εἰδώλων τεμένη καταλυθῆναι· *Idolorum fana destrui* jussisse. Eamque fuisse differentiam inter *Theodosii* & *Constantini M.* decretum, quod hic quidem τὸ τοῖς δαίμοσι θύειν παντελῶς ἀπηγόρευσε· τοὺς δὲ τούτων ναοὺς οὐ κατέλυσεν, ἀλλ' ἀβάτους εἶναι προσέταξεν· *ne dæmonibus sacrificaretur omnino, interdixit: eorum tamen templa nequaquam destruxit, sed occludi tantum præcepit.* Et *Marcellum* Apamiæ Episcopum legis *Theodosianæ* præsidio munitum magnum *Jovis Apamensis* templum pessum dedisse. Eandem differentiam inter leges duorum illorum Imperatorum ponit [f] *Nicephorus Callistus*, hoc addens, quod *Theodosius* νόμους ἔγραψε διατάζοντας τὰ τῶν εἰδώλων τεμένη ὅπου δήποτε τῆς ὑπ' αὐτοῦ ἀρχομένης εὑρίσκοιντο, ἐξ αὐτῶν ἀνατρέπεσθαι τῶν κρηπίδων· *Constitutiones tulisse, quibus sanxit, ut simulachrorum delubra, ubicunque locorum in imperio suo invenirentur, ex ipsis fundamentis everterentur.* Quin etiam de ipso *Serapeo*, quod illud speciatim funditus subversum fuit, disertis verbis testimonium perhibent, cum illi, tum alii multi. *Theophilus* Patriarcha (inquit *Theodoretus*) edicto fretus Imperatorio ἐκ βάθρων ἀνέσπασε τὰ τῶν εἰδώλων τεμένη, *delubra Idolorum* (Alexandriæ) *funditus evertit.* [g] *Socrates* scribit Imperatorem jussisse, ut templa Gentilium Alexandriæ destruerentur (λύεσθαι) & *Theophilum*, cujus cura & studio id fieri mandatum est, ἀνακαθαίρειν μὲν τὸ Μιθρεῖον· καταστρέφειν δὲ τὸ Σεραπεῖον, *Mithræ quidem spilæum repurgasse: Serapeum vero subvertisse.* Præfectum Alexandriæ Episcopo πρὸς τὴν κατάλυσιν τῶν ναῶν. *in destruendis templis* suppetias tulisse. Sic (inquit) templa subversa sunt; τὰ μὲν οὖν ἱερὰ κατεστρέφετο. Adjicit, inventas

[c] Lib. 11. c. 2.
[d] Ad an 385.
[e] Hist V. 21, 22.
[f] Lib. 12. c. 25.
[g] L. 5. c. 16, 17.

tas fuiſſe in *Serapeo* literas Hieroglyphicas lapidibus inciſas, Crucis formam referentes; aliiſque characteribus Hieroglyphicis ibidem repertis indicatum fuiſſe, τέλος ἕξειν, *finem tunc habiturum fuiſſe* Templum, cum nota Crucis apparuiſſet. Idem habet [a] *Sozomenus*, qui ſubdit, Imperatorem, orta de Templis & Idolis Alexandriæ ſeditione, ſanxiſſe καθαιρεθῆναι τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ναοὺς ὡς αἰτίας ςάσεως τῷ δήμῳ· *Alexandrinæ urbis templa, utpote quæ populo ſeditionis cauſam præberent, ſolo æquari.* [b] *Theophanes* ait illum juſſiſſe τὰ ἱερὰ αὐτῶν καθαιρεθῆναι, *fana Alexandrinorum deſtrui.* Meminitque ſcriptionis Hieroglyphicæ inventæ in *Serapeo diruto* (λυομένῳ.) Ita *Cedrenus*: τοῦ ναοῦ τοῦ Σαράπιδος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ λυομένου. &c. His accedit *Marcellinus Comes*, in Chron. *Templum Serapidis apud Alexandriam Theodoſii Imp. edicto ſolutum eſt.* [c] *Eunapius Sardianus* deplorat, *Chriſtianos Serapidis ædem demolitos fuiſſe* (καταλυομένου.)

Baronio hi ſatis favere videntur. Sed certum eſt tamen rem aliter ſe habuiſſe. Et nonnulli eorum laxiori ſenſu intelligendi ſunt. *Serapeum* non fuiſſe *funditus dirutum*, ſed in *Eccleſiam* converſum, certiſſimam fidem facit 1. *Sozomenus* ipſe ante citatus, cum refert Chriſtianos, fugatis de *Serapeo* paganis, locum iſtum occupantes, ἐξ ἐκείνου κατασχεῖν, *ex eo tempore uſque ad illum*, quo ipſe ſcripſerit, *diem* obtinuiſſe. Expreſſius paulo poſt: Τὸ μὲν δὴ Σεράπειον ὧδε ἥλω, καὶ μετ' οὐ πολὺ εἰς Ἐκκλησίαν μετεσκευάσθη Ἀρκαδίου τοῦ βασιλέως ἐπώνυμον· *Et Serapeum quidem hoc modo captum, nec multo poſt in Eccleſiam Arcadio Imp. cognominem immutatum eſt.* Eadem habet *Nicephorus*. Apud quem dicentem quod literæ Hieroglyphicæ inventæ ſunt λυομένου τοῦ ναοῦ καὶ τῶν τοίχων γυμνουμένων, *Langus* Interpres male vertit: *Quum templum ſolo æquaretur, & parietes everterentur.* cum ſenſus ſit: *Quum templum ſolveretur, & parietes nudarentur*: nempe dicit characteres nudatis lapidibus comparuiſſe, cum parietes ornamentis deveſtirentur, ſive opere tabulato, ſive gypſato. 2. [d] *Priſcus Rhetor* ſcribit ſe populum Alexandriæ in Magiſtratus impetum facientem vidiſſe, militeſque lapidibus appetitos, fuga ſe ἀνὰ τὸ ἱερὸν τὸ πάλαι Σαράπιδος, *in templum, quod olim fuerat Serapidis*, recepiſſe. 3. B. [e] Hieronymus: *derelictæ quoque* ערוער *i. myricæ, Eccleſiaſticis gregibus erunt, ut quas Judæi deſeruerunt, nos incolamus: ſive deſtructa idololatria, exſtruetur Evangelium. Hoc & noſtris temporibus videmus eſſe completum. Serapium Alexandriæ, & Marnæ templum Gazæ, in Eccleſias Domini ſurrexerunt.* Idem [f] alibi: *Jam & Ægyptius Serapis Chriſtianus factus eſt. Marnas Gazæ luget incluſus, & everſionem templi jugiter pertremiſcit.* 4. [g] Ruffinus: *Nam & in Serapis ſepulchro, prophanis complanatis, ex uno latere Martyrium, ex altero conſurgit Eccleſia.* Poſt paululum: *Quibus nunc dejectis & proſtratis idololatriæ veſtigiis, in ædibus quondam prophanis aurea tecta conſurgerent.* Huc ſpectat illud [h] *Sigeberti*, errantis licet: *Alexandriæ, juſſu Theodoſii, Templa idolorum à Theophilo Epiſcopo deſtruuntur, & everſo famoſo Serapis fano, Martyrium ibi conſecratur.* Ad *Martyrium* hoc alludit *Eunapius*, cum, de *Serapeo* verba faciens, refert, *Antoninum* prædixiſſe, τὰ ἱερὰ τάφους γενήσεσθαι, *templa in ſepulchra converſum iri.* Apud [i] *Apophthegmata Patrum*: Ταύτης ἔτι τῆς φωνῆς γενομένης, ἐνέπεσεν ἡ περὶ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Σεράπιδος φήμη τῷ πλήθει, ὅτι ὁ μέγας Θεόφιλος ἀνελθὼν, τὸ τοῦ Σεράπιδος κατέστρεψεν εἴδωλον, καὶ τοῦ ναοῦ γέγονεν ἐγκρατής· *Quo clamore adhuc durante, incidit inter populum rumor de templo Serapidis, quod magnus Theophilus rediens, Serapidis idolum evertiſſet, ac templi compos eſſet factus.* Neque denique verum eſt juſſiſſe *Theodoſium*, ut Templa Idolorum ſubverterentur, ac peſſundarentur. Loquitur tantum de illis occludendis. Exſtat enim in [k] *Codice Theod.* Edictum: *Nulli ſacrificandi tribuatur poteſtas, nemo templa circumeat, nemo delubra ſuſcipiat, intercluſos ſibi noſtræ legis obſtaculo profanos aditus recognoſcant. &c.* Sic recte [l] *Zoſimus*, Hiſt. Ethnicus,

[a] Lib. 7. c. 16.
[b] Chron. ad an. 12. Theodoſii.
[c] Vita Ædeſii.
[d] Apud Euagr. II. 5.
[e] Com. in Eſ. lib. 7. initio.
[f] Epiſt. 7. ad Lætam.
[g] Hiſt. II. 27.
[h] Chron. an. 394.
[i] Lit. E c. 2.
[k] Lib 16. tit. 10. de Paganis &c.
[l] Hiſt. lib. 4.

nicus, scriptum reliquit, Imperatorem, *Cynegio* in Ægyptum ablegato, in mandatis ei dedisse, *ut omnibus simulachrorum religio interdiceretur, fanaque clauderentur*: illumque, *quod imperatum fuerat, præstitisse; aditusque templorum per Orientem & universam Ægyptum, & ipsam Alexandriam, occlusisse, sacrificiaque ab omni ævo usitata, cum omni patrio cultu, prohibuisse.* ὥστε καὶ Κυνηγίῳ, τῷ τῆς αὐλῆς ὑπάρχῳ, πεμπομένῳ κατὰ τὴν Αἴγυπτον, προστεταγμένῳ τε πᾶσι τὴν εἰς τὰ θεῖα θρησκείαν ἀπαγορεῦσαι, καὶ κλεῖθρα τοῖς τεμένεσιν ἐπιθεῖναι. ---- Κυνήγιος μὲν οὖν καὶ ἐν τούτῳ τὸ προσταχθὲν ἐπλήρου· καὶ τὰ κατὰ τὴν ἑῴαν καὶ τὴν Αἴγυπτον ἅπασαν ἱερῶν, καὶ αὐτὴν δὲ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, ἀπέκλεισε τὰς εἰσόδους· θυσίας τε εἶρξε τὰς ἐξ αἰῶνος νενομισμένας καὶ πᾶσαν πάτριον ἁγιστείαν. Sic *Idacius* in *Fastis*, hoc tantum dicit, quod *Cynegius usque ad Ægyptum penetravit, & simulachra gentium evertit*. Neque alia desunt exempla Templorum temporibus istis in Ecclesias immutatorum. De *Marnæ* templo jam supra *Hieronymus*. De *Tychæo* Antiochiæ videatur [a] *Evagrius*. De aliis ipsius Alexandriæ, [b] *Elmacinus*, & [c] *Eutychius Batricides*. De multis aliis videatur [d] *Malala*. Hic vero non à *Theodosio*, sed à filio ejus *Honorio*, *occlusum* fuisse *Serapeum* scribit.

[a] Lib. 1. c. 16.
[b] Pag. 196.
[c] Annal. tom 1. pag. 300. Vide dua etiam p. 217.
[d] Parte 2. p. 39, 40.

In eo autem tumultu, cum omnia donaria & ornamenta *Serapei* diriperentur, ut queritur *Eunapius*, vix dubium est, quin volumina illic reposita, spoliatoribus præda facta sint. Atque hoc videtur subindicare *Orosius*, ubi de incendio Bibliothecæ sub *C. Cæsare* verba faciens, hæc habet: [e] *Ea flamma, cum partem quoque urbis invasisset, quadringenta millia librorum, proximis forte ædibus condita, exussit: singulare profecto monumentum studii, curæque majorum, qui tot tantaque illustrium Virorum opera congesserant. Unde quamlibet hodieque in templis exstent*, quæ & nos vidimus armaria librorum: quibus direptis exinanita ea à nostris temporibus memorent, *quod quidem verum est: tamen honestius creditur, alios libros fuisse quæsitos, qui pristinas studiorum curas æmularentur: quam aliam ullam fuisse tunc bibliothecam, quæ extra quadringenta millia librorum fuisse, ac per hoc evasisse credatur.* Confirmatur idem his verbis *Amm. Marcellini*, Scriptoris ejusdem ætatis, ubi loquitur de *Serapeo*: [f] *In eo FUERUNT inæstimabiles bibliothecæ.*

[e] Lib. 6. c. 15.
[f] Lib. 2.

De Bibliotheca *Serapeana* his positis ac stabilitis, quo tempore evanuerit Exemplar illud Versionis Græcæ, quod antiqui Patres nonnulli pro LXX. Interpretum autographo habuere, cognoscimus. Fuisse illud à *Cleopatra*, Bibliothecæ illius conditrice, in ea repositum, & dono missum fuisse ad *Cleopatram* ab [g] *Herode* R. & ab *Origene* in *Hexapla* sua, tanquam purum ac defœcatum τῶν ό. Codicem, transcriptum fuisse, conjicit *Usserius*. At vero *Origenem*, qui ipse *Alexandrinus* fuit, nullum Exemplar pro pura & intaminata τῶν LXX. Editione, nedum pro eorum *autographo*, agnovisse, sed existimasse omnia quæ tum exstabant Exemplaria, habuisse labes suas, & Exemplar *Hexaplare*, non ex ullo uno transcripsisse, sed ex variis melioris notæ Codicibus expolivisse, ex iis quæ à nobis animadversa sunt in Capite superiori, conspicuum est. Eodem autem errore, sed longe faciliori, multoque magis excusando, apud nonnullos increbuit fama de Codice *Serapeano*, quod ipsum LXX. Interpretum Exemplar Originale fuit, quo ante bina secula invaluit fides, de Exemplari quodam Latino Bibliothecæ Vaticanæ, quod ipsius S. *Hieronymi* autographum fuerit, & de Codice *Hebræo* Testamenti Vet. *Bononiensi*, quod ipsius *Ezræ* manu conscriptus sit.

[g] Vide supra

CAP. IV.

De Librorum Biblicorum Numero ac Ordine.

POSTQUAM de Græcis Scripturarum Versionibus, & Latina Vulgata, deque Textuum Originalium auctoritate disseruimus, quinam sint hi Libri, & quinam eorum Ordo, de quorum Textibus Originalibus atque Versionibus tam fuse disputavimus, si quanta maxima possit brevitate ostendatur, id Lectori non modo perutile, sed & pergratum fore, persuasissimum habeo. Hoc nova quadam ratione faciemus, nimirum per tabulas Catalogorum librorum Biblicorum, sicut eos per omnia elapsa secula receptos fuisse comperimus. Ponemus primo Catalogos Bibliorum *Hebraicorum*, deinde Ecclesiæ *Græcæ* atque *Orientalium*, postremo Scriptorum & Bibliorum *Latinorum*.

Librorum Biblicorum Numerus ac Ordo juxta Judæos.

Col. 1.	Col. 2.	Col. 3.	Col. 4.	Col. 5.	Col. 6.	Col. 7.	Col. 8.
Josephus lib. 1. contra Ap. *Sunt nobis 22. tantum libri. 5. Mosis. 13. libri Prophetarum qui suorum temporum res gestas scripsere usque ad regnum Artaxerxis. 4 libri hymnos ad Deum & admonitiones ad corrigendam hominum vitam continentes.* [Hi 4. sunt Psalm. Proverb. Eccl. Cant. Alii isti 13. videntur fuisse Jos. Jud. (cum Ruth) Sam. Reg. Chron. Ezra (cum Nehem.) Esther, Job. Is. Jer. (cum Lament.) Ezec. Dan. XII. Prophet.]	Partitio in lib. 22. juxta numerum lit. Heb. S. Hieronymi tempore. (a) Lex sc. Bresithith (Gen.) Ellesmoth (Ex.) Vajikra (Lev.) Vajedabber (Num.) Ellehadborim (Deut.) Prophetæ 8. 1 Jos. 2 Sophthim (Jud.) comprehenso libro Ruth. 3 Sam. 4 Malachim (Reg.) 5 Esai. 6 Hier. 7 Ezech. 8 XII. Prophetarum liber. Hagiographa 1 Job. 2 David seu Psalmorum libri 5. Salomon, tres libros habens sc. 3 Misle (Prov.) 4 Coeleth (Eccl.) 5 Sirhasirim (Cant.) 6 Dan. 7 Dibrehajomim (i. e. verba dierum, seu Chr.) 8 Esdras (cum Nehem) 9 Hester: nonnulli Ruth & Cinoth inter Hagiographa scriptitant, & libros 24. supputant.	Alii secundum numerum quoque lit. Heb. 22. Gen. &c. Jos. Jud. (& Ruth) Sam. Reg. Isai. Jer. Ezech. XII. Proph. Psal. Prov. Job. Dan. Ezra (& Nehem.) Chron. Esther Eccles. Cant.	Masoretæ: qui numerant in versus Gen. 2534. Ex. 1209. Lev. 859. Num. 1288. Deut. 955. Jos. 656. Jud. 618. Sam. 1506. Reg. 1534. Isai. 1295. Jer. 1365. Ezec. 1273. XII. Pr. 1050. Psal. 2527. Prov. 915. Job 1070 Cant. 117. Ruth 85. Lament. Eccl. 222. Esther 166. Dan. 357. Ezra (& Nehem.) 688. Chron. 1763 Ut huic numero 24. pares faciant literas Heb. *Jod* ter, in honorem nominis *Jehovæ* repetunt.	Apud Galatinum l. 1. c. 5. Lex Gen. &c. Proph. primi Jehosuas Jud. Semuel Reges Proph. postremi Esai. Jer. Jehezkel XII. Proph. Hagiographa Chron. Psal. Prov. Job. Ruth. Eccl. Lament. Cant. C. Esther Dan. Ezra cum Nehumia.	Talmudici in *Bava Bathra.* Lex viz. Gen. &c. Prophetæ 8. 1 Jos. 2 Jud. 3 Sam. 4 Reg. 5 Jer. 6 Ezec. 7 Isai. 8 XII. Proph. Hagiographa Ruth. Psal. Job Prov. Eccl. Cant. Lam. Dan. Esth. Ezra Chron. Eundem ord. sequitur *Maimonides.*	Alii eodem num. sed ord. diverso. Lex sc. Gen. &c. Proph. priores Jos. Jud. Sam. Reg. Prophetæ posteriores Isai. Jer. Ezech. XII. Proph. Hagiographa, sive Cethubbim. Psal. Prov. Job Dan. Ezra (cum Nehem) Chron. Ruth. Esther Eccl. Cant. Lament. Alii ab hoc ordine in hoc tantum differunt, quod *Ruth* post *Esther* collocant: ap. Sixtum Sen. l. 1.	Partitio in 27. 5. libris divisis in gratiam 5. literarum duplicium, viz. *Caph, Mem, Nun, Phe, Sade* (b) Gen. &c. Jos. Jud. (& Ruth) Sam. 1. Sam. 2. Reg. 1. Reg. 2. Chron. 1. Chron. 2. Esdras Nehem. Job. Psal. Prov. Eccles. Cant. Isai. Jer. Lament. Ezech. Dan. XII. Proph.

(a) Ap. Hieron. Prol. in Reg. (b) Meminit Hieronymus Prol. in Reg. Alii ut libros 27. faciant, Ruth à Jud. separant, conjunctis Jer. & Lam. Ita apud Sixtum Sen.

Biblia Heb. impressa.

Col. 9.	Col. 10.	Col. 11.	Col. 12.	Col. 13.	Col. 14.	Col. 15.	Col. 16.
Bombergi Ven. 1491. 4to (primum tomum non vidi.) Isai. Jer. Ezech. XII. Pr. Psal. Prov. Job Dan. Esdras (cum Nehem.)	*Pisauris* 4to an. 1494. *Fel. Pratensis* Ven. 1517. 3. vol. fol. Ven. 1525. 4to Ven. 1548. Ven. 1639. cum Com. R. Lumbrosi. Gen. &c. Pent. minor sive Megilloth. Cant. Ruth. Lament. Eccl. Esther Prophet. priores, Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Prophet. posterior. Isai. Jer. Ezech. XII. Pr. Hagiogr. Psal. Prov. Job. Dan. Ezra Nehem. Chron. 2.	*Bombergi* Ven. 1515. 2. vol. fol. Gen. &c. Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Psal. Prov. Job Megilloth Cant. Ruth Lament. Eccl. Esther Prophet. majores Isai. Jer. Ezech. XII. Pr. Dan. Ezra (cum Nehem.) Chron. 2.	*Munsteri* Basil. Heb. & Lat. 1534. (Tom. 1. qui continet Gen. &c. Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. mihi videre non contigit.) Jesaia Jirmeia Jehezkel XII. Pr. Psalt. Prov. Jiob Dan. Ezra Nehem. Annal. libri 2. Megilloth sc. Cant. Ruth. Threni Eccl. Esther.	*R. Stephani* Paris. 1543. 4to. Gen. &c. Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Chron. 2. Ezra Nehem. Job Psal. Prov. Cant. Ruth Lament. Eccl. Esther Isai. Jer. Ezech. Dan. XII. Pr.	*Ven.* 1547. 2. vol. *Ven.* 1568. per *Jo. de Gara* *Hutteri* *Hamburg.* 1587. *Buxtorfii* *Bas.* 1618. *Judaeorum* *Bib. Hispanica* Ed. A. M. 5431. Gen. &c. Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Isai. Jer. Ezech. XII. Pr. Psal. Prov. Job Cant. Ruth Lament. Eccl. Esther Dan. Ezra Nehem. Chron. 2.	*Hen. Stephani* *Paris.* 1565. 7. vol. 16o. Gen. &c. Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Chron. 2. Prov. Job Cant. Ruth Lament. Eccl. Esther Isai. Jer. Ezech. Dan. Ezra Nehem. XII. Pr. (Psalterium seorsim editum est.)	*Manassis Ben. Israel* *Amstel.* 1635. 4to. Gen. &c. Psal. Prov. Job Dan. Ezra Nehem. Chron. 2. Cant. Ruth Lament. Eccl. Esther Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Isai. Jer. Ezech. XII. Pr. ——— *Ariae Montani* Biblia Interlin. sequuntur Ord. vulg.

Biblia Heb. MSS.

Col. 17.	Col. 18.	Col. 19.	Col. 20.	Col. 21.	Col. 22.	Col. 23.	Col. 24	Col. 25.
Codices *B. Ascher* & *B. Nephthali.* (a) Gen. &c. Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Isai. Jer. Ezech. Duodecim Chron. 2. Psal. Job. Prov. Ruth Cant. Eccl. Lament. Esther Dan. Ezra (cum Nehem.)	*Pocock.* Bodl. 347, 348. Gen. &c. Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Isai. Jer. Ezech. XII. Pr. Chron. 2. Psal. Job. Prov. Dan. Ezra (cum Nehem.) Eccl. Cant. Lament. Ruth Esther. ——— *Marshal.* (imperf.) Sam. 2. Reg 2. Jer. Ezech. Isai. XII. Pr.	*R. Leonis Modenae,* Bodl. Arch. A. Seld. Gen. &c. Prophetae priores Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Prophetae poster. Isai. Jer. Ezech. XII. Pr. Hagiogr. Chron. 2. Psal. Prov. Job Ruth Cant. Eccl. Lament. Ahasueros (i. e. Esth.) Dan. Ezrae 1. Ezrae 2.	*Laud.* A. 162, 172. Gen. &c. Jos. Jud. Sam. 2. Reg. 2. Isai. Jer. Ezech. XII. Pr. Psal. Job Prov. Ruth Cant. Eccl. Lament. Esther Dan. Ezra (cum Nehem.) Chron. 2. ——— *Super D. 1. Art. 9.* (imperf.) Esra Nehem. Job Chron. Esther Ruth.	Ab inf. Ormo in Angliam advectum vol. 3. grand. Arch. A. Bodl. Gen. &c. Isai. XII. Proph. Ruth Eccl. Cant. Lament. Esther Psal. Job Prov. Dan. Ezra (cum Nehem.) Chron. 2. Vol. 4m. in quo reliqua continebantur, desideratur. Habetur Pentatenchus Heb & Chaldaice versibus alternis. Et libri omnes nomen habent à primo quo incipiunt vocabulo.	*Huntington* Bodl. 11, 12. Gen. &c. Jos. Jud. Sam 2. Reg. 2. Jer. Ezech. Isai. XII. Pr. Ruth Psal. Prov. Eccl. Job Cant. Lament. Dan. Ezra (cum Nehem.) Esther Chron. 2. ——— Ibid. 261. Prophetae poster. Isai. Jer. Ezech. XII. Pr.	Coll. *Oriel.* Pentateuchum sequuntur Sectiones in Synagogis legi solitae, deinde Jos. Job Cant. Lament. Dan. Esther Ezra (cum Nehem.) Chron. 2. ——— Vol. Hebraeo-Lat. Coll. *S. Joan.* Jos. Jud. Cant. Eccl. ——— Coll. *Jesu* imperf. Vol. 2do. Cant. Ruth Lament. Eccl. Esther. Sectiones in Synagogis legi solitae. *Psalmi & Prov.* in Margine minori & alia manu.	Coll. C. C. (imperf.) Jos. Jud. Sam 2. Reg. 2. Ezech. Lament. Eccl. Esther Cant. Jer. Isai. XII. Pr. Psal. ——— Ibid. 2. Vol. imperf. Gen. &c. in Vol. 2do. Isai. Jer. Ezech. XII. Pr. Vol. 3m desideratur.	Ibid. *R. Salomonis* Com. in Gen. &c. Jos. Jud. Sam. 2. Jer. Ezech. Isai. XII. Pr. Psal. Job Prov. Cant. Ruth Esther Lament. Eccl. Dan. Ezra (cum Nehem.) ——— In Bibliotheca Ducis Urbini ap. Possevin. imperf. Paralip. Psalt. Solomon. Ruth Esther Jer. Dan. Esai.

(a) Collati inter se in *Buxtorf.* & *Walton.*

(a) *Blastares* observat Athanasium Lamentationes, Baruch, & Epistolam addere Jeremiæ. Apud *Zephyri* Catenam in Pent. ipso initio, *Athanasio* hæc perperam tribuuntur: *Omnis sacra Christianorum Scriptura à Deo inspirata est, ac suis quibusdam terminis circumscripta. Neque enim tenditur in infinitum, neque temere componitur in ordinem. Nam V. Test. apud Hebræos* 22. *libros continet ad numerum suarum literarum: quatuor siquidem libros Regum censent pro duobus. Et Paralipomenon duos præterea. Itemque totum Esdram in codicem unum conferunt. Duodecimque postremos Prophetas uno similiter Vol. complectuntur. Ester vero, Judith & Tobias, necnon & Sap. Solom. & Sap. Jesu F. Sirach in hunc censum non referuntur. Sunt etiam ex antiquis Hebræis, qui Ester admittunt, atque ut numerus idem servetur, cum Judicibus copularunt.* (b) *Blastares* quoque observat eum *Apocalypsin* aliis superaddere, & dicere hos reliquos esse extraneos.

Scriptores Ecclesiæ Græcæ.

Col. 26.

MELITO Sard. an. Chr. 170. apud Euseb. Hist. IV. 26.
Ego cum in Orientem profectus essem, & ad locum ipsum pervenissem, in quo hæc & prædicata & gesta olim fuerunt, V. T. libros diligenter didici, eorumque indicem ad te misi. Moysis lib. 5.
Jesus Nave
Jud.
Ruth
Regn. IV.
Paralip. 2.
Psal. David.
Solomonis Prov. quæ & Sapientia.
Eccl.
Cant. C.
Job
Prophetarum
Esai.
Jer.
XII. *Proph. lib.* 1.
Dan.
Jezek.
Esdras

Col. 27.

CAN. APOST. dict. 85.
Sint vobis omnibus libri venerabiles & sancti, V. Testam.
Moysis 5.
Jesu F. N. 1.
Jud. 1.
Ruth 1.
Regn. 4.
Paralipomenon libri dierum 2.
Esdræ 2.
Esther 1.
(a) *Maccab.* 3.
Job 1.
Psalmi 150.
Salom. 3. *viz. Prov. Eccl. Cant. C.*
Prophetæ 16. (*Extra hos vobis insuper commemoratum sit, ut Juvenes discant Sapientiam eruditi Sirach*)
N. T. Evang. 4. *Pauli Ep.* 14. *Petri Ep.* 2. *Joan.* 3. *Jacobi* 1. *Judæ* 1. *Clementis Ep.* 2.
Et Constitutiones vobis Episcopis per me Clementem in 8. *libris nuncupatæ, quas non oportet coram omnibus divulgare, ob mystica quæ in eis sunt.*
Et Actus nostri, Apostolorum. Confirmatur hic Canon una cum reliquis Apostolorum dictis, à Conc. *Trullano* Can. 2. sed ejiciuntur è Scripturæ Canone *Constitutiones Clementis*, utpote ab Hæreticis depravatæ.

(a) Desunt *Maccab.* in Collect. *Joannis Antioch.* etsi in Lat. Versione nescio quo errore conspiciantur. Legitur ibi, Ἐσδρᾶ ἕν, Ψαλτήριον ἕν, Σολομῶντος τρία, Παροιμ. Ἐκκλ. Ἆσμα Ἀσμ. Ἰὼβ ἕν, Προφητῶν ιϛ. ἕν. &c. *Judith*, quem inseruit *Cotelerius* in sua Ed. fatetur ipse ab aliis Editionibus, & 7. Codd. MSS. Reg. Paris. abesse, & in uno tantum reperiri: *Zonaram* etiam expresse dicere *Judith* in hoc Catalogo non contineri.
Canon iste, cum aliis multis, longe recentior est reliquis quæ dicuntur *Apostolici*. Hinc in Cod. quo usus est *D. Exiguus* in Romana Collect. compilanda, non comparuit. Apud *Simeonis Log. Epit. Can.* dicitur volumen sacrum juxta hunc Can. ὁ ἑξαήμερος.

Col. 28.

CONSTITUTIONES APOST. dictæ l. 2. c. 57.
Lector legat libros Moysis & Jes. F. N. Jud. & Regn & Paralip. & quæ de populi reditu conscripta sunt; item Jobi, & Salomonis libros & Prophet. 16.
Alius David. hymnos psallat, dein Acta nostra recitentur, & Ep. Pauli. Postea Diaconus vel Presbyter legat Evang. quæ Ego Matthæus & Joannes vobis tradidimus, & quæ Lucas & Marcus reliquerunt.

Col. 29.

ORIGENES an. 230. ap. Euseb. Hist. VI. 25.
Sciendum est V. Test. libros esse 22. *sicut ab Hebræis traditur: qui numerus etiam literarum apud eos habetur. Sunt autem* 22. *libri juxta Hebræos hi.*
Genesis à nobis dicta, ab Heb. ex ipsius libri initio desumpta appellatione vocatur Bresith, i. e. In principio.
Exodus, Heb. Vellesmoth, i. e. Hæc sunt nomina.
Levit. Heb. Vaicra, i. e. Et vocavit.
Numeri, Hammesphecadim.
Deut. Elle Haddebarim i. e. Hæc sunt verba.
Jes. F. Nave: Josue ben Nun.
Jud. & Ruth libro 1. *quem appellant Sophetim.*
Regn. 1. 2. *apud eos lib.* 1. *Samuel dictus, i. e. Vocatus à Deo.*
Regn 3. 4. *in libro* 1. *dicto Vammelech David. i. e. Et Rex David.*
Paralip. 1. 2. *libro* 1. *dicto Dibre Hajamim, h. e. Verba dierum.*
Esdras 1. 2. *libro* 1. *dicto Ezra h. e. Adjutor.*
Liber Psal. Sepher Thillim.
Solomonis Prov. Misloth.
Eccl. Coeleth.
Cant. C. Sir Assirim
(b) *Esaias, Jesaia.*
Jer. cum Lament. & Epist. in lib. 1. *dicto Jeremia.*
Dan. Heb. Daniel.
Ezekiel, Jeezkel
Job, Heb. Job.
Esther, Heb. Esther.
Extra horum censum sunt Maccabaica, inscripta Sarbet Sarbaneel.
In T. N. Evang. IV.
1 *Matthæi scriptum Hebraice.*
2 *Marci, ex Petri narratione.*
3 *Lucæ in gratiam Gentilium scrip.*
4 *Joannis.*
Pauli Epistolæ.
Petri 1. *ab omnibus recepta.*
Petri 2. *de qua ambigitur.*
Joannis Evangelistæ Apocalypsis.
Epist. admodum brevis.
Epist. 2. & 3. *de quibus non consentiunt omnes.*
Epist. ad Heb. Pauli ipsius quoad sententias, sed ab aliquo Discipulo ejus composita: à nonnullis Clementi, ab aliis Lucæ tributa.
Act. Ap.
Idem Hom 7. in Jos.
Evang IV. *Ep. Petri duæ, Jacobus, Judas, Joannes Epistolæ, Apocal. Apostolorum Actus, Pauli Epist.* 14.

(b) Apud Eusebii Cod. hodiernos, & apud Niceph. V. 16. deest liber XII. Prophetarum: habetur vero in *Ruffini* Vers. Eusebii VI, 18 statim post Cant. Neque aliter constituitur numerus 22.

Col. 30.

EUSEBIUS Hist. III. 24. 25. circa an. 330.
Libri N. T. communi omnium consensu recepti.
Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Pauli
Ep. Joan. 1.
Ep. Petri 1.
In dubium revocati, à multis tamen commemorati & agniti
Ep. quæ dicitur Jacobi
Judæ
Petri 2da.
Joan. 2. & 3a. *sive illæ ab ipso revera Evangelista, sive ab altero ejusdem nominis compositæ.*
Apoc. Joannis.
Pro nothis etiam habendi sunt
Actus Pauli,
Pastor,
Apocal. Petri,
Barnabæ Epistola,
Διδαχαὶ *Apostolorum. Evang. secundum Heb.*
Evulgati ab Hæret.
Evang. Petri, Thomæ, Matthiæ, & aliorum.
Actus Andreæ, Joannis, aliorumque Apost.

Col. 31.

ATHANASIUS circa an. 330. Ep. Paschali.
Sunt V. T. juxta lit. Heb. libri 22.
Gen. &c.
Jos. F. N.
Jud.
Ruth
Regn. 1. 2. *lib.* 1.
Regn. 3. 4. *lib.* 1.
Paralip. 1. 2. *lib.* 1.
Psal.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Job
XII. *Proph. libro* 1.
Esai.
Jer. cum Bar. Lam. & (a) Epist.
Jezek. Dan. Quibus totum V. Test. concluditur.
In N. T. Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Cathol. 7.
Jacobi 1.
Petri 2.
Joannis 3.
Judæ 1.
Pauli Ep. 14.
(b) *Apoc. Joannis.*
Libri non Canonici, sed in Ecclesia lecti: Sap. Solomonis Sap. Sirach, Esther, Judith, Tobias, Διδαχὴ *dicta Apostolorum, Pastor.*
Libri Apocr. viz. ab Hæreticis confictis.

Scriptores Ecclesiæ Græcæ.

Col. 32.

SYNOPSIS S. SCRIPT. Athanasio falso adscripta.
Gen. &c.
Jos. F. N.
Jud.
Ruth
Regn. 1. 2. libro 1.
Regn. 3. 4. libro 1.
Paralip. 1. 2. libro 1.
Esdras 1. 2. libro 1.
Psalt. Dav. Ps. 151.
Prov. } *Eccl.* } *Cant. C.* } *Solom.*
Job
XII. *Proph. libro 1.*
Esai. Jer.
Ezek. Dan.
Sunt itaque Canonici V. T. libri 22. literis Heb. numero pares.
Libri non Canonici, qui Catechumenis leguntur. Sap. Solom.
Sap. Jesu F. Sirach
Esther
Judith
Tobias
Quidam vero ex veteribus pro Canonicis reputari dixerunt librum Esther, & Hist. Ruth, quam cum Judicibus in 1. libro comprehendi: Esther vero ad aliud quoddam Vet. Canonicum pertinere; atque ita numerum 22. Canonicorum lib. apud illos compleri volunt.
N. T. libri Canonici
Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Catholicæ 7. (ord. ut supra) *in uno libro.*
Pauli Ep. 14 in 1. libro.
Apocal. Joannis Evang. & Theologi.
Alii libri V. T. quibus contradicitur:
Maccab. 4.
Ptolemaica
Psalmi & Cantica Salomonis
Susanna.
Libri Apocr. V. T.
Enoch.
Patriarchæ
Oratio Joseph.
Testamentum Mosis
Assumptio Mosis
Abraham
Eldad & Medad.
Eliæ Prophetæ
Sophoniæ Prophetæ
Zachariæ Patris Joannis.
Baruch
Ambacum.
Ezekiel & Daniel falso inscripti.
N. T. libri quibus contradicitur. Periodi Petri, Joan. Thomæ, Evangelium Thomæ. Διδαχὴ Apostolorum, Clementina.

Col. 33.

CYRILLUS Hierosol. an. 350. Catech. IV.
Libros V. T. 22. meditare, qui sunt Legis libri
Gen. &c.
Historici
Jos. F. N.
Jud. cum Ruth
Regn. 1. 2. lib. 1.
Regn. 2 3. lib. 1.
Paral. 1. 2. l. 1.
Esdræ 1. 2. l. 1.
Esther.
Libri versibus scripti.
Job
Psalm. liber
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Prophetici
Esai.
Jer. Bar. Lam. & Epist.
Jezek.
Dan.
N. T. Evang. 4.
Act. Ap.
Ep. Cathol. 7.
Jacobi
Petri
Joannis
Judæ
Ep. Pauli 14.
Reliqua omnia extranea secundoque loco habeantur.

Col. 34.

CONC. LAOD. an. 367. Can. ult. (a)
Hi sunt libri quos legi oportet, ex V. T.
Gen. &c.
Jos. N.
Jud.
(b) *Ruth*
Esther
Regn. 4.
Paralip. 2.
Esdræ 2.
Liber Psal. 150.
Prov. Solom.
Eccl.
Cant. C.
XII. *Prophetæ*
Isai.
Jer. & Baruch, Lam. & Epistolæ.
Jezek.
Dan.
N. T. hi.
Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Cathol. 7.
Jacobi 1.
Petri 2.
Joannis 3.
Judæ 1.
Ep. Pauli 14.

(a) Habetur hic Canon tanquam Concilii Laod. cum in aliis Græcis Ed. tum in Cod. Can. Ecclesiæ Univ. ubi adjicitur tanquam pars 59ni. Ab omnibus Græcis Canonistis agnoscitur. In eum commentantur *Zonaras* & *Aristinus*; & citatur ab *Arsenio Mon* in *Synopsi Canonum*, & à *Matthæo Blastare*, tanquam Canon 60us. A *Zonara* dicitur 59mus. In eum nulla exstat *Balsamonis* adnotatio; nec ab illo quidem commemoratur Com. in Can. Apost. 70. ubi alii tamen citantur Indiculi. Ab eodem vero *Balsamone* agnoscitur Com. in Can Carthag. 27. ubi citatur ut 60us. Non celandum est, eum prorsus abesse, non modo à *D. Exigui* Corpore Romano, verum etiam à Codice Græco perantiquo *Baroc.* 26. In alio Cod. antiquo *Baroc.* 185. comparet quidem, sed nec ibi tanquam Concilii Laod. genuinus Canon, verum post spatium aliquod vacuum tanquam addititius subjicitur. In tertio quodam Cod. *Baroc.* num. 158. sed chartaceo illo & non antiquo, adjicitur tanquam Canon germanus.

(b) In Cod. Can. Ecclesiæ Univ. & in Edit *Labbæi* conjungitur *Ruth* cum *Judicibus*; & *Regnorum* libri quatuor non unum, sed duos libros conficiunt; adeo ut illic quoque sint 22. V. Testamenti libri. *Blastares* postquam Canonem Apost. 85. in quo comparent *Maccabaica*, protulisset, subnectit, Canonem 60m Concilii Laod. eandem enumerationem exhibere, absque ulla mutatione, nisi quod *Clementis Epistolæ* & *Constitutiones* omittantur. Atqui Canonis hujus Laod. Editio nulla *Maccabaica* agnoscit; & eodem modo, absque *Maccabaicis* recitatur Indiculus Laod. ab *Aristino*. Quare censendum est, vel *Blastarem* non satis accurate hos Canones duos contulisse; vel forte male apud illum nunc legi in Canone Apost. *Maccabaica*: ut absunt quidem ea à *Canone Apost.* apud *Joannem Antioch.*

Col. 35.

GREG. NAZ. an. 370. Carm. 33.
Libri Hist.
Gen. &c.
Jos.
Jud.
Ruth
Regn.
Regn. 3. 4.
Paralip.
Esdras.
Libri Metrici 5.
Job
David
Eccl. } *Cant.* } *Prov.* } *Sol.*
XII. *Proph.*
Esai.
Jer.
Jezek.
Dan.
Tot sunt literæ Heb. (viz. 22.)
Evang 4.
Matth. Hebræis, Marci Italis, Lucæ Græcis, Joannis universis, scriptum.
Act. Ap.
Pauli Ep. 14.
Ep. Jacobi
Petri 2.
Joan. 3.
Judæ 1.
Πάσας ἔχεις. εἰ δέ τι τούτων ἐκτὸς, οὐκ ἐν γνησίαις.

Col. 36.

AMPHILOCHIUS an. 370. Iambis.
Gen. &c.
Jos.
Jud.
Ruth
Regn. 4.
Paralip. 2.
Esdræ 1a.
Esdræ 2a.
Lib. Metrici 5.
Job
Psal.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
XII. *Proph.*
Esai. Jer.
Jezech.
Dan.
His quidam addunt Esther.
N. T. Evang 4.
Act. Ap.
Ep. Pauli 14.
Jacobi 1.
Petri 1.
Joannis 1. nonnulli huic 3. & Petro 2. tribuunt.
Judæ 1.
Apoc. Joannis quidam approbant, plures vero notham dicunt. Atque hæc sacrarum literarum sit Canon certissimus.

Col. 37.

EPIPHANIUS an. 374 Hær. 8.
1 *Gen. &c.*
6 *Jos. F. N.*
7 *Jud.*
8 *Ruth*
9 *Job.*
10 *Psalt.*
11 *Prov. Solom.*
12 *Eccl.*
13 *Cant. C.*
14 *Regn. 1.*
15 *Regn. 2.*
16 *Regn. 3.*
17 *Regn. 4.*
18 *Paralip. 1.*
19 *Paralip. 2.*
20 XII. *Proph.*
21 *Isai.*
22 *Jer. cum Lament. & Epistolis tam ejus quam Baruchi.*
23 *Jezek.*
24 *Dan.*
25 *Esdræ 1.*
26 *Esdræ 2.*
27 *Esther*
Hi sunt 27. libri, qui Judæis sunt concessi divinitus: qui ad 22. pro literarum Heb. numero rediguntur, propterea quod 10. ex illis in 5. juga distribuuntur. Sunt & alii 2. libri, quos illi pro dubiis habent, viz. Sirachi & Salomonis Sapientia, præter alios quosdam ἐναποκρύφους.

Col. 38.

Idem Hær. 76. contra Aetium.
Si à Sp. Sancto genitus esses, facere te illud oportebat, ut sacris omnibus pervolutis à Genesi ad Estheris tempora, qui sunt 27. libri V. T. & 22. numerantur: tum 4 Evangeliis Et Pauli 14. Ep. & Apostolorum Actis, Catholicis item Ep. Jacobi, Petri, Jo. & Judæ, Apocalypsi Joannis, Sapientiæ quoque libris, h. e. Solomonis & Filii Sirach, omnibus denique Scripturæ libris percursis, temetipsum damnares.

Scriptores Ecclesiæ Græcæ.

Col. 39.

Idem de Pond. & Menf.
Habent Hebræi 22. literas à quibus 5. duplicantur, Caph, Mem, Nun, Phi, Aleph. Ideo libri 27. cum sint, numerantur tamen 27 quia ex illis 5. geminantur. Scripturæ libri in 4. Pentateuchis comprehensi sunt.
Pentas qui & Νομοθεσία.
Gen. &c.
Libri 5. metrici
Job
Psalt.
Prov. Solom.
Eccl.
Cant. C.
Pent tertius librorum qui dicuntur γραφεῖα, *aliis Hagiographa.*
Jes F. N.
Jud. cum Ruth
Paralip. 2.
Regn. 1. & 2.
Regn. 3 & 4.
Pent Propheticus.
τὸ δωδεκαπρόφητον.
Esai. Jer.
Jezek. Dan.
Reliqui sunt libri 2. h e Esdræ unus, & alius Esther. Ita 22. libri pro lit. Heb. numero censentur. Quod enim ad 2. illos attinet, qui versibus distincti sunt, viz. Sap. quæ Panaretus inscribitur, & Jesu F. Sirach librum; tametsi utiles ac fructuosi illi sint, in Scrips. numerum nequaquam referri solent. Unde nec in Testamenti arca collocati sunt.

Col. 40.

LEONTIUS an. 590.
De Sectis act. 2.
Libros ab Ecclesia receptos recenseamus.
Libri Hist. 12.
1 *Gen. &c.*
6 *Jes. F. N.*
7 *Jud.*
8 *Ruth*
9 *Regn. 1. 2.*
10 *Regn. 3. 4.*
11 *Paralip.*
12 *Esdras*
Prophetici 5.
1 *Esai.*
2 *Jer.*
3 *Jezech.*
4 *Dan.*
5 τὸ δωδεκαπρόφητον.
Parenætici 4.
1 *Job*
2 *Prov.* } Solom.
3 *Eccl.* } Solom.
4 *Cant. C* } Solom.
Psalt.
Habes Scripturæ Vet. libros 22.
N. T. libri 6.
1 *Mat. Marc.*
2 *Luc. Joan.*
3 *Act. Ap.*
4 *Ep. Cathol. 7. sc. Jacobi 1. Petri 2. Joan. 3. Judæ 1.*
5 *Ep. Pauli 14.*
6 *Apoc. Joan.*
Hi sunt libri tam prisci quam recentes, qui in Ecclesia pro Canon. habentur.

Col. 41.

JO. DAMASCENUS an. 730.
Orthod. Fid. IV. 18.
Scire oportet quod 22. sunt libri V. T. secundum Elem. Heb. &c.
Pentateuchus 1. Gen. &c.
Pent. 2. libri dicti γραφεῖα *& Hagiographa:*
Jes F. N.
Jud. cum Ruth.
Regn. 1. 2 liber 1.
Regn 3. 4 liber 1.
Paralip 1. 2. lib. 1.
Pent. 3. Libri Metrici.
Job
Psalt.
Prov. } Solom.
Eccl. } Solom.
Cant. C. } Solom.
Pent. 4 Propheticus
τὸ δωδεκαπρόφητον *lib. 1.*
Esai.
Jer.
Jzek.
Dan.
Deinde Esdræ 1. 2. libro 1. & Esther.
Panaretus vero i. e. Sap. Solom. & Sap. Jesu F. Sirach, pulchri quidem & honesti libri, sed non numerantur in Propheticis, neque ponebantur in arca. (Hucusque Epiphanium sequitur, etsi innominatum.)
In N. T. Evang. 4.
Act. Ap. Lucæ
Ep. Cathol. 7. Jac. 1. Pet. 2. Joan. 3. Jud. 1.
Ep. Pauli 14. Apoc. Joannis Evangelistæ Canones Apost. per Clementem.

Col. 42.

NICEPHORI Patr. Constant. an. 806. *Stichometria* cum numeris simul Græcis, & *Anastasii Bibliothecarii* Latinis.
Hæ sunt divinæ Scripturæ quæ recipiuntur ab Ecclesia & canonizantur.

			vers.
1	*Gen.*	δ'	4400
			(al. 4300)
2	*Ex.*	βω'	2800
			(al. 2700)
3	*Lev.*	βψ'	2700
4	*Num.*	,αφλ'	3500
			(al. 2502)
5	*Deut.*	,γρ'	3100
		(al. ,γρ')	
6	*Jesus*	βρ'	2100
7	*Jud. & Ruth*	βυν'	2450
8	*Regn. 1 2.*	βσμ'	2240
		(al. ,μσμ')	
9	*Regn. 3 4*	β'	2330
		(al. ,βτλ')	
10	*Paralip 1. 2.*	,εφ'	5500
11	*Esdras 1 2.*	,εφ'	5500
12	*Psal.*	,εφ'	5500
		(al. ,εφ')	
13	*Prov. Solom.*	,αψ'	1708
14	*Eccl.*	ψ'	750
		(al. ζφ')	
15	*Cant. C.*	σπ'	280
16	*Job*	,αω'	1800
17	*Esai.*	,δω'	4800
		(al. ,γω')	
18	*Jer.*	,δ'	4000
19	*Baruch*	ψ'	700
20	*Jezek.*	,δ'	4000
21	*Dan.*	β'	2000
22	XII. *Proph.*	,γ'	3800

Simul V. T. sunt libri 22.
Hi autem sunt N. Testam.

1	*Mat. Evang.*	βφ'	2500
2	*Marc.*	β'	2000
3	*Luc.*	βχ'	2600
4	*Joan.*	βτ'	2800
			(al. 2300)
5	*Act. Ap.*	βω'	2800
6	*Pauli Ep. 14.*	,ετ'	5300
7	{ *Cath. Ep. 7. Jacobi 1. Pet. 2. Joan. 3. Jud 1.* }	…	1300

Libri V. T. quibus contradicitur: (addit Anastasius) *& non recipiuntur ab Ecclesia.*

1	*Maccab 3.*	,ζτ'	7300
		(al. βτ')	
2	*Sap. Solom.*	,αρ'	1100
3	*Sap. Jes. F. Sirach*	βω'	2800
4	*Ps. & Cant. Solomonis.*	βρ'	2100
			(al. 2102)
5	*Esther*	τη'	308
		(al. ,γτ')	
6	*Judith*	,αψ'	1700
7	*Susanna*	φ'	500
8	*Tobis & Tobias*	ω'	800
			(al. 700)

Libri N. T. quibus contradicitur.

1	*Apocal. Joan.*	Hi in Græco desiderantur.	1500
1	*Apocal. Petri*	Hi in Græco desiderantur.	4800
3	*Barnabæ Ep.*	Hi in Græco desiderantur.	1306
4	*Evang. secundum Hebræos.*	Hi in Græco desiderantur.	2200

Et quæ sunt Apocrypha Veteris.

1	*Enoch*	,δω'	1500
2	*Patriarchæ*	,δω'	4800
3	*Oratio Joseph*	,ερ'	5100
4	*Assumptio Moysis*	,δρ'	4100
5	*Testam. Moysis*	,αρ'	1100
6	*Abraam*	τ'	300
		(al. ,γτ')	
7	*Eldad & Medad*	σ'	200
8	*Elias Proph.*	τις'	316
9	*Sophoniæ prophetia*	χ'	600
10	*Zachariæ Patris Joannis*	φ'	500
11	{ *Baruch Ambacum, Ezekiel, & Daniel* ψευδεπίγραφα. }	…	…

Et quæ Novi sunt Apocrypha.

1	*Itiner. Pauli*		3600
	(in Græco deest)		
2	*Itiner. Petri*	βψ'	2800
		(al. βψν')	
3	*Itiner. Joannis*	,βφ'	2500
		(al. ,χγ')	
4	*Itiner Thomæ*	,αχ'	1600
5	*Evang. secundum Thomam*	,ατ'	1300
6	Διδαχὴ *Apost.*	σ'	200
		(al. σ')	
7	*Clementis 32.*	βχ'	2600
8	*Ignatii, Polycarpi, Pastoris & Hermæ.*		

Col. 43.

NICEPHORUS CALLISTUS an. 1330.
in Iambis.
V. T. sunt libri 22.
Gen. &c.
Jes.
Jud.
Ruth
Regn. 1. 2.
Regn. 3 4.
Paralip. 2.
Esdras 2.
Hi libri Hist. gemini Scripturæ sunt, quibus nonnulli adjiciunt Esther, Judith, & Tobet.
Libri Metrici,
Job
David
Eccl. } Solom.
Cant. } Solom.
Prov. } Solom.
Prophetarum libri 5.
XII. *Proph. libro 1.*
Esai.
Jer.
Jezek.
Dan.
N. T. Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Pauli 14.
Ep. Cathol. 7.
Jac. 1.
Pet. 2.
Joan. 3.
Jud. 1.
Apocal. Theologi.
Ἐκτὸς δὲ τούτων τῆς γραφῆς ἅπαν νόθον.

Scriptores Ecclesiæ Græcæ.

Col. 44.

Indiculus MS. Cod. Baroc. 206. qui etiam à *Cotelerio* ex Cod. Reg. Parif. 1789. editus eft. *De LX. libris & quinam extra illos fint.*

1 *Gen.* 2 *Ex.*
3 *Lev.* 4 *Num.*
5 *Deut.* 6 *Jefus*
7 *Jud. & Ruth*
8 *Regn.* 1.
9 *Regn.* 2.
10 *Regn.* 3.
11 *Regn.* 4.
12 Παραλειπόμενα ι'. (fc. cum Reg. 4. numerata.)
13 *Job* 14 *Pfalt.*
15 *Prov.* 16 *Eccl.*
17 ᾆσμα ᾀσμάτων ι'. (fic Baroc. & alius Codex Parif. 1607. qui complectitur primam partem hujus Catalogi. Alter tifte Parif. 1789. habet ἀσμάτων ἀσμάτων ι'. Quintus autem inter Metricos dicitur.)
18 *Efdras* 19 *Ofee*
20 *Amos* 21 *Michæas*
22 *Joel* 23 *Jonas*
24 *Abdias* 25 *Naum*
26 *Ambacum*
27 *Soph.* 28 *Agg.*
29 *Zach.*
30 *Mal.*
31 *Efai.*
32 *Jer.*
33 *Jezek.*
34 *Dan.*
Evangelium
35 *Mat.*
36 *Marc.*
37 *Luc.*
38 *Joan.*
39 *Act. Ap.*
40 *Ep. Jacobi*
41 *Petri*
42 *Petri*
43 *Joannis*
44 *Joannis*
45 *Joannis*
46 *Judæ*
47 *Pauli ad Rom.*
48 *Cor.*
49 *Cor.*
50 *Gal.*
51 *Ephef.*
52 *Philip.*
53 *Col.*
54 *Theff.*
55 *Theff.*
56 *Tim.*
57 *Tim.*
58 *Tit.*
59 *Philem.*
60 *Heb.* (a)
Et qui extra LX. *funt.*
1 *Sap. Solom.*
2 *Sap. Sirach*
3 *Maccab.*
4 *Maccab.*
5 *Maccab.*
6 *Maccab.*
7 *Efther*
8 *Judith*
9 *Tobit.*
Et qui Apocryphi
1 *Adam.*
2 *Henoch*
3 *Lamech*
4 *Patriarchæ*
5 *Jofephi Oratio*
6 *Eldam & Modam* (Parif. *Eldad & Medad*)
7 *Teft. Mofis* (defectus hic octavi in membranis cum Baroc. tum Parif. legendum haud dubio *Affumptio Mofis*, uti conjicit *Cotelerius.*)
9 *Pfalmi Solom.*
10 *Eliæ Apocal.*
11 *Efaiæ Vifio.*
12 *Sophoniæ Apocal.*
13 *Zachariæ Apocal.*
14 *Efdræ Apocal.*
15 *Jacobi Hiftoria*
16 *Petri Apocal.*
17 Περίοδοι καὶ Διδαχαὶ *Apoftolorum.*
18 *Barnabæ Ep.*
19 *Pauli* πράξεις (fic Baroc. & Parif. legendum videtur πράξεις.)
20 *Pauli Apocal.*
21 Διδασκαλία *Clementis.*
22 Διδαχὴ *Ignatii*
23 Διδαχὴ *Polycarpi*
10 Cod. Baroc. hic decft, librarii culpa. nam 22m fequitur 24us.
24 *Evang. Barnabæ*
25 *Evang.* κατὰ Ματθ. (i. e. *Matthiam*, unde apud *Cotelerium* Ματθίαν.

Col. 45.

MS. Baroc. 131. recens Indiculus V. T.
Gen. &c.
Jef.
Jud.
Ruth
Regn. 4.
Paralip. 2.
Efdræ 2.
Pfalt.
Job.
Sap. Solom.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Sap. Jefu F. Sirach
Prophetæ (fee &c.
Efai.
Jer.
Jezek.
Dan.
Efther
Tobit
Judith.

N. T. Græcum manu Vet. Laud. C. 63.
Act. Ap.
Ep. Pauli
Ep. Catholicæ
Synaxarion
Evang. 4. (Quæ loco poftremo collocantur compactoris haud dubio culpa.)

Col. 46.

Stichometria Codicis Græci Prophetarum *Rupefucaldiani*, fcripta ante annos mille literis majufculis, *Latinis* quidem, fed ad Biblia Græca fpectans:

	vers.
Gen.	4500
Ex.	3700
Lev.	2800
Num.	3650
Deut.	3300
Jef. N.	2000
Jud.	2000
Ruth	250
Regn. 1.	2500
2.	2000
3.	2600
4.	2400
Pfalmi	5000
Prov.	1600
Eccl.	600
Cantica C.	300
Sapientia	1000
Sap. Jefu	2500

XII. *Prophetæ* (numerus generalis cum partic. non concordat.) 3110

Ofee	530
Amos	410
Mich.	310
Joel	90
Abdias	70
Jonas	150
Naum	140
Abacum	160
Soph.	160
Agg.	110
Zach.	660
Mal.	200
Ifai.	3600
Jer.	4700
Ezech.	3600
Dan.	1600
Maccabæorum fic.	
Liber 1.	2300
Liber 2.	2300
Liber quartus	1000
Judith	1300
Efdras	1500
Efther	1000
Job	1600
Tobias	1000
Evangelia 4.	
Matthæus	2600
Joannes	2000
Marcus	1600
Lucas	2900
Epiftulæ Pauli ad	
Rom.	1040
Cor. 1.	1060
2.	..70
Gal.	350
Eph.	375
Tim. 1.	208
2.	288
Tit.	140
Col.	251
Philem.	50
ad Petrum 1.	200
ad Petrum 2.	140
Jacobi Ep.	210
Joannis 1.	220
2.	20
3.	20
Judæ	70
Barnabæ Ep.	950
Joannis Rev.	1200
Actus Ap.	2600
Paftoris (lib.)	4000
Actus Pauli	3509
Revel. Petri	270

Ex fcribentis incuria omiffæ funt Epiftolæ 2. ad *Thef.* & Epift. ad *Heb.* & *Philip.* cum libris *Paralipom.*

Editus eft ifte Indiculus à *Cotelerio*, & ante illum, quod tamen nefciebat ille, à *Morino*. Editio *Cotelerii* habet *Jer.* 4070. *Tim.* 2. 289. *Judæ* 60. *Barn. Epift.* 850. *Act. Pauli* 4560. *Revelatio Petri* 2070.

(a) 60 *auctoritatis, fupra cæteros, eximiæ libros V. & N. T.* agnofcit quoque ANTIOCHUS (in 614) Prol. Homil. Ita PHILIPPUS SOLITARIUS Dioptræ IV 19. *Libros omnes, numero 60. compofuerunt,* 46. *T. V.* (hoc errore librarii) 27. *T. N.*

Col. 47.

Indiculus Cod. *Alex.* literis uncialibus ante annos 1000. præfixus, illorum Voluminum contenta exhibens.

Γένεσις Κόσμου
Ἔξοδος Αἰγύπτου
Λευιτικόν
Ἀριθμοί
Δευτερονόμιον
Ἰησοῦς Ναυῆ
Κριταί
Ῥούθ
Ὁμοῦ βιβλία η'
Βασιλειῶν α'
Βασιλειῶν β'
Βασιλειῶν γ'
Βασιλειῶν δ'
Παραλειπομένων α'
Παραλειπομένων β'
Ὁμοῦ βιβλία ϛ'
Προφῆται ιϛ'
Ὠσηὲ α'
Ἀμὼς β'
Μιχαίας γ'
Ἰωὴλ δ'
Ἀβδιοὺ ε'
Ἰωνᾶς ϛ'
Ναοὺμ ζ'
Ἀμβακοὺμ η'
Σοφονίας θ'
Ἀγγαῖος ι'
Ζαχαρίας ια'
Μαλαχίας ιβ'
Ἡσαΐας ιγ'
Ἱερεμίας ιδ'
Ἰεζεκιὴλ ιε'
Δανιὴλ ιϛ'
Ἐσθήρ
Τωβίτ
Ἰουδίθ
Ἔσδρας α' ἱερεύς
Ἔσδρας β' ἱερεύς
Μακκαβαϊκῶν λόγος α'
Μακκαβαϊκῶν λόγος β'
Μακκαβαϊκῶν λόγος γ'
Μακκαβαϊκῶν λόγος δ'
Ψαλτήριον σὺν ᾠδαῖς
Ἰώβ
Παροιμίαι
Ἐκκλησιαστής
Ἄσματα ἀσμάτων
Σοφία ἡ πανάρετος
Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιράχ
Ἡ Καινὴ Διαθήκη.
Εὐαγγέλια δ'
Κατὰ Ματθαῖον
Κατὰ Μάρκον
Κατὰ Λουκᾶν
Κατὰ Ἰωάννην
Πράξεις Ἀποστόλων
Καθολικαὶ ζ'
Ἐπιστολαὶ Παύλου ιδ'
Ἀποκάλυψις Ἰωάννου
Κλήμεντος ἐ... λη α'
... ντος ἐ... λη β'
Ὁμοῦ βιβλία ...
Ψαλμοὶ Σολομῶντος ιη'.

Librorum hunc fyllabum exhibemus eifdem quibus in ipfo Cod. MS. confpicitur literis, uncialibus tantum in communes noftros commutatis. Et fequimur in hoc Virum fumme venerabilem *Gul. Beveregium*, quem nuper ad Sedem Afaphenfem evexit eximia pietas cum literis reconditiff. conjuncta; in *Vindiciis Canonum Ecclefiæ primit.*

Biblia Græca aliaque Orientalia.

Col. 48.

Cod. Vat. five Ed. V.T. Græci Rom.
Gen. &c.
Jes. N.
Jud.
Ruth.
Regn. 4.
Paralip. 2.
Esdræ 2.
Neem.
Tobit
Judith
Esther
Job
Psal.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Solom. Sap.
Sap. Sirach.
XII. *Proph.*
Esai.
Jer.
Baruch
Threni
Ep. Jeremiæ
Jezek.
Dan.
Maccab. 3.

N. T. Græcum MS. Coll. Magd.
Evang. 4.
Act. Apost.
Ep. Cathol.
Ep. Pauli.
Deest *Apocal.* neque mutilus tamen est Codex. Eadem manu sequitur Psalterium.

Col. 49.

Edisio Aldina.
Gen. &c.
Jes. N.
Jud.
Ruth
Regn. 4.
Paralip. 2.
Esdræ 1.
(liber Apocryphus)
Esdræ 2. (cum Neemia)
Esther
Tobit
Judith
Job
Psalt.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Sap. Solom.
Sap. Sirach
Esai.
Jer.
Baruch
Threni
Ep. Jeremiæ
Dan.
XII. *Proph.*
Maccab. 3.
Evang 4.
Act. Ap.
Ep. Pauli
Cathol.
Apocal.

Idem ordo servatur in *Erasmi* N. Test. Græco.

Col. 50.

Codex N. T. MS. olim *Heidelberg.* nunc *Vat.*
Evang. Mat.
Marci
Joannis
Lucæ
Act. Ap.
Ep. Cathol.
Paulinæ
Apoc. Joan. Theologi.

In Cod. quoque MS. Coll. Novi Epistolas *Paulinas* præcedunt *Catholicæ.*

Cod. N. T. Græci manu vet. *Bodl. Hunt.* 131. ἀκέφαλος & μείουρος.
Act. Ap.
Ep. Cathol.
Apocal.
Ep. Pauli
Singulis libris subjicitur versuum numerus.

Col. 51.

V. T. Syriacum MS. *Pocock.*
Gen. &c.
Job justus
Jos.
Jud.
Samuel
Reges
Chron.
Prov. Salom.
Coheleth (Eccl.)
Sap. Salomonis
De Fœminis laudabilibus, viz.
Ruth
Susanna
Esther
Judith
Ezra
Jesus bar Simeon dictus Bar Asira
Maccabæi 3.
Josephus, sc.
Sermo de Eliezer & Shemona & Filiis ejus (Shemonæ.)
Esdras
Tobit
Esai.
Tereasar (i. e. XII. Proph.)
Jer. cum Threnis
Baruch
Ezek.
Dan. (cum fabula Belis, & Draconis.)

Col. 52.

V.T. Syr. MS. aliud Arch. C. Bodl. 4.
Gen. &c.
Job
Jos.
Jud
Samuel
Reges
Chron.
Prov. Salom.
Eccl.
Cant.
Sap. Salom.
Ruth
Susanna
Esai.
XII. *Proph.*
Jer. cum Threnis & Baruch
Ezek.
Dan &c.
Esther
Judith
Ezra
Nehem.
Sirach
Maccabæi 3.
Josephus
Ezræ tertius
Tobias.

N. T. Syriacum à *Gundelio* Ed. 1555.
Evang. 4.
Ep. Pauli 14.
Act. Ap.
Epistolæ Jacobi, Petri & Joannis
Desunt *Ep. Judæ & Apoc.* quæ postea tamen Syriace Editæ sunt.

Col. 53.

Biblia *Æthiopica.*
Tomus 1. Lex dictus, qui *Octateuchus* est, sc.
1 *Creatio*, alias *Primus* liber *Legis* vel *Generationis.*
2 *Exitus*
3 *Levitarum*
4 *Numeri*
5 *Tabernaculi*
6 *Josue*
7 *Ducum*
8 *Ruth*
Tomus 2. Reges dictus, continet lib. 12.
1, 2 *Samuelis* 2.
3, 4 *Hebræorum* 2.
Hos 4. tamen communius more Græcorum 1, 2, 3, & 4 *Regum* vocant.
5, 6 *Minorum* seu *Inferiorum* 2. Sic accepisse videntur Græcum *Paralipomena.*
7 *Ezræ* 2.
8 *Tobiæ*
9 *Judith*
10 *Esther*
11 *Jobi*
12 *Psalmorum.*
Tomus 3. Salomon dictus, 5. libros continet.
1 *Prov.*
2 *Concio*, sive *Circulus* (ut vox Æthiopica proprie significat) seu *Cœtus* hominum in modum circuli congregatus.
3 *Canticum C.*
4 *Sapientia*
5 *Siracides.*
Tomus 4. Prophetæ dictus continet libros 18.
1 *Esaias*
2, 3, *Jeremiæ prophetia & Threni ejus.*
4 *Baruch*
5 *Ezekiel*
6 *Daniel.*
Prophetæ Minores
7 *Hoseas*
8 *Joel*
9 *Amos*
10 *Obadia*
11 *Jonas*
12 *Michæas*
13 *Nahum*
14 *Habacuc*
15 *Sophonias*
16 *Haggæus*
17 *Zacharias*
18 *Malachias*
His addunt Coronidis loco *Maccabæorum* libros 2. N. T. etiam in 4. partes dividitur. Prima dicitur Evangelium & continet 4. *Evangelia.*
Secunda Acta (sc. Apost.)
Tertia Paulus dicta continet Epistolas 14. ad *Rom. Cor.* 2 *Gal. Eph. Phil. Col. Thess.* 2. *Tim.* 2. *Tit. Philem. Heb.*
Quarta Apostolus continet 7. Epistolas, *Jacobi, Petri* 2. *Joan.* 3. *Judæ.*
Pro additamento est illis *Visio Johannis Abukalamsis.* Quam vocem ex Græco *Apocalypsis* corrupta cognomentum ejus putavisse videntur.
N. Testamento communiter annumerant quod Græco vocabulo *Synodum*, seu *Librum Synodalem* vocant, qui continet *Constitutiones & Canones Apostolorum*, à nostris vero haud parum discrepantes.

Col. 54.

Biblia *Moscovitica* (è Græcis quoque derivata.)
Gen. &c.
Jes.
Jud.
Ruth.
Regn. 4.
Paralip. 2.
Esdras
Neem.
Esdræ 2.
Esdræ 3.
Tob.
Judith
Esther
Job.
Psalt.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Sap. Solom.
Liber Jesu Sirach
Esai.
Jer.
Lam. cum Oratione
Baruch cum Epistola
Ezek.
Dan.
XII. *Proph.*
Maccab. 3.
Evang. 4.
Act. Ap.
Ep. Cathol. 7.
Paulinæ 14.
Apocal.

Bibl. *Armenica*, quæ typis excusa habentur, ex Lat. Vulg. *traducta sunt.*

Col. 55.

HILARIUS Pictav. an. 360. Præf. in Psal.
Ea causa est ut in 22. libros lex V. T. deputetur, ut cum literarum numero conveniren. Qui ita secundum traditiones veterum deputantur, ut Mosi sint libri 5.
6 *Jes. N.*
7 *Jud. & Ruth*
8 *Reg. 1. & 2.*
9 *Reg. 3 & 4.*
10 *Paralip. 2.*
11 *Sermones dierum* (hæc verba jure pertinent ad *Paralip.*) *Esdræ.*
12 *Psal.*
13 *Prov.* } *Sal.*
14 *Eccl.* }
15 *Cant C.* }
16 XII. *Proph.*
17 *Esai.*
18 *Hier. cum Lament. & Ep.*
19 *Dan.*
20 *Ezech.*
21 *Job*
22 *Hester.*
Quibusdam autem visum est, additis Tobia & Judith 24. libros sec. numerum Gr. lit. connumerare.

Col. 56.

PHILASTRIUS an. 370 de Hær. cap. 40 41.
Statutum est ab Apostolis & eorum successoribus, non aliud legi in Ecclesia debere Catholica nisi Legem, & Prophetas, & Evangelia, & Actus Ap. & Pauli 13. Epistolas, & 7. alias, Petri 2. Joannis 3. Judæ 1. Jacobi 1. quæ 7. Actibus Ap. conjunctæ sunt. Scripturæ autem absconditæ i. e. Apocrypha, etsi legi debent morum causâ à perfectis, non ab omnibus legi debent, qui non intelligentes multa addiderunt & tulerunt, quæ voluerunt Hæretici. Nam Manichæi, Apocrypha B. Andreæ Ap. i. e. Actus quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos conscripserunt tunc discipuli sequentes Apostolum. Unde & habent Manichæi & alii tales Andreæ beati, & Joannis Actus Evangelistæ beati, & Petri similiter Apostoli, & Pauli pariter Apostoli; in quibus quia signa fecerant magna, & prodigia, ut & pecudes, & canes, & bestiæ loquerentur, etiam & animas hominum tales, vel canum & pecudum similes imputaverunt esse hæretici perditi.

Sunt alii quoque qui Ep. Pauli ad Heb. non asserunt esse ipsius, sed dicunt aut Barnabæ esse Apostoli, aut Clementis de Urbe Roma Episcopi. Alii autem Lucæ Evang. aiunt Epist. etiam ad Laod. scriptam. Et quia addiderunt in ea quædam non bene sentientes, inde non legitur in Eccles. & si legitur à quibusdam, non tamen in Ecclesia legitur populo, nisi interdum. Et in ea quia rhetorice scripsit, sermone plausibili, inde non putant esse ejusdem Apostoli. Et quia & factum Christum dicit in ea, inde non legitur &c.

Col. 57.

HIERONYMUS an. 380. Ep. ad Paulinum.
Gen. &c.
Job
Jes. N. Jud.
Ruth. Sam.
Reg. 3. 4.
XII. *Proph. lib. 1.*
Esai.
Hier.
Ezech.
Dan.
David
Solomonis libri
Hester
Paralip. liber
Esdras & Neem. lib. 1.
N. T. Evang. 4.
Ep. Pauli ad 7. Ecclesias. Octava enim ad Heb. à plerisque extra numerum ponitur.
Ad Tim. Titum Phil.
Act. Ap.
Ep. 7. Jacobi, Petri, Joan. Judæ,
Apoc. Joan.

Vide supra Col. 2. ex Prol. Galeato in Reg. Quæ vulgo vocantur *Apocrypha*, disertis verbis ibi rejicit. *

Col. 58.

Idem apud *Cassiodorum* Div. lit. c. 12.
Lex Gen. &c.
Prophetæ
Jes. N. Jud.
Ruth. Samuel
Isai. Jer.
Ezech. Dan.
XII. *Proph.*
Hagiographa
Job
David
Salomon
Prov.
Ecclesiasticus (mendose, pro *Ecclesiastes.*)
Cant. C.
(a) *Verba dierum i. e. Paralip.*
Esdras, Ester.
Evangelistæ 4.
Ep. Apostolorum
Petri 2.
Pauli 14.
Joan. 3.
Jacobi 1.
Judæ 1.
Actus Ap.
Apoc. Joannis
(a) Scriptoris vitio desunt libri *Regum*. Et tamen numerantur libri 23. cum dicit *Cassiodorus*, numerari ab Hieronymo 22. Vide supra Col. 2.

Col. 59.

RUFFINUS an. 380. expos. Symboli.
Gen. &c. Jes. N. Jud. cum Ruth.
Reg. 4. Hebræis 2.
Paralipomenon qui dierum dicitur liber
Esdræ 2. (Heb. 1.)
Hester. Esai.
Hier. Ezech. Dan.
XII. *Proph. lib. 1.*
Job. Psalt.
Prov. Eccl.
Cant. C. Solomonis.
In his concluserunt numerum librorum V. T.
Novi vero, Evang. IV. Act. Ap.
Ep. Pauli 14.
Petri 2.
Jacobi 1.
Judæ 1.
Johan. 3.
Apocal. Johan.
Hæc sunt quæ Patres intra Canonem concluserunt, & ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod & alii libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à majoribus appellati sunt, i. e. Sap. quæ dicitur Solomonis, & alia Sap. quæ dicitur Fi-

* Post recensitos libros 22. juxta Hebræorum distributionem in *Legem*, *Proph.* & *Hagiogr.* hæc subdit. *Hic Prologus scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus quicquid extra hos est, inter Apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Jesu F. Sirach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone. Maccabæorum primum librum Hebraicum reperi: Secundus Græcus est; quod ex ipsa quoque Phrasi probari potest.* Præf. in Prov. *Sicut ergo Judith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eas inter Canonicas Script. non recipit: sic & hæc duo vol.* (Ecclef. & Sap.) *legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* In Prologo Tobiæ, juxta Editiones hodiernas, mendo vetusto, videtur librum istum *Hagiographis* accensere: *Librum Tobiæ, quem Hebræi de catalogo divinarum Script. secantes, his quæ Hagiographa memorant, manciparunt.* Mendum idem reperitur in Prol. Judith: *Apud Hebræos liber Judith inter Hagiographa legitur: cujus authoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur:* In utroque loco pro, *Hagiographa*, legendum esse *Apocrypha*, res ipsa loquitur, & fatentur Auctor *Glossæ Ordin. Comestor, Hugo Card. Brito*, liber *Mamotrectus*, *Abulensis*, Auctor Præfationis Bibliorum una cum *Glossa* Ord. & *Lyrano* editorum, adstipulantibus etiam *Driedone*, *Catharino*, *Gasp. Gaiarza*, *Simonio*, aliisque Communionis Rom. scriptoribus. In *Glossa Interlineari* in Prol. Tobiæ, super vocem, *Agiographa*, notatur; *alias Apocrypha.* Quam glossam mala fide omiserunt Pontificii in Editionibus recentioribus. In Biblio quodam MS. *Lambeth.* ad Prol. Judith, notatur in marg. manu supra annos 200. vetusta: *Apocrypha est verior lectio.* In alio *Bodleiano* (NE. A. 2. 1.) adnotatur ad Prol. Tobiæ manu antiqua: *immo verius inter Apocrypha.* Neque desunt hodie Exemplaria vetusta, in quibus reperitur, non *Hagiographa*, sed *Apocrypha*; nempe *Apocrypha* legitur in Prologo Judith in alio Biblio *Lambethano* optimæ notæ 2. vol. prægrand. Et in Biblio Bodl. NE. F. 3. 25. legitur *Apocrypha* in utroque Prologo. Inter antiquiores, quotquot lectionem *Hagiographa* veram esse crediderunt, ii statuunt vocem *Hagiographa* in illis locis largiori sensu sumendam esse, ita ut includat *Apocrypha.* Ita *Dionysius Carthusianus.* Et in tertio quodam Biblio MS. Biblioth. Bodl. (Laud. F. 107.) ad vocem *Agiographa* in Prol. *Tobiæ* notatur; *i. e. Apocrypha, sc. Agiographa dicuntur large.* Ibid. in Prol. *Judith*, supra vocem, *Agiographa*, apponitur hæc nota interlinearis, *large.* Futilissima sunt, quæ habet de horum locorum lectione *If. Vossius* in scriptis contra *Simonium.*

Addit *Hieronymus* Prol. in Judith, quod *hunc librum Synodus Nicæna in numero S. Scripturarum legitur computasse.* Nullum unquam exstitisse Synodi Nicænæ decretum de Canone Scripturarum, sed deceptum fuisse *Hieronymum* nescio qua falsa relatione, contendit ipse *Dupin*, scriptor Pontificius. Sed exstitisse olim Indiculos librorum sacrorum, sub nomine Synodi *Nicænæ*, atque etiam *Chalcedonensis*, etsi spurios haud dubio & supposititios, colligo ex *Cassiodori* de Instit. Div. Lit. cap. 14. ubi postquam locutus fuisset de *Hieronymi* Bibliis & librorum divisione, hæc subdit: *Unde licet multi Patres, i. e. S. Hilarius & Ruffinus, & Epiphanius, & Synodus Nicæna, & Chalcedonensis non contraria dixerint, sed diversa: omnes tamen per divisiones suas libros divinos sacramentis competentibus aptaverunt.*

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

lii Sirach. — Ejusdem vero ordinis libellus est Tobiæ & Judith & Maccabæorum libri. In N. vero T. libellus qui dicitur Pastoris sive Hermes; qui appellatur duæ viæ, vel judicium Petri. Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad Auctoritatem in his fidei confirmandam. Cæteras vero Scripturas Apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt. Hæc nobis à Patribus tradita sunt, quæ opportunum visum est hoc in loco designare, ad instructionem eorum, qui prima sibi Ecclesiæ ac Fidei elementa suscipiunt, ut sciant ex quibus sibi Fontibus Verbi Dei haurienda sint pocula.

Col. 60.

AUGUSTINUS an. 420. De Doctr. Chr. II. 18.

In Canonicis Scrip. Ecclesiarum Cathol. quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sint, quæ Apostolicas sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scrip. Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Cathol. præponat eis quas quædam non accipiunt: In eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresque accipiunt eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc facile invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto. Totus autem Canon Script. in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur:

5 Moyseos. Jes. N. Jud. Ruth, qui magis ad Regnorum principia videtur pertinere. Reg. 4. Paralip. 2. Job. Tobias. Hester. Judith. Maccab. 2. Esdræ 2. Prophetæ. In quibus David unus liber Psalmorum. Prov. Cant. C. Eccl. Salomonis. Nam illi 2. libri, unus qui Sap. & alius Ecclesiasticus inscribitur de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Jesus F. Sirach eos scripsisse constantissime perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui proprie Prophetæ appellati sunt. XII. *Proph. libri singuli: qui connexi sibimet quoniam nunquam sejuncti sunt, pro uno habentur.*

Deinde 4 Prophetæ sunt majorum vol. Esai. Hier. Dan. Ezech.

His 44. libris V. T. terminatur auctoritas. N. T. Evang. 4. Ep. Pauli 14. Petri 2. Joan. 3. Judæ 1. Jac. 1. Act. Ap. Apocal. Joan.

Col. 61.

Idem ibid. juxta *Cassiodorum* (qui ordinem ejus accurate non servat.)

Libri Hist. 22.
Moysi 5.
Jes. N. 1.
Jud. 1.
Ruth 1.
Regn. 4.
Paral. 2.
Tobiæ 1.
Esther 1.
Judith 1.
Esdræ 2.
Maccab. 2.
Prophetici 22.
David Psalt.
Salom. libri 4.
Jesu F. Sirach 1.
Proph. majores 4.
Isai.
Jer.
Ezech.
Dan.
Minores 12.
Ep. Apost. 21. viz. Pauli (14)
Petri 2.
Joan. 3.
Judæ 1.
Jac. 1.
Evangeliorum libri 4.
Act. Ap.
Apocal.

Col. 62.

INNOCENTIUS I. Papa an. 405 Ep. ad Exuperium (& apud *D. Exiguum*)

Qui libri recipiantur in Can. S. Scrip. brevis annexus ostendit.
Moysis libri 5.
Jes. N. Jud.
Regn. 4. simul & Ruth
Proph. libri 16.
Salomonis libri 5.
Psalt.
Item Historiarum
Job. Tob. Esther.
Judith. Maccab. 2.
Esdræ 2. Paral. 2.
N. T. Evang. IV.
Ep. Pauli 14.
Joan. 3.
Petri 2.
Judæ 1.
Jac. 1.
Actus Ap.
Apoc. Joannis.
Cætera autem quæ vel sub nomine Matthiæ, sive Jacobi Minoris, vel sub nomine Petri & Joannis, quæ à quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ à Xenocharide & Leonida Philosophis; vel sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.

Col. 63.

Conc. CARTHAG. an. 419. Can. 27.

Placuit ut præter Canonicas Script. nihil in Ecclesia legatur. Sunt autem Canonicæ Script.
Gen. &c. Jes. N.
Jud. Ruth. Reg. 4.
Paralip. 2. Job.
Psalt.
Salomonis libri 5.
Prophetarum libri 12.
(apud Crescentium *Liber 12. Proph.*)
Esai. Jer. Jezech.
Dan. Tobias. Judith.
Hester. Esdræ 2. (apud *D. Exiguum* adjiciuntur *Maccabæorum libri 2.* ita etiam in Ed. Græca *Justelli.* A *Beveregiana* absunt. Nec recensentur in *Cresconis*, ipsius Africani Episcopi, Collectione. Testatur insuper *Justellus* abesse eos ab aliis Græcis Codd. cum editis, tum MSS.)
N. T. Evang. IV. *Act. Ap.*
Ep. Pauli 14. Petri 2.
Joan. 3. Jac. 1. Jud. 1.
Apocal. Joannis.
Hoc autem Fratri & nostro in sacris comministro Bonifacio, & aliis earumdem reg. Episcopis, ad propositi Canonis confirmationem significetur. (Desunt hæc apud *Cresconium*)

Col. 64.

EUCHERIUS Lugd. an. 434. Quæst. V. & N. T. de illis hoc ord. agit.
Gen. &c.
Job
Reg.
Michæas
Esai.
Ezech.
Paralipomenon.
Psal.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Evang. IV.
Epist. Pauli ad Rom.
Cor. 2.
Eph.
Col.
Tim. 2.
Heb.
Act. Ap.
Ep. Jacobi
Joannis.
Apocal.
(De cæteris nihil habet)

Col. 65.

Synodus ROM. sub *Gelasio* I. an. 494.
Gen. &c. Jes. N. Jud. Ruth. Reg. 4. Paralip. 2. Psal. 150. Salom. libri 3. sc. Prov. Eccl. Cant. C. Sap. Ecclesiasticus.
Ordo Prophetarum,
Isai. Jer.
Cinoth. i. e. de Lament. suis
Ezech. Dan.
Oseæ l. 1. Am. l. 1.
Mich. l. 1. Joel l. 1.
Abd. l. 1. Jonæ l. 1.
Na. l. 1. Hab. l. 1.
Soph. l. 1. Agg. l. 1.
Zach. l. 1. Mal. l. 1.
Ordo Historiarum.
Job. Tobias. Esdræ l. 1.
Esther. Judith.
Maccab. l. 1. (in alio Cod. *libri 2*)
N. T. Evang. IV. *Act. Ap.*
Epist. Pauli 14.
Apocal. Joannis.
Ep. Canonicæ 7.
Jacobi, Petri 2. Joan. 3. Judæ Zelotis Apost.
De hoc canone non immerito ambigitur, cum in ipsa *D. Exigui* Romana Collect. inter alia *Gelasii* decreta non reperitur. Nec habetur hæc pars Decreti *Gelasiani* apud *Gratianum* Dist. 15. ubi altera pars reperitur. Nec tribuitur ab *Ivone*, apud quem habetur, *Gelasio*. A *Burchardo* vero *Gelasio* tribuitur.

Col. 66.

CASSIODORUS Instit. Div. Lit. circa an. 556.
Codex 1. Octateuchus:
Gen. &c.
Jes. N.
Jud.
Ruth.
Codex 2. Regum:
Regn. 4.
Paralip. 2.
Codex 3. Prophetarum.
Isai. Jer.
Ezech.
Dan.
XII. *Proph.*
Codex 4. Psalterium.
Codex 5. Salomonis:
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Codex 6. Agiographorum:
Job
Tobias
Esther
Judith
Esdræ 2.
Maccab. 2.
Codex 7. Evangelistarum.
Codex. 8. continet Canonicas Ep. Apostolorum.
Codex 9. Act. Ap. & Apocalypsin continet.

Col. 67.

Codex Veteris Translationis Lat. *Italæ* dictæ ap. *Cassiod.* ibid. c. 14.
Gen. &c.
Jes. N.
Jud.
Ruth
Regum 4.
Paralip. 2.
Psalt. lib. 1.
Salom. libri 5.
Prov.
Sap.
Ecclesiasticus
Ecclesiastes
Cant. C.
Prophetæ:
Isai. Jer.
Ezech. Dan.
Os. Amos &c.
Job.
Tobias
Esther
Judith
Esdræ 2.
Maccab. 2.
Evang. 4.
Act. Ap.
Epistolæ Petri ad gentes.
Judæ Ep.
Jacobi ad 12. tribus.
Joannis ad Parthos.
Ep. Pauli.
Apoc. Joannis

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col 68.

JUNILIUS Episc. Afric. circa an. 560. De Part. Div. Legis lib. 1. cap. 3. &c.

Libri perfectæ auctoritatis

Gen. &c. Jos. N. 1. *Jud.* 1. *Ruth* 1. *Regum* 4.

Prophetæ: Psal. 150. *Osea l.* 1. *Esai. l.* 1. *Johel. l.* 1. *Amos l.* 1. *Abd. l.* 1. *Jonæ l.* 1. *Mich. l.* 1. *Naum l.* 1. *Soph. l.* 1. *Abac. l.* 1. *Hier. l.* 1. *Ezech. l.* 1. *Dan. l.* 1. *Agg. l.* 1. *Zach. l.* 1. *Mal. l.* 1. *Salomonis Prov. Eccl. Jesus F. Sirach.*

Libri mediæ auctoritatis: quos PLURES *ad Canonicos adjungunt*:

Paralip. 2. *Job. Esdræ* 2. *Judith. Hester. Maccab.* 2. *Hi libri non inter Canonicas Script. currunt, quoniam apud Hebræos quoque super hac differentiâ recipiebantur, sicut Hieronymus cæterique testantur.*

Libri nullius auctoritatis, quos QUIDAM *ad Canonicos adjungunt*:

Sapientia. Cantica C.

In N. T. Libri perfectæ auctor.

Evang. IV. *Act. Ap.*

Pauli Ep. 14. *Petri ad Gentes* 1. *Joannis Ep.* 1.

Libri mediæ auctoritatis,

Jacobi Ep. Petri 2da. *Judæ. Joannis* 2. & 3. } *à quamplurimis cæteris adjunctæ.*

Apocal. de qua apud Orientales admodum dubitatur.

V. & N. T. dividit idem in libros *Historicos, Prophet. Proverbiales,* (*sc. Prov. Ecclesiasticum, Cant. C.*) & *simplicis doctrinæ* (*ut Ecclesiasten,* & *Ep. Apostolorum.*)

Col. 69.

ISIDORUS Hisp. (an. 600.) Offic. I. 12.

V. T. Scriptores secundum Judæorum trad. habentur: *Moyses scripsit* Pent. Jesus N. *librum suum*: Judicum & Ruth & Samuelis 1m *Samuel*: Samuelis 2m *David*: Malachim *totum Hieremias*: Job *librum Hebræi putant scripsisse Moysen, alii unum ex Prophetis*: Psalterium *scrip.* 10 *Prophetæ i. e. Moyses, David, Salomon, Asaph, Eman Ethan, Iditum, & filii Chore, i. e. Asir, Elana, Eliasaph, Abiathar. Sunt & qui Esdram, & Aggæum, & Zachariam scripsisse dicunt.* Prov. Eccl. Cant. C. *scripsit Salomon.* Esaias *scr. librum suum*: Hieremias *suum, cum* Lament. Ezechielem, XII. Proph. Dan. Paralipomenon, Hester, *scr. viri Synagogæ sapientes.* Esdras *scr. librum suum.* — *Qui & totum V. T. reparatum & correctum in* 22. *libris constituit: ut tot libri essent in Lege, quot & literæ habentur.* Librum Sap. Salomon *scripsisse probatur.* — *Hoc opus Hebræi* (*ut quidam sapientium meminit*) *inter Canonicas Scrip. recipiebant, sed postquam Christum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam evidentissima in eo de Christo testimonia &c.* — Ecclesiasten *composuit Jesus F. Sirach* — *qui liber apud Latinos propter eloquii similitudinem, Salomonis titulo prænotatur.* Judith, Thobiam, Maccabæorum *libros qui authores scr. minime constat. Inter* 4 *Evang.* Matthæus *Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri Græco.*

Paulus 9. *Epistolas* 7. *Ecclesiis destinavit, reliquas discipulis suis misit,* Tim. Tito, Philemoni. *Ad* Heb. *autem Epistola plerisque Latinis ejus fuisse, incerta est, propter dissonantiam sermonis, eandemque alii Barnabam conscripsisse, alii à Clemente scriptam fuisse suspicantur.* Petri 2da *à quibusdam ejus fuisse non creditur, propter styli sermonisque distantiam.* Jacobi *Epistola à nonnullis ejus esse negatur; sed sub nomine ejus ab alio dictata existimatur.* Joannis *tamen* 1a *à quibusdam ejus esse asseritur, reliquæ* 2 Joannis *cujusdam Presbyteri existimantur.* Judas *suam edidit Ep.* Actus Ap. *Lucas*: Apoc. *Joannes Evang. Hi sunt scriptores S. Librorum div. inspiratione loquentes &c.*

Col. 70.

Eadem magna ex parte recitantur *Orig.* VI. 4. Gen. Jos. Jud. Ruth. Malachim. Paralip. Job. Psal. Prov. Coheleth seu Eccl. Sirhasirim 1. Cant. C. Esai. Hier. & Lament. Ezech. Dan. XII. Proph. liber. Esdræ liber *auctoris sui titulo prænotatur, in cujus textu ejusdem Esdræ Neemiæque sermones pariter continentur. Nec quenquam moveat, quod unus Esdræ dicitur liber: quia* 3*us &* 4*tus non habentur apud Hebræos, sed inter Apocryphos deputantur.* Hester. Liber Sap. *apud Heb. nusquam est, unde & ipse tit. Græcam eloquentiam redolet. Hunc Judæi Philonis esse affirmant, qui proinde Sapientiæ nominatur, quia in eo Christi adventus, qui est Sap. Patris, & Passio ejus evidenter exprimitur.* Ecclesiasticus — *apud Heb. reperitur, sed inter Apocryphos habetur.* Judith. Tobias. Maccabæorum libri.

Evang. IV. Pauli Ep. 13. (de Ep. ad Heb. eadem recitat quæ Col. præced.) Petri Ep. 2æ. Catholicæ. Jacobi, Joannis, Judæ Ep. Apoc. Joannis Evang.

Hi sunt scriptores S. librorum qui per Sp. S. loquentes ad eruditionem nostram & præcepta vivendi & credendi regulam conscripserunt. Præter hæc & alia vol. Apocrypha nuncupantur. Apocrypha autem dicta 1. *secreta, quia in dubium veniunt. Est enim eorum occulta origo, nec patet Patribus ex quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima & notissima successione pervenit. In iis Apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est in eis Canonica auctoritas, quæ rectè à prudentibus judicantur non esse eorum credenda quibus adscribuntur. Nam multa & sub nominibus Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab Hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine Apocryphorum auctoritate Canonica* (intelligit Synodi Rom. sub *Gelasio* decretum) *diligenti examinatione remota sunt.*

Col. 71.

Ibid. cap. 1. transcribit quæ habet *Hieronymus* Prol. in Reg. de Hebræorum divisione Scripturarum in *Legem, Prophetas, & Hagiographa* (vide Col. 2.) quibus hæc subnectit.

Quartus est apud nos ordo V. T. eorum librorum qui in Canone Heb. non sunt. Quorum

1 *Sapientiæ liber est.*
2 *Ecclesiasticus*
3 *Thobias.*
4 *Judith.*
5 & 6 *Maccabæorum: quos licet Hebræi inter Apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter divinos libros & honorat & prædicat.*

In N. T. 2. *sunt ordines: Evangelicus,* 4. *Evang. Apostolicus, in quo sunt Paulus in* 14. *Epistolis Petrus in* 2. *Joannes in* 3. *Jacob. & Jud. in singulis. Act. Ap. Apoc. Joannis.*

In libro *Proæmiorum* de singulis libris agit hoc ord. *Gen. &c.* usque ad *Paralip. Job. Psal. Prov. Eccl. Cant. C. Sap. Ecclesiasticus. Isai. Hier. Ezech. Dan.* XII. *Proph. Esdras. Machab. libri* 2. *licet non habeantur in Canone Hebræorum; tamen ab Ecclesia inter divinorum vol. annumerantur historias.*

Col. 72.

Eodem lib. *Proæmiorum* hæc habet:

Plenitudo N. Veterisque T. in Canone Catholicæ Ecclesiæ, juxta veterum priorum traditionem ista est. Gen. &c. Huic succedunt libri Jesu N. *vel* Judicum, *sive libellus cujus est tit. Ruth: qui non ad historiam Judicum, ut Hebræi adserunt, sed magis ad principium Regum, pertinere videtur.* Regum *libri quibus* Paralipomenon *libri* 2. *à latere annectuntur.* — Job *liber vel* Thobias, Hester *sive* Judith, *necnon & Esdræ seu* Machabæorum *libri* 2. — *Ex quibus quidem libros* Thobiæ & Judith, *sive* Machabæorum *Hebræi non recipiunt. Ecclesia tamen eosdem inter Canonicas Scrip. enumerat. Occurrunt dehinc Prophetarum libri, in quibus est* Psalmorum *liber* 1. Salomonii 3. *sc.* Prov. Eccl. & Cant. C. *Duo quippe illi egregiæ & sanctæ institutionis libelli* (Sapientiam dico, & alium qui vocatur Ecclesiasticus) *licet dicantur ab Jesu F. Sirach editi: tamen propter quandam eloquii similitudinem, Salomonis sunt titulo prænotati, qui tamen in Ecclesia parem cum reliquis Canonicis libris tenere noscuntur authoritatem. Supersunt libri* 16. *Prophetarum, ex quibus quatuor sunt, qui majora vol condiderunt, i. e.* Esai. Hier. Ezech. Dan. *Reliqui vero* XII. *breves sunt & contigui, & ob hoc uno vol. coarctati.* —— *Quidam* Hieremiæ Lamentationes *segregantes, de volumine ejus fecerunt. Sicque* 45. *libros V. T. suscipiunt.*

Evangelia IV. *sequuntur* Epistolæ Pauli 14. Epist. *quoque* Joannis 3.

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Petri 2. Judæ & Jacobi singulæ. Actus Apost. Apocal. Joannis. *Fiunt ergo in ordine utriusque T. libri 72.*

In Præf. librorum N. T. eos hoc ord. enumerat: *Evang. 4. Pauli Ep. 14. Petri 2. quæ Canonicæ nominantur. Jacobi 1. Joannis 3. Judæ 1. Act. Ap. Apoc. Joan.*

Negari non potest, quicquid ex adverso contendit *Cosinus* noster, quin *Isidorus* iste *Hisp.* hodiernis Pontificiis de auctoritate 5. librorum Apocryph. suffragetur: verum parum refert quid tot post Christum seculis temere censuerit aut decreverit unus aut alter, cum alia fuit communis Ecclesiæ Catholicæ sententia.

GREGORIUS Magnus Papa ei coævus Expos. in Job XIX. 13. Maccabæorum librum 1. citaturus: *Si ex libris licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis testimonium proferamus.*

Col. 73.

Auctor Operis *De mirabilibus S. Scrip.* (inter Op. S. Aug.) qui scripsit an. 657. lib. 2. *De Maccabæorum libris, essi aliquid Mirabilium numero inserendum conveniens fuisse ordini inveniatur, de hoc tamen nulla cura fatigabimur. Quia tantum agere proposuimus ut de* Divini Canonis *Exiguam historicam Expositionem ex parte aliqua tangeremus.*

BEDA (qui cl. an. 700.) *Tobiæ* Expos. *Allegoricam* reliquit. Idem vero l. 3. Com. in Gen. V. T dividit in *Legem, Proph.* & *Hagiog. Tria canistra super Caput ejus &c. quid aliud significant quam nisi tripartita ipsi populo concessa Divinæ legis eloquia, Legem viz. & Prophetas, & Hagiographa.*

Alibi agnoscit tantum 24. libros V. T. quos dicit cum in V. tum in N. T. præfiguratl. *Lib. 4 Com. in Reg. Duodecim Juga boum, 24. V. T. figuraliter accipiendi sunt libri.* In Apoc. 4. *Alæ animalium, quæ sunt 24. totidem V. T. libros insinuant. Quibus Evangelistarum & fulcitur auctoritas, & veritas comprobatur.*

De 6. æt. Mundi ad an. 3496. (ea Eusebio) *Hucusque* Divina Scriptura *temporum seriem continet. Quæ autem post hæc apud Judæos sunt digesta, de libro* Machab. *& Josepho atque Africani scriptis exhibentur.* Eadem habent ADO VIEN. (an. 879.) & HERM. CONTRACTUS (an. 1050.)

ALCUINUS an. 800. adversus Elipantum Tolet. l. 1. *Dum tuæ perversitati defecerunt in Prophetis Dei testimonia errori tuo convenientia, finxisti tibi novum quendam Prophetam dixisse, Miserere Domine plebi tuæ &c. — Ecce falsitas in nomine Prophetæ, ecco perversitas in interpretatione sententiæ, & non frustra oportebat novum Doctorem, novum sibi invenire Prophetam. — In libro* Jesu F. Sirac *hæc præfata sententia legitur, quem librum B. Hieronymus atque Isidorus* (hujus mentem non recte intellexit) *inter Apocryphas i. e. dubias Scrip. deputatum esse absque dubitatione testatur. Qui etiam liber non tempore Prophetarum, sed Sacerdotum, scriptus est. &c.*

Col. 74.

Sacramentarium Gallicanum ante annos 1000.

Incipit Capitulus de vetere (Test.) *canonizatus.*

Liber Genesis,
Exodum.
Leviticum.
Numeri.
Deut. Josue.
Judicum.
Libri mulierum Ruth, Sterh & Judith
Maccabæorum libri 2.
Job & Thobias libri singuli.
Regum 4.
Prophetarum libri 16.
Daviticum 5.
Salomon 3. Prov. Eccl. & Cant. C.
Esdra unus.
Fiunt libri Veteris numero 44.
De Novo, Apostolorum libri.
(Pauli) 14. *Epistolæ,*
Petri 2. Johannis 3.
Jacobi & Judæ singulæ.
Apocalypsis uno.
Actus Ap. uno.
Evangelia libri 4.

Sacramentorum (quo nomine veteres designabant cum librum, qui Collectiones & Præfationes ad Missas continebat) *uno.*

Fiunt in summa libri 72.

Col. 75.

EUGENIUS III. *Toletanus*, cujus ætatem non satis exploratam habeo, Indiculo versibus scripto.

Regula quos fidei commendat noscere libros, Hæc nostra præsens bibliotheca tenet.

Legis 5. vol.
Jos.
Sophtim.
Ruth
Reg. 4.
Proph. 16.
Job
Psalt.
Salomon.
Verba dierum.
Esdræ
Ester
Sap. Jesu.
Tobia
Judith
Machabæorum.
Hic T V. finisque modusque.
Evang. IV.
Pauli Ep. 14.
Jacobus
Petri Ep. 2.
Joannis 3.
Judæ 1.
Act. Ap.
Visio Joannis.

Col. 76.

Ivo an. 1092. in *Decreto.*

De Ord. librorum V. T.
Gen. &c.
Jhesu N.
Jud. Reg. 4.
Ruth Paralip. 2.
Psal. 150.
Salomonis 3:
Job. Tobiæ.
Esdræ. Hester.
Judith.
Machabæorum.
De ord. Proph.
Esai.
Hier. cum Cinoth i. e. Lament. suis.
Ezech.
Dan.
Ose. &c.

De ord. librorum N. T. quos sancta Romana Ecclesia tenet, & universalis Ecclesia observat.
Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Pauli 14.
Apoc. Joannis.
Ordo 7. Ep. Canon.
Petri 2.
Jacobi
Jo. Apost. 3.
Judæ Zelotis 3.

Hoc Indiculo sequitur *Ivo* BURCHARDUM, apud quem tribuitur *Gelasio* P. In *Burchardi* vero editione legitur *Salomonis 5.* & *Machabæorum 2.*

Col. 77.

RUPERTUS Tuitiensis an. 1111. in Gen. 3. 21. *In eo duntaxat qui inscribitur liber Sapientiæ, de illo sic scriptum est. — Verum hæc scriptura neque de Canone est, neque de Canonica Scriptura sumpta est sententia hæc.*

In Apocal. cap. 3. profitetur se *approbare ut non immitem eorum sensum, qui* 24. Seniores ibi memoratos exponunt de 24. *libris V. T.*

Col. 78.

HUGO DE S. VICTORE (an. 1120.) de Script. cap. 6.

Scripturis V. T. eodem modo enumeratis quo ap. *Hieron.* Prol. in Reg. (*Col.* 2.) hæc subdit: *Sunt præterea alii quidam libri ut* Sap. Salomonis, liber Jesu F. Sirach, *& liber* Judith, *&* Thobias, *& libri* Maccabæorum, *qui leguntur quidem sed non scribuntur in Canone. His 22. libris V. T. 8. libri N. T. junguntur. In 1. ordine N. T. sunt* IV. Evang. *In 2do similiter sunt 4.* Actus *viz.* Ap. Epistolæ Pauli 14. *sub uno vol. contextæ*, Canonicæ Ep. Apocalypsis. *In 3 ordine primum locum habent* Decretalia, *quos Canonicos i. e. regulares appellamus. Deinde sanctorum Patrum scripta, i. e.* Hieronymi, Aug. Ambr. Greg. Isidori, Origenis, Bedæ, *& aliorum Doctorum; quæ infinita sunt. Hæc tamen scripta Patrum in textu div. Scripturarum non computantur: quandoquidem in V. T.* (*ut diximus*) *quidam libri sunt qui non scribuntur in Canone, & tamen leguntur, ut* Sap. Salom. *& cæteri. Textus igitur div. Script. quasi totum corpus principaliter 30. libris continetur. Horum 22. in Vet. octo vero in N. T.* (*sicut supra monstratum est*) *comprehenduntur. Cætera vero scripta quasi adjuncta sunt, & ex his præcedentibus manantia.*

Eadem pene verbatim habet (quod alii ante nos observarunt) *Exceptionum* lib. 2. cap. 9. & *Eruditionis Didasc.* lib. 4. cap. 2. rursus *Erudit. Theolog. in Speculum Ecclesiæ* cap. 8. & in Prol. etiam libri *De Sacram.* cap. 7. In quibus omnibus locis libros V. T. eodem modo distribuens in *Legem, Prophetas,* & *Hagiographa,* affirmat *Sap. Ecclesiasticum, Judith, Tobiam,* & *Machab.* in *Canone non scribi.* In loco postremo ait eos *in corpore textus vel in Canone auctoritatis non scribi.*

Liber *Exceptionum* (sive *Exceptionum*) à nonnullis tribuitur *Richardo à S. Victore*, qui eadem vixit ætate; & inter illius opera habetur.

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col. 79.

PETRUS CLUNIAC. an. 1123. Ep. contra *Petrobrusianos*, asserit auctoritatem librorum *Gen. &c. Jos. N. Jud. Ruth. Sam. Reg. Esai. Hier. Ezech. Dan.* XII. *Minorum, Jobi, Psal. librorum Salomonis, Paralip. Esdræ. Hester. Ultimus in Agiographis h. e. S. Script. libris sequitur liber Hester. Restant post hos autenticos S. Script. libros, Sapientiæ, Jesu F. Sirac, Tobiæ, Judith, & utrque Machabæorum liber. Qui etsi ad illam sublimem præcedentium dignitatem pervenire non potuerunt, propter tamen & per necessariam doctrinam ab Ecclesia suscipi meruerunt. Super quibus vobis commendandis, me laborare opus non est. Nam si Ecclesia alicujus precii apud vos est, ejus auctoritate aliquid, saltem parum quid, à vobis suscipiendum est.* (*Evangelia* IV. *à Petrobrusianis* suscepta fuisse memorat.)

Actus Apost.

Ep. Jacobi, Petri, Joannis, Judæ (quas in Canone *Pauliras* antecedere monet.)

Ep. Pauli. Apocal.

Col. 80.

HONORII Augustodun. an. 1130. in Gemma animæ de antiquo ritu Missæ IV. 118. divisio juxta tempora quibus leguntur in Ecclesia.

Hi libri sunt authentici, & hi sunt in divinis officiis legendi.

Pent. quem scripsit Moyses.

Liber Josue quem ipsemet scripsit.

Liber Judicum & Ruth, quos Gedeon, & Samuel scripsisse dicuntur.

Hier. Propheta, quem ipse scripsit.

Lament. ejusdem.

Apocalypsis, quem scr. Joannes Apost.

Canonicæ Ep. quas scr. Jacobus, Petrus, Joannes, & Judas Apostoli.

Act. Ap. scr. Lucas Evang. libri Regum, quorum 1m scr. Samuel, 2 Nathan, 3. & 4. Hieremias. 2. libri Paralip. quos Sapientes Synagogæ scripserunt.

Parab. Salom. & Eccl. & Cant. C. & liber Sap. quos omnes Salomon scr.

Ecclesiast. quem Jesus F. Sirach composuit.

Liber Job, quem ipsemet scr.

Liber Tobiæ quem ipse scr.

Liber Judith, quem ipsa vel Achior scr.

Hester, quem Mardochæus composuit, sed potius ab Esdra scriptus creditur.

Esdræ liber, quem ipsemet edidisse non ignoratur.

Libri Machabæorum, quorum priorem Simon Pontifex, ultimam partem ejus Joannes ejus F. scripsisse traditur, posteriorem Philo Judæus à Græcis eruditus edidisse cognoscitur.

Ezech. Dan. & XII. *Minores Proph. qui à Senioribus Synagogæ scripti dicuntur, sed melius ab ipsis editi creduntur.*

Isaias, quem ipse scripsisse non dubitatur.

Ep. Pauli. has ipse omnes scripsit, sed Lucas Evang. ad Hebræos Hebraice compositas (*l. compositam*) *in Gr. transtulit.*

Col. 81.

RADULPHUS FLAVIAC. an. 1157. in Lev. XIV. 1.

Libri Historici
Gen &c.
Jos. N. Jud. Ruth. Reg.
Paralip.
Ezras. Esther.
IV. *Evang.*
Act. Ap.

Ad divinam hist. pertinent.

Nam Thobias, Judith, & Machabæorum, quamvis ad instructionem Ecclesiæ legantur, perfectam tamen non habent auctoritatem.

Prophetici
Psal.
Isai.
Jer.
Jezeck.
Dan.
XII. *Proph.*

Proverbiales
Prov. Salom.
Cant C.
Sap.
Ecclesiasticus
Job.

Simpliciter docentes: Ecclesiastes, parte majori. Ep. Pauli & cæteræ 7. Canonicæ.

Col. 82.

JO. BELETH an. 1162. de Eccl. Offic. cap. 60.

Sunt autem 22. *vol. V. T. &* 8 *Novi, sc.* IV. *Evang.* 14. *Ep. Pauli, Apocalypsis, Ep Canonicæ. Actus Ap. Qui sunt* 8. *volumina.*

Volumina V. T. sunt, 5. libri Moysis, qui proprie dicuntur Thorath apud Judæos, i. e. Lex seu libri Legis, & super eos jurant, sicut nos super Evangelia tanquam sanctiora in N. T. Sunt etiam ibi 8 Prophetæ, quos enumerant. Jos. Judicum, cujus extrema pericope est liber Ruth (sic Codd. MSS. Bodl.)

Samuel. Malachim, quæ 2. volumina unum reputamus sc. librum Reg. Quatuor tamen distinctiones hujus seu partitiones. Præterea sequuntur alii 4. Isai. Jer. Ezech. & liber XII. *Proph. sub* 1. *vol. præ nimia brevitate. 9. alios qui sequuntur Agiographa reputant, tamen authentica, sc. librum Psal. lib. Job. 3. libros Salom. Parabolas Salom. sive Prov. Eccl. Cant. C. librum Paralip. lib. Daniel. Judith* (hoc vitium esse scriptoris monet *Cosinus*; at in *Judith* conveniunt omnes quos vidi Codd. MSS. viz. 2. *Lambeth*: & totidem Bodl.) *Hester.*

Et 4. Apocrypha sc. liber Thobiæ; liber Machabæorum; liber Philonis sc. Diligite justitiam: & liber Jesu F. Sirach sc. Omnis Sap. à Domino Deo est: qui & Ecclesiasticus dicitur. Hos 4. non recipit Ecclesia, tamen authenticos etsi eorum auctores nesciat, quia sententiam librorum Salomonis tenent.

Alios duos credimus Esdram composuisse. Qui totam Bibliothecam Vet. Test. reparavit à Babyloniis combustam (Cod. Bodl. NE. A. 4.5. *ab Hæreticis combustam*)

Col. 83.

PETRUS DE RICA (an 1170.) in *Aurora*, quæ Paraphrasis est V. & N. T. metrice conscripta, (MS. Bodl. super D. 1. Art. 103.)

Gen. &c. Jos. Jud. Ruth. Regum 3 libri. Cantica. C. Regum liber 4tus. Job. Tob. Dan. Judith. Hester. Machab. Prope finem hos habet versiculos.

Clauditur iste liber in XL. *libellis.*
Dat triginta duos Lex Vetus atque Nova. &c.
Ore filioque Dei digestus & editus orbi.
Canon Scripturæ scitur hic esse sacræ.
Qui tamen excipit hos, Baruch & etiam Machabæos,
Pseudographumque librum, cum Judith atque Thobi:
Sed licet excepti, tamen hos authenticat usus,
Ecclesiæ fides Regula scripta Patrum.

Subjicitur minio:

Qui libri distinguuntur ab Agiographis, eo quod Apocryphi reputantur.

Deinde subjicitur hic indiculus:

Moysi 5. libri 1. Jos. 1. Judicum & Ruth 1. Samuel & Regum 4. Paralip. 2. Job 1. David 1. Salomon 3. Isai. 1. Jer. 1. Baruch 1. Ezech. 1. Dan. 1 XII. *Proph. 1. Sap. 1. Ecclesiasticus 1. Tob. 1. Judith 1. Hester 1. Esdræ & Neem. 1. Machab. 2.*

IV. *Evang. Act. Ap. 1. Ep. St. Pauli 1. Ep. Canonicæ 1. Apocal. 1. Omnes hi simul collecti consistunt 40.*

Col. 84.

PETRUS COMESTOR an. 1170. Præf. in Jos. Hebræorum divisionem V. T. in *Legem, Proph.* & *Hagiogr.* commemorat. Ubi scholion hoc adjicitur: *Job, David, 3. libri Salomonis, Dan. Paralip. Esdras, Hester, Sap. Ecclesiasticus, Judith, Tobias, Pastor, Machabæorum, Apocrypha sunt, quod auctor ignoratur eorum, sed quod de veritate non dubitatur, ab Ecclesia recipiuntur. Si autem nec auctor nec veritas sciretur, non reciperentur, ut liber de Infantia Salvatoris, & de Assumpt. B. Mariæ Virg.* Ubi 9. libri priores commemorantur tanquam 9. Hagiographa, de quibus in contextu. Quæ sequuntur, diversam Paragraphen constituere debuerunt.

Idem Præf. Tobiæ: *Hanc hist. Judæi inter Apocrypha ponunt, Hieronymus tamen in Prol. suo dicit,* inter Agiographa. *Quod si esset, tum esset in tertio ordine Canonis V. T. sed quia de nullo ordine est, dicemus quod Hieronymus diffusius accepit Agiographa, ut includeret etiam Apocrypha.* Scholion ibi: *Recole supra in principio Josue dictum quod Apocryphum dicitur, vel cujus auctor incertus, vel cujus materia incerta. De materia autem hujus patet & constat Agiographum sacra scriptura interpretatur, & sic qualibet scriptura sacra dici potest.*

Prol. Judith: *Hic liber apud Hebræos computatur inter Apocrypha, quod dicit Hier. in Prol. qui sic incipit: 22. literas &c. Si igitur in Prol. super Judith alicubi legitur inter Apocrypha, vitium est scriptoris: quod in ipso textu deprehendi potest.*

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Præf. Dan. *Fabulam Belis* ipse appellat. Ubi Scholion: *Scriptum de Bele Hebræi fabulam dicunt, non quin de veritate constet; sed ipsi Danielem hæc scripsisse negant.* In cap. 13. *Sequitur historia Susannæ quam Hebræus non habet in libro*
4 *Daniel. sed vocat eam Fabulam, non quod inficietur rem gestam, sed quod in ea falsum legitur de Sacerdotibus lapidatis, quos Hieronymus adultos testatur. Et quia nos fabulamur eam scriptam à Daniele, cum à quodam Græco scripta fuerit: quod probatur ex eo quod quædam allusio verborum facta sit. &c.* —— *Hanc eandem historiam vocat Origenes Fabulam in decimo Stromatum i. e. Instructionum: forte secundam editionem quam sub Obelo & Asterisco composuit Stromata vocavit, quia per eam plenius nos instruxit.*

Col. 85.

Jo. Sarisburiensis (an. 1172.) Ep. 172.
Quæsitum est quem credam numerum esse librorum V. & N.T. — Quia ergo de numero librorum diversas & multiplices Patrum lego sententias, Catholicæ Ecclesiæ Doctorem Jeronimum sequens, quem in construendo literæ fundamento probatissimum habeo, sicut constat esse 22. lit. Hebræorum, sic 22. libros V.T. in 3. distinctos ordinibus indubitanter credo.

1us Ordo, libri 5. Moysi.

2 Ordo, Prophetæ libris 8. Jos. Jud. cui compingitur & Ruth. Sam 2. Malachus (l. Malachim) *2. Isa. Jer. Ezech.* XII. *Proph.*

3 Ordo in Agiographis consistit, continens Job, Psalt. Eccl. Cant. C. Dan. Paralip. Esdram, Hester. Et sic colliguntur in summa 22. libri V. T. — Liber vero Sap. & Ecclesiasticus, Judith, Tobias, & Pastor, non reputantur in Canone, sed neque Machabæorum liber, qui in 2. vol. scinditur. —— *Il' autem qui Pastor inscribitur, an alicubi sit n sed certum est quod Jeremias & B.* (l. *Jeronym Beda*) *illud vidisse & legisse testantur. His adnumN.T. 8 volumina, scil. Evang.* IV. *Ep. Pauli 15. uno vol. comprehensæ, licet sit vulgata & fere omnium communis opinio, non esse nisi 14. decem ad Ecclesias, 4. ad personas: si tamen illa quæ ad Heb. est, connumeranda est in Epistolis Pauli, quod in Præf. ejus astruere videtur Doctorum Doctor Jeronymus, illorum dissolvens argutias, qui eam Pauli non esse contendebant. Cæterum, 15a est illa quæ Ecclesiæ Laodicensium scribitur, & licet, ut ait Jer. ab omnibus explodatur, tamen ab Apostolo scripta est: neque sententia hæc de aliorum præsumitur opinione, sed ipsius Apostoli testimonio roboratur. Meminit enim ipsius in Epist. ad Col.* —— *Sequuntur Ep. Canonicæ 7. in 1. vol. deinde Actus Apost. in alio, & tandem Apocalypsis. Et hunc quidem numerum esse librorum, qui in sacræ Scripturæ Canonem admittuntur, celebris apud Ecclesiam & indubitata traditio est.*

Col. 86.

Glossa Ordin. ante annum 1200. in Prol. Hieron. super Reg. *Agiographa i. e. sacra Scriptura i. e. de sanctorum Vita; ut Tobias & ob.* In Prol. Hier. super Tob. ubi perperam legitur. *Librum Tobiæ quem Hebræi de Catalogo divinarum Scrip. secantes, his quæ Agiographa memorant, manciparunt;* hæc adnotantur: *Potius & verius dixisses, inter Apocrypha. Vel large accepit Agiographa, quasi sanctorum scripta: & non de numero illorum 9. quæ proprie dicuntur Agiographa, qui sunt de Catalogo, h. e. de numero 22. librorum. Consistit enim in Pentateucho, & 8. Prophetis & 9. Agiographis.*

Ante libros *Tob. Jud.* & *Mac. Incipit liber Tobiæ, qui tamen non est in Canone.*
Inc. liber Judith, qui non est in Canone.
Inc. liber 1. Maccab. qui non est in Canone.
Inc. liber 2. Maccab. qui non est de Canone.
Sic habetur in vetustis ed. ut an. 1506. in recentioribus Pontificii hæc omiserunt.

Addit *Cosinus* eadem legi ante libros *Sap.* & *Ecclesiast.* quod tamen non invenio. Legitur etiam ante *Susannam*: *Inc. historia Belis & Draconis: quæ non est in Canone.* Editiones recent. subdole addunt, *Hebræorum.*

Col. 87.

Alexander Necham (an. 1215.) in libro versibus scripto cui tit. *Libri Bibliothecæ, seu Expositiones Bibliothecæ* MS. Bodl. super D. 1. Art. 75. & Digb. 56. hunc ord. servat:

Gen. &c.
Jos. Jud.
Ruth, Tobias,
Judith,
Hester,
Esdra,
Neem.
Regum 4.
Paralip. 2.
Esai.
Jer.
Baruch
Ezech.
Dan.
XII. *Proph.*
Job
Parab.
Eccl.
Cant. C.
Ecclesiasticus
Sap.
Maccab. 2.
Psalt.
Evang. IV.
Ep. Pauli
Act. Ap.
Ep. Canon.
Apocal.

Col. 88.

Idem in *Corrogationibus Promethei* MS. Bodl. NE. E. 4. 8. de dictionibus in singulis libris Bibliorum, quarum accentus aut significationes observari debent, agit eodem ord. nisi quod *Act. Ap.* collocat post *Ep. Canonicas*: *Sapientiam* simpliciter appellat *Librum Phiteris.*

Col. 89.

Correctorius secundum ord. Bibliæ MS. Bodl. Fairfax 27. Qui in Cod. Coll. *S. Benedicti* Cantabr. sed manu nuperâ adscribitur eidem *Nechamo*: hoc ord. procedit:

Gen. &c. Jos.
Jud. Ruth.
Regum 4
Paralip. 2.
Esdræ 2.
Tobias
Judith
Hester
Job
Prov.
Eccl.
Sap.
Ecclesiasticus
Isai.
Jer.
Baruch
Ezech.
Dan.
XII. *Proph.*
Machab. 2.
(Psalmi & libri aliqui N. T. ibi non habentur.)

Col. 90.

Hugo de S. Caro Card. qui nominatur *Hugo de Vienna*, in Vol. MSS. Col. *Exon.* & *Merton.* an. 1240. in Prol. Josuæ postquam monuisset Hebræos V. T. dividere in *Legem*, *Proph.* & *Hagiogr.* hos versiculos subjicit:

Nota versus de omnibus libris V. T.
Quinque libros Moysi: Josue, Judicum, Samuelem,
Et Malachim: tres præcipuos; bis sexque Prophetas
Hebræus reliquis censet præcellere libris.
Quinque vocat Legem: reliquos vult esse Prophetas.
Post Agiographa sunt, Daniel, David. Hester, &
Job, Paralipomenon, & tres libri Salomonis. [*Esdras,*
Lex Vetus his libris perfecto tota tenetur.
Restant Apocrypha, Jesue, Sapientia, Pastor,
Et Machabæorum libri, Judith, atque Tobias.
Hi quia sunt dubii, sub Canone non numerantur,
Sed quia vera canunt, Ecclesia suscipit illos.

Idem in Prol. Hieron. in Reg. *Dicitur dupliciter liber aliquis Apocryphus: vel quod auctor ignoratur, sed veritas patet; & tales recipit Ecclesia, non ad probationem fidei, sed ad morum instructionem. &c.* Procem. in Tob. *Quam hist. Judæi inter Apocrypha ponunt. Tamen Hieronymus in Prol. suo inter Agiographa ponit eam: quod si esset; tunc esset liber iste de tertio ord. Canonis V. T. Sed quia de nullo ord. est: ut diximus in Prol. super Jos. dicimus quod Hieronymus hic accipit diffusius Agiographa; ut scil. includat Apocrypha, quæ ab Ecclesia recipiuntur: quorum veritas manifesta est, sed auctor ignoratur; ut est Ecclesiasticus, Sap. Judith, Maccab. Tobias, Pastor.* In Prol. Hieron. ubi male legitur Hebræos Tobiam inter *Agiographa memorare*, profert verba Glossæ Ordin. Procem. in Jud. *Apocryphorum triplex est diversitas, scil. cujus auctor ignoratur, sed patet veritas, ut Judith, & tales recipit Ecclesia. Vel cujus veritas ignoratur: & tales non recipit Ecclesia. Vel utroque modo, & neque tales recipit Ecclesia. Hieronymus autem in Prol. librum ipsum numerat inter Agiographa: ut in eis comprehendat primam speciem Apocryphorum: sicut dictum est in Prol. super Tob. Sed forte scriptoris vitio factum est hoc: qui scripsit* Agiographa, *ubi deberet scribere* Apocrypha: *Ita dicit Magister in Historiis.* Vide eundem Præf. in *Ecclesiasticum*, & in *Baruch*, & in *Machab.*

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col. 91.

THOMAS AQUINAS an. 1260.

In Dionys. de div. Nom. c. 4. lect. 9. *Quamvis visum fuit quibusdam nostrorum sanctos sermones dicentium, divinius esse amoris nomen nomine dilectionis. Scribit autem & divinus Ignatius, Meus Amor crucifixus est. Et in introductionibus eloquiorum invenies quendam dicentem de divina Sapientia: Amator factus sum pulchritudinis ejus.* Ad hæc verba sic Aquinas: *Dicit ergo primo, quod quibusdam Doctorum, qui sanctos sermones tractaverunt, licet Canonicas Scripturas non conderent, visum est quod nomen Amoris convenientius esset rebus divinis, quam nomen dilectionis. Unde Ignatius Martyr scribit de Christo dicens, Meus Amor, i. e. Christus, in quo totus meus amor est, crucifixus est. Philo dicit in libro quem fecit introducentem ad sacra eloquia, de divina Sapientia: Amator factus sum pulchritudinis ejus. Sapientiæ 8. Cap. Ex quo patet, quod liber Sapientiæ nondum habeatur inter Canonicas Scripturas.*

Summæ parte 1. Q. 89 *Secundum hoc quod dicitur Eccles. 46. quod dormivit, & notum fecit regi finem vitæ suæ. Vel illa apparitio fuit procurata per dæmones: si tamen Ecclesiastici authoritas non recipiatur propter hoc quod inter Canonicas Scripturas apud Hebræos non habetur.*

Ad Dan. cap. 13. *Belis ac Draconis* FABULAM dicit.

Præf. Com. in Machab. *Notandum est etiam, quod isti 2. libri authoritatem non habent apud Judæos; quemadmodum illi, qui sunt de numero 24. & faciunt Canonem; secundum Hieronymum in Prol. Gal. sed habent apud Latinos authoritatem in Ecclesia, quæ ipsos in quodam Concilio approbavit, & legendos ordinavit.*

Sunt vero Commentaria ista in Mac. non *Th. Aquinatis*, sed THOMÆ GUALENSIS sive ANGLICI.

Col. 92.

JO JANUENSIS an. 1280. in *Catholico*: *Dicitur dupliciter liber Apocrifus, vel quia auctor ignoratur & veritas patet, & talem recipit Ecclesia non ad fidei probationem, sed ad errorum destructionem* (lege ut citantur ejus verba ab *Antonino* Sum part. 3. tit. 18. c. 6. § 3. *sed ad morum instructionem*, sic habet quoque *Hugo Card.* in Prol. in Reg. quem sequitur *Januensis*) *quales sunt liber Judith & alii quos numerat Hieron. In Prol. Regum. Sapientia* (inquit) *quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Jhesu F. Sirach liber, & Judith, & Pastor, non sunt in Canone. Vel dicitur Apocrifus, quia de ejus veritate dubitatur, & tales non recipit Ecclesia, ut est liber de Infant. Salvat. & de Assump. B Virg.*

Hunc librum male dicit cl. *Cosinus* nunc non exstare. Exstat enim plusquam semel impressus.

Col. 93.

ANDREAS HORNE Juris Consultus (an. 1320.) in Præf. *Summæ* Juris Forensis Anglicani, quam *Speculum Justiciariorum* inscripsit, Gallice scripta, V. T. libros 22. enumerat, ac dein subjicit: *Et præter istos alii sunt V. T. libri; quamvis auctoritate divina careant, neque in Canone recipiantur: h. e. Tobias, Judith, Machabæorum libri, Ecclesiasticus.*

Col. 94.

GUL. OCCHAM an. 1320. in Dial. part. 3. tract. 1. cap. 16.

Secundum Hieronymum etiam in Prol. & Gregorium in Moralibus, libri Judith, Tobiæ & Maccab Ecclesiasticus, & liber Sap. non sunt recipiendi ad confirmandum aliquid in fide. Dicit enim Hieron. sicut Gregorius, Judith, Tob. & Maccab. libros legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit. Sic & hæc duo vol. sc. Ecclesiastici & Sap. legit ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Sed expositiones Episcoporum & aliorum, qui fuerunt post scriptores Canonicarum Script. non sunt majoris auctoritatis quam libri prædicti. Igitur sensus quicunque, quem colligunt ex Script. divinis, nisi alibi habeatur ex Scrip. divinis, non est cum illa reverentia suscipiendus ut debeat allegari ad confirmandum aliquid in Catholica fide.

Col. 95.

GUL. BRITO (an. 1328.) in *Correctionibus Nominum* Heb. MS. *Lambeth*, hunc ordi. prosequitur.

Gen. &c. Jos. Jud. Ruth, Reg. 4. Paralip. Esdras, Neem. Tob. Judith, Hester, Job. Psalt. Prov. Ecc. Cant. C. Ecclesiasticus, Isai Jer. Baruch, Ezech. Dan. XII *Proph. Maccab. Evang. 4. Ep. Pauli, Act Ap. Ep. Canonicæ, Apocal.* Quos omnes pro *Canonicis* agnoscit in Præf. ubi dicit se *à correctione libri qui à quibusdam 2dus Esdræ, ab aliis 3us inscribitur, cum non sit in Canone, utpote Apocryphus, supersedisse.* Vide supra pag. 434. Ipsum opus tamen inscribitur; *De Nominibus Heb. V. T. & Græcis N. T. ac* LIBRORUM APOCRYPHORUM *V. T. qualiter debent scribi & pronunciari.*

Idem *Expos. Prologi Hieron.* in *Jos.* monet Hebræos distribuere V. T. in 3. ord. sc. *Legem, Proph.* & *Agiog.* (ut in Col. 2.) deinde addit: *Alii supersunt scil. liber Judith, Machab. Sap. Ecclesiasticus, 3us & 4us Esdræ, & liber Thobiæ, qui Apocryphi dicuntur. —— Quia vero de veritate istorum librorum non dubitatur, ab Ecclesia recipiuntur.* Quo modo recepti sint, docet his verbis in Prol. Galeatum: *Prologus iste omnibus quos Hieronymus de Heb. transtulit in Lat. superponi potest: & defendit S Scripturam contra illos qui inducunt Apocrypha pro Agiographis. Vide supra in Prol. supra Jos & invenies quid sit Apocryphum & quid Agiographum.*

Col. 96.

NIC. LYRANUS an 1330. Præf. in Tob.

Postquam, auxiliante Deo, scripsi super libros S. Scrip. Canonicos incipiendo à principio Gen. & procedendo usque ad finem Apocal. de eisdem confisus auxilio super alios intendo scribere, qui non sunt de Canone, sc. liber Sap. Ecclesiasticus, Judith, Tobias, & libri Machab. — Sciendum quod libri S. Scrip. qui Canonici nuncupantur, tantæ sunt auctoritatis, quod quicquid ibi continetur, verum tenetur firmiter & indiscusse &c. — Libri qui non sunt de Canone, recepti sunt ab Ecclesia, ut ad morum informationem in ea legantur: tamen eorum auctoritas, ad probandum ea quæ in contentionem veniunt minus idonea reputatur &c.

In cap. 1. Tobiæ. *In exponendo libros qui non sunt de Canone, intendo tenere temporis ordinem quo scripti sunt, vel quo in eis contenta contigerunt: exceptis libris Sap. & Ecclesiastici, qui morales sunt, & post historiales ponentur. ultimo vero 2us Esdræ, qui minoris auctoritatis merito reputatur.*

In c. 1. Sap *Post libros historiales non Canonicos, magis tamen reputatos; quod dico propter historiam Susannæ & Belis, & secundum Esdræ, quæ historiæ ultimo ponentur ratione dicta in principio Tobiæ; exponendi sunt duo non Canonici, qui sunt simpliciter Morales, sc. liber Sap. & liber Ecclesiasticus.*

In hist. Susannæ, Belis & Drac. *Hæc hist inter libros Bibliæ non Canonicos situari debet post librum Baruch.*

Ad Addit. Estheræ. *Cætera quæ sequuntur non intendo exponere. — tum quia non sunt in Heb. nec de Scrip. Canonica: sed magis videntur à Josepho & aliis scriptoribus conficta, & postea editioni vulg. inserta. &c.*

Baruch non esse Canonicum, Vide apud eundem in *Baruch* c. 1. De *Judith* Vide Com. in *Esai.* cap. 25. de *Machab.* Vide Com. in *Machab.* c. 1.

In eadem de his libris sententia fuisse PAULUM BURGENSEM, qui scripsit an. 1429, liquet, cum *Lyranum* in his locis nusquam reprehendit.

Col. 97.

THO. ANGLICUS an. 1330.

Præf. Com. in Maccab. eorum librorum auctoritatem Canonicam videtur asserere. (Vide Col. 91.)

Idem tamen in *Apoc.* hæc habet: *Libri V. T. sunt XXIV. si Ruth non computetur cum libro Judicum, sed per se, nec Threni cum libro Jeremiæ. Si enim cum illis computentur, non sunt nisi 22. sicut dicit B. Hier. in Prol. super libros Regum.*

(a) *Blastares* observat Athanasium Lamentationes, Baruch, & Epistolam addere Jeremiæ. Apud *Zephyri* Catenam in Pent. ipso initio, *Athanasio* hæc perperam tribuuntur: *Omnis sacra Christianorum Scriptura à Deo inspirata est, ac suis quibusdam terminis circumscripta. Neque enim tenditur in infinitum, neque temere componitur in ordinem. Nam V. Test. apud Hebræos 22. libros continet ad numerum suarum literarum: quatuor siquidem libros Regum censent pro duobus. Et Paralipomenon duos prætereunt. Itemque totum Esdram in codicem unum conferunt. Duodecimque postremos Prophetas uno similiter Vol. complectuntur. Ester vero, Judith & Tobias, necnon & Sap. Solom. & Sap. Jesu F. Sirach in hunc censum non referuntur. Sunt etiam ex antiquis Hebræis, qui Ester admittunt, atque ut numerus idem servetur, cum Judicibus copularunt.* (b) *Blastares* quoque observat eum *Apocalypsin* aliis superaddere, & dicere hos reliquos esse extracanonicos

Scriptores Ecclesiæ Græcæ.

Col. 26.

MELITO Sard. an. Chr. 170. apud Euseb. Hist. IV. 26.
Ego cum in Orientem profectus essem, & ad locum ipsum pervenissem, in quo hæc & prædicata & gesta olim fuerunt, V. T. libros diligenter didici, eorumque indicem ad te misi. Moysis lib. 5.
Jesus Nave
Jud.
Ruth
Regn. IV.
Paralip. 2.
Psal. David.
Solomonis Prov. quæ & Sapientia.
Eccl.
Cant. C.
Job
Prophetarum
Esai.
Jer.
XII. *Proph. lib.* 1.
Dan.
Jezek.
Esdras.

Col. 27.

CAN. APOST. dict. 85.
Sint vobis omnibus libri venerabiles & sancti, V. Testam.
Moysis 5.
Jesu F. N. 1.
Jud. 1.
Ruth 1.
Regn. 4.
Paralipomenon libri dierum 2.
Esdræ 2.
Esther 1.
(a) *Maccab.* 3.
Job 1.
Psalmi 150.
Salom. 3. *viz. Prov.*
Eccl. Cant. C.
Prophetæ 16. (*Extra hos vobis insuper commemoratum sit, ut Juvenes discant Sapientiam eruditi Sirachi*)
N. T. Evang. 4. *Pauli Ep.* 14. *Petri Ep.* 2.
Joan. 3. *Jacobi* 1. *Judæ* 1.
Clementis Ep. 2.
Et Constitutiones vobis Episcopis per me Clementem in 8. libris nuncupatæ, quas non oportet coram omnibus divulgare, ob mystica quæ in eis sunt.
Et Actus nostri, Apostolorum. Confirmatur hic Canon una cum reliquis Apostolorum dictis, à Conc. *Trullano* Can. 2. sed ejiciuntur è Scripturæ Canone *Constitutiones Clementis*, utpote ab Hæreticis depravatæ.

Col 28.

CONSTITUTIONES APOST. dictæ l. 2. c. 57.
Lector legat libros Moysis & Jes. F. N. Jud. & Regn. & Paralip. & quæ de populi reditu conscripta sunt; item Jobi, & Salomonis libros & Prophet. 16.
Alius Davidi hymnos psallat, dein Acta nostra recitentur, & Ep. Pauli.
Postea Diaconus vel Presbyter legat Evang. quæ Ego Matthæus & Joannes vobis tradidimus, & quæ Lucas & Marcus reliquerunt.

Col. 29.

ORIGENES an. 230. ap. Euseb. Hist. VI. 25.
Sciendum est V. Test. libros esse 22. sicut ab Hebræis traditur: qui numerus etiam literarum apud eos habetur. Sunt autem 22. libri juxta Hebræos hi.
Genesis à nobis dicta, ab Heb. ex ipsius libri initio desumpta appellatione vocatur Bresith, i. e. In principio.
Exodus, Heb. Vallesmoth, i. e. Hæc sunt nomina.
Levit. Heb. Vaicra, i. e. Et vocavit.
Numeri, Hammesphecodim.
Deut. Elle Haddebarim i. e. Hæc sunt verba.
Jes. F. Nave: Josue ben Nun.
Jud. & Ruth libro 1. quem appellant Sophetim.
Regn. 1. 2. apud eos lib. 1. Samuel dictus, i. e. Vocatus à Deo.
Regn 3. 4. in libro 1. dicto Vammelech David. i. e. Et Rex David.
Paralip. 1. 2. libro 1. dicto Dibre Hajamim, h. e. Verba dierum.
Esdras 1. 2. libro 1. dicto Ezra h. e. Adjutor.
Liber Psal. Sepher Thillim.
Salomonis Prov. Misloth.
Eccl. Coeleth.
Cant. C. Sir Assirim
(b) *Esaias, Jesaia.*
Jer. cum Lament. & Epist. in lib. 1. dicto Jeremia.
Dan. Heb. Daniel.
Ezekiel, Jeezkel
Job, Heb. Job.
Esther, Heb. Esther.
Extra horum censum sunt Maccabaica, inscripta Sarbet Sarbaneel.
In T. N. Evang. IV.
1 *Matthæi scriptum Hebraice.*
2 *Marci, ex Petri narratione.*
3 *Lucæ in gratiam Gentilium scrip.*
4 *Joannis.*
Pauli Epistolæ.
Petri 1. ab omnibus recepta.
Petri 2. de qua ambigitur.
Joannis Evangelistæ Apocalypsis.
Epist. admodum brevis.
Epist. 2. & 3. de quibus non consentiunt omnes.
Epist. ad Heb. Pauli ipsius quoad sententias, sed ab aliquo Discipulo ejus composita; à nonnullis Clementi, ab aliis Lucæ tributa.
Act. Ap.
Idem Hom 7. in Jos.
Evang IV. *Ep. Petri duæ, Jacobus, Judas, Joannis Epistolæ, Apocal. Apostolorum Actus, Pauli Epist.* 14.

Col. 30.

EUSEBIUS Hist. III. 24. 25. circa an 330.
Libri N. T. communi omnium consensu recepti.
Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Pauli
Ep. Joan. 1.
Ep. Petri 1.
In dubium revocati, à multis tamen commemorati & agniti
Ep. quæ dicitur Jacobi
Judæ
Petri 2da.
Joan. 2. & 3a. sive illæ ab ipso revera Evangelista, sive ab altero ejusdem nominis compositæ.
Apoc Joannis.
Pro nothis etiam habendi sunt
Actus Pauli,
Pastor,
Apocal. Petri,
Barnabæ Epistola,
Διδαχαὶ Apostolorum. Evang. secundum Heb.
Evulgati ab Hæret.
Evang. Petri, Thomæ, Matthiæ, & aliorum.
Actus Andreæ, Joannis, aliorumque Apost.

Col. 31.

ATHANASIUS circa an. 330. Ep. Paschali.
Sunt V. T. juxta lit. Heb. libri 22.
Gen. &c.
Jos. F. N.
Jud.
Ruth
Regn. 1. 2. lib. 1.
Regn. 3. 4. lib. 1.
Paralip. 1. 2. lib. 1.
Psal.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Job
XII. *Proph. libro* 1.
Esai.
Jer. cum Bar. Lam. & (a) Epist.
Jezek. Dan. Quibus totum V. Test. concluditur.
In N. T. Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Cathol. 7.
Jacobi 1.
Petri 2.
Joannis 3.
Judæ 1.
Pauli Ep. 14.
(b) *Apoc. Joannis.*
Libri non Canonici, sed in Ecclesia lecti: Sap. Solomonis Sap. Sirach, Esther, Judith, Tobias, Διδαχὴ dicta Apostolorum, Pastor.
Libri Apocr. viz. ab Hæreticis confictis.

(b) Apud Eusebii Cod. hodiernos, & apud Niceph. V. 16. deest liber XII. Prophetarum: habetur vero in *Ruffini* Vers. Eusebii VI, 18. statim post Cant. Neque aliter constituitur numerus 22.

(a) Desunt *Maccab.* in Collect. *Joannis Antioch.* etsi in Lat. Versione nescio quo errore conspiciantur. Legitur ibi, Ἐσδρᾶ ἕν, Ψαλτήριον ἕν, Σαλομῶντος τρία, Παροιμ. Εκκλ. Ασμα Ασμ. Ἰὼβ ἕν, Προφητῶν ιϛ'. ἕν. &c. *Judith*, quem inferuit *Cotelerius* in sua Ed. fatetur ipse ab aliis Editionibus, & 7. Codd. MSS. Reg. Paris. abesse, & in uno tantum reperiri: *Zonaram* etiam expresse dicere *Judith* in hoc Catalogo non contineri.
Canon iste, cum aliis multis, longe recentior est reliquis quæ dicuntur *Apostolici*. Hinc in Cod. quo usus est *D. Exiguus* in Romana Collect. compilanda, non comparuit. Apud *Simonis Leg. Epit. Can.* dicitur volumen sacrum juxta hunc Can. ἡ [illegible].

Scriptores Ecclesiæ Græcæ.

Col. 32.

SYNOPSIS S. SCRIPT. Athanasio falso adscripta.
Gen. &c.
Jes. F. N.
Jud.
Ruth
Regn. 1. 2. libro 1.
Regn. 3. 4. libro 1.
Paralip. 1. 2. libro 1.
Esdras 1. 2. libro 1.
Psalt. Dav. Ps. 151.
Prov. } *Ecel.* } *Cant. C.* } *Salom.*
Job
XII. *Proph. libro 1.*
Esai. Jer.
Ezek. Dan.
Sunt itaque Canonici V. T. libri 22. literis Heb. numero pares.
Libri non Canonici, qui Catechumenis leguntur. Sap. Solom.
Sap. Jesu F. Sirach
Esther
Judith
Tobias
Quidam vero ex veteribus pro Canonicis reputari dixerunt librum Esther, & Hist. Ruth, quam cum Judicibus in 1. libro comprehendi: Esther vero ad aliud quoddam Vet. Canon. cum pertinere; atque ita numerum 22. Canonicorum lib. apud illos compleri volunt.
N. T. libri Canonici
Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Catholicæ 7.
(ord. ut supra)
in uno libro.
Pauli Ep. 14
in 1. libro.
Apocal. Joannis Evang. & Theologi.
Alii libri V. T. quibus contradicitur:
Maccab. 4.
Ptolemaica
Psalmi & Cantica Salomonis
Susanna.
Libri Apocr. V. T.
Enoch.
Patriarchæ
Oratio Joseph.
Testamentum Mosis
Assumptio Mosis
Abraham
Eldad & Medad.
Eliæ Prophetæ
Sophoniæ Prophetæ
Zachariæ Patris Joannis.
Baruch
Ambacum.
Ezekiel & Daniel falso inscripti.
N. T. libri quibus contradicitur. Periodi Petri, Joan. Thomæ, Evangelium Thomæ. Διδαχὴ Apostolorum, Clementina.

Col. 33.

CYRILLUS Hierosol. an. 350.
Catech. IV.
Libros V. T. 22. meditare, qui sunt Legis libri
Gen. &c.
Historici
Jes. F. N.
Jud. cum Ruth
Regn. 1. 2. lib. 1.
Regn. 2 3. lib. 1.
Paral. 1. 2. l. 1.
Esdræ 1. 2. l. 1.
Esther.
Libri versibus scripti.
Job
Psalm. liber
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Prophetici
Esai.
Jer. Bar. Lam. & Epist.
Jezek.
Dan.
N. T. Evang. 4.
Act. Ap.
Ep. Cathol. 7.
Jacobi
Petri
Joannis
Judæ
Ep. Pauli 14.
Reliqua omnia extranea secundoque loco habeantur.

Conc. LAOD. an. 367.
Can. ult. (a)
Hi sunt libri quos legi oportet, ex V. T.
Gen. &c.
Jes. N.
Jud.
(b) *Ruth*
Esther
Regn. 4.
Paralip. 2.
Esdræ 2.
Liber Psal. 150.
Prov. Solom.
Eccl.
Cant. C.
XII. *Prophetæ*
Isai.
Jer. & Baruch, Lam. & Epistolæ.
Jezek.
Dan.
N. T. hi.
Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Cathol. 7.
Jacobi 1.
Petri 2.
Joannis 3.
Judæ 1.
Ep. Pauli 14.

Col. 34.

(a) Habetur hic Canon tanquam Concilii Laod. cum in aliis Græcis Ed. tum in Cod. Can. Ecclesiæ Univ. ubi adjicitur tanquam pars 59ni. Ab omnibus Græcis Canonistis agnoscitur. In eum commentantur *Zonaras* & *Aristinus*; & citatur ab *Arsenio Mon* in *Synops. Canonum*, & à *Matthæo Blastare*, tanquam Canon 60us. A *Zonara* dicitur 59nus. In eum nulla extat *Balsamonis* adnotatio; nec ab illo quidem commemoratur Com. in Can. Apost. 70. ubi alii tamen citantur Indiculi. Ab eodem vero *Balsamone* agnoscitur Com. in Can. Carthag 27. ubi citatur ut 60us. Non celandum est, eum prorsus abesse, non modo à *D. Exigui* Corpore Romano, verum etiam à Codice Græco perantiquo *Baroc.* 26. In alio Cod. antiquo *Baroc.* 185. comparet quidem, sed nec ibi tanquam Concilii Laod. genuinus Canon, verum post spatium aliquod vacuum tanquam addititius subjicitur. In tertio quodam Cod. *Baroc.* num. 158. sed chartaceo illo & non antiquo, adjicitur tanquam Canon genuinus.

(b) In Cod. Can. Ecclesiæ Univ. & in Edit *Labbei* conjungitur *Ruth* cum *Judicibus*; & *Regnorum* libri quatuor non unum, sed duos libros conficiunt; adeo ut illic quoque sint 22. V. Testamenti libri. *Blastares* postquam Canonem Apost. 85. in quo comparent *Maccabaica*, protulisset, subnectit, Canonem 60m Concilii Laod. eandem enumerationem exhibere, absque ulla mutatione, nisi quod *Clementis Epistolæ* & *Constitutiones* omittantur. Atqui Canonis hujus Laod. Editio nulla *Maccabaica* agnoscit; & eodem modo, absque *Maccabaicis* recitatur Indiculus Laod. ab *Aristino*. Quare censendum est, vel *Blastarem* non satis accurate hos Canones duos contulisse; vel forte male apud illum nunc legi in Canone Apost. *Maccabaica*: ut absunt quidem ea à *Canone Apost.* apud *Joannem Antioch.*

Col. 35.

GREG. NAZ. an. 370.
Carm. 33.
Libri Hist.
Gen. &c.
Jes.
Jud.
Ruth
Regn.
Regn. 3. 4.
Paralip.
Esdras.
Libri Metrici 5.
Job
David
Eccl. } *Cant.* } *Prov.* } *Sol.*
XII. *Proph.*
Esai.
Jer.
Jezek.
Dan.
Tot sunt literæ Heb. (viz. 22.)
Evang. 4.
Matth. Hebræis,
Marci Italis,
Lucæ Græcis,
Joannis universis, scriptum.
Act. Ap.
Pauli Ep. 14.
Ep. Jacobi
Petri 2.
Joan. 3.
Judæ 1.
Πάσας ἔχεις, εἰ δέ τι τούτων ἐκτὸς, οὐκ ἐν γνησίαις.

Col. 36.

AMPHILOCHIUS an. 370. Iambii.
Gen. &c.
Jes.
Jud.
Ruth
Regn. 4.
Paralip. 2.
Esdræ 1a.
Esdræ 2a.
Lib. Metrici 5.
Job
Psal.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
XII. *Proph.*
Esai. Jer.
Jezech.
Dan.
His quidam addunt Esther.
N. T. Evang. 4.
Act. Ap.
Ep. Pauli 14.
Jacobi 1.
Petri 1.
Joannis 1.
nonnulli huic 3. & Petro 2. tribuunt.
Judæ 1.
Apoc. Joannis quidam approbant, plures vero nothum dicunt.
Atque hæc sacrarum literarum sit Canon certissimus.

Col. 37.

EPIPHANIUS an. 374. Hær. 8.
1 *Gen. &c.*
6 *Jes. F. N.*
7 *Jud.*
8 *Ruth*
9 *Job.*
10 *Psalt.*
11 *Prov. Solom.*
12 *Eccl.*
13 *Cant. C.*
14 *Regn. 1.*
15 *Regn. 2.*
16 *Regn. 3.*
17 *Regn. 4.*
18 *Paralip. 1.*
19 *Paralip. 2.*
20 XII. *Proph.*
21 *Isai.*
22 *Jer. cum Lament. & Epistolis tam ejus quam Baruchi.*
23 *Jezek.*
24 *Dan.*
25 *Esdræ 1.*
26 *Esdræ 2.*
27 *Esther*
Hi sunt 27. libri, qui Judæis sunt concessi divinitus: qui ad 22. pro literarum Heb. numero rediguntur, propterea quod 10. ex illis in 5. juga distribuuntur. Sunt & alii 2. libri, quos illi pro dubiis habent, viz. Sirachi & Solomonis Sapientia, præter alios quosdam ἐναποκρύφους.

Col. 38.

Idem Hær. 76. contra Aetium.
Si à Sp. Sancto genitus esses, facere te illud oportebat, ut sacris omnibus pervolutis à Genesi ad Estheris tempora, qui sunt 27. libri V. T. & 22. numerantur: tum 4 Evangeliis Et Pauli 14. Ep. & Apostolorum Actis, Catholicis item Ep. Jacobi, Petri, Jo. & Judæ, Apocalypsi Joannis, Sapientiæ quoque libris, h. e. Solomonis & Filii Sirach, omnibus denique Scripturæ libris percursis, temetipsum damnares.

Scriptores Ecclesiæ Græcæ.

Col. 39.

Idem de Pond. & Menſ.
Habent Hebræi 22. literas è quibus 5. duplicantur, Caph, Mem, Nun, Phi, Aleph. Ideo libri 27. cum ſint, numerantur tamen 27 quia ex illis 5. geminantur. Scripturæ libri in 4. Pentateuchis comprehenſi ſunt.
Pentas qui & Νομοθεσία.
Gen. &c.
Libri 5. metrici
Job
Pſalt.
Prov. Solom.
Eccl.
Cant. C.
Pent. tertius librorum qui dicuntur γραφεῖα, aliis Hagiographa.
Jeſ. F. N.
Jud. cum Ruth
Paralip. 2.
Regn. 1. & 2.
Regn. 3 & 4.
Pent. Propheticus.
τὸ δωδεκαπρόφητον.
Eſai. Jer.
Jezek. Dan.
Reliqui ſunt libri 2. h. e. Eſdræ unus, & alius Eſther. Ita 22. libri pro lit. Heb. numero cenſentur. Quod enim ad 2. illos attinet, qui verſibus diſtincti ſunt, ſciz. Sap. quæ Panaretus inſcribitur, & Jeſu F. Sirach librum; tametſi utiles ac fructuoſi illi ſint, in Script. numerum nequaquam referri ſolent. Unde nec in Teſtamenti arca collocati ſunt.

Col. 40.

LEONTIUS an. 590.
De Sectis act. 2.
Libros ab Eccleſia receptos recenſeamus.
Libri Hiſt. 12.
1 *Gen. &c.*
6 *Jeſ. F. N.*
7 *Jud.*
8 *Ruth*
9 *Regn. 1. 2.*
10 *Regn. 3. 4.*
11 *Paralip.*
12 *Eſdras*
Prophetici 5.
1 *Eſai.*
2 *Jer.*
3 *Jezech.*
4 *Dan.*
5 *τὸ δωδεκαπρόφητον.*
Parenetici 4.
1 *Job*
2 *Prov.* } *Solom.*
3 *Eccl.* } *Solom.*
4 *Cant. C* } *Solom.*
Pſalt.
Habes Scripturæ Vet. libros 22.
N. T. libri 6.
1 *Mat. Marc.*
2 *Luc. Joan.*
3 *Act. Ap.*
4 *Ep. Cathol. 7. ſc. Jacobi 1. Petri 2. Joan. 3. Judæ 1.*
5 *Ep. Pauli 14.*
6 *Apoc. Joan.*
Hi ſunt libri tam priſci quam recentes, qui in Eccleſia pro Canon. habentur.

Col. 41.

JO. DAMASCENUS an. 730.
Orthod. Fid. IV. 18.
Scire oportet quod 22. ſunt libri V. T. ſecundum Elem. Heb. &c.
Pentateuchus 1. Gen. &c.
Pent. 2. libri dicti γραφεῖα & Hagiographa:
Jeſ. F. N.
Jud. cum Ruth.
Regn. 1. 2. liber 1.
Regn 3. 4. liber 1.
Paralip 1. 2. lib. 1.
Pent. 3. Libri Metrici.
Job
Pſalt.
Prov. } *Solom.*
Eccl. } *Solom.*
Cant. C. } *Solom.*
Pent. 4 Propheticus
τὸ δωδεκαπρόφητον lib. 1.
Eſai.
Jer.
Izek.
Dan.
Deinde Eſdræ 1. 2. libro 1. & Eſther.
Panaretus vero i. e. Sap. Solom. & Sap. Jeſu F. Sirach, pulchri quidem & honeſti libri, ſed non numerantur in Propheticis, neque ponebantur in arca. (Hucuſque Epiphanium ſequitur, etſi innominatum.)
In N. T. Evang. 4.
Act. Ap. Lucæ
Ep. Cathol. 7. Jac. 1. Pet. 2. Joan 3. Jud 1.
Ep. Pauli 14. Apoc. Joannis Evangeliſtæ Canones Apoſt. per Clementem.

Col. 42.

NICEPHORI Patr. Conſtant. an. 806. *Stichometria* cum numeris ſimul Græcis, & *Anaſtaſii Bibliothecarii* Latinis.
Hæ ſunt divinæ Scripturæ quæ recipiuntur ab Eccleſia & canonizantur.

			verſ.
1	*Gen.*	,δτ'	4400 (al. 4300)
2	*Ex.*	,βω'	2800 (al. 2700)
3	*Lev.*	,βψ'	2700
4	*Num.*	,γφ'	3500 (al. 2502)
5	*Deut.*	,γρ'	3100 (al. ,γι')
6	*Jeſus*	,βρ'	2100
7	*Jud. & Ruth*	,βυν'	2450
8	*Regn. 1 2.*	,βρμ'	2140 (al. ,μσμ')
9	*Regn. 3 4*	,βτλ'	2330 (al. ,βσθ')
10	*Paralip 1. 2.*	,εφ'	5500
11	*Eſdras 1 2.*	,εφ'	5500
12	*Pſal.*	,εφ'	5500 (al. ,ει')
13	*Prov. Solom.*	,αψη'	1708
14	*Eccl.*	ψν'	750 (al. ,ζφ')
15	*Cant. C.*	σπ'	280
16	*Job*	,αω'	1800
17	*Iſai.*	,δω'	4800 (al. ,γω')
18	*Jer.*	,δ'	4000
19	*Baruch*	ψ'	700
20	*Jezek.*	,δ'	4000
21	*Dan.*	,β'	2000
22	XII. *Proph.*	,γω'	3800

Simul V. T. ſunt libri 22.
Hi autem ſunt N. Teſtam.

1	*Mat. Evang.*	,βφ'	2500
2	*Marc.*	,β'	2000
3	*Luc.*	,βχ'	2600
4	*Joan.*	,βτ'	2800 (al. 2300)
5	*Act. Ap.*	,βω'	2800
6	*Pauli Ep. 14.*	,ετ'	5300
7	{ *Cath. Ep 7. Jacobi 1. Pet. 2. Joan. 3. Jud 1.* }	…	1300

Libri V. T. quibus contradicitur: (addit Anaſtaſius) *& non recipiuntur ab Eccleſia.*

1	*Maccab 3.*	,ζτ'	7300 (al. ,βτ')
2	*Sap. Solom.*	,αρ'	1100
3	*Sap. Jeſ. F. Sirach*	,βω'	2800
4	*Pſ. & Cant. Solomonis.*	,βρ'	2100 (al. 2102)
5	*Eſther*	τη'	308 (al ,γι')
6	*Judith*	,αψ'	1700
7	*Soſanna*	φ'	500
8	*Tobit & Tobias*	ω'	800 (al. 700)

Libri N. T. quibus contradicitur.

1	*Apocal. Joan.*	1500
1	*Apocal. Petri*	4800
3	*Barnabæ Ep.*	1306
4	*Evang ſecundum Hebræos.*	2200

(Hi in Græco deſiderantur.)

Et quæ ſunt Apocrypha Veteris.

1	*Enoch*	,δω'	1500
2	*Patriarchæ*	,δω'	4800
3	*Oratio Joſeph*	,ερ'	5100
4	*Aſſumptio Moyſis*	,δρ'	4100
5	*Teſtam. Moyſis*	,αρ'	1100
6	*Abraam*	,ατ'	300 (al. ,γτ')
7	*Elad & Medad*	σ'	200
8	*Elias Proph.*	τιϛ'	316
9	*Sophoniæ prophetia*	χ'	600
10	*Zachariæ Patris Joannis*	φ'	500
11	{ *Baruch Ambacum, Ezekiel. & Daniel ψευδεπίγραφα.* }	…	…

Et quæ Novi ſunt Apocrypha.

1	*Itiner. Pauli*		3600 (in Græco deeſt)
2	*Itiner. Petri*	,βψ'	2800 (al. ,βψι')
3	*Itiner. Joannis*	,βχ	2500 (al. ,χγ')
4	*Itiner Thomæ*	,αχ	1600
5	*Evang ſecundum Thomam*	,ατ'	1300
6	Διδαχὴ *Apoſt.*	σ'	200 (al. σ')
7	*Clementis 32.*	,βχ	2600
8	*Ignatii, Polycarpi, Paſtoris & Hermæ.*		

Col. 43.

NICEPHORUS CALLISTUS an. 1330.
in Iambis.
V. T. ſunt libri 22.
Gen. &c.
Jeſ.
Jud.
Ruth
Regn. 1. 2.
Regn. 3 4.
Paralip. 2.
Eſdras 2.
Hi libri Hiſt. gemini Scripturæ ſunt, quibus nonnulli adjciunt Eſther, Judith, & Tobet.
Libri Metrici,
Job
David
Eccl. } *Solom.*
Cant. } *Solom.*
Prov. } *Solom.*
Prophetarum libri 5.
XII. *Proph. libro 1.*
Eſai.
Jer.
Jezek.
Dan.
N. T. Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Pauli 14.
Ep. Cathol. 7.
Jac. 1.
Pet. 2.
Joan. 3.
Jud. 1.
Apocal. Theologi.
Ἐκτὸς δὲ τούτων τῆς γραφῆς ἄπαν νόθον.

Scriptores Ecclesiæ Græcæ.

Col. 44.

Indiculus MS. Cod. Baroc. 206. qui etiam à *Cotelerio* ex Cod. Reg. Parif. 1789. editus eft. *De LX. libris & quinam extra illos fint.*

1 *Gen.* 2 *Ex.*
3 *Lev.* 4 *Num.*
5 *Deut.* 6 *Jefus*
7 *Jud. & Ruth*
8 *Regn.* 1.
9 *Regn.* 2.
10 *Regn.* 3.
11 *Regn.* 4.
12 Παραλειπόμενα ι'. (fc. cum Reg. 4. numerata.)
13 *Job* 14 *Pfalt.*
15 *Prov.* 16 *Eccl.*
17 ᾆσμα ᾀσμάτων ι'. (fic Baroc. & alius Codex Parif. 1607. qui complectitur primam partem hujus Catalogi. Alter ifte Parif. 1789. habet ᾆσμα ᾀσμάτων ι'. Quintus autem inter Metricos dicitur.)
18 *Efdras* 19 *Ofee*
20 *Amos* 21 *Michæas*
22 *Joel* 23 *Jonas*
24 *Abdias* 25 *Naum*
26 *Ambacum*
27 *Soph.* 28 *Agg.*
29 *Zach.*
30 *Mal.*
31 *Efai.*
32 *Jer.*
33 *Jezek.*
34 *Dan.*

Evangelium
35 *Mat.*
36 *Marc.*
37 *Luc.*
38 *Joan.*
39 *Act. Ap.*
40 *Ep. Jacobi*
41 *Petri*
42 *Petri*
43 *Joannis*
44 *Joannis*
45 *Joannis*
46 *Judæ*
47 *Pauli ad Rom.*
48 *Cor.*
49 *Cor.*
50 *Gal.*
51 *Ephef.*
52 *Philip.*
53 *Col.*
54 *Theff.*
55 *Theff.*
56 *Tim.*
57 *Tim.*
58 *Tit.*
59 *Philem.*
60 *Heb.* (a)

Et qui extra LX. funt.
1 *Sap. Solom.*
2 *Sap. Sirach*
3 *Maccab.*
4 *Maccab.*
5 *Maccab.*
6 *Maccab.*
7 *Efther*
8 *Judith*
9 *Tobit.*

Et qui Apocryphi
1 *Adam.*
2 *Henoch*
3 *Lamech*
4 *Patriarchæ*
5 *Jofephi Oratio*
6 *Eldam & Modam* (Parif. *Eldad & Medad.*)
7 *Teft. Mofis* (defectus hic octavi in membranis cum Baroc. tum Parif. legendum haud dubio *Affumptio Mofis*, uti conjicit *Cotelerius.*)
9 *Pfalmi Solom.*
10 *Eliæ Apocal.*
11 *Efaiæ Vifio.*
12 *Sophoniæ Apocal.*
13 *Zachariæ Apocal.*
14 *Efdræ Apocal.*
15 *Jacobi Hiftoria*
16 *Petri Apocal.*
17 Περίοδοι καὶ Διδαχαὶ *Apoftolorum.*
18 *Barnabæ Ep.*
19 *Pauli* πράξεις (fic Baroc. & Parif. legendum videtur πράξεις.)
20 *Pauli Apocal.*
21 Διδασκαλία *Clementis.*
22 Διδασκ. *Ignatii*
23 Διδασκ. *Polycarpi*
10 Cod. Baroc. hic deeft, librarii culpa. nam 22m fequitur 24us.
24 *Evang. Barnabæ*
25 *Evang.* κατὰ Ματθ. (i. e. *Matthiam*, ut-le apud *Cotelerium* Ματθαῖον.)

Col. 45.

MS. Baroc. 131. recens Indiculus V. T.
Gen. &c.
Jef.
Jud.
Ruth
Regn. 4.
Paralip. 2.
Efdræ 2.
Pfalt.
Job.
Sap. Solom.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Sap. Jefu F. Sirach
Prophetæ
Ofee &c.
Efai.
Jer.
Jezek.
Dan.
Efther
Tobit
Judith.

N. T. Græcum manu Vet. Laud. C. 63.
Act. Ap.
Ep. Pauli
Ep. Catholicæ
Synaxarion
Evang. 4. (Quæ loco poftremo collocantur compactoris haud dubio culpa.)

Col. 46.

Stichometria Codicis Græci Prophetarum *Rupefucaldiani*, fcripta ante annos mille literis majufculis, *Latinis* quidem, fed ad Biblia Græca fpectans:

	verf.
Gen.	4500
Ex.	3700
Lev.	2800
Num.	3650
Deut.	3300
Jef. N.	2000
Jud.	2000
Ruth	250
Regn. 1.	2500
2.	2000
3.	2600
4.	2400
Pfalmi	5000
Prov.	1600
Eccl.	600
Cantica C.	300
Sapientia	1000
Sap. Jefu	2500
XII. *Prophetæ* (numerus generalis cum partic. non concordat.)	3110
Ofeæ	530
Amos	410
Mich.	310
Joel	90
Abdias	70
Jonas	150
Naum	140
Abacum	160
Soph.	160
Agg.	110
Zach.	660
Mal.	200
Efai.	3600
Jer.	4700
Ezech.	3600
Dan.	1600
Maccabæorum fic.	
Liber 1.	2300
Liber 2.	2300
Liber quartus	1000
Judith	1300
Efdras	1500
Efther	1000
Job	1600
Tobias	1000
Evangelia 4.	
Matthæus	2600
Joannes	2000
Marcus	1600
Lucas	2900
Epiftulæ Pauli ad	
Rom.	1040
Cor. 1.	1060
2.	..70
Gal.	350
Eph.	375
Tim. 1.	208
2.	288
Tit.	140
Col.	251
Philem.	50
ad Petrum 1.	200
ad Petrum 2.	140
Jacobi Ep.	210
Joannis 1.	220
2.	20
3.	20
Judæ	70
Barnabæ Ep.	950
Joannis Rev.	1200
Actus Ap.	2600
Paftoris (lib.)	4000
Actus Pauli	3509
Revel. Petri	270

Ex fcribentis incuria omiffæ funt Epiftolæ 2. ad *Thef.* & Epift. ad *Heb.* & *Philip.* cum libris *Paralipom.*

Editus eft ifte Indiculus à *Cotelerio*, & ante illum, quod tamen nefciebat ille, à *Morino*. Editio *Cotelerii* habet *Jer.* 4070. *Tim.* 2. 289. *Judæ* 60. *Barn. Epift.* 850. *Act. Pauli* 4560. *Revelatio Petri* 2070.

(a) 60 *auctoritatis, fupra cæteros, eximiæ libros V. & N. T.* agnofcit quoque ANTIOCHUS (an 614.) Prol. Homil. Ita PHILIPPUS SOLITARIUS Dioptræ IV. 19. *Libros omnes, numero 60. compofuerunt, 46. T. V.* (hoc errore librarii) 27. *T. N.*

Col. 47.

Indiculus Cod. *Alex.* literis uncialibus ante annos 1000. præfixus, illorum Voluminum contenta exhibens.

Γενεσις Κοσμȣ
Εξοδος Αιγυπτȣ
Λευιτικον
Αριθμοι
Δευτερονομιον
Ιησȣς Ναυῆ
Κριται
Ρȣθ
Ομȣ βιβλια η'
Βασιλειων α'
Βασιλειων β'
Βασιλειων γ'
Βασιλειων δ'
Παραλειπομενων α'
Παραλειπομενων β'
Ομȣ βιβλια ς'
Προφηται ις'
Ωσηε α'
Αμος β'
Μιχαιας γ'
Ιωηλ δ'
Αβδιȣ ε'
Ιωνας ς'
Ναυμ ζ'
Αμβακȣμ η'
Σοφονιας θ'
Αγγαιος ι'
Ζαχαριας ια'
Μαλαχιας ιβ'
Ησαιας ιγ'
Ιερεμιας ιδ'
Ιεζεκιηλ ιε'
Δανιηλ ις'
Εσθηρ
Τωβιτ
Ιȣδιθ
Εσδρας α' ιερευς
Εσδρας β' ιερευς
Μακκαβαικων λογος α'
Μακκαβαικων λογος β'
Μακκαβαικων λογος γ'
Μακκαβαικων λογος δ'
Ψαλτηριον συν ωδαις
Ιωβ
Παροιμιαι
Εκκλησιαστης
Ασμα ασματων
Σοφια η πανaρετος
Σοφια Ιησȣ υιȣ Σειραχ
η Καινη Διαθηκη.
Ευαγγελια δ'
Κατα Ματθαιον
Κατα Μαρκον
Κατα Λȣκαν
Κατα Ιωαννην
Πραξεις Αποστολων
Καθολικαι ζ'
Επιστολαι Παυλȣ ιδ'
Αποκαλυψις Ιωαννȣ
Κλημεντος ε...λη α'
...ντος ε...λη β'
Ομȣ βιβλια ...
Ψαλμοι Σολομωντος ιη'.

Librorum hunc fyllabum exhibemus eifdem quibus in ipfo Cod. MS. confpicitur literis, uncialibus tantum in communes noftros commutatis. Et fequimur in hoc Virum fumme venerabilem *Gul. Beveregium*, quem nuper ad Sedem Afaphenfem evexit eximia pietas cum literis reconditis conjuncta; in *Vindiciis Canonum Ecclefiæ primit.*

Biblia Græca aliaque Orientalia.

Col. 48.	Col. 49.	Col. 50.	Col. 51.	Col. 52.	Col. 53.			Col. 54.
Cod. Vat. sive Ed. V.T. Græci Rom. Gen. &c. Jos. N. Jud. Ruth. Regn. 4. Paralip. 2. Esdræ 2. Neem. Tobis Judith Esther Job Psal. Prov. Eccl. Cant. C. Solom. Sap. Sap. Sirach. XII. Proph. Esai. Jer. Baruch Threni Ep. Jeremiæ Jezek. Dan. Maccab. 3. ——— N.T. Græcum MS. Coll. Magd. Evang. 4. Act. Apost. Ep. Cathol. Ep. Pauli. Deest Apocal. neque mutilus tamen est Codex. Eadem manu sequitur Psalterium.	Editio Aldina. Gen. &c. Jos. N. Jud. Ruth Regn. 4. Paralip. 2. Esdræ 1. (liber Apocryphus) Esdræ 2. (cum Neemia) Esther Tobit Judith Job Psalt. Prov. Eccl. Cant. C. Sap. Solom. Sap. Sirach Esai. Jer. Baruch Threni Ep. Jeremiæ Dan. XII. Proph. Maccab. 3. Evang. 4. Act. Ap. Ep. Pauli Cathol. Apocal. ——— Idem ordo servatur in Erasmi N. Test. Græco.	Codex N.T. MS. olim Heidelberg. nunc Vat. Evang. Mat. Marci Joannis Lucæ Act. Ap. Ep. Cathol. Paulinæ Apoc. Joan. Theologi. ——— In Cod. quoque MS. Coll. Novi Epistolas Paulinas præcedunt Catholicæ. ——— Cod. N.T. Græci manu vet. Bodl. Hunt. 131. ἀκέφαλος & μείουρος. Act. Ap. Ep. Cathol. Apocal. Ep. Pauli Singulis libris subjicitur versuum numerus.	V.T. Syriacum MS. Pocock. Gen. &c. Job postea Jos. Jud. Samuel Reges Chron. Prov. Salom. Coheleth (Eccl.) Sap. Salomonis De Fœminis laudabilibus, viz. Ruth Susanna Esther Judith Ezra Jesus bar Simeon dictus Bar Asira Maccabæi 3. Josephus, sc. Sermo de Eliezer & Shemana & Filiis ejus (Shemanæ.) Esdras Tobit Esai. Tereasar (i.e. XII. Proph.) Jer. cum Threnis Baruch Ezek. Dan. (cum fabula Belis, & Draconis.)	V.T. Syr. MS. aliud Arch. C. Bodl. 4. Gen. &c. Job Jos. Jud Samuel Reges Chron. Prov. Salom. Eccl. Cant. Sap. Salom. Ruth Susanna Esai. XII. Proph. Jer. cum Threnis & Baruch Ezek. Dan &c. Esther Judith Ezra Nehem. Sirach Maccabæi 3. Josephus Ezræ tertius Tobias. ——— N.T. Syriacum à Gwidelio Ed. 1555. Evang. 4. Ep. Pauli 14. Act. Ap. Epistolæ Jacobi, Petri & Joannis Desunt Ep. Judæ & Apoc. quæ postea tamen Syriace Editæ sunt.	Biblia Æthiopica. Tomus 1. Lex dictus, qui Octateuchus est, sc. 1 Creatio, alias Primus liber Legis vel Generationis. 2 Exitus 3 Levitarum 4 Numeri 5 Tabernaculi 6 Josue 7 Ducum 8 Ruth Tomus 2. Regum dictus, continet lib. 12. 1, 2 Samuelis 2. 3, 4 Hebræorum 2. Hos 4. tamen communius more Græcorum 1, 2, 3, & 4 Regum vocant. 5, 6 Minorum seu Inferiorum 2. Sic accepisse videntur Græcum Paralipomena. 7 Ezræ 2. 8 Tobiæ 9 Judith 10 Esther 11 Jobi 12 Psalmorum. Tomus 3. Salomon dictus, 5. libros continet.	1 Prov. 2 Concio, sive Circulus (ut vox Æthiopica proprie significat) seu Cœtus hominum in modum circuli congregatus. 3 Canticum C. 4 Sapientia 5 Siracides. Tomus 4. Prophetæ dictus continet libros 18. 1 Esaias 2, 3, Jeremiæ prophetia & Threni ejus. 4 Baruch 5 Ezekiel 6 Daniel. Prophetæ Minores 7 Hoseas 8 Joel 9 Amos 10 Obadia 11 Jonas 12 Michæas 13 Nahum 14 Habacuc 15 Sophonias 16 Haggæus 17 Zachariæ 18 Malachias His addunt Coronidis loco Maccabæorum libros 2. N.T. etiam	in 4. partes dividitur. Prima dicitur Evangelium & continet 4. Evangelia. Secunda Acta (sc. Apost.) Tertia Paulus dicta continet Epistolas 14. ad Rom. Cor. 2 Gal. Eph. Phil. Col. Thess. 2. Tim. 2. Tit. Philem. Heb. Quarta Apostolus continet 7. Epistolas, Jacobi, Petri 2. Joan 3. Judæ. Pro additamento est illis Visio Johannis Abukalamsis. Quam vocem ex Græco Apocalypsis corruptam cognomentum ejus putavisse videntur. N. Testamento communiter annumerant quod Græco vocabulo Synodum, seu Librum Synodalem vocant, qui continet Constitutiones & Canones Apostolorum, à nostris vero haud parum discrepantes.	Biblia Moscovitica (è Græcis quoque derivata.) Gen. &c. Jos. Jud. Ruth. Regn. 4. Paralip. 2. Esdras Neem. Esdræ 2. Esdræ 3. Tob. Judith Esther Job. Psalt. Prov. Eccl. Cant. C. Sap. Solom. Liber Jesu Sirach Esai. Jer. Lam. cum Oratione Baruch cum Epistola Ezek. Dan. XII. Proph. Maccab. 3. Evang. 4. Act. Ap. Ep. Cathol. 7. Paulinæ 14. Apocal. ——— Bibl. Armenica, quæ typis excusa habentur, ex Lat. Vulg. traducta sunt.

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col. 55.

HILARIUS Pictav. an. 360. Præf. in Psal.
Ea causa est ut in 22. libros lex V. T. deputetur, ut cum literarum numero convenirent. Qui ita secundum traditiones veterum deputantur, ut Mosi sint libri 5.
6 *Jes. N.*
7 *Jud. & Ruth*
8 *Reg. 1. & 2.*
9 *Reg. 3. & 4.*
10 *Paralip. 2.*
11 *Sermones dierum* (hæc verba jure pertinent ad *Paralip.*) *Esdræ.*
12 *Psal.*
13 *Prov.* }
14 *Eccl.* } *Sal.*
15 *Cant. C.* }
16 XII. *Proph.*
17 *Esai.*
18 *Hier. cum Lament. & Ep.*
19 *Dan.*
20 *Ezech.*
21 *Job*
22 *Hester.*
Quibusdam autem visum est, additis Tobia & Judith 24. libros sec. numerum Gr. lit. connumerare.

Col. 56.

PHILASTRIUS an 370 de Hær. cap. 40 41.
Statutum est ab Apostolis & eorum successoribus, non aliud legi in Ecclesia debere Catholica nisi Legem, & Prophetas, & Evangelia, & Actus Ap. & Pauli 13. Epistolas, & 7. alias, Petri 2. Joannis 3. Judæ 1. Jacobi 1. quæ 7. Actibus Ap. conjunctæ sunt. Scripturæ autem absconditæ i. e. Apocrypha, etsi legi debent morum causâ à perfectis, non ab omnibus legi debent, qui non intelligentes multa addiderunt & tulerunt, quæ voluerunt Hæretici. Nam Manichæi, Apocrypha B. Andreæ Ap. i. e. Actus quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos conscripserunt tunc discipuli sequentes Apostolum. Unde & habent Manichæi & alii tales Andreæ beati, & Joannis Actus Evangelistæ beati, & Petri similiter Apostoli, & Pauli pariter Apostoli; in quibus quia signa fecerant magna, & prodigia, ut & pecudes, & canes, & bestiæ loquerentur, etiam & animas hominum tales, vel canum & pecudum similes imputaverunt esse hæretici perditi.
Sunt alii quoque qui Ep. Pauli ad Heb. non asserunt esse ipsius, sed dicunt aut Barnabæ esse Apostoli, aut Clementis de Urbe Roma Episcopi. Alii autem Lucæ Evang. aiunt Epist. etiam ad Laod. scriptam. Et quia addiderunt in ea quædam non bene sentientes, inde non legitur in Eccles. & si legitur à quibusdam, non tamen in Ecclesia legitur populo, nisi interdum. Et in ea quia rhetoricè scripsit, sermone plausibili, inde non putant esse ejusdem Apostoli. Et quia & factum Christum dicit in ea, inde non legitur &c.

Col. 57.

HIERONYMUS an 380. Ep. ad Paulinum.
Gen. &c.
Job
Jes. N. Jud.
Ruth. Sam.
Reg. 3. 4.
XII. *Proph. lib. 1.*
Esai.
Hier.
Ezech.
Dan.
David
Solomonis libri
Hester
Paralip. liber
Esdras & Neem. lib. 1.
N. T. Evang. 4.
Ep. Pauli ad 7. Ecclesias. Octava enim ad Heb. à plerisque extra numerum ponitur.
Ad Tim. Titum
Phil.
Act. Ap.
Ep. 7. Jacobi, Petri, Joan. Judæ,
Apoc. Joan.

Vide supra Col. 2. ex Prol. Galeato in Reg. Quæ vulgo vocantur *Apocrypha*, disertis verbis ibi rejicit. *

Col. 58.

Idem apud *Cassiodorum* Div. lit. c. 12.
Lex Gen. &c.
Prophetæ
Jes. N. Jud.
Ruth. Samuel
Esai. Jer.
Ezech. Dan.
XII. *Proph.*
Hagiographi
Job
David.
Salomon
Prov.
Ecclesiasticus (mendose, pro *Ecclesiastes.*)
Cant. C.
(a) *Verba dierum i. e. Paralip.*
Esdras, Ester.
Evangelistæ 4.
Ep. Apostolorum
Petri 2.
Pauli 14.
Joan. 3.
Jacobi 1.
Judæ 1.
Actus Ap.
Apoc. Joannis
(a) Scriptoris vitio desunt libri *Regum*. Et tamen numerantur libri 23. cum dicit *Cassiodorus*, numerari ab Hieronymo 22. Vide supra Col. 2.

Col. 59.

RUFFINUS an. 380. expos. Symboli.
Gen. &c. Jes. N. Jud. cum Ruth.
Reg. 4. Hebræis 2.
Paralipomenon qui dierum dicitur liber
Esdræ 2. (Heb. 1.)
Hester. Esai.
Hier. Ezech. Dan.
XII. *Proph. lib. 1.*
Job. Psalt.
Prov. Eccl.
Cant. C. Solomonis.
In his concluserunt numerum librorum V. T.
Novi vero, Evang. IV. Act. Ap.
Ep. Pauli 14.
Petri 2.
Jacobi 1.
Judæ 1.
Johan. 3.
Apocal. Johan.
Hæc sunt quæ Patres intra Canonem concluserunt, & ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod & alii libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à majoribus appellati sunt, i. e. Sap. quæ dicitur Solomonis, & alia Sap. quæ dicitur Fi-

* Post recensitos libros 22. juxta Hebræorum distributionem in *Legem*, *Proph.* & *Hagiogr.* hæc subdit. *Hic Prologus scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus quicquid extra hos est, inter Apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Jesu F. Sirach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone. Maccabæorum primum librum Hebraicum reperi: Secundus Græcus est; quod ex ipsa quoque Phrasi probari potest.* Præf. in Prov. *Sicut ergo Judith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eas inter Canonicas Scrip. non recipit: sic & hæc duo vol.* (Eccles. & Sap.) *legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* In Prologo Tobiæ, juxta Editiones hodiernas, mendo vetusto, videtur librum istum *Hagiographis* accensere: *Librum Tobiæ, quem Hebræi de catalogo divinarum Script. secantes, his quæ Hagiographa memorant, manciparunt.* Mendum idem reperitur in Prol. *Judith*: *Apud Hebræos liber Judith inter Hagiographa legitur: cujus authoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur*: In utroque loco pro, *Hagiographa*, legendum esse *Apocrypha*, res ipsa loquitur, & fatentur Auctor *Glossæ Ordin. Comestor*, *Hugo Card. Brito*, liber *Mamotrectus*, *Abulensis*, Auctor Præfationis Bibliorum una cum *Glossa* Ord. & *Lyrano* editorum, adstipulantibus etiam *Driedone*, *Catharino*, *Gars. Galarza*, *Simonio*, aliisque Communionis Rom. scriptoribus. In *Glossa Interlineari* in Prol. Tobiæ, super vocem, *Agiographa*, notatur; *alias Apocrypha.* Quam glossam mala fide omiserunt Pontificii in Editionibus recentioribus. In Biblio quodam MS. *Lambeth.* ad Prol. Judith, notatur in marg. manu supra annos 200. vetusta: *Apocrypha est verior lectio.* In alio *Bodleiano* (NE. A. 2. 1.) adnotatur ad Prol. Tobiæ manu antiqua: *immo verius inter Apocrypha.* Neque desunt hodie Exemplaria vetusta, in quibus reperitur, non *Hagiographa*, sed *Apocrypha*: nempe *Apocrypha* legitur in Prologo Judith in alio Biblio *Lambethano* optimæ notæ 2. vol. prægrand. Et in Biblio Bodl. NE. F. 3. 25. legitur *Apocrypha* in utroque Prologo. Inter antiquiores, quotquot lectionem *Hagiographa* veram esse crediderunt, ii statuunt vocem *Hagiographa* in illis locis largiori sensu sumendam esse, ita ut includat *Apocrypha.* Ita *Dionysius Carthusianus.* Et in tertio quodam Biblio MS. Biblioth. Bodl. (Laud. F. 107.) ad vocem *Agiographa* in Prol. *Tobiæ* notatur; *i. e. Apocrypha, sc. Agiographa dicuntur large.* Ibid. in Prol. *Judith*, supra vocem, *Agiographa*, apponitur hæc nota interlinearis, *large.* Futilissima sunt, quæ habet de horum locorum lectione *Is. Vossius* in scriptis contra *Simonium.*

Addit *Hieronymus* Prol. in Judith, quod *hunc librum Synodus Nicæna in numero S. Scripturarum legitur computasse.* Nullum unquam exstitisse Synodi Nicænæ decretum de Canone Scripturarum, sed deceptum fuisse *Hieronymum* nescio qua falsa relatione, contendit ipse *Dupin*, scriptor Pontificius. Sed exstitisse olim Indiculos librorum sacrorum, sub nomine Synodi *Nicænæ*, atque etiam *Chalcedonensis*, etsi spurios haud dubio & supposititios, colligo ex *Cassiodori* de Instit. Div. Lit. cap. 14. ubi postquam locutus fuisset de *Hieronymi* Bibliis & librorum divisione, hæc subdit: *Unde licet multi Patres, i. e. S. Hilarius & Ruffinus, & Epiphanius, & Synodus Nicæna, & Chalcedonensis non contraria dixerint, sed diversa: omnes tamen per divisiones suas libros divinos sacramentis competentibus aptaverunt.*

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

in Sirach. — Ejusdem vero ordinis libellus est Tobiæ & Judith & Maccabæorum libri. In N. vero T. libellus qui dicitur Pastoris sive Hermes; qui appellatur duæ viæ, vel judicium Petri. Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad Auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras vero Scripturas Apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt. Hæc nobis à Patribus tradita sunt, quæ opportunum visum est hoc in loco designare, ad instructionem eorum, qui prima sibi Ecclesiæ ac Fidei elementa suscipiunt, ut sciant ex quibus sibi Fontibus Verbi Dei hauriendâ sint pocula.

Col. 60.

AUGUSTINUS an. 420. De Doctr. Chr. II. 18.

In Canonicis Scrips. Ecclesiarum Cathol. quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Script. Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Cathol. præponat eis quas quædam non accipiunt: In eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresque accipiunt eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc facile invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto. Totus autem Canon Script. in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur:

5 Moyseos. Jes. N. Jud. Ruth, qui magis ad Regnorum principia videtur pertinere. Reg. 4. Paralip. 2. Job. Tobias. Hester. Judith. Maccab. 2. Esdræ 2. Prophetæ. In quibus David unus liber Psalmorum. Prov. Cant. C. Eccl. Salomonis. Nam illi 2. libri, unus qui Sap. & alius Ecclesiasticus inscribitur de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Jesus F. Sirach eos scripsisse constantissime perhibetur, Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui proprie Prophetæ appellati sunt. XII. *Proph. libri singuli: qui connexi sibimet quoniam nunquam sejuncti sunt, pro uno habentur.*

Deinde 4 Prophetæ sunt majorum vol. Esai. Hier. Dan. Ezech.

His 44. libris V. T. terminatur auctoritas. N. T. Evang. 4. Ep. Pauli 14. Petri 2. Joan. 3. Judæ 1. Jac. 1. Act. Ap. Apocal. Joan.

Col. 61.

Idem ibid. juxta *Cassiodorum* (qui ordinem ejus accurate non servat.)

Libri Hist. 22.
Moysi 5.
Jes. N. 1.
Jud. 1.
Ruth 1.
Regn. 4.
Paral. 2.
Tobiæ 1.
Esther 1.
Judith 1.
Esdræ 2.
Macceb. 2.
Prophetici 22.
David Psalt.
Salom. libri 4.
Jesu F. Sirach 1.
Proph. majores 4.
Isai.
Jer.
Ezech.
Dan.
Minores 12.
Ep. Apost. 21.
viz. Pauli (14)
Petri 2.
Joan 3.
Judæ 1.
Jac. 1.
Evangeliorum libri 4.
Act. Ap.
Apocal.

Col. 62.

INNOCENTIUS I. Papa an. 405 Ep. ad Exuperium (& apud *D. Exiguum*)

Qui libri recipiantur in Can. S. Scrip. brevis annexus ostendit.

Moysis libri 5.
Jes. N. Jud.
Regn. 4. *simul & Ruth*
Proph. libri 16.
Salomonis libri 5.
Psalt.
Item Historiarum
Job. Tob. Esther.
Judith. Maccab. 2.
Esdræ 2. *Paral* 2.
N. T. Evang. IV.
Ep. Pauli 14.
Joan. 3.
Petri 2.
Judæ 1.
Jac. 1.
Actus Ap.
Apoc. Joannis.

Cætera autem quæ vel sub nomine Matthiæ, sive Jacobi Minoris, vel sub nomine Petri & Joannis, quæ à quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ à Xenocharide & Leonida Philosophis; vel sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.

Col. 63.

Conc. CARTHAG. an. 419. Can. 27.

Placuit ut præter Canonicas Script. nihil in Ecclesia legatur. Sunt autem Canonicæ Script.

Gen. &c. Jes. N.
Jud. Ruth. Reg. 4.
Paralip. 2. *Job.*
Psalt.
Salomonis libri 5.
Prophetarum libri 12.
(apud Crescontum *Liber* 12. *Proph.*)
Esai. Jer. Jezech.
Dan. Tobias. Judith.
Hester. Esdræ 2. (apud *D. Exiguum* adjiciuntur *Maccabæorum libri* 2. ita etiam in Ed. Græca *Justelli*. A *Beveregiana* absunt. Nec recensentur in *Cresconii*, ipsius Africani Episcopi, Collectione. Testatur insuper *Justellus* abesse eos ab aliis Græcis Codd. cum editis, tum MSS.)
N. T. Evang. IV. *Act. Ap.*
Ep. Pauli 14. *Petri* 2.
Joan. 3. *Jac.* 1. *Jud.* 1.
Apocal. Joannis.

Hoc autem Fratri & nostro in sacris comministro Bonifacio, & aliis earundem reg. Episcopis, ad proposui Canonis confirmationem significemur. (Desunt hæc apud *Cresconium*)

Col. 64.

EUCHERIUS Lugd. an. 434. Quæst. V. & N. T. de illis hoc ord. agit.

Gen. &c.
Job
Reg.
Michæas
Esai.
Ezech.
Paralipomenon.
Psal.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Evang. IV.
Epist. Pauli ad Rom.
Cor. 2.
Eph.
Col.
Tim. 2.
Heb.
Act. Ap.
Ep. Jacobi
Joannis.
Apocal.
(De cæteris nihil habet)

Col. 65.

Synodus ROM. sub *Gelasio* I. an. 494.

Gen. &c. Jes. N. Jud.
Ruth. Reg. 4. *Paralip.* 2.
Psal. 150. *Salom. libri* 3.
sc. Prov. Eccl. Cant. C.
Sap. Ecclesiasticus.
Ordo Prophetarum,
Isai. Jer.
Cinoth. i. e. de Lament. suis
Ezech. Dan.
Oseæ l. 1. *Am. l.* 1.
Mich. l. 1. *Joel l.* 1.
Abd. l. 1. *Jonæ l.* 1.
Na. l. 1. *Hab. l.* 1.
Soph. l. 1. *Agg. l.* 1.
Zach. l. 1. *Mal. l.* 1.
Ordo Historiarum.
Job. Tobias. Esdræ l. 1.
Esther. Judith.
Maccab. l. 1. (in alio Cod. *libri* 2)
N. T. Evang. IV. *Act. Ap.*
Epist. Pauli 14.
Apocal. Joannis.
Ep. Canonicæ 7.
Jacobi, Petri 2. *Joan.* 3.
Judæ Zelotis Apost.

De hoc canone non immerito ambigitur, cum in ipsa *D. Exigui* Romana Collect. inter alia *Gelasii* decreta non reperitur. Nec habetur hæc pars Decreti *Gelasiani* apud *Gratianum* Dist. 15. ubi altera pars repetitur. Nec tribuitur ab *Ivone*, apud quem habetur, *Gelasio*. A *Burchardo* vero *Gelasio* tribuitur.

Col. 66.

CASSIODORUS Instit. Div. Lit. circa an. 556.

Codex 1. *Octateuchus:*
Gen. &c.
Jes. N.
Jud.
Ruth.
Codex 2. *Regum:*
Regn. 4.
Paralip. 2.
Codex 3. *Prophetarum.*
Isai. Jer.
Ezech.
Dan.
XII. *Proph.*
Codex 4. *Psalterium.*
Codex 5. *Salomonis:*
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Codex 6. *Agiographorum:*
Job
Tobias
Esther
Judith
Esdræ 2.
Maccab. 2.
Codex 7. *Evangelistarum.*
Codex. 8. *continet Canonicas Ep. Apostolorum.*
Codex 9. *Act. Ap. & Apocalypsin continet.*

Col. 67.

Codex Veteris Translationis Lat. *Itala* dictæ ap. *Cassiod.* ibid. c. 14.

Gen. &c.
Jes. N.
Jud.
Ruth
Regum 4.
Paralip. 2.
Psalt. lib. 1.
Salom. libri 5.
Prov.
Sap.
Ecclesiasticus
Ecclesiastes
Cant. C.
Prophetæ:
Isai. Jer.
Ezech. Dan.
Os. Amos &c.
Job.
Tobias
Esther
Judith
Esdræ 2.
Maccab. 2.
Evang. 4.
Act. Ap.
Epistolæ Petri ad gentes.
Judæ Ep.
Jacobi ad 12. *tribus.*
Joannis ad Parthos.
Ep. Pauli.
Apoc. Joannis

Col. 68.

JUNILIUS Episc. Afric. circa an. 560. De Part. Div. Legis lib. 1. cap. 3. &c.

Libri perfectæ auctoritatis

Gen. &c. Jos. N. 1. Jud. 1. Ruth 1. Regum 4.

Prophetæ: Psal. 150. Oseæ l. 1. Esai. l. 1. Johel. l. 1. Amos l. 1. Abd. l. 1. Jonæ l. 1. Mich. l. 1. Naum l. 1. Soph. l. 1. Abac. l. 1. Hier. l. 1. Ezech. l. 1. Dan. l. 1. Agg. l. 1. Zach. l. 1. Mal. l. 1. Salomonis Prov. Eccl. Jesus F. Sirach.

Libri mediæ auctoritatis: quos PLURES *ad Canonicos adjungunt:*

Paralip. 2. Job. Esdræ 2. Judith. Hester. Maccab. 2. Hi libri non inter Canonicas Script. currunt, quoniam apud Hebræos quoque super hac differentiâ recipiebantur, sicut Hieronymus cæterique testantur.

Libri nullius auctoritatis, quos QUIDAM *ad Canonicos adjungunt:*

Sapientia. Cantica C.

In N. T. Libri perfectæ auctor.

Evang. IV. *Act. Ap.*

Pauli Ep. 14. Petri ad Gentes 1. Joannis Ep. 1.

Libri mediæ auctoritatis,

Jacobi Ep. Petri 2da. Judæ. Joannis 2. & 3. } *à quamplurimis* cæteris *adjunctæ.*

Apocal. de qua apud Orientales admodum dubitatur.

V. & N. T. dividit idem in libros *Historicos, Prophet. Proverbiales,* (*sc. Prov. Ecclesiasticum, Cant. C.*) & *simplicis doctrinæ* (ut *Ecclesiasten,* & *Ep. Apostolorum.*)

Col. 69.

ISIDORUS Hisp. (an. 600.) Offic. I. 12.

V. T. Scriptores secundum Judæorum trad. habentur: Moyses scripsit Pent. Jesu N. *librum suum:* Judicum & Ruth & Samuelis 1m *Samuel:* Samuelis 2m *David:* Malachim *totum Hieremias:* Job *librum Hebræi putant scripsisse Moysen, alii unum ex Prophetis:* Psalterium *scrip. 10 Prophetæ i. e. Moyses, David, Salomon, Asaph, Eman Ethan, Idiium, & filii Chore, i. e. Aser, Elana, Eliasaph, Abiathar. Sunt & qui Esdram, & Aggæum, & Zachariam scripsisse dicunt.* Prov. Eccl. Cant. C. *scripsit Salomon.* Esaias *scr. librum suum:* Hieremias *suum, cum* Lament. Ezechielem, XII. Proph. Dan. Paralipomenon, Hester, *scr. viri Synagogæ sapientes.* Esdras *scr. librum suum. — Qui & totum V. T. reparatum & correctum in 22. libris constituit: ut tot libri essent in Lege, quot & literæ habentur. Librum* Sap. *Salomon scripsisse probatur. — Hoc opus Hebræi (ut quidam sapientium meminit) inter Canonicas Scrip. recipiebant, sed postquam Christum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam evidentissima in eo de Christo testimonia &c. —* Ecclesiasten *composuit Jesus F. Sirach — qui liber apud Latinos propter eloqui i similitudinem, Salomonis titulo prænotatur.* Judith, Thobiam, Maccabæorum *libros qui authores scr. minime constat. Inter 4. Evang.* Matthæus *Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri Græco.*

Paulus 9. *Epistolas 7. Ecclesiis destinavit, reliquas discipulis suis misit,* Tim. Tito, Philemoni. *Ad* Heb. *autem Epistola plerisque Latinis ejus fuisse, incerta est, propter dissonantiam sermonis, tandemque alii Barnabam conscripsisse, alii à Clemente scriptam fuisse suspicantur.* Petri 2da *à quibusdam ejus fuisse non creditur, propter styli sermonisque distantiam.* Jacobi *Epistola à nonnullis ejus esse negatur; sed sub nomine ejus ab alio dictata existimatur.* Joannis *tantum 1a à quibusdam ejus esse asseritur, reliquæ 2* Joannis *cujusdam Presbyteri existimantur.* Judas *suam edidit Ep.* Actus Ap. *Lucas:* Apoc. *Joannes Evang. Hi sunt scriptores S. Librorum div. inspiratione loquentes &c.*

Col. 70.

Eadem magna ex parte recitantur *Orig.* VI. 4. Gen. Jos. Jud. Ruth. Malachim. Paralip. Job. Psal. Prov. Coheleth seu Eccl. Sirhasirim 1. Cant. C. Esai. Hier. & Lament. Ezech. Dan. XII. Proph. liber. Esdræ liber *auctoris sui titulo prænotatur, in cujus textu ejusdem Esdræ Neemiæque sermones pariter continentur. Nec quenquam moveat, quod unus Esdræ dicitur liber: quia 2dus 3us & 4tus non habentur apud Hebræos, sed inter Apocryphos deputantur.* Hester. Liber Sap. *apud Heb. nusquam est, unde & ipso tit. Græcam eloquentiam redolet. Hunc Judæi Philonis esse affirmant, qui proinde Sapientiæ nominatur, quia in eo Christi adventus, qui est Sap. Patris, & Passio ejus evidenter exprimitur.* Ecclesiasticus *— apud Heb. reperitur, sed inter Apocryphos habetur.* Judith. Tobias. Maccabæorum libri.

Evang. IV. Pauli Ep. 13. (de Ep. ad Heb. eadem recitat quæ Col. præced.) Petri Ep. 2æ. Catholicæ. Jacobi, Joannis, Judæ Ep. Apoc. Joannis Evang.

Hi sunt scriptores S. librorum qui per Sp. S. loquentes ad eruditionem nostram & præcepta vivendi & credendi regulam conscripserunt. Præter hæc & alia vel. Apocrypha nuncupantur. Apocrypha autem dicta 1. secreta, quia in dubium veniunt. Est enim eorum occulta origo, nec patet Patribus ex quibus usque ad nos auctoritas veraciam Scripturarum certissima & notissima successione pervenit. In iis Apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est in eis Canonica auctoritas. quæ recto à prudentibus judicantur non esse eorum credenda quibus adscribuntur. Nam multa & sub nominibus Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab Hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine Apocryphorum auctoritate Canonica (intelligit Synodi Rom. sub *Gelasio* decretum) *diligenti examinatione remota sunt.*

Col. 71.

Ibid. cap. 1. transcribit quæ habet *Hieronymus* Prol. in Reg. de Hebræorum divisione Scripturarum in *Legem, Prophetas,* & *Hagiographa* (vide Col. 2.) quibus hæc subnectit.

Quartus est apud nos ordo V. T. eorum librorum qui in Canone Heb. non sunt. Quorum

1 *Sapientiæ liber est.*

2 *Ecclesiasticus*

3 *Thobias.*

4 *Judith.*

5 & 6 *Maccabæorum: quos licet Hebræi inter Apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter divinos libros & honorat & prædicat.*

In N. T 2. sunt ordines: Evangelicus, 4. Evang. Apostolicus, in quo sunt Paulus in 14. Epistolis Petrus in 2. Joannes in 3. Jacob. & Jud. in singulis. Act. Ap. Apoc. Joannis.

In libro *Proæmiorum* de singulis libris agit hoc ord. *Gen &c.* usque ad *Paralip. Job. Psal. Prov. Eccl. Cant. C. Sap Ecclesiasticus Isai.* Hier. *Ezech. Dan* XII. *Proph. Esdras. Machab. libri 2. licet non habeantur in Canone Hebræorum; tamen ab Ecclesia inter divinorum vol. annumerantur historias.*

Col. 72.

Eodem lib. *Proæmiorum* hæc habet:

Plenitudo N. Veterisque T. in Canone Catholicæ Ecclesiæ, juxta vetustam priorum traditionem ista est. Gen. &c. Huic succedunt libri Jesu N. *vel* Judicum, *sive libellus cujus est tit. Ruth: qui non ad historiam Judicum, ut Hebræi asserunt, sed magis ad principium Regum, pertinere videtur.* Regum *libri quibus* Paralipomenon *libri 2. à latere annectuntur. —* Job *liber vel* Thobias, Hester *sive* Judith, *necnon &* Esdræ *seu* Machabæorum *libri 2. — Ex quibus quidem libros* Thobiæ & Judith, *sive* Machabæorum *Hebræi non recipiunt. Ecclesia tamen eosdem inter Canonicas Scrips. enumerat. Occurrunt dehinc Prophetarum libri, in quibus est* Psalmorum *liber* 1. Salomonis 3. *sc.* Prov. Eccl. & Cant. C. *Duo quippe illi egregiæ & sanctæ instituti libelli* (Sapientiam *dico, & alium qui vocatur* Ecclesiasticus) *licet dicantur ab Jesu F. Sirach editi: tamen propter quandam eloqui similitudinem, Salomonis sunt titulo prænotati, qui tamen in Ecclesia parem cum reliquis Canonicis libris tenere noscuntur auctoritatem. Supersunt libri 16. Prophetarum, ex quibus quatuor sunt, qui majora vol. condiderunt, i. e.* Esai. Hier. Ezech. Dan. *Reliqui vero* XII. *breves sunt & contigui, & ob hoc uno vol. coarctati. —— Quidam* Hieremiæ Lamentationes *segregantes, de volumine ejus fecerunt. Sicque 45. libros V. T. suscipiunt.*

Evangelia IV. *sequuntur* Epistolæ Pauli 14. Epist. *quoque* Joannis 3.

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Petri 2. Judæ & Jacobi singulæ. Actus Apost. Apocal. Joannis. *Fiunt ergo in ordine utriusque T. libri 72.*

In Præf. librorum N. T. eos hoc ord. enumerat: *Evang. 4. Pauli Ep. 14. Petri 2. quæ Canonicæ nominantur. Jacobi 1. Joannis 3. Judæ 1. Act. Ap. Apoc. Joan.*

Negari non potest, quicquid ex adverso contendit *Cosinus* noster, quin *Isidorus* iste *Hisp.* hodiernis Pontificiis de auctoritate 5. librorum Apocryph. suffragetur: verum parum refert quid tot post Christum seculis temere censuerit aut decreverit unus aut alter, cum alia fuit communis Ecclesiæ Catholicæ sententia.

GREGORIUS Magnus Papa ei coævus Expos. in Job XIX. 13. Maccabæorum librum 1. citaturus: *Si ex libris licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis testimonium proferamus.*

Col. 73.

Auctor Operis *De mirabilibus S. Scrip.* (inter Op. S. Aug.) qui scripsit an. 657. lib. 2. *De Maccabæorum libris, etsi aliquid Mirabilium numero inserendum conveniens fuisse ordini inveniatur, de hoc tamen nulla cura fatigabimur. Quia tantum agere proposuimus ut de* Divini Canonis *Exiguam historicam Expositionem ex parte aliqua tangeremus.*

BEDA (qui cl. an. 700.) *Tobiæ* Expos. *Allegoricam* reliquit. Idem vero l. 3 Com. in Gen. V. T dividit in *Legem, Proph.* & *Hagiog. Tria canistra super Caput ejus &c. quid aliud significant quam nisi tripartita ipsi populo commissa Divinæ legis eloquia; Legem viz. & Prophetas, & Hagiographa.*

Alibi agnoscit tantum 24. libros V. T. quos dicit cum in V. tum in N. T. præfigurari. *Lib. 4 Com. in Reg. Duodecim Juga boum, 24. V. T. figuraliter accipiendi sunt libri.* In Apoc. 4. *Alæ animalium, quæ sunt 24. totidem V. T. libros insinuant. Quibus Evangelistarum & fulcitur auctoritas, & veritas comprobatur.*

De 6. æt. Mundi ad an. 3496. (ex Eusebio) *Hucusque* Divina Scriptura *temporum seriem continet. Quæ autem post hæc apud Judæos sunt digesta, de libro* Machab. *& Josephi atque Africani scriptis exhibentur.* Eadem habent ADO VIEN. (an. 879.) & HERM. CONTRACTUS (an. 1050.)

ALCUINUS an. 800. adversus Elipantum Tolet. l. 1. *Dum tuæ perversitati defecerunt in Prophetis Dei testimonia erroris tuo convenientia, finxisti tibi novum quendam Prophetam dixisse, Miserere Domine plebi tuæ &c. — Ecce falsitas in nomine Prophetæ, ecce perversitas in interpretatione sententiæ, & non frustra oportebat novum Doctorem, novum sibi invenire Prophetam. — In libro* Jesu F. Sirac *hæc præfata sententia legitur, quem librum B. Hieronymus atque Isidorus* (hujus mentem non recte intellexit) *inter Apocryphas i. e. dubias Scrips. deputatum esse absque dubitatione testatur. Qui etiam liber non tempore Prophetarum, sed Sacerdotum, scriptus est. &c.*

Col. 74.

Sacramentarium Gallicanum ante annos 1000.
Incipit Capitulus de vetere (Test.) *canonizatus.*
Liber Genesis,
Exodum.
Leviticum.
Numeri.
Deut. Josue.
Judicum.
Libri mulierum Ruth, Sterh & Judith
Maccabæorum libri 2.
Job & Thobias libri singuli.
Regum 4.
Prophetarum libri 16.
Davitticum 5.
Salomon 3. Prov. Eccl. & Cant. C.
Esdra unus.
Fiunt libri Veteris numero 44.
De Novo, Apostolorum libri.
(Pauli) 14. *Epistolæ,*
Petri 2. Johannis 3.
Jacobi & Judæ singulæ.
Apocalypsis uno.
Actus Ap. uno.
Evangelia libri 4.
Sacramentorum (quo nomine veteres designabant eum librum, qui Collectiones & Præfationes ad Missas continebat) *uno.*
Fiunt in summa libri 72.

Col. 75.

EUGENIUS III. *Toletanus*, cujus ætatem non satis exploratam habeo, Indiculo versibus scripto.
Regula quos fides commendat noscere libros,
Hæc nostra præsens bibliotheca tenet.
Legis 5. vol.
Jos.
Sophtim.
Ruth
Reg. 4.
Proph. 16.
Job
Psalt.
Solomon.
Verba dierum.
Esdræ
Ester
Sap. Jesu.
Tobia
Judith
Machabæorum.
Hic T V. finisque modusque.
Evang. IV.
Pauli Ep. 14.
Jacobus
Petri Ep. 2.
Joannis 3.
Judæ 1.
Act. Ap.
Visio Joannis.

Col. 76.

Ivo an. 1092. in *Decreto.*
De Ord. librorum V. T.
Gen. &c.
Jhesu N.
Jud. Reg. 4.
Ruth Paralip. 2.
Psal. 150.
Salomonis 3.
Job. Tobiæ.
Esdræ. Hester.
Judith.
Machabæorum.
De ord. Proph.
Esai.
Hier. cum Cinoth i. e. Lament. suis.
Ezech.
Dan.
Ose. &c.
De ord. librorum N. T. quos sancta Romana Ecclesia tenet, & universalis Ecclesia observat.
Evang. IV.
Act. Ap.
Ep. Pauli 14.
Apoc. Joannis.
Ordo 7. Ep. Canon.
Petri 2.
Jacobi
Jo. Apost. 3.
Judæ Zelotis 3.
Hoc Indiculo sequitur *Ivo* BURCHARDUM, apud quem tribuitur *Gelasio* P. In *Burchardi* vero editione legitur *Salomonis* 5. & *Machabæorum* 2.

Col. 77.

RUPERTUS Tuitiensis an. 1111. in Gen. 3. 21. *In eo duntaxat qui inscribitur liber Sapientiæ, de illo sic scriptum est. — Verum hæc scriptura neque de Canone est, neque de Canonica Scriptura sumpta est sententia hæc.* In Apocal. cap. 3. profitetur se *approbare ut non minutulem eorum* sensum, qui 24. Seniores ibi memoratos exponunt de 24. *libris V. T.*

Col. 78.

HUGO DE S. VICTORE (an. 1120.) de Script. cap. 6.

Scripturis V. T. eodem modo enumeratis quo ap. *Hieron.* Prol. in Reg. (*Col. 2.*) hæc subdit: *Sunt præterea alii quidam libri ut* Sap. Salomonis, liber Jesu F. Sirach, *& liber* Judith, & Thobias, *& libri* Maccabæorum, *qui leguntur quidem sed non scribuntur in Canone. His 22. libris V. T. 8 libri N. T. junguntur. In 1. ordine N. T. sunt* IV. Evang. *In 2do similiter sunt* 4. Actus *viz.* Ap. Epistolæ Pauli 14. *sub uno vol. contextæ*, Canonicæ Ep. Apocalypsis. *In 3 ordine primum locum habent* Decretalia, *quos Canonicos i. e. regulares appellamus. Deinde sanctorum Patrum scripta, i. e.* Hieronymi, Aug. Ambr. Greg. Isidori, Origenis, Bedæ, *& aliorum Doctorum; quæ infinita sunt. Hæc tamen scripta Patrum in textu div. Scripturarum non computantur: quandoquidem in V. T.* (*ut diximus*) *quidam libri sunt qui non scribuntur in Canone, & tamen leguntur, ut* Sap. Salom. *& cæteri. Textus igitur div. Script. quasi totum corpus principaliter 30. libris continetur. Horum 22. in Vet. octo vero in N. T.* (*sicut supra monstratum est*) *comprehenduntur. Cætera vero scripta quasi adjuncta sunt, & ex his præcedentibus manantia.*

Eadem pene verbatim habet (quod alii ante nos observarunt) *Excerptionum* lib. 2. cap. 9. & *Eruditionis Didasc.* lib. 4. cap. 2. rursus *Erudit. Theolog. in Speculum Ecclesiæ* cap. 8. & in Prol. etiam libri *De Sacram.* cap. 7. In quibus omnibus locis libros V. T. eodem modo distribuens in *Legem, Prophetas,* & *Hagiographa,* affirmat *Sap. Ecclesiasticum, Judith, Tobiam,* & *Machab.* in *Canone non scribi.* In loco postremo ait eos *in corpore textus vel in Canone auctoritatis non scribi.*

Liber *Excerptionum* (sive *Exceptionum*) à nonnullis tribuitur *Richardo à S. Victore*, qui eadem vixit ætate; & inter illius opera habetur.

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col. 79.

PETRUS CLUNIAC. an. 1123. Ep. contra *Petrobrusianos*, asserit auctoritatem librorum *Gen. &c. Jos. N. Jud. Ruth. Sam. Reg. Esai. Hier. Ezech. Dan.* XII. *Minorum, Jobi, Psal. librorum Salomonis, Paralip. Esdræ. Hester. Ultimus in Agiographis h. e. S. Script. libris sequitur liber Hester. Restant post hos autenticos S. Script. libros, Sapientiæ, Jesu F. Sirac, Tobiæ, Judith, & uterque Machabæorum liber. Qui etsi ad illam sublimem præcedentium dignitatem pervenire non potuerunt, propter tamen & per necessariam doctrinam ab Ecclesia suscipi meruerunt. Super quibus vobis commendandis, me laborare opus non est. Nam si Ecclesia alicujus precii apud vos est, ejus auctoritate aliquid, saltem parum quid, à vobis suscipiendum est.* (*Evangelia* IV. *à Petrobrusianis* suscepta fuisse memorat.) *Actus Apost. Ep. Jacobi, Petri, Joannis, Judæ* (quas in Canone *Paulus* antecedere monet.) *Ep. Pauli. Apocal.*

Col. 80.

HONORII Augustodun. an 1130. in Gemma animæ de antiquo ritu Missæ IV. 118. divisio juxta tempora quibus leguntur in Ecclesia.

Hi libri sunt authentici, & hi sunt in divinis officiis legendi.

Pent. quem scripsit Moyses.

Liber Josue quem ipsemet scripsit.

Liber Judicum & Ruth, quos Gedeon, & Samuel scripsisse dicuntur.

Hier. Propheta, quem ipse scripsit.

Lament. ejusdem.

Apocalypsis, quam scr. Joannes Apost. Canonicæ Ep. quas scr. Jacobus, Petrus, Joannes, & Judas Apostoli.

Act. Ap. scr. Lucas Evang. libri Regum, quorum 1m scr. Samuel, 2 Nathan, 3. & 4. Hieremias. 2. libri Paralip. quos Sapientes Synagogæ scripserunt.

Parab. Salom. & Eccl. & Cant. C. & liber Sap. quos omnes Salomon scr.

Ecclesiast. quem Jesus F. Sirach composuit.

Liber Job, quem ipsemet scr.

Liber Tobiæ quem ipse scr.

Liber Judith, quem ipsa vel Achior scr.

Hester, quem Mardochæus composuit, sed potius ab Esdra scriptus creditur.

Esdræ liber, quem ipsemet edidisse non ignoratur.

Libri Machabæorum, quorum priorem Simon Pontifex, ultimum partem ejus Joannes ejus F. scripsisse traditur, posteriorem Philo Judæus à Græcis erudiens edidisse cognoscitur.

Ezech. Dan. & XII. *Minores Proph. qui à Senioribus Synagogæ scripti dicuntur, sed melius ab ipsis editi creduntur.*

Isaias, quem ipse scripsisse non dubitatur.

Ep. Pauli. has ipse omnes scripsit, sed Lucas Evang. ad Hebræos Hebraice compositas (*l. compositam*) *in Gr. transtulit.*

Col. 81.

RADULPHUS FLAVIAC. an. 1157. in Lev. XIV. 1.

Libri Historici
Gen &c.
Jos. N. Jud. Ruth. Reg. Paralip. Esras. Esther.
IV. *Evang.*
Act. Ap.

Ad divinam hist. pertinent.
Nam Thobias, Judith, & Machabæorum, quamvis ad instructionem Ecclesiæ legantur, perfectam tamen non habent auctoritatem.

Prophetici
Psal.
Isai.
Jer.
Jezech.
Dan.
XII. *Proph.*

Proverbiales
Prov. Salom.
Cant. C.
Sap.
Ecclesiasticus
Job.

Simpliciter docentes: Ecclesiastes, parte majori. Ep. Pauli & cæteræ 7. Canonicæ.

Col. 82.

JO. BELETH an. 1162. de Eccl. Offic. cap. 60.

Sunt autem 22. *vol. V. T. & 8 Novi, sc.* IV. *Evang.* 14. *Ep. Pauli, Apocalypsis, Ep. Canonicæ. Actus Ap. Qui sunt* 8. *volumina.*

Volumina V. T. sunt, 5. libri Moysis, qui proprie dicuntur Thorath apud Judæos, i. e. Lex seu libri Legis, & super eos juram, sicut nos super Evangelia tanquam sanctiora in N. T. Sunt etiam ibi 8 Prophetæ, quos enumerant, Jos. Judicum, cujus extrema pericope est liber Ruth (sic Codd. MSS. Bodl.)

Samuel. Malachim, quæ 2. volumina unum reputamus sc. librum Reg. Quatuor tamen distinctiones hujus seu partitiones. Præterea sequuntur alii 4. Isai. Jer. Ezech. & liber XII. *Proph. sub 1. vol. præ nimia brevitate. 9. alios qui sequuntur Agiographa reputant, tamen authentica, sc. librum Psal. lib. Job. 3. libros Salom. Parabolas Salom. sive Prov. Eccl. Cant. C. librum Paralip. lib. Daniel. Judith* (hoc vitium esse scriptoris monet *Cosinus*; at in *Judith* conveniunt omnes quos vidi Codd. MSS. viz. 2. *Lambeth*: & totidem Bodl.) *Hester.*

Et 4. Apocrypha sc. liber Thobiæ; liber Machabæorum; liber Philonis sc. Diligite justitiam: & liber Jesu F. Sirach sc. Omnis Sap. à Domino Deo est: qui & Ecclesiasticus dicitur. Hos 4. non recipit Ecclesia, tamen authenticos esse, eorum auctores nesciat, quia sententiam librorum Salomonis tenent.

Alios duos credimus Esdram composuisse. Qui totam Bibliothecam Vet. Test. reparavit à Babylonis combustam (Cod. Bodl. NE. A. 4. 5. *ab Hæreticis combustam*)

Col. 83.

PETRUS DE RIGA (an 1170.) in *Aurora*, quæ Paraphrasis est V. & N. T. metrice conscripta, (MS. Bodl. super D. 1. Art. 103.) *Gen. &c. Jos. Jud. Ruth. Regum 3 libri. Cantica. C. Regum liber 4tus. Job. Tob. Dan. Judith. Esther. Machab.* Prope finem hos habet versiculos:

Clauditur iste liber in XL. *libellis.*
Dat triginta duos Lex Vetus atque Nova. &c.
Ore filioque Dei digestus & editus orbi.
Canon Scripturæ scitur hic esse sacræ.
Qui tamen excipit hos, Baruch & etiam Machabæos,
Pseudographumque librum, cum Judith atque Thobi:
Sed licet excepti, tamen hos authenticat usus,
Ecclesiæ fidei Regula scripta Patrum.

Subjicitur minio;

Qui libri distinguuntur ob Agiographis, eo quod Apocryphi reputantur.

Deinde subjicitur hic indiculus: *Moysi 5. libri 1. Jos. 1. Judicum & Ruth 1. Samuel & Regum 4. Paralip. 2. Job 1. David 1. Salomon 3. Isai. 1. Jer. 1. Baruch 1. Ezech. 1. Dan 1* XII. *Proph. 1. Sap. 1. Ecclesiasticus 1. Tob. 1. Judith 1. Hester 1. Esdræ & Nem. 1. Machab. 2.*

IV. *Evang. Act. Ap. 1. Ep. st. Pauli 1. Ep. Canonicæ 1. Apocal. 1. Omnes hi simul collecti constituunt 40.*

Col. 84.

PETRUS COMESTOR an. 1170. Præf. in Jos. Hebræorum divisionem V. T. in *Legem, Proph. & Hagiogr.* commemorat. Ubi scholion hoc adjicitur: *Job, David, 3. libri Salomonis, Dan. Paralip. Esdras, Hester, Sap. Ecclesiasticus, Judith, Tobias, Pastor, Machabæorum, Apocrypha sunt, quod auctor ignoratur eorum, sed quod de veritate non dubitatur, ab Ecclesia recipiuntur. Si autem nec auctor nec veritas sciretur, non reciperentur, ut liber de Infantia Salvatoris, & de Assumpt. B. Mariæ Virg.* Ubi 9. libri priores commemorantur tanquam 9. Hagiographa, de quibus in contextu. Quæ sequuntur, diversam Paragraphen constituere debuerunt.

Idem Præf. Tobiæ: *Hanc hist. Judæi inter Apocrypha ponunt, Hieronymus tamen in Prol. suo dicit,* inter Agiographa. *Quod si esset, tum esset in tertio ordine Canonis V. T. sed quia de nullo ordine est, dicemus quod Hieronymus diffusius accepit Agiographa, ut includeret etiam Apocrypha.* Scholion ibi: *Recole supra in principio Josue dictum quod Apocryphum dicitur, vel cujus auctor incertus, vel cujus materia incerta. De materia autem hujus patet & constat Agiographum sacra scriptura interpretatur, & sic qualibet scriptura sacra dici potest.*

Prol. Judith: *Hic liber apud Hebræos computatur inter Apocrypha, quod dicit Hier. in Prol. qui sic incipit. 22. literas &c. Si igitur in Prol. super Judith alicubi legitur inter Apocrypha, vitium est scriptoris: quod in ipso titulo deprehendi potest.*

Præf.

Præf. Dan. *Fabulam Belis* ipse appellat. Ubi Scholion: *Scriptum de Belo Hebræi fabulam dicunt, non quin de veritate constet; sed ipsi Danielem hæc scripsisse negant.* In cap. 13. *Sequitur historia Susannæ quam Hebræus non habet in libro Daniel. Sed vocat eam Fabulam, non quod inficietur rem gestam, sed quod in ea falsum legitur de Sacerdotibus lapidatis, quos Hieronymus adnectos testatur. Et quia nos fabulamur eam scriptam à Daniele, cum à quodam Græco scripta fuerit: quod probatur ex eo quod quædam allusio verborum facta sit. &c.* —— *Hanc eandem historiam vocat Origenes Fabulam in decimo Stromatum i. e. Instructionum: forte secundum editionem quam sub Obelo & Asterisco composuit Stromata vocavit, quia per eam plenius nos instruxit.*

Col. 85.

Jo. Sarisburiensis (an. 1172.) Ep. 172.

Quæsitum est quem credam numerum esse librorum V. & N.T. — Quia ergo de numero librorum diversas & multiplices Patrum lego sententias, Catholicæ Ecclesiæ Doctorem Jeronimum sequens, quem in construendo literæ fundamento probatissimum habeo, sicut constat esse 22. lit. Hebræorum, sic 22. libros V.T. in 3. distinctos ordinibus indubitanter credo.

1us *Ordo, libri 5. Moysi.*

2 *Ordo, Prophetæ libris 8. Jos. Jud. cui compingitur & Ruth. Sam. 2. Malachim* (l. Malachim) 2. *Isai. Jer. Ezech.* XII. *Proph.*

3 *Ordo in Agiographis consistit, continens Job, Psalt. Eccl. Cant. C. Dan. Paralip. Esdram, Hester. Et sic colliguntur in summa 22. libri V. T. — Liber vero Sap. & Ecclesiasticus, Judith, Tobias, & Pastor, non reputantur in Canone, sed neque Machabæorum liber, qui in 2. vol. scinditur.* —— *Ille autem qui Pastor inscribitur, an alicubi sit nescio, sed certum est quod Jeremias & B* (l. *Jeronymus & Beda*) *illud vidisse & legisse testantur. His adduntur N.T. 8. volumina, scil. Evang.* IV.
Ep. Pauli 15. uno vol. comprehensæ, licet sit vulgata & fere omnium communis opinio, non esse nisi 14. decem ad Ecclesias, 4. ad personas: si tamen illa quæ ad Heb. est, connumeranda est in Epistolis Pauli, quod in Præf. ejus astruere videtur Doctorum Doctor Jeronymus, illorum dissolvens argutias, qui eam Pauli non esse contendebant. Cæterum, 15a est illa quæ Ecclesiæ Laudicensium scribitur, & licet, ut ait Jer. ab omnibus explodatur, tamen ab Apostolo scripta est: neque sententia hæc de aliorum præsumitur opinione, sed ipsius Apostoli testimonio roboratur. Meminit enim ipsius in Epist. ad Col. —— *Sequuntur Ep. Canonicæ 7. in 1. vol. deinde Actus Apst. in alio, & tandem Apocalypsis. Et hunc quidem numerum esse librorum, qui in sacræ Scripturæ Canonem admittuntur, celebris apud Ecclesiam & indubitata traditio est.*

Col. 86.

Glossa Ordin. ante annum 1200. in Prol. Hieron. super Reg. *Agiographa i. e. sacra Scriptura i. e. de sanctorum Vita; ut Tobias & Job.* In Prol. Hier. super Tob. ubi perperam legitur: *Librum Tobiæ quem Hebræi de Catalogo divinarum Scrip. secantes, his quæ Agiographa memorant, manciparunt;* hæc adnotantur: *Potius & verius dixisset, inter Apocrypha. Vel large accepit Agiographa, quasi sanctorum scripta: & non de numero illorum 9. quæ proprie dicuntur Agiographa, qui sunt de Catalogo, h. e. de numero 22. librorum. Consistit enim in Pentateucho, & 8. Prophetis & 9. Agiographis.*
Ante libros *Tob. Jud.* & *Mac.*
Incipit liber Tobiæ, qui tamen non est in Canone.
Inc. liber Judith, qui non est in Canone.
Inc. liber 1. Maccab. qui non est in Canone.
Inc. liber 2. Maccab. qui non est de Canone.
Sic habetur in vetustis ed. ut an. 1506. in recentioribus Pontificii hæc omiserunt.

Addit *Cosimus* eadem legi ante libros *Sap.* & *Ecclesiast.* quod tamen non invenio. Legitur etiam ante *Susannam*: *Inc. historia Belis & Draconis: quæ non est in Canone.* Editiones recent. subdole addunt, *Hebræorum.*

Col. 87.

Alexander Necham (an. 1215.) in libro verbibus scripto cui tit. *Libri Bibliothecæ, seu Expositiones Bibliothecæ* MS. Bodl. super D. 1. Art. 75. & Digb. 56. hunc ord. servat:
Gen. &c.
Jos. Jud.
Ruth, Tobias,
Judith,
Hester,
Esdra,
Neem.
Regum 4.
Paralip. 2.
Esai.
Jer.
Baruch
Ezech.
Dan.
XII. *Proph.*
Job
Parab.
Eccl.
Cant. C.
Ecclesiasticus
Sap.
Maccab. 2.
Psalt.
Evang. IV.
Ep. Pauli
Act. Ap.
Ep. Canon.
Apocal.

Col. 88.

Idem in *Corrogationibus Promethei* MS. Bodl. NE. F. 4. 8. de dictionibus in singulis libris Bibliorum, quarum accentus aut significationes observari debent, agit eodem ord. nisi quod *Act. Ap.* collocat post *Ep. Canonicas.* *Sapientiam* simpliciter appellat *Librum Philonis.*

Col. 89.

Correctorium secundum ord. Bibliæ MS. Bodl. Fairfax 27. Qui in Cod. Coll. *S. Benedicti* Cantabr. sed manu nuperâ adscribitur eidem *Nichamo*: hunc ord. procedit:
Gen. &c. Jos.
Jud. Ruth.
Regum 4.
Paralip. 2.
Esdræ 2.
Tobias
Judith
Hester
Job
Prov.
Eccl.
Sap.
Ecclesiasticus
Isai.
Jer.
Baruch
Ezech.
Dan.
XII. *Proph.*
Machab. 2.
(Psalmi & libri aliqui N. T. ibi non habentur.)

Col. 90.

Hugo de S. Caro Card. qui nominatur *Hugo de Vienna*, in Vol. MSS. Col. *Exon.* & *Merton.* an. 1240. in Prol. Josuæ postquam monuisset Hebræos V. T. dividere in *Legem*, *Proph.* & *Hagiogr.* hos versiculos subjicit:
Nota versus de omnibus libris V. T.
Quinque libros Moysi: Josue, Judicum, Samuelem,
Et Malachim: tres præcipuos; bis sexque Prophetas
Hebræus reliquis censet præcellere libris.
Quinque vocat Legem: reliquos vult esse Prophetas.
Post Agiographa sunt, Daniel, David. Hester, & Job, Paralipomenon, & tres libri Salomonis. [*Esdras,*
Lex Vetus his libris perfecto tota tenetur.
Restant Apocrypha, Jesus, Sapientia, Pastor,
Et Machabæorum libri, Judith, atque Tobias.
Hi quia sunt dubii, sub Canone non numerantur,
Sed quia vera canunt, Ecclesia suscipit illos.

Idem in Prol. Hieron. in Reg. *Dicitur dupliciter liber aliquis Apocryphus: vel quod auctor ignoratur, sed veritas patet; & tales recipit Ecclesia, non ad probationem fidei, sed ad morum instructionem. &c.* Procem. in Tob. *Quam hist. Judæi inter Apocrypha ponunt. Tamen Hieronymus in Prol. suo inter Agiographa ponit eam: quod si esset; tunc esset liber iste de tertio ord. Canonis V. T. Sed quia de nullo ord. est: ut diximus in Prol. super Jos. dicimus quod Hieronymus hic accipit diffusius Agiographa; ut scil. includat Apocrypha, quæ ab Ecclesia recipiuntur: quorum veritas manifesta est, sed auctor ignoratur; ut est Ecclesiasticus, Sap. Judith, Maccab. Tobias, Pastor.* In Prol. Hieron. ubi male legitur Hebræos Tobiam *inter Agiographa memorare*, profert verba Glossæ Ordin. Procem. in Jud. *Apocryphorum triplex est diversitas, scil. cujus auctor ignoratur, sed patet veritas, ut Judith, & tales recipit Ecclesia. Vel cujus veritas ignoratur: & tales non recipit Ecclesia. Vel utroque modo, & neque tales recipit Ecclesia. Hieronymus autem in Prol. librum istum numerat inter Agiographa: ut in eis comprehendas primam speciem Apocryphorum: sicut dictum est in Prol. super Tob. Sed forte scriptoris vitio factum est hoc: qui scripsit* Agiographa, *ubi deberet scribere* Apocrypha: *Ita dicit Magister in Historiis.* Vide eundem Præf. in *Ecclesiasticum*, & in *Baruch*, & in *Machab.*

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col. 91.

THOMAS AQUINAS an. 1260.

In Dionys. de div. Nom. c. 4. lect. 9. *Quamvis visum fuit quibusdam nostrorum sanctos sermones dicentium, divinius esse amoris nomen nomine dilectionis. Scribit autem & divinus Ignatius, Meus Amor crucifixus est. Et in introductionibus eloquiorum invenies quendam dicentem de divina Sapientia: Amator factus sum pulchritudinis ejus.* Ad hæc verba sic Aquinas: *Dicit ergo primo, quod quibusdam Doctorum, qui sanctos sermones tractaverunt, licet Canonicas Scripturas non conderent, visum est quod nomen Amoris convenientius esset rebus divinis, quam nomen dilectionis. Unde Ignatius Martyr scribit de Christo dicens, Meus Amor, i. e. Christus, in quo totus meus amor est, crucifixus est. Philo dicit in libro quem fecit introducentem ad sacra eloquia, de divina Sapientia: Amator factus sum pulchritudinis ejus. Sapientiæ 8. Cap. Ex quo patet, quod liber Sapientiæ nondum habeatur inter Canonicas Scripturas.*

Summæ parte 1. Q. 89 *Secundum hoc quod dicitur Eccles 46. quod dormivit, & notum fecit regi finem vitæ suæ. Vel illa apparitio fuit procurata per dæmones: si tamen Ecclesiastici authoritas non recipiatur propter hoc quod inter Canonicas Scripturas apud Hebræos non habetur.*

Ad Dan. cap. 13. *Belis ac Draconis* FABULAM dicit.

Præf. Com. in Machab. *Notandum est etiam, quod isti 2. libri authoritatem non habent apud Judæos; quemadmodum illi, qui sunt de numero 24. & faciunt Canonem; secundum Hieronymum in Prol. Gal. sed habent apud Latinos authoritatem in Ecclesia, quæ ipsos in quodam Concilio approbavit, & legendos ordinavit.*

Sunt vero Commentaria ista in Mac. non *Th. Aquinatis*, sed THOMÆ GUALENSIS sive ANGLICI.

Col. 92.

JO. JANUENSIS an. 1280. in *Catholico: Dicitur dupliciter liber Apocrifus, vel quia auctor ignoratur & veritas patet, & talem recipit Ecclesia non ad fidei probationem, sed ad errorum destructionem* (lege ut citantur ejus verba ab *Antonino* Sum. part. 3. tit. 18. c. 6. § 3. *sed ad morum instructionem*, sic habet quoque *Hugo Card.* in Prol. in Reg. quem sequitur *Januensis*) *quales sunt liber Judith & alii quos numerat Hieron. in Prol. Regum. Sapientia (inquit) quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Jhesu F. Sirach liber, & Judith, & Pastor, non sunt in Canone. Vel dicitur Apocrifus, quia de ejus veritate dubitatur, & tales non recipit Ecclesia, ut est liber de Infant. Salvat. & de Assump. B. Virg.*

Hunc librum male dicit cl. *Cosinus* nunc non exstare. Exstat enim plusquam semel impressus.

Col. 93.

ANDREAS HORNE Juris Consultus (an. 1320.) in Præf. *Summæ* Juris Forensis Anglicani, quam *Speculum Justiciariorum* inscripsit, Gallice scripta, V. T. libros 22. enumerat, ac dein subjicit: *Et præter istos alii sunt V. T. libri; quamvis auctoritate divina careant, neque in Canone recipiantur: h. e. Tobias, Judith, Machabæorum libri, Ecclesiasticus.*

Col. 94.

GUL. OCCHAM an. 1320. in Dial. part. 3. tract. 1. cap. 16.

Secundum Hieronymum etiam in Prol. & Gregorium in Moralibus, libri Judith, Tobiæ & Maccab Ecclesiasticus, & liber Sap. non sunt recipiendi ad confirmandum aliquid in fide. Dicit enim Hieron. sicut Gregorius, Judith, Tob. & Maccab. libros legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit. Sic & hæc duo vol. sc. Ecclesiastici & Sap. legit ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Sed expositiones Episcoporum & aliorum, qui fuerunt post scriptores Canonicarum Script. non sunt majoris auctoritatis quam libri prædicti. Igitur sensus quicunque, quem colligunt ex Script divinis, nisi alibi habeatur ex Scrip divinis, non est cum illa reverentia suscipiendus ut debeat allegari ad confirmandum aliquid in Catholica fide.

Col. 95.

GUL. BRITO (an. 1326.) in *Correctionibus Nominum* Heb. MS. *Lambeth*, hunc ord. prosequitur.

Gen. &c. Jos. Jud. Ruth, Reg. 4. Paralip Esdras, Neem. Tob. Judith, Hester, Job. Psal. Prov. Ecc. Cant. C. Ecclesiasticus, Isai. Jer. Baruch, Ezech. Dan. XII *Proph. Maccab. Evang 4. Ep. Pauli, Act Ap. Ep. Canonicæ, Apocal.* Quos omnes pro *Canonicis* agnoscit in Præf. ubi dicit se *à correctione libri qui à quibusdam 2dus Esdræ, ab aliis 3us inscribitur, cum non sit in Canone, utpote Apocryphus, supersedisse.* Vide supra pag. 434. Ipsum opus tamen inscribitur; *De Nominibus Heb. V. T. & Græcis N. T. ac* LIBRORUM APOCRYPHORUM *V. T. qualiter debent scribi & pronunciari.*

Idem *Expos. Prologi Hieron.* in *Jos.* monet Hebræos distribuere V. T. in 3. ord. sc. *Legem, Proph.* & *Agiog.* (ut in Col. 2.) deinde addit: *Alii supersunt scil. liber Judith, Machab. Sap. Ecclesiasticus, 3us & 4us Esdræ, & liber Thobiæ, qui Apocryphi dicuntur. —— Quia vero de veritate istorum librorum non dubitatur, ab Ecclesia recipiuntur.* Quo modo recepti sint, docet his verbis in Prol. Galeatum: *Prologus iste omnibus quos Hieronymus de Heb. transtulit in Lat. superponi potest: & defendit S Scripturam contra illos qui inducunt Apocrypha pro Agiographis. Vide supra in Prol. supra Jos & invenies quid sit Apocryphum & quid Agiographum.*

Col. 96.

NIC. LYRANUS an 1330. Præf in Tob. *Postquam, auxiliante Deo, scripsi super libros S. Scrip. Canonicos incipiendo à principio Gen. & procedendo usque ad finem Apocal. ac ejusdem confisus auxilio super alios intendo scribere, qui non sunt de Canone, sc. liber Sap. Ecclesiasticus, Judith, Tobias, & libri Machab. — Sciendum quod libri S. Scrip. qui Canonici nuncupantur, tantæ sunt auctoritatis, quod quicquid ibi continetur, verum tenetur firmiter & indiscusse &c. — Libri qui non sunt de Canone, recepti sunt ab Ecclesia, ut ad morum informationem in ea legantur: tamen eorum auctoritas, ad probandum ea quæ in contentionem veniunt minus idonea reputatur &c.*

In cap. 1. Tobiæ. *In exponendo libros qui non sunt de Canone, intendo tenere temporis ordinem quo scripti sunt, vel quo in eis contenta contigerunt: exceptis libris Sap. & Ecclesiastici, qui morales sunt, & post historiales ponentur. ultimo vero 3us Esdræ, qui minoris auctoritatis merito reputatur.*

In c. 1. Sap *Post libros historiales non Canonicos, magis tamen reputatos; quod dico propter historiam Susannæ & Belis, & secundum Esdræ, quæ historiæ ultima ponentur ratione dicta in principio Tobiæ; exponendi sunt duo non Canonici, qui sunt simpliciter Morales, sc. liber Sap. & liber Ecclesiasticus.*

In hist. Susannæ, Belis & Drac. *Hæc hist inter libros Bibliæ non Canonicos situari debet post librum Baruch.*

Ad Addit. Estheræ. *Cætera quæ sequuntur non intendo exponere. — cum quia non sunt in Heb. nec de Scrip. Canonica: sed magis videntur à Josepho & aliis scriptoribus conficta, & postea editioni vulg. inserta. &c.*

Baruch non esse Canonicum, Vide apud eundem in *Baruch* c. 1. De *Judith* Vide Com. in *Esai.* cap. 25. de *Machab.* Vide Com. in *Machab.* c. 1.

In eadem de his libris sententia fuisse PAULUM BURGENSEM, qui scripsit an 1429, liquet, cum *Lyranum* in his locis nusquam reprehendit.

Col. 97.

THO ANGLICUS an. 1330. Præf Com. in Maccab. eorum librorum auctoritatem Canonicam videtur asserere. (Vide Col. 91.) Idem tamen in *Apoc.* hæc habet: *Libri V. T. sunt* XXIV. *si Ruth non computetur cum libro Judicum, sed per se sicut Threnicum libro Jeremiæ. Si enim cum illis computentur, non sunt nisi 22. sicut dicit B. Hier. in Prol. super libros Regum.*

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col. 98.

ROB. HOLKOT an. 1340. Procemio Com. in *Sap.* librum istum esse *Salomonis*, & *Canonicum*, adversus testimonium *Hieronymi* contendit. In Prol. Ecclesiastici, *Libri*, inquit, *Legales sunt* 5. *Prophetales* 8. *Agiographales* 9. *Apocryphales* 6. *sc. secundum computationem Isidori* 1 *primol* 6.

PET. BERCHORIUS an. 1360. in *Morali Reductorio*, Allegorice exponit non modo *Tobiam*, *Judith*, & *Machabæorum libros* 2. verum etiam 3m & 4m *Esdræ*.

Col. 99.

Liber dictus MAMOTRECTUS *super Bibliam*, impref. Ven. 1479. & rursus 1506 sed diu ante conscriptus, hoc ord.
Gen. &c.
Jos.
Jud.
Ruth.
Reg. 4.
Paralip. 2.
Esdræ 1.
Neem.
Esdræ 2. Tob.
Judith. In cujus Prol. hæc habet: *Inter Apocrypha deberet hic esse, non*, inter Agiographa. *Apocrypha dicuntur dubia scripta, Agiographa scripta sancta.*
Hester. Job.
Psalt. Prov.
Eccl. Cant.
Sap. Ecclesiasticus. Isai.
Jer. Threni.
Baruch.
Ezech.
Dan.
XII. Proph.
Machab. 2.
Evang. 4.
Ep. Pauli.
Act. Ap.
7. Ep. Canon.
Apocal.

Col. 100.

Glossa in Gratiani Decret. Dist. 16. (hac ætate vel præcedente.) *Atque inter Apocrypha] id est, sine certo auctore, ut Sapientia Salom. Liber Jesu F. Sirach, qui dicitur Ecclesiasticus, & liber Judicum* (lege Judith) *& Tobiæ & lib Machabæorum: hi Apocryphi dicuntur, & tamen leguntur sed forte non generaliter.*

Ibid. in Edit. vetustioribus, Paris. 1510 & 1561. & Lugd. 1572. in Marg annotatur: *Biblia habet aliquos libros Apocryphos.* Quæ verba in Ed. recentioribus omittuntur, & hæc substituuntur: *Quinimo libri isti non Apocryphi, sed Canonici sunt, quamvis olim quidam etiam Catholici de illis dubitaverint.*

Col. 101.

Incerti Tractatus de rebus contentis in libris S. Script. lingua veteri Anglicana MS. *Coll. Univ.* membran.

In principio dicitur libros omnes V. T. esse 25. viz. *Gen. &c. Jos. Jud. qui Ruth comprehendit. Reg.* 4. *Paralip.* 2. *Esdras qui Neemiam complectitur. Hester, Job, Psalt. Prov. Eccl. Cant. Isai. Jer. Ezech. Dan.* XII. *Proph.* In N. T. numerari IV. *Evang.* XIV. *Ep. Pauli*, VII. *parvas Ep. Actus Ap Apocal. Fyue and twenty bokes of the Elde Test. ben bokys of feyth and fully bokes of holy wrytte. the furst ys Genesys &c.* Dein sequuntur hæc verba.

Whatever book in the elde Testament ys oute yes XXV. *byfore sayd, shall be sette among Apocrifa: that ys withoute autorite of byleue. therefore ye boke of Wysdom and Ecclesiastici and Judith and Tobie, be not of byleue. the first boke of Machabeye was founden wryten in Ebreu, and the secunde boke of Machabeis was wreton furst in Greek, ... from saith all thes sentence in ye prolog on ye furst book of Kynges. Also ye book of Baruc and the pistill of Jerome be not of the autorite of the bible, amenge ye Ebreis. nay the preyer of Manasses as Jerome wyttenesseth, and how meche of the book of Hester and of Daniel ys of Autorite amenge ye Ebreys and in Ebreu, it ys told in the same bokes by Jerom by sel. &c.* —— *yf the furst book of Esdre and ye book of Nemye ben nombred for two, as Grekes and Latyns usen, and yf men taken Judith for a book of holy Scripture, as the general congregation of Clergie dide at ye seyne of Nycene, as Jerom wytteneffeth in ye prolog of Judith* —— (*then*) *in ye elde Test. ben* XXVII. *bokyes of byleue. Also Ecclesiastics was written in Ebreu and ye book of Wysdom ys not amenges Ebreus, but sowneth Greek eloquence, and some elde writers affermen yt ye sen. Filo made hit, therfore as holy Churche redeth Judith and Tobye and the bookes of Machabeis, but resseyueth not them among holy Scriptures: so the Churche redeth these two bokes Ecclesiastici and Sapiens to edifyyng of ye peple, not to conferme ye autorite of techyng of holy Churche. Jerom seith yis pleynly in ye prolog of Proverbs.*

De libris Apocryphis his dictis in Prœmio; in ipso libro ubi agit de contentis librorum singulorum, Libros *Tobiæ, Sapientiæ*, & *Ecclesiastici*, disertis verbis rejicit. *The book of Tobie is not of byleue.* —— *the book of Wisdom, though it be not a book of byleue techeth meche right wysnes.* —— *though Ecclesiastici be no book of byleue, his techeth meche wysdom.*

In folio primo rejectaneo hujus libri leguntur hæc verba: *Hic liber videtur scriptus fuisse à Jo. Wickleffo*: sed manus est *Obadiæ Walker*, hominis Pontificii, Collegii illius nuperi Præfecti: qui notam istam videtur apposuisse ad auctoritatem libri elevandam.

Prœmium vero istius libri reperi præfixum exemplari cuidam Bibliorum Anglicanorum *Wicleffi* vulgo dictorum, quod olim fuit *Henrici* VI. Regis (Bodl. NE. C. 7. 1.) & in nonnullis Exemplaribus eorundem Bibliorum præmittitur tanquam Prolegomena totus ipse tractatus: & meminit quidem Auctor, se Biblia Anglice vertisse. Constat etiam illum post *Lyrani* & *Armachani* tempora, quos citat, scripsisse. Cæterum Biblia ista fuisse *Wicleffi* non satis constat. Et cum Auctor hujus libri acriter in *Oxonienses* invehitur, vel exinde videatur alius fuisse à *Wicleffo*. Vide *Wharton*. auctario Hist. dogmat. Usser. p. 426. 7.

Col. 102.

Liber *De situ sive Distantiis vel nominibus locorum*, S. Hieronymo tributus MS. Bodl. Fairfax 5. hoc ord. è Script. voces exponit
Gen. &c.
Jos.
Jud.
Ruth
Reg. 4.
Psalt.
Isai.
XII. *Pr.*
Jer.
Dan.
Ezech.
Job.
Evang. 4.
Act. Ap.
Ep. Pauli
Apocal.
(è libris reliquis nihil habetur.)

Col. 103.

Liber *Ermeneumatum*, (sive Expositionum Vocum V. & N. T. MS. Bodl. NE. C. 4. 5. hunc ord. exhibet:
Gen. &c.
Jos.
Jud.
Reg. 4.
Isai.
Jer.
Ezech.
Dan.
XII. *Pr.*
Job
Psalt.
Prov.
Eccl.
Cant. C.
Sap.
Ecclesiasticus
Paralip.
Esdra
Neem.
Hester
Tob.
Judith
Machab. 2.
Evang. 4.
Act. Ap.
Ep. Canon.
Ep. Pauli
Apocal.

Col. 104.

MS. *Laud.* B 33. docet quæ continentur in singulis libris hoc ord.
Gen. &c. Jos.
Jud. Ruth.
Reg. 4.
Paralip.
Esdra.
Neem. seu Esdræ 2. *liber.*
Esdræ 3us.
Tob. Judith. Hester.
Job. Psalt.
Liber Salomonis (i. e. *Prov.*)
Eccl. Cant. C. Sap.
Ecclesiasticus. Isai.
Jer. Threni Baruk.
Ezech. Dan.
XII. *Proph.*
Macab. 2.
Evang. 4.
Ep. Pauli.
Act. Ap.
Ep. Canon.
Apocal.
Eundem ord. habet *Summaria Compilatio metrificata, docens quod communius & utilius in unoquoque Capitulo totius Bibl. unde quodlibet verbum unius capituli sententiam tenet, à Joanne* quodam confecta, MS. Super D. 1. Art. 57. & 60. Habetur quoque impressa.

Col. 105.

MS. Super D. 1. Art. 60.
Gen. &c.
Jos. Jud.
Ruth. Reg. 4.
Paralip. 2.
Esdræ 1.
Esdræ 2.
Neem. Tob. Judith. Hester.
Job. Psal.
Parab. Eccl.
Cant. C. Sap.
Ecclesiasticus.
Isai. Jer.
Liber Threnorum & Orationis.
Baruch.
Ezech. Dan.
Liber Osee.
Liber Johelis.
Liber Amos.
Liber Abdiæ.
Liber Jonæ.
Liber Michea.
Naum.
Liber Abacuc.
Lib. Sophoniæ.
Lib. Aggei.
Lib. Zachariæ
Lib. Malachiæ.
Libri Machab. 2.
Evang. IV.
Ep. Pauli.
Act. Ap.
Ep. Canon.
Apocal.
Sequuntur versus quos supra protulimus ex Hugone Card. Col. 90.

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col. 106.

MS. Bodl. Hatton. 22. manu vet.

Thorah
Gen. &c.
Prophetæ
Jos.
Jud.
Ruth
Sam. 2.
Malachim 2.
Isai.
Jer.
Ezech.
XII. *Pr.*
Hagiogr.
Job
David
Parab.
Eccl.
Threni
Daniel
Paralip.
Esdras
Hester.
Apocryph.
Sap.
Ecclesiasticus
Judith
Tobias
Pastor
Machab.

Præmittitus Indiculus iste Bibliorum volumini.

Col. 107.

MS. Bodl. Hatton. 64. manu vet.

V. T. 1. Ordo in Legem, Gen. &c.
2. Ordo in Prophetas
Jos. quem idem composuit.
Jud. quem dicunt quod Samuel composuit. cui adjungitur Ruth.
Duo 1. libri Regum, qui intitulantur à Samuele.
Duo ultima vol. Regum, qui Regna dicuntur.
Isai Jer.
Ezech. Dan.
XII. *Proph. quorum unusquisque librum suum composuit.*
3. Ordo in Agiographos:
Job, ab ipso vel à Moyse, vel aliquo Prophetarum digestus.
Psalt. quod David composuit.
Parab. / *Ecc.* / *Cant C.* } *qui Salomonis dicuntur.*
Dan. quem ipse composuit.
Paralip.
Esdras & Neem. in 1. libro, cujus scriptor dicitur Esdras fuisse.
Hester.
Præter volumina, quæ non sunt de Ebraica Bibliotheca, & ideo dicuntur Apocrypha, quia à Synagoga non confirmantur, ut quorum Autores ignorantur. Quorum nomina sunt hæc, liber Sap. Ecclesiastici, Judith, Tobiæ, Machabæorum.

N. T. Ordo 1us, Evang. 4.
Ordo 2. Apostolos
Ep. Pauli
Ep. Canonicæ
Apocal.
3us Ordo, Apostolorum Actus.

Col. 108.

MS. Bodl. Hatton. 75. manu vet.

Biblia Sacra
Libri Moysi;
Gen. Ex. Lev.
Num. Deut Jos.
Jud. Ruth.
Libri Regum.
Regum 4.
Paralip. 2.
Esdra 1us.
Neem.
Esdra 2us.
Esdra 3.
Esdra 4.
Esdra 5.
Tob Judith.
Ester. Job.
Psalt.
Libri Sapientiales.
Parab. vel Prov.
Eccl. Cant. Sap.
Ecclesiasticus.
Libri Prophetarum.
Isai. Jer. Threni.
Baruch. Ezech.
Dan.
XII. *parvi Proph.*
Libri Machab.
primus Machab.
2dus Machab.
Libri Evangelistarum:
Matthæus &c.
Actus Ap.
Ep. Canonicæ (sc.)
Ep. Jacobi &c.
Ep. Pauli
Apocal.

Col. 109.

Elenchus præfixus Bibliis Lugdun. an. 1514. 1523. 1526. Editionibus etiam (quoad V. T.) Erasmi & Sixti V.

Libri Legales
Gen. &c.
Historiales
Jos. Jud.
Reg. 4.
Paralip. 2.
Esdræ 4.
Tob. Jud.
Hester. Job.
Machab. 2.
Sapientiales
Prov. Eccl.
Cant C. Sap.
Ecclesiasticus.
Prophetales
Psalt.
Esai. &c.
N. T. libri Legales
Evang. IV.
Historial.
Act. Ap.
Sapientiales
Ep. Pauli
Ep. Canon.
Prophetal.
Apocal.

Reperitur eadem librorum divisio ap. Rob. Holkot Præf. *Ecclesiastici.*

Col. 110.

TH. WALDENSIS an. 1410. Doctrin. Fid. adv. *Wiclefum & Hussitas* Script. l. 2. Art 2. c. 22. *Et mensus est civitatem (inquit Apocal. 21.) de arundine aurea per stadia* XII. *millia; Præfigens sic Ecclesiæ futuræ,* XII. (lege XXII.) *volumina in Scriptura, & auctoritate Canonica, sicut numerat quod recitat super lib. Regum Prol. Galeato Hieronymus. Quomodo, inquit,* XXII. *Elementa sunt &c. ita* XXII. *volumina supputantur.*

Col. 111.

EUGENIUS IV. an. 1441. in Decreto pro *Jacobinis.*

Unum atque eundem Deum V. & N. T. hoc est Legis & Prophetarum atque Evangelii profitetur SS. Rom. Ecclesia auctorem, quoniam eodem Sp. S. inspirante, utriusque T. sancti locuti sunt, quorum libros suscipit & veneratur, qui titulis seq. continentur:
5. Moysis, Gen. &c. Jos. Jud. Ruth. 4. Regum, 2. Paralipomenon, Esdra, Nehemia, Tobia, Judith, Hester, Job, Psal. David. Parab. Eccl. Canticis C. Sap. Ecclesiastico, Isaia, Jer. Baruch, Ezech. Dan. XII *Proph. Minor. i. e. Osea &c. 2. Machab. 4. Evang. Mat. &c. 14. Ep. Pauli ad Rom. &c. Petri 2. 3. Joannis, 1. Jac. 1. Judæ, Act Ap. & Apoc. Joannis.*

(Concilio *Florent.* Decretum hoc perperam tribuitur.)

Col. 112.

ANTONINUS Archiep. Florent. an. 1459 Chron. part. 1. tit. 3 cap 4.

Librum qui intitulatur Sapientiæ, quamvis aliqui dicunt editum etiam à Salomone, ab aliis hoc negatur. Unde & apud Hebræos nusquam est secundum Hieron. sc. in numero authenticorum librorum. Et affirmant Judæi ipsi compositum à quodam Philone Græco. —— Liber vero qui dicitur Ecclesiasticus, quamvis sit plenus morali sapientia, & ideo ab Ecclesia receptus ad legendum, non tamen authenticus ad probandum ea, quæ veniunt in contentionem fidei. (Falso hic adnotat *Pet. Maturus Jos. Hoc intelligendum est de Ecclesia Orient. Nam Occident. Ecclesia semper eos libros in Canone Scripturarum numeravit.*)

Ibid. tit. 3. cap. 9. §. 12. *Dividunt Hebræi V. T. in 4 partes. 1m appellant Legem, — 2. Prophetas — 3m Agiographa —— Et sic totum 22. ponunt authenticos. Quartam partem appellant Apocrypha, sc. librum Sap. Ecclesiasticum, Thobiæ, & Machabæorum 1. & 2. Ecclesia sancta tamen etiam Apocrypha recipit ut vera, ut patet* Distin 15. Sancta Romana: *& ut utilia & moralia veneratur, etsi in contentionem eorum quæ sunt fidei non urgentia ad arguendum.*

Idem Sum. Theolog. Part. 3. tit. 18. c. 6. §. 2. postquam posuisset Hebræorum divisionem Scrip. (juxta Hieron. in Prol. Regum) sc. in Legem, Proph. & Hagiogr. hæc subnectit: *Quartam partem, quam tamen non ponunt ipsi Hebræi in Canone Scrip. sanctarum, sed appellant Apocrypha, faciunt de aliis 5. libris, sc. Sap. Ecclesiasticus, Judith, Tobias, & liber Machabæorum distinctus in 2. libros. Unde & de his 5. libris dicit Hier. in Prol. super Judith, quod auctoritas horum librorum ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Sed tamen Synodus Nicæna in numero S. Scripturarum legitur computasse. Hoc dicit Hier. de libro Judith: & idem de aliis 4. videtur dicendum. & de hoc habetur* Dist. 15. sancta Romana in Palea *Et idem etiam dicit Tho. 2. 2. & Nic. de Lyra super Tobiam, sc. quod isti non sunt tantæ auctoritatis quod ex dictis eorum posset efficaciter argumentari in his quæ sunt fidei: sicut ex aliis libris Scrip. S. Unde forte habent auctoritatem talem qualem habent dicta sanctorum Doctorum approbata ab Ecclesia.*

Col. 113.

ALPH. TOSTATUS Epis. Abulensis Comm. in Hieron. Præf. Galeatum in Reg. Q. 27. an. 1450. *Ut scire valeamus quicquid extra hos est, inter Apocrypha esse ponendum] Id est, ista est utilitas prologi hujus, sc. quod sciamus, quod quicquid non reperitur inter istos libros supra positos, non est authenticum, sed numerari debet inter Apocrypha. Ideo libri sequentes, sc. Sap. & Ecclesiasticus, & cæteri, non pertinent ad Canonem, nec sunt authentici inter Judæos. ——* Q. 28. *Iste liber Sap. factus à quodam satis claro viro suis temporibus sc. à Philone Judæo Alexandrino. Dicitur autem, quod non est liber iste in Canone, quia Judæi illum inde secuerunt à principio, tamen in Canone recipiebant. —— Nos tamen Ecclesiæ auctoritate inter libros authenticos illum suscipimus, atque in Ecclesia suis temporibus legimus. —— Librum Ecclesiastici quamquam Judæi tanquam habuerint*

rint in Canone Script. Ecclesia tamen suscepit atque legit.

Et Judith] Id est, etiam liber Judith non est in Canone, sed oportet poni secundum præcedentia inter Apocrypha. — Hæc autem sunt vera secundum Hebræos: apud nos sicut est: nam liber Judith inter Authenticos libros receptus est, cum approbavit illum Ecclesia in Synodo Nicæna, & receperit in numero S. Scripturarum, ut ait Hier. in Prol super Judith: alioquin enim Ecclesia non legeret illum in divinis Mysteriis, sicut leguntur cæteri libri authentici; legit tamen —— Q. 29. —— Cum dicitur hic quod non est Tobias in Canone, intelligendum est, secundum Hebræos, & tamen Ecclesia suscepit eum in Canone suo, cum legat eum in divinis mysteriis. Sed tunc dicet aliquis, quid proficit nobis hoc quod de Canone dicitur, quia non est idem Canon Script. apud nos & Heb. quia pleraque ipsi improbant quæ nos tanquam authentica habeamus. Respondendum, quod proficit ad hoc, ut sciamus in quo possumus habere argumentum efficax contra Heb. & in quo non. ——— Quanquam duo libri Machabæorum apud nos sint authentici, non tamen est apud nos tantum authenticus secundus quam primus. Nam quædam sunt ibi, quæ à quibusdam nostrum non recipiuntur.

Hæc illic: in aliis quæ postea scripsit, hos libros è Canone disertissimis verbis rejicit.

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col. 114.

Idem enarrat. Præfat. 1. in Paralip. Q. 7.

Quæritur quomodo dicitur hic, quod Ecclesia non recipit Apocrypha quia videtur quod recipiat illa. Nam Liber Tobiæ & Judith, & Sap. Salomonis, & liber Jesu filii Sirach recipiuntur in Ecclesia, & leguntur, & in Biblia scripti sunt, & tamen sunt Apocryphi. ——— Editio Vulgata nimis Apocrypha est, cum excedat in multis ad id quod in S. Scriptura, & etiam nescitur auctor ejus, cum dicatur inventa in quodam dolio, & tamen Hieronymus posuit multa de Editione Vulgata in libro Esther: unde in aliquibus locis ponitur de rubeo: Hæc in Heb. non reperiuntur: sed in Vulgata Editione habentur. Et fere medietas libri Esther, sicut nos habemus, est de Editione Vulg. & non habetur illud in Heb. —— Dicuntur Apocrypha, quia sunt istæ Scripturæ secretæ i. e. veritas earum secreta est, quia nescitur an vera, vel falsæ sint. Sciendum tamen, quod Scriptura vocatur Apocrypha, vel non est in Canone S. Scrip. propter duo, sc. vel quia dubitatur de veritate ejus, vel quia dubitatur de auctore. Si 1. modo Scriptura sit Apocrypha, est nimis Apocrypha, & habet minimum auctoritatis. Sed adhuc ista est 2x, quia quædam est cujus veritas non solum non apparet, sed etiam apparent in ea multa, quæ non sunt verisimilia. Alia autem est Apocrypha scripta de cujus veritate quanquam dubitetur, tamen non ponuntur in ea aliqua, quæ appareant falsa, vel videantur non verisimilia. Primo modo accipiendo Apocryphum, nullus liber Apocryphus ponitur in S. Scriptura, nec legitur ab Ecclesia, nec scribitur in Biblia. —— Accipiendo Apocryphum 2do modo, ponitur aliquando in Bibliæ libris licet ab Ecclesia non legatur, nec ei fides accommodetur in probando, vel docendo, & sic Apocryphus liber 4tus Esdræ. qui in quibusdam Bibliis ponitur. —— Alii autem sunt libri Apocryphi, qui sic vocantur, non quidem tanquam de veritate, aut bonitate doctrinæ eorum, quod multum dubitetur, sed quia nesciuntur auctores illorum, & isti ponuntur in S. Scriptura, licet non in Canone, & leguntur ab Ecclesia facimus ex eis probationes: sic enim est liber Tobiæ, & Judith, & Sap. & Jesu F. Sirach, & 2dus Machab. & omnes isti leguntur. Differt tamen inter istos, & libros Canonicos, qui vocantur authentici: nam ex authenticis licet accipere documentum, & etiam potest argui solide tam contra Heb. quam contra Christianos ad probandum aliquas veritates. Ex Apocryphis autem, qui recipiuntur ab Ecclesia licet accipi doctrinam, quia continent sacram doctrinam, unde vocantur Agiographa interdum, ut patet in Prol. Hier. super Tob. —— Patet etiam in Prol. Hier. super Judith. —— Sed auctoritas istorum non est sufficiens ad arguendum contra aliquem, & ad probandum ea, quæ in dubium venerint, & istud habent minus quam libri Canonici & authentici. &c.

Col. 115.

Idem Præf. in Matth. quam postea scripsit.

Q. 1. Inveniuntur 44. libri sc. 36. V. T. & 8. Novi scil. 5. Moysis, 1. Jos. 1. Jud. 1. Ruth. 4. Reg. 2. Paralip. 3 libri Esdræ apponentes ibi unum valde Apocryphum, de quo Ecclesia nunquam curavit, nec legit, nec quisquam Doctorum solennium illum unquam allegat: ideo nec nos in numero librorum ponimus 1 liber David, 1. Tobiæ, 1. Judith, 1. Esther, 2. Machab 3. Salomonis, 1. Job 1. Sap. 1. Ecclesiastici, 4. Magnorum Proph. 1. Threnorum Jer. 1. Baruch, 1. Proph XII.

Q. 2. Sciendum quod Canon significat Regulam. Et secundum hoc dicuntur illi libri esse in Canone qui ab omnibus regulariter recipiuntur & approbantur, nec audet quisquam auctoritati illorum resistere. Isti sunt, de quibus Ecclesia mater nostra, tam nunc, quam in V. T. semper Spiritu S. directa, nunquam dubitavit, nec dubitat, sed credit certissime nihil falsi in illis contineri, nec scriptores eorum in aliquo mentiri potuisse, imo se, quia à Sp. S. regebantur. ——— Hos autem posuit in Canone, i. e. ordinavit recipiendos esse regulariter, & legendos, & à nemine respuendos, aut negandos sub pœna infidelitatis, & rebellionis. Alii sunt libri, qui licet ab Ecclesia teneantur, in Canone tamen non ponuntur: quia non adhibet illis Ecclesia hanc fidem: nec jubet illos regulariter legi, aut recipi, & non recipientes non judicat inobedientes, aut infideles. Hoc autem est propter duo. 1. Quia Ecclesia non est certa de auctoribus eorum: immo nescit, an Spiritu S. inspirati scriptores eorum dictaverint eos. ——— 2do Quia Ecclesia non est certa circa tales libros, an ultra id quod habuerunt à propriis auctoribus hæretici aliquid miscuerint, vel subtraxerint. Tales autem libros Ecclesia recipit permittens eos singulis fidelibus legere: ipsa quoque in Officiis suis illos legit propter multa devota, quæ in illis habentur. Neminem tamen obligat ad necessario credendum id, quod ibi habetur: sicut est de libro Sap. Salomonis, & de Ecclesiastico, & de libro Machabæorum, & de Judith, & de Tobia. Isti enim licet à Christianis recipiantur, & probatio ex eis sumpta sit aliqualiter efficax, quia Ecclesia ipsos libros tenet, contra hæreticos tamen, aut Hebræos ad probandum ea, quæ in dubium veniunt, non sunt efficaces: sicut ait Hier. in Prol. super Judith, scil. apud Heb. liber Judith inter Agiographa legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. His præsuppositis dicendum, quod in V. T. quidam libri ponuntur in Canone, quidam non. Illi qui non ponuntur, sicut Judith, & Tobiae, & 2. libri Machab. Sapientia, & Ecclesiasticus, non habent inter se aliquem ordinem, vel divisionem; qui autem ponuntur in Canone, habent ordinem. ——— Q. 3. Aliquis dicit, quare inter libros N. T. non sunt libri Apocryphi, ut Tobias, Judith, & alii, de quibus Hier. in Prol. Galeato. Ad intelligentiam hujus considerandum, quod libri dicuntur Apocryphi dupliciter. Uno modo, quia non constat de eorum scriptoribus, an Sp. S. dictante scripserint, & etiam non constat de omnibus, quæ in eis habentur, an vera sint. Non est tamen in eis aliquid quod manifeste falsum sit, vel quod valde suspectum sit de falsitate. Alio modo dicuntur libri Apocryphi, de quorum auctoribus non constat, an à Deo sint inspirati, & insuper multa, quæ habentur in ipsis libris, vel sunt manifeste falsa, vel de errore valde suspecta. Accipiendo primo modo libros Apocryphos, Scriptura (lege Ecclesia) non ponit illos in Canone librorum suorum, ita ut debeat illis fides ex necessitate adhiberi: permittit tamen volentibus legere, quod legant: quia non videtur inde sequi aliquod inconveniens: ipsa quoque Ecclesia illos legit. Accipiendo 2do modo Apocryphos libros, non solum Ecclesia non ponit illos in Canone, immo nec aliquo modo ponit eos cum libris suis, nec legit, nec legentibus favet: licet non omnino prohibeat. &c.

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

Col. 116.

DIONYSIUS CARTHUSIANUS an. 1450. De Oratione Manassis ait: *Nec ista Oratio est de textu, nec in Hebræo habetur, sed ipse Manasses, qui eam in carcere edidit, liberatus de carcere ipsam in formam redegit ac promulgavit.*

Proœm. in Sap. *Hieronymus autem testatur, Liber Sap. apud Hebræos nusquam est: Nam & ipse stylus Græcam magis eloquentiam redolet. Hunc Judæi dicunt à Philone compositum. Sed quod aliqui Patres hunc librum Salomoni ascribunt, potuit evenire, &c.*

Prol. in Ecclesiasticum: *Denique liber iste non est de Canone*, i. e. *inter Script. Canonicas computandus, quamvis de ejus veritate non dubitetur.*

Proœm. in Baruch: *Liber Baruch ab Hebræis inter Apocrypha computatur, in quo nihilominus multa notabilia, & quædam de Christo conscripta sunt.*

Ad Dan. 13. de Hist. Susannæ: *Verum est autem, quod hæc duo capitula non pertinent ad Scripturam Canonicam, sicut nec Tobias, nec Judith, nec libri Machabæorum, quamvis de veritate non dubitetur.*

Ibid. ad cap. 3. pro veritate *Cantus 3. Puerorum* contendit. Vol ultimo V. T. commentatur hoc ord. in *Job, Tobiam, Judith, Hester, Esdram, Nehemiam, Machab.* 2.

Proœm. in Tob. *Denique liber iste non computatur inter Script. Canon. tamen de ejus veritate non dubitat mater Ecclesia, propter quod eum recepit, & legendum instituit, non ad confirmationem atque probationem eorum quæ veniunt in contentionem, i. e. credendorum, sed ad morum informationem &c.*

Proœm. in Judith: *Qualiter autem intelligendum sit, quod B. Hieron. in Prol. Libri hujus asserit, librum hunc ab Hebræis inter Agiographa computari* (nempe dicendo, quod *Hieron. accepit Agiographa diffusius, i. e. extense, prout includit Apocrypha*) *& à Nicæna Synodo in sanctarum numero scripturarum collocari* (sc. *extense sumendo Scripturas divinas, puta pro omnibus libris in Biblia contentis, & de Deo tractantibus, liber iste sicut & liber Judith inter divinas censetur Scripturas*) *supra in Proœmio super Tobiam expositum est.*

Ad Hesteræ cap. 10. Additamenta istius libri è Canone ejici cum Hieronymo statuit. Ad cap. 1. Machab. *Non est autem hic liber in Canone, tamen ab Ecclesia tanquam verus receptus est.*

Col. 117.

AUGUSTINUS DATHUS an. 1470. Orat. de Laud. S. Hieron. libros Biblicos ab Hieronymo conversos sic recenset:

Gen. &c. Jos.
Jud. & annexus libellus Ruth.
Reg. 4. Paralip.
Ezræ 1. Neem.
Ezræ 2. Tob. Judith.
Ester cum Epistola Artaxerxis e Græcorum thesauris deprompta.
Job. Psalt. Parab. Eccl.
Cant. Ecclesiasticus.
Sap. Esai. Jer. Lam.
Baruch qui tamen in Heb. Canone non habetur.
Ezec. Dan.
Susannæ Hist.
Hymnus.3. Puerorum
Belis Draconisque Fabulæ.
Tereasar quod sonat apud nos duodecim.
Machab. 2. primum ex Heb. alterum è Græco.
Evang. 4. Ep. Pauli
Act. Ap. Ep. Canon.
Apoc.

Col. 118.

Præfatio *De libris Canonicis & non Canonicis*, præfixa Bibliis una cum Glossa *Ordin.* & *Lyrani* Expos. Editis an. 1498. & rursus 1506. &c.

Quia sunt multi qui ex eo quod non multam operam dant S. Scripturæ existimant omnes libros qui in Biblia continentur pari veneratione esse reverendos atque adorandos, nescientes distinguere inter libros Canonicos & non Canonicos; quos Hebræi inter Apocrypha computant: unde sæpe coram doctis ridiculi videntur, & perturbantur, scandalizanturque cum audiunt aliquem non pari cum cæteris omnibus veneratione prosequi aliquid quod in Biblia legatur. Idcirco id distinximus, & distincte numeravimus, primo libros Canonicos; inter quos tantum distat quantum inter certum & dubium &c. —— Sunt igitur libri Canonici V. T. 22. &c. —— Quicquid autem extra hos est (de V T. loquor) ut dicit Hieron. inter Apocrypha est quos tamen Ecclesia ut bonos, & utiles libros admittit, non ut Canonicos, inter quos sunt aliqui majoris authoritatis, aliqui minoris. Nam Thobias, Judith & Machabæorum libri, Sapientiæ quoque liber & Ecclesiasticus, valde ab omnibus probantur. —— Minoris autem auctoritatis sunt Baruch, & tertius & quartus Esdræ. &c.

Præfationem istam refert *Cosimus* in uno loco ad annum 1506. in alio vero ad an 1200. quasi *Glossæ Ordinariæ* coæva esset; non animadvertens in ea Bibliorum *impressorum* mentionem fieri. Crediderim istius auctorem fuisse *Sebastianum Brant*, cujus præmittitur Epistola Nuncupatoria ad *Jo. Dalburgium* Episc. Wormaciensem Editioni anni 1498. quæ prima fuit, ni fallor, Expositionum *Lyrani* cum *Glossâ* Ordin. conjunctarum. Secuta est alia Editio circa an. 1502. & tertia an. 1506.

Ad calcem Bibliorum Ed. Neapoli 1476. quod servatur in Bibliotb. Bodl. manu eorundem temporum recensentur inter *Apocrypha, Ecclesiasticus, Tob. Machab. & Judith.*

Col. 119.

XIMENIUS Card. in Præf. Bibl. Complut 1515. *Atvero libri extra Canonem, quos Ecclesia potius ad ædificationem populi, quam ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam recipit, Græcum tantum habent scripturam.*

PAGNINI Biblia ed. an. 1528. ad finem V. T. *Explicit* VETUS TEST. *nuper ed. per rev. S. T. Prof. Sanctem Pagninum. Incipiunt libri Agiographi* (sic vocantur à lectione mendosa Prol. Hieron. in Tob. & Judith) *qui non sunt in Heb. inter Canonicos libros.*

Auctor in Præf. VETUS TEST. *juxta Hebraicam vertimus Veritatem.*

Col. 120.

ERASMUS Schol. in Hier. Prol. in Esdram; an. 1516. *Mirum cum Hieronymus tertium & quartum Esdræ librum inter Apocrypha numeret, & quod in eis scriptum est somnia vocet, qui factum sit ut iidem nunc citra discrimen ullum legantur à nobis.*

Schol. ad Prol. in Tob. mirabunde hæc loquitur: *Cum hic liber nec sit apud Hebræos, & inter Agiographa censeatur authore Hieronymo, tamen à nobis inter præcipua receptus est.*

Schol. Prol. in Dan. de Hist. Susannæ &c. *Mirum, quod Hieronymus veru jugulat, id nunc passim legitur & canitur in templis, ceu res in primis sancta. Tanto plus valet consuetudo multitudinis imperitæ; quam hominis eruditi judicium. Imo nullo delectu, legimus de Bel, Dracone, quam Hieronymus non veritus est appellare fabulam: nec additurus, ni veritus fuisset, ne bonam voluminis partem detruncasse videretur, sed apud quos tandem? Apud imperitos inquit ipse. Sic ubi commodum est quidvis, apud nos valet Hieronymi authoritas: ubi non est commodum, ne tantulum quidem valet, ac postea nos ut parum credulos damnant, cum nulli minus recte credant quam isti qui quidvis credunt.*

Præf. tomi 4 Hieron. ed. 1525. de Apocalypsi, Jacobi Ep. Petri Ep. ada, Joannis Epistolis 2. dubitanter loquitur: — *Nihil vetat* (addit) *approbari librum, cujus autor sit incertus. Quod genus sunt liber Job, & Sapientia Sol. quem asserunt Philoni: item Ep. ad Hebræos. Cæterum quo animo nunc Ecclesia habet in usu publico, quæ veteres magno consensu numerabant inter Apocrypha, nondum satis constat. Nos sane quicquid Ecclesiastica comprobarit autoritas, simpliciter, ut Christiano dignum est amplectimur. — Magni certe refert, quid quo animo comprobet Ecclesia. Ut enim parem autoritatem tribuat Hebræorum voluminibus, & 4 Evangeliis: certe non vult idem esse pondus Judith, Tobiæ, & Sap. libris, quos Moysi Pentateucho.*

Explan. Symboli Catech. 4. an. 1533. *Nomen Scripturæ Canon. quot volumina complectitur.* Ca: *Istuc expedite docuit Cyprianus* (*Ruffinus* dixisset.) *Primum universa Script. dividitur in V. T. & Novum. In vetere censetur Pentateuchus. &c.* (fere ut supra Col. 59. ex *Ruffino*, sed libro *Hester* perperam omisso) *Intra hunc numerum conclusit priscorum auctoritas V. T. volumina, de quorum fide nefas esset dubitare. Nunc vero receptus est in usum Ecclesiasticum & Sapientiæ liber — & Ecclesiasticus, — receptus est & liber Tobiæ, & Judith, & Hester, & Machabæorum libri 2. Receptæ sunt & 2. historiæ quæ Danieli adnexæ sunt, altera de Susanna, altera de Belo & Dracone. — Cæterum an Ecclesia receperit hos libros eadem autoritate, qua cæteros, novit Ecclesiæ spiritus. Sub titulo N. T. primas*

In Scriptoribus hisce Latinis posterioris ævi colligendis, non diffiteor me multum debere cl. nostri *Jo. Cosini*, Episcopi demum Dunelm. *Historiæ Canonis V. T.* Anglice scriptæ, vel potius illis quibus sua pene omnia debuit *Cosinus*. Sed ut omnia plenius descripsi, quo clarior res certiorque fiat, sic etiam multa, cum ex editis, tum ex ineditis, inserui, quæ frustra apud illum quæsiveris. His vero addantur ex libro illo perutili, JAC. FABER *Stapulensis Præf. in libr. Trium Virorum & Virg. Spirit.* JOD. CLICHTOVEUS *in Damascen.* IV. 18. LUD. VIVES *in Aug. de Civ.* 18. 31. & de Trad. Discip. l. 5. FR. GEORGIUS *Harm. Mund. Cant.* 3. *Tono* 8. *mod.*, 12. *concent.* 1. JO. DRILDO *de Eccl. Script. & Dogm. l.* 1. *ad Diff.* 3. JO. FERUS *Exam. Ordinand.* JO. FRAN. PICUS Mirandulæ Comes De fide & ord. Cred. Theorem 5. opere dicato *Julio* II. P. Quem *Cosinus* perperam confundit cum *Jo. Pico* magno illo Mirandulano, hujus Patruo. Qui omnes paulo ante Concil. Trid. *Tobiam, Judith, &c.* è *Canone* ejecerunt.

Eisdem accensendi sunt alii antiquiores quotquot libros *Canonicos* V. T. agnoscunt tantum 22. ut ANASTASIUS Patr. Antioch. an. 560. *in Hexam l.* 7. AGOBARDUS an 813. *De Priv. & jure sacerd.* GISLEBERTUS an. 1100. *Altercat. c.* 1. vel tantum 24. (nempe Ruth a Judicibus, & Threnis a Jeremiâ separatis) ut VETERES Christiani ap. Hieron. Prol. in Reg. TERTULLIANUS, sive quis alius, contra Marcion. Carm. l. 4. cap. 7. PRIMASIUS an. 550. in Apoc. c. 4. COM. IN APOC. ascripta *Victorino M.* c. 4. HOM. 3. in Apoc. ascripta Augustino. COM. IN APOC. ascripta *S. Ambrosio* c. 4. AMBR. ANSBERTUS, vel potius AUTPERTUS, an. 760. in Apoc. l. 3. PETRUS CELLENSIS an. 1180. lib. de *Panibus* c. 2. Accedit B. CHRYSOSTOMUS Hom. 4. in Gen. *Omnes divini libri V. T. primitus Heb. lingua scripti fuerunt, & hoc omnes nobiscum fatentur.* Idem Hom. 8. in Ep. ad Heb. ait omnes ab *Ezra* traditos fuisse.

In omnibus, quæ vidi Bibliis Lat. MSS. (& vidi quidem pene centum) leguntur *Hieronymi* Prologi, in quibus rejiciuntur scripta Apocrypha. Et in eos solebant, perinde ac in ipsam Scripturam Commentaria scribere. Habentur iidem in omnibus vetustioribus Bibliorum Editionibus, donec tandem post Decretum Conciliabuli Tridentini, eos tanquam novo suo *Canoni* aperte adversantes, omittere consultius existimarunt Pontificii.

Scriptores Ecclesiæ Latinæ.

tuens 4. Evang. — *Cum his Actus Ap. Proximum locum occupant Apostolorum Epistolæ, Pauli* 14. *Petri* 2. *Jac. Ap.* 1. *Judæ* 1. *Joannis* 3. *extremum ordinem tenet Apoc. Joannis. Hebræi trifariam distinguunt omnem Scripturam. Canonicam appellans citra controversiam afflatu S. Spiritus proditam.* — *Hagiographa nominant veluti de sanctis rebus à sanctis viris prodita. His tantum tribuebant, ut in conventu quidem reverenter legerentur: cæterum ut in feriis non urgeretur illorum auctoritas* (in hoc fallitur *Erasmus*, in errorem ductus prava lectione apud Prol. Hieron. in Tob. & Judith, ubi *Hagiographa* pro *Apocrypha*) *Apocrypha vocabant, quæ domi quidem pro suo cuique animo fas esset legere, cæterum in publicis conventibus non recitarentur, nec quisquam illorum auctoritati premeretur. Nec statim est Canonica Scriptura, quod in Templis canitur: atque utinam apud omnes servaretur, quod in Carthag. Concilio fuit decretum, ne quid omnino recitaretur in templis præter Canonicam Scripturam.*

Col. 121.

CAJETANUS Card. Præf. Com. in OMNES AUTHENTICOS *V. T. historiales libros* (sc. Jos. Jud. Ruth. Reg. Paral. Hezram, Nehem. & Ester) *ad Clementem* VII. P. anno 1532.

Divo Hieronymo, Pater beatissime, universa Ecclesia Lat. plurimum debet: non solum ob annotatas ab eo in libris V. & N. T. particulas tum adjectitias tum ambiguas, sed etiam propter discretos ab eodem libros Canonicos à non Canonicis. Liberavit siquidem nos ab Hebræorum opprobio, quod fingamus nobis antiqui Canonis libros aut librorum partes, quibus ipsi penitus carent. Quocirca quum disposuissem prosequi Commentarios in libros V. T. post librorum Moysi expositionem jam editam, libros Historiales omnes in unum volumen coegi: viz. Josuæ, Judicum, Ruth, Regum, Paralip. Hezdræ, Nehemiæ, & Ester libros, omissis reliquis à Hieronymo inter Apocrypha supputatis.

Ad finem Com in Ester: *Scito, quod in hac Clausula, terminatur liber Ester juxta Heb. Veritatem. Ita quod sex seu 7. sequentia Capitula sunt Apocrypha: & propterea non exponemus illa. Et hoc in loco terminamus Commentaria librorum historialium V. T. nam reliqui (viz. Judith, Tobiæ, & Maccabæorum libri) à Divo Hieronymo extra Canonicos libros supputantur, & inter Apocrypha locantur, cum libro Sap. & Ecclesiastico: ut patet in Prol. Galeato. Nec turberis novitie, si alicubi reperetis libros istos inter Canonicos supputari, vel in sacris Conciliis vel in sacris Doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba Conciliorum quam Doctorum: & juxta illius sententiam ad Chromatium & Heliodorum Episcopos, libri isti (& si qui alii sunt in Canone Bibliæ similes) non sunt Canonici, h. e. non sunt regulares ad firmandum ea quæ sunt fidei. Possunt tamen dici Canonici (h. e regulares) ad ædificationem fidelium: utpote in Canone Bibliæ ad hoc recepti & authorati. Cum hac enim distinctione discernere poteris & dicta Augustini in 2do de Doctr. Christ. & scripta in Concilio Florentino sub Eugenio* IV. *scriptaque in Provincialibus Conciliis Carthag. & Laod. & ab Innocentio & Gelasio Pontificibus.*

Idem Com. in Eccl. ad finem; an. 1534. *Et sic finitur Ecclesiastes cum omnibus Salomonis & Sapientiæ libris: Salomonis quidem, quia Parabolas exposuimus, & Canticum C. juxta germanum sensum fateor me non intelligere. Reliquos autem qui vocantur libri Sapientiales, quoniam Hieronymus extra Canonicos ad authoritatem fidei supputat, omittendos duximus, ad Prophetarum Oracula properantes.*

Col. 122.

Concil. TRIDENT. an. 1546. Sess. 4.

Sacrorum librorum indicem huic Decreto ad scribendum censuit (Synodus) *ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur. Sunt vero infrascripti T. V.* 5 *libri Mosis, Gen &c. Jos. Jud. Ruth.* 4. *Reg.* 2. *Paralip. Esdræ* 1. *&* 2*dus qui dicitur Nehem. Tobias, Judith, Esther, Job. Psalt. Davidicum* 150. *Psalmorum, Parab. Eccl. Cant. C. Sap. Ecclesiasticus, Isai. Jer. cum Baruch, Ezec. Dan.* XII. *Proph. Minores, sc. Os. Joel. Amos, Abd. Jon. Michæas, Naum, Hab. Soph. Agg. Zach. Mal.* 2. *Machabæorum,* 1*us &* 2*us. T. Novi* 4. *Evang. secundum Mat. &c. Act. Ap. à Luca Evang. conscripti,* 14. *Ep. B. Pauli Ap. scil. ad Rom. ad Cor.* 2. *ad Gal. Eph. Phil. Col. Thes.* 2. *ad Tim. Tit. Philem. Heb.*
Petri Ap. 2. *Joan. Ap.* 3. *Jac. Ap.* 1. *Judæ Ap.* 1. *Apocal. Joannis Apost.*
Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in Veteri Vulg. Lat. Editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit (& traditiones prædictas sciens & prudens contempserit) anathema sit.

Col. 123.

Ecclesia ANGLICANA in Artic. 39. an. 1562.

Sacræ Scripturæ nomine eos Canonicos libros V. & N. T. intelligimus, de quorum auctoritate in Ecclesia nunquam dubitatum est Catalogus librorum sacræ Canonicæ Scrip. V. T. Gen &c. Jos. Jud. Ruth. 2. *Samuelis.* 2. *Regum,*
Paralip. 2.
Esdræ 2. *Hester, Job. Psalmi, Prov. Eccl. Cant. Proph. Majores* 4. *Proph. Minores* 12.
Alios autem libros (ut ait Hieronymus) legit quidem Ecclesia ad exempla vitæ & formandos mores, illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet: ut sunt 3*us &* 4*us Esdræ, Sap.*
Jesus F. Sirach.
Tobias, Judith.
Libri Machab. 2.
N. T. libros omnes (ut vulgo recepti sunt) recipimus & habemus pro Canonicis.

Bibliorum Lat. MSS. notæ insignioris Ordo.

Col. 124.

Lambeth opt. notæ 2. vol. prægrand. cum numero Capitulorum, ut etiam Versuum ad finem librorum plerorumque numeratorum.

	Cap. vers.		Cap. vers.
Gen.	81. 3800.	Paral.	1-108. 2040.
Ex.	21. 3000.		2. 74. 2100.
Lev.	16. 2300.	Esdras (cum Neem.)	...
Num.	74. 3000.		
Deut.	155. 2600.	Hester	... 700.
Jos.	33 1750.	Tob.	... 900.
Jud.	18. 1700.	Judith	1100.
Ruth	9. 1250.	Mach.	2. .. 2300.
Sam. sive			2. 1800.
Reg. 1.	27. 2300.	Mat.	355. ....
2.	16. 2200.	Marc.	234. 1700.
Reg. 3.	...	Luc.	342. ....
4.	17. 2250.	Joan.	232. ....
Isai.	126. 3580.	Act.	75. 3600.
Jer. 99. }		Epistolæ:	
Lam. cum Orat. }	4450.	Jac.	20. ...
		Pet. 1.	21.
Baruch }			2. 15.
Epist. }	3.	Joan. 1.	19.
Ezec.	79. 3340.		2. 6.
Dan.	21. 1850.		3. 5.
(Apocrypha obelis prænotantur.)		Judæ	6.
		Pauli ad	
XII. Pr. liber	3800.	Rom.	50. 911.
Job.	38. 1800.	Cor. 1.	72. 980.
Psal. 150. cum obelis & Asteriscis. Adjicitur 151mus, ad cujus finem adnotatur, *Hic Psalmus in Heb. Codd. non habetur, sed hic à LXX. Inter additus est, & idcirco repudiandus.*		2.	28. 892.
		Gal.	37. 213.
		Eph.	31. 317.
		Phil.	19. ...
		Col.	31.
		Laodicenses.	
		Thess. 1.	25. 213.
		2.	9.
		Tim. 1.	30. 230.
Prov.	60. 1740.	2.	24. ...
Eccl.	31. 800.	Tit. ..	10.
Cant.	270.	Philem.	4.
Sap.	47. 1900.	Heb. ..	38.
Ecclus	126. 2800.	Apocal.	24. ...

Qqqq 2

Col. 125.

Bodl. NE. F. 6. opt. notæ, 2. vol. grand. cum numero Cap. & Stichometria ad finem librorum similiter apposita.

	Cap.	vers.
Gen.	82.	3070.
Ex.	139.	3000.
Lev.	89.	....
Num.	74.	3000.
Deut.	155.	2600.
Jos.	33.	1750.
Ruth	8.	....
Sam. seu		
Reg. 1.	26.	2300.
2.	50.	2200.
Reg. 3.	57.	2500.
4.	34.	2250.
Isai.	78.	....
Jer.	88.	
Lam.	...	
Oratio Jer.	...	
Ezech.	81.	
Dan.	33.	

Liber XII. Proph.

Lib. Osee 23.
Lib. Johel. 5.
Lib. Amos 16.
Lib. Abd. ..
Lib. Jonæ 2.
L. Mich. 14.
L. Naum 6.
L. Abac. 4.
L. Soph. 7.
L. Agg. 5.
L. Zach. 15.
L. Mal. 3. } 3800.

Job secundum LXX. cap. 33. cum Ast. Obelis, & Linniscis.
Job. secundum Heb. c. 36. v. 1700. Psalt. duplex. Psal. 150.

Prov.
Eccl.
Cant.
Sap.
Ecclesiasticus
Paralip. 2.
Ezra (cum Neem.)
Hester
Tob.
Judithæ Ed. duæ sc. Hieronymiana & vetustior Itala dicta.
Mach. 2.
Act. Ap.
Ep. Canon.
Apocal.
Ep. Pauli
Evang. IV.

Col. 126.

Bodl. Laud. I. 86. fol. grand. cum Stichometria in fine librorum: in ordine librorum convenit cum præced. usque ad Ezram (cum Neem.)
Baruch
Ep. Jer.
Hester
Judith
Mach. 2.
Evang. IV.
Act.
Ep. Canon.
Pauli.
Apoc.

Cum hoc convenit *Laud.* F 107. nisi quod *Baruch.* cum *Epist.* ponatur post Jer. & post Evangel. IV. seq. Ep. Pauli Canon. Act. Ap. &c. *Hoc an.* 1248. *legavit Domini Carmelitarum Lond. Doctor Frater Bacon.* Stichometriam idem habet.

Col. 127.

Cum præced. convenit *Cod. Coll. Omn. Anim.* 40. nisi quod desit *Baruch & Ep. Jer.* & *Actus* collocentur inter Epist. Pauli & Canon.

Coll. Novi fol. n. 2.
Gen. &c. ord. vulg. ad Paral.
Esdræ libri 5.
Judith
Hester
Tob.
Mach. 2.
Psalt.
Isa..
Jer. &c.
Ezech.
Dan.
XII. Pr.
Job
Prov.
Eccl.
Cant.
Ecclesiasticus
Evang. 4.
Act.
Ep. Can.
Pauli.
Apoc.

Col. 128.

Bodl. 40. *Museo* 73.
Gen. &c. ad Paral.
Esdræ 2.
Tob.
Judith
Hester
Mach. 2.
Psalt.
Job
Isai. &c.
Prov. &c.
Sap.
Ecclesiasticus
Evang. 4.
Act.
Ep. Pauli
Canon.
Apoc.

Ibid. 234. 120.
Gen. &c.
ad Paral.
Esdræ 2.
Psalt.
Prov. &c.
Sap.
Ecclesiasticus
Isai. &c.
Mach. 2.
Tob.
Judith
Hester
Job
Act.
Ep. Can.
Apoc.
Evang. 4.
Ep. Pauli

Col. 129.

Bodl. NE. B. 2. 2. 40.
Gen. &c.
ad Paral.
Esdræ 2.
Judith
Hester
Tob.
Mach. 2.
Prov. &c
Sap.
Ecclesiasticus
XII. Pr.
Isai. &c.
Job
Evang. 4.
Act.
Ep. Can.
Apoc.
Ep. Pauli.

Bodl. Laud. C. 115.
Gen. &c.
ad Paral.
Esdræ 2.
Judith
Hester
Isai. &c.
Job
Prov. &c.
Ecclesiasticus
Sap.
Evang. 4.
Act.
Ep. Can.
Pauli
Apoc.
Mach. 2.

Col. 130.

Bodl. 40. *NE. F.* 3. 25.
Gen. &c.
ad Reg.
Prov.
Esdra
Neem.
Hester
Tob.
Judith
Job.
Paralip.
Eccl.
Cant.
Sap.
Ecclesiasticus
Psalt.
Isai. &c.
Mach. 2.
Evang. 4.
Ep. Pauli
Act.
Ep. Can.
Apocal.

Ibid. NE. B. 5. 5.
Gen. &c.
ad Paral.
Isai. &c.
Tob.
Judith
Hester
Mach 2.
Esdra
Neem.
Job
Prov. &c.
Sap.
Ecclus
N. T. abest.

Col. 131.

Ibid. NE. B. 5. 12.
Gen. &c.
ad Paral.
Esdras
Tob.
Judith
Hester
Mach. 2.
Isai. &c.
Job
Prov. &c.
Ecclesiasticus
Sap.
Evang. 4.
Act.
Ep. Can.
Pauli
Apocal.

Ibid. NE. B. 5. 15.
Gen. &c.
ad Paral.
Ezra (cum Neem.)
Tob.
Jud.
Hest.
Mach. 2.
Psalt.
Isai. &c.
Job
Prov. &c.
Evangel. 4. &c. ut sup.

Col. 132.

Ibid. NE. B 7. 10.
Gen. &c.
ad Reg.
Isai. &c.
Job
Psalt. 2x.
Prov. &c
Sap.
Ecclesiasticus
Paral 2.
Ezra (cum Neem.)
Hester
Tob.
Jud.
Mach. 2.
Evang. 4. &c. ut præced.

Ashmole 8vo.
Gen. &c.
ad Reg.
Job
Tob.
Jud.
Hest.
Paral. 2.
Esdræ 2.
Prov. &c.
Isai. &c.
Mach. 2.
Matth.
Marc.
Luc.]
Actus
Joan.
Ep. Can.
Pauli
Apocal.

Col. 133.

Coll S. Joan. fol. 25.
Gen. &c.
ad Paralip.
Esdra
Neem.
Tob.
Judith
Ester
Job
Machab. 2.
Prov. &c.
Sap.
Ecclesiasticus
Isai. &c.
Evang. IV.
Act.
Ep. Canon.
Apocal.
Ep. Pauli.

Ibid. 26.
Gen. &c.
ad Paralip.
Esdræ 2.
Judith
Ester
Tob.
Machab. 2.
Isai. &c.
Job
Psalt.
Prov. &c.
Sap.
Ecclesiasticus
Evang. IV. &c. ut sup.

Ibid. 27. imperf.
Sap.
Ecclesiasticus
Job. Prov.
Eccl. Cant.

Col. 134.

Coll. Æneï Nasi fol. 25.
Gen. &c.
ad Paral.
Prov. &c.
Sap.
Ecclesiasticus
Isai. &c.
Job
Psalt.
Tob.
Judith
Hester
Esdra (cum Neem.)
Mach. 2.
Evang. 4.
Ep. Pauli
Act. &c.

Coll. Magd. 54. fol.
Gen. &c.
ad Paral.
Esdræ 5.
Judith
Hester
Tob.
Job
Psalt. 2x. &c.
Isai. &c.
(abest *Baruch.*)
Evang. 4.
Ep. Pauli
Can.
Act.
Apocal.

Col. 135.

Lambeth. fol. 90.
Gen. &c.
Jos.
Jud.
Ruth
Reg. 4.
Prov.
Eccl.
Cant.
Sap.
Ecclesiasticus
Paral. 2.
Esdras
Neem.
Hester
Tob.
Judith
Mach. 2.
Baruch
Isai.
Jer.
Threni cum Orat.
Ezec.
Dan.
XII. Pr
Job
Psalt. Editio 2x.
Evang. 4.
Act.
Epist. Canon
Pauli.
Apocal.

Librorum *Esdræ* varius est in variis numerus. In Codd. plusquam 30. *Esdræ* 1. *Neemia, Esdræ.* 2. In Codd. 3. *Esdræ* 1. 2. 3. In Codd. 23. *Esdræ* 1. 2. In Codd. 15. *Esdras, Neemia.* In Codd. 8. *Esdras* (comprehenso *Neemia.*) In Edit. 1476. 1486. 1514. *Esdræ* 1. *Neemia, Esdræ* 2. 3. In Codd. 3. (a) *Esdræ* 1. 2. 3. 4. 5. Cod. 1. (b) habentur 5 libri præter *Neemiam.*

Manassis Oratio à multis Codd. abest. *Baruch* cum Ep. *Jer.* à tribus (c) abest.

Cum a Græcis (d) numerantur *Maccab.* 4. *4tus* iste est libellus *Josephi* Qui 3. reliquis subjungitur etiam in Edit. *Basil.* & in Bibliis *Syriacis.* Istum solitum fuisse in Bibliis haberi monet quoque *Philostorgius.*

De *Psalmorum* loco disceptatio quædam fuit inter Patres Synodi Trid. Prophetarum Minorum Ordo inter se vulgaris ex Codd. Heb. constitutus est ab *Hieronymo,* (e) pro eo qui apud Græcos & veteres Lat. obtinuit: scil. *Osee, Amos, Mich. Joel, Abd. Jon. Na. &c.*

In N. T. Evangelia hunc Ord. *Mat. Joan. Luc. Marc.* in aliquibus Codd. Gr. obtinent, ut in *Bezæ Cantabrigiensi*, in *Benedictinorum S. Germani* Paris. & in alio, quem testatur *Druthmarus* (f) se vidisse, qui S. *Hilarii* dicebatur. Ob ordinem, ni fallor, quo commemorantur, in *Constit. Apost.* (Col. 28.) In Cod. *Heidelberg.* (Col. 50.) *Mat. Marc. Jo. Luc.* In Catalogo Codd. MSS. *Oxon.* nuper edito memoratur Versio *Gallica* N. T. servata in Biblioth. Coll. *Omn. Anim.* in qua *Marcus* præponitur *Matthæo.* Sed Codicem istum quærendo non inveni. Cod. Ashmol. *Mat. Marc. Luc. Actus. Joan.*

Epistolas *Cathol.* hoc ord. *Petri, Jac. Jo. Judæ* disponebant veteres Latini, in honorem S. *Petri.* Quem ordinem in vulgarem è Codd. Græcis mutavit *Hieronymus.* (g) De alio atque alio earum ordine vide Col. 30. 58. 59. 61. 62. 63. 67. 71. 72. 74.

a Coll. *Magd.* Novi, & *Omn. Anim.*
b Bodl. Hatton 61.
c NE. F. 6. 7. & Coll. *Omn. An.* & *Magd.*
d ut Col. 44 46
e Præfat. Com. in Joel.
f in Mat. 1.
g Præf. in Ep. Canon.

Epistolarum S. Pauli Ordo.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
Rom.	Rom.	Rom.	Rom.	Rom.	Rom.	Rom.	Rom.	Gal.	Rom.	Rom.
Cor. 2.	Cor 2.	Cor. 2.	Cor. 2.	Cor. 2.	Cor. 2.	Cor. 2.	Cor. 2.	Cor. 2.	Cor. 2.	Thess. 2.
Gal.	Gal.	Gal.	Gal.	Gal.	Gal.	Gal.	Gal.	Rom.	Gal.	Tim. 2.
Ephes.	Eph.	Eph.	Thess. 2.	Eph.	Eph.	Eph.	Eph.	Thess. 2.	Eph.	Tit.
Phil.	Phil.	Phil.	Eph.	Phil.	Phil.	Phil.	Phil.	Eph.	Tim. 2.	Philem.
Col.	Col.	Thess. 2.	Phil.	Col.	Thess. 2.	Col.	Col.	Col.	Tit.	Heb.
Thess. 2.	Thess. 2.	Col.	Col.	Thess. 2.	Col.	Laod.	Thess. 2.	Philem.	Col.	
Tim. 2.	Heb.	Tim. 2.	Tim. 2.	Laod.	Laod.	Thess. 2.	Tim. 2.	Philip.	Philem.	
Tit.	Tim. 2.	Tit.	Tit.	Tim. 2.	Tim.	Tim.	Tit.	Laod.	Vide	
Pgilem.	Tit.	Philem.	Philem.	Tit.	Tit.	Tit.	Philem.		supra	
Heb.	Philem.	Heb.	Heb.	Philem.	Philem.	Philim.	Heb.		Col. 46.	
				Heb.	Heb.	Heb.	Laod.			

Ita Bibl. Lat. *NE. B.* 5. 12. & tamen Epist. ad Thess. incipiunt in eodem folio, quo definit Ep. ad Rom. Ne quis suspicetur reliquas è Vol. excidisse.

1 Ordo vulgaris Bibliorum cum Ed. tum MSS, tempore etiam *Epiphanii*, quem existimat is fuisse ipsius Apostoli. Epistolam tamen ad Heb. ab aliquibus Codd. abesse monet, Hær. 42. *Chrysostomus* Præf. Hom. in Epist. ad Rom. contendit non modo Epist. ad *Cor.* quod satis liquet, verum etiam Epist. ad *Thessal.* ante Epist. ad *Rom.* scriptas fuisse. Ita etiam *Theodoretus* Præf. in Epist. Pauli.

2 Codd. nonnulli apud *Epiphan.* & Cod. *Alexandrinus.* Item Versio *Coptica* in Codd. *Hunt.* 122. 203. Consentit *Hieronymus* in *Catal.* nisi quod de Epistola ad *Hebr.* subdubitat.

3 S. *Augustinus*, & Biblia Lat. MSS. NE. F. 3. 25. NE. F. 6. 7. 8. *Musei* 234. *Hatton.* 64. *Coll. S. Johan. Coll. Omn. Anim.* & *Coll. Lincoln.*

4 *Gelasius* P. in Decreto, apud *Burchardum.*

5 Biblia Lat. MSS *Super D.* 1. *Art.* 66. *Musei* 7. *Laud.* C. 115. *Coll. S. Johan.* fol. 24.

6 Bibl. Lat. MS. *Coll Univers.* & N. T. Lat. MS. NE. A. 3. 18.

7 Biblia Lat. MSS. NE. B. 5. 15. D. 1. Art. 101. *Musei* 121. *Laud.* I. 86. Novum Test *Laud.* C. 25. Bibl. Lat. *Lambeth.* 2. vol. grand. In Bibl. Lat. *Coll. Ænei Nasi* ad finem Epist. ad *Coloss.* alia manu, sed veteri, in Margine subjicitur Epist. ad *Laodicenses*, cui hæc subnectuntur verba: *Hanc Epistolam legas post Epistolam ad Colocenses.*

8 Argumentum in Epist. Pauli in Bibl. Lat. MS. *Lambeth.* ubi tamen subjicitur, Epist ad *Laod. in Canone non haberi.*

9 Decem tantum Epistolas Pauli, cum particulis quibusdam ea Epist. ad *Laod.* easque ordine eo, recepit *Marcion Hæreticus*, quas librum *Apostolicum* inscripsit. De cæteris Scripturarum libris nullum agnovit præter Evangelium *Lucæ*, illudque mutilatum. Epistolas etiam, quas recepit *Paulinas*, mutilavit vitiavitque. Vide *Epiphan. Hær.* 42. *Orig* Dial. contra Marc. §. 1. 2. 5. *Tertull.* contra Marc. l. 5. c. 1. 11. 17. 21. *Hieron.* Procem. Ep. ad Titum, & ad Philem. & Com. in Gal. c. 1. v. 1. *Simonius* in Hist. Crit. N. T. c. 15. contendit *Marcionem* nullam Epist. ad *Laod.* recepisse, sed Epist. ad *Ephes.* falso inscripsisse *ad Laod.* Sed in hoc *Epiphanius* falli non potuit, qui in *Apostolico* Marcionis recenset Epist. ad *Eph.* loco 7mo, & illam ad *Laod.* loco 11mo, πρὸς Λαοδικεῖς ια'. Ideo vero dicit *Tertullianus* contra Marc. l. 5. c. 11. *Epistolam, quam nos ad Ephesios præscriptam habemus*, à Marcione *ad Laod. inscriptam fuisse*; quoniam locus, qui ex Ep. ad *Laod.* à Marcione adductus est, in Epist. ad *Eph.* exstabat. Quod etiam observat *Epiphanius.* Epistolam ad *Laod.* nusquam apud *Apostolum* cerni asserit *Epiphanius.* *Hieronymus* in Catal. *Legunt quidam & ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.* Agnoscitur tamen pro genuina à *Jo. Sarisburiensi.* Vide supra Col. 85. Scripsisse autem Apostolum Ep. ad *Laod.* videtur innui in Epist. ad *Coloss.* 4. 16. *καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε.* Lat. Vulg. *Et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis*: quo loco alii, monente *Chrysostomo*, intellexerunt Epist. à *Laodicensibus* ad Paulum scriptam. Vide Cl. *Usserii* de Epistola hac Dissertatiunculam.

FINIS.

